



R. ADM. P.

F. LAVRENTII DE PEYRINIS OPERA



CHAS

Dela Curia ultramontana de los españoles.— ... Araceli.

R. ADM. P.

F. LAVRENTII DE PEYRINIS GENVENSIS

Ordinis Minimorum S. P. Francisci de Paula In Prouincia Genuensi Vicegeneralis.

Nec non Sanctissimæ Inquisitionis contra hæreticam prauitatem Vicarij

OPERA OMNIA

quæ extant

In duo distributa volumina

Quorum prius Subditum, Prælati, ac Formularium, posterius verò Regularium Priuilegia cōplectitur

Denuò ab Auctore in hac secunda editione recognita, aucta, et concinnata.

VOLVMEN PRIMVM



Placentiæ ex officina Ducali apud Ioannem Antonium Ardizzonium Anno 1679

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.


RAPHAELI PIZZVRNO

TOTIVS MINIMORVM ORD.
S. FRANCISCI DE PAVLA
OLIM CORRECTORI GENERALI,
NVNC VERO GVARDIENSI EPISCOPO VIGILANTISS.

SALVTEM.

SIBI EIVSDEM PATROCINIVM PRECATVR.

F. Angelus Vigus Minimus.




EVERIOR, & non æqua librata trutina mihi videtur illa Senecæ ſententia. *Ingratus eſt, qui beneficium reddit ſine vſura.* Expediet beneficia detrectare, ne per illa in ingrati animi crimen incurramus: etſi verum eſt ex Ariſt. 2. Philoſ. Mor. *Magiſtris, Dijs, & Parentibus non poſse reddi æquiualens.* nemo erit non ingratus, cum nemo non fateatur ſe debere Deo, Magiſtris, & Parentibus. Mitior Ariſtot. 8. eiuſdem Philoſ. Mor. & animo beneficijs deuincto magis indulget dicens. *Retributio poſſibilis eſse debet, non condigna.* Ingenuè fateor Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Ingratus eſſe nunquam deſinerem, ſi tuis in me collatis reddere deberem condigna beneficijs: quid poſtea ſi cum vſura? Aequiualens non inuenio reddendum Magiſtro meo, Parenti meo, quinimmo (ſi fas eſt dicere) Deo meo, & liceat mihi addere, Raphaeli meo: Magiſtro, à quo artes hauſi philoſophicas: Parenti, cui Religionis olim meę tenenti gubernaculum magis debebam, quam genitori: Deo, Prælato ſcilicet, cum Sacerdotibus omnibus, præſertim Prælatis dicat Veritas ex Io: 10. *Ego dixi Dij eſtis*: Raphaeli tandem, qui medicina interpretatus ignorantiæ cęcitatem ab oculo mentis meæ, & ſuaue olenti conuerſatione auertit, & doctrinæ fugauit ſplendore. Neque inconſulto natura, vt opinor, mihi Angeli, tibi Raphaelis nomen impoſuit. Superior cæleſtiū ſpirituū Hierarchia, in qua nō vltimus eſt Raphael, inferiores, vt aiūt Theologi, ordines illuminat: Tu Raphael in Doctorum cętu ſublimis, me Angelū ſcientiæ vix prima ſequentē ſigna illuminaſti. Quid pro tantis redderem, verſabar animo: extremū ingenuè timebam ſuppliciū, timebā ingrati notam, ni profiterer, vnde viuerem: Verebar à tuę beneuolentiæ menſa impranſus abire de more Gym-

nosophistarum, apud quos impransus abibat, qui nullum diurni laboris fructum parentibus afferret: culpa erat non afferre: De meo quod afferrem non habebam; vt afferrem, furari satius fuit alienum; affero igitur, & offero Dominationi tuæ Illustrifs. ac Reuerendifs. Adm.R.P.F.Laurentij de Peyrinis Informatoris,& Præceptoris tui, tuique amantissimi opera, & ad Subditos, & ad Prælatos attinentia, quæ olim ab eodem in lucem edita, & per orbem diffusa tantam, tamque variam prætulerunt doctrinam, vt plures plurimum ex ea fateantur se profecisse. Vnde iure potest de se ipsa dicere, OMNIBVS PROSVM, eodem enim modo, quo aqua vnico in vase floribus varijs vigorem conseruat, doctrina hoc in libro contenta diuersis hominum, præcipue Regularium, vtilis est rebus, & genijs. Legant, iterumque legant Regulares omnes, legite Subditi, & discetis esse subditi, legite Prælati, & scietis quomodo præesse debeatis; cumque omnes instar apum succos decerpitis meliores, cognoscite, quod IAM VOBIS MELLIFICATIS, dũ Regulares regularia perlegentes iura fouetis Regularium. Ignosce Illustrifs. ac Reuerendifs. Domine, si tantisper eram digressus; ad librum redeo, qui excussus denuò non tantum meo studio, quàm tuo patrocinio dicit, SEMPER VIVO, sibi vindicans proprietates herbæ illius, quæ in tectis nascens oculi equini refert imaginem, semper virens; vnde semper viui nomen habuit à nostris Medicis, Zoophtalmos à Græcis. Viri docti tecta sunt, oculi sunt, semper virentes sunt, qui cęteris altiores humanis rebus inuigilant in aduersis eumdem retinent semper animum. Hoc tibi dabit hic liber, & iam dedisse probant Prudentia, & Vigilantia, quibus Religionem nostram inuictè moderatus es, & Ecclesiam tuam moderaris. Suscipe libenti animo, eoque illud amore velim amplecteris, quo auctorem, dum degeret in viuis, prosequutus es, & quoties librum à te perlegi contigerit, sodalis olim tui, deinde discipuli, postea subditi, nunc Angeli tui memineris, & Rege felix.

AD LE-

AD LECTOREM.



VÆ Adm. R. P. F. LAVRENTIVS DE PEYRINIS Prælatus olim meus ad Subditos, & Prælatos attinentia in tuum commodum, Lector Beneuole, tribus in libris olim emiserat; nunc ab eodem aucta, & in vnum congesta tibi profero. Eam perdisces doctrinam, quam meliores desiderant, etsi secundum Arist. sententiam 8. top. *Vna scientia est melior altera, vel quia est certior, vel quia de meliori:* considera ipse qualis erit scientia in hoc libro contenta, quam maximorum Doctorum defendunt argumenta, legum firmat auctoritas, & quod præcipuum, optimæ stabiliunt rationes: De meliori est, cum tractet in Religiosorum hominum vtilitatem, & Religiosa, & in vltimum finem tendentia, quo melius, vel perfectius nequit excogitari. Equidem fateor desiderium solum, quod apud omnes vbiq; comperi de tāti viri doctrina fuisse in causa, vt studerē, qua poteram cura, ipsius Auctoris opera omnia in duo volumina colligere, in quorum primo, *Subditum, Prælatum, & Formularium Prælatorum*; in secundo verò, *Priuilegia*; omnia mandare calcographiæ: Quantum ad primum iam voticompos factus, illum tuæ vtilitati exhibeo: secundum, Deo adiuuante, paulo post exhibebo. Audi Religiose Lector, *Est insita* (Inquit Cic. de Fin.) *in omnibus vel potius innata cupiditas scientiæ, natiq; sumus ad congregationem, & societatem, ad communitatem generis humani* si hoc datum est omnibus à natura, quid expediet hominibus Religiosis, hominibus Regularibus, qui præcipue communitatem diligunt, societatem profitentur, constituunt Congregationem? Hunc librum perlege, sępiusq; oculis, & animo peruolue, si quomodo te gerere debeas in communitate, si quomodo regere valeas congregationem cupis perdiscere. *Duplum* aiebat Euripides, *quam alij vident, qui literas didicerunt:* duplum possemus nos dicere, quam alij vident Regulares illi, qui se, suosq; subditos iuxta sua iura, et iuxta Canones regere didicerunt. Mihi sane certum est, nec operam, nec oleum insumpsisse; vix enim huiusmodi editionem tentare inceperam, et iam cruciabat, tum à nostris, tum ab exteris, vt quam cito poteram, perficerem: perfeci tandem, et lucem videt. Luceat animo tuo liber, mihi tua luceat beneuolentia: et eiusdem Auctoris iam vita functi expecta quam primum commentaria super regulam Minimorum, quibus tota Ascetarum doctrina continetur. Vale.

F A C V L T A S
Reuerendiſs. P. Generalis.

F. IOANNES Baptiſta Roncha à Placẽtia totius Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Corrector Generalis. P. F. Angelo Vigo Genuenſi noſtri Ordinis Theologo. Salutem in Domino.

Præſentium virtute tibi ſupradicto, vt opera omnia Reu. Patris Laurentij de Peyrinis Genuenſis adhucuſq. impreſſa, & ab ipſomet Auctore plurimis additionibus aucta (modò hæ prius à duobus noſtri Ordinis Theologis, nempè Reu. Patre Fr. Franciſco Maria de Agrifolijs Prouinciali Genuæ, & P.Fr. Ioanne Thoma à Vezzano ſtudiorum Regente examinentur, & approbentur) accedente facultate eorum, ad quos ſpectat, tipys iterùm mandare valeas, facultatem concedimus, & ad meritum etiam Obedientiæ, vt id primùm faciendum cures præcipimus. Datum Bononiæ in noſtro D. Benedicti Cænobio hac die 28. Auguſti 1639.

Fr. Io: Baptiſta Roncha Minimus Corrector Generalis.

APPROBATIO.
REVERENDI ADM. P. CORRECTORIS PROVINCIALIS Prouinciæ Genuenſis eiuſdem Ordinis.

E*Go infraſcriptus à Reuerendiſs. P. F. Io: Baptiſta Roncha Ordinis Minimorum Correctore Generali ſpecialiter delectus, Reu. Adm. & colendiſs. gloriſ mem: Magiſtri mei P. F. Laurentij de Peyrinis iterum in lucem edenda opera, pluribuſque notis, ſeu additionibus olim ab Auctore concinnata,* Religioſum *nempe* Subditum, ac Prælatum, Regulariumq; Prẹlatorum Formulariũ *perlegi, atque examinaui, nihilque in ijs, quod Catholicæ fidei, boniſque moribus, vel Auctoris doctrinæ, ac menti diſſonum ſit, ſpondeo me reperiſſe. Eaque proinde approbo, & vt eiuſdem Auctoris de Religione, ac Genuenſi Prouincia optimè meriti non ingratus Diſcipulus, typis ad omnium, & Regularium præſertim, vtilitatem committi poſſe, quin & committenda fore omnino cenſeo. In quorum fidem &c. Dat. Genuæ, in noſtro IESV MARIAE Collegio, die 20. Septembris 1639.*

Fr. Franciſcus Maria de Agrifolijs Corrector Prouincialis, et S. Officij Genuæ Vicarius.

APPRO-

APPROBATIO.

EX commissione Reuerendiss. Patris F. Io. Baptistæ Ronca nostri Ordinis Minimorum Correctoris Generalis Apostolici, Additiones, quibus A. R. P. Laurentius de Peyrinis, adhuc viuens opera sua iam typis impressa non mediocriter illustrarat, ego infrascriptus vidi, & sedulò examinatas publica typorum luce dignissimas indicaui. In quorum fidem &c. Datum Genuæ, in nostro Collegio IESV MARIAE die 29. Iulij 1639.

Fr. Io. Thomas à Vezzano Sacræ Theologiæ Lector, & in prędicto Collegio studiorum Regens.

APPROBATIO.

EX commissione Reu. Patris Generalis, & Episcopi Lauellensis, vidi ego infrascriptus librum, qui dicitur Religiosus Subditus, & Prælatus Fratris Laurentij de Peyrinis, & attestor, me in ipso non reperisse quidquam contrà Catholicam fidem, nec contrà bonos mores, immo sanam, & optimam doctrinam. Quarè censeo, posse dicto patri concedi, vt eum typis mandet. In quorum fidem, &c.

Frater Benedictus à Catana publicus Lector primarius Sacrę Theologię Studiorum Siciliȩ in Academia Catanensi.

APPROBATIO.

EX commissione Reu. P. F. Francisci de Mayda Episcopi Lauellensis, & Generalis Ordinis Minimorum vidi ego infrascriptus librum, qui dicitur Religiosus Subditus, & Prælatus Fratris Laurentij de Peyrinis Genuensis, Ordinis Minimorum, & attestor, in eo me non reperisse quidquam contrà fidem Catholicam, nec contrà bonos mores, immo sanam, & optimam doctrinam, cum variarum rerum curiosarum cognitione coniunctam. Quarè censeo, dictum librum futurum religiosis omnibus vtilem, si concedatur eius auctori, vt typis eum mandare possit. In quorum fidem has manu propria subscripsi. Romæ die 25. Maij, Anno Domini 1623.

Frater Petrus Amoraga Prouincialis Castellæ.

APPROBATIO.

EGO Fr. Deodatus Lomellinus Theologus, & totius Ordinis Minimorum Zelosus, ex commissione Reuerendissimi Patris Generalis vidi librum inscriptum, Religiosus Subditus, & Prælatus *Fratris Laurentij de Peyrinis, & attestor, in eo ne quidquam contineri contrà Catholicam fidem, nec contrà bonos mores, sed sanam, & optimam doctrinam, religiosis omnibus futuram vtilem, si concedatur eius auctori, vt concedi debere existimo, vt eum typis mandare possit: In quorum fidem manu propria subscripsi.*

Fr. Deodatus Lomellinus Zelosus.

LICENTIA PERILLVSTRIS, AC R.MI D. Episcopi Lauellensis, & totius Ordinis Minimorum Generalis.

HAbita relatione à patribus, quibus negotium commisimus, librum, qui dicitur Religiosus Subditus, & Prælatus F*ratris Laurentij de Peyrinis nostri Ordinis Professoris, nihil continere contrà fidem Catholicam, nec contrà bonos mores, licentiam concedimus, imò in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus dicto patri, vt studeat quamprimùm eum typis mandare. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis nostri Ordinis die 25. Maij, anno Domini 1623.*

Fr. Franciscus Episcopus Lauellensis, & Minimus Generalis.

F. ÆGIDIVS CAMART ORD. MINIM.

Generalis nouiter electus.

V*Isis approbationibus eiusdem libri, qui dicitur* Religiosus Subditus, et Prelatus *F. Laurentij de Peyrinis Ord. Minim & licentia cum imprimendi data ab admodum Illust. & Reuerendiss. D. Episcopo Lauellensi prædecessore nostro, dictis vestigijs inhærendo, licentiam, & facultatem concedimus dicto Patri, vt eum typis mandare possit, immo per obedientiam iubemus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die* 11. *Ianuarij* 1623.


Fr. Ægidius Camart Generalis indignus.

Imprimatur.

Fr. Elisæus Mansinius Inquisitor Genuę

Denuò Imprimatur.

Inquisitor Placentiæ.
Lepidus Librianus Vic. Gen.
Rosa Vidit.



EPIGRAMMA,

Incerti Auctoris in laudem operis.

QVIVIS Peirinæ melliflua scripta reuoluens,
Laudibus eximijs semper in astra ferat,
En liber egregius Lectoris pectora mulcens,
In quo cardo piæ Religionis inest.
Perdocet hic valeat quo pacto subdere mentem
Subditus, & vanas spernere possit opes.
Hic etiam impuræ Veneris quo castra domare,
Et Minimus lautas respuat vnde dapes.
Exculti tandem libri si iussa sequetur
Christicola, ad Cælum quamcitò pandet iter.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM ET CAPITVM
DE RELIGIOSO SVBDITO.

Quæstio prima. De voto obedientiæ.

Ca-

Quæstio II. De voto Religiosæ Paupertatis.

Quæstio III. De voto Religiosæ Castitatis.

Caput II.

Quæstio IV. De voto vitæ Quadragesimalis.



TOMVS

TOMVS PRIMVS.

DE IIS QVÆ AD BONVM SVBDITVM FORMANDVM SPECTANT.

QVAESTIO PRIMA.

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

CAPVT PRIMVM.
Quid sit Obedientia.



D. Thom. D. Laurēt. Iust. Hostiensis.

PRO hac quæstione videri potest D.Th. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 3. Beatus Laurentius Iustinianus in ligno vitæ tract. de Obed. cap. primo Hostiensis in Sum. lib. primo de maior. & obed. num. 3. §. quid sit obedientia Antoninus 4. par. tit. 5. cap 11. §. prim. Syluester, Angelus, Tabiena, & alij Summistę verbo obedientia in principio, Climacus gradu 4. Gulielmus, Peraldus in Sum. virt. & vit. tom. 1. part. 10. cap. 1. Rodriquez tom 3. q. regul. q. 19. art. 1. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 46. dub. 4. num. 22. Reginaldus lib. 17. num. 230. Aluarez de vita Spirituali tom. 2 lib. 5. part. 3. cap. 1. Nauarrus in Sum. cap. 23. num. 35. Toletus lib. 8. cap. 14. num. 1. Busæus in Viridario verbo obedientia cap. 1. Angelicam Doctrinam vt potè clariorem, lucidiorem, & faciliorem in omnibus sequi profitentes: ab ipso Aquinate Doctore, quid Obedientia sit, primo loco discamus. *Est Obedientia*, vt ipse ait 2. 2. quæst. 104. art. 2. ad 3. *quæ promptam reddit hominis voluntatem, ad implendam voluntatem alterius, scilicet præcipientis.*

Syluester. Angelus. Climacus. Peraldus. Rodriquez. Lessius. Reginald. Aluarez. Nauarr. Toletus. D. Thom.

Alb. Mag.

Albertus Magnus in paradiso animæ cap. 3. *Obedientia est, cum subditus, quod sibi maximè contrarium est, fideliter & libenter exequitur, numquam manifestans signo, vel facto, quod sibi contrarium sit præceptum.*

Climacus.

Ioannes Climacus gradu 4. *Obedientia est, animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certius ostensa.*

Aut *est mortificatio membrorum in viuente animo.*

Seù *Obedientia est inexaminatus, atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter.*

Vel *est Obedientia sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil resistis, nihilque discernit mortuus in bonis, aut ijs, quæ videntur* (non sunt tamen) *mala.*

Obedientia est discretionis depositio inter diuitias discretionis; quia nimirum verus Obediens discretionem, & iudicium suum apud Superiorem deponit, & illi se subijcit, qui discretione, & iudicio abundat.

Obedientia est, numquam sibi, ne in his quidem, quæ videntur optima vsque ad finem vitæ credere.

Obedientia est simulationis, proprijque desiderij omnimoda renunciatio. hucusque Climacus.

B. Laurēt. Iust.

Beatus Laurentius Iustinianus in ligno vitæ, tract. de Obedientia cap. primo. *Obedientia est voluntas faciendi mandatum Superioris.*

Obedientia est boni operatio secundum regulas sacræ scripturæ; vel statutorum regulæ alicuius particularis, maioribus quibuscumque debita.

Obedientia est spontaneum, & rationale propriæ voluntatis sacrificium. Et propius accedit ad Obedientiam Religiosorum; triplex enim offertur Deo sacrificium, vt habet D.Tho. opusc. 18. cap. 11. primo de exterioribus rebus, & hc per votū paupertatis, secundo offerunt Deo sacrificium de proprio corpore, & fit per votum castitatis 3. offertur Deo acceptissimum sacrificium, quando aliquis spiritum, seù voluntatem suam Deo offert, & hc per votum Obedientiæ.

D. Thom. opusc. 18. cap. 11.

Antoninus 4. par. tit. 5. cap. 11. §. 1. sic eam describit. *Obedientia est spontanea, & rationalis propria voluntatis abnegatio.* Vbi notandum, quòd cum *omnes homines natura libertati studeant, & conditionem seruitutis oderint*, vt ait Cæsar in suis Cōmentarijs de bello Gallico lib. 3. paulò post principium, immò Paulus prima Corinthiorū 7. *Seruus vocatus es, non sit tibi cura, sed & si potes fieri liber, magis vtere*, nihil est homini amabilius libertate propriæ voluntatis, vt D.Th. ait opusc. 18. cap. 10. per hanc enim homo est aliorum Dominus, per hanc alijs vti, vel frui potest, per hanc etiā actibus suis dominatur; Nihil est enim, quod homo naturali affectu, magis refugiat, quam seruitutē: vnde nihil posset homo pro alio amplius impendere quàm quòd se seruituti eius subiugaret, Quare iunior Thobias Thobiæ 9. Angelo referre gratias maximè exoptans, dixit, *Si me ipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ*, & maximum fuit sanctitatis, & charitatis in proximum argumentum, illud Paulini Episcopi Nolensis, qui ad liberandum viduæ filium à Barbaris detentum, mancipium spontè se illis consignauit, vt scribitur in eius vita. cui libertati totaliter abrenunciat, qui propter Deum alijs se subijcit per Obedientiæ votū, ad ipsiusmet Christi imitationem, *qui humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*, ad Philippenses 2. quæ Christi obedientia in abnegatione propriæ voluntatis consistere, vel ex eo patet, quod dicitur Ioannis 6. *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* In quo nobis dedit exemplum, vt sicut ipse suam volun-

Cæsar. 1. Cor. 7. Ad Philip. 2.

tatem humanam abnegabat, supponendo eam diuinæ, ita & nos nostram voluntatem Deo totaliter supponamus, & hominibus, qui nobis præponuntur tanquam Dei ministri, vnde dicitur ad Hebræos vltimo. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

Ad Hebr. vlt.

CAP. II.
Quotuplex sit Obedientia.

D. Thom. D. Bonau. B. Lauren. Iustin. Syluester. Angelus. Tabiena. Peraldus. Rodriq. Valentia. Lessius. Reginald. Sanchez. Toletus. Graffius.



Videatur pro hac quæstione D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. & in 2. d. 44. q. 2. art. 3. corpore, & quodlib. primo art. 15. corpore. Bonauentura in 2. d. 44. art. 3. q. 2. B. Laurentius Iustinianus lib. de Obedientia cap. 9. Syluester, Angelus, Tabiena, & alij Summistæ verbo Obedientia, Gulielmus Peraldus, summa virtutum, & vitiorum, tom. 1. par. 10. de Obedientia cap. 5. Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 19. art. 1. Valentia tom. 3. disput. 7. q. 3. punct. 1. Lessius lib. 2. cap. 46. dub. 4. num. 22. Reginaldus lib. 17. num. 230. Sanchez lib. 6. In Decalogum cap. 1. num. 3. Graffius par. 1. decis. lib. 3. cap. 24. num. 31. Toletus lib. 8. cap. 14. num. 1. Busæus in viridario verb. obedientia cap. 1.

D. Bernar. D. Thom. D. Bernar.

Omissis varijs distinctionibus, quæ videri possunt apud præfatos Doctores; Quantum ad rem nostram sat est, Duplex est Obedientia, vt D. Bern. de disp. & præcep. col. 5. Alia perfectionis, & alia necessitatis, quã sufficiẽs appellat D. Th. quodlib. 1. ar. 15. Perfectionis est illa, quæ obedit in omnibus, quæ contrà Deum non sunt; de qua Bernar. de dispens. & præcepto in principio, *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem Charitatis: & ad omne quod iniungitur, spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.*

D. Bernar.

Obedientia verò necessitatis est illa, quæ terminis regulę, & votorum coarctatur, de qua idem Bernardus eodem loco, *Is, qui profitetur, spondet quidem Obedientiam; non tamen omnimodam, sed determinate secundum regulam, nec aliam quàm Sancti Benedicti; vt oporteat eum, qui præest, non frena sua laxare voluntati super Subditos, sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram; & sic demum sua imperia moderari, circa id solum, quod rectum esse constiterit, nec quodlibet rectum, sed id tantum, quod prædictus Pater instituit, aut certè, quod sit secundum quod instituit.*

D. Thom.

Secundo. Diuiditur etiam Obedientia in materialem, & formalem, de qua D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 2. ad primum; Materialis, nihil aliud est, quam executio cuiuscumque actus, virtutis sub præcepto cadentis, etiamsi non ea intentione expresse fiat, vt præceptum impleatur, & hæc Obedientia, non est specialis virtus, sed generalis, omnes virtutes complectens; quiuis enim actus virtutis obligatorius, est obedientia huiusmodi; Formalis Obedientia est virtus inclinans Subditum ad exequendum superioris præceptum, vt Præceptum est, hac præcisa, & formali intentione; quia præceptum est, & hoc pacto est virtus specialis.

CAP. III.
De Necessitate Obedientiæ.

D. Thom. Caietan. Valentia. Ledesma. Miranda. Aluarez. Rodriquez. Sotus. Busæus.



PRO hoc capite videatur D. Thomas. 2. 2. q. 104. art. 1. & q. 186. art. 5. & opusc. 18. cap. 10. Caietanus ad loca D. Thomæ 2. 2. Valentia tom. 3. disp. 7. q. 3. punct. 1. & disp. 10. q. 4. punct. 2. Ledesma par. 2 summę, cap. 4. de Statu Religiosorum in communi, conclus. 6. pagina mihi 133. Miranda tom. 1. manualis Prelatorum, q. 26. art. 1. Aluarez tom. 2. de vita spirituali lib. 5. par. 3. cap. 3. Alphonsus Rodriq. par. 3. exercitij perfectionis, tract. 5. cap. 2. Sotus lib. 7. de iustitia, q. 5. art. 4. Ioannes Busæus in viridario verbo Obedientia cap. 3.

D. Thom. Dionysius. Genes. 1. Pierius. Pyndarus. Prouer. 30. Genes. 1.

Natura, sic illius auctore disponente, ita comparatum est; vt in quolibet genere rerum, quid cæteris supereminens, & antecellens inueniatur, cui reliqua subordinentur, & pareant. Inducenti patebit; in Angelis enim (vt à superis ortum ducamus) quandam esse naturalem subordinationem prælationis, & subiectionis docet D. Thomas prima parte q. 108. art. 4. & illo prius Dionysius de cælesti Hyerarchia cap. 7. Cæli primi mobilis ditioni subiacent: Inter planetas alijs præfertur Saturnus: Inter elemẽta, Ignis quasi Princeps, & caput super omnia collocatur: Hominem cunctis animantibus terræ, piscibusq; maris præesse, sacra testatur Genesis cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs vniuersæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra;* In cuius dominij manifestissimum signum, nullum est reperire animal vtcumque ferox, quod hominis industria, non mansuescat, & cicuretur, eique humiliter non subiaceat: Inter volatilia Aquilam primas tenere, testatur Pierius Valerianus lib. 19. cap. 1. quod prius cecinerat Pyndarus in Olympijs: Leonem animalium terrestriũ regem, ac ducẽ appellat scriptura Prouerb. trigesimo; Inter aquatilia cæteris magnitudine corporis, & potentia virium præstat Balæna, de qua dicitur Genesis 1. *Creauit Deus cete grandia.*

Pierius. Virgil.

In singulis etiam animalium speciebus suos esse Reges, & Dominos, docent secretorum naturæ Indagatores: Elephantes congregatim semper incedant, is, qui maximus est natu, gregem ducit, vt scribit Pierius lib. 2. cap. 1. De apibus mira Virg. 4. Georgicorum.

...... *Ipsa regem, paruosque quirites*
Sufficiunt, aulasque, & cerea regna refingunt.

Matth. 9. D. Thom. Apoc. 12. Glos. 1. Corinth. 15.

Sed huiusmodi relictis, Inferni etiam claustra penetremus securi: Nonnè Dæmones Dæmonibus præsunt? Equidem? Colligitur enim manifeste ex illo Matthæi 9. *in Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia; quamuis enim* falsissimum sit, quòd Christus Dominus (vt ipse inibi probat) in Principe Dæmoniorum eijceret Dæmonia: tamen verum est, quòd ibi subintelligitur, quòd scilicet in Dęmonijs sit aliquis eorum Princeps; Hoc enim nõ tantum Christus non negauit: sed & se affirmare insinuauit, dum Sathanæ regnum in Dæmonibus reperiri contrà Pharisæos ibi arguendo, supposuit; Docet etiam D. Th. prima parte q. 109. art. 2. & Apocalip. 12. *Draco pugnabat & Angeli eius*, & alia plura huius generis habentur in scriptura; Quare Glossa prima Corinth. 15. ait, *Quandiu du-*

uat Mundus, Angeli angelis: Homines hominibus, & Dæmones Dæmonibus præsunt.

Hieronym. Ad quæ omnia conualidanda, irrefragabile habeo Hieronym. testimonium in regula Monachorum, quam ex suis scriptis collegit Lupus de Olmeto cap. de Obedientia, vbi ait, *neque ipse te doceas, nulla ars absque magistro discitur; Etiā muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt, grues quoque vnā sequuntur ordine literato* (idest per aerem formato agmine in modum literæ Y, discurrunt) *Imperator vnus: Iudex vnius Prouinciæ: Roma, vt condita est, duos fratres simul reges habere nō potuit, & parricidio dedicatur: In Rebecca vtero Iacob, & Esau bella gesserunt: singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur: In naui vnus Gubernator: In domo vnus Dominus: in quamis grandi Exercitu, vnius signum expectatur, & ne plura replicando, legenti fastidium faciam; per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio relinquendū, sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina patris, hucusq;* Hieronym.

S. Brunus. Carthagena. Quæ omnia attentè perpendens, Sanctus ille eximius silentij cultor, & Carthusiensiū Patriarca Brunus lib. de ornatu Ecclesiæ cap. 10. vt refert Carthagena tom. 3. lib. 11. Hom. 10. in hæc prorupit, *quid igitur dicent Monachi inobedientes, & suas voluntates facientes, ac per hoc Deo non placentes, cum tota Monachorum religio ab Obedientia sit, cum viderint non solum rationales creaturas, sicut Angelos, & homines, verum etiam, qua sensu, & ratione carent, Domini obedire voluntati; Cæli enarrant, gloriam Dei: venti, & mare obediunt ei: omne lignum dat fructum in tempore suo.*

D. Thom. Ex quibus omnibus colligit D. Thō. 2. 2. q. 104. art. 1. Obedientiæ necessitatē, & hominū hominibus subiectionem, sicut enim ait actiones rerum naturalium procedunt ex potentijs naturalibus, & in istis oportuit, inferiora moueri, & regi à Superioribus, per excellentiam naturalis virtutis, illis diuinitus collatæ; Ita operationes humanæ procedunt, ex humana voluntate, & in istis etiam oportet, quod superiores moueant, & regant inferiores per suam voluntatem, idest per præceptum, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ: Quam rationem optimè explicat Valentia tom. 3. disp. 7. q. 3. punct. 2.

Hæc cum ità sint, nulli ioest, vt puto dubium, quin in Religionibus necessaria sit huiusmodi subiectio inferiorum ad superiores, quin maximè in illis requiratur Obedientia Subditorum ergà Prælatos; id enim etiam, atque etiam postulat ordinatus ille ordo, (à quo ordines dicūtur) quo viuunt, se, suaq; moderantes; *Ordo enim,* vt Nazianzenus ait, oratione de modestia, in disp. habenda, *in Ecclesijs, constituit, vt alij oues sint, alij pastores, alij præsint, alij subsint, atque imperia accipiant, alius caput sit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum ad totius Ecclesiæ concinnitatē, & ornatum, vtilitatemq; vel Subditorum, vel præfectorum,* & cætera, quæ

Nazianzenus. ibi Nazianzenus elegantissimè habet, similitudine humani corporis, in quo omnia membra suum particulare habent officium, quæ breuitatis causa relinquo.

D. Thom. D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 5. Obedientiæ necessitatem in religionibus probat, ex fine, quò Religiosi ad Religionem contendunt, qui quidem alius non est, nisi tendentia ad perfectionē: qui autem instruitur, vel exercitatur, vt perueniat ad aliquem finem, oportet quòd directionē alicuius sequatur, secundum cuius arbitrium instruatur, vel exercitetur, vt ad intentum finem perueniat, quasi discipulus sub magistro; & ideò oportet, vt Religiosi in his, quæ pertinent ad Religiosam vitam alicuius instructioni, & imperio subdantur, quæ subiectio fit per Obedientiam.

Vnde Cassianus lib. 4. institut. cap. 9. de antiquis illis Cænobitis ait, *quod cum primum aliqui ad Religionem contendebant, informandi alicui seniori tradebantur, à quo instituebantur, nullas penitus cogitationes prurientes in corde perniciosa confusione celare, sed confestim, vt fuerant exortæ, eas suo seniori patefacere: nec super earū iudicio quidquam sua discretioni committere, sed illud credere, malum esse, vel bonum, quod discusserit, aut pronunciauerit senioris examen.* Cassianus.

Sicut enim in artibus quibuscunque discentem credere oportet. Quis enim artis præcepta vnquam discat, si doctori, & magistro suo firmiter nō adhereat? Ita in hac arte, quæ vitæ spiritualis doctrinam docet, nemo vnquam perfectus fiet, qui præceptorem aliquem non habeat, cui irrefragabiliter obediat. Vnde Bonauentura de triplici statu Religiosorum cap. 3. seù de interiori homine tom. 2. opusculorum sic habet, *& quia non confidis tibi ipsi, vt præsumas te scire, quid velit Deus; Ideò commisisti te superiori tuo, vt ipse te regat, & dedisti ei manus in professione, vt ipse te in viam Dei inducat, vnde non licet tibi viuere de cætero, pro velle tuo, sed quò ductor tuus ire iubet, & quod ipse prohibet cauere debes, quia quī artem aliquam addiscere cupit, sui Doctoris Regulas debet tenere, & proprias adinuentiones relinquere; Et infirmus, qui adhuc accessiones vitiorum patitur, debet seruare dietam quam ei Medicus indicit, si citò, & plenè vult curari; ita & tu nihil facias, vel dicas, quod magistrum tuum nolle præsumas.* D. Bonau.

Denique ratio necessitatis obediētiæ peti potest ex mala inclinatione nostræ voluntatis, quę cum prona sit ad malum ab adolescentia sua, quasi phrenetica præcipitem se daret, nisi detineretur; vnde sicut phrenetico custodia, & lex est imponenda: ita & nostræ voluntati, quod fit per superiorum præcepta, & Obedientiam; quam rationem ad id adducit B. Laurent. Iustinianus in ligno vitæ, tractatu de Obedientia cap. 1. B. Laurēt.

Necessaria itaque est obedientia in Religionibus, & ita, vt sine ea consistere non possit Religio: consistet suo modo Religio, si ablegetur paupertas, quilibetque suo statui sua accommodet commoda; stabit quoque Religio, descisente castitate, modo viuendi ratio in reliquis non omittatur; At si Obedientiam auferas si membra capiti non subijciantur, totum concidere Religionis corpus necesse est, vt colligitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 186. art. 8. corpore, & habet Aluarez de vita spirituali, tom. 2. lib. 5. par. 3. cap. 3. Valent. tom. 3. disp. 10. q. 4. punct. 2. assert. 4. D. Thom. Aluarez. Valentia.

CAP. IV.

De obiecto Obedientiæ.

D. Thom. Caietan. Sanchez. Valentia. Lessius. Antonin. Syluester. Tabiena. Rosella. Pisanella. Miranda.



PRO hoc capite potest videri D.Tho. 2.2.q.104.art.2. corpore,& ad secũdum,& tertium, vbi Caiet. Sanchez tom.2. in Decalogum lib. 6. cap.1. num.8. Valent. tom.3.disput.7.q.3. punct.1. Lessius lib.2. cap.46.dub.4.num.23. Antoninus 4.par. tit.5. cap.11. Syluester, Tabiena, Rosella, Pisanella verbo Obedientia, & alij. Nauarrus in sum.cap.23. nu.35. Miranda tom.1. Manualis Prælatorum q.26. art.4.

Dico primo, Obiectum obedientiæ, quatenus hæc specialis virtus est, est præceptum tacitum, vel expressum superioris; ità vt simplex verbum Prælati, eius indicans voluntatem quomodocunque innotescat, sit obedientiæ obiectum, ità D.Thomas,& alij omnes citati.

D. Thom. & alij.

Probatur, quia Religiosus Subditus tenetur suam conformare voluntatem cum volũtate sui prælati; ergo hęc quomodocumque notificetur, obligabit Religiosum ad obsequium sui.

Dico secundo, Præceptum, quod est Obediẽtiæ obiectum semper obligat subditum ad aliquam culpam, siue mortalem, siue venialem; ità D.Tho. Sanchez, Valentia, Nauarrus, & Caietanus locis citatis: qui Caietanus id subtilissima de more ratione probat.

Ita D. Th. & alij.

Probatur, Nam non facere ad superioris pręceptum, id quod ad nullam culpam obligat, licet dicat perfectionem, contrà obedientiam nõ est, vt si verbi gratia, pręcipiat dilectionem inimicorum speciali affectu, vel cum ostensione signorum dilectionis, vel quodcũque aliud opus ad Consilium pertinens, si non exequar, cum ad id de necessitate non tenear, inobediens non ero.

Obijcies ex hoc sequitur, quod obseruantes constitutiones, quæ ad nullam culpam obligant, non sint verè obedientes: nec dici possint eas non obseruantes, cum aliàs ex regula teneantur, inobedientes.

Respondeo obseruantes huiusmodi constitutiones, nõ esse propriè obedientes, prout Obedientia specialis virtus est; sed esse plusquàm obedientes, nimirùm perfectos Obedientes; ita Valentia tom. 3. disp. 7. q. 3. punct. 1. versu respondeo columna secunda, & disp. 10. quæst.4. punct.3. in fine; & eas non obseruantes esse inobedientes; quia contraueniunt illi obligationi, qua se obstrinxerunt tempore professionis ad eas obseruandas.

Valentia.

Dico tertio. De ratione Obedientiæ necessariæ est, vt Prælatus, suam voluntatem manifestet subdito expressè, vel interpretatiuè, nec sufficit, quòd subditus cognoscat voluntatem superioris esse vt faciat, vel non faciat talem rem ad hoc vt obligetur ad illam faciendam, vel omittendam, ita D.Tho. q.23. de veritate art.8. ad tertium, Syluester verbo obedientia quæst. 12. Tol. lib.8. sum.cap.15. num.3. Sanchez lib.6. in Decalog.cap.2.num.5. Vasquez 1. 2. disp.155. cap.3. ad finem, Reginaldus lib.17. nu. 238. Miranda tom. 2. Manualis Prælatorum quæst. 26. art. 4.

D. Thom. Syluester. Toletus. Sanchez. Vasquez. Reginald. Miranda.

Probatur primo. Nam Subditus non subditur imperio, vel voluntati prælati, nisi exterius humano more, illa voluntas,& imperium manifestentur; *De occultis enim nemo diuinare tenetur;* vt dicitur capite vt nostrum, vt Ecclesiastica benef. §. porrò, quod est verum, etsi aliquin voluntatem Prælati nouerim: imò nec ero inobediens faciens aliquam rem, vel omittens, quam scio meum Pręlatum ægre laturum, si hanc suam voluntatem non manifestauerit, vno ex duobus dictis modis, vt habet Rodriq. to.3. quæstionum reg.q.29.art.11. quia, vt dixi, ad mentem illius, non exterius manifestatam per præcepta, operari non teneor.

Rodriquez.

Pro quo nota, quòd manifestare suam voluntatem expresse, est disertis verbis præcipiendo eam explicare: interpretatiue autem est proferre aliquod verbum, licet simplex, quod tamen voluntatem proferentis manifestet, vt docet D.Th. 2.2.q.104.art.2.corpore; quam volũtatem potest etiam prælatus indicare, signo aliquo externo, vt oculis, vel manibus; in quo casu subditus videns suum Prælatum illi per talia signa manifestare suam voluntatem, obedire tenetur; vt v. g. est aliquis Prælatus, qui associat aliquem Principem, seù alium virum nobilem, & videt à longe subditum facientem aliquid inordinatũ, nutu vel alio signo monet, vt abstineat, cum verbis id facere non deceat, tũc subditus manifeste cognoscens ex signis voluntatem Pręlati esse, vt abstineat, abstinere tenetur sub pœna inobediẽtiæ mortalis, vel venialis, iuxtà subiectã materiam; similiter, dic, si ijsdem signis indicet esse aliquid faciendum; quia tunc humano modo, pro necessitate, in qua est, explicat satis suam voluntatem.

D. Thom.

Secundò probatur conclusio, nam neque Deo, etiamsi sciam eum aliquid velle, vel nolle, nisi illud iniungat, vel prohibeat, me teneor cõformare, vt benè probat Reginaldus lib.13. nu.63. ex illo Paul. ad Philippens.1. *Cupio dissolue, & esse cum Christo*, & tamen sciebat aliã esse Dei voluntatẽ, vt insinuat paulò post dicẽs: *Scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectũ vestrum, & gaudium fidei*, ergo multò minus me teneor conformare voluntati mei Prælati, etiam mihi notæ, nisi eã tacitè, vel expresse manifestauerit.

Reginald. ad Philip. 1.

Ex quibus sequitur primo. Quòd Prælatus rogans subditum, vt faciat, vel non faciat aliquid, quòd alioquin facere non tenetur; non obtemperando, non erit inobediens, vt dicitur cap. denique distinct. 40. & ratio est, quia preces non obligant precatum, ad obsequendum ex debito iustitiæ, sed ex humanitate.

Si dicas, quòd preces superiorum sunt præcepta, vt cõmuniter dicitur, & habet glossa in clementina prima de testibus verbo exhortamur, & Archidiac. in cap. Rogo 11. q.3. vnde Versus.

Glossa in clement. Archidia.

Est rogare Ducum species Violenta iubendi;
Et illud, rogando cogit, qui rogat potentior.

Respondeo, Nõ sunt præcepta necessariò exequenda, ita vt non exequens possit inobediens dici, & tanquam talis puniri, sed dicuntur præcepta largo modo, & ex humanitate, & Reuerẽtia, & de perfectione obligantia; indiscretus .n. esset, & inurbanus subditus, qui ad sui superioris preces non faceret, quicquid, ipsũ cupere, intelligeret. Hæc intellige, nisi verbũ (*rogo*) pro subiecta materia, exponendum esset pro præcipio, vt explicatur 11.q.3. capite rogo, & ibi glossa, & in cap. Beatus 7.q.1. & habet Panormitan. in cap.

Panormit.

Nam

Nam concupiscentiam de cõstitutionibus nu.3. & Tiraquel. de pœnis temp. causa 35. nu. 4. & seq. si scilicet de intentione superioris constaret; quia tunc sub pœna peccati obediendum esset; nam à proprio significato verborum recedendũ est, si de mente contraria disponentis constet; vt Panormit. ibidem, & habetur cap. Marelon prima q. 1.

Panormit.

Secundo. Colligitur idem esse dicendum, si Prælatus consulat nõ enim tenetur Subditus facere, quod consulitur; vt habetur cap. quisquia 14. q. 1. Ratio est, quia consulens non imperat, nec vult obligare ad obseruationem consulti; alioquin nihil differret à præcipiente, ità etiam habet Reginaldus lib. 13. num. 61.

Reginald.

C A P. V.

An Religiosus teneatur, omnia quæ sunt in Regula sub aliqua culpa seruare.

D. Thom. *Panormit.* *Rodriquez.* *Valentia.* *Ledesma.* *Passarell.* *Grassius.* *Armilla.* *Turrecremata.* *Antonin.* *Syluester.* *Tabiena.* *Rosella.* *Pisanella.* *Sanchez.* *Vasquez.* *D. Thom.*

PRO hoc capite videatur D. Thomas 2.2. q. 186. art. 9. & quodlib. 1. art. 20. Caiet. ad D. Tho. 2.2. loco citato Panormit. in cap. nam concupiscentiam de constit. num. 4. & in cap. relatũ, ne Clerici, vel Monachi num. 6. Rodriq. tom. 3. q. regul. q. 50. art. 1. Valent. tom. 3. disp. 10. q. 4. par. 5. Ledesma de statu Religiosorum in communi cap. 4. conclus. 12. par. 2. conclus. pag. mihi 163. Doctissimus noster Passarellus in notabilibus priuileg. notabili 55. Grassius par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. nu. 91. Armilla verbo Religio. num. 11. Turrecremata in regula S. Benedicti tract. 5. & 6. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 7. Angelus verbo religiosus num. 26. Syluest. verbo religio primo, quæst. 8. Tabiena verbo Religio. num. 22. Rosella religio. 1. nu. 1. Pisanella religio. 1. quæst. 3. Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 4. Vasquez 1. 2. disputat. 158. capit. 3.

Noto primo ex D. Tho. 2.2. q. 186. art. 9. quem sequuntur omnes citati, quòd ille, qui profitetur aliquam regulam, non vouet seruare omnia, quę sunt in regula, sed vouet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in votis, obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & in nostra Minimorum vitæ quadragesimalis. patet quia si omnia voueret sub peccato, quæ sunt in regula, status religionis esset Religiosis in laqueum peccati mortalis: quòd vix, aut nunquam possent declinare, vt habet D. Tho. quodlib. 1. art. 20. & esset valdè periculosus, cum multa minutiora iubeantur, quæ transgredi, facillimum esset. Vnde Sancti Patres, nolẽtes laqueum suis Religiosis damnationis inijcere, ordinauerunt talem professionis formam, in qua tale periculum non esset. Sicut in nostra Religione Minimorum cautissima est forma profitẽdi, dicitur, enim voueo, & promitto stare, & perdurare toto tempore vitę meę sub vita, & regula Fratrum Ordinis Minimorum: perseueranter viuendo sub votis paupertatis castitatis, ac obedientiæ, & quadragesimalis vitæ. vbi vt clarè patet non vouemus seruare regulam, & omnia in ea contenta, sed tantum vouemus stare, & perdurare toto vitæ tempore sub regula, viuendo, idest obseruando sub voto paupertatem, &c.

D. Thom.

Noto secundo, ex eodem D. Thoma locis citatis, & Caiet. ibi Sanchez locis citatis num. 4. Passarellus, & alijs, quòd quatuor rerum genera continentur in regula; Primum earum, quæ sunt tanquam finis regulæ, vel essentialiter ad illum facientia, & ad salutem necessaria, vt diligere Deum, & proximum, mandata Dei, & ecclesiastica seruare. Secundum earum, quæ sunt substantia, & essentia Religionis, vt vota. Tertium earum, quæ sunt super erogationis, & consilij, vt inimicos diligere. Quartum earum, quæ alias, lege Diuina, vel humana prohibita non sunt, neque mandata, sed solùm pro ornatu, & decentia Religionis, statuta, & ordinata, vt silentium seruare, lineas camisias non portare, pecunias non tangere.

Sanchez. *Passarell.*

Noto tertio, circa primum genus earum rerum, quæ continentur in regula, posse in regula contineri aliquid, quod sit ad salutem necessarium dupliciter. Primo, vt per ipsam regulam peculiariter præcipiatur, & tunc, non solum ratione sui esset peccatum mortale illius trãsgressio, sed grauius ratione præcepti Regulæ; non esset tamen duplex peccatum, nam vt rectè Caietanus 2.2. q. 186. art. 9. Diuersitas præcepti, auget quidem malitiam peccati, sed non parit diuersitatem specificam, vt quæ sumitur, non ex præcepto, quod violatur, sed ex obiecto; quod cum sit vnum in vtroque præcipiente, vnicam parit malitiam. Secundo potest aliquid contineri in regula tamquàm finis illius, non ità vt peculiariter præcipiatur, sed ita vt proponatur simpliciter id, quod alioquin est præceptum, & tunc transgressio huiusmodi præcepti, propterea quòd sit contrà regulam, neque speciale, neque grauius peccatum inducit, cum regula per se non obliget, sed finiùm proponat.

Caietanus.

Noto quarto, circà secundum illarum rerum, quæ continentur in regula, vt substantia, & essentia Religionis, quod illarum transgressio est mortalis, ratione voti professionis, vt loquitur D. Tho. 2.2. q. 186. art. 9. Ratio est, quia transgressio voti in materia graui mortalis est, vt dicitur in materia de voto. Per votum autem professionis, non intelligit D. Thom. aliquod votum particulare distinctum à tribus, vel quatuor, sed ista collectiuè sumpta; ita enim placet Doctoribus, illa vnico verbo, votum professionis appellare; quod quidem votum dicens Diuus Thomas, quòd respicit principaliter prædicta vota innuit aliquid etiam minus principaliter respicere, nimirum vitam regularem, quia scilicet tenetur Religiosus, non solùm obseruare vota, sed etiam illa obseruare in Religione in vita regulari. vnde Apostata à Religione non solùm est reus voti castitatis, qua parte incontinens est, inobediens, &c. sed etiam quatenus deseruit vitam regularem, vt bene notat Valentia tom. 3. disput. 10. q. 4. puncto 5. ex quo Ledesma de statu Religiosorum in communi cap. 4. conclus. 12. dub. Primo, pag. mihi 159. Quid autem sit vita regularis, & in quo consistat, explicat Valentia loco citato, & Ledesma, consistere nimirum in hoc, quod Religiosus sit subiectus regulæ, quod est quoddam plùs, quàm obseruare regulam.

D. Thom. *Valentia.* *Ledesma.*

Si autem quæras, in quo consistat ista subiectio, respondẽt Valentia, & Ledesma consistere in hoc. Primo quòd regulæ, & cõstitutiones sint subditis præscriptæ à Prælatis cum auctoritate;

Valentia. *Ledesma.*

& potestate: Secundo, quòd subditorum est, ità eas obseruare, vt si transgrediantur, meritò superiores possint ab illis pœnas exigere.

Dixi in hoc notabili, quod transgressio istarum rerum est mortalis: intellige ex genere suo, nam alioquin defectu plenæ deliberationis, vel paruitatis materiæ poterit esse venialis. & sic nõ obedire Prælato in rebus minimis absque contemptu, mortale non erit; retinere aliquod paruum contrà voluntatem Prælati, vel illud expendere, neq; erit mortale: & defectu deliberationis, poterit etiam mala cogitatio contra castitatem, vel alia vota esse venialis: similiter in voto quadragesimali, puto quòd etiã paruitas materiæ excusaret, vt verbi gratia comedere aliqua bellaria, quæ sine cõmixtione ouorum fieri nequeunt; paruum iusculi deglutire, ad degustanda fercula, vt solet fieri ab infirmarijs nostræ Religionis, quorum aliquos nimium conscientiæ deditos, seù scrupulosos cognoui, qui nec ius degustare audebant. fauent Ledesma de statu Religiosorum in communi cap. 4. conclus. 11. pag. mihi 157. & Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 4. num. 8 & docet hoc vltimum de prægustatoribus. Graffius de casibus reseru. lib. 2. cap. 10. nu. 30. habet expressè Abulensis in cap. 6. Matthæi quæst. 171. colum. 2.

Ledesma.
Sanchez.

Noto quinto, circa tertium illarum rerum, quæ continentur in Regula, Religiosum transgredientem, & non obseruantem euangelica consilia, non peccare; ità D. Tho. 2. 2 q 186. art. 2. & 9. vbi Caietanus Valentia tom. 3. disp. 10. q. 4. punct. 4. Ledesma de statu Religiosorum in cõmuni cap. 4 conclus. 10. dubit. 1. pag. mihi 154. Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 4. num. 10. & cap 5. nu. 1. qui multos alios citat, ratio est, quia Religiosus nõ tenetur esse perfectus; vnde percutienti eum in vna maxilla, non tenetur ei alterã præbere, sed tenetur conari tendere ad perfectionem, vt dicunt omnes, & habet Tollatus tom. 5. in Matthæum cap. 19. q 144 & id, non iuxta omnia consilia euangelica, sed iuxta præscriptũ suæ regulæ, vt Doctores citati; posset tamen per cõtemptum Religiosus peccare mortaliter, consilia transgrediens, parui nimirum æstimando ipsum diuinum consilium, prout à Deo proficiscitur: vel parui æstimando opera ipsorum consiliorum, illa secundùm se vilipendens: vel 3. ægrè ferens per superbiam se ità Deo subiectum, vt ab illo consilia accipiat, vt optimè Valentia, & Ledesma dub 2.

D. Thom.
Caietan.
Valentia.
Ledesma.
Sanchez.
Tostatus in Matth.
Ledesma.

An autem hoc præceptum tendendi ad perfectionem, sit peculiare aliquod præceptũ distinctum à præcepto seruandi vota substantialia, an potius sit generale quoddam inhibitum in illis; sicut præceptum seruandi mandata, & non peccandi, explicat optimè Sanchez lib. 6. in decalogum cap 5. à num. 3. & resoluit, non esse distinctum à præcepto seruãdi vota, propter multa, quæ ibi habet; & præsertim, quia non sunt multiplicanda præcepta absque maxima necessitate, & vrgentibus rationibus, quæ hic non interueniunt.

Sanchez.

Explicat etiam ibi Sanchez, an peccet Religiosus contra hoc præceptum, firmiter proponens exequi, solum id quod vouit, & omnia præcepta regulæ, & superiorum obligãtia sub mortali, & reliqua consilia, quæ sic non obligant omittere; & resoluit, venialiter tãtũ peccare cõtrà ho. præceptum tendendi ad perfectionem; nam cum per obseruantiam suæ Regulæ, & votorum, possit perfectus fieri; vnde statim professis dicitur, *si hæc obseruaueris, vitam æternam promitto*; nec reuocatur, nisi per hanc obseruantiam ad perfectionem currere, non est, ut mortaliter peccet; venialiter autem, quia omittit intentionem, & executionem profectus spiritualis, & operum bonorum; quæ posset facere, vt optimè Caietanus 2. 2. q. 186. art. 2. Dixi contra hoc præceptum; nam aliundè propter periculum transgressionis votorum, & defectus perseuerantiæ, potest mortaliter peccare.

Caietanus.

Noto 6. circa quartum earum rerum, quæ continentur in Regula, quòd illa nullo modo obligant ad culpam quando Regulæ Institutor, mẽtem suam explicuit esse, vt ad nullam culpam obligent, vt in Religione Prædicatorum, & in Religione nostra Minimorum, in qua habetur cap. 10. Correctorij nu. 116. Prætereà non intelligatur, quod aliquid in huius ordinis Minimorum Regula, & præsenti Correctorio insertum, aliquem ex se obliget ad culpam, sed solum ad pœnam in eodem præsenti Correctorio suis in locis pro quolibet delicto, respectiuè taxatam, & limitatam. Quod etiam declarauit Iulius II. anno 1506. in bulla, quæ incipit dudum §. nos per reliqua, & est inserta in nostris priuilegijs, fol. 38. Ità D Tho. 2. 2. q 186. art. 9. ad 1. ibi Caietanus, Sanchez multos citans, lib. 6. in Decalogum cap. 4. num. 11. Vasquez prima secundæ disp. 158. cap. 3. nu. 17. & ratio est, Nam hæc non obligant ratione sui, quia ex se, & per se, quatenus talia, mala non sunt, nec aliàs lege Diuina, aut humana prohibita, vel mandata reperiuntur: Nec ratione Regulæ, quia hæc nullam habet rationem obligandi, nisi ex voluntate legislatoris, qui cum declarauerit, suam intentionem esse, vt ad nullam culpam obligarent, ad nullam quippè obligabunt; addita præsertim declaratione, & auctoritate Pontificis.

D. Thom.
Caietan.
Sanchez.
Vasquez.

At inquies; obligant ad pœnam, & pœna non infligitur sine culpa.

Respondeo, ei qui voluntariè se obligauit ad aliquam pœnam, potest talis pœna infligi sine culpa; licet nõn sine causa, ita D. Tho. 2. 2. q. 108. art. 4. & habetur Regula 23. sine culpa de regulis iuris in 6. additis glossis.

D. Thom.

Noto 7. ad hanc pœnam in statutis taxatam subeundam per semetipsum Religiosum non teneri, ità vt si non subeat, reus sit alicuius culpæ, saltem venialis. Ità Caietanus 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3. dub. Armilla verbo Religio nu. 13 Valẽtia tom 3. disp. 10. q 4. punct. 5. Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 4. num. 13. Probat Caietanus, quia cum generaliter tradat institutor Regulæ, se ad nullam culpam per illas regulas, velle obligare, sibi contradiceret, si deinde vellet obligare ad subeundam taxatam pœnam sub culpa; in nostro ordine Minimorum, nulla circa hoc est difficultas, quia Legislator super hoc etiam puncto, se declarat dicens; In correctorio num. 116. Ad quam etiam peragendam (idest pœnitentiam) nullus obligetur, nisi cum ipsa sibi, per aliquem suorum superiorum, vel aliquod Capitulorum, aliquando imponetur.

Caietan.
Valentia.
Sanchez.
Caietan.

Per quæ etiam resoluitur illud dubium, an si præfata pœna taxata in Regula, à superiore imponatur, teneatur transgressor sub aliqua culpa

eam

eam subire; verbi gratia silentij fractori imponitur pœnitentia panis,& aquæ, declarat Prælatus talem fuisse silentij fractorem,& consequenter damnat ad taxatam pœnam, an ille teneatur sub culpa talem pœnam subire.

Caietan. Armilla. Caietanus, Armilla,& alij citati hoc notabili respondent neque etiam teneri ad eam pœnam, nisi superior peculiariter præcipiat; Fregisti silentium,& per regulam subire debes talem pœnam, vt eam subeas præcipio: Et tunc, non ratione regulæ, quæ vniuersaliter omnem culpam excludit, sed ratione Obedientiæ, ad quam per professionis votum obligatur, peccabit venialiter, vel mortaliter, iuxta modum præcipiendi Prælati.

In nostro tamen ordine Minimorum videtur, quod etiamsi superior expresse non præcipiat, modo pœnitentiam imponat, teneatur subditus eam subire; Ait enim Legislator vbi supra ad pœnam non obligetur, nisi cum fuerit a superiore imposita, ergo cum est imposita, obligat sub culpa: nam dictio, *nisi*, est exceptiua,& refertur ad omnia præcedentia, vt dicitur, lege postquam de pactis,& confirmari potest ex eodem correctorio num.28.

Possemus quidem explicare illud (*obligetur*) quando scilicet per præceptum speciale Prælati, fuerit pœna imposita, vt explicant Valentia, *Valentia. Caietan. Sanchez.* Caietanus,& Sanchez locis citatis: sed cum Legislator punctualiter se declaret talem explicationem ingenue, non admittit; vnde puto, licet si subditus ad pœnam per se subeundam, non teneatur; cum tamen fuerit à Prælato imposita, In Ordine nostro Minimorum, etiamsi nó specialiter præcepta, teneri eum ad eam subeundam sub culpa, saltem veniali; quod ad omnes scrupulos tollendos, declaratum est in Capitulo Generali quarto Genuensi num. 22. In alijs autem Religionibus, nisi sit aliqua specialis declaratio, tutissimam puto sententiam Caietani, Armillæ,& aliorum, licet contrarium sentiat Antoninus 3.par.tit.16.§.13. *Azor.* Azor tom.1. Instit.moral. lib.5. cap.2. in fine.

At inquies in Religionibus, fit quotidie, vel saltem ter in hebdomada, vt in nostra Minimorum Capitulum culparum, in quo Religiosi omnes coram superiore genuflexi, se accusant de transgressionibus commissis contra Regulam,& constitutiones; ergo si est culparum, signum est, quòd illæ transgressiones sint culpæ.

Respondeo dicitur Capitulum culparum, sed culpa ibi, sumitur pro negligentia, vel desidia, vt communiter sumitur apud Legistas leg.72.ff. pro Socio, & leg. 5. Cod. de pericul. quas desidias,& negligentias, declarát Institutores, nullum esse peccatum; ad Pœnitentias autem Impositas à Prælatis, vel alijs superioribus In talibus Capitulis in Ordine nostro Minimorũ consequenter ad dicta puto teneri sub culpa saltem veniali, etiamsi superior disertis verbis eas non præcipiat, vt patet etiam ex correctorio nu.28.

Si vrgeas in quibusdam solemnitatibus anni, fiunt absolutiones generales, in quibus Prælati absoluunt ab omni transgressione Regulæ; ergo si Regula non obligat ad Culpam frustratoriæ sunt illæ absolutiones.

Respondeo cum Ledesma de statu Religiosorum in communi cap.4.pag.mihi 163. quòd istæ absolutiones, non sunt vanæ, sed vtiles. Primo, quia absoluunt ab excommunicationibus,& dispensant super irregularitatibus quas ignoráter incurrerunt subditi; & Prælati, concedunt suam auctoritatem confessarijs, vt possint absoluere à casibus ipsis reseruatis. Secundo prosunt illę absolutiones, quia absoluũt a venialibus, ibi enim dicitur generalis cófessio, & Prælatus dicit absolutionem: Tertio, quia ibi tollitur facultas Prælato castigandi subditũ pro illis defectibus, de quibus præcessit absolutio: Quarto, maximè sunt vtiles, quia ibi reconciliantur fratres inter se, relinquuntur odia, & maleuolentiæ, parcunt sibi inuicem,& publicè, inuicem etiam veniam petũt, quę venia est maximè meritoria,& causat optimos effectus: Quinto Prælati etiam veniam petũt de negligẽtia in sui officij administratione, vnde sibi conciliant animos subditorũ, amaros dulcorant, iratos sedant, malignos frænant.

Nota 8. Quod licet transgrediens statuta 4. generis, quæ ex se ad nullam culpam obligant, ex hoc non peccet, potest tamen contrá ea peccari quadrupliciter nimirum ex contemptu, libidine, negligentia, & Inobedientia; Itá D.Th. *D. Thom. Caietan. Sanchez.* 2.2.q.186. ar.9. ad 1. Caietanus ibidem Sanchez lib.6. in Decalogũ, cap.4.nu.24. & omnes alij citati in principio huius capitis, quę omnia per sequentes paragraphos, melius enucleabimus.

§. Primus. *Quomodo peccetur contra statuta Quarti generis ex contemptu.*

DE materia huius paragraphi agũt Doctores citati in principio huius capitis, sũmista in verbo contemptus, Antoninus 3 par.tit.16. *Antoninus* cap.1.§.9 Lęssius lib.2.de Iustitia cap.7.dub.1.nu.2. & cap.41.dub.9. nu.70. Valquez prima secundæ disp.158. cap.4. *Vasquez. Sanchez. Salas.* num.37. Sanchez lib. 1. in Decalogum cap.5. à num.8. Salas 1.2. q.96. tract 14.disp. o.sect 8.

Dico primo tunc peccat quis ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi, vel Regulę,& ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel Regulam. Ita D.Thomas 2 2. *D. Thom.* q.186. art 9. ad tertium, quem sequuntur omnes citati Doctores hoc paragrapho, & alij, quos citat Sanchez in dicto §.citatus.

Caietan. Et aduertit Caietanus dicto art.9. ad tertium, quòd peccare ex contemptu importat duo, actũ scilicet peccati,& causam peccati, v. g. nolle ire ad chorum, vel frangere silentium, ex cõtemptu dicit duo, primo actũ ipsum frangendi silentiũ, seù ipsam omissionem eundi ad chorum, & hoc vocatur actus peccati: Secundo ipsam causá peccati scilicet ex contemptu, & hoc significat actũ voluntatis refutantis subijci legi, vel regulæ; Itá quòd ad peccare ex contemptu nó sufficit, etiãsi esset perpetua,& millies reuoluta,& deliberata consuetudo peccandi In tali commissione, vel omissione, sed exigitur quòd peccet quia ex tali causa, scilicet ex hoc, quòd nó vult subijci legi, seù regulę, vel Pręlato, nam Pręlatus lex est animata. vnde quandiu quis in ea est voluntate, vt velit semper subditus esse legi, vel Regulæ, licet ex minus bona, vel indeuota voluntate intendat transgredi eandem legem, vel regulam, nunquã peccat ex contemptu. Periculum est tamen, ne frequentia peccãdi ipsum disponat ad contemptum,

Prouer.18. D. Thom. Caietan.

ptum, iuxtà illud Prouerb.18. *Impius cum in profundum veneris peccatorum contemnit.* Ita D. Thomas, & Caietanus quæ Doctrina melius declaratur per sequentes conclusiones.

Dico secundo. Peccare ex contemptu modo prædicto contrà statuta, quarti generis, seù contra præceptū superioris, qui est quædam lex animata in quacunque re leui, mortale peccatū est. Ita D. Thomas loco citato, quem sequuntur omnes; hæc conclusio limitanda per subsequentia.

D. Bernar.

Probatur primo ex Bernardo de dispensatione, & præcepto; vbi ait, *porrò contemptus in omni specie mandatorum pari pondere grauis, & communiter damnabilis est.*

Secundò, quia peccare ex contemptu est facere contrà votum professionis, quo Religiosus vitam Regularem promisit; vt dixi, nam vita Regularis promissa consistit in subiectione erga Regulam: & licet materia præcepta leuis sit; nolle tamen simpliciter, & absolutè illi subijci, leue non est; & ideò mortale.

Dico tertio, Aliud est contemptus præcepti, aut legis simpliciter, & absolutè, & aliud contemptus nō quidem illorum, sed dumtaxat executionis illorum hic, & nunc, vt benè aduertit

Valentia.

Valentia tom.3.disp.10.q.4.puncto 5. verbo cæterum, licet enim quis auersetur animo executionem Regulæ hic & nūc dumtaxat; tamen non propterea contemnit regulam, ità vt illi nolit subijci, & ideò ex contemptu non peccat.

Ex quo sequitur primo, quòd si quis nollet Regulas seruare, præter sua vota, non eo ipso faceret contrà votum professionis, seù vitæ regularis, dummodò nihilominus vellet esse subiectus regulis: licet aliundè esset in peccato mortali, propter periculū cui se exponeret contemnendi regulas; quare consuetudo transgrediendi regulas, & ex proposito nullā seruandi, mortale esset, vt bene aduertit Valentia loco citato;

Valentia.

si tamen vellet aliquas seruare, etiāsi nollet seruare alias, non esset in malo statu, vt notat Valentia, loco citato vers. atque ita; quoniam per illas, quas vellet seruare, posset contendere ad perfectionem, licet non currere.

Sequitur secundo, Eum non peccare mortaliter ex contemptu, qui in consuetudinem duceret Regulas ad culpam non obligantes transgredi; habens tamen animum eas seruandi; quia nullus ex his actibus mortalis est, tenetur tamen iste sub mortali, diligentiam apponere, vt eam consuetudinem corrigat, quando videt per eam sibi offerri periculum transgressionis votorum.

Sanchez.

Ità Sanchez lib.6. in Decalogum cap.4.num.51.

Tertiò sequitur, non peccare mortaliter ex contemptu, qui haberet intentionem non seruādi aliqua statuta quarti generis, quæ per longissimam consuetudinem à superiore toleratam, non sunt in obseruantia apud omnes Religiosos illius Monasterij, licet forsan apud alios obseruantiores obseruentur; & hoc, etiamsi animum habeat ea nunquam seruandi, faciunt quæ habet

Panormit.

Panormitanus in cap. Deus qui. de vita, & honestate clericorum, & cap. Relatum, Ne Clerici, vel Monachi, In malo tamen statu esset, si eam in hoc firmitudinem haberet, vt neque etiam ea statuta seruare vellet, etiamsi alij seruarēt, quia tunc longa consuetudo eum non excusaret: Secundo, quia tenetur alijs se conformare: Tertio, quia cæteris esset petra scandali, & posset suo malo exemplo alios allicere, & illam sanctam morum reformationem destruere.

Dico quarto, Aliud est contemnere præceptū simpliciter, & aliud contemnere secundū quid: Priori modo cōtemnit, nolens simpliciter præcepto subijci, & obedire. Posteriori autem qui vult simpliciter, & absolutè subijci, at renuit hic, & nunc, ne in hac re leui subijciatur; Prius est mortale; Posterius veniale; v.g. Præcipit mihi Prælatus claudere Ostium, ego nolo claudere, non quia nolim illi simpliciter subdi, & obedire, sed quia in hac re minima, nolo illi subdi, & obedire. Hic contemptus mortale nō est, quia non contemptus simpliciter, sed est veniale in materia leui, & contemptus secundum quid. Ità

Caietan. Armilla. Valentia.

Caiet. in summ. verbo contemptus vers. Aduerte hic. Armilla eodem nu.3. Valent. to.3. disp.7. q.3. punct.3. versu cæterū, sicut accidit, Sanchez multos alios citās, lib.1. in Decalog. cap.5. nu.11.

Valentia.

Aduertit autem Valentia, leuem materiam in proposito esse præceptum quodpiam non valdè strictum: siuè quia sit de re leui: siue quia obliget ad peccatum veniale tantùm: siuè quia non magna cum intensione voluntatis superior illud ferat.

Dico quinto, Aliud est contemnere præcipientem, & aliud contemnere præceptum: Contemnere præcipientem, vt præcipiens est, verbi gratia Prælatum, vt à Deo habet auctoritatem, semper est mortale, siue præcipiat, siuè moneat, siue hortetur. Ità Syluester verbo contēptus q.3.

Syluester. Angelus. Lessius. Sanchez. Aluarez.

Angelus ibi nu.1. Lessius lib.2. de Iustitia cap.46. dub.6. nu.45. Sanchez lib.1. in Decalogum cap.5. nu.13. Castro lib.1. de lege Pœnali cap.5. cōclus.1. qui addit id ita esse: siuè contemnatur Prælatus appretiando illum minus, quàm oporteat: siue illi indignando, aut conuicia inferendo. Si autem contemnatur Prælatus alia ratione, puta ob defectū eruditionis, prudentiæ, nobilitatis, &c. & ex hoc contemptu, recusetur ei in re leui obedire, non semper mortale erit; vt aduertunt Ca-

Castro. Lessius. Sanchez. Aluarez.

stro, Lessius, Sanchez, & notat etiā Aluarez to.2. de vita spirituali lib.5. par.3. cap.6. Contemnere autem præceptum rei grauis, semper est mortale, si leuis, potest esse veniale, si non contemnatur simpliciter, sed secundum quid, vt dixi. Hæc intelligenda sunt de præceptis humanis; nam de diuinis alia est ratio; Contemnere enim præcepta diuina, etiā leuia sub ratione formali contemptus, est mortalis blasphemia, sicut contemnere Deum sub quacunque ratione.

Dico sexto, Aliud est nolle obedire ex indignatione, & aliud ex contemptu. Primum dicit nolle obedire, non eo quòd renuat subijci, sed quia illi indignatus non vult in illa re eum afficere solatio; at ex contemptu nolle obedire, est

Caietan. Armilla. Lessius. Sanchez.

quia ei non vult subijci: Caietan. in summ. verbo contēptus, versu Aduerte hic. Armilla ibidē nu.2. Lessius loco citato, & Sanchez loco etiā citato, nu.15. Quare nolle obedire ex indignatione, non addit nouam malitiā præcepto obligāti sub mortali, si illa indignatio mortalis non sit, sicut addit contemptus; secus autem si indignatio sit mortalis; vt benè Sanchez loco citato.

Sanchez.

Dico vltimo, Religiosus non obediens ea ratione, quia sibi imponitur præceptum, duplicem incurrit malitiā specie diuersam, necessariò in confessione aperiendam. Primam, quia rē præceptam transgreditur: Secundam, quia ex for-

malt

Lessius. Sanchez. mali inobedientia transgreditur, quæ semper coniuncta est cum contemptu; ità Lessius lib. 2. de iustitia cap. 41. dub. 9. num. 76. Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 2. num. 7.

§. Secundus. *Quomodo peccetur contra statuta quarti generis ex libidine, & negligentia.*

Dico primo contra statuta quarti generis, quæ ex genere suo ad culpam non obligat, potest peccare transgressor ex libidine, id est, ex cupiditate nimia ergà aliquid; propter quod quis transgreditur regulam; verbi gratia. Si quis ieiunia ordinis ad culpam non obligantia, ex gula, vel delectatione frangat, Si extra consueta tẽpora comedat, &c. ità D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. Caietan. ibidem ad 4. dub. Valentia tom. 3. disp. 10. q. 4. punct. 5. assert. 2. Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 4. nu. 15. Ledesma de statu Religios. in communi cap. 4. conclus. 12. pag. mihi 162. Huiusmodi autem transgressio, vt minimum venialis est; quia vt benè Caiet. Si facere ex libidine quidpiam aliud non prohibitum regula est veniale, à fortiori tale erit, si fit per regulam prohibitum. *D. Thom. Valentia. Sanchez. Ledesma. Caietan.*

Dico secundo, Potest peccari contra statuta quarti generis ex negligentia, v. g. tangitur ad chorum, vel Refectorium, nulla subest causa legitima subdito, quare non proficiscatur, sed ex quadam negligentia, & animi torpore, non vadit, peccat contrà statutum eundi ad chorum, vel ad Refectorium; quod ex suo genere nullum dicebat peccatum, ex negligentia aliquod dicit saltẽ veniale; quia eo ipso, quod ei nulla subest causa non eundi, cum rectà ratione pugnat illud non ire, & illa negligere; & ideò peccatum est saltem veniale; similiter affisto alicui functioni communi, vel particulari, sed non ea, qua possem diligentia, teualium illius negligentiæ, quæ ibi intercedit; Doctrina est hæc D. Thomæ loco citato, & omnium aliorum citatorum prima conclusione huius paragraphi eisdem locis. *D. Thom.*

Ex quibus colligitur, quòd nomine negligentiæ non intelligitur simplex aliqua voluntas, qua quis velit transgredi regulam, sed trãsgressio Regulæ ex nulla alia causa, quàm ex torpore quodam animi, & negligentia crassa. Negligentia enim, non est aliud, quàm animi torpor, quo quis minus diligens est in exequendo, quod exequi debet.

Dico tertio, Religiosus transgrediens Regulam ex se non obligantem sub peccato, aliquo fine, vel causa, quæ tunc videtur illi honesta, quamuis id quod facit sit minus bonum, quàm seruare regulam, non peccat; verbi gratia in nostra Regula est præceptum de non comedendo sine Superioris licentia, in promptu non habeo superiorem, & sentio me valde debilem; ità vt putem iustam habere causam comedendi, comedendo non pecco, etiamsi melius facerẽ, si quærerem superiorem, & ab illo licẽtiam peterem: vel inexpectatus veniens deuotus Ordinis, me ad secum comedendum inuitat, in promptu non habeo superiorem, à quo licentiam petam, licet si melius facerem, si licentiam peterem, comedendo tamen non pecco, ne indignetur ille deuotus Ordinis, & me illum fugere suspicetur; & sic de alijs. Ità Valentia tom. 3. disp. 10. q. 4. punct. 5. ad finem, Vasquez 1. 2. disp. 158. cap. 3. nu. 16. Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 4. nu. 14. & ratio est, quia non tenemur semper facere, quod melius est, sed sufficit aliquando, si faciamus quod bonum est, vel quod malum non est; vt patet exẽplis Matrimonij, & ludi; licet enim melius sit caste viuere, quam nubere; & non ludere, quàm ludere; tamen non tenemur cælibatum seruare; nec semper à ludo abstinere. *Valentia. Vasquez. Sanchez.*

§. Tertius. *Quomodo peccetur contra statuta quarti generis ex inobedientia.*

Notandum, quòd sicut suprà diximus, duplicem esse obedientiam, Materialem, & formalem, ita duplex est inobedientia, vt habet Caietan. in summa verbo inobedientia. Et Miranda tom. 1. Manualis Prælatorum q. 36. art. 4. & Rodriq. tom. 3. quæst. Regul. q. 19. art. 3. formalis, & materialis: Formalis inobedientia est, quando subditus non vult obedire, ne obediat; idest eo principaliter, quia iubetur; & hæc semper includit contemptum, vt dicit D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 1. & de hac iudicandũ sicut de contemptu. Materialis est quando subditus non eo, non vult obedire, ne obediat, sed vel ex negligentia, vel ira, molestia, ignorantia, tristitia: & de hac iudicandũ est, iuxtà materiam præceptam; si enim id quod præcipitur est quid graue, & grauiter præcipitur, mortalis erit illius transgressio, si leue, & leuiter præcipitur, erit veniale. Si autem id quod præcipitur est quidem graue, & alias ad mortale obligans, licet si verbis planis, & non rigorosis præcipiatur, ad mortale obligat illius trãsgressio; secus autem, si alias ad mortale non obliget; si denique id quod præcipitur est quidem de se leue, & ad nullũ obligans ex se peccatum; Prælatus tamen ex aliquo iusto fine, & rationabili causa, id præcipit verbis rigorosis, & solitis ad mortale obligare, illius trangressio obligabit ad mortale; modo res ista leuis sit conformis Regulæ, & propter aliquem iustum finem præcepta, alioquin sub quacunque forma verborum præcipiat, leuis materia excusat à peccato. *Caietan. Miranda. Rodriquez. D. Thom.*

Dico primo. Transgrediens statuta quarti generis ad nullam culpam obligantia contra obedientiam Prælati, mortaliter peccat; etiamsi non eo principaliter transgrediatur, quia præcepta sunt, sed vel ira, molestia, pigritia, &c. v. g. est statutum in Regula de non introeundo in alienas cellas præcipit mihi Prælatus sub merito sanctæ Obedientiæ, ne alienas ingrediar cellas, ingredior ex curiositate, vel alia causa, pecco mortaliter, ita communiter Doctores. Valentia tom. 3. disp. 10. q. 4. punct. 5. circa tertiam circunstantiam D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 9. corpore, Caietanus ibi circa expositionem literæ, Sanchez lib. 6. in Decalogum, cap. 2. num. 8. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 76. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 13. quæst. 2. Panorm it. in cap. Relatum ne Clerici, vel Monachi rum. 6. patet, quia tunc illud prætermittere, est violare votum obedientiæ, ex quo tenetur *D. Thom. Caietan. Sanchez. Lessius. Azor.*

tur Religiosus adimplere quidquid à superiore præcipitur, quod est Regulæ conforme. Quæ voti violatio diximus supra conclus.4. quòd est mortalis.

Dico secundo, licet si superior non possit in vniuersum obligare sub mortale, quàdo Regula ex sua primæua institutione ad nullam culpā obligat, sed ad pœnam; Potest tamen priuatum, & particularem aliquem sic obligare, quandò ad exemplum aliorum, & correctionem illius, qui minus parere consueuit, id expedire iudicaret. At verò propter vnius, vel duorum culpam non posset sic totum Conuentum obligare. Ità Vasquez 1. 2. disp. 154. cap.4. num.31. Sanchez lib.6. in Decalogum cap.1. num.46. Ledesma de statu Religiosorum in communi cap.4. conclus. 8. dub.2. pag. mihi 137. Salas de legibus disp.8. sect.18. num.57. Bonacina in Decalogum disp.1. q.1. punct.3. num.17.

Vasquez. Sanchez. Ledesma. Salas. Bonacin.

Prima pars patet, quia hoc esset manifestè supra Regulam, si vellet obligare ad peccatum, ad quod ipsa non obligat. Quod tamen dicemus superiorem facere non posse.

Secunda pars probatur, quia cum Prelatus custos sit obseruantiæ regularis, ad eam conseruādam potest relaxatum subditum præceptis, & excommunicationibus cogere, vt vnius pœna, aliorum transeat in exemplum.

Tertia pars, scilicet quòd propter vnius, vel duorum culpam non possit obligare totum Collegium, patet, quia vita aliorum relaxata, alijs obseruantibus non debet inijcere conscientiæ laqueos; & istis obseruantibus hoc esset manifeste supra Regulam, & ideo obedire non tenerentur.

Dico tertio, si totum Collegium esset relaxatum, v. g. præcipit Regula, ne tangantur pecuniæ: ne lineis vtamur subuculis: vt vestiti dormiamus: fratres vnius communitatis, sunt ità relaxati, vt illa non curent magis, quàm si in regula non continerentur, & publicè tangant pecunias, lineas deferant, nudi dormiant, potest hoc casu Prælatus totam illam communitatem compellere sub peccato mortali ad obseruanda ea, quæ alioquin sub nullo peccato tenebatur. Ità Doctores citati in secūda conclusione tenentur concedere, & tenet expresse Ledesma. Ratio est, quia ad Prælatum pertinet curare totis viribus, & posse obseruantiam Regulæ, & pœnam negligentiæ luet in inferno, si prius pœnitentiā non egerit. Non debet quidem esse facilis Prælatus in his resolutionibus, quia sunt maximæ consequentiæ, & hoc est quodammodo augere votum, nisi quo ad substantiam, saltem quo ad modum; & prius debet experire, an alijs vijs possit id obtinere; cum autem censet casum desperatum, sua vtatur auctoritate, & debito fūgatur officio.

Dico quarto, non solum potest Prælatus sub mortali præcipere ea, quæ sub nullo præcipiuntur expressè, & directè in Regula, sed etiam ea, quæ implicitè, & indirectè, vt mutua obsequia, &c. de quibus distinctius infrà, vbi de indifferentibus, verbi gratia, præcipit Regula, fratres binos extrà conuentum incedere; non solum potest Prælatus præcipere sub mortali, ne fratres soli extrà Conuentum exeant, sed etiam quod foras egressi, ab inuicem non separentur. Ità Ledesma loco citato digo lo secundo. Ratio est eadem, quæ supra, quia hoc perti-

Ledesma.

net ad obseruantiam illius constitutionis; non debet tamen passim hoc facere Prælatus, nec sine necessitate, & vrgenti, & rationabili causa; ne vota subditorū augere ipsis inultis videatur.

§. *Quartus. Quibus verbis manifestent Prælati suam intentionem esse obligare sub mortali.*

Dico primo. Prælatus simpliciter mandans fieri aliquid etiam per verba imperatiui modi, non obligat, nisi eo modo, quo obligant statuta in regula; vnde si statuta non obligant nisi ad pœnam, ad pœnam solum obligabunt præcepta Prælati, qui est quædam Lex animata. Ratio est, quia tunc nō videtur velle Prælatus obligare nisi eo modo, quo obligant alia statuta; cū enim strictius vult obligare strictioribus, & formalioribus vtitur verbis. Ità Ledesma de statu Religiosorum in communi cap.4. conclus.12. par.2. conclus. pag. mihi 162. *Ledesma.*

Dico secundo. Hic esse attendendum morem, & cōsuetudinem Religionis, ità vt tunc censendus sit Prælatus ad mortale obligare velle, quādo in præceptis ponēdis vtitur illis verbis, quibus solent vti illius Religionis Prælati, cum ad mortale intendunt obligare, & tunc ad veniale cum vtitur illis, quibus solent ad veniale. Ità Caiet. 2.2. q.186. art.9. Valentia tom.3. disp.10. q.4. punct. 5. circa tertiam circumstantiam. Ledesma de statu Religiosorum in communi conclus.8. dub.7. pag. mihi 150. Syluest. verb. præceptum q.1. fine. Armilla ibidem num.7. Sanchez lib.6. in Decalogum, cap.4. num.28. Vasquez 1.2. disp.158. cap.3. num.24. Ratio est, quia his verbis Manifestat Subdito, suam intentionē esse, vt impleat id, ad quod tenetur ex voto obedientæ.

Caietan. Valentia. Ledesma. Syluester. Armilla. Sanchez. Vasquez.

Dico tertio. Communiter esse quasi receptū, vt tunc Prælati censeantur velle obligare sub mortali, quando præcipiunt sub merito Sanctæ obedientiæ, vel virtute Spiritus sancti, vel sub pœna excommunicationis maioris, etiamsi non addant latæ sententiæ; Nam si addent, incurritur etiam excommunicatio. Ità Caietanus, Valentia, Ledesma locis citatis, Sanchez lib. 6. in Decalogum cap.4. num.43. qui innumeros alios citat, Nauarrus in summa cap.23. num. 53. Sayrus in Claui regia lib.3. cap.7. num.24. & in nostra Religione Minimorum habetur statutum in Capitulo 4. Genuensi num. 22. quo declaratur, illa statuta, & præcepta superiorum, quæ nō habent annexum præceptum formaliter factum, puta in virtute Spiritus sancti, vel sanctæ Obedientiæ, aut sub pœna excommunicationis, vel per verbum mandamus, seu præcipimus, non obligare ad culpam, sed tantum ad pœnam taxatam; In quo includitur ex vsu Communi Modus præcipiendi sub Mortali, & sub veniali; Quādo enim Prælati intendunt obligare sub Mortali, præcipiunt in virtute Obedientiæ, &c. Quando verò sub veniali, præcipiunt simpliciter. Præcipio tibi hoc, vel illud; verbū enim præcipio simpliciter culpam mortalē non inducit, vt multis probat Rodriq. tom.1. quæst. Regul. q.16. art.4. In responsione ad argumēta col.6. Lessius lib.2. de iust. cap.41. dub.9. num.76. versu 3. tenetur.

Caietan. Valentia. Ledesma. Sanchez. Nauarr. Sayrus. Rodriquez. Lessius.

Dico

Dico 4. si materia est leuis, sub quacumque forma verborum præcipiat Prælatus, vel virtute sanctæ obedientiæ, vel Spiritus Sancti, &c. non tenetur subditus obedire sub culpa mortali. Ità Communiter Doctores, Ledesma loco citato Sanchez etiam loc. cit. num. 46. Salas prima 2. q. 96. tract. 14. disp. 10. sect. 6. num. 30. multos citans. Ratio est, quia Materia leuis etiam in mandatis diuinis excusat a mortali; ergo multò magis in humanis. Et hoc etiamsi Prælatus dicat, se intendere obligare ad mortale. Quia Prælatus non potest facere, vt illud, quod non est capax de se lethalis culpæ, capax fiat per suum præceptum; immò tunc præceptum indiscretum, & absurdum censetur.

Ledesma. Sanchez. Salas.

Materiam autem leuem in ordine nostro Minimorum declaratum est in capitulo 4. Genuensi num. 21. esse, puta, si aliquis ingressus fuerit hortum, & excerpserit aliquem fructum ex arbore; vel ingressus fuerit Coquinam; vel Refectorium, vel minimam rem sustulerit. Vnde si præcipiat Prælatus, ne ingrediar hortum, sub quacumque forma verborum id faciat, vel sub pæna excommunicationis ipso facto, subditus transgrediens mortaliter non peccabit, propter leuitatem materiæ.

Hæc tamen intelligenda sunt stando in ipsa materia leui, nam si aliquis ingrederetur Hortum propter aliquem malum finem, verbi gratia, vt commodius alloqueretur mulierem; iam tum materia, non staret in sua leuitate, sed ex illo fine esset grauis, & sic posset Prælatus sub mortali talem ingressum vetare; similiter si omnes ingrederentur hortum, & vnusquisque vnum fructum excerperet, quacumque vice, ità vt damnum notabile inde sequeretur Communitati; tunc materia non staret in sua leuitate, sed ratione damni, quod pateretur Communitas, ex singulis illis excerptionibus, posset Prælatus talem ingressum sub mortali vetare; Ità Salas prima 2. q. 96. tract. 14. disp. 10. sect. 6. num. 32. Valentia tom. 2. disp. 7. q. 5. puncto 6. quæsito 3. Sayrus in Claui regia lib. 3. cap. 7. num. 14. & 17. qui hæc ad nostrũ propositum habet. Præcipere potest Prælatus sub mortali, ne aliquis Religiosus accedat ad hortum Communem Conuentus, aut ad talem Sæcularis domum, aut ne transeat per talem vicum Etiamsi cum licentia sua exierit extrà Conuentum, aut ne cum tali, aut tali persona loquatur; Hæc enim, & similia, licet in se considerata, videantur parui momenti, comparata tamen ad honestatem, & bonum nomen Religiosorum, aut ratione scandali, periculi, vel alterius circunstantiæ, efficiuntur res magni momenti; ideò obligant ad mortale. Hęc Sayrus, quod etiam sentit Suarez tom. 5. in tertiam partem, disp. 4. sect. & num. 9. & sequentib.

Salas. Valentia. Sayrus.

Suarez.

Dico 5. si subditus dubitat, an materia sit leuis necne, & Prælatus præcipiat sub verbis, quæ solent ad mortale obligare, obedire tenetur sub mortali; ità Corduba in Regula S. Francisci cap. 10. q. 3. puncto primo in primo modo cognoscendi, quomodo præcepta obligent, Arag. 2. 2. q. 62. art. 3. col. 6. §. & si quis quærat, Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 4. num. 46. Ratio est, quia dum de materiæ leuitate non constat, tenetur subditus iudicio superioris stare, vt dicam infrà.

Corduba. Aragon. Sanchez.

CAP. VI.

Vtrum Subditus teneatur Obedire Prælato in omnibus, quæ ab ipso illi iubentur.



RO hoc capite videri potest D. Tho 2. 2. q. 104. art. 5. Caietanus ibi Panormitanus in capite ad aures nu. 1 de temporibus ordinat. Valentia tom. 3. disp. 7. q. 3. puncto 2. versu quarto sequitur, Rodriquez tom. 3. q. Regul. q. 19. art. 1. & 2. Reginaldus lib. 17. praxis, num. 233. Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 2. Miranda tom. 1. Manualis Prælatorum, q. 26. art 2. Nauarrus in sum. cap. 23. num. 38. Antoninus 3. parte tit. 16. cap. 1. § 9. Syluester verbo obedientia q. 1. Rosella ibi § 2. Tabiena § 3. Angelus § 1. Pisanella § 1. Toletus in summa lib. 8. cap. 15. Graffius prima parte decis. lib. 3. cap. 5. num. 23. Armilla verbo Obedientia num. 3. & 4. Ledesma de statu Religiosorum in communi cap 4. conclus. 8. pag. mihi 135. possunt etiam videri Vasquez prima 2. disput. 160. Suarez lib. 4. de legibus, cap. 18. Azor tomo 1. instit. moral. lib. 5. cap. 10. & tractantes de potestate Ecclesiæ in actus mere internos.

D. Thom. Caietanus. Panormit. Valentia. Rodriquez. Reginald. Sanchez. Miranda. Nauarr. Antoninus. Syluester. Rosella. Tabiena. Toletus. Graffius. Armilla. Ledesma. Vasquez. Suarez. Azor.

Dico primo subditus non tenetur obedire superiori præcipienti aliquid contrà pręceptum alterius superioris, illum in dignitate, & potestate excedentis, puta Dei, Ecclesiæ, & altioris dignitatis Prælati, est certissima apud omnes locis citatis.

Probatur primo ex illo Genesis 3. *Quia, quod obedisti voci vxoris tuæ plus quàm meæ, maledicta terra in opere tuo*; & Actorum 5. Dicitur. *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*; & Glossa explicans illud ad Romanos 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, ait, *si quid iusserit Curator numquid est illi parendum, si contra Proconsulem iubeat? Rursum, si quid Proconsul iubeat, & aliud Imperator numquid dubitatur, illo contẽpto, isti esse omnino parendum? Ergo similiter, si aliud Imperator, aliud Deus iubeat, illo spreto, huic est obediendum*, & habetur cap. Qui resistit 11. q. 3.

Gen. 3. Act. 5. Ad Rom. 13.

Secundo probatur ex patribus; Augustino, & habetur 11. q. 3. cap. non semper. Vbi dicitur, *Non semper malum est non obedire præcepto, cùm Dominus iubet ea, quæ sunt contraria Deo, tunc ei obediendum non est*, & Bernard. epist. 7. ad Adam Monachum, *Valdè peruersum est, profiteri te obedientem, in quo maioris superiorem propter inferiorem, idest Diuinam propter humanam soluere obedientiam? Quid enim? Quod iubet homo prohibet Deus; ego audiam hominem, surdus Deo? Hinc Dominus in Euangelio Pharisæos increpans, ait; Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras.*

August. Bernard.

Tertio. Quia pugnat id cum recta ratione, lumine naturali nota; cõuinceretur enim alioquin, quòd superior superior non esset, si illi obediendum non esset, quando illius inferior contrà eius præceptum iubet.

Quarto. Habetur cap. si is qui præest 11. q. 3. vbi dicitur, *is qui præest si præter voluntatem Dei, vel præter quod in Sanctis scripturis euidenter præcipitur: vel dicat aliquid, vel imperet, tamquam falsus testis Dei, aut sacrilegus habeatur; & adducitur illud ad Galathas primo, etiamsi nos, aut Angelus de cælo Euangelizauerit vobis, præterquam quod vobis Euangelizauimus, anathema sit*.

Ad Gal. 1.

Ex

Ex qnibus seqnitur 1. Quòd subditus obedire non tenetur superiori præcipienti Contrà mandata Dei: vt reuelare crimen occultum fratris, non seruato ordine correctionis fraternæ: vel si præcipiat dicere, aliquod mendacium, etiam officiosum: vel verbum otiosum, habetur cap. si Dominus 2.q.3.

Antonin.

Secundo sequitur, quòd neque etiam tenetur subditus obedire si Prælatus præcipiat contrà ordinationes Ecclesiæ, vt quòd non ieiunet die statuta ab illa; vel celebret pro hæreticis, habetur cap. si quis Episcopus 2. q. 3. Antoninus 3. parte tit.16. cap.1. §.9.

Tabiena. Armilla. Antonin.

Tertiò, si præcipiat contra ordinationes, vel constitutiones sui ordinis, vt in ordine Minimorum, si præcipiat vti lineis: vel pecunias tangere: vel quòd non loquatur superiori suo; vel faciat contrà ordinationes sui maioris Prælati. Tabiena verbo Obedientia num. 5. Armilla eodem num.4. Antoninus 3.par. tit.16.cap.1.§.9.

Caietan.

Dico 2. subditus non tenetur obedire superiori in his, quæ pertinent ad naturam corporis v.g. in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem, vnde non potest superior præcipere, vt castitatem seruet; non comedat, &c. intellige, nisi ad id voluntariè per votū se adstrinxerit, vt notat optimè Caietanus 2. 2. quæst.104.ar.5. ad 2. dub. vt Religiosi qui cùm se adstrinxerint ad Castitatem, possunt per Prælatum cogi eam seruare: Et Religiosi minimi qui per votum se adstrinxerunt ad vitam quadragesimalem, possunt ad eam seruandam à Prælato adigi. Ità D.Thomas 2.2.quæst.104. art.5. & omnes alij citati, præsertim summistæ.

D. Thom. *D. Thom.*

Probatur ex D.Thoma; quia in natura omnes homines pares sunt, neque vnus alij subijcitur; cum par in parem non habeat imperium, vt dicitur cap. inferior d.21. & cap. innotuit §. quamuis de elect.

Armilla. Tabiena. Ledesma. Antonin.

Ex quibus sequitur prim. subditum non esse obligatum obedire Prælato præcipienti, vt se nudet coram alijs. Ità Armilla verbo obedientia num.4. Tabiena eodem num. 5. Ledesma de statu Religiosorum in Communi cap.4.conclus.8.pag. mihi 136. Antoninus 3. par. tit.16. cap.1. §.9. Et patet, quia hoc est cõtra honestatem honestiorum virorum; & vnusquisque naturaliter, & rationabiliter viuės secretas corporis partes tegere semper curat, & verecundatur, si aliqua ex his, quę videri non consueuerunt, casualiter appareat.

Armilla. Tabiena. Antonin.

Secundo sequitur, neque subditum teneri parere superiori præcipiēti aliquam particularem, & insolitam abstinentiam. verbi gratia abstinentiam carnium, vel ouorum tempore, quo ei per suam regulam licet comedere, nisi id faceret, vel in pœnam, vel in remedium recidiui. Armilla, Tabiena, Antoninus, locis citatis.

Armilla. Caietan.

Tertio, neque subditum teneri obedire Prælato præcipienti ne gestet intus, & foris vestimenta illi per suam regulā concessa, verbi gratia Tunicas, & Tunicellas in ordine Minimorum; & vnā tunicam cum caputio, & alteram sine caputio in ordine minorum. Ita Glossa in extrauaganti. Quorumdam Ioann. 22. de verb. significatione §. in primis verbo voluerint; hæc enim pertinent ad humanæ naturæ sustentationem. Armilla loco citato, Caietanus 2.2. q. 104. art. 5. ad secundum dub.

D. Thom. Suarez. Vasquez. Azor. Sanchez.

Dico 3. subditus non tenetur obedire superiori præcipienti aliquid circà actus merè internos. Ità D.Thomas 2.2. q.104. art. 5. & prima 2.q.91. art.4. corpore, & q. 100. art. 9. corpore Suarez, Vasquez, Azor. Valentia locis cit. Sanchez lib.6. in Decalogum cap. 2. num. 5. & alij ferè omnes, quos citant Vasquez, & Suarez.

D. Thom. Aristot.

Probatur ratione D. Thomæ p. 2. q. 91. quia de his potest homo legem facere, de quibus potest iudicare, sed de actionibus mere internis nō potest iudicare; ergo neque de illis legem facere, vel illos præcipere; maior sumitur ex Aristotele 10. ethicorum cap. 5. vbi ait, *Potestatem legislatiuam debere esse coniunctam cum potestate coactiua, quia alioquin esset inutilis, & inefficax.* Vnde fit, hominem solum posse ea præcipere, quæ potest punire, si aliter fiant, quàm ipse præceperit, punitio autem non fit sine causæ cognitione, & iudicio; Minor probatur, quia cognoscere actus interiores ad solum Deum pertinet, vt dixit Ieremias cap.17. *Prauum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* In Hebræo est. *Prauum est cor præ omnibus.* Quo significatur, eos esse sinus, atque recessus, inflexus, & anfractus in hominum animis, vt nihil sit in natura rerum exploratu difficilius. Pro illo inscrutabile legit Hieronymus *desperabile*; quia ità tectum est, & obscurum, vt de illius cognitione desperare possit quiuis. Et cap. tua nos de Simonia dicit Papa. *Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare*, & cap. sicut tuis eodem tit. Dicitur, quod Ecclesia de occultis non iudicat.

Ierem. 17. Hieronym.

D. Thom. Seneca.

Confirmat D.Thomas 2.2. q. 104. art. 5. auctoritate Senecæ lib. 3. de benef. cap. 20. vbi ait, *errat, si quis existimat, seruitutem in totum hominem descendere, pars melior eius* (idest mens) *excepta est; corpora obnoxia sunt, & adscripta Dominis, mens quidem sui iuris.*

Dixi nō teneri obedire circa actus merè internos, nam de ijs quatenus sunt rationes quædam, seù conditiones actuum exteriorum, idest vt ad actus exteriores pertinere possunt, & sunt necessarij, adhoc vt actus externi, in quibus quis superiori subditur, rectè exerceantur, quod obedire teneatur, non est dubium; cum Ecclesia de ijs possit optime præcipere, & de facto præcipit attentionem, & deuotionem in horis diuinis celebrādis, vt in cap. dolentes de celebratione Missarum; & excōmunicat inquisitores, qui odio, vel amore inquirunt, vel inquirere prætermittunt in hæreticos, vt in Clementina multorum de Hæreticis. Ità docet Caiet. 2.2. q.104. art.5. Sotus lib.10. de Iust. q.5. art.5. conclus.6. Valentia tom.3. disp.6. q.2. puncto 10. versic. Quomodo sit recitandum diuinum officium, & disp.7. q.4. puncto 2. versu, sed hoc assertum. Suarez lib.3. de legibus cap.13. num 6. Miranda tom.1. Manualis præl. q.26. art.3. conclus.1. Probatur, quia cum actus internus, est necessarius ad rectè exercendum actum externū, licet non simpliciter, & materialiter ad exercendum, necessaria fuit in Ecclesia ea potestas, quę ad hos actus rectè, & moraliter exercendos posset compellere, alioquin impunè posset illud.

Ex quo deducitur, quòd subditus iussus à suo Prælato facere sacrum pro aliquo, tenetur habere intentionem applicandi illi sacrificium; quia aliter non posset sacrum fieri pro illo, & hoc non est disponere de actu interiori subditi, qui est applicatio medij valoris missæ, sed disponere de illo actu, vt coniunctus cum actu exteriori celebrationis

tionis eiusdem, qui idem actus exterior perfici recta nō potest fine applicatione actus interioris, & ideò per necessariam cōnexionem, optima potest à Prælato præcipi, & subditus non obediens mortaliter peccabit contra obedientiæ votum in ea grauis. Ita Rosella verbo Obedientia num. 2. fine. Ibi Angelus num. 1. Toletus in sum. lib. 8. cap. 15. num. 1. Rodriq. tom. 3. quæst. tagul. q. 19. ar. 2. Mirada Manuali præl. to. 1. q. 16. ar. 3. Sanchez lib. 6. In Decalog. cap. 2. num. 6 cui autem proficiat factū, si aliter quā iussit Prælatus applicetur à subdito, dicam paragrapho seq.

Rosella. Angelus. Toletus. Rodriquez. Miranda. Sanchez.

Dico quarto, si subditus vouisset talem regulam, quæ consularet, vel præciperet actus mentales, orationem verbi gratia mentalem, vel significaret, Prælatos posse illos actus iniungere, tunc si iniungat, tenetur subditus obedire. Ità Suarez lib. 4. de legibus cap. 13. num 15. & 16. Azor tom. 1. instit. moral. cap. 10 Fauet etiam D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 3. quatenus definit *Religiosorum Obedientiam, esse virtutem moralem promptam reddens voluntatem subditi ad faciendā voluntatem superioris*; vbi innuit etiam, posse Religiosum, ratione voti subdi superiori, quo ad actus internos si nimirum vouent, vt dixi. Probatur ex D. Paulo ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; quam locum declarans Chrysost. hom. 23 ait, *non dicit simpliciter obediat, sed subdita sit, idest non solum debet facere, quod præcipitur, sed voluntatem, & iudicium suumeum volūtati, & iudicio superioris conformare*; sed hæc potius videntur probare subditum de perfectione obedientiæ debere ità facere, quàm de necessitate. Ideò.

Suarez. Azor. D. Thom. D. Paul. ad Rom. 13 Chrysost.

Probatur aliter conclusio à Suarez; quia potest homo immediatè, & absolutè vouere Deo actum mere internum, verbi gratia, orationem mentalem, vt omnes fatentur, & patet, quia est de meliori bono, ergo potest etiam id vouere sub conditione, si Prælatus præceperit; quia hoc, nec difficilius est, nec minus honestum, quā primum. Hoc autem virtualiter fit vouendo obedientiam in illis ordinibus, in quibus tales actus hortantur, vel præcipiuntur; Vt in ordine nostro Minimorum, in quo cap 8. reg. num. 35. hortantur singuli ad orationis sanctæ studium; Vnde si Prælatus mentalem orationē præcipiat per virtutē obedientiæ, subditus obedire tenetur sub mortali; Prælatus tamen non debet hos actus sub tanto rigore præcipere, ob vitandū periculum, vt benè, & sanctè aduertit Suar. loc. cit.

Suarez.

Dico quinto, subditos debere obedire suis superioribus in aliquis omnibus, quæ per corpus exercantur, dummodo non excedant limites authoritatis superioris. Ita D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. Valent. tom 3. disp. 7. q 3. punct. 2. versu 6. sequitur. Mirāda tom. 1. Manualis, q. 16. art. 3. conclus. 2 Reginaldus In praxi lib. 17 num. 133. Probatur ex scriptura Matth. 23. *Omnia quæcūq; dixerint vobis, seruate, & facite*. Et ad Hebr. vlt. dicitur. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.*

D. Thom. Valentia. Miranda. Reginald. Matth. 23. ad Hebr. vlt.

Dico sextò, Religiosum subditum non tenerі obedire suis Prælatis, nisi ratione voti Obedientiæ. Ideò dixi In conclusione præcedenti, Modo limites authoritatis non excedant. Non enim tenetur obedire, nisi in iis, quæ sub Obedientiæ voto continentur, quod non est æquale in omnibus Religionibus, vt ait S. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9. Et S. Bonau. super caput primū Regulæ B. Francisci. Conclusio est D. Thom. in 2. d. 44. q. 2. art. 3. in vltimo argumento ad contra, ibi Bonauent. art. 3. q. 2. corpore, Syluest. verbo Religio 6. q 6. Ratio est, quia Religiosi nihil vltra obedientiæ votum habent super omnes alios fideles. Ità etiā Sanchez lib 6. in Decalogum cap. 2. num. 2.

D. Thom. Bonauent. D. Thom. Bonauent. Syluester. Sanchez.

§. *Vnicus vtri proderit sacrificium si subditus non iuxta mentem Prælati præcipientis offerat, sed iuxta suam.*



Pro complemento tertię cōclusionis apponimus hoc dubium. Præcipit Prælatus, vt celebrem missā pro Francisco, ego autem celebro pro Ioanne, proderit ne Francisco, an Ioanni? Hoc dubium tractāt Scotus quodlib. 20. Gabriel lect. 26. In Canonem. Cord. in suo quæst. theol. lib. 1. q. 3. ante opinionem primam versu dico regulariter, pag. mihi 44. Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 79. sect. 9. quęst. 2. Rodriq. 1. part. sum. cap. 244. conclus. 10. Petrus Ledesma 1. part. sum. de sacr. Eucharyst. cap. 18. conclus. 18. pag. mihi 177. Berarducius 4. part. summæ, tract. de sacrif. Missæ, pag. mihi 204. Filliuccius tract. 5. de Euchar. cap. 3. num 76.

Scotus. Gabriel. Corduba. Suarez. Rodriquez. Ledesma. Berarduc.

Respondeo cum Suario, & Ledesma, sacrificium operari iuxtà intentionem meam, nō iuxtà intentionem superioris præcipientis, Henriq. lib. 9. cap. 2. §. 6. vbi in com. lit. H. multos citat.

Suarez. Ledesma.

Probatur primo, quia sicut in administratione sacramentorum Sacerdos operatur, vt Minister Christi, Itā & in oblatione huius sacrificij, ergo sicut in administratione sacramenti, intētio debet esse propria, & personalis, sic & in oblatione, & applicatione huius sacrificij, in qua Sacerdos ità se gerit, vt habens immediatè à Deo potestatem, & vices eius, propter quod, intentio Sacerdotis, & Christi vna esse censetur; ergo quoad hoc, intentio Sacerdotis, non subditur intentioni Ecclesiæ, vel alterius superioris, vt per illam irritari possit, quod exemplo sacramentorum potest declarari; si enim superior præcipiat, vt non baptizem, vel baptizam hunc, & non illum, vel vt non absoluam (modo iurisdictionem non auferat) nihilominus si faciam factum tenet, ita in hoc casu.

Secundò probatur, quia Sacerdos habet potestatem offerendi corpus, & sanguinem Domini in sacrificium patri immediate à Deo per ordinationem Episcopi.

Peccabit tamen Religiosus contra obediētiæ votum, & mortaliter in re graui, superiori, cui incumbit onus satisfaciendi pro Eleemosynis Missarum receptis, non obtemperans, & tenebitur altera die (si sine obligatione celebrabit) superioris voluntatem explere, nisi constaret, occasionem talis præcepti omninò cessasse. Potest itaque superior pręcipere subdito, & ista obedire tenetur, vt sacrum faciat, & pro tali faciat, at illius intentionem nequaquam potest irritare, nec facere, vt si iste velit alteri applicare, non applicet, & cui applicauerit, non prosit; quia hic operatur, vt minister Christi, & hoc sacrificium operatur ex opere operato.

Si quæras, an idem dicendum sit de aliis Precibus, verbi gratia, Officio Defunctorū, B. Mariæ, septem Psalmis, &c. præcepta à Prælato

pro satisfactione alicuius signatæ personæ, & pro alia applicatus.

Respondeo, non esse parem casum; nam ideò diximus, tunc valorem missæ proficere, iuxtà intentionem celebrantis, quia hic operatur, vt minister Christi, & sacrificium illud ex meritis Christi operatur; vnde quo ad istum valorem ex opere operato, parum refert, sit ne minister in gratia, vel non; hoc tamen casu totus valor operis pendet ex operante, qui cum, vt supponimus, sit inobediens, propter superioris præceptū non obseruatum, & per consequens non sit in gratia, opus illud nullum habebit valorem (nisi fortè opera essent ex illis à Christo, vel Ecclesia institutis, vt pater noster, horæ canonicæ, &c. quia tunc secundum aliquos operantur etiam aliquid ex opere operato, ob virtutem eis inhærentem ex institutione Dei, vel ipsius Ecclesiæ vniuersalis, vt habet Nauarr. de horis canonicis cap. 19. num. 59. & 61. & cap. 20. num. 39. vel etiam possumus dicere, quod hæc opera valeant tanquā facta ab ecclesiæ ministro, vt Nau. loc. cit.

Et ideò cum nullum habeat valorem, & sit penitus demortuum, non poterit proficere quo ad satisfactionem, nec personæ operanti, vel cui ipse dabit; nec personæ, cui applicuit superior. Ita Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 55. sect. 5. num. 10. videri potest Nauarrus tom. 4. Miscell. 11. de orat. num. 9. Miranda tom. 2. Manualis præl. quæst. 50. art. 3. & alij, quos citat.

Sed quid, inquies, si subditus priuatim operans, indigeat operibus ipsis, poterit ne Prælatus ea applicare in satisfactionem aliorum, ipso subdito operante, contradicente, renuente? Videatur Scotus quodlib. 20. Suarez loc. cit. num. 8. Sotus in 4. distinct. 21. quæst. 1. art 4. fine. Nauarr. & Miranda loc. cit. Cordub. in suo quæst. theol. lib. 5. de indulg. q. 42. art. 5. punct. 3. a dicto 1. Vide Henriq. lib. 7. cap. 31. §. 6. in com. lit. Z. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 20. p. 3. col. 8. versu, *at notes etiam*. Sorbus in comp. ver. *Indulg. quoad Seculares* 4. versu secundo dicitur pag. mihi 305.

Respondeo, probabilius videtur, & rationi conformius, quod, me indigente, nullo casu possit Prælatus contrà meam voluntatem opera mea, pro alijs in satisfactionem offerre. Ita Scotus quodlib. 20. & Nugnus in addit. ad 3.

Scotus. partem, quæst. 26. art. 1. conclus. 6.

Probatur primo, quia opus satisfactorium est necessarium mihi ad ingrediendum vitam æternam, ergo si indigeam, nec debeo, nec possum tanto bono priuari.

Secundo, quia Charitas incipit è se ipso; & crudelitas est, vt dicitur leg. 2. Cod. de seru. & aqua, vt aqua nata in vno agro, sitiente illo, rigetur alius.

Tertio. Quis dicet? si debeam vni centum, eaque soluenda in promptu habeam, posse me obligari ad ea soluenda pro amico? & si carcere detentus sim, & possim egredi data satisfactione, quis me obligare poterit ad ibi manēdū, vt exeat amicus mediante mea satisfactione?

Quarto. Quia pœna debita peccatis est necessariò soluenda, vel hic, vel in purgatorio, & quis est? qui possit me obligare ad pœnas illas terribiles subeundas? cum possim leuioribus soluere?

Neque vrgent rationes in contrarium Nauar-

Nauarr. ri, & Soti, id posse Prælatum in aliquo casu par-

Soto.

ticulari concedentium, non Nauarri, in quantum dicit, quod Religiosi nō habent proprium; nam fallit in multis, vt ex ipsomet dicam infrà; & patet, quia, vt diximus, in his debitis, quæ pertinent ad naturā, vt comedere, dormire, &c. Obedire nō teneor, quoad prohibitionem simpliciter, licet tenear, quoad modum, & quantitatem, ergo similiter in his, quæ pertinent ad animam obedire non tenebor, cum simpliciter indigueio: sicut enim præcipiente Prælato ne dormiam, verbi gratia, si somno simpliciter indigeo pro sustentatione corporis, non teneor obedire; ita præcipiēte, vt satisfaciam pro alio; cum simpliciter indigeo, satisfactorijs illis operibus, obedire non tenebor.

Neque etiam vrget ratio Soti. Subditus potest *Sotus.* se his satisfactionibus voluntariè priuare, eas alij ex charitate tribuendo; ergo & illo inuito, potest Prælatus eas alij applicare. Quia cum valor moralis istorum operum, satisfactoriorum, pendeat intrinsecè ex intentione operantis, potest operans pro suo libito se illo valore priuare, & donare cuicumq; placuerit; etiamsi certus sit, se soluturum consimilem satisfactionem in Purgatorio; cū dominus sit huiusmodi valoris; et illo priuari inuitus nequaquam potest.

Ad illud etiam, quod dicitur, posse Prælatum præcipere subdito eleemosynam. Respondeo, posse quidem de superfluis, sed non de omninò necessarijs; si enim mihi fame laboranti, & habenti vnde expellam, præcipiat Prælatus, illud dare pauperi, similiter indigenti, puto quòd nullus me obligabit ad obediendum. Propter quæ facta est mihi probabilissima hæc sententia, licet contraria, tum propter auctoritatem doctorum, tum propter rationes, probabilis sit etiā censenda.

Ad extremum notó, hæc intelligi de bonis subditorum, quoad vim satisfactoriam, nam quantum attinet ad vim meritoriam de cōgruo, omnia bona cuiuscunque subditi, & congregationis, tam in particulari, quam in communi facta, possunt Prælati, quibus voluerint applicare; quia in hoc nullum fit præiudicium subditis: Immò ex hoc fit maior conditio operantis ex multitudine participātium. Videatur Cord. loc. cit. dicto 8. versu quoad vim, Sorbo in comp. *Corduba.*

Faciles tamen debent esse subditi in talibus satisfactionibus ad præceptū Prælati concedendis, & applicandis; cum necessitas, præsertim alterius cōfratris, vel deuoti alicuius particularis ordinis, id postulare cognouerint; quia tunc acquirunt meritum charitatis, & eleemosynæ.

CAP. VII.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato; dubitans esse contrà Deum vel Ecclesiā, vel Regulam vel alterius superioris, Præceptum id quod præcipitur.



Odriquez tom. 3. q. Regul. q. 59. ar. 6. & Miranda Manualis præl tom. 1. q. 26. art. 5. citant pro hoc capite. D. Tho. in 4. dist. 19. q. 4. sed perperam Diuus enim Thomas nec ibi, nec alibi, quod viderim de hoc puncto tractat. Citatur etiā à Syluestro, nullo loco particulari assignato, verbo obedientia quæst. 2. Facit tamen *Rodriquez.* *Miranda.* *D. Thom.* *Syluester.*

D. Tho-

D. Thom. Rodriquez. Miranda. Sylvester. Raymund. Innocent. Panormit. Tost. sup. Hostien. D. Bonau. Antonin. Rosella. Angelus. Tabiena. Armilla. Pisanella. Caietan. Nauar. Valentia. Ledesma. Carreria. Vasquez. Salas. Sayrus. Toletus. Sa. Graffius. Sanchez.

D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 12 ad secundum, & de illo agunt expresse Rodriquez, Miranda, & Syluester locis citatis, & præterea Syluester verbo bellum quæst. 9. conclus. 3. Raymundus in sum. lib 3. de sent. præcepti de bn. & excomm. §. 2. Innocentius in capite sicut el 3. de Iureiur. nu. 1. Panorm. ibi num. 16 Tost. in primum Paralip. cap. 11. quæst. 9 Hostiensis in sum. de Maioritate, & Obed. lib 1. num 6. Bonau. in 2. distinct. 39. art. 1. quæst. 3. ad vltimum, Antonin. 3. par. tit. 16 cap. 1 §. 9. versu secundo modo, Rosella verbo bellum num. 4. Angelus verbo Religiosus num. 29. & verbo Obedientia num. 6. Tabiena verbo Bellum quæst 11 num. 14. Armilla verbo Obedientia num. 4. Pisanella verbo obedientia primo §. Quid si dubitat, Caiet 2. 2. quæst. 169. art. 2. circa solutionem ad quartum in dub. 2. Nauarrus in sum. cap. 23. num 37. Valent. tom. 3. disp 3. quæst. 16. puncto 1. col. 5. versu 6. Certum est, Ledesma a parte summæ tract. 3. cap. 13. conclus. 19. Carraris quæst. 4. art. 4. de regulis iuris. Vasquez prima 2. disp. 66. cap. 9. Salas de legibus. tract. 14. disp. 1, sect. 9. num 58. Sayrus in Claui regia lib. 1. cap. 13. num. 37. Toletus in sum. lib 8. cap. 15. Sa in Aphorismis verbo Obedientia, Graffius prima parte decis. lib. 1. cap. 68. num. 16. Sanchez lib 6. in Decalog. cap. 3. num. 3. qui multos alios citat.

Noto primo, quòd dubium potest oriri ex triplici capite, primo ex parte solius præcepti, quando nimirum certum est de auctoritate præcipientis, & de honestate rei præceptæ, sed dubitatur, an præcepta sit nec ne. Secundum dubium potest oriri ex parte rei præceptæ, quando nimirum constat de auctoritate præcipientis, sed dubitatur, an res præcepta sit contra Deum, Ecclesiam, sit contrà, præter, vel suprà Regulam. Tertio potest oriri dubium ex parte Prælationis, quia scilicet dubitatur de legitima illius superioris potestate, verbi gratia, an fuerit ritè electus, vel confirmatus: an sit superior huius, cui aliquid præcipitur, de quibus omnibus tractandum hoc capite.

Noto secundo, dupliciter potest subditus de re aliqua dubitare, speculatiuè, & practicè; speculatiue cum de re præcepta in communi dubitatur, an sit illicita, nec ne; practicè, cum dubitatur, an hic, & nunc in re hac, de qua dubitat, an sit illicita, nec ne, licitum sit parere, seu an in tali suo dubio, vel tali dubio permanente licitum sit parere. Ita dubium practicum, & speculatiuum declarant Valent, tom. 3. disp. 3. q. 16. punct. 2. versu ità docet omnes, Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 3. num 12. Floronus part. 1. de casibus reseru. cap. 5 à num. 10.

Valentia. Sanchez.

Dico primo in dubio, an sit positum aliquod præceptum obligans ad mortale, ad faciendam, vel non faciendam aliquam rem, & facta sufficienti diligentia, res adhuc dubia manet, subditus tenetur ad obseruationem præcepti, Rosella verbo Dubia num. vnico, Armilla verbo Dubitatio num. 2. 3. Tabiena verbo Dubium num. 3. q. 2. Angelus verbo Dubium num. 1. & 2. Syluest. verbo dubiũ q. 2 nu. 4 Vasq 1 2. disp. 65. tot. cap. 3. & disp 66. cap. 1. initio, Salas 1. 2 q. 21. tract. 8. disp. vn sect 15. nu. 158. & alij quos citat, Sãchez lib. 1 in Decal. cap. 10. n 10. licet nõ eos seq. n. 32.

Rosella. Armilla. Tabiena. Angelus. Sylvester. Salas. Sanchez.

Probatur, quia in dubijs tutior pars est eligenda, vt dicitur in cap. ad audientiã, & cap. significasti 2. verbo, quod si discerni, & cap. penult de homicid. & cap. iuuenis de sponsal. & matrim. Quibus capitibus decernitur, quod in dubijs semper tenendum est illud, quod est securius, & certius.

Secundo probatur, ex August. homil. 41. & refertur cap. si quis autem in fine de Pœnitentia d. 7. vbi ait *tene certum, & dimitte incertum.*

Augus.

Tertio, quia subditus faciendo contra illud, de quo dubitat, an positum sit aliquod præceptum ad mortale obligans, exponit se periculo peccandi mortaliter, & per consequens mortaliter peccat; *qui enim amat periculũ, in illo peribit.*

Dico secundo in dubijs, an res præcepta licita sit, nec ne, subditus tenetur superiori parere; modo res præcepta nõ sit ex ijs, in quibus ignorantia non excusat; vt articuli fidei: præcepta decalogi: vota solemnia, &c. Ità omnes ferè doctores citati in principio huius capitis, quos, & alios multos refert, & sequitur Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 2. num. 3.

Sanchez.

Probatur primo, ex cap. quid ergo; 11. quæst 3. & cap. quid culpatur 23. quæst. 1. quibus determinatur, quod *in dubijs superiori parendum*; & ad id adducuntur à Doctoribus, præsertim Panor. cap. sicut el 3. de iureiurando num 16.

Panormit.

Secundo probatur, ex scriptura Deuth. 17. vbi dicitur, *si difficile, & ambiguum apud te iuditium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes, & facies quæcunque dixerint, qui præsunt.*

Deuth. 17.

Tertio probatur, ex patribus August. lib. 22. contra Faustum cap. 75 vbi ait, *vir iustus, si forte sub rege homine, etiam sacrilego militet, rectè potest, illo iubente bellare, cuius pacis ordinem seruans cum quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est* (ita nimpè etiam, cum de hoc dub. ait) *ita vt fortasse reũ regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Ber. lib de dispens. & præcepto in principio, *quomobrem, dis quicquid vice Dei præcipit homo; quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus,* & infrà, *ipsum, prœinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his, quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus;* vbi nota illud aperte: si enim non sunt aperte contra Deum, sed sit aliqua dubietas, obedire tenemur, *neque dicas* sequitur Bernar. *Quod homines possunt falli; quid hoc tua refert, qui conscius non es, præsertim cum teneas de scripturis, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est.*

Augus.

Quarto, quia hęc pars tutior est, quę pars tutior sequenda est, vt diximus in pręcedenti. Tutiorem enim reddit Christus, Luc 10. *Qui vos audit, me audit,* & Matth. 23. *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Et ad Coloss. 3 ait Paulus, *Filii obedite parentibus per omnia.* Et ad Hębr. 13. *Filij obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

Luc. 10. Matth. 23. D. Paulus.

Intelligenda tamen hæc conclusio de dubio speculatiuo; nam cum dubio practico, parere nefas est; quia agitur contra conscientiæ practicę dictamen, quod nullo casu licitum est; quia contemnitur Deus, & quantum est ex parte operantis offenditur; Quod tamen dubium practicum, accedente superioris præcepto, deponendum est, tanquam à conscientia erronea procedens; quia adest iusta deponendi causa; & operandum, vt id dubium transeat in solùm spe-

Bonauent. culatiuum, an res sit licita, nec ne, credendo ob
Sayrus. præceptum superioris, non tantum licere in eo
Sanchez. euentu obedire, sed etiam teneri. Ita Bonauent.
in 2.d.39. art.1. quæst. 3. Sayrus in Claui regia
lib.1. cap.13. num.39. Sanchez lib. 6. in decalo-
gum, cap.3. num.12.

Vnde colligitur; quòd quando valetudina-
rius, aut alio impedimento laborans dubius est,
an teneatur ieiunare; abstinere à carnibus. of-
ficium diuinum persoluere, &c. tenetur obedi-
re Prælato præcipienti ne ieiunet: aut ne offi-
Salas. cium persoluat; aut carnibus vescatur. Sic Salas
Sanchez. prima 2. quæst. 21. tract.8. disp.11. sect.17. nu.155.
Azor. Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 3. num. 10.
Azor tom.1. Instit. moral. cap.19.q.9.

Dico tertiò. Quando subditus scit, aut valdè
dubitat esse peccatum id quod præcipitur, &
certus est, se non peccare non parendo, quia res
præcepta excedit limites illius potestatis, siue
dubitet speculatiuè, an res sit illicita, siuè pra-
cticè, an obediendo peccet, tenetur non obedi-
Rodriq. re; exemplificat Rodriquez, si in Religione mi-
norum Prælatus subdito præcipiat accipere pe-
cuniam in casu, quo rationabiliter subditus pu-
tat se peccare mortaliter, sic accipiendo; quia
Prælatus ille in eo dispensare non potest; tunc
dico, quod ille subditus accipiendo mortaliter
Rodriquez peccat. Ita Rodriq. tom.3. quæst. regul. q.19 ar.5.
Sanchez. Sanchez lib 6. in decalogum cap.3. num. 14.
Salas. Salas de legibus tract. 8. disput. vnica sect. 17.
num. 156.

Probatur, quia nullum superioris præceptum
eximit hominem ab obseruatione iuris diuini,
vel naturalis: sed agere contra conscientiam
valdè dubiam peccati mortalis, est & lege diui-
Eccles.3. na prohibitum. Ecclesiast. 3. *Qui amat pericu-
lum peribit in illo*, & lege naturali; quæ dictat,
*Quod quandocunque duo aliqua fuerint valdè sibi
met ipsis similia, & non poterimus præeminentiam
aliquam conspicere alterius ad alterum, videndum
ex his, quæ sequuntur. nam cum consequens est ma-
ius bonum, hoc eligibilius. si autem sint consequen-
tia mala; consequens minus malum hoc eligibilius.*
Aristot. 3. top. Ita Aristoteles 3. topic. cap.2. ex quo probatur,
quòd semper maius bonum, vel minus malum
est eligendum; at in casu posito maius bonum
est facere illud, quod certò scitur esse bonum,
quàm illud de quo valdè dubitatur, quòd sit ma-
lum, ergo. Nam si certo sciatur, quod sit malum,
& bonum sit illius contrarium, supponit tam-
quam lumine naturæ notum Aristoteles loc.cit.
cap. primo; quòd bonum sit eligendum, & fu-
giendum malum.

Secundo probatur, quia tunc subditus absque
rationabili causa, exponeret se periculo pec-
candi, nec subest ei aliqua causa rationabilis du
bietatem deponendi.

Dico quarto. Quando constat, rem præceptam
esse licitam; & tamen dubitatur, an excedat re-
gulam, & limites potestatis superioris, tunc sub-
ditus obedire tenetur. Ità tenentur fateri omnes
Doctores citati in principio, & expressè habet
Sanchez. Sanchez lib 6. in decalogum cap.3. num. 4. Mi-
Miranda. randa Manuali præl. tom.1. quæst. 26. art. 6. Ro-
Rodriq. driquez tom.3. quæst. regul. quæst.19. art.4.

Probatur, quia in dubijs, vt dixi, parendum;
nec de qualibet re præcepta ratio inuestiganda,
quia sic durissima esset Prælatorum conditio: &
pessimus subditorum status; vt qui non superio-
ri, sed rationi ad suum accommodatæ iudicium
parerent: & abnegatio propriæ voluntatis, in
qua Religionis perfectio consistit, iuxta illud
Lucæ 9. *Qui vult venire post me, abneget se met
ipsum*; & ad Coloss.3. *Mortui estis, & vita vestra
abscondita est cum Christo*, penitùs rueret. Itaque *Luc. 9. Coloss. 3.*
non est necessarium adhoc vt subditus teneatur
obedire, vt videat, & intelligat esse bonum, &
contentum intrà limites auctoritatis superio-
ris; sed satis est, vt ipse non sciat euidenter esse
malum, & extra eos limites. Ita August. Relatus *August.*
cap. Quid culpatur 23. quæst. 1. Caietanus in *Caietan.*
summa verbo Bellum, ibi Armilla num.4. Syln. *Armilla.*
verbo Conscientia quæst. vlt. ibi Rosella num. *Syluest.*
penultimo, Angelus nu.2. Tabiena q.2. nu.4. Va- *Rosella.*
lentia tom.3. disp.7. quæst 3. punct.2. col.2. Co- *Angelus.*
solar. primo. Sanchez lib.6. in decalogum cap.3. *Tabiena.*
num. 5. *Valentia.*

Obediendum igitur in dubio de potestate *Sanchez.*
Prælati: nisi vergat in detrimentum tertij, aut *Rodriq.*
honoris, vel famæ propriæ; vt limitant Rodri- *Miranda.*
quez, & Miranda locis proximè citatis, Sayrus *Sayrus.*
lib.1. Clau. reg. cap.13. num.40. & Sanchez lib.6. *Sanchez.*
in decalog. cap.3. num.24. Ledesma de statu Re- *Ledesma.*
ligiosorum in communi, cap.4. conclus.8. dub.4.
pag. mihi 144. Vnde in dubio, an reus, aut testis
interrogetur iuridicè, non est obediendum Iu-
dici. Ita Caiet. 2.2. q.69. art.1. Rodriquez loc.cit. *Caietan.*
& Sanchez plurimos alios citans; quia nemo te- *Rodriq.*
netur parere cum graui suo, vel alterius incom-
modo; nisi constet, superiorem legitimè præci-
pere, & habere auctoritatem tunc præcipiendi.

Ad euitandum tamen scandalum, quando cō-
stat de bonitate rei præceptæ; dubitatur tamen
de potestate Prælati, tenetur subditus obedire
etiam cum suo corporali incommodo. Ità D.Th. *D. Thom.*
prima 2. q 96. art.4. Panormit. in cap. Canonū *Panormit.*
de constit. num.9. Salas prima 2. quæst.90 tract. *Salas.*
14. disp.1. sect.9. num.59. iuxta illud ait D.Tho. *D. Thom.*
Matth. 5. *Qui angariauerit te mille passus, vade
cum eo, & alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam,
da ei & pallium*; & habetur expressè in extrau. *Extrau.*
Ioann. 22. quorundam de verborum significa- *Ioan. 22.*
tione, § 1. vbi Glossa verbo Scandalum, quia ob *Glos.*
vitandum Scandalum, tenetur quilibet subditus
iuri suo cedere, iuxtà illud primæ ad Corinth.8. *Corinth. 8.*
*Si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo
carnes in æternum.*

Sicut è contra licet subditis obedientiā omit-
tere ad vitandum scandalum, non solum quan-
do superior præcipit aliquid iniquum, sed etiā
cum præcipit aliquid iustum. ita Abbas cap.1. *Abbas.*
de elect. num.7. Graffius part.1. decis. lib.2. cap. *Graffius.*
68. num.14. Reginaldus lib.17. praxis num. 237. *Reginald.*
Angelus verbo obedientia num. 2. Primo pro- *Angelus.*
batur ex cap. Cum teneamur de præbendis, vbi
solam rationem scandali censet sufficere Pōti-
fex, ad hoc vt eius literis non obtemperetur.

Secundo. Quia lex de vitando scandalo Præ-
ponderat legi de obediendo Prælato. Vnde non
licet Prælato præcipere his verbis; Præcipio ti-
bi hoc, non obstante quocunque scandalo, vt be-
nè Graffius loc.cit. nu.15. & Rosella verbo adul- *Graffius. Rosella.*
teriū, §.1. Hoc enim est contra caritatē, quæ de- *1. ad Timoth.*
bet esse finis præcepti, vt dicitur 1. ad Timoth.1.

Multi autem sunt casus, quibus potest Præla-
tus licitum iniustè præcipere. Primò quando re
vera non est superior, sed intrusus; quod est
certum apud omnes. Secundo quando, licet sit
supe-

superior respectu aliarum personarum, vel aliorum casuum, non est tamen superior respectu mei; quippe qui superioris auctoritate ab illius sum potestate exemptus. Neque respectu huius casus, puta actus interni, vt dixi. Tertio, quando sine causa vellet rebus ad meum vsum concessis ab ipso met, & ab alijs superioribus, ex odio, aut auaritia, me spoliare, vt ea sibi attribueret, vel alio distraheret, vt Rosella verbo Adulterium, §. primo, Angelus verbo Obedientia num. 9. & ibidem num. 2. Tabiena eodem num. 6. Panor. in cap. Inquisitioni de sententia excommun. num. 5. & alij communiter. Similiter etiamsi id faciat animo me reformandi: quia Prælatus non potest præcipere vni monacho, vt reformetur, nisi reformentur alij, vt habet Zerola in praxi part. 2. verbo Reform. Quarto quando in distributione onerum non seruat iustitiam distributiuam: sed partialiter me vtitur ad quotidie bainlandum, alijs in suis cellis consedentibus (cæteris tamen paribus.) Quinto. Quando præcipit rem moraliter impossibilem, vt puta, mihi hodie pro die crastina concionem indicit extraordinariam, quam in promptu nō habeo. Sexto, quia præcipit id, quod est inutile ad bonum commune, vt benè Salas loc. cit.

Rosella. Angelus. Tabiena. Panormit. Rosella.

Et an Papæ eodem modo iubenti teneamur obedire decidit Panor. loc. cit. sed quid faciendum hoc casu. Si Prælatus licitum iniustè præcipiat sub pœna excommunicationis, siue iusta, siue iniusta timenda sit, cap. 1. 11. q. 3. cap. *per tuas*, cap. *Sacro*, de senten. excomm. Respondet Panor. loc. cit. Tunc accedendum ad superiorem, qui superior faciet, prout decidituṛ dicto cap. *Sacro*. Sed quid de Consulente hoc casu non obedire, sed accedere ad superiorem, incurret ne excommunicationem, cap. *Nuper* de senten. excomm. quia nimirum participanerit cum excommunicato in crimine criminoso, ait Panor. quod non incurret, quia non participat in crimine, cum illud non sit crimen, & sic limitat dictum cap. *Nuper*.

Nec item subditus dubius de potestate Prælati teneretur statim obedire; si illi præciperetur res valdè difficilis, aut nimis molesta, vt longa abstinentia: longum iter, vel aliud opus valdè austerum; sed posset rem maturius discutere, & quousque sibi non constaret de honestate rei præceptæ, & quòd intra limites auctoritatis superioris contineretur, executionem differre. Ità Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 19. artic. 4. Ludouicus Lopez prima parte instruct. cap. 56. versu sic etiam. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 3. num. 13. Sayrus lib. 1. Clau. reg. cap. 13. num. 40. Reginaldus lib. 17. praxis num. 233. Sed quid iubet Prælatus rem iniustam coram Communitate, murmurat subditus, dicens tale mandatum esse iniustum, præcipit Prælatus in virtute Obedientiæ, vt taceat, tenetur ne subditus tacere? Puto, quod tacere teneatur sub mortali: nam ad disciplinam, & obseruantiam Regularem pertinet, vt res communitatis sine strepitu, & rumore, imo cum pace, & quiete in publico tractentur, quo eodem modo teneretur tacere ille, qui ad iuuandum illum, cui fuisset aliquid iniustum impositum in Communitate, insurgeret dicens, tale quid non posse præcipi à Prælato. Secus autem esset, si id iniquum præciperet Prælatus in secreto; nam tunc posset iussus suam vexationem

Rodriquez. Ludou. Lopez. Sanchez. Sayrus. Reginald.

humiliter redimendo replicare. Et id similiter posset Amicus, qui eum adiuuare vellet; quilibet enim tenetur amicum oppressum defendere, cap. *Dilecto*, de sent. excomm. in 6. Ita Rodriquez tom. 1. sum. cap. 9. num. 1. Fernand. 4. part. sui exam. cap. 16. §. 4. num. 8.

Dico quinto. Si subditus dubitat de auctoritate superioris, an scilicet sit legitimè electus, vel confirmatus, si superior sit in pacifica possessione sui officij, & licita, & non excedentia limites suæ auctoritatis præcipit, obedire tenetur. Quia cum vni Prælato obedire teneatur, nec alius sit in possessione Prælaturæ, præter illum, non est, cur ei non teneatur obedire; & discutere, an sit legitimè electus, vel confirmatus, non ad subditum, sed ad alium maiorem superiorem pertinet. Præterea semper melior est conditio possidentis. Si verò ille, de quo dubitat, an sit suus legitimus superior, non esset in possessione non ei teneretur obedire, quia cum non est in possessione, nullam habet iurisdictionem. Ita ferè Sanchez lib. 6. in decal. cap. 3. nu. 29. & 30.

Sanchez.

§. Vnicus, cui nam ex duobus Prælatis diuersa præcipientibus teneatur Subditus Obedire.

Dico primo. Si Prælati sint diuersæ auctoritatis, maiori semper est obediendum; quando scilicet minor à maiori dependet; v. g. Generali omisso Prouinciali, & huic, omisso Correctore. Ità Hostiensis in summ. de maioritate, & obedientia num. 4. Raymundus lib. 3. summæ de sen. præcep. def. num. 4. Syluest. verbo Obedientia num. 10. Toletus lib. 8. cap. 5. num. 9. Reginaldus lib. 18. praxis num. 394. & lib. 17. num. 236. Probatur ex cap. qui resistit 11. quæst. 3. vbi determinatur, maiori semper esse parendum, vide Nauar. com. 3. de regul. num. 12. ad 6.

Hostiensis. Raymun. Syluester. Toletus. Reginald.

Dico secundo. Si Prælati sunt pares in auctoritate (quod tamen rarò potest accidere in Religione) tunc parendum vel ei, qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem: vel ei, qui primo præcipit; vel si cætera sint paria, ei cui voluerit gratificari. Ita Doctores citati.

Dico tertiò. Si subditi sint diuisi, & superiores duo; tunc subditus, qui de vtroque dubitaret, vel nollet, vel non posset pro sua intelligentia discutere, qui nam esset legitimus, nulli, vt puto, teneretur obedire, quousque inter se conuenirent; posset tamen ei obedire, quem legitime iudicaret electum, vel quem meliores, & doctiores pro suo Prælato tenerent.

Dico quarto. Si Iudices sint delegati, & subditus nesciat, inter eos aliquam esse controuersiam, exequatur mandatum primo mandantis; etsi antè executionem innotescat ei de disceptatione, petat copiam litterarum patentium, & obediat ei, qui vltimas habet, quòd si hoc discutere non potest, nemini parere cogitur. quousque per arbitros electos ad hoc controuersia sopiatur. Ità Syluester locis citatis.

CAP. VIII.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato præcipienti aliquid Contra, Suprà, Præter, aut infra regulam.

D. Thom. Armilla. Raymund. Tabiena. Angelus. Rosella. Antoninus. Nauarr. Syluester. Rodriquez. Valentia. Azor. Reginald. Miranda. Sanchez. Lessius. Toletus. Salas.



RO hoc capite videri potest D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ad tertium, & quodlib. 10. art. 10. & in 2. dist. 44. q. 2. art. 3. Armilla verbo obedientia num. 4. Raymundus in sum. lib. 1. tit. de transgressione voti § 17. Tabiena eodem num. 5. Angelus verbo Religiosus num. 29. Rosella verbo Obedientia num. 10. Antoninus 3. part. tit. 6. cap. 1. §. 9. versu 2. modo. Nauarrus in summ. cap. 23. num. 39. Syluest. verbo Religio 6. q. 6. Rodriq. tom. 3. quæst. regul. q. 19. art. 3. Valentia tom. 3. disp. 10. quæst. 3. puncto 2. fine, & quæst. 4. par. 3. col. 3. versu Neque verò, Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 11. q. 19. Reginaldus in praxi lib. 18. num. 395. Miranda tom. 1. manual. præl. quæst. 26. art. 8. 9. & 10. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. per totum, Lessius lib. 2. de iustit. cap. 41. dub. 9. num. 76. & 77. Toletus in summ. lib. 8. cap. 16. Salas de legibus tract. 14. disp. 8. sect. 18.

Notandum, quòd potest Prælatus quinque modis aliquid suis subditis præcipere. Primo secundum regulam. Secundo suprà Regulam. Tertiò contra regulam. Quartò pręter regulam. Quintò infra regulam. Primo modo præcipit Prælatus secundum regulam, quando aliquid præcipit contentum in regula; In qua aliquid contineri dicitur dupliciter, vt ait D. Thom. quodlib. 10. art. 10. & in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 3. Caiet. 2. 2. quæst. 88. art. 8. dub. vlt. versu ad primum dicitur, Sanchez, & alij quos citat lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 9.

D. Thom. Caietan. Sanchez.

Primò expressè, & directè; & sunt ea, quæ in regulæ statutis continentur, secundo indirectè, & implicitè; & sunt ea, quæ licet in regula non exprimantur explicitè; exprimuntur tamen implicitè tamquam necessaria ad regulam seruandam, vt sunt mutua obsequia, charitatis officia, ordinis negotia, & cætera, quæ pertinent ad pęnæ inflictionem propter regulæ transgressionem; exempla sunt facilia. In regula Minimorum, v.g. explicitè continetur obseruatio silentij; illud omne, quod erit necessarium ad obseruationem silentij, dicetur in illa implicitè contineri.

Secundò modo, potest Prælatus aliquid præcipere subditis, quod sit suprà ipsorum regulas; quia nimirum limites excedit regulæ, vt v. g. ire ad infideles, vbi manifestum est periculum mortis, vel seruitutis: ieiunare longo tempore: abstinere à carnibus ad vnum mensem; quando Regula non præscribit, &c. nisi hæc imponantur in iustam pęnam alicuius criminis: vel putentur necessaria cum aliquo ad seruanda vota, quia tunc non sunt suprà Regulam, sed secundùm illam; licet non explicitè, sed implicitè, vt benè Corduba in regula S. Francisci cap. 10. q. 2. Syluest. Religio 6. q. 6. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 77. versu Illic tamen duo, Antoninus 3. parte tit. 16. cap. 1. §. 9. verbo secundo modo.

Corduba. Syluester. Lessius. Antonin.

Tertiò modo, potest Prælatus aliquid præcipere subditis, quod sit contrà ipsorum regulas, verbi gratia, quòd loquatur tempore silentij: quòd comedat tempore ieiunij.

Quarto modo, potest Prælatus aliqua præcipere subditis, quæ sint præter ipsorum regulas, quæ alio nomine vocant Doctores indifferentia; quæ indifferentia secundum D. Tho. quodlib. 10 art. 10. sunt in duplici differentia, primo dicuntur indifferentia, seù præter regulam, quæ nullo modo pertinent ad regulam, vt leuare festucam, tollere paleas de terra, aspicere aues volantes. Secundò, quæ pertinent ad regulæ cōseruationem; vt quæ pertinent ad obsequium fraternæ societatis, vel punitionem culparum, &c.

D. Thom.

Quinto modo, potest aliquid Prælatus præcipere subdito, quod sit infra ipsius Regulam; idest laxius quam regula præscribat, quod potest etiam contingere dupliciter: aut enim nulla ratione nititur, quod iubetur: aut subest aliqua ratio iubendi, v.g. Præscribit regula vnam horam singulis diebus orationis mentalis, coarctat Prælatus ad horam mediam, dico quod ista coarctatio potest dupliciter contingere: primo quia aliqua subsit ratio puta debilitas subditi, longius iter factum, vel faciendum inusitatior labor: secundo sine ratione, & pro suo libito.

Dico primo, Præcipienti Prælato aliquid secundum regulam siue explicitè, siue implicitè, subditus tenetur simpliciter obedire; est communis omnium Doctorum opinio cum D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. & quodlib. 10. art. 10. corpore, & in 2. distinct. 44 quæst. 2. art. 3. vbi Bonauent. art. 3. quæst. 2. Probatur, quia ad id se adstrinxit per obedientiæ votum.

D. Thom. Bonauent.

Dico secundo, superiori præcipienti aliquid supra regulam subditus non tenetur obedire; nisi forsan imponatur in pœnam alicuius delicti, vel sit necessarium ad seruanda vota. Ità D. Thomas locis proximè citatis, Antoninus 3. parte, tit. 16. §. 9. Rosella verbo obedientia num. 10. Angelus verbo Religiosus num. 29. Syluest. verbo Religio 6. quæst. 6. Tabiena verbo Obedientia quæst. 5. num. 6. Ibi Armilla num. 4. Caietanus 2. 2. quæst 88. art. 8. dub. vlt. versu ad primum Dicitur. Sotus lib 7. de iust. quæst 3. art. 1. dub. 2. versu in secundo ordine, Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 15. Nauarr. com. 4. de regul. num. 21. & alij, quos citaui in principio huius capitis.

D. Thom. Antonin. Rosella. Angelus. Syluester. Tabiena. Armilla. Caietan. Sotus. Sanchez. Nauarr.

Probatur primo, quia subiugatio proprię voluntatis in voluntate superioris est omninò libera, & voluntaria, sub certis tamen limitibus, & finibus, regulæ nimirum professæ, ad quàm profitendam, antequàm profiteretur, nullo iure, vel lege cogi poterat subditus; vt habet D. Thomas quodlib. 3. art. 13. ergo neque cogi potest, postquam est professus ad obseruādum aliquid, quamuis optimum, quod excedat priorem illam, & spontaneam suam obligationem, quia sic exigeretur ab illo plùs quàm soluere promisisset; quod est contrà Iustitiam.

D. Thom.

Secundo probatur, quia superior est custos regulæ, non Dominus, Minister, non auctor. & potestas, quam habet in subditos limitata est, iuxtà terminos, & mensuram regulæ; ergo illi non licet terminos illos excedere, néc tenetur excedenti subditus obedire.

Tertio probatur, ex Bernar. de dispensat. & præcepto, vbi ait *Prælati iussio, vel prohibitio, non*

Bernard.

præter eas

prætereat terminos professionis, nec vltrà extendi potest, nec contrahi citrà. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quàm promisi. Vota mea nec augeat sine voluntate mea, nec minuat sine certa necessitate. Et infrà; monentes eos, non cogentes ad celsiora, condescentes eis, cum necesse fuerit ad remissiora.

Quarto probatur, ex cap. gesta distinct. 74. vbi habetur. *Iustum non est, vt aliquis crescere compellatur inuitus.* Ex quo deducitur, Religiosum iussum a Prælato ieiunare die, qua regula nō obligat, aut aliam corporis afflictionem subire, vltra contentas in regula, si id tactat ad exercitiū virtutis, non teneri obedire; secus si in pœnam alicuius transgressionis, vel in cautelam ad præcauendum recidiuum in aliquod peccatum, vel periculum imminens; vt quia videt illum luxuriosum. Angles in floribus 2. part. quæst. vnic. de voto art. 2. difficult. 15. pag. 75. Vasquez prima 2. quæst. 95. art. 2. disput. 154. cap 4. num. 20. Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 2. num 45.

Angles. Vasquez. Sanchez.

At inquies in Regula Minimorum capit. 5. num. 19. vbi de Obedientia agitur, sic loquitur S. Pater noster Franciscus de Paula, *voluntatem propriam se abnegasse non ignorantes huius ordinis fratres, iniunctis, quæ suæ animæ, & huic sacræ regulæ non aduersantur, suis superioribus humiliter obediant.* Consimilia habēt fratres minores cap. 10. suæ regulæ; vbi dicitur; *Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates,* & subdit Sanctus institutor, *vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ, & regulæ nostræ.* Et in constitut. Soc. Iesu part 3. cap. 1. §. 23. & part 6. cap. 1. initio §. 1. Dicitur esse obediendum in omnibus, in quibus manifestum peccatum nō cernitur. Ex quibus regulis colligitur; quod minimis, minoribus, & Iesuitis, nihil potest præcipi, quod sit supra regulam, quantumuis austerum, & rigidum, modo licitum, & iustum sit, & præceptis regulæ non contrarium: ergo ad ea, quæ suprà regulam esse dixi, possunt a suis Prælatis obligari; quia non erunt suprà regulam, sed secundum illam.

Bonauent.

Propter ista Bonauentura supra regulam fratrum minorum cap. primo super verbo, viuendo in Obedientia, & Bernardinus de Busto in suo Sermonario secunda parte serm. 27. Miranda tom. 1. manual. præl. quæst. 26. art. 18 contendunt, quòd fratres minores ex vi voti obedientiæ teneantur obedire suis Prælatis, strictius, quā alij religiosi; quod idem censet Lessius lib 2. cap. 41. dub 9. num. 77. existimans, ea omnia, quæ dixi, esse suprà regulam, in istis religionibus nimirum Minorum, & Iesuitarum, non esse suprà, sed secundùm regulam; si iusta adsit causa præcipiendi. Qui auctores coguntur idem dicere de religione nostra Minimorum, vt patet per textum Regulæ citatum.

D. Bernar. Miranda. Lessius.

Respondeo tamen primo cum Cordub. in expositione reg. Minorum cap. 10. quæst. 2. par. 2. vt refert Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 18. ea verba intelligi quo ad rigorem Obedientiæ, quando non excedunt regulæ limites; Itaque dico Religiosum Minimum, minorem, & Iesuitam, non teneri obedire suis Prælatis, nisi in ijs, quæ intrà limites suæ regulæ continentur. Primò, quia sequeretur, si verba deberent intelligi, vt sonant; quòd Prælatus Minorum, vel Iesuitarum, posset suis subditis præcipere, vt continuam, & duram abstinentiam obseruarent: vt ad redimendos captiuos pergerent: hæc enim nec sunt contra eorum regulas, nec animæ illorum contrariantur; similiter Prælatus Minimorum, posset suis subditis præcipere, vt irent ad prædicandum infidelibus cum vitæ periculo, vt longas abstinentias, & duras obseruarent; quia hæc nec eorum regulæ, nec animæ contrariantur, quod tamen nemo dicet. Secundo sequeretur; quamlibet istarum trium Religionum comprehendere omnes fines, & media omnium Religionum; quod tamen est impossibile, vt ait Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 15. quia quælibet debet habere determinatum finem: alioquin illa religio esset omnes religiones.

Cordubæ. Sanchez. Sanchez.

Secundo igitur dico, loqui legislatores istarum religionum de obedientia perfectissima, quam diximus nullis terminis coarctari; quod innuit D. Thom. quodlib. 1. art. 15. corpore.

Tertio, cum viderent sancti illi institutores præter illa, quæ expressè continebantur in regulis, multa etiam ad illorum obseruantiam requiri (& sunt illa; quæ diximus ad regulam pertinere implicitè) ad tollendos scrupulos, & insinuandum teneri etiam in his subditos obedire; addiderunt illa verba. Quod teneantur obedire in omnibus, quæ contra animam, & regulam non sunt, sed potius iuuant: immò sunt necessaria ad regulæ obseruationem, & prosunt animæ ad salutem. Fauet Bonauentura in regula fratrum Minorum cap. 5. quatenus habet, *quod illi solum attingunt gradum perfectæ abnegationis, qui in omnibus, etiam in displicentibus subsunt beneplacitis alienis,* in differentia, intellige, quæ ad regulam quoquo modo spectant, vt diximus.

Bonauent.

Quarto addo, per hoc me non intelligere, obedientiam in omnibus religionibus esse æqualem, asserere; sed in aliquibus latiùs patere; quā in alijs, liberè confiteor. (Quod solum putat voluisse Bonauēturam citatum, Sanchez loco cit.) quia plura præcepta reperiuntur in vna Religione, quam in alia.

Dico tertio, subditus non tenetur obedire superiori præcipienti aliquid contrà regulam; nisi forsan; posset Prælatus super illo puncto Regulæ dispensare, est communis sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. & quodlib. 10. art. 10. Syluester verbo Religio 6. quæst. 6. Armilla verbo Obedientia num. 3. Angelus verbo Religiosus num. 29. Antoninus 3. part. tit. 16. cap. 1. § 9. versu 2. Dico, Rosella verbo obedientia, num. 10. Tabiena eodem num. 5. Toletus in summa lib 8. cap. 16. num. 2. Caietanus 2. 2. quæst. 104. art. 5. circa solutionem ad tertium, Nauarrus in summa cap. 23. num. 38. Lessius lib. 2. de iustitia cap. 41. dub. 9. num. 76. versu 4. Valentia tom. 3. disp. 7. quæst. 3. puncto 2. fine, Miranda tom. 1. Manualis præl. quæst. 26. art. 8. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 3. num. 8.

D. Thom. Syluester. Armilla. Angelus. Antonin. Rosella. Tabiena. Toletus. Caietan. Nauarr. Lessius. Valentia. Miranda. Sanchez. D. Bernar.

Probatur ex D. Bernardo de dispensatione, & præcepto Initio. *Si modus est obedientiæ tenor professionis: nec se valeat extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis; profectò, citrà, & vltrà, nec non etiam contrà, quid aliud, quàm obedientiæ limites quosdam constituerim, & his suis terminis virtutem eamdem circumcludit. Quamobrem quisque professus, in quouis genere salu-*

tiferæ

tisera visa, nec vltrà obedientiæ legem cogendus, nec citra est inhibendus, quàm sua ipsius videtur complexa professio, quanto minus contrà? & ratio est, quia Prælatus super regulam nullum habet imperium, nisi quatenus ei ab ipsa conceditur. Si autem potest super illam dispensare, tunc tenetur subditus obedire, si rationabiliter dispensat; quia tunc non contrà regulam, sed secundùm illam præcipit; in dubijs autem, an subsit iusta causa; & an possit dispensare, obedire tenetur, vt dixi, sed de dispensatione latius, §. 5. huius capitis.

Dico quarto, subditus tenetur obedire Prælato præcipienti præter regulam, modò ad illam quoquo modo reducantur; nam si sint ex illis, quæ sunt omnino præter illam, vt aspicere aues volantes, &c. non tenetur obedire, D. Thomas in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 3. corpore, & quodlib. 10. art. 10. Rosella verbo Obedientia num. 10. Angelus verbo Religiosus nu. 29. Armilla verbo Obedientia num. 4. Syluest. verbo Religio 6. quæst. 6. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 9. versu secundo Dico, Tabiena verbo Obedientia num. 5. Corduba in regula fratrum Minorum cap. 10. quæst. 2. in 4. & 5. puncto, Miranda Manuali Præl. tom. 1. quæst. 26. art. 9.

D. Thom. Rosella. Angelus. Armilla. Syluester. Antonin. Tabiena. Corduba. Miranda.

Probatur, quia si possunt reduci ad regulam, ad illam quoquo modo iuuant, & pertinent, & per consequens ea seruare tenetur subditus; si verò ad regulam nullo modo pertineant, etiamsi leuiora sint, quamuis de perfectione Obedientiæ posset obedire, pro quo facit caput admonere 33. quæst. 2. de necessitate tamen non tenetur, quia ad hæc non habuit animum se obligandi: cum sit contrà præsumptionem communem, vt notat Innocentius in cap. Veniens de iureiurando num. 1.

Innocent.


Dico quinto, si Prælatus præcipiat ea, quæ sunt infrà regulam, subditus non tenetur obedire; nisi forte subsit aliqua causa rationabilis taliter præcipiendi; sic enim intelligendi sunt Doctores, Angelus, Rosella, Syluest. loc cit. superiori conclusione, & alij, cum dicunt Religiosum teneri obedire Prælato præcipienti infra regulam. Ità Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 41. dub. 9. num. 76. versu quinto si præcipiat, Nauarrus comm. 4. de regul. num. 24. Miranda tom. 1. Manual. præl. quæst. 26. art. 9.

Lessius. Nauarr. Miranda.

Probatur ex D. Bernardo de dispens. & præcepto, vbi ait, *Prælati iussio, vel prohibitio, non prætereat terminos professionis, nec vltrà extendi potest, nec contrahi citrà.* Quòd autem teneatur obedire si subsit iusta causa, probatur ex Gregorio 35. moral. cap. 10. num. 13 & habetur cap. Quid ergo 11. quæst. 3. vbi dicitur. *Sciendum, quod nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum* (quod scilicet non sit ad salutem necessarium, vt explicat Antoninus 4. part. tit. 5. cap. 11.) *quod agitur intermitti.*

D. Bernar. Gregor. Antonin.

§. Primus. Vtrum Summus Pontifex possit præcipere aliquid Religiosis supra Regulam, quam vouerunt.



Dicendum est, non posse summum Pontificem præcipere Religiosis aliquid, quod sit simpliciter supra ipsorum Regulas; & si præcipiat, non teneri Religiosos iam professos ad illius obseruantiam. Ità Syluest. verbo Religio 6. quæst. 6. fine, Corduba in expositione regulæ Diui Francisci cap. 10. quæst. 2. p. 6. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 41. dub. 9. num. 77. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 22.

Syluester. Corduba. Lessius. Sanchez.

Probatur primo rationibus, quibus probauimus, non posse Prælatum aliquid præcipere suprà regulam.

Secundo, quia debitum speciale, quod habent Religiosi obediendi Pontifici vltra alios Christianos, est solum ratione voti, ergo non potest eos obligare, plusquàm ratione voti se voluerint obligare, nec potest plus ab eis exigere, quã soluere promiserint, sed soluere solummodò promiserunt, quæ in regula cõtinebantur, ergo.

Tertio, quia alioquin posset cogere Religiosos ad profitendum arctiorem religionem: & per consequens cogere ad vouendum; quod tamen est contrà naturam voti.

An autem professi teneantur ad statuta illa arctiora, & supra regulam à Papa ordinata putat Sanchez loc. cit. quòd sic, quia nullum sit illis grauamen, sicut ijs, qui sub his statutis nõ sunt professi. Quod tamen limitandum puto, si professi receperunt illa statuta, sed cum protestatione, quòd ipsi, cum essent suprà regulam professam, nolebant ea obseruare, & sic militat ratio Sanchez: secus autem si nullo modo receperunt, quia de ratione legis est, vt recipiatur, vt habet Nauarrus lib. 1. consil. de constit. consil. 1. q. 5. num. 23. & Valentia tom. 2. disp. 7. quæst. 5. num. 23. & Valentia tom. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 5 versu sequitur quarta Quæstio; & potest addi ex ipsomet Nauarro; quod si professi non obseruant, nec obseruare ceperunt, habent iustam causam ipsi professuri nõ obseruandi, quia cum lex sit in vtilitatem communem, non est verisimile, Legislatorem velle hos ligare ad seruandum; cum alij confratres non obseruant: nisi specialiter se explicaret.

Nauarr. Valentia.

§ Secundus. Vtrum Capitulum Generale cum Prælato possit noua aliqua statuta arctiora, & simpliciter supra regulam imponere.

Dicendum, non posse Generalem cũ toto Capitulo generali noua aliqua statuta arctiora, & quæ simpliciter sint supra regulam imponere. Angelus verbo Religiosus num. 29. Syluest. verbo Religio 6. quæst. 6. Armilla eodem num. 10. Corduba in expositione regulæ Diui Francisci cap. 10. quæst. 2. d. 6. Vasquez prima 2. disp. 154. cap. 4. num. 85. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 18. Miranda manual. præl. tom. 1. quæst. 26. art. 10.

Angelus. Syluester. Armilla. Corduba. Vasquez. Sanchez. Miranda.

Pro-

Probatur primò rationibus, quibus probauimus, non posse prælatum alicui subdito præcipere aliquid suprà regulam, quæ etiam hic militant; nam Pontifex qui concessit auctoritatem capitulo Generali condendi statuta; qui fuit pro nostra Religione minimorum Iulius secundus in Bulla, quæ incipit Dudum, & habetur in nostris priuilegijs pag. 40. non concessit illi facultatem ad nouam austeritatem inducendam, sed solum pro obseruantia regulæ institutæ. *Iulius II.*

Secundo probatur, quia austeritas de nouo imposita tangit omnes de Religione, nō vt vniuersos, sed vt singulos; & per consequens ad hoc vt obliget, debet ab omnibus, & vt singulis de Religione approbari, per regulam iuris 29. de regulis iuris in 6. *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. Facit etiam Abbas in cap. Cùm omnes de constitutionibus; vbi habet, *quod in re communi pluribus, vt singulis, non valet quicquid facit maior pars; sed oportet, quod omnes consentiant, quibus fit præiudicium.* *Abbas.*

§ *Tertius. Vtrum possit Regula iam Collapsa per Prælatum & Generale Capitulum reformari.*

Dicendum est primo. Potest Prælatus cum maiori parte Capituli Generalis, vel Prouincialis regulam iam ferè collapsam, & relaxatam ad pristinum statum restituere; ita vt cæteri iam professi teneantur regulam sic reformatam obseruare. Ità Innocentius in cap. super eo de Regularibus Panorm. ibi num. 6. Rosella verbo Lex num. 5. Syluest. verbo Religio 6. q. 6. Tabiena eodem num. 11. Corduba in expositione Regulæ Diui Francisci cap. 10. q. 8. punct. 6. Vasquez prima 2. disp. 154. cap. 4. num. 25. 26. 27. Azor. tom. 1. Instit. moral. lib. 13. cap. 11. q. 17. Miranda tom. 1. manualis præl. quæst 16. art. 10. conclus. 8 Reginaldus in praxi lib. 18. num. 396. Sanchez lib. 6. In decalog. cap. 2. num. 35. qui alios multos citat. *Innocent. Panormit. Rosella. Syluester. Tabiena. Corduba. Vasquez. Reginald. Sanchez.*

Probatur, quia quando Quis profitetur aliquam regulam, profitetur illam, non vt relaxatam, sed vt institutam à tali institutore; & à tali Pontifice confirmatam, ergo illi omninò per accidens est, quòd relaxata sit; & per consequēs cum reformatur, ad reformationem tenetur.

Secundò, quia Quilibet tenetur procurare conseruationem, & augmentum sui status; ergo & conseruationem, & augmentum obseruantiæ suæ Regulæ.

Dico secundò. Non solùm Prælatus cum Capitulo; sed per se ipse, siuè Generalis, siuè Prouincialis sit (modò potestatem habeat condendi statuta) potest Regulam iam collapsam reformare. Ita Abbas in cap. Super eo de Regularibus num. 6. & Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 35. *Abbas. Sanchez.*

Probatur, quia cum ipsi Incumbat procurare totis viribus, & posse, vt sibi subiectas oues rectè per viam, quam cœperunt, currant ad desideratam metam, ipsi etiam incumbit errantes reuocare, dispersas colligere deuias reducere, & virga directionis dirigere; sanguinem enim earum de ipsius manibus requiret Dominus ergo ipsius etiam partes sunt, collapsam, & relaxatam semitam, seu Regulam reformare, & restaurare, per quam, sine periculo labendi, securè contendant.

Quòd autem Prælati Religionum, Generalis, & Prouincialis habeant auctoritatem condendi statuta, docet Sanchez loco cit. num. 37. & Salas de legibus disp. 8. sect. 12. & In Ordine nostro Minimorum habetur expresse in declaratione quorundam punctorum Regulæ, facta à Cardinali Senogallensi, clausula 7. *Sanchez. Salas.*



Qua ratione possunt intelligi Doctores, dicentes posse Generalem cum Capitulo Generali, vel maiori parte efficere noua statuta: immò etiam posse summum Pontificem, & solum Prælatum, vt nimirum velint, quod possunt nouas austeritates imponere, idest, quæ de nouo in pristinum candorem reducant regulam iam collapsam: vel ad illius pleniorem conducant obseruantiam: quos citat Sanchez loco cit. num. 14. & alibi.

Limitant tamen aliqui hanc sententiam. Primo nisi professus esset ità delicatus, vt non valeret illas austeritates, quas secum tulit reformatio, tolerare; tunc enim posset cum illo dispensari, vt ad laxiorem religionem, seu æqualem illi, quam professus est transiret. Ità Innocentius cap. super eo de regularibus, Nauarrus lib. 3. consil. de regul. consil. 43. num. 2. Sanchez lib. 6. In decalog cap 2. num 38 Quæ dispensatio posset dari à Prælato illius Religiosi delicati, cum legitima causa adsit; vt habet Nauarrus lib. 3 consil. de regul. consil. 58. num. 1. & dicam infrà in capite de transeuntibus; licet si secundum meum consilium deberet iste delicatus sustinere, quantum posset, istam reformationem; & superiores illius compati eius infirmitatibus, nam transitus de vna in aliam Religionem laudabilis non est, vt habet D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. *Innocent. Sanchez. Nauarr. Nauarr. D. Thom.*

Secundo limitant, nisi regulam tempore professionis vouisset, vt tunc obseruabatur in Religione, vt audio profiteri aliquos: vel non habuisset animum se obligandi, nisi ad regulam, prout tunc temporis obseruabatur. Ità Tabiena verbo Religio quæst. 13. Nauarrus lib. 3. consil. de regul. consil. 43. num. 2. Azor tom. 1. Instit. moral. lib. 13. cap. 11. quæst. 17. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 39. *Tabiena. Nauarr. Azor. Sanchez.*

Tertio limitant, nisi à tempore immemorabili regula sic collapsa sit; tunc enim non tenētur professi eam reformationem admittere; cum præsumatur iusta causa talis relaxationis, vnde reformatio est potius quædam noua austeritas. Nauarrus lib. 3. consil. de regul. consil. 43. num. 2. Sanchez lib. 6. In decalog. cap. 2. num. 41. qui addit, non esse necessarium tempus immemorabile, sed sufficere tale, quod sit satis ad leges ecclesiasticas abolendas; nimirùm spatium quadraginta annorum, vt habetur capite finali de consuetudine, vbi Panorm. num. 11. & Nauarrus lib. 1. consil. de consuetudine consil. 8. num. 1. quam limitationem admittit etiam Salas de legibus disp. 8. sect. 12. num. 61. Bonacina in decalog. disp. 1. quæst. 1. p. 3. num. 18. *Nauar. Sanchez. Panormit. Nauar. Salas. Bonacin.*

§. Quartus.

§. *Quartus. Vtrum Professi in aliqua Religione relaxata teneantur obseruare Regulam illius Religionis, pro vt stat in suo primo rigore, etiam antequam per aliquem superiorem reformetur.*

Nauar. Rodriquez Azor. Reginald. Sanchez.

Dico primo contra essentialia Religionis, nulla potest consuetudo introduci. Nauarrus in sum. cap.13. num.50. Rodriq. tom.1. quæst.reg.q.69.art.2, Azor tom. primo instit. moral. lib.13.cap.11.q.15. Reginaldus to praxi lib.18.num.396.Sanchez lib.6.io decalog.cap.3. num.16.

Sanchez, Azor,

Probatur, quia essentialia sunt vota, contra quæ nulla valet consuetudo; vtpote, quæ iure diuino naturali obligant, vt Sanchez, Azor, & alij cum communi.

Ex quo colligitur; quòd quantumuis quis profitendo intendat vota non obseruare; tenetur tamen talem intentionem mutare, & vota obseruare, alioquin est in malo statu; vt aduertunt Nauarr. & Reginaldus citati.

Dico secundo, si aliqua constitutio sit legitima consuetudine abrogata, etiamsi ad mortale obliget, non tenentur ad illam obseruandam in ea Religione professi. Ità Doctores citati in prima conclusione.

Probatur, quia cum illæ constitutiones sint accidentariæ Regulę, & possint adesse, & abesse præter destructionem, in tantùm solum obligat, in quantum habent vim constitutionis, & legis; hanc autem vim amittunt, stante consuetudine sufficienti ad abrogandas leges ecclesiasticas; cum non maiorem vim, quam huiusmodi leges habere dicendæ sint.

Glossa, Panormit,

Quæ autem sit consuetudo legitima, explicat Glossa in capite, Cum tanto de consuetudine, Panorm. & reliqui Canonistæ eo Capite, sed satis confusè, & Panorm. recitatis multorū opinionibus num.5. tandem concludit, hoc esse relinquendum arbitrio boni viri. Dico ergo, quòd meo videri illa est in religionibus consuetudo legitima. Primò, quæ neque peccatum, neque scandalum inducit. Secundò, neque est contra decorem, & honestatem Religiosorum. Tertiò, quæ est tolerata à superioribus spatio 40. annorum absque vlla interruptione, nam si 20. annis fuit tolerata, & deinde ab aliquo superiori non fuit tolerata per aliquod tempus, vnum verbi gratia, vel duos annos, non potest dici legitima vel in aliquo Capitulo fuit statutum contrà illam. Quarto, quòd talis consuetudo obseruetur ab omnibus Religiosis illius Religionis, vel saltem Prouinciæ; nam si aliqui obseruent, & alij non, non potest dici legitima.

Azor, Panormit, Salas,

Dico tertiò, Professus in religione relaxata non tenetur obseruare Regulam in suo primo rigore, sed potest obseruare tuta conscientia illam relaxatam, modò relaxatio sit legitima cōsuetudine inducta, secus autem, si non legitima, & præsertim quando aliqua præcepta Regulæ in primæua Institutione obligabant ad mortale. Ità Doctores citati, & in specie Azor tom.1. instit. moral. lib.13. cap.11. q.16. qui citat. Panorm. In capite super eo, de regul. num.6. Salas de legibus tract.14. disp.8. sect.12. num.62.

Probatur ex capite cum tanto de consuetudine, vbi consuetudo legitima excusat à legis obseruatione.

Videant ergo Religiosi, quid faciant circa obseruantiam præceptorum suæ regulæ; si ad mortale præsertim obligent: & attendant, quid sibi licitum sit per contrariam consuetudinem, & quid non, & vlteriùs perspiciant, ne sibi persuadeant aliquid contrarium suæ regulæ, esse consuetudine approbatum, quod non sit: & per hoc considerent quatuor illas conditiones. In nulla Religione nihil est desuetudine, quod, solam, abrogatum, præter illud de pedum nuditate; super quam tamen habent per regulam superiores potestatem dispensandi, & à quadraginta annis, omnes vnanimiter, considerata humana fragilitate, attenta austeritate vltæ quadragesimalis, discrete dispensarunt.

§. *Quintus. Quid possint, vel non possint Prælati circa dispensationem in præceptis Regulæ.*

Dico primo, Prælatus non potest dispensare super regulam, nisi quantum illi à Regula permittitur, vel priuilegio, vel à iure, Innocentius in cap.2. de eo, qui fur. ord. recepit, & in capite finali de postul. Prælat. sine. Abbas in cap. At si Clerici, §. deadulterijs nu. 13. de iudicijs, & cap. Cōm. 13 de elect. num.4. Angelus verbo Dispensatio num. 7. Syluester eodem quæst.14 num.20.& quæst.4.num 8. D.Thomas prima 2.quæst 97. art.4. ad 3. Rosella verbo dispensatio num vltimo.

Innocent. Abbas.

Angelus. Syluester. D. Thom. Rosella.

Syluester. Angelus.

Probatur, quia dispensatio est iuris relaxatio, vt dicunt Syluest. Angelus, & alij summistæ verbo Dispensatio num.1. at Prælatus non potest Regulam relaxare vltra terminos sibi præfixos, vt dximus.

Addidi, vel priuilegio, quia in tribus casibus etiam à regula non declaratis priuilegio dignitatis (quia scilicet eo ipso, quòd quis dignitatem acquirit, censetur illi commissa auctoritas in ijs dispensandi) possunt Prælati etiam inferiores cum suis subditis dispensare, vt bene Caietan. 1.2. quæst.97. art.4. Sotus lib.1. de iustit. quæst 7.art.3. dubio 1. Rodriquez tom,1. quæst. regul. quæst. 27. art.5. Valentia tom.2. disput.7. quæst.5. p.9. verbo Porrò, vt dispensatio.

Caietan. Sotus. Rodriquez Valentia.

Primo. In rebus leuibus, secundo in frequentibus, tertio in proprijs; Res leues dicuntur, quæ non præcepto propriè dicto ad culpā mortalem obligante, sed simplici statuto posita sunt, qua ratione religionum Prælati, etiam inferiores, vt Correctores, Priores, &c. dispensare possunt in multis statutis suæ regulæ. Frequentia dicuntur, quæ quotidie accidunt, nam frequentia casuum dat superiori auctoritatem dispensandi; qualia sunt multa præcepta, ad mortale etiam obligantia, quæ in aliquibus Religionibus reperiuntur, nam in his graue nimis esset, si oporteret in omnibus particularibus casibus ad superiorem recurrere. Propria dicuntur, quæ sunt propria alicuius conuentus particularis, verbi gratia, si esset positum aliquod statutum à Prælato in aliquo particulari conuentu, posset

Correctori illius, prò meliori bono assequendo, vel malo aliquo vitando, super illo dispensare, vt D.Thom. prima 2.q 97. art 4.

D. Thom.

Dico secundo, ad dispensandum requiruntur duo; Auctoritas nimirum, & causa iusta; Ita D.Thomas 2.2.q.88. art.12. ad secundum Caiet. & reliqui expositores ibi, Syluester verbo Dispensatio q. 1. num. 4. Angelus eodem num.1. Armilla num.13. Tabiena num.10. Turrecremata in expositione Regulæ Sancti Benedicti tract. 139. dub.5. Lopez prima parte Instructorij cap. 4. in principio, Nauarrus in summa præludio 9. num.15. Valentia tom.2. disput.7. q.5.p.9. verbo Porrò Dispensatio, Sotus lib.1. de Iust. quæst.7. art.3. conclus.1.& 2. Salas de legibus disput.20. sect.4. Vasquez prima 2. disput. 177. cap.3. Miranda tom. 2. Manualis q.30. art.4. & alij communiter.

D. Thom. Caietan. Syluester. Angelus. Armilla. Tabiena. Turrecremata. Lopez. Nauarr. Valentia. Sotus. Salas. Vasquez. Miranda.

Probatur primo; Quia deficiente auctoritate, infectum redditur quicquid fuerit actum; vt patet, & constat ex Regula; Ea quæ fiunt à iudice, Regula 26. de regulis iuris in 6.

Secundo. Quia cum lex humana non potuerit prouidere omnibus casibus; sed tantum ijs, qui vt plurimum accidunt, reliquit potestatem rectoribus particularibus iudicandi in casibus occurrentibus; quòd fit per dispensationem; quia alioquin non fuisset sufficienter prouisum à legislatoribus bono communi. Ita D. Thom. prima 2.q.97. art.4. corpore.

D. Thom.

Tertio, quòd requiratur iusta causa, Probatur, quia cò potestas spiritualis Prælati, qui non est Dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, non in destructionem, vt patet ex 2. Corinth.10. Non potest ea vti Prælatus ad libitum; sed debet prudenter, & rationabiliter cum causa saltem apparenti, Ità D.Thom. 2. 2. q.88. art. 12 ad secundum.

Corinth. D. Thom.

Quarto. Idem probatur ex illo Lucæ 12. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, si autem absque ratione, pro sola voluntate dispenset, nō erit fidelis dispensator, & prudens, sed infidelis, & imprudens; hoc quidem, si rationem dispensandi ignorat; Illud verò, si intentionem non habeat ad bonum commune.

Luc. 12.

Quinto. Ex Bernardo de dispensat. & præcepto; qui ait *Patet ergo, quòd magna ex parte regularis traditio subest ei, qui præest, & si non voluntati, certæ discretioni.*

D. Bernard.

Sexto, specialiter ex Regula nostra Minimorum, in qua quando committitur alicui superiori dispensatio in aliquo casu, non simpliciter committitur, sed cum addito, discretè, vel rationabiliter; vt patet num. 6. & 31.

Ex quibus Colligitur primo, quod si in dispensationibus desit auctoritas, non valet dispensatio, vt patet ex ipsis terminis. Si autem desit causa iusta, vel princeps est supremus superiorem non agnoscens, & valet dispensatio; quia illius est destruere, cuius est condere, & princeps non est subiectus legibus; peccat tamen vterque tàm dispensans, quàm dispensatus; nam turpis est pars, quæ non est conformis toti, siue sit Caput, vt Princeps, siuè aliud membrum, vt quisquis subditus, & hoc intellige, siuè Princeps dispenset in lege propria, siuè in illa sui antecessoris; quia eadem est ratio, habet enim in eas eandem potestatem, vt Sanchez ait 8. de matrim, disp.17.q.3.num.28. Nauarrus prælud.9. num.5. Suarez tom.4. in tertiam partem, disput.36. sect.2. num.11. Salas de legibus disp. 20. sect. 4. num. 41. hinc. Vel princeps non est supremus, sed inferior superiorem agnoscens; & tunc si dispensat in lege superioris sine iusta causa, dispensatio non valet; quia excedit limites potestatis sibi commissæ: quæ non est illi data in destructionem, sed in ædificationem. Ità Caiet. prima 2. q.96. art. 5. Nauarrus prælud.9. num. 14. & 15. Valentia tom.2. disp. 7 quæst 5 p.9. versu, Quòd si alterutra, Syluester verbo Dispensatio q. 2. num 4. & 5. Miranda tom 1. Manualis q. 30. art.4. conclus. 4. Videatur Salas de legibus disp.20. sect 4. num.31. & sequentib.

Sanchez. Nauarr. Suarez. Salas. Caietan. Nauarr. Valentia. Syluester. Miranda. Salas.

Colligitur secundo, quòd si quis Generalis, vel Prouincialis dispenset cum aliquo subdito in lege ab ipsis, seù à prædecessoribus lata, verbi gratia in aliquo statuto, cui est annexum præceptum Obedientiæ, vel excommunicationis sine causa, valebit quidem dispensatio, quo ad non incurrendam illam excommunicationem, vel pœnam inobedientiæ; vt ait Sanchez lib.8. de matrim. disp.17. q.3. num. 27. quamplures alios citans. Salas de legibus disp.20. sect.4. num.48. At tam dispēsans, quàm illa vtens peccabit venialiter, vt Nauarrus loco citato; & Salas de legibus disp.20. sect 5. num.55. & sect.6. num.58. Valentia tom.2. disp.7.q.5 p.9. versu ac propter. Si autem Prouincialis dispenset in statuto Generalis, vel Corrector in statuto Prouincialis sine causa legitima, nihil proficiet dispensato illa dispensatio, quo ad pœnam, & culpam incurrendam, quia illam omninò incurret, vt Nauarrus, Caietan. Salas locis citatis, & præterea Vasquez prima 2 disp.178 cap 3. num.17. Si autem Prælatus bona fide dispensaret, putans causam esse legitimam, credo, quòd dispensatio valeret, saltem illa bona fide durante, quod etiam tenet Azor tom.1. instit. moralium lib.7 cap 29. q.6 verbi gratia, Dispensat Prælatus cum subdito super ieiunium die, quo subditus sub mortali ieiunare tenetur; putat Prælatus habere se iustam dispensandi causam, pariterque subditus; dico quod iste non ieiunans non peccat, neque Prælatus dispensans; si autem antequàm comedisset, vel ieiunium fregisset, sciens esset in mala fide: nimirum causam non fuisse legitimam cognouisset, tunc si Prælatus factus est malæ fidei, debet dispensationem reuocare, & subditum de causa non legitima admonere, si subditus, debet omninò ieiunium seruare: Lopez prima parte instruct. cap.4. verbo Præterea secundo Nauarrus prælud.9. num.13.

Sanchez. Salas. Salas. Valentia. Nauarr. Caietanus. Salas. Vasquez. Azor. Lopez. Nauarr.

Dico tertio, superiores, qui possunt dispensare in statutis Regulæ sunt non solùm Generalis, & Prouincialis, sed Correctores, & etiam Vicarius ordinarius alicuius conuentus, qui Correctoriatus non sit; in absentia tamen Generalis, & Prouincialis. Ità D.Thom. prima 2. quæst.97. art.4 Quatenus habet, quòd Rectores multitudinis possunt in legibus dispensare, & in 4. distinct.15. q.3. art.2. quæstiuncula 4. ad tertium. Quatenus habet, quòd potest quis ieiunium soluere per dispensationem proprij sacerdotis. Caiet.2.2.q.147 art.4. ad primum dubium, qui id colligit ex mente D.Thomæ, eodem articulo ad tertium. In terminis Sotus lib. 1. de iustitia quæst. 7. art. 3. dub. primo, Rodriquez tom. 1. quæst.

D. Thom. Caietanus. D. Thom. Sotus. Rodriquez.

quæst. regul. q.46. art.9. & tom.1. q.27. art.5. Nauarrus in summa cap.21. num 52.

Probatur primo, quia Correctores, & Vicarij rectores sunt multitudinis; ergo pro ipsis militat etiam ratio, quam adduximus ex D. Thom. conclusione antecedenti, probatione 2.

Secundo, Specialiter ex nostra Regula Minimorum; vbi quando datur facultas dispensandi super aliquo puncto, non datur Prælatis, sed superioribus, vt patet num.6. & num 31. ad insinuandum, illam potestatem dari, nō solum Generalibus, & Prouincialibus, qui solummodò apud nos sunt, & vocantur Prælati: sed etiam Correctoribus, & Vicarijs, qui superiores sunt; quando namque loquitur de Generali, & Prouinciali, eos Prælatos vocat, vt patet ex Correctorio num.11.

Dico quarto, Causæ iustæ quarum vna, vel pluribus concurrentibus, potest Prælatus dispēsare, sunt septem, quas ponit Syluest. verbo dispensatio quęst.1. num 3. Angelus num 2. Armilla num. 14. Miranda tom. 2. Manualis quæst.30. art.5 Rosella num. 4. Salas de legibus, disp.20. sect.8. Pisanella verbo Dispēsatio in principio.

Syluester. Angelus. Armilla. Miranda. Rosella. Salas. Pisanella.

Prima est tempus, quando nimium ratio tēporum postulat, vt rigor iuris, vel Regulæ temperetur.

Secunda est vtilitas; sic prudenter potest dispensare cum aliquo, qui inciderit in aliquod delictum, propter quod subire debet aliquam pęnam; cum ex illius absolutione maior vtilitas publica, vel etiam priuata speratur, quàm ex eiusdem punitione.

Tertia. Qualitas personæ, & meriti, & scientiæ; sic potest dispensari cum aliquo patre de Religione bene merito super aliquo rigore regulæ. Idem potest dici de litterato, cum quo potest dispensari; vt studiorum causa officio Chori non sit, vt alij non sic impediti, ita frequens, vt cōcessit posse fieri felicis recordationis Clemens Octauus in decretis missis ad Capitulum Generale ordinis Minimorum, quod fuit celebratum in Conuentu Ianuensi anno 1596.

Clemens VIII.

Quarta. Necessitas, sic præcipit Regula Minimorum num.38. vt corpore non sani supportentur in cunctis oneribus Ordinis, vt enim dicitur Capite dispensationes prima q.7. *Sicut ij, qui mare nauigant, tempestate vrgenti, nauique periclitante anxiati, quædam exonerant, vt cætera salua permaneant*; ita periclitante salute alicuius, debet per superiorem exonerari aliquibus grauaminibus, vt lenior factus in Dei seruitio diutius perseueret.

Quinta. Pietas sic dispensatur cum infirmo, qui propter delictum grauem aliquam subire debebat pęnam, vt leuiorem subeat; sic etiam necessitas, & pietas suaderent superiori, vt dispensaret in ordine Minimorum cum aliquo, qui casu fortuito in infirmitatem incidit in dormitorio, & in sua cella, ex qua non potest amoueri, & deduci ad Infirmariam sine periculo salutis, vt posset ibi carnes, & alia ad salutem corporis recuperandam comedere: licet Regula expressè prohibeat in Correctorio num.53. quod mihi probat Glossa in Clem. 2. verbo regularem de censibus, quatenus probat, quod sicut tempore prohibito ex causa necessitatis licitum est comedere carnes, vt in cap.2. de obseruat. Ieiunij, ita etiam licet eodem tēpore in loco prohibito.

Sexta, Euentus rei, quod dupliciter intelligo, Primo sic, quod euentu, seu experientia compertum est no esse vtile, tribuit legitimam causam Prælato super illo dispensandi; sic in ordine Minimorum dispensatum est super Trinitate sceiolorum, & vigilum. Secundo post factum, facilius obtinetur dispensatio, vt dicitur capite Quicunque d.50. & Glossa verbo inuenitur; & euentus rei, idest factum secundum tribuli Iudici (qui potiùs misericordiam, quam rigorem sequi debet, vt dicit bona Glossa in Cap. exigunt prima q 7. verbo causæ, & habetur cap. ex tuarum de sortilegijs) legitimam causam dispensandi, vt habetur cap. exigunt prima quæst.7.

Glossa. Glossa.

Vltima causa est scandalum multitudinis, sic prudenter parcit Prælatus communitati, quæ peccauit, ne scandalum oriatur in Ciuitate, si omnes castigentur, & puniantur, vel si timet rebellionem ex communitatis castigatione, vel scysma. Multæ aliæ possunt esse causæ legitimæ dispensandi, nec potest dari de singulis certa regula; sed relinquendū arbitrio prudentis Prælati, facti conditiones considerantis. Generalis autem Regula potest dari, nimirùm necessitas, & vtilitas publica, vel priuata, vt dicitur cap. Et si illa prima q.7. cum Glossa, ibi verbo, vel rerum, & habet Salas loco cit. & quoad publicam, Rodriquez tom.1. quæst. regul. q.28. art.5. Et Sotus lib.1. de iust. q.7. art.3.

Glossa. Salas. Rodriquez Sotus.

Dico quinto, quando adest iusta, & rationabilis causa, debet Prælatus dispensare, alioquin peccat. Panormit. in cap. pastoralis de appellat. num. 17. Pisanella verbo dispensatio §. dispensationum, Syluest. verbo dispensatio q.1. num.3. fine, Armilla num.14. Rosella num.4. Antoninus prima parte tit.17. cap vn. § 20. Turrecremata in Regula Sancti Benedicti tract.148. dub.5. Sà in Aphorismis verbo dispensatio num.2. Miranda tom 2. manualis prælat. q.30. art.6. conclus.2. habet solemnis Glossa, & communiter recepta in cap. Vt constitueremur d.50. verbo Detrahēdum, quia ait, quilibet tenetur esse misericors, & notatur in cap. Domino sancto d.50. §.1. vbi Glossa verbo necesse.

Syluester. Armilla. Rosella. Antonin. Turrecremata. Sà. Miranda. Glossa.

Probatur, quia potestas dispensandi in Prælatis est in bonum subditorum, quibus Prælatus prospicere tenetur. Aduertere tamen debent Prælati, ne sint nimis faciles in dispensando super præceptis regulæ, & super statutis; quia ex facilitate Prælatorum, facillime Religionum ruinæ, & relaxationes oriuntur: & considerent, quòd leges sunt datæ in bonum publicum, & sic in illius præiudicium non dispensent. Audiatur quid dicat circa hoc Rodriq. tom. 2. quęst. regul. q.46. art.4. *licet aliquis casus particularis, postulet dispensationem adeò, vt videatur irrationabile in eo non dispensare, oportet in eo dispensationem minimè concedere propter bonum commune, quod præferendum est: ne relaxationi cancellus aliquis aperiatur, quo aperto, Religionis obseruantia in dies patitur detrimentum.*

Rodriquez

Cognoscant causam illis à subditis propositam, eamque examinent diligenter, an vera sit, ad id enim tenentur, vt notat Syluest. verbo dispensatio q.2. num.4. Angelus num. 2. Rosella num.6. Azor tom.1. Instit. moral. lib.5. cap.15. q.9. Salas de legibus disp. 20. sect. 9. qui de hac quæstione diffuse. Alioquin potius esset dissipatio, quàm dispensatio. Vnde minus sapiunt Prælati,

Syluester. Angelus. Rosella. Azor. Salas.

Caietan.

lati, vt verbis Caietani vtar. 2.2.q.147.art.4. ad primum dubium, qui petentibus subditis in causa dubia dispensationem cœnandi in ieiunijs Ecclesiæ, aut aliter ieiunium soluendi, præueniendo horam ieiunij, remittunt eos in conscientia sua. Notat etiam Rodriq. tom.1.quæst. regul. q.26. art.5. & Grassius parte prima decis. lib.2. num.57. debent enim, & cognita de ieiunandi impotentia compati subditorum infirmitatibus, & benignè dispensando, à scrupulis liberare, vel ieiunium in septem psalmos, vel alia opera commutare.

Rodriquez. Grassius.

Sed inquies, quid faciet subditus, qui habet iustam, & necessariam causam dispensationis; non adest tamen, Prælatus, qui dispenset.

Rodriquez.

Mouet hoc dubium Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 26. art.5. & respondet, quòd tunc potest subditus recurrere ad Epicheyam. Quæ non eximit subditum per licentiam casu, quo teneretur, sed explicat, quòd illo casu non tenetur. Quare Epicheya, non solùm Prælatis, verũ etiam subditis competit; in quo differt à dispẽsatione, quæ solum competit Prælatis; vnde subditi in necessitate aliqua positi possunt vti Epicheya, sua propria auctoritate, existimantes, & sentientes in tali casu, rigorem legis cum ipsis esse mitigandum. Sed videant, ne sibi iniquitas mentiatur, fingentes necessitatem in præceptis. Hæc Rodriquez, quod etiam sentit Antoninus prima parte tit.17. capitulo vnico, §.20.

Antonin.

Quid sit Epicheya, & quomodo ea vtendum docent, idem Rodriq. tom.1. quæst.regul. q.46. art.3. Sotus lib.1. de iustitia q.7.art.3. Salas de legibus disp.5. sect.10. & disput.21. sect.10. Miranda tom.2. manualis prælat. q. 29. art.12.

Rodriquez. Scotus. Salas. Miranda.

Sed quid, si adsit quidẽ Prælatus, sed ex odio, & malignitate nolit dispensare? Respondeo si adsit ibi manifesta necessitas, vel vtilitas, & Prælatus iniustè deneget, cum tamen teneatur dispensare, videtur in isto casu ipso iure cum illo dispensari. Dispensatio enim iure petita, & iniustè negata, videtur ipso iure concessa per ea, quæ habet Henriquez lib. 6. de pœnitentia cap. 13. num. 4. facit caput placuit de pœnitentia d.6. citat Henriquez in comment. litera F. multos Doctores, præsertim Magistrum in 4. d. 21. vbi D.Thomas in expositione literę. & alij, qui apud ipsum possunt videri.

Henriqu. D. Thom.

Dico sextò, Prælatus Religionis potest secum ipse dispensare, quę potest dispensare cum alijs, quo ad dispensationem in præceptis Regulæ. Ita Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q.26. art.6. D.Thomas 2.2.quæst.185. art.8. in fine corporis, Salas de legibus disp.20. sect.12. num. 105. Miranda tom. 2. manualis præl. quæst. 31. art. 5. Corduba in priuilegijs mendicantium verbo accedere ad Monasteria Monialium, §. quo ad illa duo, Sanch. 8. de matrim. disp.3. num.1.2.3. Caiet. 1.2.q.96.art.5. ad hoc dubiũ præmittenda, Ludouicus Beia 4. par. respons. Casu 5. in princ. Naldus in summ. verbo Dispensatio num.13.

Rodriquez. D. Thom. Salas. Miranda. Corduba. Sanchez. Caietanus. Ludou. Beia. Naldus.

Probatur, quia aliter deterioris esset conditionis, quàm subditi, qui semper præ manibus habent suum Prælatum; hic autem non semper alium superiorem Prælatum præsentem habeat; & facit caput finale de pœnitentijs, & remissionibus; quòd licet loquatur de confess. potest etiam intelligi de dispensationibus; vt dicunt Rodriquez, & Sanchez locis citatis.

Rodriq. Sanchez.

Dixi super præceptis Regulæ; nam si idem possit in votis, in irregularitatibus, præceptis ecclesiæ, &c. de qua quæstione tractat diffusè Sanchez loc. cit. num. 4. dicam tom. 2. cum de Prælatis dispensantibus in votis subditorum agã. Hic solum dico Prælatum, sive Correctorẽ Minimorum posse sibi eligere confessarium, qui eum absoluat ab omnibus casibus reseruatis, & cum illo dispenset in omnibus, in quibus potest ipsemet Prælatus dispensare cum alijs, vt habetur in Correctorio num. 84. ex quo probatur Prælatum Minimorum non posse per se ipsum secum dispensare, sed debere id committere suo confessario.

Sanchez.

Dico septimo, si Prælatus præcipiat aliquid contra regulam, in quo tamen potest dispensare, idque faciat sine causæ discussione, sed solùm pro suo libito, non tenetur ei subditus obedire, sed debet sequi statutum suæ Religionis. Si autem id faciat cum causa aliqua legitima, tunc tenetur ei subditus obedire. Ità Caiet. 2.2. quæst. 104. art.5. in responsione ad tertium, Rodriquez tom.2. quæstionum regul. q.46. art.10. Miranda tom.2. manuali quæst.31. art.8. Valentia tom.3. disput.7.q.3.p.2. ad finem. Nauarrus in manual. cap.23. num.39. Sanchez lib.6. in decalog. cap.3. num.8. qui multos alios citat.

Caietan. Rodriquez. Miranda. Valentia. Nauarr. Sanchez.

Prima pars probatur, quia dispensatio sine causa potiùs dissipatio est, quàm dispensatio, vt dicit D.Bernard. de dispensatione, & præcepto.

Bernardus

Secunda pars probatur; quia cum subest legitima causa, tollitur ab illo præcepto deformitas, & fit licitum. Vnde aiebat Bernard. loc. cit. *votum meum non minuat Prælatus sine necessitate;* Innuens cum ea posse.

Dico octauò, si subditus dubitat, an Prælatus possit dispensare, vel an habeat iustam causam dispensandi, tenetur obedire. Rosella verbo Obed. num.19. Angelus verbo Religiosus num. 29. Syluest. verbo Religio 6. q.6. & verbo dispensatio q.14. num.2. Tabiena verbo Obed. quæst.11. Sanchez lib.6. in decalog. cap.3. num.8. D.Tho. 2.2. quæst.88. art.12. ad secundum fine. Probatur, quia in dubijs subditus obedire tenetur.

Rosella. Angelus. Syluester. Tabiena. Sanchez. D. Thom.

Ad hoc autem, vt dispensanti Prælato nõ teneatur subditus obedire, requiritur, quòd triplex sit in isto certitudo, vt docent Rosella, Angel. Syluest. Sanch. cit. Prima qua sit certus rem præceptam esse contrà regulam, vel altioris superioris præceptum. Secunda superiorem non posse in illo, quod præcipit, dispensare. Tertia, quòd si potest, non ducatur tamen ex iusta causa, vna autem harum conditionum deficiente, res remanet dubia, & sic subditus tenetur obedire; vt bene aduertit Sanch. loc. cit.

Rosella. Angelus. Syluester. Sanchez.

Dico nonò, Prælatus nõ potest dispensare in votis essentialibus Religionis, Sylu. verbo Dispensatio q.14. num.20. casu nono, Angel. ibid. num. 8. Turrecremata in Regula B. Benedicti tract.148. dub.3. Rodriquez tom.1. quæst. regul. q.26. art.1. Miranda manual. præl. q.9. art.6.

Syluester. Angelus. Turrecremata. Rodriquez. Miranda.

Probatur primo, ex cap. Cum ad Monasteriũ de statu Monachorum, vbi dicitur, *quòd super essentialibus Religionis nullam habet Abbas dispensandi auctoritatem.*

Secundo, ex Concilio Trid. sess.25. de regul. cap.1. vbi dicitur in fine, *cum compertum sit, ab eis* (prælatis) *non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.*

Concilio Trid.

C At

At inquies Prælati Minimorum dispensant super voto vitæ quadragesimalis; quod tu promittis probaturum essentiale.

Respondeo negando, quod Prælati Minimorum dispensent super voto vitæ quadragesimalis; nam quandocunque lex est limitata in aliquo casu, eo succedente, omnino ex se ipsa cessat, cum limitationibus in ea positis; vt est in Religione nostra, in qua, vouetur vita quadragesimalis limitatè; ita vt in tempore infirmitatis approbatæ à medico, præcipiatur Prælato, vt tali infirmo, de cibis paschalibus ad sanitatem recuperandam aptis subueniat, ex quo appaeret, quod, cum Prælatus nihil relaxet, neque etiam materialiter circa Regulam, non potest dici, quòd dispenset. Quandò autem dicitur, quòd comedens carnes, est super illis dispensatus, intelligitur dispensatus nò à Prælato, sed ab ipso legislatore, qui noluit suam legem illo casu obligare, seu dicitur impropriè dispensatus, idest licentiatus a Medico, vt possit iuxtà Regulæ præscriptum carnes comedere. Facit pro hac doctrina Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 1. & Salas de legibus disp. 20. sect. 12. num. 105. Facit etiam Glossa in regula Indultum 17. de regulis iuris in 6. versu Indultum fine; quæ dicit *ea quæ fiunt, permittente lege, per hominem fieri non videntur.*

Sanchez. Salas. Glossa.

Dico decimò, super reliquis præceptis regulæ, vt regulæ pura præcepta sunt; vt pecunias nõ tangere, ieiunare certis diebus, &c. etiamsi ad mortale obligent, potest Prælatus in aliquo particulari casu, siue cum aliqua persona particulari discretè dispensare; modo non sit ei dispensandi interdicta facultas. Est omnium circatorum conclusione antecedenti.

Probatur, quia à iure illis conceditur, posse in aliquibus super regulam dispensare; vt habet Glossa cap. Monachum 20. quæst. 4. & cap. Carnem de consec. dist. 5. & cap. cum ad monast. §. in refect. de statu monach.

Glossa.

Secundò, rationibus, & auctoritatibus, quibus probauimus antecedentem, quæ hanc manifestè probant; nam si vetantur Prælatis, vt in essentialibus possint dispensare; conceditur manifestè in nõ essentialibus dispensatio; nam exceptio firmat Regulam in contrarium, vt docet optime Couarr. secund. variar. resol. cap. 5. nu. 6. & Rodriq. tom. 1. quæst. regul. q. 16. art. 1.

Couarr. Rodriquez.

Tertiò, ex Diuo Bernard. de dispens. & præcepto; vbi ait, *quandiu charitati militant statuta regula, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidem præpositis sine offensa possunt. At si è contrario contraria forte aliquando charitati visa fuerint; his dumtaxat quibus hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est, non ne iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur?*

D. Bernar.

Quartò, ratione probatur, quia cum sint, vt dicitur, plures casus, quàm leges, necessario debuit legum tutoribus, qui sunt Prælati, concedi, vt casibus occurrentibus, possent legem, & Regulam relaxare, secundùm quod eis conscientia, & prudentia dictaret.

At inquies hæc conclusio pugnat cum prima, in qua dicitur, quod non potest Prælatus dispẽsare, nisi in ijs, in quibus à Regula habet potestatem, hæc autem ait, quod in omnibus, quę essentialia non sunt. Respondeo ideò ibi dictum esse à Regula, vel iure, propter conclusionem hanc, in qua probamus, quòd à iure habent hanc Prælati dispensandi auctoritatem.

Si vrgeas, Ad quid ergo datur potestas superioribus in aliquibus punctis regulæ dispensandi, si possunt in omnibus indistinctè? Respondeo primo, vt in specificatis sint faciliores, duriores in non specificatis. Secundo, vt de similibus, idem ferant iudicium.

Quòd Prælati non possint dispensare in communi super aliquo puncto regulæ, patet, quia relaxare regulam in vniuersali, pertinet vel ad Institutorem illius, vel ad Approbatorem, qui est Summus Pontifex; vt Syluest. verbo Casus, quæst. 1. casu 4. Miranda tom. 2. manualis quæst. 9. art. 6. conclus. 2. Prælatus autem cum non sit suprà regulam, hoc non potest. Addidi, nisi sit prohibita dispensatio; quia si prohibetur, iam cessat dispensandi auctoritas.

Syluester. Miranda.

Hæc pauca dicta sint de dispensatione circa regulam. De dispensatione super irregularitatibus, vel votis, vel pœnis, tomo secundo, cum de potestate prælatorum.

§. Sextus, *Vtrum Prælatus possit libertates, & immunitates in Regula concessas subditis coarctare.*

Corduba. Sanchez.



Ouet hoc dubium Corduba in regula Diui Francisci cap. 10. quæst. 2. puncto 6. à quo Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 3. num. 9. qui sic bene respondent distinguendo: si illę concedantur in regula religiosis, & non interdicatur Prælatis potestas coarctandi in parte, vel in toto, in casu occurrenti ex iusta causa; tunc poterit coarctare, & tenebitur subditus obedire; quia licet non possint Prælati in vniuersum, eas immunitates immutare; possunt tamen ex iusta causa in aliquo particulari casu id facere, vt suprà diximus de ijs, qua ad peccatũ non obligant, quòd iusta interueniente causa, possunt à Prælatis sub peccato præcipi. Et eo ipso, quod Regula non prohibet coarctationem Prælatis, videtur tacito consensu in aliquo particulari casu concedere. Si verò ita concedantur ex immunitates subditis, vt denegetur omninò Prælatis facultas coarctandi, non erit eis integrum coarctare, nec coarctantibus tenebuntur subditi parere; quia hoc præceptum excedit limites regulæ. Idem etiam dicendum est, quando Prælatus inferior, vellet limitare, & coarctare licentiam, & immunitatem à Prælato superiori alicui concessam, facit ad hæc regula indultum 17. de regulis iuris in 6. in qua dicitur *indultum à iure beneficium, non est alicui auferendum*, quam intellige sine causa.

CAP.

CAP. IX.

Vtrum Subditus possit Conuentum exire, extraque illum degere absq. Superioris licentia, ad subueniendum parentibus inopia laborantibus.

D. Thom. Caietan. Tostatus. Rodriquez. Lopez. Rosella. Syluester. Angelus. Tabiena. Pisanella. Nauarr. Valentia. Graffius. Miranda. Sanchez. Petrus Ledesma. Sayrus. Lessius. Reginald. Azor. Antonin. Toletus. Angles. Medina. Armilla. Passarell. Corduba.



Ideatur pro hoc capite D. Thomas quodlib. 3. art. 16. quodlib. 10. art. 9. & 2. 2. quæst. 101. art. 4. ad quartum, & quæst. 189. art. 6. Caietan. d. q. 101. Tostatus tom. 3. in Matthæum cap. 8. quæst. 69. Rodriquez tom. 2. quæst. regul. quæst. 57. art. 3. 4. & tom. 1. sum. cap. 6. conclus. 4. Lopez prim. part. instruct. cap. 54. colum. 2. verbo Peccatque filius, & sequenti, Rosella verbo Religio 2. num. 7. Syluest. Religio 6. q. 9. Angelus verbo Religiosus num. 31. Tabiena verbo Pietas num. 1. Pisanella verbo Religio primo §. vtrum occasione, Nauarrus tom. 3. de regul. num. 48. & in sum. cap 14. num. 14. Valentia tom. 3. disp. 7. quæst. 1 punct. 2. verbo sexto potest esse quæstio, Graffius par. 2. decis. lib. 3. cap. 24. num. 18. Miranda tom. 1. in manual præl. quæst. 16. art. 11. Sanchez tom. 1. in decalog. lib. 4. cap. 20. 2. num. 14. Petrus Ledesma de statu Religiosorum in communi cap. 4. conclus. 8. dub. 6. pag. mihi 146. Sayrus in Claui regia lib. 7. cap. 6. a num. 13. Lessius lib. 2. de iustitia cap. 41. dub. 3. num. 34. Reginaldus lib. 10. praxis a num. 11. Azor 1. parte instit. moralium lib. 2. cap. 3. quæst. 5. Antoninus 3. parte tit. 16. cap. 2. §. primo, Toletus lib. 5. summæ cap. 1. num. 5. Angles in floribus parte 2. quæst. vnica de voto, art. 2. difficult. 13. pagina mihi 92. Bartholomæus Medina in summ. lib. 1. cap. 14. §. 14. Armilla verbo Pietas num. vnico, Passarellus in notandis priuilegiorum Minimorum cap. 42. Corduba in regula Diui Francisci cap. 2. q. 6. & in summ. q. 141.

D. Thom. Caietan. Angelus. Syluester. Tabiena. Armilla. Passarell. Toletus. Azor. Angles. Valent. Sanchez.

Dico primo. Non licet filijs, absque reatu culpę mortalis relinquere parentes in extrema, vel graui necessitate, & ingredi Religionem. Est expressa sententia D. Thomæ quodlib. 3. art. 16. & quodlib. 10. art. 9. & quæst. 101. art. 4. ad quartum, vbi Caietanus ad finem, Angelus verbo Religiosus num. 11. Syluest. verbo Religio 2. quæst. 7. Tabiena verbo Pietas ad finem, vbi Armilla, Passarellus in notandis priuileg. Minimor. cap. 41. Toletus lib. 5. sum. cap. 1. num. 5. Azor lib 12. Instit. moral. Angles, Valentia locis cit. & alij communiter, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 20. num. 3. Per extremam autem necessitatem intelligo eã, qua pater fame periret sine filij auxilio, vt si esset v.g. in carcere, vel infirmus, &c. per grauem autem intelligo eam, qua fame quidem nõ periret sine auxilio filij, sed cogeretur, vel mendicare, vel viliora alia exercitia facere, contra primordia suæ natiuitatis, & familiæ proprię dedecus.

Exodi 20. Deuth. 5. Cornelius. Antonin. Ambros.

Probatur nam ingredi Religionem cõsilium est; succurrere parentibus, ità indigentibus, pręceptum diuinum, & naturale est; Honora parentes. Qui honor consistit in tribus; vt omnes cõmuniter dicunt, exponentes locum Exodi 20. num. 12. & Deuth. 5. nu. 16. præsertim Cornelius à lapide hoc Deuth. loco, & Antonin. 4. par. tit. 5. cap. 9. §. 1. Et Ambrosius in Lucam lib. 8. cap. 17. & Hieronymus in Matthæum lib. 2. cap. 15. Primo exhibendo illis reuerentiam. Secundo obedientia præstando. Tertio in necessitatibus succurrendo; at relinquere præcepta propter consilia, nefas est, vt dicitur Matthæi 15. & habetur capite si qui filij distin. 30. quod intellige, etiãsi quis vouisset Religionem ingredi, vt benè Sanchez, Angelus, Syluest, Tabiena locis cit. siue vouisset antè eam indigentiam, siue post, vt idem Sanchez cum alijs, quos citat num. 8. *Hieronym. Matth. 15. Sanchez. Angelus. Syluest. Tabiena.*

D. Thom. Limitat tamen D. Tho. & alij, si absque periculo peccati mortalis non possit in sæculo permanere, quia ordo charitatis postulat salutem propriam spiritualem, prę cęteri temporali bono parentum, quod est intelligendum de periculo proximo, seu proxima occasione peccandi, quã filius, moraliter loquendo, stãdo in sæculo vitare nõ potest, vt benè Sanch. nu. 11. Ex quo sequitur, quod talẽ recipientes ad habitum, etiã mortaliter peccant, quia rei huc, & nũc malæ in casu graui cooperãtur; malum est enim relictis præceptis iustitiæ, consilia perfectionis perficere. *Sanchez.*

Caietan. Passarell. Nauarr. Valentia. Miranda. Angles. Lopez. Rodriquez. Caietan. D. Thom. Sanchez. Ledesma. Caietan.

Dico secundo, Filius iã professus, tenetur Religione egredi ad subueniendũ parentibus, extrema necessitate laborantibus, petita licentia, licet non obtenta, imò contradicente, præcipiẽte, & reclamante Prȩlato: modò certus sit de tali parentum necessitate; & quòd nullo alio modo possit illis prouideri. Ità Caiet. 2. 2. q. 101. art. 4. circa solutionem ad quartum, Passarell. in priuileg. Minimor, cap. 42. Nauar. comm. 3. de regul. nu. 48. & in sum. cap 14. nu. 14. Valen. to. 3. disp. 7. q. 1. p. 2. Miranda to. 1. manual. præl. q. 16. art. 11. Angl. Lop. Rodriq. in sum. loc. cit. adhoc etiã explicat Caiet. loc. cit. D. Th. Sanch. lib. 4. in decal. cap. 20. nu. 14. Ledes. loco cit. digo lo tercero:

Probatur ex Caiet. quia præceptum iuris naturę, & diuini in extrema necessitate, pręeminet omni voto, & vinculo; quia vota non debẽt esse impeditiua operũ iustitię. Nec solum pro patre, sed pro quocunq; homine in necessitate, tenetur quilibet; vnde sicut licet furari propter extremã alterius necessitatem: ità licet actualem obedientiam Prælato subtrahere: & furari bona Ecclesiæ, si aliter non potest patri subueniri.

Azor. Ledesma.

Et hanc Conclusionem intellige, siuè Pater incurrerit hanc necessitatem ante, vel post professionem; vt benè Azor par. 2. instit. moral. lib. 2. cap. 3. q. 5. Ledesma loco cit. digo lo vltimo, qui optimè confutat distinctionem Syluest. Angel. & Nauarr. de necessitate incursa antè, vel post professionem; & ratio est, quia licet si Religiosus sit Mortuus Mundo; potest tamen multas obligationes naturales incurrere etiã post professionem, verbi gratia, si filiũ genuisset, nonne posset illi consulere eo modo, quo Religiosum deceret? sic pari passu in casu præsenti, licet mortuus sit Mundo, si illi superueniat necessitas naturalis parentum, potest, & debet illi consulere. at non potest, nisi Religione egrediendo, vt suppono.

Dico tertio, si Religiosus graui parentum necessitati non potest succurrere stãdo in religione; quia non dat illi Prælatus cõmoditatem, & licentiam id faciendi, salua regulari obseruantia, ipso Prælato contradicente, Religionẽ exire debet, vt tali graui necessitati subueniat: modò nulla alia via possit subuenire ei necessitati. Ità Valen. to. 3. disp. 7. q. 1. p. 2. quæstiuncula 6. *Valentia.*

Corduba. *Sanchez.* *Miranda.*

conclus.2 Maior in 4.d.38.q.16. Corduba in Regul. Diui Francisci cap. 8. q. 6. art. 2. opinione quinta p.3. & alij, quos citat Sanchez, licet non sequatur lib.4. in decalog. cap. 10. num.14. Miranda tom. 1. manualis q. 26. art. 11. conclus.2. Aduerto tamen.

Probatur, quia quando concurrunt simul duo præcepta, quæ simul, & semel nequeunt obseruari, illud obseruandum, quod maius, antiquius est, & quod strictius ligat. Hic concurrunt duo præcepta, diuinum, quod præcipit obseruantiam voti obedientiæ, & diuinum naturale, quod præcipit subuentionem parentum; Vtrumque simul, vt suppono, non potest obseruari; ergo videndum, quod strictius ligat, & quod est maius, & antiquius. Hoc sine dubio est præceptum subueniendi parentibus; tùm quia est etiam diuinum, & naturale, tùm quia strictius ligat ob plurima à parentibus recepta: Tum quia Deus, qui nostris oblationibus non indiget facile etiã cedit iuri suo circa obseruationem voti; quando, sine iniuria, & graui detrimento proximi, & adeò coniuncti, vt sunt parentes, non potest obseruari.

Dicere autem, quòd per professionem Religiosus est mortuus mundo, & per consequens liberatus ab illa obligatione subueniendi parentibus, esset illum liberare etiam in casu extremæ necessitatis, & tamen omnes ferè fatentur, licere Religioso, neglecto superioris præcepto, domum ab incendio, vel hominem à mortis liberare periculo. Licet itaque dicatur fictione iuris mortuus mundo, quo ad aliqua, remanet tamen homo, & est viuus quo ad alia, vt diximus de eo, qui filium genuisset, & insuper reddenda est ratio, quare Religiosus mortuus mundo non teneatur ex naturali præcepto succurrere parenti in sæculo, eo modo, quo si Religiosus non fuisset, naturali præcepto, id facere teneretur.

Caietanus, *Abulens.*

Si etiam dicatur, vt dicunt Caietanus, Abulensis, & alij, quòd præceptum honorandi parentes est affirmatiuum, & quòd nõ obligat nisi eo modo, quo pro statu, & conditione personæ potest; & exemplificetur in vxorato, qui non tenetur relinquere vxorem, vt patris necessitati succurrat.

Respondet Valentia loc. cit. versu in casu autem secundi. Hoc argumentum procedere ex suppositione falsi; supponit enim votum eo casu obligare, quod tamen est falsum; nam tunc non est de meliori bono, sed est impeditiuum maioris boni, & magis necessarij. Posset etiam dici, quòd licet illud præceptum affirmatiuum non obliget semper, idest continuè, vt præcepta negatiua, sed solum pro casu necessitatis, pro eo tamen casu semper obligat; licet eo modo, quo potest; sed hic nullo alio modo potest adimpleri, vt suppono, nisi Religionem exeundo. Exemplum vxorati faciliè diluitur. Nam filius vxoratus tenetur strictissimo matrimonij præcepto statum matrimonij tueri; vnde non est mirum, quòd illi aliud præceptum honorandi parentes, etiam naturale cedat, quo ad modum.

Limitandæ tamen hæ duæ conclusiones, nisi filio, egrediendo, immineret periculum peccati mortalis; nam tunc potius suæ saluti spirituali, quam corporali patris esset consulendum.

Aduertendum etiam, quod deberent superiores, cognita veritate necessitatis, facere facultatem suis religiosis, vt salua disciplina regulari, possent huiusmodi parentum necessitatibus subuenire; quia sic melius consuleretur saluti subditorum: qui sic non tenerentur vagari, ad quæritandum victum pro sustentatione parentum, & non relaxarentur in disciplina regulari. Si autem per paupertatem Religionis, vel aliã rationabilem causam, id non liceret, tunc debent facere facultatem subdito exeundi, habitu retẽto, quousque tali necessitati subuenerit, ad scrupulos Religiosis tollendos. Qui autem sint superiores, qui possint talem facultatẽ facere, Docẽt Nauarr. comm.3. de regul. nu.49. & Rodriq. tom. 1. sum. cap 6. nu.4. Sanchez in decalog. lib 4. cap. 20. nu.22. Nimirum Generalis, & Prouincialis. *Nauarr.* *Rodriq.* *Sanchez.*

Dico quarto, ad succurrendum necessitati graui Fratrum, & Sororum, etiam pudicitia periclitantium, non potest, nec debet Religiosus professus religionem exire.

Probatur, quia eos alere non tenetur; esset tamen iusta causa petendi licentiam à Pontifice exeundi: maxime si Sorores in graui pudicitiæ periculo versarentur; vt ait Sanchez lib 4. in decalog. cap. 10. num. 33. & Corduba in sum. q.141. art.2. qui refert, se vidisse dispensationes à Pontifice concessas professis ad exeundũ, pro subleuandis sororum necessitatibus: esset etiam hæc iusta causa ingressum differendi: siue votum adsit, siuè non; siue tempus sit præfixum, siuè non, vt bene Sanchez loc. cit. quia Charitas suadet, vt Frater Sororum pudicitiam tueatur; vt Azor tom.1. instit. moral. cap.1. q.8. *Sanchez.* *Corduba.* *Sanchez.* *Azor.*

In extrema tamen necessitate deberet exire, sicut pro alio quocumque proximo, vt dixi; etiam contra Prælati præceptum; quæ tamen necessitas breuissimè durat, nec cogit Religiosum ad diù foras permanendum. In graui autem, puto quòd posset cum licentia sui Prælati, qui eam dare debet, sorori succurrere eo modo, quo posset, salua regulari disciplina.

At inquies, quomodo potest Religiosus, stando in Religione, aliquid acquirere, quo parentibus, & sororibus subueniat.

Respõdeo multa posse acquirere honestis artibus, laborando, scribendo, pingendo, concionando, confessiones audiendo, libros imprimẽdo, vel eleemosynas quærendo pro tali affectu; & licet quicquid acquirit Monachus, acquirat Monasterio, verum etiam est, quòd Prælatus de eleemosynis venientibus ad Conuentum potest eleemosynas facere, vt Suar. de fide, spe, & charitate tract. 3. disp.7. sect 2. nu.3. quod idẽ potest facere subditus ex licentia Prælati expressa, vel probabiliter præsumpta, vt D.Th. 2.2. q.32. art.8. ad 1. & censet, Suarez cum Sylu. verbo eleemosyna, & alijs, quòd quando necessitas est grauis, & non potest facilè Superioris consensus postulari, debet præsumi. His modis potest salua regulari disciplina, filius succurrere necessitati parentũ & frater necessitati Sororum, & Fratrũ; Sed diuersimodè, quia patri tenetur omnino hoc modo, etiã sine Prælati licentia, vel si hanc non potest obtinere, tenetur exire; Sororibus autem, debet licentiam à Prælato obtinere. Et ratio differentiæ est; quia patrem tenetur iure naturali, & gentium alere; Fratres & Sorores nequaquam. *Suarez.* *D. Thom.* *Suarez.* *Syluester.*

§. Pri-

§. primus; *Cur tantum debeant filij parentibus.*

Et quàm rationabiliter, quæ hoc capite diximus, dicta sint intelligatur, placuit hunc paragraphum ex abundanti annectere, & colligi posse puto, quod quærimus, ex duobus capitibus; nimirùm ex magnitudine beneficiorum, & ex amoris abundantia.

Primo beneficia parentum in filios meridiana luce clariora sunt; ab illis enim recipiunt esse, educari, & disciplinari, vt habet D.Thom. 2.2. quæst.102 art. prim. corpore, & quæst.106. art. pri. corp. & in 4. dist. 26. quæst. 1. art. pri. corp. & distinct.33.quæst.pri.art 3.quæstiuncula pri.corpore, & alibi sæpius. Aristoteles 8.Ethycorum cap.11. & lib.5. cap.6 ait, quòd *iniustitia patris ad filium nulla potest esse; quid nullus ergà se ipsum iniustus est; & filius nihil est aliud, quàm esse quoddam patris*, & 8. Ethyc. cit. cap.12. comparat amicitiam, quam debemus patribus, amicitiæ; quam debemus Deo: propter maxima, & ingentia beneficia ab illis recepta, & lib. prim. magnorum moralium cap. 31. ait, *à filio ergà patrem, ius vllum non esse videbitur, quid membrum patris est filius*; & Cicero pro Cluente. *Parentes*, ait, *Charissimos habere debemus, quòd ab ijs, vita, patrimonium, Libertas, Ciuitas tradita sit.*

D. Thom.

Aristot.

S.Ambrosius in Lucam lib 2. cap.3 *Disce*, ait, *quid parentibus tuis debeas: Tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia; matri longa discrimina, cui misera in ipso votorum fructibus maius periculum est; & cum ediderit, quod optauit, partu absoluitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu multiplicates aliena vsibus censum, lasfaque fœmina posterorum ætatibus profutura?* Et lib 8. cap.17. *Pasce matrem tuam, & si paueris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est, non reddidisti obsequia, quibus illa te gestauit, non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis vbera, non reddidisti famem, quam illa pro te tolerauit, nequid, quod tibi noxium esset, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa ieiunauit, tibi manducauit, tibi illa, quem voluit cibum, non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilauit, tibi fleuit, & tu illam egere patieris?*

Secundò colligitur, quantùm debeant filij parentibus, ex magnitudine amoris, quo isti eos prosequuntur, amor parentum in filios maximus est, & maior, quàm possit declarari verbis, nec illius magnitudinem, & intensionem, facilè puto capi posse à non expertis. Ex scriptura autem sacra, vt coniicio, poterit aliquatenùs insinuari. Et nos hoc primo loco doceat Sanctus Iob, cap.prim. sui libri, cui relatum est quodam die, illius armentarios, ac armenta in campis pascentia Sabæos fuisse grassatos; at nec frontem caperanit ad nuncium Homo Dei. vix hoc illi fuerat narratum, cum ecce delator alius dicens. *Ignis Dei recidit è Cœlo, & tactas oues, puerosque consumpsit*, & ità, vt nec vllum remanserit vestigium; at nec hoc illum quidquam mouit; adhuc isto loquente, ecce alius, qui dixit; *Caldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt Camellos, & tulerunt eos nec non, & pueros percusserunt gladio*; nec hoc validissimo licet, ictu expugnata fortissima illa patientiæ turris, sed nec hic loqui deficiat, cum ecce halitu, anhelans, sudorque respersus comparet alius, qui in ea prorupit verba: *Filijs tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt*: Hic vir Dei victus, hic expugnata illa munitissima turris, in manus doloris, & afflictionis se tradens, *Scidit vestimenta sua, & tonsa capite corruens in terram adorauit*. Qui amissione omnium bonorum, & facultatum suarū nec signum doloris ostenderat, vide quantum in amissione filiorum.

Iob.

Addamus secundum, amoris parentum in filios, scripturæ locum ex Gen 37. vestem pueri Ioseph respersam sanguine tulerunt illius fratres sancto seni Patriarchæ Iacob; qui puerum denatum putans, *scissis vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multò tempore*; ni falsos, nusquam legitur, plorasse Sanctum senem, hoc loco excepto: licet multis ærumnis, & aduersitatibus tortum; his cognitis, reliqui filij, inito consilio, vnà omnes ad patrem consolandum accedunt; *Sed noluit consolationem accipere: & dixit, Descendam ad filium meum lugens in infernum*. Quid plura? Tanta filiorum cop a vnius iacturam non mitigat, neque solatur? *Ex morte filij dolorem, ægritudinemque animi concipere, res est talis*, (vt Plutarchus ait de cōsolat. ad Appollonium) *quæ à naturali profecta principio, non sit in nostra voluntatis sita libertate*: At quòd nolit consolationem accipere: & quòd lugens velit ad mortem peruenire, mira res est? hic amor it filiorum effectus.

Gen.37.

At non omittendus Sanctus Dauid in hoc argumento, qui libenter vitam pro Absalone filio dabat, vita vacta, vita necessaria, tam chara Deo, & hominibus dulcis, pro vita scelesta, infami, & proprij patris proditrice; legitur 2. Regū 18. *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat, vt ego morior pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom*. verba tantæ teneritudinis, & tantæ ostentationis amoris parentum in filios, vt vix quidquam possit addi, nisi fortè illud velimus de Agrippina, quæ non vitam pro vita crudelis Neronis filij offerebat, sed vitam pro eiusdem honore, *Imperet*, aiens, Ad Apollinis Oraculum referentes, *& occidat*. An filij parentibus possint condignam retributionem dare, Io. de Lignano in tract. de Amicitia, §. de retributione filij erga Patrem tom.11. tract. pag. 234.

§. Secundus. *Qua debeant filij parentibus.*

Ratè prosequitur hoc argumentum Ioannes Busæus in suo viridario, verbo Pietas in parentes cap.1. Hæc solum ad tria capita reduco.

Io.Busæus.

Primum est amor. In confesso enim est apud omnes, filialem amorem paterno debere correspondere. Si enim amor non nisi amore soluitur; vt habetur Cantic. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*; & notum est vetus prouerbium, *magnes amoris amor*; & Seneca epistola 9. *Si vis amari*

amori suo. Quomodò filius tantum amorem expensum feret patri, nisi per reciprocationem dilectionis?

Ad istum amorem pertinet alere patrem, illius necessitatibus subuenire, & illius curam gerere. In cuius symbolum Aegyptij pingebant Ciconiam, vt est apud Claudium Minoe ad emblema trigesimum Alciati. *Claudius Mino.* Quòd hæc auis soleat genitoribus suis senio confectis eodem modo gratiam rependere, quo ipsa fuerit educata; ijs nidum parat; pennas vellicat inutiles, & pabulum suppeditat; vnde Alciatus ista inter alia cecinit.

Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Quo exemplo ad hoc etiam hortatur liberos Sanctus Ambrosius lib. 5. in exameron cap. 16. *Ambros.*

Teoph. Pertinet hic etiam illud Theophrasti. *Oportet enim omnia Dijs, non tàm multa, quàm frequenter, ac piè sacrificare: deinde parentum alere senectutem.* Sic enim alimentorum vices parentibus referent, vt habet Chrysost. serm. aduersus vituper. vitæ Monasticæ; & Quintil. declamat. 5. *Chrysost. Quintil.* *Parentibus liberi non præstant alimenta, sed reddũt.* Vnde Ecclesiastici 18 *Eccles. 3. 18.* *Quàm mala fama est, qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.*

Secundum. Quòd à filijs exigitur est obedientia, dicente Apostolo ad Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino*; vbi per illud verbum in Domino, intellige in rebus, quæ diuinæ voluntati non aduersantur, vt explicant Theophylactus eo loco, & Hieronymus ibidem, qui ait *Parentibus, de quibus secundùm carnem nati sumus obtemperemus in Domino, implentes ea, quæ non sunt Domini contraria voluntati*, & Chrysost. hom. 9 in epistolas Pauli; *Chrysost. Eccles. 3.* *Filij, ait, sint in parentes pij subditi, & dicto obtemperantes.* Vnde Ecclesiastici 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes: & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt.*

Tertium, inter ea, quæ à filijs exiguntur, est reuerentia in parentes iuxta illud decalogi præceptum, honora parentes. vnde Ambrosius lib. prim. de officijs cap. prim. *Ambros.* *Est ait bonorum adolescentium timorem Dei habere: deferre parentibus honorem: habere senioribus reuerentiam*, & Demetrius Phalereus apud Laertium lib. 5. cap. 5. *Demetrius Phalereus* *Admonebat adolescentes, vt in solitudine se ipsos e in via obuios, & domi parentes diligenter vererentur.* Xenocrates, vt refert à Lapide cap. 9. in Gen. versu 21. *Xenocrat.* *Tria tantùm præcepta in templo Eleusina mansisse dixit, Primò venerandos esse Deos. Secundum honorandos esse parentes. Tertium abstinendum esse à carnibus.*

Quem honorem tanti facere ostendit Deus, vt nouem bona filijs exequentibus promiserit Ecclesiastici 3. vt notat Cornelius à lapide cap. 9. in Genesim versu 26. *Cornelius.* Primum opes tum spirituales, tum temporales: *Sicut*, inquit, *Qui thesaurizat: ità qui honorificat matrem suam*. Secundum, quòd talis filius felix erit in suis pariter filijs; *Qui honorat matrem, iucundabitur in filijs.* Tertium, quòd preces eius exaudiet Deus, *In die orationis suæ exaudietur.* Quartum, quòd longæuus erit; *Qui honorat patrē, vita viuet longiore.* Quintum, quòd stabilem habebit familiam, & posteritatem; *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Sextum, quòd erit gloriosus. *Ex honore patris gloria filij.* Septimum, quòd in tempore tribulationis ab ea liberabitur à Deo: *Eleemosyna patris non erit in obliuione; & in die tribulationis memor erit sui.* Octauum, quòd peccata ei remittentur. *Sicut in sereno glacies, ità soluentur peccata sua.* Nonum, quòd à Deo benedicetur, idest omni bonorum copia cumulabitur. *Honora*, inquit, *patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat.*

Hæc omnia bona consequitur, qui parentes honorat; contrà verò, qui facit multa mala; Deuth. enim 21. *Deuth. 21.* *Lapidibus obruendus*, dicitur, *filius contumax*, & Prouerb. 20. *Qui maledicit patri suo, vel matri: extinguetur lucerna eius in medijs tenebris*; vbi per lucernam extinctam, mortem intelligit, qui enim moritur, quodammodò mundi huius lumen, ac lucernam perdit; dum autem dicitur, Deum lucernam in medijs tenebris illi esse extincturum; significat tum vitam illi ereptum iri, cum maximè ei erat necessaria. Quòd si per tenebras, peccata velimus intelligere; grauissima omnium pœnarum pœna esse mulctandum, significat nimirum, vt in peccatis moriatur, esse Deum permissurum.

At sciant etiam hic parentes, eos filijs suis maledicere non debere, quia, vt habetur Ecclesiastici 3. *Eccles. 3.* *Sicut benedictio patris firmat domum, ità maledictio matris eradicat fundamenta.* & Plato lib. 1. de legibus, ait; *Nihil imprecatione parentum filijs posse accidere perniciosius.* Et permittit sæpè Deus in vindictam parentum, illorum maledictiones sortiri effectum; cuius rei habet mirabile exemplum August. lib. 27. de ciuitate Dei capit. 8. *August.*

Timendæ igitur similes parentum maledictiones a filijs, præsertim cum maledicendi illis præbent causam; Quòd si maledicant sine causa, & ratione, vt multi: vel quia filij nolint suis prauis voluptatibus adhærere: vel quia vellent facultates, filiorum studio, & industria partas ad libitum dilapidare; hoc tantũ, quia patres sunt: vel ita sint indiscreti, vt, sui immemores status, velint à filijs lautiùs, & nobilius tractari, quàm fas sit, & conueniat: vel quia nolint eis obedire in his, quæ contrà Deum, & bonos mores; tùm non valde timẽdæ sunt, quia Deus iniustæ actioni non cooperatur; & habetur expressè vndecima q. 3. cap. qui iustus est. Ipsi tamen filij pro talibus parentibus Dominum rogent, vt eis lumen intellectus aperiat, viam veritatis ostendat, ipsis patientiam tribuat; & caueant hi filij, quibus Deus tales parentes dedit, & contrà ordinem naturæ ex malis arboribus bonos fecit nasci fructus, ne ira quandoque perciti, suos parentes cõtemnant, & vilipendant, vt ira Dei super ipsos non cadat; sed potius patientes sint, & gratias Deo quàm maximas agant, qui eos suorum parentum meliores effecit, quod singulare beneficium est; *non enim ex squillis solet nasci rosa*, vnde vetus Prouerbium. *Mali corui, malum ouum*; quod optime celebrat Euripides.

Heu, heu vt illud dictum rectè; probum
Patre ab improbo, non posse nasci filium.

CAP. X.

Vtrum præcipiente Prælato, teneatur Subditus acceptare dignitates intrà, vel extra ordinem.

D. Thom. Sotus. Nauar. Antonin. Syluester. Tabiena. Angelus. Armilla. Lopez. Rodriq. Valentia. Ledesma. Miranda. Lessius. Sanchez.



Ideatur pro hoc capite D. Thomas quodlib. 5. art. 22 & 22. quæst. 185. art. 2. Sotus lib. 10. de iust. quæst. 2. art. 2. Nauarrus comm. 4 de regul. num 23. Antonin. 3. parte, tit. 16. cap. 1. §. 9. verbo Insuper nota, Syluest. verbo Electio primo q. 19. num. 23. Tabiena eodem num. 28. Angelus num. 30. Armilla num 37. Lopez prima parte instruct. cap. 56. colum 3. versu Iam istis, Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 55. Valent. tom. 3. disp. 10. quæst. 3. par. 3. assertion. 6. Ledesma de statu Episcoporũ cap. 3. conclus. 8 pag. mihi 26. Miranda tom. 2. manual. præl. quæst. 23. art. 31. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 76. versu hinc sequitur, & cap. 46. dub. 5. num 33. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 3. num. 11. & cap. 2. à num. 49. & alij.

D. Thom.

Notandum, quòd humilitas religiosa postulat, vt oblatas dignitates declinemus; Tanta enim puritas requiritur in eo, qui Prælationis officio est functurus, vt superbire sit, eam in se existimare, onusque tam graue est homines regere, vt elati animi sit credere, illud ferre posse; Hoc tamen non est pertinaciter faciendum, cum ad id suscipiendum, superna agnoscitur voluntas, vt ait D. Thomas quodlib 5. art 22. Quare ecclesia sanctè, piequè instituit, vt quando suscipérentur aliqui in Episcopos, quilibet respondeat prius, bis nolo, & tertia vice respondeat, volo; quasi in primis ipse intentionem suam ostendat, in tertia autem obediens, voluntati alterius subiaceat; Ad quod facit illud Antistenis, qui rogatus quomodo ad reipublicæ munera accedendum esset, respondit, *Sicut ad ignem; neque nimis propè, ne comburaris, neque nimis longè, ne frigescas*; vt autem sciatur, quando quis debeat acceptare, vel possit recusare.

D. Thom. Sanchez. Syluester. Angelus. Antonin. Nauar. Rodriq. Miranda.

Dico primò, potest Prælatus Religionis præcipere subdito, vt accepret dignitatem intrà ordinem, & iste tenetur obedire sub pœna peccati mortalis. Ita D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2 num 52. Syluest. Angelus, Antoninus, Nauarrus locis citatis, Rodriquez art. 1. Miranda conclus. 1. & alij communiter.

Probatur primo; quia Prælatus potest suis subditis præcipere ea omnia, quæ ad Regulam pertinent: at habere aliquam dignitatem in Religione; siue cum cura animarum coniunctam, vt Prioratum, &c. siuè non, vt collegatum, & definitoriatum, vel aliquod ex officijs minoribus, vt procuratoris, sacristæ, &c. ad regulam obseruandam maximè pertinet; vt per se patet; quia hæc in regula præcipiuntur; ergo.

Secundo, quia alioquin malè esset prouisum disciplinæ regulari, si omnes possent refugere Religionis onera, quæ dignitates appellamus.

Tertio. Quod subditus mortaliter peccat; probatur, tùm quia facit contrà obedientiam Prælato debitam, tùm quia facit contrà charitatem proximo debitam, & in re graui.

Dico secundò, Subditus tenetur acceptare dignitates intrà ordinem, etiam non accedente superioris præcepto. ita vt mortaliter peccet, non acceptando, quando secundum iudicium suæ conscientiæ, videtur sibi verisimiliter, quod non est, qui velit, & possit salutem animarum procurare, quam ipse potest: & per hoc videt Religioni, nisi assentiat, graue periculum, seu dispendium imminere. Ita Syluester, Angelus, Rodriquez, Miranda locis citatis, concordat D. Thom. quodlib. 5. art. 22.

Syluester. Angelus. Rodriquez. Miranda. D. Thom.

Probatur primo, quia bonum priuatum, vt quies, studium, oratio, & alia, quæ solent viros probos inducere ad dignitates recusandas, postponendum est communi bono.

Gregor.

Secundo probatur, ex Greg. lib. 6. regest. epistola 5. & refertur cap. in Scripturis 8. q. 1. §. & sicut scriptum est, vbi ait; *Si is, qui valet omnipotentis Dei oues, renuit pascere, ostendit se pastorem summum minimè amare. Si enim vnigenitus Patris, pro explenda vtilitate omnium, de secreto patris egressus est ad publicum nostrum; nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus vtilitati proximi.*

Antonin. Sanchez.

Dico tertiò, Subditus iussus à Prælato dignitatem admittere, acceptare tenetur, etiamsi eo munere non omninò se dignum iudicet. Ita Antoninus 3. parte, tit. 16. cap. 1. § 9. verbo Insuper nota, ex doctrina Paludani in 4. d 19 q. 1. art. 1. num. 7. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 3. num. 11.

Probatur, quia in dubijs obediendum est, vt probauimus. Ia autem, qui non iam dignum se reputat, suppono, quòd neque etiam omninò se æstimet indignum, & de facto talis sit. Nam tunc non potest dignitatem acceptare, absque eo, quòd mortaliter peccet; quia dignitas est ità de intrinseca natura Prælaturæ, vt super eam neque possit summus Pontifex dispensare; ita vt indignum promoueat, vt infrà dicemus; cum sit de iure diuino naturali. Quod est intelligendum, etiamsi sua indignitate manifestata Prælato, hic nollet acquiescere; præsertim si videat, ne ille ipsum acquiescere, ductum aliqua passione amoris, vel vtilitatis.

Syluest. Nauarr. Suarez.

Quod etiam dicendum est de eo, qui admittitur ad confessiones audiendas per obedientiam; si enim est dubius, an sit sufficiens, obedire tenetur; si est omnino certus de sua insufficientia, tenetur non obedire, & si obedit, mortaliter peccat, vt Syluest. verbo Confessor. 3. nu. 3. Nauarrus in sum. cap. 4. num. 9. Suarez tom. 4. in tertiam partem, disp 28. sect. 2. num. 7.

Valentia. Petrus de Ledesma.

Dico quarto, is, qui propter circumstantias opinatur, moraliter loquendo, futurum, vt sæpè peccet, Prælaturam admittendo; si est ità necessarius pro bono communi, vt nullus alius reperiatur, qui illi possit, & velit consulere, debet dignitatem, & Prælaturam admittere. Ita Valẽt. tom. 3. disput. 10. q. 3. p. 3. assert. 6. dub. 2. Petrus de Ledesma de statu Episcoporum cap. 3. conclus. 9. difficultate vnica, pagina mihi 29. qui multis eam probant contra Sotum lib. 10 de iust. q 2. art. 2. fine.

Probatur primo, quia bonum commune particulari est præferendum, etiam iuxtà ordinem Charitatis; præsertim cum hic non se exponat periculo certo, & infallibili peccandi, sed solum periculo facillimè peccandi, à quo periculo facillè etiam cum gratia Dei poterit liberari,

si pro

si pro tali liberatione eum assiduè rogauerit; Aliud enim est periculum peccati, & aliud peccatum ipsum. Hoc secundum propter bonum commune nequit quidem fieri; vtique autem primum, vt habet etiam Soto lib. 5. de iust. quæst. 2. art. 6. ante tertiam conclus. qui videtur sibi contradicere lib. 10. loc. cit. nisi forte hic lib. 10. veniat explicandus, quòd loquatur de periculo certo, & infallibili: seu de periculo proximo, vt mox dicam. *Sotus.*

D. Petr. Secundo probatur, ex verbis D. Petri (vt refert Val. loc. cit.) apud Clementem epistola prima, qui ait, *Si periculum peccati timens, ecclesiæ gubernacula suscipere refugis, certus esto, quod grauius peccas, quàm si Populum Dei in mari fluctuantem, cum iuuare possis, subterfugis, tui tantummodò considerationem habens.* Debet ergo iste timens hunc deponere timorem, & confidere in Domino, qui pro sua misericordia eum à peccatis liberabit; cum Prælatura non sit necessaria causa peccati; Si autem non potest deponere, adhuc acceptare tenetur; propter circunstantiam boni Communis.

Eccles. 10. Si obijcias illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum peribit in illo*, & dicas, quod in moralibus idem est committere, & exponere se periculo committendi.

Ledesma. Respondeo cum Ledesma loco cit. ad argumentum Soti, quòd periculum spirituale, de quo loquimur, potest considerari dupliciter. Primò quando est proximum, vt cum quis adit domum mulieris, cum qua sæpius peccauit, & exponit se eidem peccandi periculo; hoc casu verum est; Qui amat periculum peribit in illo; quia iste; moraliter loquendo, est certus, quòd omninò peccabit. Secundò, quando periculum non est ita proximum, sed valdè remotum, vt cum viri spirituales tendunt ad conuertendos infideles, vel mulieres profanas cum periculo spiritualis salutis. Et hoc modo, qui amat periculum propter commune bonum in illo non peribit; quia licet possit timere aliquod se commisurum peccatum; non est tamen certus de illo moraliter. Quòd idem est dicendum in præsenti casu, in quo periculum non est proximum, sed valde remotum, cum nunquam se in tali conflictu viderit. Quo modo hunc locum etiam explicat Suarez de fide spe, & charitate tract. 3. disp. 9. sect. 2. num. 8. aiens, *Hoc dictum Ecclesiastici maximè verum esse, quando periculum est in determinata materia, in qua aliquis fragilem se expertus est.* *Suarez.*

Ex quo colligo, quod, si quis in Prælatura, ad tempus durantibus, pluribus vicibus sit expertus se peccatum aliquod committere, quod sine illa non committit, non debet etiam iussus pro communi bono Prælaturam acceptare. Quia in hoc casu verum est, quod Charitas incipit post Deum à se ipso, vt habet D. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 4. & 13. & periculum non est amplius remotum sicut in illo, qui nòdum Prælatus fuit, sed maxime proximum. *D. Thom.*

Dico quinto, non potest Prælatus Religionis præcipere subdito, vt accipiat dignitatem extra ordinem Episcopatum, verbi gratia, Abbatiam, &c. Valentia tom. 3. disp. 10. quæst. 3. p. 3. assert. 6. verbo Quærent autem hic, Ledesma loc. cit. cap. 3. conclus. 8. ad primum argumentum pag. mihi 28. Nauarrus comm. 4. de regul. num. 23. Lopez prima parte Instructorij cap. 56. colum. 3. versu Iam istinc, estque communis sententia eorum, qui dicunt Prælatum non posse præcipere aliquid supra regulam, Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 76. versu Hinc sequitur, Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 49. *Valentia. Ledesma. Nauarr. Lopez. Lessius. Sanchez.*

D. Bernard. Probatur primo, ex illo axiomate D. Bernardi de dispensatione, & præcepto. *Votum meum non adaugeat Prælatus sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Sed hoc esset valde votum augere, vt per se patet; ad multo enim plura tenetur Episcopus, quam regularis.

Secundo, quia Prælatus solum potest præcipere subditis, quæ pertinent ad regulam; at episcopatus, potius subducit subditum à Regula. Vnde stultum est credere, vt bene Valentia, posse Prælatum præcipere id subdito, per quod iste eximitur ab obedientia regulari erga Prælatum. *Valentia.*

D. Thom. At obijcies D. Thomam 2. 2. quæst. 185. art. 2. ad 3. qui ait, teneri quemque de necessitate salutis ad accipiendum episcopatum, mediante Prælati superioris præcepto; & esse illicitum votum de Episcopatu non accipiendo, & accedente Superioris mandato: ex quo patet, quod secundùm D. Thom. potest superior Prælatus subdito præcipere Episcopatum acceptare.

Respondeo primo, per superiorem, ibi intelligi Pontificem Summum, qui est Supremus Ecclesiæ Prælatus, ad quem solum, vt dicam, pertinet cogere Regularem ad acceptandum Episcopatum, cui incumbit cura vniuersalis boni communis. Sic intelligit D. Thomam, Sanchez loc. cit. & Sotus lib. 10. de iust quæst. 2. art. 2. ad 2. & fauet huic explicationi Glossa in cap. si Religiosus, verbo ebrenta de electione in 6. Quæ in pari casu per superiorem intelligit Summum Pontificem. *Sanchez. Sotus. Glos.*

Secundo respondeo, posse quidem Prælatum Religionis declarare obligationem iuris diuini naturalis, qua Religiosus astringeretur in casu necessitatis Ecclesiæ; in quo casu illicitum est votum de Episcopatu non accipiendo, quia est contra Charitatem proximo iure diuino, & naturali debitam; & hoc pacto intelligendus est D. Thom. at extrà talem casum, sua auctoritate Prælatus non potest ad id subditum cogere.

Dico sexto Summus Pontifex potest cogere Regularem benè meritum ad acceptãdum Episcopatum, & iste tenebitur sub mortali obedire. Est communis sententia Rodriq. tom. 1. quæst. regul. q. 58 art. 1. Lopez prima parte instruct. cap. 56. colum. 3 versu Iam istinc, Ledesma de statu Episc. cap. 3. conclus. 8. dico 10. Valent. tom. 3. disp. 10. q. 3. p. 1 assert. 6. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. versu Hinc sequitur. Sanchez loco cit. *Rodriq. Lopez. Ledesma. Valentia. Lessius. Sanchez.*

Probatur primò, quia ipsi incumbit cura vniuersalis Ecclesiæ, cui ex Pastoris officio tenetur prospicere.

August. Secundò probatur, ex August. epist. 204. ad Donatum Presbyterum, & refertur capite displicet 23. quæst. 4. in principio, vbi ait. *Multi, vt Episcopatum suscipiant, tenentur inuiti, producuntur, includuntur, patiuntur quæ nolunt, donec eis adsit voluntas, suscipiendi boni operis*, & epist. 148. ad Valerium, & refertur cap. Ante omnia d. 40. ait, *Quòd vim passus est in Episcopatu capessendo.*

At inquies, hoc esse subditi votum augere; quod tamen supra negauimus, posse etiam Summum Pontificem facere.

Respondeo, non posse quidem hoc ex vi voti; at cum acceperit à Domino omnem potestatem necessariam in oues sibi subditas, ex vi huius supremæ potestatis, potest Regularem cogere ad Episcopatum Capessendum, cum id iudicat necessarium pro communi bono Ecclesiæ.

§. *Vnicus. Ad quid teneatur Regularis factus Episcopus.*

Sanchez.



Hanc quæstionem fusissimè tractat Sanchez lib.6. in Decalog. cap.6.

Sotus.

Dico primò, Regularis factus Episcopus tenetur vota essentialia seruare, mutatis mutandis: nimirum ad Castitaté simpliciter: ad obedientiam erga Pontificem, qui est omnium ordinum Generalissimus: ad paupertatem etiam tenetur, quidquid dicat Sotus lib.7. de iust. q.4. art.2. ad vltimum, & lib.10. quæst.vlt.art.vlt.colum.4. & si assumatur ex ordine Minimorum, tenetur etiam ad vitam Quadragesimalem; vt latiùs probabo in quæstione de voto vitæ Quadragesimalis; Quidquid dicat Sanchez loc. cit. num.15. tenetur etiam deferre habitum suæ Religionis: & obseruare eas omnes obseruantias, quæ non impediunt Episcopalem statum. Ità D.Tho 2.2.quæst.185. art.8. vbi Caietan. ad 2. dub & tom.pri.opusc.tract. 25.quæst.2. D.Bonauent.in 4 d 38 art.2. quæst.3. ad vltim. Tostatus cap. 30. numerorum q. 109. Antoninus 3. part. tit. 20. cap. 2. §.7. Angelus verbo Monachus num.7. Rosella verbo Religio 6. num.4. Syluest.verbo Religio 6. q.10. Armilla verbo Episcopus num. 8. Nauarrus de redditibus Ecclesiasticis monitu 9. & alibi, Valentia tom. 3. disp 10. q.3 p.8. Lessius lib. 2. de iustit. cap.40. dub.14. num.113. Vasquez p.2. disp.165. cap.8 num 93. ad finem, & in opusc. de redditibus cap.3. dub.1. Rodriq. tom.2. quæst. regul. q.58 art.3. Ledesma cap. 3. de statu Episc. conclus.25. pag.mihi 73. & alij, quos citat Sanchez loco cit. Vega 2. parte sum. cap. 52. casu 8. Tabiena verbo Episcopus §.6.

Sanchez. D. Thom. Caietanus. D.Bonan. Tostatus. Antonin. Angelus. Rosella. Syluester. Armilla. Nauarr. Valentia. Lessius. Vasquez. Rodriquez. Ledesma. Sanchez. Vega. Tabiena. D. Thom.

Probatur primò, ratione D.Thomæ, quia adueniente perfectione præstantioris formæ, non excluditur dispositio illam conseruans, nisi fortè quantum ad id, quod perfectioni non congruit; sed status Episcopalis, habet se ad statum Religiosum, sicut forma perfectior ad dispositionem quandã; est enim Episcopus velut perfectionis magister; cum Regularis sit velut discipulus. Ergo obseruantia regularis, quæ præstari potest cum statu Episcopali, & custodire illius perfectionem, adhuc obligabit Religiosum creatum Episcopum.

Secundo, quia manet verus Religiosus, vt fatentur omnes, at hæc vota sunt essentia status Religiosi, vt dicitur cap. Cum ad Monasterium in fine de statu Monachorum.

Aduertendum tamen, quòd ad vota tenetur sub mortali, quia illa formaliter, & expresse fecit; non remanet tamen subiectus pœnis taxatis in regula transgressoribus. Tenetur etiam sub mortali deferre habi[tu]m suæ Religionis, quo ad colorem, vt Sanchez loco cit. num.22. hoc, vbi ait id concessisse Episcopis regularibus Clem. VIII. vt Ledesma loc. cit. versu es la facultad pag. mihi 76. Sanchez loc. cit. num.22 cum alijs multis, quos citat, & patet ex cap. Clerici, §. Pontifices de vita, & honestate Clericorum, vbi dicitur, quòd Episcopi, qui fuerunt Monachi, tenentur portare habitum Monachalem. Ad alia autem, etiamsi in Religione obligent sub mortali, non tenetur nisi ex debito quodam morali, vt habet Soto lib 10. de iust. q.5. art.7. Et Caiet. tom.1. opusc. tract. 25. q. 2. Sanchez loco citat. num.19. qui nec venialiter peccare asserit.

Ledesma. Sanchez. Soto. Caietan. Sanchez.

An autem, dimittendo temere habitum Religionis, incurrat excommunicationem latam cap.2. Ne Clerici, vel Monachi in 6. contrà Monachos dimittentes habitum, & fiat apostata. Tenet Syluest. verbo Religio 7. q.11. Henriquez lib. 10. de sacramento Ordinis cap. 33. num. 4. Contrarium tenent Couarruias cap. 1. num. 18. de testamentis, Sanchez lib.6. in decalog. cap.6. num. 23. Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 58. art.3. & Ledesma loc. cit.

Syluester. Henriqu. Couarr. Sanchez. Rodriquez. Ledesma.

Dico secundò, omnia, quæ habet Religiosus antequam ad Episcopatum transeat, sunt Monasterij, eique ea tenetur consignare; est communis opinio, Rodriquez tom.2. quæst. regul. quæst. 58. artic 6. Addunt Henriquez lib. 10. de Sacramento ordinis cap.33 num 4 Syluest. verbo suspensio quæst.6. d. 38. quod ex ordine Prædicatorum assumptus, si prius recipiat munus consecrationis, quam resignauerit Ordini, Libros, & alia, quæ habet tempore suæ promotionis, eo ipso est suspésus ab executione Pontificalis ministerij, per Priuilegium dicto ordini concessum a Clemẽte IV. & Alexandro IV quod Priuilegium habetur in nostris priuilegijs pag. 35. in eoque præcipit Pontifex in virtute Sanctæ Obedientiæ Fratribus Prædicatoribus promotis, vel promouendis ad dignitates Episcopales, vel alias, vt libros, & alia, quæ ipsos promotionis suæ tempore habuisse, vel habere constiterit submota qualibet dilatione, resignent Generali, vel Prouincialibus Ministris. Nisi forsitan prædicti Ordinis Prælati, vsum huiusmodi rerum illis ad tempus cõcesserint de gratia speciali; quo Priuilegio gaudent omnes communicationem habentes; vt optimè Passarellus in Compend. priuileg. Minimorum pag.35. Sed quid? si in aliqua Religione sit statutum, quod nullus audeat consentire electioni, vel prouisioni de se factæ, nisi prius facta restitutione ordini omnium, quæ habebat tempore quo consensit, scilicet librorum, pecuniarum, vel aliarum rerum, si quas habebat, & si non præmissa restitutione consenserit, sit ipso facto excommunicatus. hoc supposito, Papa in Consistorio pronunciauit quendam fratrem ex illa Religione in Episcopum, qui cum illi id esset renunciatum non præmissa dicta restitutione consensit, quæritur numquid sit excommunicatus. Dic quod sic, per ea, quæ notat Innocent. in cap. *Præterea*, de appellat. Ita Bernard. de Bilsgneto de constit. tit. 1. quem habes alligatum post Summam Goffredi.

Rodriquez. Henriq. Syluester. Clemens IV. Alex. IV. Passarell.

CAP. XI.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato cum periculo vitæ.

D. Thom. Caietan. Nauarr. Armilla. Tabiena. Rodriquez Vega. Bannes. Lopez. Sotus. Ledesma. Sanchez.

PRO hoc capite potest videri Diuus Thomas 2.2.quæst.26.art.15.ad 3. & quæst. 104.art. 5. Caietanus ibi.& tom.3. opusc. tract.9.quæst. vnica. Nauarrus in summ. cap.24. num.10. in fine, & cap.25.nu.133. Armilla verbo Obedientia num.5.Tabiena verbo Episcopus num. 5. Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q.31. art.3. & 4. & ibi quæst. 19. art. 7. & tom. 2. sum. cap.9. num. 5. Vega parte 2. summ. cap.52. casu 6. Bannes 2.2.quæst.33. art.3.dub.4. Lopez 1. par. instruct. cap.56.colum.1. quæst.1. verbo at an Prælati, & cap. 67. colum. 3. Sotus lib.2. de iustit. quæst.2. art. 4. in corpore versus finem, Ledesma cap.4. de statu Religiosorum in communi conclus.8. ante primam difficultatem, Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 47. & num.54. & sequentibus.

Notandum. Quatuor modis potest contingere, Prælatum præcipere aliquid subdito cum vitæ istius periculo. Primò, si tempore pestis, aut morbi alterius contagiosi præcipiat, vt morbo infectis ministret. Secundò, tempore nascentis alicuius hæresis, vt, prædicando, disputando, libros scribendo, cum vitæ periculo se opponat. Tertiò, vt ad Indos, vel alios infideles ad seminandum euangelium contendat. Quartò, si mittat ad inhabitanda loca aeris intemperie laborantia; de quibus omnibus hic in particulari aliqua dicenda sunt.

D. Thom. Tabiena. Armilla. Rodriq.

Dico primo, Regulariter non potest Prælatus iubere subdito, vt morti periculo se exponat. Ità D.Thomas 2.2.quæst.124.art.5. Tabiena verbo Episcopus, conclus. 6. §. 5. Armilla verbo Obedientia num. 5. Rodriquez tom. 2. summ. cap.9. conclus.1. num.2.

D. Thom.

Probatur ratione D. Thomæ; quia in pertinentibus ad corporis sustentationem, omnes homines natura sunt pares.

Rodriquez Sanchez. Nauar. Fernádez.

Dico secundo, Superior Conuentus tempore pestis non potest fugere, deserto conuentu, Rodriquez tomo 2. summ. cap. 9. & tom. 3. quæst. regul.q.31.art.2.Sanchez lib.6.in decalog.cap.2. num.55. Nauarrus in sum. cap.24. num.10. fine, Fernandez 4.part. sui exam. cap.16. §.4. num.9.

Rodriquez Sanchez Lopez.

Probatur, quia Superior Conuentus se habet tanquam Parochus respectu suorum parochianorum, sed hic non potest fugere, vt est communis sententia, & dicunt præfati Rodriquez, & Sanchez, & præterea Lopez 1. par. instruct. cap.67. colum. 3. versu At verò.

Sanchez.

Quod tamen limitandum est; nisi fortè superior Conuentus benè prouidisset necessitati spirituali suorum subditorum per aliquem alium cōfratrem, qui ardenti Charitate incensus, vellet sua sponte tali necessitati succurrere; tunc enim cessaret ratio, quæ illum ad manendum cogebat, nec tum posset per superiorem Prælatum ad remanendum compelli, vt in simili dicit Sanchez loco modo citando num.62.

Dico tertio, Religiosus iussus à Prælato inseruire suis religiosis peste infectis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, tenetur obedire, Ita Caietan.tom.3. opusc.tract.9.quæst.vnic. paulò ante versum Ad secundum verò Rationē. Rodriquez tom.3. quæst. regul. q.31. art.3. Sanchez lib.6. in decalog. cap.2. num.56.

Caietan. Rodriquez Sanchez. Caietan.

Probatur primo, Ratione Caietan. Quia superior potest præcipere omnes illos actus exteriores necessarios ad commune illud bonum, cuius curam gerit, & ad quod subditos habet, & subditi tenentur obedire, etiam cum periculo vitæ; sicut Rex potest præcipere suis subditis prælationem pro defensione Ciuitatis, quæ semper est cum periculo vitæ.

Secundo. Quia alioquin malè prouisum esset in Religionibus fraternæ Charitati, si tempore contagiosæ infirmitatis fugere possent sani, infirmis desertis, absque seruitute, & remedijs.

Rodriquez Sanchez.

Excipit Rodriquez loco cit. art. vltimo, & Sanchez eodem num. 57. Ab hac Regula illum Religiosum, qui esset admodum Infirma valetudine: & enim, cuius vita esset valdè vtilis communi bono Religionis; Quia sicut hos imprudenter exponeret Prælatus tanto periculo: præsertim si alij adessent, ità hi illius imprudentiæ parere non tenerentur.

Caietan. Bannes. Vega. Rodriquez Nauarr. Tabiena. Armilla. Lopez.

Dico quarto, Non tenetur Religiosus obedire Prælato præcipienti, vt cæteris peste infectis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ministret, sed potest licitè fugere à loco peste infecto, vt vitam saluet; Ità Caietan. 2.2.q.26.art.5. Bannes ibi q.33. art.3. dub. 4. Vega part. 2. sum. cap. 52. casu 6. Rodriquez tom. 3. quæst. regul. quæst.31.art.3. Nauarrus in sum.cap.24.num.11. Tabiena verbo Episcopus §.5.conclus.6.Armilla verbo Obedientia num.5. Lopez prima parte instruct. cap.67. col.4. verbo, & similiter.

Probatur primò. Quoad administrationem spiritualium, quia hæc ex Iustitia tenentur administrare Parochi, ergo si adsint, qui sufficienter id possint, & velint facere, non est cur Prælatus meam vitam in discrimen ponat; quod si faciat imprudenter facit, & ego obedire non teneor.

D. Thom.

Secundo, quo ad administrationem corporalium, probatur à D.Thom. 2.2. q.26. art.5. ad 3. vbi ait, *quod Cuilibet imminet Cura proprij Corporis, non autem imminet cuique cura de salute proximi, nisi in casu necessitatis; & ideò non est de necessitate Charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo teneretur eius saluti prouidere.*

D. Thom. Rodriquez Sanchez.

Ex quo infertur, quòd in casu necessitatis, id est, quando non essent in Ciuitate, qui spiritualia infectis ministrarent, teneretur tunc Prælatus præcipere suis subditis, vt ea ministrarent; & isti tenerentur obedire, etiam cum periculo vitæ; & hoc præsertim Mendicantes, qui sunt Episcoporum, & Parochorum Coadiutores, quique ideò aluntur eleemosynis à populo, vt in similibus necessitatibus eos adiuuent, vt tradit D.Thomas 2.2.quæst.188.art.4.ad 5. Ità tenet Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 30. art. 4. & Sanchez lib.6. in decalog. cap.2. num.60.

Dico quinto, Religiosi qui speciali voto se obligant, ad seruiendum infirmis tempore pestis, vt sunt fratres congregationis ministrorum Infirmorum: Fratres hospitalarij: & Fratres Sancti Spiritus de Saxia in vrbe, nō solum possunt fugere tempore pestis, sed tenentur ex debito Iustitiæ legalis talibus infirmis ministrare,

Rodri-

Rodriquez loc. cit. Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 20. num. 4.

Probatur, quia multa, quæ solum sunt de cōsilio, & perfectione Charitatis; si sub voto cadāt exequi debent ex debito legis, seu regulæ sic professæ.

Dico sextò, posse Prælatum præcipere subdito, & iste tenetur obedire, vt in casu, quo infidelis, vel hæreticus seducere curaret aliquem, se illi opponat concionando, docēdo, libros scribendo, etiam cum periculo vitæ. Ità D. Thomas opuscul. 18. cap. 14. colum. 3. Paulo antè medium, Bannes 2. 2. quæst. 33. art. 3. dub. 3. conclus. 3.

Probatur, quia magis debemus diligere vitam spiritualem proximi, quàm proprium corpus. Et est valdè rationabile, vt supremum bonum temporale, quòd est vita, exponatur periculo pro vltimo bono spirituali, quod est vita æterna.

Dico septimò, subditus non tenetur obedire Prælato præcipienti, vt ad infideles conuertendos petat cum periculo vitæ. Lopez prima parte instruct. cap. 56. col. 2. versu At an Prælato, Rodriquez tom. 1. sum. cap. 9. conclus. 7. & quæst. regul. tom. 3. quæst. 19 art. 7. Ledesma cap. 4. de statu Relig. in communi conclus 8. in fine pag. mihi 136. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 47. Lessius lib. 3. de iustit. cap. 41. dub. 9. num. 77.

Probatur, quia id præscriptum regulæ excedit. Excipiuntur autem ab hac regula Patres Societatis Iesu, qui speciali voto ad id se obligant, vt benè Rodriquez, Lopez, Sanchez.

Summus autem Pontifex posset Religiosos, & alios quoscunque Clericos ad id cogere, si ità necessitas boni communis postularet; vt Sanchez, Rodriquez, & Ledesma loco cit.

§. *Vnicus. Vtrum subditus teneatur obedire Prælato eum mittenti ad habitandum loca aeris intemperie laborantia.*



Hic disputationem non vidi. Noto igitur primo, vel mittitur subditus ad talia loca ex odio, & malignitate superioris; vel ex necessitate ad subueniendum, & conseruandum conuentus in talibus locis situatos.

Noto secundò, vel subditus scit per experientiam in se ipso alias probatam talem aerem sibi, suæque complexioni esse noxium, vel solum hoc scit per experientiam probatam, seu visam in aliis.

Dico primò, si subditus mittatur ad talia loca ex odio superioris, & aliàs est expertus in se ipso per longam infirmitatem, simulque periculosam talem aeris intemperiem, non tenetur obedire.

Probatur primò, quia, vt ex D. Thoma sæpiùs diximus 2. 2. q. 104. art. 5. in his, quæ pertinent ad naturam corporis, omnes sumus pares.

Secundò, quia odium superioris non debet mihi obesse in re tam graui.

Tertiò, quia indiscretus, & immisericors ostenditur ille superior, qui sciens, suum subditum periclitaturum salute, si illi hoc lubeat; iubet nihilominus, & videtur tendere ad illius destructionem, vnde non tenebitur obedire.

At inquies, quomodo sciam, Prælatum, hoc mihi ex odio iniungere.

Respondeo, scies, quando per experientiam in te ipso probatam, & superiori manifestatam, iste nihilominus, & vt te non mittat rogatus, vult mittere: licet alij adsint: qui possint ire, nec aeris intemperiem vnquam probauerint: Quia cum superior pater sit subditorum, hos vt filios, non vt seruos debet tractare. Pater autem cum scit filio suo graue imminere periculum vitæ, vel sanitatis, si mittat illum ad faciendum aliquod negotium in aliquo loco insalubri, tantum abest, vt mittat, quòd potiùs retrahit euntē, nec ire permittit. Vnde cum te non tractet superior vt filium, sed potiùs vt inutilem seruum, & vile mancipium, nihil habens pensi tuam sanitatem, & vitam; quod ex odio procedat, manifeste apparet; Quare tu, qui de iure naturæ teneris conseruare vitam, ad illi obediendum puto, quòd non sis obligatus: fauet huic opinioni Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 51. art. 9. Quatenus probat, iustam causam, propter quam Prælatus Religionis potest subdito facere facultatem transeundi ad laxiorem religionem, esse malam aeris intemperiem, si in illa Religione, non sit aliud Monasterium, quòd tali intemperie non laboret; quia tunc ad illud mittendus esset religiosus, aeris intemperiem patiens, & citat alios.

Dico secundò, si subditus mittatur ad loca aeris intēperie laborantia ad cōseruanda Monasteria in illis posita, vel succurrendum Religiosis, ibi commorantibus, tenetur obedire; præsertim si aeris intemperiem nunquam probauerit experientia.

Probatur primò, quia ex debito iustitiæ tenetur subditus obedire superiori iusta præcipienti, vt dictum est.

Secundò, quia vt membrum, & filius Religionis, quę illum alit, & nutrit sanum, & infirmum, tenetur matrem suam conseruare, & defensare omni eo modo, quo potest, etiam cum maximo incommodo suæ personæ.

Tertiò, quia non omnes homines sunt eiusdem complexionis, & aer, qui vni insalubria est, alteri, etsi non totaliter salubris, saltem minus insalubris esse poterit, & frugaliter viuendo crebrius aeris intemperies vitantur.

Quartò, quia in dubijs, vt est in casu præsenti, superiori parendum est. Fauet huic opinioni Ledesma cap. 4. de statu Religiosorum in cōmuni, conclus. 8. in fine, pag. mihi 136. Quatenus habet, posse Prælatos Religionis mittere subditos ad Indos pro conseruatione Religionis.

CAP.

CAP. XII.

Vtrùm Generalis possit aliquem Religiosum eycere ex prouincia, in qua natus est, & sumpsit habitum absque rationabili causa.



Navarr. Rodriguez. Vega. Otest videri pro hoc Capite Nauarrus com.4.de regularibus num. 22.& lib.1. consil.de constit.consil.9.num.11. & lib.2. de appellationibus consil. 5. Rodriq. tom.1. quæst.regul.q.23. art.3. & in summa de ordine iudiciali cap.12. conclus. 7. Vega parte 2. summ.cap.86. casu 42.

Noto primo, pro intelligentia quæstionis, quòd solent quandoque superiores Prouinciales, ad se ipsos potius, quàm ad commune bonū respicientes, si habeant aliquem Religiosum sibi subditum, quem non rectis aspiciunt oculis, & gestant in naribus, vel quia non adhæret eorum non vndequaque rectis voluntatibus: vel quia liberè, vt Zelator boni communis, prauas eorum detestatur actiones: vel quia vitæ, & morum integritate incorruptus, illorum est minimè meticulosus: vel quia, scit, & potest repercutare, percussus; scribere ad patrem Generalem, talem Religiosum esse seditiosum, factionarium, inquietum, zizaniosum, & pacis perturbatorem, cum de nullis vitijs specialibus eū possint arguere, & tantum facere, & refacere, scribere, & rescribere, quòd pater Generalis bonum illum Religiosum transmittit in alienā prouinciam, inauditum, inscium, inconsultum; Hoc loco quæritur, an pater Generalis possit hoc facere, & dato quod faceret, an ille obedire teneatur: vel potius habeat iustam causam reclamandi: & an debeat ab eo, apud quem reclamauit, audiri.

Noto secundò, quòd licet Religiosi per votum obedientiæ propriam abnegauerint voluntatem, & totos se resignauerint in voluntatem suorum Prælatorum, & Deo totaliter dicati, penitus mundum deseruerint; non eo tamen modo hoc intelligendum est, vt ideò possint, tanquàm serui, & mancipia prætio, vel bello acquisita, ad libitum Prælatorum pessundari, & supercalcari: vilissimus enim, & stultissimus cōputandus esset, qui statum hunc appeteret, & indueret; cum libertatem, quæ toto auro nobilior est, & qua melior in homine nihil est, à se penitus abdicaret: sed intelligendum est, quod voluntatem propriam, propter Deum in Prælatorum voluntatem resignant, à quibus rationabiliter, discrete, & charitatiuè tractentur.

Noto tertiò, quòd nullum maius bonum, quò ad extrinseca, potest in homine reperiri honore, & fama, vt benè D. Thomas 2.2. q. 103. art.1. ad 2. quòd latè prosequitur Simon Maiolus tom. 4. Canicularium colloquio 4. à pag. 319. vnde honor vt diuinus, & sacrosanctus in sacris literis commendatur, 4. Reg. 14. *Contentus esto gloria, & sede in domo tua.* Prouerb.22. *Melius est bonum nomen, quam diuitiæ multæ*, & Ecclesiast.4. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni;* nullumque aliud Deus ipse recto, ac iusto viro præclarius præmium pollicetur, vt Dauid cecinit Psal.111. quàm quòd, *In memoria æterna erit iustus, & ab auditione mala non timebit.* Nulla igitur maior cura homini habenda, quàm animæ, & honoris; nam alia humana bona aut natura, aut casu à nobis abeunt, semper superstite anima, & honore viuente, ità vt sublato corpore, terræque submisso, anima, & honores vigeant: vnde August. de bono viduitatis relatus capite Non sunt audiendi 11. q. 3. & capite nolo 12. q.1. ait, *Non sunt audiendi siuè viri sancti, siuè fœminæ, qui quando reprehenduntur ex suspicione, sufficere sibi ceram Deo tutam conscientiam respondent; Contemnētes hominum æstimationem crudeliter, cum occidant animas aliorum, quia nobis necessaria est vita nostra, alijs fama nostra, conscientia nobis, fama proximo:* & Anselmus in epist. ad Phylippenses, *Crudelis est, qui negligit famam suam;* quòd idem etiam habet Panormitanus in capite Magnæ, de voto num.13. & Arist.3. *Ethic.cap.6.* ait, *quod timere infamiam honestum est, non timere turpe est, qui enim eam timet modestus, & verecundus, qui non timet impudens est.* & Plautus in Mustellaria, *Et si bonam famam mihi seruauero sat diues ero,* & Philelphus in Satyris, *Omnia si perdas, famam seruare memento.*

Qua semel amissa, postea nullus eris.

Vnde Baldus il leg.1. colum.5. Cod. de confessis ait. Bonam famam esse thesaurum inestimabilem, & sicut lilium dans suauitatem odoris.

Noto quartò, quòd honor est cuiuslibet virtutis præmium, vt docet D. Thomas 2. 2. q.129. art.4. corpore; & est testimonium excellentiæ, quæ est in homine, sed maximè secundum virtutem; vt idem D. Thomas ibi q.103. art.1. corpore; Honoratus enim homo dicitur ille, qui in se aliquam virtutem, laude, & honore dignam habet: vel etiam, qui nullum vnquam crimen commisit, infamia, & vituperatione dignum: qui honos, vt diximus, est maximum inter externa bona. Huic autem honori, vt excellentiam dicit secundum virtutem, non renunciant Religiosi per votum professionis, vt benè D. Thom. 2.2. q.186. art.7. ad 4. vbi Caiet. Nauar. capite Inter verba conclus. 5. num. 64. fine, & comm.2. de regularibus num.2. versu Tertio dico, & Miscellaneo 12. de oratione num. 9. in fine, Valent. tom.3. disp.3. quæst.10. par.5. col.24. versu Ex his igitur, Sayrus in Claui regia lib. 11. cap.4. num.15. versu Quæ ratio, Suarez tom.3. de Relig. lib. 8. cap. 4. num. 3. Vnde etiam illi suum honorem, seù bonam de se ipsis existimationem defensare tenentur, ne crudeles contrà se ipsos sint, vt dicebamus, ex August. & Anselm. Et vituperabile, omnino est non facere ea, quæ honore sunt digna, vt ait D. Thom. 2.2. quæst.129. art.1. ad 3. honorem autem proprium defensare, honorabile est; ergo contemnere vituperabile. Vnde Christus dicebat in Euangelio ego dæmonium non habeo, & alibi si male locutus sum testimonium perhiba de malo.

Dico primò, potest Prouincialis transferre suum subditum de vno ad alium Conuentum; & Generalis de vna ad aliam prouinciam. Ità Nauarrus comm. 4. de regularibus num. 22. & lib.1. consil. de constit. consil.9. num.11. habent fratres Prædicatores in lib. de instruct. officialium Ordinis cap.1. de officio Magistri ordinis, vt refert Nauarrus comm.4. citato, his verbis *suum* (scilicet Generalis) *est transferre fratres*

Marginal notes: D. Thom. Simon. Maiolus. 4. Reg. 14. Prouerb. 22. Eccles. 4. Psal. 111. August. Anselm. Panormit. Aristot. Plautus. Philelph. Baldus. D. Thom. D. Thom. Caietanus. Nauarr. Valentia. Sayrus. Suarez. D. Thom. Nauarr. Nauarr.

tres de prouincia ad prouinciã pro vtilitate, vel ordinis, vel fratrum transferendorum, vel ad quam translatio huiusmodi fuerit facienda; quem morem sequuntur alij mendicantes, vt dicit ibi Nauarrus.

Probatur primò, quia omnes Conuentus vnius prouinciæ faciunt vnum corpus, respectu sui Prouincialis, qui est caput: & omnes Conuentus Religionis faciunt vnum corpus respectu Generalis, qui est caput; sed capitis est prospicere vtilitati corporis per membra, sicut prospiciendum iudicauerit, ergo.

Secundo, specialiter in nostro Ordine Minimorum, in quo tenemur obedire Prælatis in omnibus, exceptis, quæ sunt contra animam, & contra Deum.

Dico secundo, non potest Generalis transferre fratres de vna in aliam prouinciã contra voluntatem transferendorum, & eis inauditis absque rationabili causa. Ita Nauar. loc. cit. Rodriq. to. 1. quæst. reg. q. 23. art. 3. Vega par. 2. cap. 86. casu 41. qui hoc dicunt de extraneo in aliqua Prouincia incorporato; vnde multo magis debent dicere de naturali; & habent fratres Prædicatores loco cit. his verbis, *licet autem Magister habeat plenam, & Generalem potestatem in Ordine, tamen nunquam est ei vtendum huiusmodi plenitudine potestatis, vbi causa rationabilis non occurrerit.*

Nauarr. *Rodriquez* *Vega.*

Probatur primò, quia Iudex superiorẽ agnoscens non potest in damnum tertij quidquam facere, vel ordinare absque rationabili causa, vt docet Panor. in cap. Cum omnes de const. nu. 2. & Nauar. lib. 2. consil. de appell. cons. 5. nu. 4. & patet per caput Erit autem lex distinct. 4. vbi dicitur, quod lex debet esse rationabilis, & honesta.

Panormit. *Nauarr.*

Secundo, quia omnis sententia lata contra inauditum, & incitatũ legitimè, est ipso iure nulla, vt habetur Capite Nos in quem quam 2. q. 1. vbi dicitur Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut conuictum, aut sponte confessum; & in Capite primo de causa possessionis, vbi dicit Papa se contrà inauditam partem nihil posse definire.

Neque credendum est Generali dicenti, se talem fratrem transferre ex iusta, & rationabili causa; nam vt benè ait Nauar. de spolijs Cleric. §. 2. nu. 7. & 8. & lib. 3. consil. de reg. cons. 56. nu. 2. superiori etiam non recognoscenti alium superiorem, dicenti, se facere aliquid ex iusta causa, non creditur, nisi constet de illa, si id non potest facere sine causa. Ergo multo magis illi non est credendum, qui superiorem agnoscit, nec quidquam sine rationabili causa potest facere.

Tertiò probatur, specialiter conclusio in nostra Religione Minimorũ, vbi superioribus assignantur tres socij, vt illorum prouido suffulti consilio, commissa sibi religionis negotia, discretè, ac sapienter possint discernere, atque definire. Sed non definit discretè, & sapienter, qui absque causa rationabili, & inaudita parte procedit; ergo.

Dico tertiò, si Generalis absque rationabili causa subditum transferat de sua naturali in extraneam prouinciam, habet hic iustam appellandi causam: seù de grauamine conquerendi apud Illustrissimum Protectorem, qui eum audire tenetur, & à grauamine subleuare. Ità Nauarr. lib. 2. consil. de appellationibus, consil. 5. num. 6. & lib. 1. de constit. consil. 9. num. 11. in particulari casu de nostra Religione, Rodriq. & Vega locis cit.

Nauarr.

Rodriq. Vega.

Probatur primò, quia quilibet iure naturali, cui Religiosus, vt diximus, non renunciauit per professionem, tenetur periclitantem honorem defensare, at periclitatur hic honor illius Religiosi transferendi, non solum apud Religiosos, sed etiam apud sæculares; putabunt enim omnes, illum cõmisisse aliquod delictum, propter quod fuerit meritò expulsus: & illius vita durãte, sẽper liberũ erit malignis ei talem expulsionẽ exprobrare; quare licitè potest se per appellationem, seù recursum à tali molestia liberare. Immò puto, quod quando esset fama necessaria pro virtute conseruanda, vt regulariter contingit, & insinuatur illo loco Ecclesiast. 41. quod nõ posset Religiosus cedere iuri suo appellandi cum hoc medio recuperet famam sibi iniustè ablatam, sicut licet homo sit Dominus diuitiarum; quando tamen his opus habet pro alenda familia non potest illas pro libito prodigere, sic non potest famæ renunciare, quando est necessaria ad virtutem conseruandam.

Secundo, quia non est malitijs hominum indulgendum, iuxtà legem in fundo, ff. de rei vendicatione, & habet Nauarr. com. 4. de regularib. num. 23. versu 4. potest agere, & comm. 2. nu. 65. versu addo 8. vbi definit, quòd licet si Prælatus possit spoliare subditum officio aliquo manuali absque causa, & solum pro suo libito; si id tamen faciat malo animo, habet subditus iustam causam agendi contrà Prælatum; ergo & in hoc casu, si absque iusta causa amoueat, statim malum suum animum ostendit, & malitiam suam manifestat; vnde illi non est indulgendum. Et vere istæ amotiones non fiunt sine malo animo, odio, & stomacho; nam quid ad Generalem, an aliquis subditus moretur hic, vel illic? ergo quòd velit eum amouere, est vt cruciet, molestet, torqueat.

Nauarr.

Tertiò, in specie pro nostra Religione Minimorum, in qua anno 1620. Cum vellet Reuerendiss. Generalis amouere aliquos fratres Gallos à Conuentu Sanctissimæ Trinitatis de vrbe, & transmittere in Prouinciam Genuensem, in qua tunc temporis ego officio Prouincialis fungebar, habuerunt recursum ad Sacram Congregationem Cardinalium, deputatam super negotijs regularium, quæ sanctè, pièque ordinauit, vt fratres illi permanerent localiter in dicto Cõuentu Sanctissimæ Trinitatis, quousque Pater Generalis talis expulsionis assignaret causam; & tamen Galli non sunt naturales in vrbe.

Quarto. Quòd Illustriss. Protector teneatur taliter grauatum audire; & constito, quòd verè grauatus fuerit, à grauamine liberare, patet, quia ad hoc datur ad ipsum recursus, vt grauatos subleuet, iniustè punitos absoluat, iustitiam tueatur, nihil, quod iniquitatem sapiat, admittat.

Ex quo patet, vt benè Nauarrus comm. 4. de regularibus num. 22. versu Ex quibus facilè. Quòd magna deberet esse causa, ob quam Generalis Hispanum volentem, nolentem transferret in Gallias, vel Germaniam: aut contrà, Gallum, & Germanum in Hispaniam.

Nauarr.

Dico quartò, Saluo meliori iudicio, quòd subditus non tenetur obedire Generali, cũ amouẽti

ex sua naturali Prouincia absq; legitima causa.

Probatur primò, quia Prælato superiorem recognoscenti, & iniustum aliquid mandanti; etiamsi tale iniustum peccatum non contineat, non teneor obedire; vt docet Panor. in cap. Inquisitioni de sentent. excommunic. num. 5. & Tab. verbo Obed. num. 6. & dictum est supra; & exemplificant; si Prælatus mādaret mihi, vt illi darem meos libros, non teneor obedire; sed *deteriores sunt, qui famæ nostræ detrahunt, quàm qui substantiam nostram diripiunt*, vt dicitur. Capite Deteriores 6. quæst. 1. & habet Panorm. in cap. magnæ num. 13. de voto; ergo si non teneor obedire, dando illi meos libros, multò minus dando illi meam existimationem, & famam.

Panormit. *Tabiena.* *Panormit.*

Secundò, quia in omni obedientia sunt intelligendæ aliquæ conditiones, idest si potero, vel si rationabile præceperit; vt docent Tab. verbo Obed. num. 17. Angelus num. 3. Syluest. num. 3. Armilla num. 12. Rosella num. 12. ergo si præcipiat aliquid sine ratione, non teneor obedire.

Tabiena. Angelus. Syluester. Armilla. Rosella.

Dico vltimo, æquum & iustum mihi videtur, quòd fratres non amoueantur ex sua Prouincia: nisi vel vtilitate ipsorum, puta ad studendum: vel Prouinciæ à qua amouentur, ad agenda aliqua negotia pro ea: vel Prouinciæ, ad quam diriguntur, ad illam subleuandam, conseruandam, & honorandam: vel Religionis in communi, ad eam dilatandam, & ampliandam; quòd si quandoq; alij seductores, & pacis perturbatores, vel scandalosi sūt amouendi, amoueantur tempore visitationis: vel si extrà illud necessitas ad id cogat; non amoueat Generalis; nisi priùs habita informatione authentica à Patre Prouinciali Prouinciæ amouendi, subscripta à Collegis ipsius, cum dictis aliquorum saltem fratrum Prouinciæ, quo pacto, nec Generalis in hoc arguetur à conscietia, nec subditus conqueri poterit; quia si est malus, sibi imputet; & hoc videtur rationi, & æquitati consonum.

Quandò autem transmittendi sunt necessario propter proprias culpas, vel de vno in alium Conuentum, vel de vna in aliam Prouinciam; debent adhuc superiores Prælati, tùm Generales, tùm Prouinciales esse valdè circumspecti, vt extra tempora non fiant tales mutationes; nam crebriùs oritur ex tali subita, & incogitata mutatione in populo infamia contrà illos fratres translatos, populus enim qui, cum sit sibi cæcus, totus lynceus est in notandis Religiosorū actionibus, videns illos Religiosos transferri, putat propter scandala ibi commissa; quod benè aduertunt Rodriquez tom. 2. quæst. regul. quæst. 5. art. 9. & Spatharius de modo corrigendi regulares tractat. 2. cap. 4. num. 1. vnde potius esset dissimulandum inter fratres vsque ad tempus mutationum, nisi casus vrgeret, vt dictum est.

Rodriquez. Spathar.

In his denique omnibus Charitate, & prudētia vtendum. Vnde diuinum est illud Oraculum Ecclesiastes 10. *Beata terra, cuius Rex nobilis est* (idest sapiens, & prudens) *& cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriandum.* Hæc dicta intellige, quando vere ex tali amotione orietur in populo, vel in religione infamia contra religiosum amotum, quia nimirum est persona grauis, & multum cognita in ciuitate, & præsertim in illis religionibus, in quibus sunt filiationes Conuentuum. Intelligitur etiam quando nulla apparet causa talis amotionis, quod tamen raro accidit, agendo de fratribus grauibus, de quibus intelliguntur hic dicta. Hæc dicta sunt ad liberandum innocentes subditos e manibus superioris Tyrani, non fouendos iniquos subditos, vt sanctos Prælatos tyrannizarent, & eo in suis iniquitatibus manutenerent, & hoc pacto omnia supradicta intelligenda sunt, nam alioquin puto, quod ab obedientia Generalis appellari non possit per priuilegium Sixti IV. quod refert Calarub. in comp. verb. Generalis nu. 14. & Iulij II. vt refert idem Calarub. verbo *appellare* num. 3: præsertim in Ordine nostro, vbi tenemus obedire Prælatis in omnibus, quæ non sunt contra Deum, aut regulam.

Ecclesi. 10.

CAP. XIII.

Vtrum Subditus teneatur Obedire Prælato præcipienti, vt in Carcerem pergat, non assignata causa talis carcerationis.

HIc præeuntem non vidi, ipse mihi aliquibus notabilibus sterno viā. Primò igitur noto pro quæstionis intelligentia; quòd sunt quandoque aliqui Prælati Religiosorū tàm indiscreti, & exorbitantes, vt potius carnificis, & Tyrannuli vendicēt sibi nomen, quàm Pastoris, & patris; & ità suis se domādos dedunt passionibus, vt errātem subditum (subditum inquam, quem in naribus gestant) in quacunque re leui, detrudi iubeant in tetrum carcerem, quòd si talis detrusionis quærat subditus causam, vel quia leuissima sit, vel quia nulla in rei veritate existat, recusant dicere, his suam malitiam tegētes verbis; carcerem petito, causam inde scies. Quæritur modò, an subdit⁹ in hoc teneatur obedire.

Noto secundò, quod carcer apud Religiosos est maximum dedecus, & irreparabilis iactura, vt docet Rodriq. tom. 2. quæst. regul. q. 22. art. 2. & ideò tarde adhibendus à Prælatis; quia si sola suspicione, aut præsumptione: aut semiplena informatione subditos in carcerem detrudant, & eos deinde innocentes reperiant, licet si absolutoria sententia deinde eos liberent, à iactura, in quam per carceris detentionem inciderunt, nūquàm totaliter liberabunt, vt notat Io. Andreas cap. Si Clericus de sent. excōm. in 6. obijcietur enim semper talibus Religiosis à malignis, quod tali tēpore, à tali superiore fuerunt incarcerati, & cum homines naturaliter sint procliuiores ad male suspicandum de punitis, quàm de punitoribus, non ità de facili talis macula abstergitur.

Rodriquez. Io. Andr.

Noto tertiò, ex Nauar. in Rubr. de iud. nu 83. quòd *Iudices etiam supremi debent esse multū circumspecti in inquirendo, vel mandādo inquiri, ne faciant, quæ propter propria peccata castigentur, dum aliena castigare nimis anhelant. Quandoquidem non lege humana tantùm, sed naturali, & diuina, contenta in octauo præcepto decalogi, vetatur, ne quis proximum infamet: vel sit causa propinqua infamādi; qua eadem ratione debent abstinere à conijciendo in carcerem; præsertim viros honoratos, & de fuga nō suspectos, donec iustam informationem de crimine habeant.* Hæc Nauar. qui eodem comm. de iudicijs nu. 51. ait, *Peccare mortaliter iudices quacūque de causa etiam leuissima, vel suspiciosa in carcerem subditos conijcientes, tenerique etiam ad restitutionem*

Nauarr. Nauarr.

nem

Syluester. Spathar.

subditos conijcientes, tenerique etiam ad restitutionem famæ; quod etiam tenuit Syluester verbo Carcer quæst. 2. & Spatharius de modo corrigendi Regulares tract. 9. cap. 14. num. 4.

Noto quartò, quòd Religiosus iniustè, & per vim incarceratus cũ sui honoris, & famæ iactura, potest fugere absq; apostasię nota: etiam vim inferẽdo custodibus: etiam rũpendo vincula, & carceres: etiam arma ad hæc assumendo; dũmodò rectà properet ad superiorem illius, qui eum iniustè in carcerem coniecerat. Et si iniustitia notoria sit, possunt alij confratres eum adiuuare ad fugiendum, præbendo instrumenta, quibus carcerem frangat, compedes limet, disrumpat vincula, &c. non obstante quocunque superioris præcepto in contrarium, sub quacunque forma verborum facto; etiam sub merito sanctæ Obedientiæ: etiam sub pęna excommunicationis ipso facto; quia iniusto præcepto nemo tenetur obedire. Hæc omnia colliguntur ex Caiet. 2.2. q. 69. art. 3. habet expressè Baldus in Capite Ad nostram de appellationibus Cardinalis in Clement. 1. §. præfatæ de statu Monachorum, Grassius par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 126. Spatarius de modo corrigendi regulares tract. 9. cap. 17. num. 3. 4. 5. Addo quod fratres adiuuantes superiorem in iniusta confratris incarceratione, vim illi inferentes, recusantem in carcerem portantes, peccant omninò mortaliter; si de iniustitia constet; quia iniustæ actioni, iniusti superioris cooperantur. non enim in eo casu illi tenentur obedire, etiam si sub pœna excommunicationis præcipiat; quia hoc gladio non vtitur ecclesia ad feriendum innocentem; sed tantum contumacem, & reum; nec est adinuentus ad fouendos iniustos Prælatos, seù potius infernales furias; sed ad coercendos insolentes subditos, & rebelles, & habetur in cap. Imperatores 11. q. 3. cap. *Quando*, cap. *Non inuenitur* 13. q. 3.

Caietan. Baldus. Cardinal. Grassius. Spathar.

Noto quintò, quod religiosus non debet nisi ex delictis grauibus incarcerari, vt notat Abbas in cap. vt famæ de sentent. excommunic. num. 2. & Grassius par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 128. & colligitur ex cap. *Nouimus* de verb. signif. & cap. *Sicut in vno*, §. fin. de hæret. quod si quis potestati Prælatorum resistere non valens, de facili pro culpa talem pœnam non merente incarceretur, nõ per hoc fit infamis, vt dicit Grassius loco cit. Quia nemini imputatur ad pęnam, quod per vim coactus est sufferre; & de carcere, & catenis, quandoque quis egreditur ad regnum, vt patet de sancto Ioseph, & sancto Petro. Et quando dicitur, quod per carcerem irrogatur infamia, intelligitur de carcere ad pœnam dato, vt notat Baiard. ad quæst. 70. pract. crim. Iulij Clari lib. 5. num. 1. Victorinus Mansus in sua pract. cap. 20. nu. 4. licet macula; etiam iniustè tolerata, non de facili abstergatur, vt dixi.

Abbas. Grassius. Baiardus. Victor Mans.

Dico primò, subditus non tenetur obedire Prælato præcipienti, vt carceratum se præbeat, non assignata causa talis carcerationis.

Probatur primò ex dictis, quibus cõstat, quòd carcer irrogat maximam infamiam Religioso, qui honorem suum de iure naturali, cui, vt diximus capite superiori, non renunciauit, tenetur, seu saltem potest defensare; & ideo non tenetur sic captis oculis carceratum se præbere.

Secundò Probo, ex locis scripturæ, in quibus, cum Deus suum populum punit, vel ei aliquod graue minatur flagellum, semper assignat causam talis flagellationis. Actorum 12. *Confestim percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo*; & Esaiæ 10. *Ad gentem fallacem mittam eum: & contra populum furoris mei mandabo illi; vt auferat spolia, & diripiat prædam*, quia nimirum fallax gens est, ideò mittam, &c. & Ezechielis 29. *Fili hominis, Nabucdonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum, & merces non est reddita ei, &c. propterea hæc dicit Dominus; Ecce ego dabo Nabucdonosor regem in terra Aegypti, & accipiet multitudinem eius, &c.* & primo Regum 6. *Percussit autem de viris Bethsamitibus, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis; eo quod vidissent arcã Domini*, & Matth. 25. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi bibere, &c. Ite in ignem æternum*, & Genesis 3. *Serpenti dixit, quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia*: Adæ verò dixit, *quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, &c. Maledicta terra in opere tuo*; ergo si Deus, de quo Iob. vndecimo dicitur, *si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei*? semper puniendo, causam punitionis adducit, Homo vermiculus terræ atrocem infamationis pœnam, absque causæ assignatione, dabit illis subditis, qui liberè, & voluntariè pro Dei amore se illi subiugauerunt?

Actor. 12. Esaiæ 10. Ezech. 29. 1. Reg. 6. Gen. 3. Iob. 11.

Tertiò probo, ex Capite 2. distinct. 36. §. ecce versu Hinc, & Petrus; vbi dicitur, quod Prælatus debet esse paratus reddere rationem omni poscenti, & Capite Coriepiscopi distinct. 68. dicitur, *quod ratione caret, extirpari necesse est*; quæ etiam habentur Capite Omnia talia distinct. 12. & capite peruenit de censibus.

Quartò probo, quia tunc indiscretè, & iniustè procedit Prælatus; vnde subditus non tenetur ei obedire; vt dicitur Capite sollicitudinem, §. si verò de appellationibus.

Dico secundò, etiamsi Prælatus assignet causam, quæ tamen sufficiens non sit ad talem pœnam, non tenetur subditus obedire. Quam conclusionem sic probo, & declaro ex pract. Diaz cap. 126. Vict. Mãsi cap. 20. nu. 3. & Spath. tract. 9. de modo corrigendi Regulares cap. 14. Triplex est carceris genus; Primum est in pęnam criminis, & id nunquam adhibetur, nisi per definitiuã sententiam, præuijs probationibus, & defensionibus. Secundum Genus est ad custodiã, ad quod licet non requiratur plena informatio delicti; nunquam tamen adhiberi potest, nisi fuerit reus de culpa valdè suspectus, vt potè alias fugere solitus, vnde Trid. sess. 25. cap. 6. de reform. præcipit iudicibus Ecclesiasticis, vt in omnibus criminibus semper ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti, & personarum, delinquentes, loco decẽti custodiantur. Tertiũ genus est ad afflictionem; & est quædam torturę species, & adhiberi non debet, nisi pro graui crimine, nec sine causæ sufficienti cognitione, cum magnum præiudicium inferatur taliter incarceratis.


Victor. Mansus. Spathar. Trid. sess. 25.

Noto tamen, quod si persona esset admodum vilis, & de delicti veritate apud Prælatum satis constaret: vel per manifestissima iodicia: vel per testem omni exceptione maiorem, tunc posset Prælatus talem iustè in carcerem ad afflictionem conijcere.

CAP. XIV.

An subditus possit proponere Prælato causas, quare obedire non possit, & an Prælato illas acceptare nolenti teneatur nihilominus obedire.

D. Bonau. Turrecremata. Aluarez. Alphons. Rodriquez.



RO hoc capite videatur D. Bonauent. in speculo disciplinæ par. 1. principali particula prima cap. 4. Turrecremata in regula S. Benedicti cap. 68. tract. 143. Aluarez to. 2. de vita spirituali lib. 5. par. 3. cap. 13. Alphonsus Rodriq. par. 3. exercitij perfectionis tract. 5. cap. 15.

Dico primò. Non est contrà obedientiæ votũ causas humiliter proponere, quare mãdato superioris obedire non possimus, est omniũ citatorũ.

Ezech. 4. Probatur primo, ex scriptura Ezech. 4. Præcipit illi Dominus ad calamitatẽ Iudæorum portendendam, vt panem, quo vesci debebat, igne humani fimi desiccati conqueret, à qua re valdè abhorrens diuinus vates, Deum obsecrat, ne illi hoc præcipiat dicens A. A. A. *Domine Deus ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestijs non comedi ab infantia mea vsq; nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda;* non exacerbatus est Dominus Prophetæ verbis; sed mitigauit mandatum, & vatem consolatus est; *ne putemus*, Inquit Hieronymus ad hunc locum, *Prophetam contradicere imperio Domini; sed causas reddere, immò deprecans, cur hoc facere non possit.* Simile quid contigit Petro Actorum 10. *Act. 10. Gen. 18.* & Genesis 18. Minantem Deum Abrahæ fœdarum illarum Ciuitatum destructionem, & ruinam, non ne obedientissimus vir, honorem præstans semel bis, atque iterum deprecatur est?

Bonauent. Secundo probatur, ex Regula S. Benedicti capit. 68. & habet Bonauent. in speculo disciplinæ cap. 4. vbi dicitur. *Si cui fratrum, aliqua fortè grauia, aut impossibilia iniungantur, suscipiat quidem imperium cum omni mansuetudine, & obedientia, quòd si omninò virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suæ causas, ei, qui sibi præest patienter, & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo.*

Tertio probatur, ex Capite, si quando de rescriptis, vbi dicitur; *Si quando aliqua fraternitati tua dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes; qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per tuas literas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.* Eadem ferè habentur Capite cũ teneamur de præbendis, & dignitatibus, Cassiod. 6. variar. *Cassiodor.* formula 5. quæst. vnic. *pro Equitate, ait, seruanda etiã nobis patimur contradici, cui oportet etiã obediri.*

Dico secundò, si propositis causis, adhuc superior persistat in sua voluntate, subditus obedire tenetur, est omnium citatorum.

Probatur primo ex dictis, Nam si Deus in sẽtentia illa perstitisset, quod vates Ezechiel panem humano stercore coctũ comedisset, licet si abominabile hoc fuisset; obediendum tamen illi erat; & Petro ter recalcitrandi, immundaq; ducenti, quæ illi obijciebantur, dictum est, *Quæ Deus sanctificauit, tu ne immunda dixeris.*

Secundo, ex regula S. Benedicti loco citato, vbi post dicta subiungit, *Quòd si post suggestionẽ*, idest insinuationẽ suam, *in sua sententia Prioris imperium perdurauerit, sciat Iunior, ità sibi expedire: & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.*

Bonauent. Tertio, ex Bonauent. loc. cit. Vbi postquam dixit non esse contrà Obedientiæ votũ causas proponere, quare obedire non possimus, subiungit; *Si adhuc superior in sua manserit sententia, ita sibi nouerint expedire, & ex charitate de adiutorio Dei cõfisi obediant. Christus, factus est pro nobis obediẽs vsq; ad mortem, mortem autem Crucis, qui licet ad Patrem pro Calicis translatione clamauerit, continuò tamen adiunxit, veruntamen nõ mea voluntas, sed tua fiat.*

Quarto probatur, ex præcitato Capite cum teneamur, vbi id expresse habetur. Et Capite contra morem d. 100. & cap. ante triennium d. 31. & cap. In memoriam d. 19. quibus Capitibus probatur expressè nostra conclusio.

Quæ tamen limitanda est, si quod præcipitur non est omnino impossibile, nam ad impossibile nemo tenetur: & si quod præcipitur, nõ contineat aliquod peccatum mortale, vel veniale; nam tunc magis est obediendum Deo, quàm hominibus; vel est intelligenda de superiore superiorem nõ recognoscente, qualis est Papa, cui etiam in iniulijs, quæ peccatum non continent, si replicat, est obediendum, quod probant Capita hic allata, & habet Tabiena verbo Obed. *Tabiena.* nu. 6. vel si loquamur de Prælato Ordinis, conclusio est intelligenda, quando quæ præcipit sũt indifferẽtia, vel dubia, nec sunt in præiudicium animæ, vitæ, honoris, & famæ subditi, neque alterius iuxta dicta superioribus capitibus.

CAP. XV.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato præcipienti reuelare secretum fidei suæ commissum.

D. Thom.



RO hoc capite, & ratione tegendi secretum potest videri D. Th. quodlib. 4. art. 11. & quodlib. 1. art. 15. & 2. 2. q. 68. art. 1, ad 3. & q. 70. art. 1. ad 2. vbi Caiet. Sotus de ratione tegendi secretum, Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 22. §. 5. & ibi cap. 19. §. 7. Vega par. 2. cap. 96. Rodriq. in sum. par. 2. cap. 54. Salzed. ad pract. Diaz cap. 106. Nauar. in sum. cap. 18. num. 51. & seqq. & cap. inter verba conclus. 6. imperfecta num. 18. & ibid. eadẽ concl. 6. perfecta nu. 401. & de pœnit. dist. 6. cap. penult. à nu. 1. Azor. to. 3. instit. moral. lib. 13. cap. 31. Sylu. & alij Sũmist. verb. Secret. Val. to. 3. disp. 5. q. 13. p. 1. & q. 14. p. 2. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 11. dub. 8. à num. 51. vsque ad 85. Reginaldus in praxi lib. 24. num. 106. Scotus in 4. dis. 21. q. 2.

Caietan. Sotus. Antoninus. Vega. Rodriquez. Salzedo. Nauarr. Azor. Syluester. Valentia. Lessius. Reginald. Scotus. Caietan.

Notandum est ex Caiet. 2. 2. q. 70. art. 1. in calce respõs. ad 2. quòd in triplici sunt differentia res, quæ fidei nostræ committuntur; Quædam, quæ & si nõ sint fidei nostræ commissa, tenemur seruare secreta, vt occulta adulteria, & facta, quæ reuelata essent semina discordiæ: vel animæ, & corpori, honori, vel famæ, vel fortunis alicuius nocerent. Quædam, quæ etsi simpliciter possent referri, quantum in nostra notitia est occultas tamen habent rationes in eo, qui fidei nostræ commisit, quia voluit secretum seruari. Quædam verò sunt, quorum occultatio nulli prodest

& reuelatio nulli nocet; quæ leuiter committuntur; & leuiter acceptantur secreta.

Dico primò, si secretum commissum vergit in damnum corporale, vel spirituale communitatis: vel in graue damnum alicuius personæ, præsertim qua quis speciali iure tutari tenetur: puta in damnum vitæ, vel honoris mei Prælati per secretam, eamque iniustam coniurationem, tunc non est expectandum superioris præceptũ, sed statim reuelandum: etiam si de non reuelando iuramentum præcessisset. Ità D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. & quodlib. 1. art. 15. corpore, Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 19. §. 7. in fin. & cap. 21. §. 5. verbo 3. modo, Nauar. in sum. cap. 18. num. 54. verbo Dixi in iniustam, & cap. inter verba conclus. 6. perfecta à num. 401. & de pœnit. dist. 6. cap. Sacerdos num. 37. Reginald. in praxi lib. 24. num. 112. Azorius tom. 3. instit. moral. par. 3. lib. 13. cap. 32. dub. 4. Angelus verbo testis num. 33. Syluest. eodem q. 8. d. 2.

D. Thom. Antonin. Nauarr. Reginald. Azor. Angelus. Syluester.

Probatur primò, quia licet lex naturalis dictet, seruandum esse secretum, alia tamen lex etiam naturalis fortior illa dictat, bonum commune bono particulari esse præferendũ; & malum commune, quòd sequeretur ex celatione secreti, esse anteponẽdum malo particulari, quod sequitur ex reuelatione, vt si v. g. reuelet mihi aliquis, multos esse combusturos totum, vel partem conuentus; etiamsi id faciat ex amicitia, quam mecum prætendit, vt me indemnem conseruare possit; vel etiam aliquid esse facturos, ex quo graue aliquod damnum totum religionis corpus est passurum. Quis dubitat quòd præceptum Prælati expectare non debeo: sed statim teneor reuelare, etiamsi sub secreto non reuelãdi acceperim; nam hoc casu valet illud, *In malis promissis fidem non expedit obseruare*; vt dicitur regula 69. de regulis iu 6. Etiamsi sub iuramento acceperim non reuelandi; per regulam non est obligatorium, quæ est 58. de reg. iuris in 6. vbi dicitur, *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum*.

Secundò probatur, de superiore in specie; quia huic teneor ex debito iustitiæ naturalis fidem seruare, Vnde in iuramento fidelitatis, quod ser ui exhibent Dominis suis, hoc continetur, quòd huiusmodi secreta debeant Dominis reuelare. Ergo contra hanc fidem, per commissum, & acceptatum quodcunque secretum, iuxta regulas iuris allatas in præcedenti argumento, non possum obligari.

Tertiò de religiosis particularibus probatur conclusio; nam Prouerb. 24. dicitur, *Erue eum, qui ducitur ad mortem*; & refertur Capite non in inferenda 23. quæst. 3. Quod intelligo per occultas machinationes, iniustasq; technas, & ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

Prouer. 24 Rom. 1.

Quartò, in vniuersali de omnibus ad nostrum propositũ; quia quilibet Religiosus tenetur, ratione voti professionis, suæ Religionis indemnitatem, puritatem, & honorem defensare; sit enim ibi vltrò ad hoc, citroque obligatio; sicut enim Religio tenetur suum subditum alere, & defendere, Ratione iustitiæ, vt docet Lessius lib. 2. de iust. cap. 35. dub. 12. num. 68. versu *sed contra*, ita & Religiosus illam, vt dicitur cap. nulli dubium 3. q. 1. Similiter tenetur subditus sui Prælati defensionem suscipere; ad Capitis enim defensionem accurrunt naturaliter inuocata membra. Et item ad defensionem Religiosi particularis, ratione ligaminis fraternitatis, quam inter se, & ad inuicem habent singuli Religiosi; Membro enim membri incumbit cura, & vnicuique mandauit Deus de proximo suo.

Lessius.

Hæc tamen intelligenda sunt; modo non habeantur sub secreto confessionis; nam quæ hoc modo sciuntur, non sciuntur ab homine simpliciter, vt homo est, sed vt Minister Dei est, vt habet D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. & tunc maius est vinculum sacramenti, quam quodlibet aliud præceptum. Ita D. Thom. loco cit. & quodlib. 1. art. 15. & Antonin. 2. parte tit. 1. cap. 19. §. 7. fine, Armilla verbo Accusatio num. 7.

D. Thom. D. Thom. Antonin. Armilla.

Et nota, quòd non dicitur haberi sub sigillo confessionis id quod habetur hoc pacto (licet multi hallucinentur in hoc.) Dico tibi hoc in cõfessione: vel etiã dicitur Confiteor Deo, &c. etiam genibus flexis: etiam signato fronte signo crucis; absq; animo tamen confitendi peccata, & absolutionem recipiendi; sed tantummodo aliquid reuelandi, vt habet Caiet. 2. 2. q. 70. art. 1. cit. Et Nauar. in sum. cap. 18. nu. 55. & cap. Sacerdos de pœnitentia d. 6. nu. 39. Vega 2. par. sum. cap. 96. casu 3. & alij communiter, sed hic modus manifestandi secreta nullam habet maiorem vim, quàm si extra confessionem manifestata essent.

Caietan. Nauarr. Vega.

Dico secundò, si secretũ non vergit in damnũ alicuius tertiæ personæ, sed solum damnum vergeret manifestantis, si propalaretur, tunc etiam non sub secreto acceptum, ad superioris præceptum sub quacunq; forma verborum factum, nõ tenetur subditus manifestare: neq; etiam tenetur si non appareat quidem, quare manifestare non possit, occultas tamen habet rationes in eo, qui illius fidei cõmisit, propter quas voluit secretum seruari. Ità D. Th. quodlib. 1. art. 5. corp. & 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. vbi Caiet. Nauar. cap. inter verba conclus. 6. perfecta num. 43. versu 4. & in sum. cap. 18. num. 60. Sylu. verbo testis q. 8. d. 2. Azor. tom. 3. instit. moral. lib. 3. cap. 31. dub. 5. Reginald. lib. 24. num. 110. Scotus in 4. dist. 21. q. 2. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 19. §. 7. fine.

D. Thom. Caietanus. Nauarr. Syluester. Azor. Reginald. Scotus. Antonin.

Probatur primò, quia de iure naturæ debemus proximo, quæ nobis ab eo fieri volumus, vt dicitur Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, hæc facite illis*. At omnis desiderat, secretum, quod alijs committit, non publicari.

Matth. 7.

Secundò, quia seruare fidem est de iure naturali, contra quod homini nihil potest præcipi, vt D. Thom. ait 2. 2. q. 70. art. 1. ad 3.

D. Thom.

Tertiò, quia damnificans proximum grauiter in honore, & fama mortaliter peccat secundum omniũ opinionẽ contrà iustitiã, & ad restitutionẽ tenetur, vt habet in specie Regi. lib. 24. n. 107.

Reginald.

Dico tertiò, si occultatio secreti nulli prodesset, & reuelatio nulli noceret, tunc reuelare non esset plusquam veniale: etiam si sub secreto tegendo acceptum esset, vt Caiet. habet loco cit. & Nauar. in sum. cap. 18. num. 52. versu Verum est tamen, Azor. tom. 3. lib. 13. cap. 31. dub. 1.

Caietanus. Nauarr. Azor.

Probatur, quia hic nõ læditur notabiliter proximus, vnde peccatũ non potest esse mortale. Fit autẽ contra fidelitatem proximo debitam; etiã ratione promissi, & per consequens est peccatũ veniale. Quod peccatũ veniale non tenetur subditus cõmittere ad præceptum prælati, vt reuelet tale secretum per ea, quæ dicta sunt supra.

CAP. XVI.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato præcipienti reuelare crimen occultum fratris.



Aput hoc nos admonet, vt instruamus subditum nostrum de modo, quo se debet gerere in visitationibus, tùm Generalibus factis à Generali: tũ Prouincialibus factis à Prouinciali, ex cuius ignoratione multi subditi simpliciores præsertim iuuenculi; attenta etiam Prælatorum non admonentium desidia, in varios errores cum dispendio famæ, & honoris proximi dilabuntur.

D. Thom. Innocent. Abbas. Hostiensis. Raymund. Friburg. Nauar. Diaz. Salzedo. Angles. Sotus. Syluester. Angelus. Tabiena. Armilla. Pisanella. Rosella. Sà. Toletus. Naldus. Ledesma. Spathar. Rodriquez. Zerola. Lessius. Vega. Bonacina. Graffius. Azor. Reginald. Salon. Valentia. Sayrus.

Pro hoc capite igitur (quantum pro nunc ad subditum necessarium putamus) potest videri D. Thomas 2. 2. q. 68. 69. 70. & quodlib. 1. art. 16. quodlib. 4. art. 12. & quodlib. 12. art. 13. Innocentius cap. Nouit ille de iudicijs, & toto tit. de accus. Inquisit. & denunciat. vbi Abbas, Hostiēsis, & Canonistæ communiter, Raymundus in summ. lib. 3. tit. de inquis. §. 2. vbi Friburgus, Nauarrus cap. Inter verba conclus. 6. perfecta præsertim à num. 221. & in summ. cap. 18. num. 56. & alibi, Diaz in sua practica cap. 6. vbi Salzedo, Angles in floribus parte 2. q. de correctione fraterna art. 1. difficult. 7. & art. 2. & 3. Per multa, pag. mihi 67. Sotus lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 1. & 2. Syluest. verbo Accusatio, Denunciaciatio, Inquisitio, testis, Correctio, vbi Angelus, Tabiena, Armilla, Pisanella, Rosella, & reliqui summistæ, Sà in aphorismis verbo Denunciare, Toletus in summ. lib. 5. cap. 58. Naldus verbo Accusare, & reuelare, Ledesma parte 2. summ. tract. 4. cap. 4. conclus. 12. & tract. 8. cap. 13. Spatharius de modo corrigendi regulares, præsertim tract. 5. per multa, Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 6. & 7. & in summ. tract. de ordine iudiciali, Zerola verbo Accusatio, Lessius lib. 2. de iustit. cap. 29. à dub. 12. Vega prima parte summ. cap. 81. Bonacina in decalog. disp. 10. quæst. 3. Graffius prima parte decis. cap. 69. Azorius parte 3. lib. 13. cap. 19 20. 21. Reginaldus in praxi lib. 24. à num. 40. Salon. 2. 2. q. 68. per multa, Val. tom. 3. disput 5. q. 12. Sayrus in Claui regia lib. 12. cap. 10. & lib. 11 cap 4. à num. 8.

Noto primò, tribus modis potest subditus suum Prælatum de aliquo delicto admonere. Primo Paternè; & est quando subditus admonet Prælatum inter se, & ipsum solum de aliquo delicto: quo pacto solam confratris correctionem intendit, quam ipse per se obtinere nõ potuit: vel obtinere non posse sperauit; Secundo Iuridice, denunciando crimen ad superiorem, tanquam ad iudicem competentem: & sic intendit correctionem quidem fratris præcipuè, sed & pœnam delicto debitam in publicum bonum, & exemplum aliorum, & hoc modo denuncians non se obligat ad probandum; sed sufficit si proponat crimen, testes, & indicia illud probantia, quæ si defecerint ad ipsum nihil. Tertio etiam iuridicè; sed accusando: & sic vindictam intendit, & tenetur probare ad pœnam talionis, ità vt si non probet, luat pœnam accusato debitam. Ità communiter Doctores locis cit. in specie Clauis regia lib. 12. cap. 14. num. 11. Bonacina in decalog. disp. 10. q. 3. p. 1. proposit. 3. Rodriq. tom. 2. quæst. regul. q. 6. art. 1. Angles par. 2. quæst. de correct. fraterna art. 2. conclus. 1. *Bonacina. Rodriquez. Angles.*

Noto secundò, quòd tripliciter potest dici, aliquod peccatum esse occultum, vt ait D. Thomas quodlib. 4. art. 12. & 2. 2. q. 33. art. 7. corpore. *D. Thom.* Primo simpliciter, quando scilicet nullo modo ad multorum notitiam peruenit, & tale peccatum occultum nocet soli facienti; & qui tale peccatum scit, solum correctionem fratris peccantis debet intendere, ad quam à Christo institutus est modus Matthæi 18. & si Prælatus præcipiat, vt peccatum fratris hoc modo occultum ei dicatur, obediendum non est. Secundo modo potest dici peccatum occultum, quando non scitur quidem factum ipsum malum, sed per aliques suspiciones in notitiam multitudinis venit, vnde multorum scandalum oriatur, & iam peccatum, non solum nocet committenti, sed multis; & quia bonum multitudinis præferendum est bono vnius; ideò Prælatus debet disquirere veritatem facti, vt scandalum multitudinis cesset: vel per pœnam peccantis: vel per eius excusationem, & ideo in tali casu potest præcipere scienti crimen fratris, vt illud manifestet, & subditus obedire tenetur: Tertio modo sunt quædam peccata occulta, quę sunt in nocumétum proximorum, vel temporale, vel spirituale; vt si quis occulte tractet, quomodo Ciuitas tradatur hostibus: vel si hæreticus priuatim homines auertat à fide; & qui hoc modo peccat, statim est denunciandus; quia in multos peccat. Nisi fortè quis firmiter æstimaret, se per secretam admonitionem huiusmodi mala impediturum. Quo casu est aduertendum, non semper esse necesse denunciare personas, & delicta, sed solum, quando aliter bono communi prouideri non potest; Nam si sufficiat generalis admonitio, quòd aliqua mala parantur, non esset facienda declaratio specialis; & si sufficeret solis specialis delictorum, non esset facienda personarum; quia semper seruanda est fama proximo, quoties id fieri potest sine detrimento boni communis, & sine detrimento animæ illius; vt habet Nauarr. in summ. cap. 18. num. 56. Graffius parte prima decis. lib. 2. cap. 69. num. 17. Reginald. in praxi lib. 24. num. 55. & 58. & colligitur ex D. Thoma quodlib. 12. art. 13. *Nauarr. Graffius. Reginald. D. Thom.*

Noto tertiò, circa illa verba, quibus Prælati in principio suarum visitationum communiter omnibus præcipiunt, vel specifice vni particulari sub pœnis, & censuris, vt eis dicatur, si quid corrigendum sit; Quòd hoc præceptum sano modo est intelligendum; saluo semper ordine fraternæ Correctionis; si enim Contra hunc ordinem à Domino præscriptum, præciperet, & præcipiendo peccaret, & non esset ei obediendum iuxtà illud Actorum 5. Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus; *Actor. 5.* vnde non habet potestatem præcipiendi super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones. Ita D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. *D. Thom.*

Noto quartò, quia in sequentibus sæpius fiet mentio de eo, siue teste, siue reo, qui iuridice fuerit interrogatus, quod tenetur veritatem fateri. Quod ille dicitur iuridice interrogatus, semper, & solum quando tria concurrunt. Primum, quòd Iudex interrogans sit competens:

Secun-

D. Thom. Caietan. Nauarr. Salzedo. Reginald. Valentia.

Secundum, quòd delictum ſit probatum plenè, vel ſaltem ſemiplenè: hoc eſt ſaltem per vnum teſtem omni exceptione maiorem: vel indicia illi æquipollentia: vel per infamiam plenè probatam. Tertium, quòd ſit notificata illi huiuſmodi probatio, vt ſciat in quo ſtatu eſt. Ità Diu. Thomas 2.2 q.69.art.1. & 2. corpore, Caiet. ibi, Nauarr. in ſumm. cap. 18. num. 57. Salzedo ad practicam Diaz cap.129. verſu octano, & nono, Reginaldus lib.24.num.40.verſu Porrò, Valent. tom.3. diſp.5. q.13. p.2. verſu, ſed circa primã.

D. Thom. Caietan. Nauarr. Rodriquez. Syluester. Graſſius.

Dico primò, omnes iure diuino naturali tenemur ad correctionem fraternam ſub peccato mortali. Ità D.Thom. 2.2. q.33. art. 2. Caietan. ibi Nauarr. in ſumm. cap. 24. num.12. Rodriq. tom. 2. quæſtionum regul. q. 8. art. 1. Syluester verbo Correctio q.1.num.2. Graſſius prima parte deciſ. lib. 2. cap.69. num.2.

Matth. 18.

Probatur primò, ex illo Matth.18. *Si peccauerit in te frater tuus, Corrige eum inter te, & ipſum ſolum*; vbi etiam præſcribitur modus id exequendi.

Secundò, quia ius naturale præcipit, vt ſaluti proximorũ ratione præditi ſubueniamus. Vnius enim ſpeciei homines nos inuicem adiuuare debemus.

Nauarr. Graſſius.

Quatuor tamen debent concurrere, ad hoc vt quis ad eam ſub mortali teneatur. Quæ colligunt Nauarrus, & Graſſius locis cit. ex D.Thom. Primum, quòd peccatum mortale ſit, vel veniale ad mortale inducens. Secundum, quòd ſperetur emendatio: vel certè non timeatur deterioratio. Tertium, opportunitas non ſolum perſonæ, quæ vel prudentior ſit, vel magis obligata: vel magis profectura, conſiderata peccantis conditione, amicitia, parentella, &c. ſed etiam temporis, & loci: Quartum, vt commodè fieri poſſit; ideſt, abſque damno notabili, ſalutis, honoris, & famæ corrigentis.

Caietan.

Notat etiam Caiet. 2.2.q.33.art.2. in Reſponſione ad tertium; quòd quando quis correctionem omittit: vel propter defectum ſpei, quia ſcilicet non ſperat, illum ſe emendaturum: vel propter reſpectum humanum; quia timet, ne illum offendat: vel quia timet, ne reputetur præſumptuoſus: vel propter ignorantiam, quia nõ credit, ſe in tali caſu obligari: vel ex quacunque alia cauſa, hoc ſemper ſaluo, quòd ſi crederet probabiliter ſe à mortali peccato proximum retracturum omnia poſtponeret Charitati fraternæ, non peccat mortaliter.

Matth. 18. D. Thom. Syluest. Graſſius. Sayrus. Rodriq. Spathar.

Dico ſecundò, denunciare paternè omnes tenemur ſub mortali, quando nulla ſpes emendæ fratris habetur, per correctionem fraternam factam, ſeù faciendam, ſecundum præſcriptum Chriſti Matth. 18. quæ emenda ſperatur per paternam prælati grauiorem, & ſeueriorem admonitionem. Ità D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 8. ad quartum, Syluest. verbo Correctio, q.3. num.4. Graſſius parte prima deciſ. lib.2. cap.69. num.15. Sayrus in Claui regia lib. 12. cap.10. num.7. verſu Primo quidem, Rodriquez tom.2. quæſt. regul. q.6. art.5. Spatharius de modo corrigendi Regulares tract.5. cap.1. num.9.

Probatur; quia ſalutem proximi ſpiritualem ex præcepto diuino omnes procurare tenemur, omni meliori via, & modo, quo poſſumus, ſalua proximi fama, & honore; ſed hic modus optimus eſt ad ſaluandum proximum: admonere plum; & Charitatiuum Prælatum de illius defectibus, vt corrigatur.

D. Thom. Rodriquez.

Vbi notandum, quòd in delictis ſecretis, quæ ſunt contra peccantem ſolum, vt Luxuria, Gula, Auaritia; quando nulla ſperatur peccantis Correctio, etiam ex huiuſmodi admonitione facta Prælato, vt Patri; ſed potius timetur deterioratio, & in peccantis durior obſtinatio, non tenetur ſciens, talem denunciationem facere, quia eſſet contra finem fraternæ correctionis, qui eſt Charitas. Ità D.Thom. 2.2.q.33.art.6. & Rodriq. tom.2. quæſt. regul. q.6.art.5. qui addit, *Tunc rogandum eſſe Deum, vt ſalutem peccantem à via perditionis auertat, & ad viam veritatis reducat.* Quod intellige ſi ſint omninò occulta, & per denunciationem iudicialem probari non poſſint. Sin autem delicta ſint in damnum tertij, vel Communitatis, tunc reuelanda ſunt Prælato; etiamſi nulli poſſint adduci teſtes, vt Prælatus ſecundũ ſuam prudentiam, remedium adhibeat, vt ait

Angles. Salon. D. Thom. Nauarr. Graſſius.

Angles 2. parte queſtione de Correctione fraterna art. 1. difficult. 6. pag. mihi 67. & Salon 2.2.q.68. art.1. concluſ. 2. parte 2. concluſionis, cum cautelis tamen adhibitis notabili 2. ex Diu. Thoma, Nauarr. & Graſſio, vt ſolum ea, quæ ad vitandum malum neceſſaria videntur, denuncientur: ſalua, quantum plus poteſt, fama proximi.

Notandum eſt etiam, quòd quando Prælatus eſt ſecretò monitus tanquam Pater, non poteſt reum punire, neque iuridicè interrogare; ſed debet tantum monere, & minis terrere, vt cautius viuat. Ratio eſt, quia Prælatus non poteſt iuridicè procedere, quando non habet contra reum legitimam probationem, infamiam, aut indicium; & reus tunc etiam ſub ſententia excommunicationis iuſſus confiteri non tenetur.

Angles.

Ità Angles in floribus parte 2. q. de Correctione fraterna, art. 1. difficult. 7. concluſ. 1. pag. mihi 67.

Nauarr. Angelus. Graſſius. Rodriquez. Reginald. Armilla. Sayrus.

Dico tertiò ſuppoſito, quòd quis fraterna Correctione, vel paterna denunciatione, nihil profecerit; ſi per teſtes idoneos poteſt delictum probare, denunciare tenetur peccantem iuridicè. Ità Nauarr. cap. Inter verba concluſ.6. perfecta num. 380. & in Manuali cap. 17. num. 134. Angelus verbo Denunciatio num. 13. & verbo Excõmunicatio 3. num. 20. Graſſius prima parte deciſ. lib. 2. cap.69. num.15. Rodriquez tom 2. quæſt. regul. q.6. art.2. Reginaldus in praxi lib. 24. num. 50. Armilla verbo Inquiſitio num. 8. Sayrus in claui regia lib.12. cap.10. num.7.

Probatur, quia emendationem fratris, quam intendit denunciatio etiam iuridica, tenemur omnes procurare.

Dixi ſi per teſtes idoneos, ſaltem vnum omni exceptione maiorem, poteſt probare, quia ſi probare non poteſt, denunciare non tenetur, vt dicunt omnes Doctores citati, etiamſi Prælatus denunciari præcipiat ſub merito ſanctæ Obedientię, ſub pœna excommunicationis, ad quod facit caput plerumque 2. quæſt. 7. vbi dicitur; *quod plerumque boni viri ſufferunt aliorum peccata, & tacent, quia ſæpè deſeruntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipſi ſciunt, iudicibus probare non poſſunt.*

Angelus. Nauarr.

Et addunt Angelus dicto verbo Excommunicatio 3. & Nauarrus dict. Capite Inter verba, id eſſe verum, etiamſi Prælatus præcipiat de-

nun-

nunciari, licet si probari non possit id, quod denunciatur, sub quacunque forma verborum id faciat; quia hoc præceptum continet intolerabilem errorem.

Nota tamen, quod si superior præcipiat, vt qui nouerit auctores talis criminis, debeat sibi tanquam patri secreto reuelare, ad eorum emẽdationem, vel læsi satisfactionem, tenetur subditus obedire, si primo constet de mente superioris, quod velit omninò procedere tanquam Pater, & solum emendationem, & satisfactionẽ intendat; Secundò antequam admoneatur superior, debet admoneri delinquens per secretam correctionem inter te, & ipsum solum; ac etiam inducendi sunt testes, si illa non sufficiat, & hæc per testes profutura iudicetur, iuxta præceptum

Matth. 18. Christi Matthæi 18. quod si hac admonitione sit spes emendationis, non tenemur, neque debemus denunciare Prælato; secus verò, si nulla sit

Reginald. spes, Reginaldus in praxi lib. 24. num. 61.

Nota vlterius, quòd si delictum sit emendatum, vel spes probabilis sit emendationis, non tenetur subditus illud denunciare, etiam ad superioris præceptum, Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 6. art. 2. Angles in floribus parte 2. q. de correctione fraterna, art. 2. difficult. 6. propos. prima pag. mihi 71. Vega parte prima cap. 82. casu primo, verso lo primero, Nauarrus in sum. cap. 25. num. 46. Spatharius tract. 5. cap. 6. num. 3.

Rodriq. Angles. Vega. Nauarr. Spathar.

Probatur, quia cum denunciatio solam correctionem intendat, si iam obtinuit intentum, nihil est amplius faciẽdum, vnde Christus aiebat, *Non est opus valentibus Medicus.*

Si autem delicta sint in damnum communitatis, etiamsi emendata sint; ea tamen denunciare tenentur illi, quibus ex officio incumbit; vt sunt Correctores locales: Vicarij Conuentus, commoditatem, vel potestatem non habentes, huiusmodi peccantes castigandi. Innocentius in cap. Nouit de Iudicijs num. 2. Rodriquez loco cit. Spatharius tract. 5. cap. 7. num. 1. 2. 3.

Innocent. Rodriquez Spathar.

Probatur, nam ad istos pertinet cura communitatis, cuius maximè interest, ne delicta etiam correcta impunita maneant: vt vnius Correctio, in aliorum transeat exemplum.

Exciperem tamen, quando peccatum commissum fuisset à persona, alioqnin graui, & non solita talia perpetrare; quia tunc censetur Commissum ex vrgentissima passione; si correctum tamen sit, & emendatum t signaque maxime contritionis in peccatore appareant; & absit scandalum.

Aduerte etiam, quòd, si aliquid mali, ex denunciatione sibi obuenturum iudicat quis probabiliter, denunciare non tenetur, vt ait Rodriquez tom. 2. quæst. reg. q. 6. art. 3. Spatharius tract. 5. cap. 6. num. 2. quia cum hæc denunciatio sit actus Charitatis, obesse non debet illa vtenti; intellige tamen, nisi delicta essent in damnum graue Communitatis, quia tunc bonum publicum, bono priuato est præferendum.

Rodriquez Spathar.

Demum nota, si testes leues sint, idonei non censentur; & ideo, qui hos tantum habet, non tenetur denunciare. Neque etiam tenetur, si ipse denuncians non sit fide dignus, etiamsi Prælatus præcipiat sub quacunque forma verborum id faciat, Reginaldus lib. 24. num. 50.

Reginald.

Dico quartò, nemo tenetur denunciare, quæ ab alio audiuit; ità Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 6. art. 7. Spatharius tract. 5. cap. 11. num. 1. 2. 3. Nauarr. in summ. cap. 25. num. 46.

Rodriquez Spathar. Nauarr.

Probatur, nam vel ille, à quo audiuit est persona grauis, & ad ipsum pertinet denunciare, & non manifestare Confratris delictum, imò manifestando præsumitur de illius leuitate, & homini leui non est credendum: vel persona a qua audiuit est vilis, & nullius auctoritatis: & illi credendum non est; tunc enim verum est illud. *Qui cito credit, leuis est corde.*

Sed quid, si superior præcipiat sub pœna excommunicationis, vt dicas; non solum, quæ scis de visu; sed etiam quæ de auditu.

Respondet Spatharius loco cit. num. 4. quod in aliquibus casibus, vel propter grauitatem delicti: vel propter alium respectum tenetur obedire.

Spathar.

Rodriquez autem ait loco cit. Quòd si audiuit à persona auctoritatis tenetur obedire; si autem è contrà, non tenetur.

Rodriquez

Sed Respondeo distinguendo primo. Vel putat verum id, quod audiuit, vel non. Secundo, vel superior interrogat bona mente, vel mala. Tertiò, vel superior videtur dicto illi de auditu adhibiturus omnimodam fidẽ, vel aliqualem. Si putat verum id quod audiuit, & superior interrogat bona mente, correctionem solummodo intendens, vel etiam punitionem in bonum cõmune, & non est adhibiturus illi dicto nisi eam fidem, quam ipsum meretur, puto, quòd teneatur obedire. Sin autem non putat verum id quod audiuit, non est cur falsitatem, seù rem falsam existimatam denunciet: & si putet superiorem malo animo id quærere, vt inde indicium sumat ad inquirendum contra personam, de qua dicitur dictum illud de auditu, vt illam puniat, & castiget in odium, vel vindictam passionis alicuius particularis, non tenetur obedire: sicut nec etiam tenetur, si putat Prælatum illi dicto adhibiturum fidem, supra id quod meretur.

Dico quintò, nemo tenetur alterum accusare pro iniurijs, sibi illatis; potest quidem, si vult, sed si delictum sit contra communitatem, & bonum publicum, & possit per testes sufficientes commode probari, accusare tenetur: Nisi possit alia via bono communi consulere. Ità D. Thom. 2. 2. quæst. 68. art. 1. Caiet. ibi, Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 7. art. 4. Angles in floribus, quæst. de correctione fraterna art. 2. in principio, pagina mihi 68. Tabiena verbo Accusatio num. 2. Nauar. cap. Inter verba conclus. 6. perfecta num. 240. Syluest. verbo Accusatio quæst. 2. num. 3. Armilla eodem num. 6. Rosella eodem num. 1. vbi Pisanella, Azor. 3. parte lib. 13. cap. 19. dub. 4. Sotus lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 1. conclus. 1.

D. Thom. Caietan. Rodriquez Angles. Tabiena. Nauarr. Syluester. Armilla. Pisanella. Rosella. Azor. Sotus.

Nota, quòd per accusationem non intelligitur hoc loco Accusatio stricto iure pro vt de ea loquuntur iuristæ, sed intelligitur pro vt est idẽ, vel parum differt à denunciatione iudiciali, vt benè explicant Sotus, Angles, & Azor. locis cit. & Ledesma 2. parte summ. tract 8. cap. 23. conclus. 5. & D. Thomas ipse videtur pro eodem accipere Iudicialem denunciationem, & accusationem in 4. dis. 19. q. 2. art. 3. arg. 3. pro contraria sententia.

Sotus. Angles. Azor. Ledesma. D. Thom.

Prima ergo pars conclusionis probatur, quia licitum est vnicuique non solum iniurias illatas remittere, sed etiam illatum restitutionem, vt

D. Thom. habet D.Thom.2.2.q.64.art.5. & quæst.73.art.4.

Secunda pars etiā probatur, quia potest quis velle sibi satisfieri pro illatis iniurijs. Et quòd iustitiæ (id quod suum est) tribuatur.

D.Thom. Tertia pars probatur ratione D. Thom. 2. 2. quæst. 68. art. 1. quia omnis tenetur procurare quietem perturbatæ Reip. per punitionem peccantium.

Quarta pars probatur, quia nullus tenetur ad id, quod debito modo perficere non potest.

Quinta pars patet, quia cum bono communi sit prouisum, cuius hoc est solum intentum, parum interest, vtrum per vnum, vel per alium modum curetur ægrotus.

At inquies ergo nullo pacto differt accusatio à denunciatione iudiciali.

Respondeo, hoc solum differunt in materia de qua agimus apud Religiosos Denunciatio, & Accusatio, quod Denunciatio, præter Correctionem fratris, & iustam satisfactionem partis, nihil aliud prætendit: Accusatio verò prætendit etiam vindictam, & pœnam.

§. Primus, *Vtrum Reus teneatur se ipsum manifestare.*



Dico primo Reus iuridice interrogatus, tenetur sub mortali sua delicta, quantumuis grauia confiteri. Ità D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. 2. corpore, Nauarrus de pœnitentia dist. 1. §. Non dico tibi, nu. 19. & in sum. cap. 18. num. 57. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 25. dub. 3. Syluester verbo Accusatio q. 13. Sotus lib. 5. de iust. q. 6. art. 1. conclus. 1. Reginaldus in praxi lib. 24. nu. 35. Salzedo ad pract. Diaz cap. 129. Pagella 3. verbo Primo quidem.

D. Thom. Nauarr. Azor. Syluester. Sotus. Reginald. Salzede.

Probatur, quia subditus tenetur obedire superiori in his, ad quæ ius Prælationis se extendit; vt patet ex illo ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, sed ius Prælationis se extendit ad omne iustum, præceptum imponendum, vt est hoc, vt pote institutum ad vitandum damnum, quod communitas alioquin pateretur, dum malefactores subinde multiplicarentur per confidentiam impunitatis.

Limitant tamen hanc conclusionem: quòd solum intelligatur in ciuilibus: vel etiam in criminalibus, in quibus non timetur pœna sanguinis, Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 19. art. 4. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 4. à num. 142. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 31. dub. 3. num. 16. nec ab ea abhorret Reginaldus lib. 24. num. 37. Salzedo ad pract. Diaz cap. 129. pagella 6. versu decimo, Illud perpetuæ memoriæ commendandum censeo. Quod est valde rationi naturali consonum.

Rodriquez. Petrus Nauarr. Lessius. Reginald. Salzede.

Ex quo deduco; quod non tenetur Religiosus etiam iuridicè interrogatus, veritatem fateri, cum ex tali confessione certò sibi infligendam putat pœnam triremium. Ratio est, quia pœna triremium non imponitur Religiosis, nisi pro ijs delictis, quibus correspondet in sæculo pœna mortis, & est vltimum Religiosorum supplicium: morte ipsa à viris honoratis æstimatum ignominiosius: macula nunquam abstergenda. Videtur etiam insinuare Rodriquez loc. citat. expresse Fagundez in 2. præcept. Ecclesiæ lib. 8. cap. 7. num. 4. Malder 2. 2. tract. 6. de iust. cap. 2. fol. 517. Portel. in dub. regul. verbo Reus nu. 43. & in addit. eodem verbo num. 5. Roder. resol. 43. num. 7.

Rodriquez. Fagundez. Malder. Portel.

Dico secundo non tenetur Reus sub quacunque forma verborum iussus secretum delictum manifestare. Ità Diuus Thom. 2. 2. quæst. 69. art. 1. vbi Caiet. & quæst. 33. art. 7. ad quintum, Nauar. dist. 1. de pœnit. §. non dico tibi per multa, præsertim num. 25. Rodriquez tom. 2. quæst. regul. quæst. 5. art. 4. Salzedo ad pract. Diaz cap. 129. pagella 7. versu secundo autem distinctionis membro; Reginaldus lib. 24. num. 41.

D.Thom. Caietan. Nauarr. Rodriq. Salzede. Reginald.

Probatur primò, ex multis testibus in iure cap. si quis aliquandò, §. non dico tibi de pœnit. d. 1. vbi dicitur; *Non dico tibi, vt te prodas*, & cap. Erubescant dist. 32. vbi dicitur, *De manifestis quidem loquimur; secretorum autem, & cognitor Deus, & iudex est*; & cap. si omnia: cap. si oues, cap. ex merito 6. quæst. 1. vbi deciditur, quòd *occultorum iudicator est Deus*.

Secundò probatur, quia tunc solum reus tenetur respondere in iudicio, cum legitimè interrogatur: sed diximus, quòd ad hoc vt aliquis sit legitime interrogatus, debet præcedere infamia, vel semiplena probatio; vt est omnium Theologorum, & Canonistarum sententia.

Et aduerte, quod potest quis ad vitanda grauia tormenta sibi falsum Crimen imponere etiā absque peccato veniali, licet ob illius confessionem esset morte plectendus, nam vita non est digna tanto dolore, & mendacium excusatur æquiuocatione in mente retenta, scilicet crimen commisi non re, sed solum vt fatear Iudici ad vitanda tormenta, quod est verum, etiam si hanc impositionem falsi criminis iuret propter eandem rationem. Ita Io. Sancius in select. disp. 46. num. 16. & Diana tom. 3. tract. 5. resol. 7. licet alij tunc venialiter peccare asserant, vt Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 7. num. 4.

Sancius. Lessius.

Dico tertio, Si delictum est notorium, author verò occultus, verbi gratia sublatum est aliquid notabile in conuentu, apponitur à Prælato excommunicationis pœna, vt quicunque sciuerit, furem, debeat manifestare. Dico, quòd author talis furti non tenetur se manifestare, nec per hoc incurrit pœnam excommunicationis, Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 1. & alij omnes citati conclus. antecedenti; & probatur rationibus eiusdem, quibus addo caput Inquisitionis, §. tertiæ Dubitationis; vbi dicitur, *Nullum esse de crimine, super quo non laborat infamia, puniendum.*

Caietan.

Sed quid, inquis, si Prælatus tali pacto ferat excommunicationem; Excommunico, qui tale furtum commisit, nisi se manifestauerit.

Dico, quòd tunc duplex potest esse sensus illius excommunicationis. Primus, ità vt excommunicatio cadat super furtum; Et sensus sit excommunico, qui tale furtum commisit, ex gratia autem, & ex liberalitate, si se manifestauerit, nō excommunico: Secundus ità vt excommunicatio cadat absolutè super reuelationem, & sensus sit. Excommunico, qui non reuelauerit, se tale furtum commisisse. Primo modo tenet excommunicatio, quia sicut potest excommunicari, qui tale furtum commiserit: ità potest, qui commisit: Secundo modo, non tenet excommunicatio; quia excedit vires humani iudicij. Ità Caietanus loco cit. qui sic explicat casum

illum

illum positum cap. Quidam quinta quæst. 1. vbi excommunicatur, si se non prodat, qui famoso libello Castorij famam læsit; quo eodem pacto caput hoc explicat Nauar. dist. 1. de pœnis. §. non Dico tibi num. 28.

Sed quid si vnus tantum sciuit, talem commisisse furtum: de quo tamen nulla laborat infamia; cum sit vir aliàs probatæ vitæ, tenetur ne, qui nouit authorem talis furti eum prodere? ad euitandam pœnam excommunicationis.

Petrus Nauarr.
Rosella.
Syluester.
Reginald.

Respondeo, si author furti est omninò occultus, nec vlla laborat infamia, non tenetur, qui nouit eum manifestare. Ità Petrus Nauar. lib. 2. de restitut. cap. 4. num. 167. & 168. Rosella verbo Correctio num. 4. Syluest. verbo testis quæst. 8. d. 1. Reginaldus lib. 24. num. 47. quia talis est exemptus ab inquirentis iurisdictione propter defectum scientiæ; Debet tamen admonere auctorem furti, vt satisfaciat, vt ait Rosella; sed si furtum est in perniciem Communitatis propter graue scandalum inde oriundum: vel in notabile alicuius damnum tenetur, qui solus scit, furem prodere; bonum enim commune, particulari semper est anteponendum, vt ait Reginald. loco cit.

Reginald.

Petrus Nauarr.
Syluester.
Reginald.

Adde, quòd si quis reum furti, vel peccati in perniciem communitatis non vergentis, acceperit sub sigillo secreti naturalis ad consilium, vel remedium adhibēdum ei in anima, vel corpore, non potest, quantumcunque præcesserit infamatio, vel semiplena probatio sine mortali, & obligatione ad restitutionem detegere: nisi fortè idipsum adhuc aliâ via resciuerit. Ità Petrus Nauar. loco cit. num. 221. & 223. Syluest. verbo testis, quæst. 8. d. 2. Reginaldus loc. citat. Quia ius naturale postulat, vt fides præstita non frangatur, & habetur expresse cap. Antigonus de pactis. Quod intellige, etiamsi superior reuelari præcipiat sub merito sanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis; quia ius naturale iuri positiuo præponderat.

Sed quid, inquis, ad furtum alicuius rei præcipit Prælatus sub pœna excōmunicationis ipso facto; vt qui furatus est, debeat eam restituere, vel qui sciuerit furem, teneatur eum manifestare. Ante prolationem huius præcepti, fur factus est impotens ad rem sublatam restituendam; vel quia eam ludo perdidit: vel quia scorto, vel alijs donauit; & qui auctorem furti nouit, Nouit etiam talem impotentiam restituendi, incurrent ne isti in dictam excommunicationem? non reuelando furtum, seu auctorem?

Respondeo meo videri, non incurrent. Primo, quia cum excommunicatio sit lata in non restituentem, impotens restituere non potest, ergo neque excommunicationem incurret. Secundò, quia excommunicatio semper fertur in contumacem, at hic contumax non est. Tertiò, quia si feratur excommunicatio cōtrà aliquem, nisi soluat quandam summam pecuniarum, quā soluere non potest, nulla est in omnium opinione, vt potè errorem continens intolerabilem; & cogens hominē suprà id, quod potest. Quarto, quia ad impossibile nemo tenetur iuxta regulam. Nemo potest, quæ est sexta de regul. iur. in 6. vbi dicitur, quòd *Nemo potest ad impossibile obligari*. Atque ita docet Innoc. in cap. Cum. D. & G. de offic. deleg. num. 2. Quod idem dic de sciente impotentiam, eum suo dicto quidquam

Innocent.

profecturus non sit. Aliter forsan esset dicendum de eo, qui ex malitia affectata se impotentem reddidisset; quia ex delicto non debet reportari commodum cap. Tuæ de Clericis non residentibus, vt sentire videtur Innoc. loc. cit. Sed idem puto dicendum propter dicta. Non autem esset idem dicendum, si non esset verè, & totaliter impotens; sed posset aliquo labore, & industria rem sublatam, & donatā recuperare.

Innocent.

§. Secundus. *Vtrum aliquo casu correctio fraterna, vel paterna denunciatio possit omitti.*

Dicò primo. Quando peccatum est publicum, statim omissa secreta fraterna correctione, & paterna denunciatione præcedente, est denunciandum: aut accusandum coram Iudice competēte, vt delinquens puniatur: posthabita delinquentis turbatione, & bono tantum publico perspecto. Ità D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. corpore, Syluest. verbo Correctio quæst. 3. num. 4. Rosella verbo Inquisitio statim in principio, Pisanella verbo Correctio §. Quo ordine procedendum, Armilla eodem num. 4. Ledesma 2. par. summæ tract. 4. cap. 4. conclus. 21. pag. mihi 203. Vega par. 1. summæ cap. 71. casu 35. Rodriquez tom. 2. quæstionum regularium quæst. 6. art. 4. Reginaldus in praxi lib. 24. num. 53.

D. Thom.
Syluester.
Rosella.
Pisanella.
Armilla.
Ledesma.
Vega.
Rodriquez.
Reginald.

Probatur primo, quia de his non intelligitur illud Matth. 18. *Si peccauerit in te*, idest coram te, & non publicè, vt bene aduertit D. Thomas loc. cit. tunc enim non solum coram corripiente peccatur; sed coram alijs, illos turbando, & scandalizando.

Matth. 18.

Secundo, quia non solum est adhibendum remedium ei, qui peccauit; sed etiam illis, coram quibus fuit peccatum, vt scandalizati non remaneant, si non viderint subsequentem pœnam; quæ pœna non infligitur, nisi à Iudice, per denunciationem, seù accusationem delinquentis.

Quod est maxime notandum Religiosis, de quorum substantia, & essentia est, esse integræ vitæ, & exemplaris; Quod enim peccatum aliquod publicum commiserit Religiosus, excusant pij, & prudentes in sæculo viri: Homo est, fragilis est, terra, & caro est: At quòd istud dissimuletur per ipsorum Superiores: quòd occasio non amoueatur: quòd non puniatur, & castigetur, scandalum graue est, & illud tolerare non possunt, & meritò; Religiosi enim qui publicis, & priuatis concionibus, publica peccata, & scandala punienda deprædicant, ipsi tolerabunt? vnde Bonauent. tom. 2. opusc. de sex alis seraphym cap. 3. aiebat, *non ideo laudabilis Religio, quia in ea nullus peccans reperiatur, sed quia nullus impune peccare sinatur.*

Quare peccant omninò lethaliter Religiosi illi, qui scientes peccatum aliquod publicum, & scandalosum sui confratris, non statim denonciant, vel accusant apud suum Prælatum, etiamsi peccatorem maximè pœniteat perpetrasse, & signa pœnitentiæ ostendat, quia, vt dixi, satisfaciendum est scandalo. Et aduertant Religiosi, quòd in publicis delictis ad omnes, & singulos ex officio, & interesse incumbit, Superiorem ad

mone-

monere: & apud eum delinquentes publicè accusare, seù denunciare; vt publica peccata, publica pœnitentia deleantur prout; Dicitur cap. manifesta de pœnitentijs, & remissionibus: cum gentium secularium notum sit, qui vno Religioso cognito peccante, tales omnes iudicant; quod deplorabat August. epist. 137. ad Plebem Hipponensem, *Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.*

August.

Neque in hoc Charitas, & pietas est delictum occultare; vt aiebat Diuus Hieronym. Relatus in cap. sed illud dist. 45. *Quæ est ista misericordia? quæ est ista benignitas? vni parcere, & omnes in discrimen adducere, polluitur enim ex vno peccatore* (publico) *populus, sicut ex vna oue morbida, vniuersus grex inficitur.* Itaque non pietas est hęc, sed odium, odium inquam, tum Religionis, quę tale pati relinquitur detrimentũ; tùm fratris ipsius peccantis, qui, si corrigatur, & puniatur publice, saltem per amotionem ab illo loco, in quo deliquit, metu pœnæ, si non virtutis amore, cauebit in futurum similia perpetrare.

D. Hieron.

Notandum est nihilominus, quod si æque bene posset satisfieri scandalo per publicam correctionem confratris, vel alio modo, tunc non esset denunciandus, vt bene aduertunt Armilla, Ledesma, & alij.

Armilla.
Ledesma.

Notandum est etiam, quòd publicum peccatum dicitur illud, de quo quis est conuictus in iudicio: vel quod est commissum in aliquo publico loco, vbi semper sunt gentes; vel est publicum in aliqua via, vel in Religione, seù conuentu, licet non sciatur extra illum in Ciuitate; vel est per publicam famam diuulgatum. Ità cōmuniter, Vega par. 1. cap. 71. casu 37. Pisanella verbo Accusare, §. Notorium.

Vega.
Pisanella.

Dico secundò, si peccatum est occultum, sed est in damnum particularis personæ, vel communitatis, statim est denunciandum absque correctione fraterna. Ità D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. Vega par. 1. cap. 71. casu 35. & alij etiam conclusione præcedenti: Iuxtà modum huiusmodi denunciandi dictum Notabili. Secundo peccata in damnum communitatis sunt traditiones: subornationes electionum: ea, ex quibus potest oriri aliquod scandalum in Ciuitate: & denique ea, quibus perturbatur Communitas; In damnũ tertij sunt homicidium, furtum, adulterium. Ità Vega loc. cit. notab. primo, vbi similiter est aduertendum, quod si potest æque bene prouideri damno publico, vel priuato per secretam admonitionem, non est recurrendum ad denunciationem; si autem dubitatur, an per secretam, seu paternam admonitionẽ sit remedium adhibendum; tunc denunciandum est; quia in dubijs magis prouidendum est bono communi, quàm particulari. Ita Vega loco cit. Naldus in summ. verbo Accusare num. 1.

D. Thom.
Vega.
Vega.
Vega.
Naldus.

Dico tertiò, ante accusationem non esse necesse, quòd præcedat fraterna correctio, vel paterna denunciatio. Ità D. Tho. in 4. d. 19. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 4. Nauar. cap. Inter verba, conclus. 6. perfecta num. 144. Angles in floribus par. 2. quæst. de correct. frater. art. 3. dif. 1. pag. 69. Ledesma 2. par. summ. tract. 8. cap. 13. conclus. 2. dub. 1. Azor. 3. par. lib. 13. cap. 19. dub. 3. Lessius lib. 2. cap. 30. dubit. 3. Angelus verbo Accusatio num. 1. Bonacina in decalogum dis. 10. quæst. 3. p. 5. propos. 4. Nota quòd D. Thomas citatur etiam pro contraria opinione à Syluest. verbo Accusatio quæst. 3. num. 3. & verè illo loco nihil determinatè dicit; ambas enim recitat opiniones, nec magis in vnam, quàm in aliam videtur inclinare. Hanc tamen videtur tenere quodlib. 1. art. 16. quatenus habet, *Quòd admonitionem debet præcedere correctio, inquisitionem infamatio, accusationem inscriptio.*

D. Thom.
Nauarr.
Angles.
Ledesma.
Azor.
Lessius.
Angelus.
Bonacina.
Syluester.

Probatur primo, quia accusatio non est ad correctionem fratris, sed ad punitionem delicti.

Secundo probatur, ex capite qualiter & quando el segundo, de accusationibus, §. ad corrigendos; vbi dicitur, quòd *Sicut ante denunciationem præcedit charitatiua monitio: & ante inquisitionem præcedit clamorosa insinuatio: Ità ante accusationem legitima debet præcedere inscriptio.*

Tertiò, quia accusatio fit etiam de delictis iam transactis, & correctis; vnde non est necesse pręcedere correctionem fraternam, quę nihil posset prodesse; cum solùm intendat emendationem criminis, quod iam est emendatum.

Quarto, quia si delictum est in damnum accusatoris, ęquum non videtur iniusta affectum adhuc debito fraternæ correctionis supergrauari.


Si quærat, an in casu hæresis, vel in casu, quo quis fœminam in actu confessionis sollicitasset, ante accusationem, vel denunciationem debeat præcedere fraterna correctio.

Respondeo, si hæreticus sit formaliter in hæresi radicatus, statim est inquisitoribus denunciandus absque fraterna correctione; quia nihil illi profutura videtur; si vero non sit hæreticus formaliter, sed solum protulerit aliquam hæresim, forsan ex ignorantia, teneor sub mortali, priusquam illud ad inquisitores denunciem, admonere; cum possim præsumere, illũ fore mea admonitione corrigendum, & vniuersaliter, quando per secretam admonitionem speratur correctio, hęc debet pręcedere, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 33. art. 7. corpore, Nauar. in sum. cap. 18. num. 56. Graffius par. 1. decis. lib. 2. cap. 69. num. 18. Ledesma par. 2. summ. tract. 4. cap. 4. conclus. 24. dub. 1. pag. mihi 207. Vega par. 1. cap. 71. casu 41. Toletus in summ. lib. 4. cap. 5. num. 1. Naldus verbo Accusare num. 1. Ratio est, quia cum possum consulere communitati absque detrimento honoris proximi, debeo facere.

D. Thom.
Nauarr.
Graffius.
Ledesma.
Vega.
Toletus.
Naldus.

Quod idem est dicendum de eo, qui sollicitauit mulierem in confessione; si enim speratur per correctionem fraternam emendatio, debemus illam adhibere, vt habet in specie Ledesma dub. 1. Verum quidem est, quòd in istis delictis vergentibus in damnum Communitatis, vt in proditione, hæresi, & isto sollicitationis mulierum, raro potest sperari emendatio per fraternam correctionem, ideò raro hæc erit adhibenda, vt aduertunt Nauarrus, Graffius, Ledesma locis cit.

Nauarr.
Graffius.
Ledesma.



§. Tertiò.

§. Tertius. *Quæ teneatur, vel non teneatur subditus reuelare vocatus, vt testis.*

D. Thom. Nauarr. Syluester. Rodriquez. Azor. Lessius. Sotus.

Dico primo Testis iuridice interrogatus sub mortali tenetur veritatem fateri. Ità D. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. Corpore, Nauarr. cap. inter verba concluf. 6. perfecta à num. 300. Syluest. verbo Testis quæst. 8. d. 1. Rodriquez tom. 2. quæst. reg. q. 13. art. 7. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 27. dub. 1. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 6. num. 43. Sotus lib. 5. de iustit. quæst. 7. art. 1. concluf. 1.

Probatur primo, quia cum subditus astringitur iusto Prælati præcepto tenetur obedire; sed si iuridice interrogat, præcipit iustè.

Secundo, quia veritatem occultans, iustitiæ impedit executionem; quod minimè licitum est.

D. Thom. Nauarr. Valentia. Azor. Vega. Spathar.

Dico secundò, Testis etiam non legitimè, interrogatus tenetur veritatem fateri, quando delictum est in publicam perniciem: vel in damnum particulare priuatæ personæ; quod absque illius testimonio vitari non potest. Ità D. Tho. loco cit. Nauarr. in sum. cap. 15. nu. 17. & cap. 25. num. 47. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 14. p. 1. assert. 3. Azor. 3. par. lib. 13. cap. 27. dub. 4. Vega 2. parte sum. cap. 115. casu 8. Spatharius tract. 7. cap. 7. num. 3. & 4.

Psal. 81. D. Thom. Nauarr.

Probatur, quia sicut denunciator tenetur statim denunciare huiusmodi delicta propter vitandum publicum, vel priuatum damnum. Ita ad id tenetur testis, præsertim propter liberandum innocentem, iuxtà illud Psalmi 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.*

Et addit D. Thom. quem sequitur Nauarrus cap. inter verba, concluf. 6. perfecta num. 314. 315. quod etiamsi testimonium minime requiratur, tenetur facere, quod in se est, vt veritatem alicui denunciet, qui ad hoc possit prodesse.

Nauarr. Sotus. Lessius.

Dico tertiò, Testis non tenetur; nec etiam iure potest, etiamsi velit ferre testimonium de eo, quod nouit per sacramentalem confessionem: siue id sciat, quoniam peccator ipsi fuit confessus: siuè quia confessarius id ei aperuit: seù ipse audiuit, aut sciuit licitè, vel illicitè quocunque casu, etiam pro salute totius Reip. Nauarr. cap. inter verba concluf. 6. perfecta num. 309. Sotus de ratione tegendi secretum membro 3. quæst. vltima concluf. 4. Lessius lib. 2. de iust. cap. 30. dub. 6. num. 45.

Probatur, quia hoc est proprium illius sacramenti, quod est maius vinculum, quam quodlibet hominis præceptum.

Nauarr. Lessius. Spathar. Azor. Valentia. Reginald.

Dico quartò, si delictum sub sigillo secreti alicui detectum fuit, vel consilij, vel auxilij petendi gratia, testificari non potest, etiamsi contra delinquentem esset infamia: vel semiplena probatio, Nauarr. in sum. cap. 25. num. 46. Lessius loco cit. Spatharius tract. 7. cap. 8. num. 2. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 28. sub dub. 2. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 14. p. 1. col. 7. versu postremo notandum, Reginaldus lib. 34. praxis num. 47.

Probatur, quia seruare secretum est de iure naturali; cui cedit ius Prælati in cogendo subditum ad testificandum.

Hoc tamen intellige, modo id, quod acceptum est sub secreto, non sit in damnum corporale, vel spirituale multitudinis, vel graue alicuius personæ particularis, vt bene aduertunt Valentia, & Lessius citati.

Syluester. Lessius. Valentia. Spathar.

Dico quinto, Testis non tenetur testificari, si delinquens non laborat infamia, vel delictum non sit semiplene probatum. Syluester verbo Testis quæst. 8. d. 1 Lessius cit. num. 47. Valent. cit. assert. 2. Spatharius cit. num. 7.

Probatur, quia tunc solum tenetur testificari, quando legitime interrogatur, sed si non præcedat infamia, vel semiplena probatio, non legitimè interrogatur, ergo.

Nauarr.

Dico sextò, si peccatum est occultum, & peccator iam emendatus: vel sola fraterna correctione probabiliter emendabilis, tunc non potest testificari ante fraternam correctionem. Nauarrus in sum. cap. 25. num. 46.

Probatur, quia tunc præceptum correctionis fraternæ obligat.

Nauarr. Lessius. Spathar. Reginald.

Dico septimò, non tenetur quis testificari cum suo notabili damno spirituali, vel temporali personæ, honoris, aut bonorum, Nauarr. in sum. cap. 25. num. 50. Lessius loco cit. num. 50. versu 6. Spatharius loco cit. num. 9. Reginald. lib. 24. num. 48. Qui addit, quòd nec etiam tenetur si ex eius testificatione sit oriundum scandalum.

Probatur, quia hæc officia præstare non debemus cum damno nostro, nisi essent in commodum communitatis; loquendo enim de priuatis, ordo charitatis postulat, vt prius nobis, quàm alijs consulamus.

Spathar. Nauarr. Gabriel Saraq.

Dico octauo, non tenetur testis testificari ea, quæ tantum ex auditu cognouit, iuxtà ea, quæ dixi, agendo de denunciatione ex auditu. Hanc tenet indistinctè Spatharius loco cit. num. 10. & citat Nauar. in sum. cap. 25. num. 46. Nec Testis de auditu siue proprio, siue alieno quid quã probat Rom. 345. sed an faciat iudiciũ, seu præsumptionem. Idem Rom. censet, quod sic, sequens Archidiacon. in cap. *hoc videtur*, 2. 2. q. 5. contrarium tenet cum multis Gabriel Saraq. ad dict. sing. Rom. testis autem de auditu probat, si deponat de auditu ante litem motam Rom. sing. 753. Nota etiam, quod statutum factum à communitate, quod credatur testibus de auditu non valet Rom. sing. 363.

Sotus. Spathar. Azor. Salzedo. Reginald.

Dico nono, si testis rationabiliter dubitat, an sit legitimè interrogatus, præsertim a Prælato aliqualiter suspecto, non tenetur testificari. Sotus lib. 5. de iust. q. 7. art. 1. Spatharius tract. 7. cap. 9. num. 1. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 27. dub. 1. Salzedo ad practicam Diaz cap. 129. pagella 9. versu illud verò, Reginaldus lib. 24. num. 46.

Probatur, quia in dubijs, id quod est tutius, minus periculosum, & minorem potest afferre iacturam semper est eligendum.

Intellige tamen, si reo ex tali testificatione immineat aliquod graue damnum: non autem si leue, vel nullum.

Intellige item, modò ex tacita veritate, non immineat damnum bono communi; & vniuersaliter in dubijs, vtrum quis legitimè interrogetur, sequendum est illud, in quo est minus periculi.

Dico decimo, in casibus, in quibus licitum est celare veritatem in iudicio, non obstante quocunque iuramento, vel præcepto, vel excommu-

nicatione,

D. Thom. Caietan. Nauarr. Azor. Salzedo. Valentia. Lessius. Reginald.

nicatione, potest testis apertè dicere, se illam nescire, intelligendo ad iure, seù in iudicio dicendam. Ita D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. Corpora, Caiet. opusc. septemdecim responsionũ respõs. 5. Nauar in Manuali cap. 18. num. 61. & cap. 12. num 9. Azor. p. 3. lib. 13. cap. 15. dub. 9. Salzedo ad practicam Diaz. cap. 119. pagella 9. versu Idemque patet ratione, Valentia tom. 3. disp. 5. q. 13. puncto 1. col 6. versu Nihilominus, Lessius lib. 2. de Iust. cap. 30. dub. 6. num. 51. Reginaldus lib. 24. num 48.

Probatur, quià quando quis iniquè interrogatur idem est, ac si a nullo interrogaretur; Nã hæc iniqua interrogatio ad nihil, prorsus obligat hunc hominem. Sed quando à nullo interrogatur, potest verba intelligere eo modo quo vult, vt patet. Ergo.

Et nota quòd potest dicere, se nihil scire, vel non fecisse tale delictum, si Reus sit: vel si testis se non vidisse, vel non interfuisse tali delicto, quod scilicet ad hoc iudicium pertineat, vt in specie explicant Val. & Azor.

§. IV. Quousque liceat delictum Confratris Religiosi denunciare iudicialiter, vel accusare.

Rodriquez. Spathar. Innoc. Nauarr. Syluester. Azor. Diaz. Salzedo.

DICO primo, Si aliquis Religiosus fuerit de aliquo crimine conuictus, quòd commiserat abhinc quindecim annis: & dicatur, quod non fuerit punitus, potest nihilominus propter tale delictum puniri. Ità Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 5. art. 11. Spatharius tract. 3. cap 19. num. 1. qui citant Innocentium capite ad nostrã de appellationibus num. vnico in fine Nauar. cap. consideret num. 147. de pœnit. distinct. 5. Sylu. verbo Præscriptio 1. q. 1. & 3. Azor. 3. p. lib. 1. cap. 20. q. 5. Diaz in sua practica cap. 150. vbi Salzedo.

Probatur, quia Iure Canonico delicta non præscribuntur, vt probant præfati Doctores; & habet Glossa in cap. admonare 33 q. 2. verbo pœnitentia.

Rodriq. Spathar.

Limitant tamen hanc conclusionem Rodriquez, & Spatharius, quòd procedat; quandò delicta sunt in damnum Reipub. vel Communitatis verbi gratia.

Siquis bona Communitatis antè multos annos furatus fuerit: vel alienauerit: vel aliquòd aliud malum in ipsius præiudicium commiserit, potest à Prælato ex iudicis officio procedente, non ad partis alicuius instantiam puniri; Si nũquàm fuerit per iudicis sententiã punitus quantumuis coram Deo sit correctus, & emendatus: & quantumuis fecerit pœnitentiam; nec contrà hoc potest fieri aliquod statutum; quià statuta in damnum communitatis non valent. Ad communitatem autem interest multùm, vt peccata contrà ipsam perpetrata, impunita non maneant, vt alij terreantur. Ità dicit Innocentius loco cit. & Rodriquez.

Innoc. Rodriquez. Spathar.

Cauendum tamen Prælatis, vt notat Spatharius loco cit. num 5. ne odio, vel passione exsuscitent, & ex mortuis resurgere faciant contrà prædictam limitationem, iam mortua, & consopita fratrũ delicta in ipsorũ animas, & honoris fratrum detrimentum; impium est enim hoc, & execrabile, & vt tale a Propheta Hieremia damnatur cap. 8. maximam enim calamitatem populo prænuncians, ait; *In illo tempore eijcient ossa Regis Iudæ, & ossa principum eius, & ossa Sacerdotum, Prophetarum, & ossa eorum, qui habitauerunt Ierusalem, & expandent ea ad Solem, & Lunam, & ad omnem militiam Cæli.* Et talia facientes crudeliores serpentibus dicuntur: Tales sunt Prælati, qui iam demortua, & consopita delicta suorum subditorum, ad ea punienda, & subditos infamandos, ea sepulchris eacauant, & ea reuiuiscere faciunt. Infandum, & calamitosum facinus?

Hierem.

Dico secundo, potest Prælatus subditorũ delicta, quantumcumque antiqua, & a memoria hominum elapsa, quandò delinquens in eodem genere delicti alias delinquere solitus fuerit, præsertim si correctus sæpiùs non se emendauerit, in ijsque fuerit quodammodò inueteratus, inquirere, non ad ea punienda, sed ad vitam illius cognoscendam, & ad præsentis prætensi delicti probabilitatem, & grauiorem punitionẽ. Ita Spatharius loco cit. num. 6.

Spathar.

Probatur primo, quià ad Iudicis officiũ spectat omnibus vijs, & modis licitis delicta contrà prætensum reum elucidare; Ad hoc enim ponuntur Iudices, vt leges obseruare faciant, & transgressores puniant. At est maximum indicium prætensi delicti, de eodem iam fuisse punitum; iuxta illam regulam. *Semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali.* Quæ est octaua de regulis iuris in 6.

Secundo probatur, quià peccata eò fœdiora, quò diuturniora, & ideo grauioris pœnæ digniora. Vnde Panor. in cap. Grane nimis de præbendis, & dignitatibus num 5. & Nauar. cap. consideret de pœnit. d. 5. num. 120 Dicunt, quòd peccatum iteratum grauiùs punitur Quare prudenter faciunt Prælati suorum subditorum animas aetates, qui inueterata crimina penitus extirpare conantur: etiam antiquis delictis ad hoc excitatis.

Panorm. Nauar.

Dico tertio, potest in aliqua Religione fieri statutum, vt, certo tempore elapso, delicta amplius accusari, seu iudice denunciari non possint. Ita Rodriquez, & alij citati in 1. conclus. Quatenus probat, quòd iure ciuili præscribitur terminus viginti, vt ait Rodriquez: vel decem, vt Azor, vel quinque, vt idem Azor, annorũ ad accusandum; In iure autem canonico, non potest præfigi terminus, ad hoc vt Iudex, eo elapsò, per per viam Inquisitionis procedere nõ possit. Potest tamen præscribi ad hoc, vt non possit procedere per viam accusationis. Cum expressum nõ reperiatur in iure canonico contrariũ. Ita Abbas in cap. Accepimus num. 1. de purgatione canonica, Diaz. in sua practica cap. 150. Bartol. leg. *Eum qui* §. in popularibus ff. de iur. iur. num. 4. Io: Franciscus Balbi de præscript. p. 4. princ. de act. personal. q. 2. tom. 17. tract. Et est illud, quod nos diximus in 1. conclus. Delicta nunquã præscribi quo ad hoc, vt non possit semper Prælatus ex officio Iudicis, per viam scilicet Inquisitionis procedens delicta punire, ne de crimine infamatus, in administratione diuinorum cum aliorum scandalo, & contra bonum cõmune toleretur, nõ posse tamẽ Prælatũ per viã accusationis ad instantiã partis delicta punire,

Rodriq. Azor. Abbas. Diaz.

Itaque cum in iure ciuili præscribantur delicta post quinquennium, hoc quinquennio elapso, in iure canonico per dictum Abbatis nulli accusare licebit, quod vbi ius Canonicum non disponit, iuri Cæsareo standum, est vt colligitur ex cap. 8. de noui op. nunc. Quod tamen in ijs Religionibus, in quibus visitationes Generales nõ fiunt nisi de sexennio in sexennium, vt in nostra Minimorum, non potest procedere.

Probatur ergo nostra conclusio, quia tale statutum est conforme iuri ciuili, nec est contrarium iuri canonico, sed Religiosorum capitula habent potestatem faciendi statuta, quæ non sint contraria iuri canonico; ergo hoc statutum facere possunt. Vbi aduerte primo quod.

In nostra Religione Minimorum diuersis temporibus facta sunt circa hoc punctum varia statuta. In capitulo Genuen. 6. nu. 82. statutum est, *vt Generales non possent inquirere in suis visitationibus, nisi de ijs delictis, quæ fuissent, perpetrata ab vltima visitatione sui prædecessoris vsque ad eam, quam ipsi facere prætendunt.* Quod statutum limitandum, & intelligendum est iuxta dicta, nimirum, quod non possit Generalis ad instantiam partis procedere, & inquirere, nisi de delictis intra illud tempus perpetratis: vt patet ex ipsis verbis statuti: Non autẽ quòd nõ possit inquirere de delictis, etiam antiquioribus, & extra illud tempus, quæ essent in damnum cõmunitatis.

In Capitulo Romano 4. num. 7. factum est statutum sequentis tenoris. *Quoniam compertum est, vt quidam fratres propriæ salutis immemores à suis Superioribus tempore visitationum sub sanctæ obedientiæ meritò, alijsque ecclesiasticis grauioribus censuris adiurati, delinquentium fratrum crimina tunc corrigenda, dolosè reticuerint, & successoribus visitatoribus ad nutum detegentes, liuore nescitur quo, & odio reseruauerint. Hanc super hoc legem patres inuiolabiliter seruandam statuerunt, videlicet, vt crimina inquisita à Patre Generali, Prouincialibus, alijsque visitatoribus, tàm in communi, quàm in particulari tempore suarum visitationum scita, & non publicata; quantumuis non punita, à successoribus Superioribus non puniantur; sed potius puniantur eorum accusatores; tum quid odio fratrem accusare dignoscuntur, tum etiam quid adiurati tacuerunt, & negligentes obedire Superiorum mandato in excommunicationis sententiam lapsi sunt.*

Vbi aduerte secundò, quòd meritò; qui tempore visitationis tacuerunt, veniunt ab accusatione, denunciatione, & testimonio repellendi; quia præsumuntur rationabiliter suspecti: ex quo intra tempus constitutum non proposuerunt ius suum. Habetur expressè cap. cum in tua de his, qui matrimonium accusare possunt. Vbi Glossa verbo repellendus, & Innocentius eodem verbo. Verum tamen est, quòd si quis tempore visitationis non erat præsens, sed in itinere, vel ad concionandum in remotas partes, & non sciuit, quod Prouincia, seu Conuentus visitaretur, vel erat ita morbo grauatus, vt apud se non esset: tunc cum non ea malitia tacuerit, castigari non solum nõ debet; sed admitti, vel ad accusandum, vel ad denunciandum, vel ad testificandum. Habetur d. cap. Cum in tua iuncta Glossa. Quod tamen limitat Innocentius, quando delictum à nullo accusatore fuerit accusatum, nam si accusatum fuerit, etiãsi legitimè absens ignorans superueniret, non audiretur; quia iam prouisum est publico, vel priuato incommodo per delicti punitionem, vt suppono.

Glossa; Innoc.

Innocen.

Tertiò, circa processus in ordine nostro Minimorum, statutum est in Capitulo Genuensi 5. num. 6. quod debeant iudicari à Generali, vel Prouinciali, durante tempore suorum officiorum; quod si ab ijs iudicati non fuerint, prohibentur à successoribus iudicari, & puniri, & expressè mandatur, vt de illis nulla mẽtio habeatur, Quod tamen limito iuxta d. suprà, nimirum, vt ij processus à successore non puniantur, qui puniti non fuerint ab eo, qui fabricauit; modo delicta in ijs contenta non sint in damnum communitatis: & ex passione superioris, ne puniretur delinquens, iudicati non fuerint, statutum autem intelligitur, vt ex ipso textu colligitur, quòd non iudicentur ad instantiam partis.

Quartò. Circa omnes processus determinatum est in Capitulo Valentiæ 4. nu. 61. quod in Capitulo Generali, Pater Generalis deferat processus ab ipso fabricatos, & si nullus fratrum reclamauerit, se malè punitum fuisse, omnes corã Capitulo comburantur: si quis reclamauerit, suus processus non comburatur, sed examinandus, & iudicandus relinquatur successori; similiter de processibus factis à Prouinciali statuitur; quòd comburantur in Capitulo Prouinciali, vel tradantur comburendi Patri Generali illam prouinciam visitanti.

Circa quod est notandum 5. vt bene Notat Passarellus in Scholijs ex Genuensi nu. 6. quòd licet iure communi processus debeant seruari, vt si super his fuerit oborta contentio contra Iudicem, possit veritas declarari; quia alioquin si processus non apparet, semper contra illum præsumitur. Et propter multa alia bona, præsertim delinquẽtis terrorem, quæ adducit Grassus tom. 2. consil. lib. 2. de iudicijs, consil. 8. difficul. 1. num. 1. & seq. Apud Religiosos tamẽ aliter esset faciendum; nam huiusmodi reseruatio est fomentum, & incentiuum odij, ad quod respiciens. Benedictus 11. relatus ab Antonino 3. p. tit. 9. cap. 7. §. 7. super statutis minorum præcipit; quod intra biennium teneatur Prælatus terminare processus, alias elapso biennio, non possint amplius obesse.

Passarell.

Grassus.

Antoninus Benedictus

Sed quia, crescente in dies hominum malitia, non crematis processibus, ostendebantur aliquando sententiæ ad criminosos iam emendatos, & correctos infamãdos, & terrẽdos; & quãdoque etiã sententiæ falsæ, & nunquam à Superioribus emanatæ In capitulo Rom. 6. n. 14. dub. 4. Mandante Illustriss. ac Reuerendiss. Patre Fratre Augustino Galamino ordinis Prædicatorũ, & sanctæ Romanæ Ecclesiç Cardinali prçsidẽte in d. capitulo, tãquàm vice Protectore Religionis, factum est sanctissimũ, & iustissimũ statutũ, quo omnibus malis obuiã itur. Et est, quòd Processus conseruẽtur, sed nõ apud fratres particulares, nec apud Generales, vel Prouinciales: sed processus facti à Generali asseruẽtur, post finitũ illius Generalatũ, in Archiuio cõmuni pro tota Religione; quòd mandauit fieri in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis de Vrbe, cũ quatuor clauibus in d. cap. distributis: Processus verò facti à Prouinciali, finito illius officio, asseruentur in Archiuio Prouinciç; quod fieri mãdauit in principaliori cõuentu cuiuslibet Prouinciæ, simili-

ter cum quatuor clauibus. Et quia ex hoc statuto vnum videbatur oriri malum, nimirum quòd crimina fratrum semper essent in hominum memoriam duratura: cautum est, vt processati processus, statim eo defuncto comburantur; Quo statuto.

Primo, adhibitum est remedium Iudici, qui, quotiescunque fuerit contra eum suborta contentio, poterit se defendere, & veritatem declarare, & manifestare.

Secundo, prouisum est viris probis, quibus non leue quandoque incutiebatur fastidium, dùm contra ipsos ostendebantur aliquæ sententiæ, quæ probatæ dicebantur in tali processu, tempore talis visitationis, à tali Generali, subscriptæ ab hominibus malignis, vel incognitis. Quod tamen ipsi nunquam somniauerant.

Tertio, satisfactum etiam est fini illi, propter quem seruari debent de iure communi processus, nimirum ad terrendos reos, & discolos, cum semper viuant processus, ipsis viuentibus; ex quibus argumenta, & indicia pro futuris temporibus sumi possunt.

Quarto, præclusa est via malignitatibus eorum, qui apud se seruabant processus fabricatos contrà aliquos: & ostendebant ad eos infamandos, & de gradu suo dejiciendos, quandò ipsis libebat: Huiusmodi enim processibus, reseruati si qui fuerint apud priuatos fratres, nulla est adhibenda fides: Immò quiuis prohibetur in dicto statuto sub pæna excommunicationis, tenere apud se huiusmodi processus: vel etiam copias: seu etiam memorialia contrà aliquos fratres particulares, seù Prælatos.

CAP. XVII.

An præcipiente Prælato non reuelari secreta ordinis, subditus obedire teneatur.

Rodriquez



DE hac quæstione tractat Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 36. art. 3. vide Menochium de arbitrijs lib. 2. casu 537.

Notandum, quod per secreta ordinis intelligo ea, quæ foras publicata, maculam, infamiam vel damnum aliquod Religioni, vel Conuentui, seù Prælatis, vel particularibus Religiosis parturiunt, Sic statutum est in capitulo Generali nostri Ordinis Minimorum Valentiæ IV. num. 63. & determinarunt etiam fratres Prædicatores in Capitulo generali Vlysipponæ celebrato anno 1618. Huiusmodi sunt dissensiones inter Fratres, & Prælatos: Prælatorum defectus, illorum priuationes, suspensiones: fratrum carcerationes: pænitentiæ graues, quæ grauia arguunt delicta; fratrum particularium inimicitiæ, odia, dissensiones, defectus: quòd sit lusor, verbi gratia, concubinarius, comedon, ebrius: Defectus etiam naturales, & secreti, & apud solos cohabitantes noti, verbi gratia, quòd sit Spurius, ex maculato genere natus, &c. & denique. Quidquid minus nitoris communitati, vel priuato alicui Religioso afferre potest.

Dico primo, potest immò debet Prælatus præcipere subdito non reuelare secreta ordinis; & iste obedire maximè tenetur. Hanc sententiam omnes, vt puto, debent probare.

Probatur primo, quia potest Prælatus præcipere subdito omne iustum, & licitum secundum regulam, & ille tenetur obedire; sed quid iustius, & regulæ conformius? quàm præcipere nõ reuelari secreta, per quæ ipsa Regula, & Religio maculatur, & polluitur.

Secundo, quod debeat, patet, quia tenetur Prælatus omnibus viribus, & posse procurare, vt fama sibi commissi gregis conseruetur, & amplietur; sic omnes Religiones benè ordinatæ imponunt pœnas graues reuelantibus ordinis secreta: Fratres Prædicatores sub excõmunicationis pœna, vt patet ex eorum cõstitutionib. dis. 2. cap. 8. num. 9. Habent etiam fratres Minores, vt refert Spathar. tract. 10. de modò corrigendi Regular. par. 3. cap. 15. nu. 5. & in ordine nostro Minimorum capitulo Valent. 4. nu. 63. apponitur pœna duorum mensiũ carceris, & capit. Rom. 2. nu. 33. iubentur huiusmodi reuelatores de cõuentibus, in quibus degunt, & in quibus reuelarunt, transferri. Quod idem habetur in capit. Tholosano nu 71. vbi additur, quòd grauiter debent puniri in conuentibus, ad quos transmissi fuerint. Spathar.

Dico secũdo, reuelare secreta ordinis est grauissimum peccatum, in se multa cõplectens peccata, specie distincta, maximeque detestabilia.

Probatur, qui facit contrà plures virtutes distinctas specie, tot committit peccata distincta specie, quot sunt virtutes, contrà quas facit: vt est communis sententia, & habet in specie Azor to. 1. instit. moral lib 4. cap. 2. quæst. 5. & patet in adulterio coniugati, cum coniugata, in quo interueniunt tria peccata specie distincta; quia fit contra tres virtutes specie distinctas. Primum est simplicis fornicationis cõtra castitatem: Secundum infidelitatis, contrà fidelitatem proprio coniugi promissam: Tertium iniustitiæ, contra iustitiam coniugi alterius illatam: quæ dicuntur adulteria ex vtraq; parte, vnde nec sufficit in cõfessione dicere, Ego peccaui cum coniugata, sed debet dici, Ego cõiugatus peccaui cũ coniugata. Colligitur hæc doctr. ex D. Tho. par. 2. q. 73. ar. 5. ad 1. vbi ait, *quòd adulterium non solum pertinet ad peccatum luxuriæ, sed etiam pertinet ad peccatum iniustitiæ:* Sed qui reuelat secreta Religionis, facit primò contra obedientiam debitam Prælato cui tenetur obedire in rebus licitis (supposito, quòd ad id, eum Prælatus astrinxerit.) Azor. D. Thom.

Secundo facit contra iustitiam, damnificat enim proximum, & confratrem suum, illum infamando in re graui; Ex qua damnificatione vlterius resultat damnum in totam communitatem. Hoc est enim sæcularium genium, vt vno Religioso infirmo, & peccatore cognito, statim reclament omnes peccatores, & infirmos, vt dicebamus ex August. & habet D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. corpore, & Bonauentura quæst. 16. super regulam S. Francisci. *Ex hoc,* inquit, *arguitur stoliditas sæcularium quorumdam, qui dum vident aliquem Religiosum in aliquo offendere, omnes Religiosos, despiciunt, quasi omnes tales sint; Cum ipsis videretur iniustum, si quis eos propter aliena vitia, deteriores haberet;* Ratio autem huius est, quæ redditur Ecclesiastes 10. *Sed, & in via stultus ambulans, cũ ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* D. Thom.

Adde, quòd si huiusmodi secreta reuelet ex odio, & intentione detrahendi, peccat speciali peccato odij, & detractionis, contrà charitatem proximo debitam, vt habet Azor. loco cit.

Tertio, peccat speciali peccato scandali, licet scandalizandi expressam intentionem non habeat; quia praebet occasionem illis, quibus reuelat, murmurandi, & male sentiendi, de Religiosis, & Religione: praesertim si ex pusillorum hominum genere sint. Quòd enim non sit necesse habere expressam intentionem, scandalizandi, ad hoc, vt quis peccet speciali peccato scandali; *Sylvester; Nauarr.* tenet Syluest. verbo scandalum q.2. fine, Nauar, in sum, cap.6. num.19. & dis.5. de poenit, capit. consideret, § animaduertere num.9 & alij, quos *Valentia,* refert, & sequitur Valent. tom.3. disp.3. quęst.18, p.4, col.4. versu Hæc posterior sententia, qui id per multa probat, & bene, ad quod simul cum Syluestro, citat etiam D.Thom.


Verum quidem est, quòd si persona, cui reuelarentur secreta, esset prudens, & cordata, quæ non inde occasionem murmurandi assumeret, sed potius ipsum reuelantem redargueret: vel illius infirmitatibus compateretur, hoc casu ab hoc speciali peccato scandali excusaretur reuelans.

Grauissimum itaque crimen ex multis compactum criminibus, reuelare secreta, omni æuo, & ætate damnatum, grauissimaque pœna mulctatum. Sic apud Ethnicos fecerunt Sisyphum illum, quia Deorum arcana hominibus patefecit, eam apud Inferos sustinere pœnam, vt delatum ingens saxum ad verticem montis, inde ad calcem deiectum, iterumque ad eundem verticem reportet, itque perpetuo labore lassetur, Auctor est Seruius ad VI. Aeneidos. *Seruius Tarq.* Sic Tarquinius Romanorum Rex, Marcum Tullum duum virum, quòd librum secreta ciuilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus largitione, Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abijci iussit, refert ex Valerio Salzedo ad pract. Diaz cap. 106. *Salzede.* & addit, quod apud Aegyptios reuelanti secreta lingua abscindebatur.

In scriptura maximè detestatur hoc vitium, *Prouer. 11.* Prou. 11. *Fraudulenter ambulat, quisquis reuelat arcana.* & cap 20. *Cum eo, qui reuelat mysteria, ne commiscearis,* & cap. 25 *secretum extraneo ne reueles: ne forte insultet tibi cum audierit, & exprobrare non cesset;* *Eccles. 27.* & Ecclesiast. 27 *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ Infelicis.* De illis rectè potest explicari illud Genes. 9. *Cum vidisset Cham, verenda patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foras:* nota illud *foras.* Meritò itaque illi nomine Religioso indigni, qui matris suæ pudenda patefaciunt, sicut Cham, maledictionem Dei merentur quam sine dubio incurrent; vt habetur cap. sententia 2. q 7. vbi dicitur, *Sententia Cham filij Noe damnantur, qui suorum Doctorum, vel præpositorum culpam produnt;* idest extrà claustra peruulgant.

Falx est huiusmodi reuelatio regularis vitæ, Religionis destructio, Conuentuum dissipatio, morum relaxatio, boni nominis amissio, existimationis exinanitio, ipsorum quoque reuelantium infamatio, omnium criminum atrocissima culpa, meritò rigorosissima pœna luenda, vt luitur in omnibus bene rectis Religionibus. Quod late prosequitur Iulius Nigronus in com. regularum communium Societatis Iesu regul. 38. num. 6.

§. *Vnicus quorum Religiosorum sit proprium hoc vitium.*



Rium generum hominum est proprium hoc vitium, curiosorum, loquacium, & vinosorum. Curiosorum hominum commune vitiū, *Plutarch.* de quibus Plutarchus lib. de curiositate multa dicit, præsertim, quòd *tranquillitatem, & silentium ferre non possunt,* vt habet columna 4. in medio; *& morbus est,* inquit, *improbitate abundans,* & addit, *Curiositatem non posse non subsequi maledicentiā,* *D. August.* & August. lib. 10. confessionum; *Curiosos,* ait, *esse promptos ad cognoscendam vitam alienam, desidiosos ad corrigendam suam.* *Eccles. 3.* & Ecclesiast. 3. dicitur, *Insuper vacuis rebus noli scrutari sensum tuum multipliciter: non est tibi necessarium ea, quæ sunt abscondita videre oculis tuis; de ea re, quæ te non molestat, ne certaueris: & in pluribus operibus tuis non eris curiosus.* Intolerabilis gens, quæ aliquem nacta infinitis molit gerrillonibus ad sudorem vsque, *Oratius;* id sibi contigisse narrat Oratius Satyra nona.

Misere discedere quærens,
Ire modo ocyus, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero: cum sudor ad imos
Manaret talos.

Aristot. Scitè Aristoteles vexatus à quodam, & importunis quæstionibus, absurdisque narrationibus exagitatus, dicenti subinde: *Nonne hoc mirum est Aristoteles? non profectè,* inquit, *hoc est mirum, sed si quis pedibus praeditus te sustinet;* Ita refert Martinus de Roa singularium locorum lib. 6. cap. 11. in fine. *Martin. de Roa.*

Loquacium hominum est etiam hoc vitium; omnis enim curiosus loquax, hac enim mēte, vt publicet per vestigat; vnde Oratius ad Lollium.

Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est.
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Plutarc. Et Plutarchus in lib. de garrulitate col. 6. in medio, ait, *Multa audire volunt loquaces, vt multa habeant, quæ dicant: ac maximè abscondita, & arcana scrutentur, atque inuestigent.* Itamque est proprium hoc vitium garrulorum, vt dirumpi videantur, quamdiu relectum tenent, quod perbelle dicitur Ecclesiast. 19 *Audisti verbum aduersus proximum tuum, commorietur in te, fidens quoniam non te disrumpet;* *Eccles. 19.* idem dat illis publicā sapiens, iutosque reddit, quod celantes non disrumpentur, contrarium namque ipsi existimant.

Vinosorum etiam familiare vitium; vnde benè Plato lib 1. de legibus. *Nullum,* ait, *esse tormentum minus sumptuosum, minusque noxium, ac periculosum, quàm vinum, ad explorandos hominum affectus ac mores;* *Plato.* & Plinius lib 15. cap. 22. scribit vinum vsque adeo mentis arcana prodere, vt mortifera etiam inter pocula loquantur homines, & ne per iugulum quidem rediituras voces contineantur, & celebratur Persæ cuiusdam apophthegma, qui negauit tormentis opus esse ac exquirendum verum; vino enim rectius elici, & est apud Græcos prouerbium, quod in corde sobrij, id in lingua Ebrij, & Euripidea apud Atheneum.

Aurum alit argentum fabri dignoscitur igni
Vinum hominis prodens arguit ingenium.

Plura id genus videri possunt apud Manutium in adagijs præsertim pag. 415.

& Oratius ad Lollium.

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vnquam,
Commissumque teges, & vino tortus, & ira.

Et lib. 2. epist. 5.

Quid non ebrietas designat? operta recludit.

Infame vitium ebrietas, & homine Religioso maximè indignum. Contra quod tam scriptura sacra, quam patres multa dicunt Esaiæ 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis,* & Prouerb. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? non ne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet,* & Ecclesiastici 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur,* & Sanctus Basilius homil. 14. de ebriet. *Ebrietas dæmon est voluntarius ex voluptate animis nostris inditus; ebrietas malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum, ex temperante facit lasciuum, iustitiam ignorat prudentiam extinguit; sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationi, &c. quid, quæso, sunt ebrij aliud, quam gentium idola? oculos habent, & non vident.* S. Ambrosius in libro de Elia, & ieiunio. *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ. Hæc sensus hominum mutat, & formas: per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, &c. vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt.* Et infra, *quid autem obtestationes potantium loquar? quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit sit reus in deuotione, videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius salute non biberit, ô piæ deuotionis obsequium, &c. ô stultissima hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant, illos ebrietate placere, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt.* & Chrysost. hom. ad populum. *Ebrius dæmon est voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium.* & hom. 58 in Matth. *quanto melior asinus ebrioso est, quanto canis præstantior?* August. serm. 251. de tempore, *cum ebrietatis malum sit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuersum mundum à pluribus in consuetudinem missum est, vt iam nec putetur esse peccatum.* Et serm. 232. *qui credit ebrietatem paruum esse peccatum, si se non emendauerit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris, & homicidis æterna sine remedio illum pœna cruciabit.* Et Isidorus lib. 2. de sum. bono cap. 43. *Plerisque laus est multum bibere, & non inebriari. Audiant hi aduersum se dicentem prophetam* (Esaiam cap. 5.) *væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem,* id est væ helluones, qui ad omnia inualidi infirmi, inepti, & insulsi estis, & solum valetis, & sapitis in vino; & fortes estis, & strenui non contra hostes; sed ad exhauriendos calices: gigantes estis non ad bellandum, sed ad potandum.

Audiamus poetas. Virgilius de vino, & Venere.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore.
Vno namque modo vina venusque nocent,
Vt Venus eneruat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.

Ouidius lib. 1. amorum elegia 6.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent;
Illa pudore vacat, liber, amorque metu.

Plautus in Pseudulo.

Magnum hoc vitium est vino.
Pedes captat primum, luctator dolosus est.

Quocirca Bacchus ipse tres crateres conuiuio præfiniuit, vt est apud Ebulum, & refert à lapide cap. 5. in Esaiam versu 11. his versibus.


Tres tantum ego sanis crateres misceo;
Vnũ valetudinis, secundũ amoris, saporis tertiũ:
Quo, qui sapere solent, eunt hausto domum.
Nam quartus haud est amplius crater meus,
Sed contumeliæ. Velut huic proximus.
Clamoris, hunc sequitur commessandi furor;
Ita septimus habet vulnera; octauus forum,
Nonusque stomachum. At decimus est insaniæ.

Vnde Sacerdos ebrietati deseruiens, nisi desistat, est deponendus, cap. Episcopus d. 35. & in ebrietate comprehensus, triginta diebus à communione præcipitur abstinere; Et clericus, seu non Sacerdos verberibus subijci cap. Ante omnia dist. eadem, in qua multa de ebrietate dicuntur. Quod deberent multum aduertere Superiores, & tali nota maculatos corrigere; quod si sæpius correcti nõ se emendauerint, eijciant à Religione, vt eam desinant vilipendere, & infamare.

Isti sunt, qui arcana reuelant Religionis, in eiusdem dedecus, & opprobrium; vnde quando constat de huiusmodi reuelationibus, & non cõstat de reuelante: curiositas, garrulitas, & vinositas sunt proditoris huiusmodi manifesta indicia; & Prælati non deberent cessare, verbis, & verberibus tales signatas pecudes coercere.

CAP. XVIII.

Vtrum subditus possit impetrare Visitatorem contra Prælatum.



Noto primò, quòd non intendo hic, quæ ad visitationis materiam pertinent, tractare; multa enim dixi suprà, & multò plura dicam tom. 2. Cum de Prælatis, ad quos interest hoc munus visitationis; Hic solum pro subditis intendo inuestigare, præsertim secundum regulam nostram minimorum, & regularia statuta; An possit subditus contrà Prælatum malè viuentem, vel malè gubernantem, & regentem Prouinciam (de Prouinciali enim loquor) impetrare Visitatorem extra ordinarium tempus visitationis.

Noto secundo, multi sunt casus, in quibus Prælatus regularis potest deponi, & officio, quo fungitur, priuari. Primò, si est dilapidator bonorum Monasterij. Secundò, si incontinenter viuit. Tertiò, si regulam destruit, eamque relaxat in se ipso, & in alijs, qui ad illius exemplũ effrænatè viuunt; & alij similes, de quibus Panorm. in cap. Monachi de statu Monachorum num. 5. & 8. & in cap. vt si Clerici, & cap. cum non ab homine de iudicijs. Habetur dicto capite *Monachi*, fin. *Panormit.*

Noto tertiò, ad hoc vt possint subditi tuta conscientia petere Visitatorem à Generali, vel Illustriss. Protectore contrà Prælatum, debent prius illum corrigere, bis, ter, aut quater, vel

etiam quinquies, ſeruato ordine correctionis fraternæ, eo modo, de quo infrà; nam ſecus ex odio procedere conuincerentur: debentq; Prælati exceſſus eſſe ità notorij, & irreparabiles, vt nocumentum graue ſint allaturi, tùm communitati, tùm particularibus, niſi illis prouideatur; vt zelo boni communis ducti, Viſitatorem petentes appareant.

Dico primò, licitum eſt ſubditis, qui habent Prælatum incontinenter, & relaxatè viuentem, ſeù ſcandaloſè; vel dilapidantem bona Monaſterij; regulamque non obſeruantem, ſed potiùs deſtruentem, & ad interitum ſuo exemplo alios trahentē conuentre, & eum accuſare apud Patrem Generalem, ſeù Protectorem (ipſo Generali negligente, ſeù renuente, vel prius pendente) ab ipſoque Generali, vel Protectore, viſitatorem contrà talem Prælatum impetrare, vt puniatur, & deponatur, ita Rodriquez tom. 2. quæſt. regul. q.35. art.2.

Gratian. Probatur primò, ex multis capitibus, quæ affert Gratianus 2. quæſt. 7. cap. Præſumunt, cap. quapropter, cap. ſi quid, cap. Metrapolitanum, & cap. ſicut inquit, vbi dicitur, *Sicut, inquit, laudabile, diſcretumque eſt reuerentiam, & honorem debitum exhibere Prælatis, ità rectitudinis, & Dei timoris eſt, Si qua inter eos correctione indigent, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum, quòd abſit, corpus incipiat morbus innadere, Si languor non fuerit curatus in capite*; Ex quibus patet, quòd non ſolum licitum eſt ſubditis Prælatum accuſare, contraque ipſum Viſitatorem impetrare, ſed etiam quandoque debent pro ſalute totius communitatis, id facere.

Trid. Secundo probatur, ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de Regularibus, vbi dicitur, quòd à Prælatis Regularibus, quæ ad ſubſtantiam vitæ regularis pertinent, relaxari non poſſunt; & reddit rationē; *Si enim illa,* inquit, *quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſeruata, totum corruat ædificium neceſſe eſt*. Ergo Prælatus hæc relaxans in ſe ipſo, exemploque ſuo ad idem cæteros trahens, eſt omninò deponendus; ergo ſubditi, quæ ad talem depoſitionem neceſſaria ſunt, poſſunt omnia procurare.

Tertiò, ad omnia membra particularia pertinet conſeruatio totius; ſed ſi diſſimuletur iſte Prælatus, periclitatur totum Religionis, vel Prouinciæ, alicuius particularis corpus; ergo poſſunt, & debent membra pro totius conſeruatione, etiam cum periculo proprio clamare, ſcribere, accuſare, Viſitatorem petere.

Aduerto tamen in accuſatione Prælatorum, non debere admitti quoſcunque teſtes indifferenter, ſed eos, qui ſunt tantùm omni exceptione maiores, & omninò irreprehenſibiles, vt habetur cap. criminationes 2. quæſt. 7. & prorſus excludendos puto in ordine noſtro Minimorū ab accuſatione, ſeù iudiciali denunciatione, vel etiam teſtificatione eos conuerſos, quos oblatos vocamus; quod mihi perſuadeo propter id,

Damaſus. quod habet Damaſus Papa cap. Sacerdotes 2. quæſt. 7.

Dico ſecundò, circà modum impetrandi talem Viſitatorem, in noſtris ſtatutis, cap. Valentino 4. num. 40. ità determinandum eſt. *Statuerunt deinde ad tollendas rebelliones, & conſpirationes, vt nullus ad Superiorem recurrat contrà Prouincialem impetrando Viſitatorem, niſi habeat transmiſſionem à maiori parte correctorum illius Prouinciæ*, & apponitur pœna contrarium facientibus: *Nec per hoc prohibetur; quin fratres poſſint ſcribere ad Patrem Generalem de ſuo Prouinciali.* Quod ſtatutum habent etiam fratres Prædicatores, vt patet ex eorum Conſtitutionibus d. 1. cap. 19. & in capitulo Maſſilienſi 1. num. 60. ſtatuitur, quòd Viſitatores non mittantur, niſi præcedat petitio maioris partis Prouinciæ; & quòd non mittantur tales Viſitatores extraordinarij, niſi poſt feſtum S. Michaelis Archangeli, vel poſt Paſcha Reſurrectionis: ità vt dicti Viſitatores non poſſint viſitare, niſi poſt dictum feſtum S. Michaelis, vſque ad finem menſis Iunij, vt declaratur in dubijs miſſis ab Illuſtriſſimo Cardinali de Nazaret noſtræ Religionis Protectore ad dictum capitulum Maſſilienſe reſoluendis, dub. 8. Atque ità, id quod dicitur in noſtris Conſtitutionibus d. cap. Valent. 4. num. 28. quòd tempore capituli non ſunt faciendæ priuationes, per tempus capituli poſſet forte intelligi ſpatium trium menſium Iulij, Auguſti, Septembris, quo ad capitula prouincialia, & intermedia, quo verò ad capitula localia, ſpatium, quòd eſt à medietate Iunij, vſque ad medietatem Septembris. Quòd etiam innuitur in decretis Clementis Octaui miſſis ad capitulum Genuenſe; quatenus decernitur, quod dicto tempore non poſſint amoueri fratres de ſuis localitatibus, niſi obſtarent verba dicti capituli, Valent. num. 28.

Sed quæres poteſt ne Pater Generalis contra talem formam mittere Viſitatorem?

Reſpondeo non poſſe, quia non poteſt contrauenire ſtatutis factis à Capitulo Generali, quod ſupra ipſum eſt; inferior enim in ſuperiorem imperium non habet; vt dicitur cap. Inferior d. 21. & Clementina Ne Romani de elect. §. 1. & hoc maximè, cum inferior à ſuperiore recipit poteſtatem, vt notat Gloſſa in dict. Clementina verbo Inferiorem, vt eſt in caſu noſtro in quo Generalis à Capitulo Generali recipit poteſtatem.

At inquies poteſt in hoc ſtatuto Generalis diſpenſare. Reſpondeo, de hoc dicam latiùs lib. 2. hic ſolum, quòd ad diſpenſandum requiritur ſemper iuſta cauſa, alioquin non valet, vt diximus, quia neſcio, an hic intercedat ſecundo, quod in præiudicium tertij, & præſertim communitatis, etiam aliqua cauſa ſubſiſtente, non eſt diſpenſandum, abſque conſenſu intereſſe patientis, vel communitatis, ſeù maioris partis illius, ad quod adduco textum in cap. præſentium 1. q. 5. & videtur dicere Syluest. verbo diſpenſat. q. 4. num. 7. Syluester.

Ex quo ſequitur, quòd ſi his non obſtantibus, mittat nihilominus Pater Generalis Viſitatorem ad prouinciam viſitandam, non tenentur fratres illius prouinciæ talem Viſitatorem recipere. tum quia contra ſtatuta venit, tum quia illi Prouinciæ fit iniuſtitia, & iniuſto præcepto nemo tenetur obedire: etiamſi præceptum recipiendi ſub mortali obliget: etiamſi ſub pœna excommunicationis; vt habetur cap. ſollicitudinem, §. ſi verò de appellationibus. Denique non poteſt pater Generalis mittere talem Viſitatorem contra hanc formam; quia videretur fouere rebelliones, & conſpirationes, quas præciſe intendit dictum ſtatutum canere.

Dico

Dico tertiò, quòd quando mittitur Visitator, debitis modis, vt dictum est, impetratus, debent illi assignari duo socij, aliter ad explendū munus visitationis à Prouinciali illius respectiuè Prouinciæ non admittatur. Ita habetur in dicto Capitulo Valent. 4. num. 38. quod est valdè conforme regulæ nostræ, quæ omnibus superioribus, Generalibus, Prouincialibus, Correctoribus tres socios assignat; quorum prouido suffulti consilio, commissa sibi negotia, discretè, ac sapienter discernat, vt dicitur in Regula nu. 51. & congruit cap. *quoniam contra*; de probat. Qui socij debent semper assistere Patri Generali, & Patri Prouinciali tempore visitationis, vt determinatum est per fœlicis recordationis Clementem VIII. in ordinationibus missis ad Capitulum Generale, celebratum Genuæ anno 1596. de quibus alibi facta est mentio, & fiet.

Clement. VIII.

Vbi aduerte, quòd si Visitatori, etiam legitimè impetrato, non fuerint assignati prædicti duo socij, non tenebitur Prouincialis Prouinciæ visitandæ eum, quo ad effectum visitationis, recipere; tunc enim valet illa regula, *Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi*, quæ est 64. de regul. iuri in 6. cum præsertim statutum habeat annexam perpetuam prohibitionis causam, annulletque factum in contrarium, tribuatque Prouinciali facultatem Visitatorem non admittendi, si plenè non fuerit obseruatum.

§. Primus, *Vtrum possit Pater Generalis semel visitata aliqua Prouincia, ad libitum suum eam iterum per se, vel per Visitatorem à se missum visitare.*

POstquam visitauit Pater Generalis Minimorum aliquam Prouinciā, durante termino sui Generalatus, vult etiam iterum visitare, nullo reclamante, non instantibus ijs, quibus incumbit; sed solum propter suos determinatos fines, vt nodum in scirpo quærat, quæritur; an id possit tuta conscientia facere, & an Prouincia talem visitationem teneatur admittere.

Dicendum, est non posse Patrem Generalem vnam Prouinciam iam visitatam pro suo libito absque instantia eorum, quibus incumbit, iterum visitare.

Probatur primò; quia ex antiqua consuetudine Religionis, quæ pro lege seruanda est, vt dicitur Cap. Videtur de his, qui matrimonium accusare possunt, & alijs testibus, quos adducit Glossa dict. Cap. verbo antiqua consuetudine, Vous Generalis semel tantum visitat totam Religionem; nec vnquam visum est, quod aliquis Generalis voluerit in suo Generalatu vnam Prouinciam bis visitare, absque legitima causa. Quæ causa legitima, diximus, quòd est, quandò maior pars Correctorum Prouinciæ instat, vt iterum visitetur; vel etiam hoc facit maior pars fratrum.

Clement. VIII.

Secundo, per decreta Clementis VIII. publicata in Capitulo Genuensi 6. anno 1596. Mandatur Generali, vt personaliter visitet totam Religionem, & deindè Romam se conferat (si per tempus ante Capitulum Generale celebrandum ei licebit) ad reddendum rationem bonæ administrationis. Ex quibus colligitur, quòd de mente Pontificis sufficit, quòd Generalis, durante suo Generalatu, semel tantum totam Religionem visitet.

Paul. V.

Tertio. Hoc colligitur expressè ex motu proprio Pauli V. super extensionem officij Generalatus ad sexennium, Dato Romæ sub annulo piscatoris anno 1605. die prima Octobris. Quod incipit, *Cum sicut accepimus*, vbi principalis ratio, quare Pontifex extenderit Generalatum ad sexennium, hæc assignatur. *Quia cum propagarentur in dies domus familiæ Minimorum, non poterat Generalis, sicut tenebatur omnes Conuentus visitare, Immo, & quos visitabat, ita festinanter visitabat, vt ex tali visitatione paruum, vel nullum emolumentum in Religionem resultaret*. Ergo ex mente Pontificis debet Generalis totum tempus sui Generalatus expendere in diligenti visitatione Religionis, illudque sibi prudenter diuidere; ergo non potest vnam Prouinciam bis visitare, absque legitima causa: alijs Prouincijs præsertim nondum visitatis.

Quarto probatur ex altera ratione, quam affert dictus Paulus V. in prædicta extensione, nimirum *ad vitandos sumptus, & expensas*, Sed in visitationibus huiusmodi multæ, & intolerabiles fiunt expensæ, non solum pro esu, & potu, sed pro equitibus, & ratis: quæ quandoque tam sunt extremæ, vt Prouincias pauperiores, non de facili extinguendo, grauent ære alieno, ad quas omnes, & alias euitandas, talem videtur Pontifex extensionem fecisse. Licet enim solum loquatur de expensis faciendis pro eundo ad Capitulum Generale; cum tamen militet eadem omnino ratio, potest ad hunc etiam casum extendi; vt habetur Cap. translato de Constitutionibus, & habet Panorm. in cap. Coram de electione num. 4. ergo contra mentem Pontificis est, absque legitima causa Prouinciam bis visitare, tales expensas causando.

Tridentin.

Quinto probatur, ex Trid. sess. 24. cap. 3. de Refor. vbi scopus, & finis visitationum dicitur esse, *Sanam doctrinam inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, & subiectas suas cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, & pacē accendere*. Ergo vbi talis necessitas non fuerit coercendi, & ad pacem accendendi, quia omnia benè se habent, quiete omnes, & pacificè vitam ducunt, mediante bono regimine Patris Prouincialis talem Prouinciam moderantis, non poterit Pater Generalis semel visitatam, eam iterum extra tempus visitare. Neque dicas, quòd visitabit ad bonos mores tuendos, & sanam doctrinam inducendam; quia cum hoc fecerit per suam primam visitationem, debet ei sufficere, & onus relinquere suo successori; lætarique, quòd ab ipso instituta in tali Prouincia obseruentur, & durent; quod in eius non paruam resultat Gloriam.

Trid.

Sexto, quia idem Tridentinum sess. 25. de regular. cap. 2. præcipit Prælatis, vt suis temporibus visitationes facere non prætermittant. Ergo vetat extra tempus visitare, saltem absque legitima causa.

Septimo, quia absque legitima causa extra tempus volens visitare Generalis, conuincitur procedere ex aliquo suo particulari interesse, seu ex odio, & malignitate; sed non est malitijs

hominum

hominum indulgendum, iuxtà legem in fundo, ff. de rei vendicatione, vt habet Nauarr. comm. 4. de Regular. num. 23. versu 4. potest agere. *Nauarr.*

At obijcies primo, ex Regula Minimorum num. 46. & constit. Greg. XIII. pro ipsis Minimis, quæ incipit. *Ex pastoralis officij*, data Romæ 27. Martij 1576. & habetur in nostra Regula post ceremonias pag. 22. Possunt Generales quoscunque Visitatores in quamcunq; Prouinciam, vbi, & quando sibi expedire videbitur, transmittere, nec possunt Correctores locales, aut Prouinciales, seù quicunque alij fratres dictis Visitatoribus, à Generali pro Prouincijs visitandis missis, resistere, vel se opponere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsi Pontifici reseruatæ; & sub pœna priuationis officiorum.

Respondeo primò. Magis esse attendendum ad mentem statuentis, quàm ad verba statuti, vt habetur expressè cap. Humanæ 22. q. 5. & iuxtà mentem statutum esse obseruandum: etiamsi verba videantur contraria; vt habet Syluest. verbo Dispensatio q. 4. num. 7. Mens autem statuentis ex ipso proemio statuti colligitur, vt Panorm. in cap. aduersus num. 2. de immunit. Ecclesiæ. *Syluester.* *Panormit.* Relatum est Pontifici, quòd cum quidam Vicarij Generales in diuersis partibus Religionis Minimorũ contrà eiusdem ordinis statuta multa præstitissent, dubitassetq; Generalis tunc temporis officio fungens, ne, si mitteret aliquos Visitatores, vt debebat, ad eos visitandos, ipsi Vicarij, vt qui de suis actionibus malis sibi ipsis optimè erant conscij, eos non reciperent, Cornuaque contra ipsos erigerent, eisq; se pro posse opponerent, supplicauit sanctissimo pro remedio, qui tale adhibuit, vt supra in obiectione. At nos sumus in differenti casu, hic enim agitur de Prouincia benè visitata, quietè, & pacificè se habente cum Prouinciali, contrà quem non reclamatur, vt reclamabatur contra illos Vicarios.

Secundo respondeo, quod quando dicitur, quòd Pater Generalis potest mittere ad libitum Visitatores: additur ferè semper, si expediens fuerit, vt necessario debet semper intelligi, quoties fuerit necessarium, & vtile; quod etiam debet intelligi in bulla illa Gregorij. Neque enim credendum est, voluisse Pontificem, vt sine causa posset Generalis mittere istos Visitatores, ad grauandas Prouincias, & fratres illius, non solum in expensis; sed & multò magis in existimatione; quando enim mittuntur tales Visitatores extra tempus in aliquam Prouinciam, mali quid hominis semper scientes suspicantur.

Obijcies secundò, in dubijs resoluendis missis ab Illustrissimo de Nazaret ad Capitulũ Generale Massiliense dubio octauo, dicitur, quòd Generalis debeat per se, vel per Visitatores singulis triennis prouincias visitare.

Respondeo. Illa dubia in dicto Capitulo Massiliensi non fuisse inserta, & ideò parum, vel nihil firmitatis obtinere. Secundo posse intelligi de visitatione cum causa legitima, vel tertio nunquam fuisse acceptatas determinationes illorum dubiorum, & præsertim huius: immò vsu contrario fuisse antiquatas. Quare in facti contingenti rationabiliter fuit repulsus à secũda visitatione Prouinciæ Neapolis, quam intendebat P. Fr. Didacus Arias Generalis, qui fuit electus in dicto Capitulo Massiliensi cum consensu, vt audio Illustriss. Domini Cardinalis Lancellotti, tunc temporis Religionis Viceprotectoris.

§. Secundus, Vtrum quando necessariò debet mitti Visitator a Generali vel Protectore, debeat esse de corpore eiusdem Religionis.

DIco primo Papa potest subijcere Regulares quoscunq; visitandos Religiosis alterius professionis, etiam Clericis sæcularibus. Ità Abbas in Cap. Officij de elect. num. 4. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 52. artic. 7. & communiter. *Abbas.* *Rodriguez*

Probatur primò, quia hi Doctores dicunt, quòd Religiosus alterius Professionis, seù etiam Clericus sæcularis, potest per Papam promoueri ad dignitatem in ordine, in quo non est professus; ergo multo magis debent id dicere de Visitatore.

Secundò, quia hoc est de iure positiuo, super quo Papa habet plenariam potestatem.

Dico secundo, certissimum est non posse Generalem subijcere visitandam aliquam Prouinciam Religiosis alterius professionis, vel Clericis etiam sæcularibus.

Probatur, quia Generalis non potest se extendere, nisi quantum illi per Regulam, & Regularia statuta conceditur: Certum est autem, quòd hoc illi non concedunt sua regularia statuta.

Dico tertio, nec Protector potest mittere ad visitandam aliquam Prouinciam Religiosum alterius professionis: etiamsi Clericus sæcularis sit, ità Rodriq. tom. 3. quæst. Regul. q. 97. art. 9. & to. 2. q. 4. art. 2. & q. 52. art. 7. *Rodriquez* Pro qua conclusione cito etiam omnes illos, qui tenent, non posse in Prælatum Religiosorum eligi Religiosum, alterius ordinis, vel habitus, vt Abbas in capit. officij de elect, num. 4. Antoninus 3. part. tit. 19. cap. 2. §. 4. Syluest. verbo electio 1. q. 14. num. 25. Tab. verbo electio §. 16. Angelus eodem §. 23. Rosella eodem 1. num. 35. Pisanella ibidem §. Quis non potest eligi, & alij communiter; nam munus visitationis Prælaturam, & Præfecturam dicit. *Abbas.* *Antonin.* *Syluester.* *Tabiena.* *Angelus.* *Rosella.* *Pisanella.* Et rationes, quæ adducuntur, militant tàm pro Prælatis, quàm pro Visitatoribus, vt dicam conclus. 5.

Probatur primò, quia Visitator alterius professionis non potest esse instructus in regula illorum Religiosorum, quorum Prouinciam visitare intendit; ergo benè eam visitare non potest, vt dicitur cap. officij de elect. & in Concil. Triden. sess. 25. cap. 21. de reformat. *Concill. Trid.* Quomodo enim præibit, qui nunquam iuit per illud iter.

Secundò, quia sic araretur in boue, & asino cõtrà id, quod habetur Deuth. 22. quod expendit Glossa in cap. officij verbo Incontinenti; *Deuth. 22.* *Glossa.* ad hoc etiam facit Clementina prim. de elect. vbi expressè prohibetur, eleuari ad Prælaturam Religiosorum, qui non est in ea Religione professus; *Cum hoc*, inquit Papa, *rationi consonum non sit*.

Tertiò, quia, & si esset instructus in ea Religione, quam sumit visitandam Religiosus alte-

rius

gius professionis, non est tamen in ea expertus, vt ait dicta Glossa in cap. officij, & *graue est inexpertos diuino obsequijs applicare*, vt habetur cap. Monasterijs 19. quæst. 3. & habet Panormit. in d. cap. officij num. 4.

Glossa. *Panorm.*

Quarto probatur, specialiter ex priuilegijs Innoc. VIII. concessis Cistersiensibus, quæ refert Rodriq. tom. 3. quæst. regul. q. 77. artic. 9. quibus statuit, quod Monasteria dicti ordinis non possint visitari ab alijs, quàm à Monachis eiusdem ordinis: & hoc in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub Ecclesiasticis censuris præcipit quibuscunque Visitatoribus, quacunque præfulgeant dignitate: declarans irritum, ac inane quicquid contra hoc priuilegium factum fuerit; quo priuilegio gaudent omnes communicationem habentes.

Rodriquez

Quintò, quia ad id non se extendunt literæ Protectoriarum à Pontificibus concessæ Protectoribus, vt patet ex Bulla Gregor. XI. quam refert Cherubinus tom. 1. sui Bullarij in Gregorio XI. pag. 231. Approbata, & confirmata à Sixto IV. qui eam vtilem fuisse expertum se, asserit, cum esset in minoribus, pro vt refert idem Cherubinus ibi in Sixto IV. fol. 334. quam etiam confirmauit Iulius II. Gregorius XIII. & Paulus V. vt refert idem Cherubinus tom 3. Bullarij in Paulo V. fol. 143. quas bullas in fine huius paragraphi ad maiorem facilitatem, & commoditatem legentium per extensum apponam. De ijs faciunt mentionem Hier. à Sorbo in compend. priuil. verbo Protector, Vbi Corduba, & Rodriqnez tom. 3. quæst. regul. quæst. 41. artic. 1. Fellus summ. constit. prædic. par. 3. cap. 27.

Cherub. *Cherub.* *Sorbo.* *Corduba.* *Rodriq.*

Dico quartò, etiamsi Domini Protectores ad id obtinuerint à summo Pontifice potestatem, non conuenit tamen suis Illustriss. Dominationibus ea potestate vti; A nomine enim Protectoris, quid sibi facere oporteat, edocentur, nimirum protegere, & defendere. Protegant itaque, & defendant iustitiam, ita tamen, vt misericordiam non dispergant ab ea; & ità misericordiam faciant, vt iustitiam ab ea non diuidant, vt dicitur cap. disciplinam dist. 45. Hoc tamen semper salua regulari ordinis sibi commissi disciplina.

Attendant itaque Domini Protectores, & diligenter perspiciant; ne dum iusti multum, & zelatores videri appetunt, rigidi, & truces appareant, & sciant quid dicit sapiens Ecclesiast. 7. *Noli esse iustus multum: nam qui vehementer emungit, elicit sanguinem*; vt dicitur Prou. 30. *& in ista Iustitia perit iustus*, vt dicitur eodē Ecclesiast. 7. ad quod faciunt versus Tertulliani, quos refert Delrius lib. 1. adagiorum in 314. & Lorinus cap. 7. Ecclesiast. versu 17.

Eccles. 7. *Prouer. 30* *Delrius.* *Lorinus.*

Indulge dictis, sapientia non placet alta:
Omne quod est nimiū contradicit, vnū operātur,
Et calor, & frigus, sic hoc, sic illud adurit:
Sic tenebræ visum, sic sol contrarius aufert,
Et pariter lædunt feruens, gelidumq; lauacrū,
Esca alitur corpus, corpus corrumpitur esca,
Vimque suam minuit, si quid præstditur vltrà;
Denique si sedeas, requies est magna laboris.
Si multum sedeas labor est, Maro namq; Poeta
Pro pœna posuit; sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus, semper nocet vtile longum,
Prandia longa nocent, ieiunia longa fatigant,
Sic nimium sapere stultum facit improba sella.
Me Deo sic nocuit moderamen amabile dixit.

Et alibi legi.

Qui nimis emungit, solet extorquere cruorem,
Et violenta facit, correctio deteriorem,
Sed moderata satis correctio gignit amorem.

Et alibi.

Quis quis plus iusto non sapit, ille sapit.

Virtus itaque in meditullio consistit, verè ille iustus est, qui oleum cum manna nouit miscere, & nimium zelatores rem perditum mittunt; vt vidimus, & manus nostræ contrectauerunt in quadam Prouincia Ordinis Minimorum, quæ propter Protectoris nimium zelum, qui eam visitandam dederat cuidam presbytero magnæ cuiusdam ciuitatis Generali Vicario, funditus penè est euersa; religiosi opprobrium, & perpsema sæcularibus facti: publicè vincti, in carcerem ducti: palam de rebus, quas nec forsan somniauerant, arguti: obstructo ore audire coacti mille improperia, errores, & defectus, intrà Religionem sepulti, in propatulo positi: honorati fratres hinc inde translati, Religionis fæces exaltatæ, auditæ ipsæ solum aurem tale Visitatoris habentes. eum tanquàm paleam aura susurrationum ad nutum elcuantes: quæstione, vel odij, & passionis causa: vel quia de facto, vt puto, irreligiosus, & irregularis homo, oculorum mentis, & corporis lumine obcæcatus, hæc fecerit, non discutio; Hoc vnum scio, misericordem illum Deum, à quo solo his casibus remedium est expectandum, quandò omninò hæc Prouincia ruitura videbatur, eam subleuasse, & respirare concessisse, morte talis Protectoris zelatoris, & creatione alterius verè iusti, verè pij, verè zelatoris, & Protectoris nomine benè meriti, qui Religionem verbis, & factis protexit, auxit, & ampliauit. Nec meritas aufugit pœnas Visitator prædictus; fortè enim fortuna (nisi velimus diuina prouidentia factum, vt alijs esset in exemplum, & ij se haberet quid semper timeret) accidit, vt cum aliquando veheretur curru, strepitantibus equis, curru inuerso, crus ei fractum sit.

Dico quintò, Legatus Papæ non potest Clericum sæcularem instituere in Visitatorem alicuius regularis religionis.

Probatur primò, ex cap. officij de electione, vbi Papa cassat electionem Abbatis, quæ prius fuerat confirmata ab eius Legato, nulla alia assignata ratione, nisi quia antequam esset discipulus vcluit esse Magister.

Secundò probatur, ex Panorm. in dicto cap. officij num. 5. nam regulariter inferior non potest in aliquo immutare, vel vulnerare constitutionem Superioris, vt habetur in Clementina ne Rom. de elect. Ergo non potest tolere statuta, quæ prohibent, non expertum, nec professum promoueri ad Prælaturam regularem.

Panorm.

At inquies, Visitatores non sunt Prælati.

Respondeo, verum quidem est, Visitatores non esse Prælatos, si nomen Prælati sumatur stricto modo, pro vt solum is dicitur Prælatus, qui habet ordinariam iurisdictionem, vt dicit Abbas cap. decernimus de iudicijs num. 16. & cap. tua nos de Clerico ægrotante num. 2. Verum si nomen Prælati sumatur largo modo, pro vt omnis habens curam animarum dicitur Prælatus, & habet Glossa in cap. Tua nos citat. &

Abbas. *Glossa.*

Panorm.

Panormit. Panorm loc. cit. Sic Visitator potest dici Prælatus, quia habet curam animarum iuncta etiam iurisdictione, licet non ordinaria. Sed esto, quòd Visitator non sit Prælatus; rationes tamen adductæ, quare Clericus alterius professionis non possit eligi ad Prælaturam regularem, militant etiam hoc casu, vt patet.

Dico sextò, Legatus à latere potest alterius professionis Religiosum regularem in Visitato-
Rodriquez. rem instituere. Ita Rodriq. tom.2. quæst. regul. q.50. art.9.

Primo propter ampliorem facultatem, quæ illi tribuitur à Summis Pontificibus.

Secundo, quia hic Religiosus quoad essentialia Religionis est iam instructus.

Dico septimò, Episcopo accedenti ad visitandum aliquod monasterium exemptum, asserenti se id facere ex speciali delegatione Sũmi Pontificis credendum non est, nisi literas autheoti-
Graffius. cas talis delegationis ostendat. Itá Graff. tom.2.
Panormit. consil. lib. 1. de offic. deleg. consil. 3. à num. 9. Panorm. cap. cum in iure de offic. & potest. Iudicis delegati num 3.

Probatur ex textu claro in cap. cum in iure cit. vbi alicui hæsitanti, an teneretur obedire alteri mandanti, quod aliquem excommunicaret, & asserenti se ad id habere apostolicam auctoritatem. Respondet *Papa super hoc huiusmodi tibi damus responsum, quod nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus exstiteris, exequi non cogaris,*
Baldus. *quod mandatur.* Super quòd caput dicit Baldus pondera illud verbum (Certus) quia pluribus modis potest quis certificari, de quibus in lege Certum, §. si certum petat. Illa tamen est plenior certificatio, quæ fit per ostensionem litterarum originalium. Vnde si Episcopus visitet tanquam delegatus etiamsi verè delegatus sit; tamen si literas delegationis non ostendat, non potest excommunicare visitando, & si excom-
Innocent. municet, non valebit, vt Innocentius Panorm.
Panormit. Rosella verbo Delegatus §.8. & alij d. cap. cum
Rosella. in iure, & Graff. loco cit. qui id multis probat:
Graffius. vt potè lata in non subditum à iudice incompetente; & Ratio est, quia non valet, quod faciunt delegati, nisi probata delegatione. Iuxta quæ determinatum est in vltimo capitulo generali Romæ 7. sess. 11. celebrato, vt Visitatores missi à generali, statim ac accesserint ad aliquem conuentum suæ visitationi subiectum, debeant ostendere literas testimoniales suæ delegationis.

Graffius. Addit Graffius, quòd Prælatus Monasterij potest Episcopo nolenti suæ delegationis litteras ostendere, resistere non solum verbo protestando, sed etiam facto. Si ex tali resistentia scandalum non esset secuturum.

§ *Tertius. Afferuntur Bullæ Summorum Pontificum Gregorij, Sixti, & Pauli De auctoritate Protectoris.*

Bulla Gregorij XI. inseritur de verbo ad verbum in Bulla Sixti IV. vnde sat erit hanc referre.



IXTUS Episcopus, &c. Sancta Minorum Religio, quæ agrum militantis Ecclesiæ Sanctis operibus, & exemplis copiosissimè facundat, & sapientiæ splendore Catholicam illustrat Ecclesiam, tanto vberioribus fructibus fertilior esse perspicitur, quanto in suo statu quietior permanet, & consistit, & maior, promptiorque à subditis eiusdem fratribus Ordinis suis Prælatis obseruantia exhibetur, nullisque extrinseci impedimenti perturbationis agitatur, & molestatur, quin in ea caput vnicum sit, & esse censeatur, à quo omnia dictæ Religionis negotia, & causæ administrentur, & cui omnes, & singuli dicti Ordinis pareant, & illius subiaceant disciplinæ.

Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XI. prædecessor noster, cognito, quod nonnulli d. Ordinis Protectores, dum maiorem, quàm eis ex eiusdem Ordinis Regula conceditur, auctoritatem vendicare, ac vsurpare sibi ipsis volebant, vera subditorum præfati Ordinis ad suos Prælatos obedientia subtrahebatur; vnde perturbationes inconuenientia multa, inutiles fratrum discursus, & grauia scandala fuerant exorta, in magnam ipsius Ordinis iniuram, præiudicium, & detrimentum, litteras sequentis *tenoris edidit.*

Gregorius Episcopus. &c. Cunctos Christi fideles, super quibus curam ex debito officij Summi Pontificatus gerere obligamur, per præsidentes eisdem sic charitatiuè, sicque prouidè, ac iustè, cupimus gubernari, quod illi in viam mandatorum Domini dirigantur, & hi ex merito præsidialis sollicitudinis vterius supernæ remunerationis præmium nanciscantur.

Sed nos nimirùm in illis desideramus ardentius, & affectuosiori studio procuramus, quorum alij à mundanis abstracti, & grauibus pænitentijs deditij, cælestibus inhiant, & ad illa per contemplationis pennas, suauius, & altius euolant, vt aquila, & cum Maria parte optima perfruuntur; Alij verò sanctam solicitudinem Marthæ sectantes, celebrationi diuinorum vacant solertius. Alij discunt, & docent Dei scientiam, & alij plebem instruunt in eadem, alijque feruentioris spiritus ardore succensi, non timentes, sed amantes barbaras nationes ad illarum conuersionem, pergunt intrepidi, vt valeant ad Dominicam aream multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem.

Hi profectò sunt fratres Minorum Ordinis, in Dei Ecclesia multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus prædicationis, & sanctitatis opera præ cæteris Religionum professoribus vsque ad extremum terræ noscitur exiuisse. Hi sunt, quos Deus numero multiplicauit, & meritis, quibusque sicut, & alijs benè currentibus in stadio militantis Ecclesiæ æternam brauiam, quod certatim apprehendere satagunt, elargitur. Et propterea nos de ipsis dignè curam vigilem gerimus, vt eos in his sanctis operibus nil impediat, nil perturbet, sed ipsi opportuna quietis dulcedine potiantur.

Sanè

Sanè cum in B. Francisci Regula, cuius iidem fratres existunt, hæc verba contineantur expresse, videlicet. Per obedientiam ad hæc iniungo ministris, vt petant à Domino Papa vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus obseruemus; iidem fratres existentes pro tempore huiusmodi Protectores dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales successiuis temporibus petierunt à Sede Apostolica, & etiam habuerunt.

Sed aliqui eorumdem Protectorum, putantes fortè bene, & licitè à certis temporibus citra, suam potestatem nimium extendisse, dicuntur in pluribus, ex quibus in ipso ordine grauia perturbationes, & scandala sunt exorta.

Nos igitur, vt idem Ordo in sua primæua quiete remaneat, de virtute in virtutem eat assiduè, & quibuslibet amotis præpedijs, eradicatisque spinis, & tribulis fructum non solum consuetum, sed etiã vberiorẽ afferat; ad radicalẽ submotionẽ turbationũ, & scandalorũ huiusmodi iam exortorũ, & ne oriãtur in posterum, prouidere, ac eiusdem Ordinis Protectoribus, qui erunt pro tempore (cum nullus sit ad præsens Ordinis præfati Protector) transgressionis suæ potestatis occasionem tollere efficaci remedio Cupientes, auctoritate Apostolica, eisdẽ Protectoribus districtius inhibemus, ne præsumant quæcumque ordinata, statuta, siuè disposita, aut ordinanda, statuenda, seù disponenda, per Generalia, vel Prouincialia, aut custodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere, dispensare super ipsis, seu contraria, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contrà præmissos articulos in præfata regula, vt præfertur, vel aliquem ipsorum existeret manifestè.

Aut quemcumque Prælatum, seu officialem dicti Ordinis, seù alicuius loci eiusdem quocumque nomine nuncupetur, ponere, seu instituere, aut deponere, destituere, seu priuare, aut à suo officio suspendere, seu impedire super eius libero exercitio quouis modo.

Aut aliquem fratrem ordinis antedicti ad lectoratum, aut quamcumque lecturam, seu studium, vel gradum promouere, aut promotos ab eis remouere, seu etiam reuocare.

Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, siue alicui fratrum eorumdem eundi ad quodcumque Monasterium, vel locum alium, aut Dominum, vel aliquã personam licentiam impertiri.

Et ne insuper in quemuis singularem fratrem memorati Ordinis de quocumq; crimine, vel delicto punire, vel à pæna, seù pænitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare.

Aut etiam de loco alicui fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius vsui deputare.

Aut quæcumque per Prælatos eiusdem Ordinis, aut alios deputata quomodolibet amouere.

Nec etiam de rebus, aut Correctione, fratrum dicti Ordinis (nisi in casibus præmissis contentis in præfata regula, seu eorum aliquo) se aliquatenus intromittere quouis modo, id quòd dictus Ordo, seù fratres eiusdem Ordinis in nullo subsint futuris Protectoribus, nisi duntaxat in casu, quo ipsorum fratrum Communitas, vel Generale Capitulum, quod absit, à prædictis articulis, vel eorum aliquo deuiarẽt. Alioquin si secus fecerint, id decernimus irritũ, & inane.

Et nihilominus fratres, qui contrà huiusmodi inhibitionem nostram quicquam impetrauerint, seù post inhibitionem huiusmodi, vtentur etiam per alios impetratis, puniãtur illis pænis, quibus affici ãt pro grauibus culpis secundum statuta dicti Ordinis puniendi. Et sint nihilominus actibus priuati legitimis, & à suis, si quæ habent, suspensi officijs ipso facto.

Cæterum nos eosdem futuros Protectores hortamur attentius, quod per tales efficaciam, sic nominis sui officij procurent effectum, quod Ordo ipse per eos non lædatur in aliquo; sed potius ab aduersis (si quando forsitan imminerent) suo opportuno defensionis clypeo protegatur, & à noxijs præseruetur, sic aliud prudentiæ, & æquitatis, ac modestiæ limites seruantes, vt non trahatur ad noxam, quod propositum extitit ad salutem; sed ex charitatiuis gestis eorum Ordo præfatus quietem, & consolationem percipiat, & Protectores magnum apud Deum præmium sortiantur, & super contrario non oporteat dictæ sedis prouidentiã aliud remedium adhibere. Nulli ergo, &c.

Dat. apud Pontẽ Sorgiæ Auinionen. Diœcesi sexto kalendas iunij Pontificatus nostri Anno III.

Nos autem, cum in minoribus constituti ipsius Ordinis Generali cura, & administratione incumberet, saluberrimum, opportunũ, & necessarium dicto Ordini esse conspeximus, vt Protectores aliquã præfixã, ac eiusdem Ordinis Regulæ auctoritatem non excederent. Nam experti sumus, & vidimus, quanta pax, quies, vtilitas, quantaq; commoda præfato Ordini, & fratribus eiusdem ex firma, & inconcussa dictarum litterarum obseruantia prouenerint, quæ, & quãtæ perturbationes, iactura, incõmoda, damna, & grauia scandala in dicto Ordine suscitata sunt, quoties dicti Ordinis Protectores suæ auctoritatis limites excedere attentantes in particularibus dicti Ordinis, & fratrum eiusdem causis, & negotijs se intromittere, & vsurpata sibi auctoritate ea videre, cognoscere, iudicare, & discernere voluerunt. Cupientes, vt Religio, & Ordo præfatus, quem affectuosissima charitate complectimur, vtpotè, quod in eo à teneris annis enutriti, & doctrina, ac regularibus disciplinis, & moribus instituti fuimus, ac vti firma fide tenemus, certissimisq; ne in nobis exprimentis diuinis ad officia, & dignitates, ad quos in Minoribus promoti sumus, & ad hunc summi Pontificatus apicẽ meritis, & precibus Seraphici illius Patriarchæ Frãcisci eiusdem Ordinis Patris, & Fundatoris promoti fuimus, quieto consistens statu, virtutibus, & meritis augeatur, & multiplicetur vt fidei Catholicæ, & Christianæ Reip. augumentum, & multiplex, ac solidum fundamentum ex eiusdem Ordinis fratrum operibus, & exemplis, sapientia splendore, & fructuosis studijs, & prædicationibus proueniant, prout plissime, & liberali animo, vt dignum censemus, & debitum ea, quæ pro ipsius Ordinis quiete, pace tranquillitate, & prosperitate à Pontificibus prædecessoribus nostris prouide statuta, & ordinata sunt, vt illibata perdurent, nostræ approbationis munimine solidamus, interpretamur, & declaramus, pro vt ipsius Ordinis trãquillitati cõspicimus salubriter expedire.

Vt igitur de cætero ipsius Ordinis professoribus omnis euagendi extrà Religionem occasio tollatur, & vera suis Prælatis obedientia, in qua ipsius Religionis verius, & solidum firmamentum, & robur consistit, exhibeatur, præfatique Ordinis, & fratrũ eiusdem negotia, & causæ non alibi, neque per alios, quàm in ipso Ordine, & ipsius Prælatos tractentur, agitentur, iudicentur, & determinentur, dilecti filij Zaneti de Vtino Generalis dicti Ordinis Ministri, &

latius

potius Generalis Capituli in hac parte supplicationibus inclinati, inhibitionem, & litteras prædictas prædecessoris præfati, auctoritate Apostolica præsentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus.

Et per eos Protectori præfato, qui in tempore erit, nisi in illis casibus, & articulis in Regula dictorum fratrum expressis, & præfati prædecessoris litteris declaratis; neque in illis, dum non vniuersali, sed aliqui ipsius Ordinis professores in quouis numero à fidei vnitate, & Sacrosanctæ Roman. Ecclesiæ obedientia deuiarent, vel regulam præfatam non obseruarent; sed de eorundem deuiantium, & non obseruantium regulam, correctione, aut reductione, ac alijs quibuslibet causis, & negotijs dicti Ordinis se impediat, inhibitum fore, dicta auctoritate decernimus, & declaramus.

Hortamurque illum, qui ad officium protectionis huiusmodi (quod in præsentiarum per obitum bonæ memoriæ Bessarionis Episcopi Sabinensis dicti Ordinis olim protectoris nuper vita functi vacat) assumi, & deputari contigerit, & ipsius successores dicti Ordinis Protectores, ac eius in virtute Sanctæ obedientiæ; districtè præcipiendo, inhibemus, ne extrà prædictos articulos, & casus in Regula prædicta contentos, & expressos, nec etiam in illis (cum non vniuersus ordo, sed aliqua ipsius, & specialis persona erraret) ipsorum fratrum querelas audire, seu de ipsorum causis, & negotijs contra litteras, & declarationes huiusmodi intromittere se quoquo modo præsumant, sed curent (vti est eorum proprium officium, & præfati Sancti Francisci, & Apostolicæ Sedis intentio exstitit) ipsum ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico statu conseruare, & augere, & ab impugnantibus, molestantibus, & perturbantibus defendere, & tueri, ne secus agendo, Ordinem præfatum, non solum non protegant, conseruent, & exaltent, vt tenentur, sed in animarum suarum pernitiem, & dicti Ordinis detrimentum, & scandalum, confundant, & destruant. Nulli ergo &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quadringentesimo septuagesimo secundo, quinto Calend. Februarij, Pontificatus nostri Anno secundo.

Quas Bullas confirmauit etiam Iulius II. die 25. Octobris, Pontificatus sui anno quarto, quam vti simpliciter confirmatoriam, ait, se consulto omisisse, Cherubinus tom. 1. Bullarij in Syxto 4. pag. 334. refert tamen eam, simul etiam cum confirmatoria eiusdem Gregorij XIII. Rodriquez in suo Bullario in Gregorio XIII. const. 4. cui congruit alia Bulla Pauli V. pro Protectoribus, quam refert idem Cherubinus tom. 3. sui Bullarij in Paulo V. constit. 53. pag. 243. tenoris sequentis.

Paulus Papa V. &c. Cum ordo fratrum Minorum Conuentualium Sancti Francisci Protectore ad præsens destitutus reperiatur. Nos eidem Ordini de idoneo Protectore prouidere volentes, ac de Tua industria, singulari prudentia, doctrina, & integritate, ac Religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habentes, motu proprio, non ad ipsius Ordinis, aut eius Superiorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & deliberatione nostra, te, ex cuius protectione ob tuas eximias virtutes, ordinem prædictum commodi plurimum suscepturum esse confidimus, prædicti ordinis, ac illius Domorum, Conuentuum, & fratrum quorumcumque apud nos, & sedem Apostolicam protectorem cum omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, ac quibus alij huiusmodi Ordinis Protectores vsi sunt, ac vti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt, ad tui vitam facimus, constituimus & deputamus.

Volumus autem, ac tibi in virtute Sanctæ obedientiæ per præsentes easdem iniungimus, & mandamus, vt superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri poterit, conseruare cures. Et propterea cum ipsi superiores eorum officij debito satisfecerint, ac gubernio subditorum sufficienter incubuerint, tum negotijs eorum fratrum te non immisceas. Quando autem ab ipsis fueris requisitus, vt in eisdem negotijs auctoritatem interponas, vel necesse fore cognoueris, vt eandem auctoritatem tuam in eisdem negotijs exerceas, tunc id libere facere possis, sed quoad poteris per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit in eisdem negotijs seu causis loco Notarij aliquo ex fratribus dicti Ordinis.

Mandantes propterea prædictis superioribus, nec non vniuersis fratribus, & personis quibuscumque Ordinis huiusmodi in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt te in eundem protectorem iuxta præsentium tenorem recipiant, & ea, qua decet reuerentia prosequantur. Contrarijs non obstantibus quibuscumque.

Cæterum te in Domino hortamur, vt huiusmodi Protectionis munus ita obire studeas, vt apud Deum bonorum operum retributorem, æternum præmium, & à nobis condignam laudem valeas promereri.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die VII. Octobris M. DC. VIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

CAP. XIX.

Vtrum subditus possit suum Prælatum tempore visitationis tanquam suspectum recusare.

RO hoc Capite videatur Hostiensis in sum. lib. 2. de recus. Iudicis deleg. pag. 307. & lib. 2. Rubrica de recusationibus pag 837. Innoc. cap cum speciali de appellationibus, Abbas d. cap. & cap. Si quis contrà Clericum de foro competenti, & cap. accedentes 1. & 2. vt lite non contestata, Sylu. Armilla, Tab. Angelica verbo recusatio, Iulius, Clarus in sua practica criminali lib. 5. §. finali q. 43. vbi Baiardus, Nauarrus in cap. Cum contingat de rescriptis decima causa nullitatis à num. 1. Graff. tom. 2. consil. de officio delegati lib. 1. consil. 2. diff. 1. à num 3. & parte 2. decis. lib. 3. cap. 4 num. 6. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 111.

Hostien. Innoc. Abbas. Syluester. Armilla. Tabiena. Angelica. Iul. Clar. Baiardus. Nauarr. Graffius. Sanchez.

Dico primo Iudex ordinarius quantacumq; præfulgeat dignitate, siuè sit Generalis, siuè Prouincialis, potest vt suspectus recusari: & hoc tàm in visitatione Generali, quàm in particulari. Hostiensis in sum. lib. 2. de recus. nu. 1. §. Verùm ordinarius, Abbas in cap. Si quis contra Clericum de foro competenti num. 6. & cap. cùm speciali de appellationibus num. 2. Innoc. cap. cùm speciali num. 3. Graff. 2. parte decis. lib. 3 cap. 4. num. 6. Baiardus ad practicam Iulij Clari lib. 5. § finali q. 43. num. 2. Sanchez. lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 111.

Abbas. Innocent. Graffius. Baiard. Sanchez.

Probatur primo ex cap. Si quis contrà Clericum de foro competenti: & cap. Secundo requi-

sita

ris, §. Tertio postulas, & cap. cum speciali de appellationibus, In quibus capitibus habetur expressè nostra conclusio: & præcipuè caput cum speciali de Ordinario loquitur, vt Glossa d. cap. verbo de recusatoris; & patet ex illis verbis, *At ipsa probata legitimè de recusatoris assensu, persona idoneæ committat negotium recusatus*, vnde apparet, quòd si debet aliū deputare, debet esse ordinarius; nam delegatus id facere non potest. *Glossa.*

Secundo. Probatur, quòd hæc recusatio possit fieri tàm in visitatione generali, quàm in particulari; tùm quia quò ad reum parum est, an visitetur in visitatione Generali, vel particulari; Tum quia non debet reus hoc defensionis genere, quod illi de iure naturæ debetur, priuari, eo quia visitetur Generaliter, vel particulariter; seù à Iudice delegato, vel ab ordinario, modo causam suspicionis assignet, & probet.

At obijcies constitutionem illam capitis, cū speciali ad regulares non extendi, vt in ea expressè dicitur in fine. *Cæterùm has duas constitutiones præmissas nolumus ad regulares extendi contrà suas speciales obseruantias*, ergo non possunt Regulares suos Prælatos recusare.

Respondeo, istam constitutionem non extendi ad regulares, quatenus eius extensio impedit eorum correctionem iuxta regularia statuta, vt dicam etiam sequenti cap. de appellatione. Nam quando regularis punitur secundùm regulam à superiore, non potest appellare; neque potest Prælatum secundùm regulam procedentem recusare. At si modum excedat, vel sit suspectus, quòd excedet, optimè recusari potest, vt dicunt Abbas d. cap. Cum speciali §. Porro nu. 3. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 12. qui multos alios citat; & notatur expressè, quando dicitur, *contra suas speciales obseruantias*; innuitur enim, quòd si secundum eas procedat Prælatus, non potest vt suspectus recusari. *Abbas. Sanchez.*

Dico secundo. Iudex delegatus potest vt suspectus recusari, Hostiensis in sum. lib. 1. de recus. Iud. deleg. num. 2. §. Quis recusetur, pag. mihi 308. Panorm. in cap. Accedens el primo, vt lite non contestata nu. 6. Sylu. Armilla, Tab. Angelica verbo Recusatio. *Hostiensis. Panormit. Sylu. Armilla. Tab. Angelica.*

Probatur 1. ex cap. 2. Requiris §. 3. Postulas de appellationibus, vbi Glossa verbo coram eodem allegare, ait, hoc caput loqui de Iudice de leg. *Glossa.*

Secundo. Probatur à maiori ad minus, nam si potest Ordinarius, multo magis delegatus. Quod argumentum valere in iure, Probatur ex cap. Paulus 32. q. 5. & habet Glossa in cap. didicimus 24. q. 1. verbo nihil habere. *Glossa.*

Dico 3. Inter recusationem Iudicis deleg. & ordinarij, hæc est differentia: quòd Delegatus, probata causa suspicionis, à causæ cognitione omnino debet supersedere, vt habetur cap. secūdo Requiris §. tertio Postulas, Ordinarius verò probata causa suspicionis, potest causam de recusatoris assensu, & alterius partis, si adsit, alij personæ idoneæ committere: vel ad superiorē transmittere, vt habetur cap. Cum speciali cit.

Dico 4. Iudex, quem Papa ex certa scientia delegauit, etiam recusari potest ex iusta causa, Panorm. in cap. Accedens el 1. vt lite non contestata n. 6. Innoc. in cap. Ex transmissa de foro competenti, Graff. tom. 2. consil. lib. 1. consil. 2. diff. 1. num. 4. *Panor. Innocen. Graffius.*

Probatur 1. ex cap. Accedens el primo cit. ex quo cap. id probat Panormit. nam, inquit, manifestum erat, istos duos Episcopos esse suffraganeos istius Archiepiscopi, vt ipse Papa dicit, & tamen delegando scienter, non abstulit potestatem recusandi: Delegauit autem, quia parti liberum erat recusare, vel non. Probatur etiam cōclusio ex cap. ex parte tua; & cap. super eo, el 2. de officio, & potestate Iudicis deleg. *Panor.*

Secundo, quia ratio dictat, quòd suspecti, & inimici Iudices esse non possunt; vt dicitur cap. quòd suspecti 3. q. 5. & cap. secundo requiris, §. tertio Postulas de appellat.

Sed quid, inquies, si exprimatur in litteris, quòd nullæ debeant exceptiones admitti: seù remota omni appellatione, vel recusatione, vt expressit Paulus V. in litteris transmissis ad Episcopum Portugalensem Anno Domini 1610. die 19. Octobris, quòd tempore visitationis recusari non posset, quas litteras refert Barbossa remiss. in Concil. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 10. n. 5. *Paulus V. Barbossa.*

Respondeo, Adhuc esse locum recusationi, & appellationi, iusta causa existente, tum quia, si solùm generaliter dicatur in litteris, *omni exceptione remota* intelligitur, excepta recusatione, & appellatione; tùm quia si exprimantur exceptiones, puta appellatio, intelligitur, remota appellatione friuola, cui non est deferendum: vel in notorijs, in quibus non admittitur appellatio, vt in cap. cum speciali §. Porro; si verò exprimatur recusatio, intelligitur de recusatione frustratoria, quæ à Iudice sperni debet, vt Panor in cap. Cū speciali cit. n. 15. vel quę est euidēter malitiosa ad fugiendū iudiciū, quomodo debēt intelligi illæ litteræ Pauli V. vt idē Panorm. in cap. super eo ad appellat. n. 13. Seù intelligitur illa clausula, *recusatione remota*, in delictis notorijs: & in quibus pœna pro illis delictis, est à iure determinata; nā tunc recusationi locus nō est vt in cap. Proposuit de appellat. vbi Panorm. n. 2. & Glossa verbo Manifesto, additionator Panorm. in cap. Accedens el 1. sub littera B. Ratio autem huius responsionis est; quia appellatio, & recusatio, sunt defensiones, quæ cū sint iuris naturalis, non possunt à Principe tolli, vt dicitur Clementina Pastoralis in fine de sententia, & re iudicata, & habet Innoc. cap. Quæ in Ecclesiarū de constit. n. 3. Et in vniuersū, quòd adhuc sit locus appellationi, & recusationi, posita illa clausula, *Omni appellatione, & recusatione remota*, docent Panor. in cap. 2. requiris n. 9. Sylu. verbo Appellatio n. 7. d. 4. Armilla eodem n. 10. Graff. tom. 2. consil. lib. 1. de officio Iud. deleg. consil. 2. diff. 1. à n. 4. qui id multis probat. *Panorm. Panorm. Glossa. Panorm. Innocent. Panorm. Sylu. Armilla. Graffius.*

§. *Primus, Quomodo se habeat recusans, & recusatus, tempore recusationis, & quid vterque facere debeat.*



NOTO primo, quod de iure Canonico nō potest Iudex sine iusta causa assignata, & probata recusari; oportet enim, vt causa suspicionis, assignetur corā Iudice recusato, & deinde probetur intra constitutū tempus coram arbitris eligendis à partibus: vel si fortè nullum aduersariū habeat pars, cū Iudice arbitros cōmuniter eligat, quòd si cōcordare nō potuerunt, vterq; suū arbitrum eligat, qui de

suspi-

suspicione cognoscat; quòd si isti arbitri concordare nequiuerint, aduocent tertium, vt quod duo ex ipsis decreuerint, robur obtineat firmitatis; Causa vero suspicionis legitimè intrà competentem terminum non probata, Iudex debet sua iurisdictione vti; si verò causa fuerit legitimè probata, de recusatoris assensu, debet recusatus, si sit ordinarius, negotium alteri personę idoneę committere: vel ad superiorem trasmittere; si vero sit delegatus, omninò debet abstinere à causæ cognitione, vt dixi conclusione 4. Ita habetur in terminis, in cap. Cum speciali, & cap. secundo requiris §. Tertio Postulas de appellationibus, & cap. Si quis contra Clericum de foro competenti.

Noto secundo, quòd recusationis causa vnica tantùm est, nimirum suspicio iudicis, causæ vero suspicionis multæ, de quibus §. sequenti Habetur cap. Quòd suspecti 3. q. 5. & cap. Iudex de officio iudicis delegati in 6. Glossa in cap. Si contra vnum, verbo Causa legitima eodem titulo in 6.

Glossa.

Noto 3. quòd causa suspicionis debet assignari in scriptis coram Iudice recusato; non debet tamen coram eo probari; sed coram arbitris. Nec tenetur recusans petere, vt arbitri eligantur; sed hoc pertinet ad Iudicis officium. Ità Panorm. in cap. Cum speciali cit. num. 15.

Panormit.

Noto 4. quòd arbitri electi ad causam recusationis, habent assignare partibus terminum ad probandam causam suspicionis. Ad ipsosq; pertinet testes examinare, punire, & cætera facere, quæ ad hunc articulum pertineant. Ita expressè habetur in Cap. Suspicionis de officio, & potestate Iudicis delegati. Iudex verò recusatus compellit arbitros ad causam finiendam, intrà terminum ab ipso illis præfixum. Ita habetur cap. Legitima de appellationibus in 6. & dicit Panor. cap. Suspicionis cit. num. 10. Quòd si arbitri intrà ipsum terminum illis assignatum, à Iudice recusato causam non finierint, recusatus potest suam iurisdictionem reassumere, causam prosequi, &c. Habetur eodem cap. Legitima; & dicit Hostiensis in sum. lib. 1. tit. de recusatione Iudicis delegati nu. 5. §. Qualiter recusatio.

Panorm.

Hostiensis.

Noto 5. quòd si causa est euidenter frustatoria, & solum ad fugiendũ iudiciũ inducta, non tenetur Iudex eam acceptare; sed potest eã spernere. Immò si sit in præiudiciũ alterius partis debet omninò respuere. Sicut è cõuersò, Nõ est necesse arbitros eligere, quàdò causa rationabilis est in iure, & in facto Notoria, v. g. si notũ est Iudicẽ esse cognatũ, seù affinẽ aduersarij mei Ità Panorm. In cap. cum speciali cit. n. 15. Baiardus ad practicam Clari lib. 5. §. finali q. 43. n. 17.

Panorm.
Baiard.

Noto 6. Quòd si isti arbitri electi nollẽt recipere arbitriũ, possunt ad recipiendũ cogi à Iudice recusato. Ità Hostiẽsis loc. cit. & Glossa. cap. Suspicionis de officio, & potestate Iudicis delegati, verbo ad quos omnia, & cap. cũ speciali, verbo Districto pręcepto. Quòd si nõ possũt cõcordare, debẽt aduocare tertiũ, ad quod possunt cogi à Iudice recusato, vt Hostiẽsis ibi, sed si non possunt concordare de tertio: debet illis recusatus assignare terminũ, in quo cõcordent, vel tertiũ aduocẽt, quòd si intrà terminũ assignatũ non cõcordauerint, recusatus vtitur sua iurisdictione, vt dixi not. 4. Ità etiã Hostiensis loco citat.

Hostiensis.
Glossa.
Hostiensis.

Noto 7. Quòd allegans Iudicem suspectum; & suspicionẽ non probans, debet arbitrio arbitrorũ puniri; Glossa cap. Suspicionis cit. verbo Ad quos omnia, Baiardus loco cit. num. 4.

Glossa.
Baiardus.

Noto 8. quòd tres casus ponuntur in iure, cap. Nimirũ si contrà vnum de officio, & potestate Iudicis delegati in 6. in quibus suspicionis causa coram arbitris non tractatur. Primus cũ recusatur vnus ex delegatis, datis cum clausula, *quòd si ambo interesse non possunt, alter eorũ in causa procedat*; tunc enim suspicionis causa coram altero condelegato probari debet; si autem essent simpliciter delegati tunc assumendi sunt arbitri, vt diximus; ex quo enim sũt simpliciter dati, vnus sine altero procedere non potest; vt Glossa in dicto cap. si contra vnũ verbo Clausula. Si enim non potest cõdelegatus cognoscere in principali, nec poterit in accessorio, vt eadem Glossa verbo, & hoc verum. Secundus casus est, cum recusatur delegatus Episcopi. Tertius cum recusatur illius officialis. His enim casibus coram Episcopo probanda est causa suspicionis: si sit præsens: vel possit de facile adiri, & sine multis expensis: secus autem si sit multum absens, & ad eum adeundum requirantur multæ expensæ: vel negotium multum vrgeat; tunc enim arbitri eligendi, vt Glossa dicto cap. Si contra vnum verbo Episcop. In fine.

Glossa.
Glossa.

Ex quibus colligo, quid iuris in nostra Religione Minimorum, in qua mittuntur visitatores, & vicarij Generales, assignatis illis duobus ad minus socijs; si quis enim vellet recusare aliquem ex dictis Vicarijs, seù socijs, deberet causam suspicionis proponere coram omnibus, videndæ deinde litteræ delegationis: si enim in illis sit illa clausula. *Quòd si omnes interesse non possunt, tunc alter eorum in causa procedat*: proposita coram omnibus suspicionis causa, coram reliquis probabitur. Sin autẽ sint delegati simpliciter, tum eligẽdi arbitri. Si vero dicatur in litteris. Quòd vicarius non possit procedere, nisi de consilio collegarum; si dictus vicarius recusetur, eligendi omninò arbitri; quia socij cum non sunt coniudices, sed consiliarij simpliciter. Si autem recusetur alter collegarum, tùm vicarius cũ altero collega poterit causam suspicionis cognoscere, quia est Iudex absolutus; licet enim teneatur consilium petere; sequi tamẽ non obligatur. Si addatur in litteris patentibus, de consilio, & assensu collegarum, cum consensum debeat non solum requirere, sed expectare, videntur omnes comparticipes officij, & coniudices, & cum vnus non possit procedere sine alijs, arbitri puto, quòd sint eligendi.

Colligo 2. quòd si quis vellet recusare aliquem collegam Patris Generalis, deberet causam suspicionis coram Generali, & alijs collegis probare. Quia Pater Generalis sine vno collegarum procedere potest. Sin autem ipsum Generalem vellet quis recusare, eligendi essent omnino arbitri. Quia Collegæ Generalis non possunt sine ipso procedere.

Noto 9. quòd si dubitatur de vno delegatorũ an habeat potestatem; potest alter (quando dati sunt cum clausula, *quòd si ambo interesse nõ possũt*) in causa procedere, protestando, quod intendit solus procedere in quantũ solus habet potestatẽ; sed ad maiorem cautelam vult procedere cum alio collega; & tunc tenet sententia ex parte

ipsius;

Panorm. ipsius: licet postea reperiatur, alium collegam, fuisse incompetentem; Panorm. in cap. cū super de officio, & potestate iudicis delegati nu. 10.

Noto 10. quòd Iudex recusatus potest cogi ad iurandū, an causa suspicionis proposita sit vera; *Specul.* Speculator tit. de recus. iudicum in fine; *Anchar.* Ancharanus in cap. ab arbitris de officio deleg. in 6

Panorm. Noto 11. Quòd merus executor recusari non potest, Panor. in cap. Si quis contra Clericum de foro competenti num. 11. Vnde colligit, posse iudicem vindicare propriam iniuriam, sibi Notorie illatam, cum in hoc casu sit potius executor qua iudex, quia exequitur pœnam à iure impositā. Dixi Merus Executor: quia si quid relinquitur eius arbitrio, recusari potest; vt ait *Nauarr.* Nauarrus cap. Cum contingat de rescriptis causa nullitatis 10. num. 9.

Noto 12. quod à sententia arbitrorum, potest tàm recusatus, quàm recusans appellare: ille, si causa suspicionis, nō fuit legitime probata: iste, si non fuit illi assignatum competens tempus ad eam probandam. Ita expressè habetur cap. ab arbitris de officio, & potestate iudic. Deleg. in *Gloss.* 6. & dicit Glossa in cap. Suspicionis, verbo ad *Balard.* quos omnia, Balardus ad practicam Clari lib. 5. *Abbas.* §. finali q. 43. num. 13. qui citat Abbatem cons. 92. quo tamen loco eum inuenire non potui; *Abbas.* sed de hoc agit Abbas cap. Secundo requiris de appellationibus num. 17. remittitque ad dictum cap. ab Arbitris.

Noto 13. Quòd processus factus à Iudice recusato non valet, si recusans, facta recusatione iuridica, non amplius comparuit coram recusato: etiamsi fuerit ab illo principaliter citatus. *Panorm.* Est opinio Panormitani in cap. Cum specialis num. 12. qui varijs opinionibus circa hoc recitatis, hanc tandem tenet, & probat; tùm quia per recusationem inficitur adeò iudicis iurisdictio, vt causam committere non possit fine consensu recusatoris, nec possit procedere in principali, nisi prius discutiatur articulus recusationis, vt dicitur cap. Cum specialis, cap. Secundo requiris de appellationibus, & alijs capitibus supra citatis: tùm quia iste processus est formatus contra ordinem iuris, cum prius debuisset sententiari super recusatione, ergo non valet, vt in lege Prolatam codice de sententia; tùm quia licet si non debeat iudex recusatus se reputare offensum à recusatore; quia hic vtitur iure suo; & qui vtitur iure suo nemini faciat iniuriam, vt dicitur cap. Cum Ecclesia Vulterana de elect. Tamen negari non potest; quin multùm videatur diffidere de recusari iustitia, qui recusat, & quòd hæc diffidentia in animo iudicis recusati, nescio quid odij, & maleuolentiæ generet, quo odio, & maleuolentia stante, periculosissimus esset recusatori processus, à recusato formatus.

§. Secundus. De causis, propter quas Iudex potest tamquàm suspectus recusari.

NOTO primò, quòd causæ, propter quas Iudex potest tamquā suspectus recusari, non sunt omnes in iure expressæ, quia non possunt de facili omnes exprimi; sed arbitrer, seu Iudex causam suspicionis cognoscens, arbitrabitur eam iustam, vel iniustam secundum eas, quæ in iure exprimuntur nam de similibus ad similia procedendum est, vt dicitur in lege, non possunt ff. de legibus, & in cap. Cum dilecta de confirm. vtili, vel inutili §. nos igitur attendentes, Glossa in *Glossa.* cap. Cum speciali de appellat. verbo Iustæ suspicionis vbi Panorm. num. 7. Hostiensis in summa *Panormit.* lib. 2. tit. de recus. n. 2. §. & quibus causis, & habetur in cap. Suspicionis de officio, & potestate *Hostien.* Iudicis delegati.

Noto secundo, quòd non omnis causa, quæ esset sufficiens ad remouendum Iudicem delegatum, debet censeri sufficiens ad remouendum Iudicem ordinarium perpetuum vt habet Hostiensis loco cit. qui has solum causas *Hostiensis.* assignat, propter quas est remouendus Iudex Ordinarius perpetuus: nimirum si sit Pater, vel Patronus, vel corruptus, vel odiosus, vel nimis fatuens, vel si fuit aduocatus, vel Procurator eiusdem causæ, vel Iudex: sed quia apud Regulares rari admodum sunt Prælati ordinarij perpetui; ideo propter omnes causas assignandas puto, quòd poterit remoueri Prælatus Regularis; non nego tamē aliquam esse faciēdam differentiam inter Prælatum ordinarium, & delegatū, cum ille Pater sit naturalis, hic vitticus: sed hoc prudentum, & iustorum arbitrorū erit iudiciū, cōsiderata causa suspicionis, persona recusante, & recusata, cum alijs debitis circumstantijs. His prænotatia.

Prima causa suspicionis est inimicitia Capitalis, vel grauis quādo .s. inter iudicē, & indicādū intercedit odiū capitale habetur cap. Accedēs el 2. vt lite nō cōtestata. Oritur autē inimicitia capitalis 1. ex spoliatione, seu retētione rei parti- *Glossa.* cularis, Glossa in cap. Cū nō oporteat de accus. 2. quādo inimicus minatus fuit mihi mortē: seu *Glossa.* accusauit me de crimine capitali, Glossa in lege licet ff. de arbit. 3. si odit me ad mortē, vt Glossa in Auth de test. §. Si verò dicatur 4. oritur talis *Baldus.* inimicitia ex verbis iniuriosis, vt Baldus in cap. Veniēs in fine de iur. iur. 5. si vulnerauit in faciē, vt notat Sebastianus Sap. ad Panorm. in cap. *Sebast.* Accedēs el 2. vt lite nō cōtestata, littera. E 6. Pre- *Panorm.* sumitur inimicus, qui aliū nō salutat, & sicvt inimicus potest recusari. Panor. in c. cū cessāte de *Panorm.* appell. n 8 7. si minatus fuit de lędēdo, siuè in illa causa, siuè in alia, etiāsi mortē minatus nō fue- *Panorm.* rit. Panorm. in d. cap. cū cessāte, & cap. Super de off. & potestate iudic. deleg. n. 4. 8. oritur inimicitia capitalis ex eo, quod quis mouit quęstionē *Rodriquez.* super dignitatē affectatā. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 16. art. 3. 9. oritur inimicitia ex eo, quod quis, cū do in Ecclesia datur pax, nō vult me admittere ad osculū pacis cap. cum super de off. & *Panor.* potestate iudic. deleg. vbi Panor. n. 4. sed de his, & alijs causis, ex quibus oritur inimicitia sufficiēs ad iudicē repellendū vide Rodriquez loc. *Coriol.* cit. & Franciscum à Coriolano parte secunda de casibus reseru. casu 5. de iudicio regul. de defer sione rei §. 4. num. 17. quem pro hoc §. vide toto illo §. 4. vbi agit de exceptionibus contra iudicem.

Ex quibus colligi facile potest, quæ dicenda sit apud Regulares inimicitia sufficiens ad iudicem recusandum: nimirum, si minatus est *vn giorno me la pagherai*; & sit persons, quæ iniurias um meminisse est solita, si me percussit aliquando pugno, vel alapa; si me accusauit, & de-

dit capita contra me: si me ità odit, vt quotiescumque mei memoria incidit, semper de me male loquitur, & me defendentes, iniurijs afficit; si me verbis iniuriosis est multoties insecutus. Si cum esset superior me nunquam quiescere permisit, sed semper huc, illuc coegit vagari; si apud omnes communi sensu meus inimicus censeatur; si mihi super assecutam dignitatem mouit quæstionem: si semper assequendæ toto posse, & viribus se opposuit; si dum in Ecclesia omnes alios ad osculum pacis admittebat, me admittere noluit; si est amicus inimici mei: si cum inimico meo familiariter conuersatur: si descendit, vel dependet ab inimico meo.

Ex quibus vlterius noto, quòd si Prælatus sit meus Capitalis inimicus, propter vnam, vel plures ex dictis causis, possum recusare non subesse illi, argumento cap. Accedens el 2. vt lite non contestata, & cap. de cætero de sentent. excommunic.

Abbas. Et hæc inimicitia est talis naturæ, vt coram inimico numqua respondere tenearis. Abbas in cap. Accedens el 2. vt lite non contest. num. 2. & 3.

Secunda causa suspicionis est: si Iudex est consanguineus inimici mei Capitalis; licet hic inimicus meus mecum non litiget. Habetur in cap. Accedens el 2. vt lite non contestata.

Tertia, si est continuus commensalis inimici mei, dicto cap. Accedens el 2.

Panormit. Quarta, quando est oriundus de terra aduersarij mei: in qua meus aduersarius habet iurisdictionem, dicto cap. Accedens.

Quinta, si est de districtu aduersarij mei: & subditus inimici mei. Panor. d. cap. Accedens num. 2.

Sexta, potest quis Iudicem recusare, si fuerit citatus ad locum suspectum, tam propter inimicitias particulares; quàm propter inimicitias Panorm. suæ patriæ, vt notat Panor. in cap. Cum R. de off & potest. Iudic. de leg. num. 2.

Panorm. Septima, quando Iudex videtur nimis fauere alteri parti, d. cap. Accedens. Vbi notat Panor. quod quando Iudex dicẽdus sit nimis fauere alteri parti, relinquitur iudicio prudentis viri. Et vlterius notat n 8 quòd nõ sufficit dicere, quòd nimis faueat; nisi fauor exprimatur; nec sufficit fauere, ad hoc vt possit Iudex recusari; sed debet Glossa. nimis fauere, vt notat etiã Glossa d. cap. Accedens, verbo Nimis fauens. Quę ait, quòd sicut nõ omnis inimicitia repellit iudicẽ, sed maxima: ità nõ omnis amicitia, sed maxima repellit eũdẽ. Quæ autẽ maxima cẽsenda sit amicitia, pru-Nauarr. dentis iudicio relinquitur; vt Nauarrus cap. Cũ contingat de rescriptis, causa nullitatis 10 n. 3. Glossa. Glossa autem Marginalis d. cap. Accedẽs ex Hostiensi notat; quòd maxima amicitia sufficiẽs ad repellendũ Iudicem esset, si duo cõciues reperirentur in remotis partibus, & se tenerent tãquã Panormit. fratres; quòd etiã notat Panor. d. c. Accedẽs, n. 7. Adde, quòd maxima est censenda amicitia illa, quę ab antiquo cõtracta, absq; interruptione saltem grauicontinuata, mutuis hinc inde fauoribus esset confirmata. Quod crebrius solet in Religionibus contingere.

Octaua, si sit nimis familiaris aduersarij mei; Vnde Canonicus non potest esse Iudex Concanonici sui aduersus extraneum, vt habetur cap. Cum R. & cap. Insinuante de off. & potest. Iud. del. propter nimiam familiaritatem, quæ veritatem aliquando impedire solet, vt dicitur cap. Accusatores 3. q. 5. aduersus tamen alium Canonicum, vt si duo Canonici inter se litigent, potest alter Canonicus esse Iudex, quia par affectionis causa omnem suspicionem remouet, vt Glossa. Glossa d. cap. Cum R. verbo Cum sint eius socij in fine, & Panorm. à simili cap. Accedens el Panorm. 2. vt lite non contest. num. 21.

Ex quo colligo, quòd in Ordine nostro Minimorum vnus collegarum Generalis, vel Prouincialis non potest esse Iudex alterius collegæ contra tertium, propter dictam rationem; quia scilicet habent materiam sępius conueniendi in vnũ. Potest tamen, si duo collegę inter se litigẽt.

Nona, si aduocatus extitit in ead causa, Glossa in cap. Causam de off. & potest. Iud. del. Glossa.

Decima. Reddit se Iudex suspectum, & tamquam talis potest recusari, si nolit audire aduocatos meos; etiam quando causa est clara, Addi. Additionator Pan. ad cap. Accedẽs el 2. sub litttera b. Panorm.

Vndecima, si munera accepit ab aduersario meo. Hostiensis lib. 2. sum. Rubr. de recus. n. 2. Hostiensis. §. ex quibus causis in principio: vel facta illi promissione per aduersarium meum sperat accipere, quia iam censetur corruptus iuxtà versus.

Quatuor ista, timor, amor, & odia, census.
Sæpe solent hominum rectos peruertere sensus.

Duodecima, si pars sibilat in aurem Iudicis; quia loquitur secum secretè; aut Iudex clara voce dicat alteri Parti, Audi, Panor. in cap. Acce- Panorm. dens el 2. num. 8. ex speculatore, quem citat. Sed si reuelet parti, quod sibi ab altera parte fuit in aure dictum non potest recusari, Gabriel Sa- Sayrana. yayna addit. ad singul. Rom. sing. 361.

Decimotertio, Socius in domo non potest esse Iudex consocij, durante societate, sine metu recusationis, Panor. loco cit. ex eodẽ speculatore. Panorm.

Decimoquarto, Quandò quis comitatur aliquẽ per longum iter, expensis comitati; eique inseruit tamquam Cappellanus. Nauar. in cap. cum Nauarr. contingat de rescriptis causa nullitatis, 10. num. 2.

Decimoquinto, Qui appellauit à Iudice in vna causa, potest illum in alia causa recusare cap. Ad hæc el pri. & capit. Proposuit de appellat. Na- Nauarr. uar. loco cit. num. 7.

Decimosexto, Potest recusari Iudex, qui extrà iudicialiter grauauit. Si posteà Iudicialiter procedere voluerit cap. conquærente de restit. Spoliat. Nauarr. loco cit. Nauarr.

Decimoseptimo, Consanguineus aduersarij mei potest recusari, habetur in cap. Postremò de appellat.

Decimooctauo. Potest etiã recusari affinis cap. Absens tertia q. 9. & cap similiter eadẽ causa q. 5

Decimonono. Potest recusari Iudex suffraganeus aduersarij cap. Accedens el 2. vt lite non contestata.

Vigesimo Propter Dominũ tota familia potest recusari, Glossa dicto cap. Accedens el 1. verbo Glossa. subesse.

Vigesimo primo, Potest recusari Iudex, qui est Dominus aduersarij mei, cap. Causam, quæ inter, F. & R. de off. & potest. Iud. del.

Vigesimo secundo. Si Iudex sit publicè excommunicatus, vel infamis, potest optimè recusari,

cusari,

Iul. Clar. Baiard. Panorm.

cusari; quia excommunicatus non potest esse Iudex, nec ordinarius, nec delegatus. Iulius Clarus in sua pract. crim. lib. 5. §. finali, quæst. 44. num. 4. vbi Baiardus num. 20. & est opinio communis. Non tamen potest opponi contrà Iudicem, quòd sit criminosus, quia si hæc exceptio admittatur, pauci possent iudicare; cum nemo sine crimine viuat, vt Clarus loco cit. n. 3. & Panor. in cap. cum R. de off. & potest. iud. del. nu. 5. & cap. Qualiter, & quando el 2. de accus. nu. 16.

Panorm.

Vigesimotertio. Scholares habitantes in eadé domo possunt dici socij: nec vnus potest esse iudex in causa alterius. Panorm. d. cap. cum R. n. 3.

Panorm. Hostiensis. Abbas.

Vigesimoquarto. Doctor, seù Magister non potest esse Iudex sui Scholarijs absque periculo recusationis Panor. ibi. de quibus omnibus, & alijs causis potest videri Panor. & Hostiésis locis cit.

Forma autem recusationis, ex Abbate in sua practica cap. 51. tom. octauo, potest esse talis ad regularium vsum accomodata.

Coram Reuerendiss. P. V. (vel alio Tit. iuxtà Iudicis dignitatem) *Proponit, F. Laurentius, & &c. dicit contra personam Reuerendiss. P. V: quòd cum F. Franciscum aduersarius suus. sit vester consanguineus, vel domesticus, vel familiaris, &c. ex huiusmodi causa est vehementer suspecta: & quia periculosum est coram Iudice suspecto causam dicere; Ratio dictas, vt P. V. & vestrum Iudicium recuses: & causam huiusmodi suspicionis probaturum se offert coram arbitris, quos communiter eligere vnà cum aduersario est paratus; quod si in tali electione conuenire non poterunt, ipse nominat F. Franciscum Mariam, & eligit pro parte sua; Quæ forma procedit, quandò Iudex est ordinarius: vel delegatus vnus: & pars habet aduersarium.*

Si verò est delegatus habens collegam, & dati sunt cum clausula (*quòd si ambo interesse non possunt*) tunc coram collega probanda sit exceptio recusationis: dicat excipiens; *Et causam suspicionis huiusmodi coram collega vestro legitimè probaturum se offert.*

Si autem non habeat reus patrem. *Dicat coram &c. Frater Laurentius, & dicit, quòd cum vestra Paternitas sit illius inimicus: vel in alia causa ab ipsa appellauerit, &c. ac probaturum se affert coram arbitris, &c.* Sic de alijs.

CAP. XXI.

Vtrum subditus possit appellare à sui Prælati sententia.

D. Thom. Innocen. Abbas. Hostiens. Armilla. Angelus. Rosella. Pisanella. Tab. Naldus. Antoninus. Quaranta. Cæsarub. a Sorbo. Sotus. Nauar. Rodriquez.



IDERI potest pro hoc c. D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 3. Innoc. Abbas; & alij Canonistæ, Toto tit. de appell. Hostiensis lib. 2. sum. rubr. pag. mihi 790. Syl. Armilla, Angelus, Rosella, Pisanella, Tab. Naldus, & alij summistæ verbo appellatio, Antoninus tertia parte tit. 9. cap. 14. Quaranta in sum. Bullarij, verbo Archiepiscopi auctoritas n. 18. & 19. Cæsarubius in priuil. mendic. verbo appellare, vbi à Sorbo, Sotus lib. 5. de Iust. q. 6. art. 3. Nauarrus comm. 3. de regul. n. 51. & tom. 1. consil. toto tit. de appell. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 29. & de ord. iudiciali cap. 13. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 13. p. 3. Saytus in Claui regia lib. 12. cap. 17. n. 37. Azor tom. tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 11. q. 7. & 8. Spatharius de modo corrigendi regulares tract. 10. p. 4. cap. 1. 2. & 3. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 8. nu. 101.

Valentia. Saytus. Azor. Spathar. Sanchez. Innocent. Glos. Abbas. Nauarr. Rodriquez. Passarell. Saytus. Azor. Vega. Spathar. Sanchez.

Dico primo, non esse Religiosos hoc priuilegio naturali, a grauaminibus vere sibi a suis superioribus illatis appellandi, priuatos. Innoc. in cap. ad nostram de appell. vbi Glossa verbo Minus, Abbas ibi num. 1. & in cap. de priori num. 3. Nauarrus comm. 3. de regul. n. 51. & comm. 2. num. 61. Rodriquez. tom. 1. quæst. regul. q. 29. art. 2. Passarellus in scholijs ex Aucnionensi num. 16. Saytus in Claui regia lib. 12. cap. 17. num. 38. Azor. tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 11. quæst. 8. Vega p. 1. cap. 19. casu 1. not. 3. Spatharius de modo corrigendi regulares tract. 3. parte 4. cap. 2. num. 4. Sanchez. lib. 6. in decalog. cap. 8. n. 102. qui multos alios citat.

Bonifaci. IX. Confett. Gregorius. XIII. Clemens. VIII. Cherub. Clemens. VIII. Syxtus V. Cherub.

Probatur primo, ex constit. Bonifacij IX. vt refert Confettius in compend. priuil. mendic. in Bonifacio constit. prima, fol. 21. versus finé. Leonis X. vt refert idem Confettius in Leone, constit. 10. fol. 420. in principio, quæ constitutio habetur etiam in compend. priuil. nostri ord fol. 156. Gregorij XIII. vt refert idem Confettius in Gregorio constit. 1. fol. 194. & habetur etiam in constit. nostri ord. post Regulam, & correctorium, fol. 23. Clementis VIII. vt refert Cherubinus tom. 3. Bullarij in appendice ad Clementem constit. 1. Quoniam nostro, fol. 33. Syxti V. in declaratione constitutionis suæ 71. quæ incipit: Ad Romanum spectat Pontificem §. 21. & refert Cherub. tom. 2. Bullarij in Syxto V. sub constit. 71. fol. 603. qui omnes Pontifices concedunt appellationem, seu recursum regularibus a grauaminibus sibi illatis. Gradatim tamen procedendum statuunt, à Priori ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, a Generali ad Protectorem, ab hoc ad sacram Congregationé, & ab ista ad Romanum Pontificé, vt specialiter in ipsis terminis habet cōstitutio cit. Clemétis viij. Quod idé statutū est à sacra Congregatione Regulariū anno 1587. vt refert Cōfettius in cōpen. priuil. mendic. tit. 7. de appell. & a Sorbo in addit. ad Cæsarubiū, verbo appellare. Et eadé appellatio gradatim permittitur in constit. nostri ord. capitulo Valentino 5. num. 15.

Confettius. a Sorbo.

Secundo. Probatur ex cap. de Priore de appell. vbi grauiter iubetur castigari Prior, qui appellationem non admisit.

Nauarr.

Tertio. Probatur ratione, quia nō est cur hoc remedio, iure naturali debito, debeat Religiosus priuari. vnde ait Nauarrus com. 3. de regul. n. 51. ad quartum, *iniquè, & irreligiosè valdè facere Prælatos, qui iustas appellationes a se oppressorū nō admittūt, & debere acriter castigari: & iniquitaté iniquitati opponere eos, qui nō admittūt, nec dāt licētiā prosequēdi, & adeundi Superiores: & pessima malis accumulare, qui non solū negāt prædicta, sed etiā coniciūt in carceres duros, inedia torquēdos, donec appellationi renuncient.*

Aduertendū tamé, quòd sicut ista appellatio debet fieri gradatim, ità nō potest antè definitiuā sententiā; & in nostra minimorū religione expressè habetur, capitulo Valétino 5. n. 15. his verbis. *Volentes tot, tantasque religiosorum tollere vagationes, ordinauerunt, vt recursus appellationum gradatim habeantur: & appellationes nō nisi post latam sententiam admittantur; Quod si reus post latam sententiam appellauerit, indea à quo sententia mittetur processum ad iudicem appellatum. Si autem*

(dicta sententia non expectata) ipsos Superiores adierit, ad suum Superiorem, à quo discessit, remittatur, ad iudicium expectandum, & pœnam Apostasiæ luat, Consimile statutum habent Fratres Minores, vt patet ex eorum statutis Vallisoletanis fol. 154 & refert Spacharius tract. 10. p. 4. cap. 1. n. 2. Et in vniuersali id fuit statutū à Pio IV. vt refert Cherubinus tom. 2. Bullarij in Pio IV, §. 6. Incipit de salute gregis Dominici fol. 20. & habetur etiam in Trid. sess. 13. cap. 1. de reform. his verbis *In causis visitationis, & correctionis, siuè habilitatis, & inhabilitatis, nec non in criminalibus ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario Generali, antè definitiuam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque grauamine non appelletur; nec Episcopus, seu vicarius appellationi huiusmodi tamquam friuolæ deferre teneatur;* & Paulò infra, *nisi grauamen huiusmodi per definitiuam sententiā reparari, vel ab ipsa definitiua appellari non possit.*

Sphacar. Pius IV. Cherub. Trid. sess. 13.

Circa quæ, duo occurrunt dubia. Primum an quoties Religiosus non expectata sententia superiorem appellauerit, ipsumque adierit, sit dicendus in pœnam incidisse apostasiæ.

Secundum, quid sibi velint illa verba concilij: *Nisi grauamen huiusmodi per sententiam definitiuam reparari: vel ab ipsa definitiua appellari non posse.*

Ad primum respondeo; si non expectata sententia fugit ad Superiorem, Apostasiæ pœnam luet, in Ordine nostro Minimorum, & in ordine Minorum propter cita a statuta ipsorum ordinum, quia temerè, leuiterque fugisse iudicabitur, & iure ad superiorem procellantem remittetur; quia aliter vagandi non tollerentur occasiones. Si verò post sententiam sentiens se quis grauatum, deque grauamine protestans, & appellans, nolit Prælatus appellationi deferre, nec licentiam superiorem adeundi impertire, immò in carcerem trudat, & valdè torqueat, censet Nauarrus comm. 2. de regul. n. 61. & comm. 3. num. 51. ad quartum, licitè posse fugere, nec propterea Apostasiæ pœnæ reum futurum; quia hic cum iustè sit grauatus, iustè potest de grauamine conqueri, & superiorem, qui eum ab iniustè grauamine releuare potest, adire Quod etiam sentit Rodriquez de ord. iudiciali, cap 13. nu. 4. Vega prima parte summ. cap. 20. casu primo, Sayrus in Claui regia lib. 12. cap. 17. num. 40. Azor tom 1, institut. moral. lib. 12, cap. 11. q. 7.

Nauarr. Rodriquez Vega. Sayrus. Azor.

Neque obstat Concilium Trid. sess. 25. cap. 4 de regul. Vbi dicitur, *Nec liceat regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu superiores suos adeundi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint;* nam Concilium intelligendum est de illo, qui non grauatus absque vlla appellatione adit superiorem, eo solum, quòd prætendat, licere sibi adire illum absque Prælati immediati licētia, petita saltem iusta de causa; quod est falsum. Ita Nauarrus loco cit. & Rodriquez com. 1. q. regul. q. 30. art. 3. & tom. 2. q. regul. q 53. art. 10. & tom. 1. summ. cap. 43, conclus. & num. 1. & de ord. iudic. cap. 13. conclus. 3. num. 4. Sayrus, & Azor locis cit, Passarellus in Scholijs ex Auinionensi num. 6.

Trid. Nauarr. Rodriquez Sayrus. Azor. Passarell.

Si autem superior petitam licentiam denegauerit; tunc subditus grauatus coram testibus fide dignis, licentiam petat; licet etiam certò sciat superiorem denegaturū, & procuratis litteris testimonialibus ab illis, qui audierunt, dictā licentiam ab eo fuisse petitam, superiorem adeat, iuxta Bullam Syxti V. quæ incipit, Ad Romanum spectat, § 10. quam habet Cherubinus in Syxto V. sub constit. 71. tom. 2. bull. fol. 603. Quas litteras illi facere tenentur; cum de iniustitia grauaminis omninò constat. Quia iniustè grauato, debitum fraternitatis postulat, vt omnes succurramus. Vide Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. num. 7.

Syxtus V. Cherub.

Addunt Nauarrus comento illo 3. de regul, num. 51. ad 4 fine, & Sayrus loco cit. Quod si subditus petendo licentiam superiorem adeundi, timet de aliquo maiori grauamine, non tenetur eam petere, sed potest etiam, illa non petita, superiorem adire; quia nemo tenetur sibi maius grauamen procurare. Quæ omnia omninò vera sunt existimanda, nec iudicanda nimiùm subditis fauorabilia, cum aliquando sint ità indiscreti, & parum charitatiui aliqui superiores, se ipsos potiùs, quàm alios pascentes, vt miseris subditis misera sit agenda vita, nisi his iurium fulcris sustententur. Et aduerte ad vnum bonum punctum quod notant Portel. in addit. ad dub. reg. verbo *habitus* nu. 3. & Diana tom. 3. tract. 2. resol. 115. quod religiosus, qui grauatus reuertitur ad suum Prælatum, si timet sibi impediri iter, & plus grauari inde potest absque vllo scrupulo habitum dimittere, & sic incognitus directè iter suum prosequi, nam portare habitum est præceptum humanum; quod non obligat cum tanto periculo Carceris, infamiæ grauaminis iniusti.

Nauarr. Sayrus.

Ad secundum dubium respondeo, quòd in vna causa sunt multi articuli; vt quòd testes examinentur: & quòd tales, vel non tales &c. si fiat alicui Religioso grauamen, quod per definitiuam possit reparari, non potest ab illo appellare, verbi gratia Produco testem ad mei defensionem, quem iudex non vult examinare; etiamsi nulla excludendi possit afferre causa, me sentio de hoc valdè grauatū, quia tamē hoc grauamen per appellationem à definitiua possum reparare, ab eo appellare non possum.

Grauamina autem, quæ per appellationem, à definitiua sententia reparari non possunt sunt illa, quæ eo ipso quòd sunt illata, suum sortiūtur effectum; verbi gratia Carcer, excommunicatio, suspensio, interdictum, tortura; per ea, quæ habet Nauarrus in Rubr. de iudicijs, n. 83, & Naldus in sum. verbo appellare, num. 1.

Nauarr. Naldus.

Si autem à definitiua non potest appellari, puta quia reus est conuictus, & confessus de delicto: vel quia delictum est notorium, vt habetur in cap. Cum speciali, §. Porrò, de appell. Tunc potest appellari ab alijs grauaminibus, quæ aliàs possent per definitiuam reparari. Quæ appellatio vocatur ab interlocutoria.

Dico secundo, Regularis non potest appellare à correctionibus, & punitionibus sibi iustè inflictis, idest secundum regulam, & statuta sui Ordinis, quæ sunt in vsu: nisi fortè modus in corrigendo excedatur. Abbas in cap. Cum speciali, num. 2. & cap ad nostram, num. 1. & cap. Reprehensibilis fine, & cap. de Priore, num. 2. de appell. Angelus verbo appellatio, num. 10. Tab. eodem num. 11. Sylu. q. 7. num. 9. Armilla num. 16. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 29. art. 2. Glossa in cap. Reprehensibilis de appell. verbo,

Abbas. Angelus. Tab. Sylu. Armilla. Rodriq. Glossa.

Sanchez. verbo. Nec subiecti, Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 101.

Confess. Cherub. Passarell. Casarub. Rodriquez. Spathar.

Probatur primo, ex constit. Bonifacij Octaui, vt refert Confettus in Compend. priuil. mendic. pag 18. quæ incipit, Ad augumentum continuum: quam etiam refert Cherubinus tom. 1. Bullarij, fol. 140. Iulij II. vt refert Passarellus in Compend. priuil. Minim. fol. 102. & Confettus loco cit, fol. 101. quæ incipit, Exposuisti nobis Syxti Quarti, & refert Casarubius in Compend. priuil. mendic. verbo Generalis, num. 11. & 12. referunt etiam Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 49. art. 3. & Spatharius de modo corrigendi regulares tract. 10. par. 4. cap. 2. 0 3. qui Pontifices omninò prohibent regularibus appellationem à correctionibus suorum prælatorum: quando nimirum secundum regulam puniuntur.

Secundo. Probatur ex cap. Ad nostram, & cap. Reprehensibilis, & cap. Cum speciali de appellationibus; quæ capita, & alia similia appellationem vetantia regularibus, semper debent intelligi, quando non exceditur modus, vt explicant prælati Doctores, præsertim Abbas, Sylu. & Sanchez.

Abbas. Sylu. Sanchez.

Tertio. Probatur ratione; nã appellatio adinuenta est ad tollendũ illatũ grauamẽ; sed grauamen non sentit religiosus, cum secundũ regulã, quam professus est, corrigitur, & punitur, quia ad id sponte se obligauit, ergo. Contra autem; si modus in corrigendo excedatur, ergo tunc licitum erit illi remedio appellationis vti.

Dices, si alicui statuto fuerit annexa aliqua pœna, verbi gratia excommunicatio, & Iudex declarauit, aliquem incidisse in illud statutum, & per consequens in excommunicationem, erit locus appellationi?

Respondeo à pœna legis appellari non potest, vt habetur in cap. Quia nos de appellationibus, & ibi Glossa verbo in communi capitulo, potest tamen appellari à sententia Iudicis declarantis, illum incidisse in pœnam legis; quia illa declaratio est sententia hominis, & non iuris. Vnde si illi pœnæ sit annexa excommunicatio, quæ per appellationem non suspenditur, cap. Pastoralis §. Verum de appel. vbi Panorm. Declaratio tamen, qua aliquis declaratur incidisse in excommunicationem, suspenditur per appellationem: si saltem dubium sit, eum non incidisse, iuxta Glossam communiter receptam in cap. Cupientes, §. Quòd si per viginti, verbo Priuatos, de elect. in 6. vnde durante lite appellationis, neq; vitari debet, neq; vitare taliter appellans. Ita Panor. in cap. Peruenit el primo de appel. 6. Nauarr. lib. 5 consil. de sentent. excommunic. consil 6. num. 1. Sylu. verbo Appellatio num. 7. d. 3. Armilla eodem num. 10. Tab. num 8.

Glossa. Panormit. Glossa. Panorm. Nauarr. Syluester. Armil. Tab.

Dico tertio Religiosi non possunt appellare ad tribunalia Ecclesiastica, quibus, non subdũtur, & hoc sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, tam appellantibus, quàm Iudicibus appellationis quicumque illi sint; etiã conseruatores, qui appellatorium querelas contra aliquem religiosum recipiunt; deque ijs cognoscunt, hoc videtur Sotus lib. 5. de iust. q. 6. art. 3. Val. tom. 3. disp. 5. q. 13. p. 3. in fine, Sayrus in Claui regia, lib. 12. cap. 17. num. 41. Rodriquez in sum. de ord. iudic. cap. 13. num. 5. conclus. 4. Salon 2. 2. q 69. art. 3. dub. 2. Sanchez. lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 108

Sotus. Val. Sayrus. Rodriquez. Salon. Sanchez.

Probatur primo. Ex constitutione Bonifacij IX. quam refert Confettus in compend. priuil. mendic. in Bonifacio, fol. 21. incipit Sacræ Religionis, & Leonis X. quam refert idem Confettus in Leone, fol. 120. incipit Romani Pontificis.

Bonif. IX. Confess. Leo X.

Secundo Probatur ratione; quia, vt benè Sotus, vbi primum Religiosorum causæ claustrorum metas exierint, actum de illis est; ex qua ratione constat, quòd quamuis possint regulares appellare ad Protectorem, vel ad Congregationem, hoc tamen non debent facere, nisi quando fuerit ità necessitate adstricti, vt aliter facere non possint; Et pro negotijs grauibus, & maximi ponderis, quià hi recursus maxima toti Religioni afferunt nocumenta; vnde satiùs esset, tolerare quandoque aliquid etiam iniustè, quàm cum tanta Religionis iactura iniurias à se abdicare, vt optime aduertunt Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 49. art. 3. & Sayrus in Claui regia lib. 12. cap. 17. num. 42.

Rodriq. Sayrus.

Dico quarto, prohibitum est Religiosis sub pœna excommunic. latæ sententiæ, Pontifici reseruatæ, appellare ad tribunalia sæcularia; vel coram illis aliquem suorum confratrum, vel Superiorum conuenire; vel ad illa quouis colore confugere.

Probatur ex constit. Bonifacij IX. & Leonis X. cit. & prætereà ex constitutione Gregorij XIII. quam refert Confettus in compen. priuil. mendic. fol. 194. in Gregorio constit. 1. incipit. Quoniam nostro, & ex constit. Clementis Octaui, quam refert Cherubinus tom. 3. Bullarij in append. ad Clementem, constit. 3. fol. 43. incipit quoniam nostro. Qui duo Pontifices vltrà excommunicationem ipsis reseruatã, vt diximus addunt priuationem vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendam absque alia declaratione.

Bonif. IX. Leo X. Gregor. XIII.

Ex quibus pœnis colligitur, quam malè faciant Religiosi illi, qui appellant, seù trahunt confratres suos, vel superiores ad tribunalia sæcularia, vel ecclesiastica, quibus non subduntur, vitia, & defectus intrà Religionem sepultos referantes, in propatuloque ponentes, quos ego his elegantibus elogijs cõdecorare decreui. Latrones sunt, & fures, bonum nomen, & famam suorum confratrum harpagantes. Fratricidæ, fratrum suorum honorem maculantes, fallentes, & quandòque omninò tollentes. Matricidæ, Religionem pijssimam, & munificentissimã illorum matrem, quæ tot, tantisque gradibus eos cumulauit, dignosque reddidit honorari ab omnibus, necare quantum in ipsis est, non verentes. Ingrati homines, Ingratæ bestiæ. Immò ingratiores, & bestialiores bestijs: nam *cognouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui*, vt ait Esaias cap. 1. Isti autem benefactricem suam non cognoscunt.

Esaias c. 1.

Ad quos rectè loquitur Bernardus sermone de ingratitudine. *Magna est*, inquit, *super nos, magna valdè misericordia Dei nostri; quos tamen ineffabili spiritus sui virtute, tam inæstimabili dono gratiæ suæ eripuit à vana nostra conuersione huius sæculi, in quo eramus aliquando sine Deo, aut certè, quod execrabilius est, contra Deum: non ignorantiã habentes, sed contemptum: Huius vitæ, aut potius*

Ber. ser. de ingr.

mortis

mortis (anima enim, quæ peccauerat, ipsa moriebatur) vtinam frequenter in oculis nostris terra versaretur imago, quanta videlicet cæcitas, quanta peruersitas illa fuerit, vt sedula meditatione pensantes, misericordiæ pondus, etsi non tam perfectè, sicuti est, aliquatenus tamen æstimare possemus liberatricis misericordiæ quantitatem. Iam vero, si quis ex nobis diligenter considerare non negligat, non modo vnde erutus, sed vbi constitutus: non solum quid euaserit, sed & quid acceperit: non tantum vnde reuocatus sit, sed etiam quo vocatus, inueniet sine dubio cumulum huius misericordiæ, omnino mensura prioris excedere Quantitatem. Hæc Bernardus; quo confiderent Ingrati isti, qui Religionis, ad quam eos traxit Dominus ab ipsa alendos, & nutriendos, existimationem, sepulta secreta retinendo apud sæcularia tribunalia, ita vt ipsa Religio per omnium ora traducatur, offendunt. Confiderent inquam, & pudefiant; scientes, quod *ingrato homine terra nihil creat:* & quod *dixeris maledicta cuncta, cum ingratum dixeris*, & quod cum patiens, patientissimus, & multum misericors sit Deus, ingratum tamen ferre non potest.

At videbitur fortè alicui satis contra hos dictum, sed nihil adhuc. *Macula sunt coinquinantes*, sine timore se ipsos, & suas sathanicas passiones pascentes: *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur:* ventis, inquam, ambitionis, & superbiæ, qui turbinibus, & procellis religionē quatiunt, totamque voluunt à sedibus imis: *arbores autumnales infructuosæ*, suam marcescentiā præferentes, dum zelo zelati iustitiæ apparere exoptant: *bis mortua* Deo, & proximo, eradicādæ, euellendæ, & extirpandæ ex Dei pomario, & Ecclesiæ: *Fluctus feri maris, despumantes confusiones suas*, dum factionibus, clamoribus, & seditionibus omnia agitare, & euertere prætendunt, nihil tamen aliud, quàm sordes suas, leuitatem, superbiam, arrogantiam, & infamiam despumantes, & ostentantes, Dicente etiam

Esaia 57. Esaia 57. *Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest: Et redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum: Sydera errantia*, nouum, & nouum occasum semper, & ortum quæritantes, numquam consistentes, in deuia semper abeuntes, in circuitu, vt impij ambulantes; Pauonum instar alijs se pulchriores, & doctiores existimantes, ibique complacentes, pedes verò, affectusque suos spurcos, & inconstantes non aspicientes: *His procella tenebrarum seruata est in æternum*, nisi resipiscant, & *in contradictione Core* miserè depereunt. Eia, eia sodes, hæc contemplentur tali morbo affecti, vel tentati, ex epistola Iudæ collecta, quæ de ipsis indubiè loquitur, & videant, quòd intentant illis omnia mortem, & infamiam.

At inquient, rectè omnes cum valemus, optima consilia damus ægrotis; & saturi ad sacra deprædicanda Nephalia sunt maximè propensi. Sed vera sunt hæc, si inuerso ordine dominam capessere iussa, ancillam imperitare, permisimus, quod intolerabile dicitur à Sapiente prou. Sap. prou. 3 30. Quod eques equum vehet, quis sustinebit? equus sensus est, ratio eques, clarum est, quòd si equus insedat equiti, sensus rationi, nihil, quod commodum vtilitatem, & gustum non afferat, tolerabit. At si eques, fi ratio, vt decet, si dominatrix suorum affectuum, quis non videt,

quòd ad maius vitandum malum, permittitur minus, & quòd ad saluandum caput, se mortis periculo exponunt voluntariè, & naturaliter membra; quia ab eo vita, & salus pendet totius corporis: Sic etiam ratio dictat naturalis, vt se feriri (quando nulla rectā, & honesta ratione id aliter potest vitari) grauamen..... per, mittat subditus, vt caput, quod est Religio, illæsum permaneat.

Attendant etiam Prælati, qui debent esse omnia in omnibus; & considerent suorum subditorum conditiones, & qualitates, ijsque, quantū fieri potest, salua æquitate, occasiones recurrendi, & appellandi præscindant; & sciant Patris se tenere locum: & sint potius addicti misericordiæ, quæ iustitiam non excludit, quàm iustitiæ sine misericordia; *quæ mensura mensi fueritis, remetietur vobis* Lucæ 6. Et sciant quod *iudicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam*, vt dicitur epistola Iacobi cap. 2. de quo argumento latiùs tom. 2. Lucæ. Iacob. cap. 2.

Dices, si appellatio est priuilegium naturale, quomodo possunt religiosi eo priuari, quo ad tribunalia sæcularia, & Ecclesiastica, quibus nō subduntur? nam quandoque melius subleuabūtur ab his tribunalibus vetitis, quàm à concessis: & grauatus debet posse quacumque via à se grauamen abdicare?

Respondeo cum Valentia tom. 3. disput. 5. q. 13. p. 5. col. 2. versu Respondeo. Expedire sæpè bono communi, vt aliquæ personæ non exequātur ea omnia, quorum alioquin ius naturale facit facultatem; sicut expedit non comedere carnes 6. feria; quod tamen alias licet per ius naturæ. Solum enim ius positiuum impedire non potest, quod ius naturæ ità concedit, vt etiam præcipiat, verbi gratia, quòd in necessitate omnia sint communia; si enim ius positiuum contrarium præciperet, malè præciperet; nec valeret præceptum contra ius naturale: Et similiter, si præciperet, ne quis, se defenderet cum moderamine inculpatæ tutelæ; hæc enim ita concedit ius naturæ, vt etiam præcipiat; quòd autem ius naturæ solum permittit, vt hoc ius appellandi; benè potest ius positiuum impedire. Vide Suarez lib. 7. de Legibus cap. 6. nu. 8. fine. Valent.

§. Vnicus, vtrum Appellatio executionem retardet, aut suspendat.



DICO primo Regulariter omnis appellatio executionē sententiæ suspendit: Panorm. in cap. Pastoralis, §. Verum, n. 13. & in cap. Ad hæc el 5. oum. 2. de appell. & cap. *Per tuas* de sent. excom. nu 2. Nauat. lib. 2. consil. de appell. consil. 6. n. 1. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 29. art. 5. Antonius Francus in cap. Venientes de iure iurādo. Panorm. Nauar. Rodriq. Antonius Francus.

Probatur ex dicto capite Venientes, vbi dicitur, *vos sententias appellatione suspensas executioni mandastis*; & cap. Pastoralis, §. Præterea, de offic. iud. deleg.

Dico secundo, Ab hac generali regula excipiuntur ecclesiasticæ censuræ; excommunicatio nimirum, suspensio, & interdictum, à quibus, etiamsi appelletur, appellatio, tamen effectum,

illatum

Panorm. *Nauarr.* *Tab.* *Angelus.* *Rossella.* *Toletus.* *Naldus.*

illarum non impedit, Panor. in cap. Pastoralis, §. Verum de appell. à num. 6. qui multas huius rei affert rationes, Nauarrus lib. 5. consil. de sentent. excommunic. consil 6. num. 2. Tab verbo Appellatio num. 4. Angelus eodem num. 2. Rossella statim in principio, Toletus in sum. lib 1. cap 11. num 7. Naldus verbo Appellare, num. 5. & 6.

Probatur ex cap. Is, cui, §. finali de sentent. excommunic. in 6 & cap. Pastoralis, §. Verum de appell. quià istæ censuræ secum trahunt executionem, vt dicitur dicto cap. Pastoralis in fine cum enim sint sententiæ spirituales, non possũt remanere in suspenso: Sed melius videtur posse dici id esse, quia bona, quibus participant fideles, Ecclesiæ bona sunt, vnde si dicti fideles sint dictæ Ecclesiæ inobedientes, & ab illa per excommunicationem separati, non vult illum admittere diffugium, vt sic sollicitiores sint fideles ad illi se reconciliandos: ista ratio quietat aliquo modo intellectum, sed melius est disponenda, cap. Pia, de excep. in 6.

Si verò post legitimam appellationem interpositam, quis fuerit excommunicatus, tunc excommunicatio est nulla, verbi gratia. Præcipit mihi Prælatus sub pœna excommunicationis aliquid, in quo ei obedire non teneor, ego statim appello ab illo præcepto, eiusque pœnis, si nihilominus, appellatione hac non obstante, ferat Prælatus excommunicationem, excommunicatio nulla est, & taliter excommunicatus non est vitandus. Ita Angelus verbo Appellatio, num 4. Tab. eodem num. 5. Rosella nu. 3. & verbo Excommunicatio 7. num 19. fine, Sylu. verb. Appellatio, num 4 fine Sayrus lib. 1. de censuris cap 16. nu. 18 Naldus in sum. verbo Appellare, num. 5. Ratio est, quià per appellationem suspensa est Iudicis iurisdictio, quæ in ferente excommunicationem libera debet esse.

Angelus. *Tab.* *Rosella.* *Sylu.* *Sayrus.* *Naldus.*

Quòd est verum etiamsi denuntietur excommunicatus post elapsum terminum sibi assignatum, ad prosequendam appellationem, vt Sayrus loco cit. num. 23. Rosella verbo Appellatio, num. 5. & Naldus loco etiam cit. verbo Sciendum, & habetur cap. licet de sentent. excomcomunic. in 6 quòd enim ab initio non valet, tractu temporis non conualescit, vt dicitur in regula; Non firmatur de regul. iur. in 6 regula 18. vide Naldum, qui optimè respondet ad obiectionem, quæ potest fieri ex dicto cap. Licet.

Sayrus. *Rosella.* *Naldus.*

Dixi post legitimam appellationem; nam si appellatio non sit legitima, excommunicatio tenet, vt Panor. in cap. Pastoralis, §. Verum, num. 13. & 14. de appell. Sayrus lib 1. de censuris, cap. 16. num. 27. & Naldus in sum. verbo Suspensio, num. 17.

Panorm. *Sayrus.* *Naldus.*

Appellatio tunc dicitur legitima, quandò est talis causa, quæ probata reputaretur sufficiens cap. vt debitus honor de appell. vt Sayrus loco cit. num. 22. Dicitur autem legitima per contrapositionem ad friuolam, cui non est deferendum, per Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. fine. Friuola autem appellatio dicitur, quæ sine legitima causa interponitur, vt quandò quis appellat, vbi non est grauatus iniustè, & sic idem est dicere friuolam appellationem, quòd vanam, & inanem, & sine iusta causa interpositam. Ità Rodriquez tom. 2. q. regul. q. 53. art. 10.

Sayrus. *Concilio Trid.* *Rodriquez*

Nota hic etiam, quod dicens excommunicationem esse nullam debet audiri a Superiore prouocato, licet absolutionem pure, vel ad cautelam non petat. Dicens autem, quod excommunicatio est iniusta non debet audiri, volens eius iniustitiam probare, nisi ante omnia petat absolutione ita habetur in cap. Per tuas de sẽt. Excom. vbi Panorm. num. 3. Excommunicatio autem notoriè iniusta non ligat; secus autem, si non notorie, Abbas in cap. Ab excommunicato, de rescriptis num. 10. si autem excom. iniusta secundo modo teneat quoad homines, non tenet tamen quoad Deum, quia sine peccato nõ potest quis priuari gratia Dei; si quis autem contemneret excommunicationem iniustam, tunc ligaretur etiam quo ad Deum ita Abbas loc. cit. num. 11. & habetur in cap. Per tuas de sent. excõ.

Panorm. *Abbas.*

Dico tertio, in correctionibus quo ad mores, appellatio executionem non retardat. Est expressa sententia Trid. sess. 22. de reform, cap. 1. & sess. 24. cap. 10.

Trid.

Quandò autem dicitur, quòd à censuris, & in causa correctionis non appellatur; intellige quo ad effectum suspensiuum, quià scilicet appellatio executionem non suspendit, non autem quo ad effectum deuolutiuum, quià talis appellatio transfert causam ad superiorem. Ita vt, ea pendente, nihil in illius præiudicium attentetur. Ità Sylu. verbo Excommunicatio 2. nu 1. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q 29. art. 1. Spatharius de modo corrigendi regulares, tract. 10, par. 4. cap. vlt. num. 3.

Sylu. *Rodriquez* *Spathar.*

Dices si appellatio à suspensione, executionem non retardat, Appellatio à suspensione vocis actiuæ, & passiuæ neque etiam executionem suspendet.

Respondeo cum Nauarro lib. 5. consil. de appell. consil 6. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 29. art. 9. Spathario par. 4. tract. 10. cap. vltimo, quòd appellatio à suspensione vocis actiuæ, & passiuæ suspendit sententiam, & eius effectum. Nam illa regula, quòd appellatio a suspensione non retardat effectum, intelligitur solum de suspensione a diuinis officijs; vel ingressu ecclesiæ, vt habet Panor. in cap. Ad hæc el 5. de appell. num. 1. vnde, vt aduertunt Rodriquez, & Spatharius. Si quis in capitulis Generalibus, Prouincialibus, vel etiam localibus suspendatur à voce actiua, & passiua, si post appellationem eligatur, & eligat, valida erit electio. In nostra tamen Religione cautum est capitulo Val. 4. num 28. quòd priuationes in capitulis nõ hãt; & sanctè, nam tales suspensiones non fiebant ad suspensionem, sed ad exclusionem suspensorum à capitulis, ne intentam electionem perturbarẽt; quòd erat valde nociuũ libertati electionis.

Nauarr. *Rodriquez* *Spathar.* *Panorm.* *Rodriq.* *Spathar.*

Demum nota, quòd appellationes sunt faciẽdæ intra decem dies, à recitatione sententiæ numerandos. Hostiensis in sum. lib. 2. de appell. num. 9. Sylu. verbo Appellatio, nu. 5. Intrà quod tempus, nisi fuerit appellatum, sententia executioni mandatur, nec potest iudex hoc tempus decem dierum minuere, vt Sylu. ait loco cit.

Hostiensis. *Sylu.*

Appellanti autem conceditur à iure annus integer, ad prosequendam appellationem, qui annus. iusta causa interueniente, prorogatur vsq; ad biennium, quòd tempus non currit, data impossibilitate prosequendi. Verum quidem est, quòd

quòd potest Iudex, à quo appellatur, & quandoque iudex ad quem, præfatum tempus moderari, iuxtà negotiorum, & temporum qualitates, & conditiones. Videatur Hostiensis loco cit. num. 10. & Sylu. verbo Appellatio, quæst. 16. num. 17. qui benè distinguit in quo Iudex terminum, ad prosequendam appellationem statutum, limitare possit.

Hostiensi. Sylu.

Circà formam appellationis videatur Hostiensis loc. cit. num. 6. per multa, vbi varias appellationum formas ponit, & Abbas in sua practica cap. 111. & 112. Ad nostrum propositum, si appelletur statim à sententiâ, dicat Appellans *Ego talis à tali sententia, tamquam iniqua, & iniustâ, ad talem superiorem appello.*

Hostiens. Abbas.

Quòd si ex internallo in scriptis appelletur, dicat Appellans. *Coram Reuerendiss. P. V.* (vel iuxtà titulum illi conuenientem) *Ego Fr. Laurentius principalis propono, & dico animo appellandi, quòd decem diebus nondum elapsis, in causa tali, quæ vertebatur in iudicio coram vobis, sententiã contrà me talis stilo definitiuam, si sententia iure dici meretur, neque per eandem vestram prætensam sententiam condemnandum consuistis. Idcircò ab eadem prætensa sententia, tamquam iniqua, & iniusta, ipsius nullitate semper salua, ad talem Superiorem appello: vel ad Sanctam sedem Apostolicam, & sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum D. Papã talem prouocò, & appello, & Apostolos 1. 2. & 3. cũ debita instantia mihi dari posco. Et specialiter protestor, quod appellationem huiusmodi possim corrigere, emendare, & innouare, & eam intimare verbo, & prosequi, pro vt mihi videbitur expedire.*

Ad vltimum noto, quòd licet in iudicio Regularium dicatur, quòd non tenentur eorũ Prælati omnes apices iuris seruare; id tamen intelligo in causis ciuilibus, & minus grauibus: at in causis grauibus, vt quando agitur de reo habitu spoliando: ad triremes damnando: carceribus perpetuò detinendo: Prælato deponendo: puto, quòd sint omnes iuris solemnitates seruandæ, quæ reo possunt quidquam proficere, vnde illi sunt aperienda non solum dicta, sed etiam nomina testium, vt benè Panor. in cap. Olim, num. 8. de accus. Rodriquez tom. 1. q. reg. q. 16. art. 1. Ghislerius in sua practica, cap. 18. nu. 24. & dicitur in cap. Qualiter, & quando, el 2. de accus. §. Debet sic. Possunt etiam posci Apostoli, qui sunt litteræ breues instruentes iudicem appellatum, & omnes circumstantias appellationis comprehendentes: & debent continere, quis appellat, a quo, contrà quem, super quo, ex qua causa: & an Iudex, à quo appellatur, deferat appellationi, de quibus Panorm. in sua pract. cap. 114. & sequentibus.

Ghisler. Panorm.

† †
†

CAP. XXI.

Vtrum subditus absque Prælati licentia possit sæcularium confessiones audire, etiam ab Ordinario approbatus.



RO hac quæstione videri potest Antoninus 3. par. tit. 17. cap. 7. Angelus verbo Confessio 3. n. 4. Sylu. verbo Confessio 1. num. 5. Medina Codice de Confessione q. 34. §. Si quæras. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 60. art. 1. 2. & 3. Henriquez lib. 6. de Sacram. pœnit. cap. 6. num 6. Ledesma 1. par. summ. de sacram. pœnit. cap. 13. Dub. 18. pag. mihi 431. & de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 13. difficul. 8. pag. mihi 167. Lopez 1. par. instruct. cap. 26. Alfonsus Vualdus in Candelabro aureo q. de absolut. à num. 28. Graff. tom. 1. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 4. n. 17. & par. 1. decis. lib. 1. cap. 13. num. 87 88. Nauar. in sum. cap. 4. & num. 6. Cæsarub. in Compend. priuil. verbo Confessiones, & Confessores, num. 6. a Sorbo ibid. & verbo Absolutio per multa, Reginaldus in praxi lib. 1. num. 196. Suarez tom. 4. in tertiam partem, disp. 26. sect. 1. num. 18. Angles in floribus q. de confess. art. 8. de ministro confess. difficul. 4. dub. 1. conclus. 5. & 6. Vega parte prima sum. cap. 61. per multos casus, Confettius in Compend. priuil. mendic. tit. 17. cap. 1. & sequentibus, Mirãda tom. 1. Manualis, q. 45. art. 11. & sequentibus.

Antonin. Angelus. Sylu. Medina. Rodriquez. Henriq. Ledesma. Lopez. Alfons. Viuald. Graffius. Nauarr. Cæsarub. a Sorbo. Reginald. Suarez. Angles. Vega. Confett. Miranda.

Dico 1. Simplex Sacerdos Regularis absque sui Prælati licentia non potest, neque regularium, neque sæcularium confessiones audire, excepto articulo mortis, in quo habet potestatem, saltem tacitam à Papa. Ita Antoninus 3. par. tit. 17. cap. 7. Angelus verbo Confessio 3. num. 4. Nauarrus in sum. cap. 4. num. 6. Graffius prima parte decis. lib. 1. cap. 13. num. 87. Miranda tom. 1. Manualis, quæst. 45. art. 18.

Antonin. Angelus. Nauarr. Graffius. Miranda.

Probatur, quia Religiosi per votum obediẽtiæ ità facti sunt alterius iuris, vt neque velle, neque nolle aliquod habeant; vt dicitur cap. si Religiosus de elect. in 6.

Quod ita verum est, vt neque à venialibus, neque à mortalibus, aliàs ritè confessis, licitè, idest sine peccato possit Religiosus absoluere absque sui Prælati licentia. Neque etiam absque dicta licentia potest absoluere eum, qui haberet ad sibi eligendum Confessarium Apostolicum diploma; modo tamen à Pontifice expressè non nominaretur; quia tunc certum est, quòd posset non solùm absque licentia, sed etiam ipso contradicente. Ita Antonin. Angelus, Nauarr. Graff. Miranda locis cit. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. Sylu. verbo Confess. 1. q. 5. num. 5. in principio. Ratio eadem est, quia non est in potestate Religiosi, quo se opere occupet, cum sui non sit arbitrij: attenta præsertim prohibitione, quæ viget in omnibus benè rectis Religionibus, de confessionibus non audiendis absque Prælati licentia. Quod in nostra Minimorum est expressum in Correctorio num. 79. quo ad sæculares: quo ad Religiosos verò n. 85.

Antonin. Angelus. Nauarr. Graffius. Miranda. Sotus. Sylu.

Itaque peccaret Regularis audiens confessiones etiam venialium: etiam mortalium aliàs ritè confessorum: etiam illius, qui ad id haberet Apostolicum diploma, & posset à suo Prælato

lato puniri; valeret tamen in dictis casibus confessio, vt dicunt omnes Doctores cit. quia cum venialia, & mortalia alias rite confessa, non sint materia necessaria confessionis, vt in confesso est apud omnes. Quilibet Sacerdos potest ab eis absoluere, vt habet D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula prima ad tertium. Per habitualem illam iurisdictionem, quam quis accipit in receptione characteris Sacerdotalis, absoluendi, atque ligandi omnes illos, qui ei se legitimè subiecerint, quæ in actualem reducitur per legitimam confitentis subiectionem, in cuius potestate est, se subijcere cui voluerit; Ita Nauarr. dist. 6. de pœnit. cap. Placuit, num. 20. 21. 22. Gai. in summ. verbo Absolutio. Illius autem, qui haberet facultatem à Papa, valeret confessio, quia per electionem pœnitentis, Confessor accipit iurisdictionem à Pontifice.

D. Thom. *Nauarr.* *Caietan.*

Dico 2. Confessiones factæ Regulari approbato ab Ordinario absq; proprij Prælati licentia sunt validæ: licet ille peccet, & grauiter debeat puniri: nec potest gratijs, & priuilegijs suo Ordini concessis vti. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 60. art. 3. Miranda tom. 1. Manualis præl. q. 45. art. 12. conclus. 8. Graff. prima parte decis. lib. 1. cap. 13. num. 88. Angles in floribus quæst. de confess. art. de Ministro, versic. Regularijs pag. mihi 281. Vide Campanil. in diuers. iur. rubr. 12. cap. 13. num. 59. & 60.

Rodriq. *Miranda.* *Graffius.* *Angles.* *Campanil.*

Probatur primo, quia hic reperitur totum id, quod requiritur ad valide sacramentum pœnitentiæ ministrandum: nimirùm potestas Ordinis, & potestas Iurisdictionis.

Secundo, quod peccet, probatur, quia facit contra voluntatem sui superioris: vel statutum suæ regulæ: vel saltem consuetudinem suæ Religionis. Quo autem peccato, dicam modo.

Tertio. Quòd non possit vti priuilegijs suo Ordini concessis, patet, priuilegia enim a Pontifice non conceduntur Religiosis particularibus, nisi medio Prælato, vt dicam.

Quæres, quodnam peccatum erit confessiones audire venialium, vel mortalium, alias ritè confessorum: seu illius, qui ad id haberet potestatem à Pontifice, absq; Prælati licentia, vel audire cum approbatione Episcopi, & sine licentia superioris?

Respondeo. Si prohibitio sit sub mortali, mortale erit; si sub veniali, veniale: si sub nullo, nullum peccatum. Ita Ioannes Medina Cod. de confess. quæst. 34. §. Si quæras, Nauarrus in sum. cap. 5. num. Reginaldus in praxi lib. 1. num. 196. Sin autem nulla sit quidem prohibitio, sed tantummodo consuetudo; tunc videndum erit, an sit communiter recepta, & legitimè præscripta, & contra illam agere, erit crimen eiusdem generis cum illo, quod committitur, agendo contra statuta illius Religionis.

Io: Med. *Nauarr.* *Reginal.*

In duobus autem casibus inualida erit absolutio. Primo si in illa Religione sit aliquod statutum irritans licentias ab ordinarijs obtentas, annullansque confessiones factas Sacerdotibus, licentiam Prælati non habentibus, à Sede Apostolica approbatum, vt est in Religione Dominicanorum per priuilegium Iulij III. quod refert Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 60. art. 1. & Miranda tom. 1. Manualis q. 45. art. 12. Quo priuilegio gaudent omnes Religiones communicationem habentes, & possunt tale statutum condere; vbi autem nondum statutum est, procedit nostra conclusio. Ita Rodriquez, & Miranda locis cit.

Rodriquez *Miranda.*

Secundus casus est, si sit prohibitus confessiones audire sub mortali; pœnitens sciens talem prohibitionem, adit nihilominus illum Religiosum; confessio est inualida, quia pœnitens inducit eum ad peccatum mortale; & per consequens cum ponat obicem gratiæ Sacramenti, absolutio erit nulla. Ita Medina; & Reginaldus locis cit.

Med. *Reginal.*

Sed dices, quid dicendum circa audientiam confessionum absque licentia Prælati in Religione nostra Minimorum, in qua audiens sæcularium confessiones absque dicta licentia luberur per biennium ad talem audientiam non assumi: quæ non assumptio nihil aliud videtur esse, quàm suspensio, & quando est apposita statuto pœna suspensionis, tum qui audit, non solum illicitè audit, sed etiam inualidè: ità vt tales confessiones, & absolutiones sint omninò nullæ, vt dicitur in cap. Si celebret de clerico excommunicato, vel deposito ministrante, §. Peccat; & habet Medina Cod. de confessione loco cit. inualidæ ne dicendæ erunt confessiones factæ à sæcularibus Religioso minimo, approbato ab Ordinario absque licentia proprij Prælati?

Medina:

Respondeo primo. Verum quidem est, quòd quandocumque quis est prohibitus sub pœna suspensionis ipso facto confessiones audire, si audiat, inualide audit, & nullæ sunt absolutiones; quia suspensi carent iurisdictione actuali, vt Graff. prima parte decis. lib. 1. cap. 13. n. 88. Angles in floribus q. de confess. art. de ministro, versic. Regularis pag. mihi 281. Sayrus de censuris lib. 5. cap. 20. nu. 4. Si vero suspensio sit solum comminatoria, vt est ista in ordine nostro (si suspensio merito dici potest) cum iurisdictione non priuet, vt dicitur cap. Ad probandum de sententia, & re iudicata, non poterit reddere confessionem inualidam. Dari autem suspensionem ipso facto, & comminatoriam, est clarum, & habet Toletus libro primo sum. cap. 44. num. 5.

Graffius. *Angles.* *Sayrus.* *Toletus.*

Secundo, respondeo, quod duplex est suspensio. Vna quæ est pura pœna, altera, quæ est ecclesiastica censura, vt benè Suarez tom. 5. in tertiam partem, disput. 25. sect. 1. à nu. 1. Quæ est Ecclesiastica censura, semper supponit peccatū mortale, quando est à iure, vt idem habet disp. 28. sect. 4. n. 7. Si verò sit ab homine, poterit ferri propter veniale, vt idem ibi; Cum autem nostra Regula ad nullam culpam obliget, vt diximus, sequitur, quòd illa suspesio si suspensio est, sit pura pœna, & per consequens, cum nulla iurisdictione priuet, qui contra illud statutum absq; alia superioris prohibitione, & suspensione, cōfessiones audiret cum approbatione Episcopi, audiret non solum validè, sed etiam licitè, cum statutum purum ad nullam culpam obliget, licet posset puniri ad pœnam illius.

Suarez:

Tertio, Respondeo, & Germanius, illam nō assumptionem, non esse suspensionem; nam loquitur ibi legislator de ijs, qui nondum confessiones audierunt, & per nullum superiorem fuerunt vnquam approbati, qui tamen se ingerunt absque licentia Prælati ad confessiones

audien-

audiendas; & dicit, quòd in pœnam talis temeritatis, per duos annos non assumitur ad tale ministerium. Cosimilemque pœnam imposuerat eodem Correctorio num. 78. ijs, qui promoueri petebant ad Ordines, & susterai eos retardari per annum à susceptione illorum. Vnde cum non possit suspendi, qui nondum fuit promotus, sequitur, quòd illa non assumptio, suspensio non sit; & per consequens manet, quòd frater Minimus confessiones audiens absq; Prælati licentia, licet possit puniri ad formam citati statuti; vel etiam grauiùs, vt in eo dicitur, iuxta Prælatorum iudicium, & prudentiam, facit tamen confessiones validas; & cum statutum ad nullam culpam obliget, nullam taliter audiens incurret. Secus tamen esset, si fieret aliquando statutũ, tales confessiones irritans; quòd diximus supra, fieri posse: vel si quis esset per sententiam suspensus à Prælato.

Graffius. Sotus. Rodriquez Confess. Henriq.

Dico 3. Regularis approbatus ab Episcopo ad audiendas sæcularium confessiones de licentia sui superioris, potest ab hoc rationabili de causa reprobari, & suspendi; Graff. tom. 1. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 4. n. 18. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. Confessus compend. priuil. mendic. tit. 17. cap. 5. illatione 7. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 60. artic. 2. Henriquez in sum. lib. 6. cap. 6. nu. 6. Qui addit, quòd potest etiam eiusdem iurisdictionem limitare, circa certas personas; & casus, & citat ad hoc in comm. litera X. declarationem viuæ vocis oraculo Gregorij XIII. quod etiam notanit Graff. loco citat. sentit etiam Miranda tom. 1. Manualis, q. 45. art. 13. conclus. 1.

Graffius. Miranda.

Probatur, quia iurisdictio, quo ad confessiones sæcularium audiendas, datur Religioso à Papa immediatè per approbationem Ordinarij, mediante Prælati persona. Ne quid debitæ subiectioni erga proprios Prælatos derogetur; ergo censetur illi data ad nutum, & voluntatè Prælati vtenda, vel retinenda.

Vega. Armilla. Sayrus. Henriq.

Quòd iurisdictio detur Regulari immediatè à Papa est communis opinio. Vega prima parte sum. cap. 62. casu 7. Armilla verbo Absolutio, num. 23. Sayrus de censuris, lib. 4. cap. 2. num. 20. Henriquez loco cit. num. 5. lib. 7. de Indulg. cap. 28. num. 2.

Henriq. Graffius.

Quòd autem hæc non detur, nisi mediante voluntate Prælati, patet ex Clementina Dudum de sepulturis, §. Statuimus; & habet Henriquez lib. 6. de pœnit. cit. & Graff. lib. 5 consil. cit.

Confess. Graffius. Rodriq. Miranda. Nauarr.

Dico 4. Confessiones factæ illi Regulari, etsi approbato ab Ordinario cum licentia sui Prælati, qui per sententiam latam, & publicatam suspensus fuit à confessionibus audiendis ab eodem Prælato, vel ab alio auctoritatem habente, sunt omninò nullæ, & iterandæ. Confessus in compend. priuil. mendic. tit. 17. cap. 5. illat. 7. Graff. prima parte decis. lib. 1. cap. 13. num. 88. Rodriquez. tom. 1. quæst. regul. q. 60. art. 2. versu Secundò dico, Miranda tom. 1. Manual. q. 45. art. 13. conclus. 3. Nauar. in sum. cap. 9. nu. 8.

Probatur, quia huiusmodi notorie suspensus non habet potestatem sufficientem ad sententiã validè proferendam secundùm iura, vt cap. Ad probandum de sent. & re iudic.

Dico 5. Si huiusmodi Regularis non fuerit iuridicè, & notoriè suspensus à suo Prælato, sed tantùm priuatim prohibitus, ne confessiones audiat, propter causam occultam, Prælato notã; peccabit quidem, & mortaliter non obediens; at confessiones illi facta, validæ erunt. Rodriquez loco cit. & in sum. tom. 1. cap. 60. num. & conclus. 3. Syluester verbo Confessor primo, q. 19. num. 25. versic. Tertio vero casu; Lopez prima parte instruct. cap. 26. col. 4. versu Tertio dicimus, Miranda, & alij cit. in 4. conclus.

Rodriq. Sylu. Lopez. Miranda.

Probatur primò, quia cum acceperit iurisdictionem à Papa; mediante Prælati licentiâ, & Episcopi approbatione, non potest illa iurisdictione priuari, nisi sit legitimè conuictus.

Nauarr. Sylu. Rodriquez Lopez. Glossa.

Secundò. Quia actus facti ab occultè suspenso, ratione publici officij validi sunt, vt Nauarr. Sylu. Rodriquez, Lopez, & alij cit. 4. & 5. conclus. & habetur cap. Ad Probandum de sentent. & re iudic. addita Glossa verbò Innodatus. Si autem non sit notoriè suspensus, tamen notorius est apud pœnitentem: tunc eo Capite erit inualida confessio; quia pœnitens inducendo confessarium ad audiendam suam confessionẽ absque necessitate, eum inducit ad peccatum mortale, & per consequens ponit obicem gratiæ sacramentali, vt supra dixi.

Vega. Angles. Graffius. Rodriquez

Dico 6. Religiosus habens licentiam à suo Prælato eligendi sibi confessarium extrà Ordinem, confiteri potest Religioso alterius Religionis: etiam non approbato ab Ordinario; modo sit à suo superiore in Confessorem suorum confratrum electus. Vega prima parte, cap. 62. casu 2. §. nota, Angles in floribus q. de confess. art. de ministro, versu Hinc potuerunt Monachi, Graff. prima parte decis. lib. 3. cap. 5. n. 107. & lib. 1. de Arbitrarijs confessariorum, cap. 14. num. 6. Rodriq. tom. 1. sum. cap. 60. num. & conclus. 6.

D. Thom.

Probatur, quia per licentiam sui superioris datur iurisdictio illi, cui se subiecerit in confessionis foro, qua iurisdictione accepta, potest confessor eum absoluere, vt habet D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiuncula 5. corpore.

Objicies, Concilium Trid. sess. 23. cap. 15. de reform. prohibet Regularibus confessiones etiam Sacerdotum audire absque approbatione Episcopi.

Graffius. Angles. Suarez.

Respondeo; Concilium loqui de Sacerdotibus subditis Episcopo, quales non sũt Religiosi, vt benè explicant Graff. Angles, & alij cit. Præterea Suarez tom. 4. in tertium partem, disp. 28. sect. 4. num. 4.

Passarell. Glossa.

Dixi modò sit in Confessorem suorum confratrum à suo superiore electus; quia licet concilium non tollat illam consuetudinem antiquam, quam habebant Regulares confitendi Sacerdotibus, non approbatis ab Ordinario, tamẽ non concedit illis licentiam, vt possint confiteri illis Sacerdotibus, qui non sunt admissi à suis superioribus ad confessiones fratrum. Et Ratio est, quia numquam Papa in suis constitutionibus intendit derogare consuetudinibus laudabilibus, & statutis particularium locorum, & personarum, si expressè non deroget; quia cum sint de facto, & in facto consistant, à Papa possunt ignorari vt dicitur cap. 1. de constit. in 6. & aduertit Passarellus in not. priuil. minim. notab. 9. & Glossa eodem cap. 1. & cap. si Postquã de elect. in 6. & sic concedens Pontifex, vt Religiosi non teneantur confiteri Sacerdotibus approbatis ab ordinario, non concedit, vt possint

simpli-

simplicibus Sacerdotibus suæ, vel alterius Religionis confiteri; quia hoc esset derogare laudabili consuetudini Religionum, per quam prohibentur simplices Sacerdotes, audire confessiones fratrum.

Dico septimo, possunt Regulares confiteri Sacerdotibus extra ordinem, siue sæcularibus, siuè regularibus, etiam per nullum Episcopum approbatis, cum iter egerint, aut extra Conuentum degerint de suorum superiorum licentia, ab ijsque, eligendi quemcumque confessorem facultatem habuerint Nauar. in sum. cap. 4. num. 7. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 62. art. 5. Vega 1. par. sum. cap. 62. casu 8. Viualdus in Cãdelabro aureo tract. de absolut. num. 22. Reginaldus lib. 1. prax. num. 175. & lib. 8. num. 36. Suarez tom. 4. in tertiam partem, disput. 28. sect. 4. num. 5.

Nauarr. Rodriq. Vega. Viuald. Reginald. Suarez.

Probatur ex Priuilegio Syxti Quarti, quod refert Confettius in Syxto Quarto, constit. 5. in suo compend. priuil. mendic. & Rodriq. loco cit. & habetur in priuilegijs nostris Minim. pag. 27. Quod priuilegium non esse derogatum per Concilium Trid. probant Nauar. & Suarez locis cit.

Syxt. IV. Confettius. Rodriq.

Dico octauo, duo Sacerdotes transmissi per obedientiam de vno ad alium Conuentum, iter aliquot dierum facturi, quorum nemo est in confessorem electus, nec ab Episcopo, nec à suo superiore, possunt nihilominus sibi inuicem cõfiteri, ita Vega loco cit. casu 3. Rodriquez etiã citatus in fine art. Graffius tom. 2. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 2. diff. 2. à num. 1

Vega. Rodriq. Graffius.

Probatur quia Prælatus dans licentiam, seù potius transmittens illos duos fratres ad alium Conuentum, censetur etiam illi dare ea omnia, quæ ad tale iter peragendum necessaria sunt, vt habetur cap. Præterea de off. & potest. Iud. deleg. & dicunt præfati Graff. Vega, & præterea Nauarrus lib. 1. consil. de elect. consi. 12. nu. 3. Nota tamen, quod non possunt se inuicẽ absoluere à casibus reseruatis, vt dicunt Graff. Vega, Rodriquez cit. Ratio est quia in Generali etiam expressa concessione, non veniunt ea, quæ nõ esset quis verisimiliter in specie concessurus, vt est textus clarus in cap. Si Episcopus de pœnit. remiss. in 6.

Graffius. Vega. Nauar. Graffius. Vega. Rodriquez.

Nisi fortè id facerent per ratihabitionem de præsenti, quam sufficere ad licitè, & validè absoluendum, aiunt Syluester, verbo Confessor primo q. 6. decis. 8 Rodriquez loco cit. Graff. de casibus reser. lib. 2. cap. 34. num. 20. Henriq lib. 6. de Sacramento pœnit. cap. 13. num. 13. Ratihabitio autem de præsenti est hæc. Scio, quòd meus Prælatus est contentus, vt ego nunc absoluam hunc mihi subiectum à reseruatis: & hoc, vel propter amicitiam, & familiaritatẽ, quæ est inter nos, vel propter ea, quæ ex ipsius mente aliàs cognoui; Ratihabitio verò de futuro est hæc. Scio, quòd meus Prælatus erit contentus de hac absolutione, & hæc non est sufficiens ad validitatem Sacramenti. Quòd hoc à futuro non pendeat.

Syluest. Rodriq. Graffius. Henriq.

Dico nono, proprius Sacerdos, seù cõfessarius Religiosorum est Generalis in tota Religione, & Prouincialis in sua Prouincia, ita vt nõ possit quilibet Religiosorũ confiteri, nisi Generali, vel Prouinciali, vel ab eis deputatis. Angles in floribus q. de confess. art. de ministro, versic. Vniuersi, pag. mihi 277. Rodriq. tom. 1. quæst. regul. quæst. 62. art. 4. Henriquez lib. 6. de sacram. pœnit. cap. 6. num. 4.

Angles. Rodriquez. Henriq.

Probatur ex Marimagno Minimorum in cõpend. priuil. pag. 76. vbi dicitur. *Inhibemus insuper vniuersis fratribus vestri ordinis, ne aliquis eorum (nisi necessitatis vrgente articulo) alijs, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat, vel alijs eiusdem Ordinis Sacerdotibus secundum regulam, & ipsius Ordinis statuta.* Regula autem solum admittit Generalem, vigiles (qui non sunt in vsu) & Prouinciales, vt patet ex correct. nu. 85. vel ab istis deputatos, ex quo patet, quòd Correctores in nostra Religione, nisi admittantur à supradictis, vt communiter admitti solent, non possunt confessiones, neque fratrum neque sæcularium audire.

Nota tamen, quòd huic iuri communi, nunc est derogatum per decretũ Clem. VIII. de casuũ reseruatione, quod refert Quaranta, verbo Casus reser. & à Sorbo verbo Absolutio ordinaria, quo ad fratres versus finem. In quo dicitur, *Non liceat Superioribus Regularium subditorum confessiones audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu, id ab eis petierint.*

Quaranta. à Sorbo.

Dico decimo, Religiosus admissus à Prælato ad confessiones fratrum audiendas in vna Prouincia, verbi gratia. In Genuensi, non potest eas audire in Prouincia Mediolanensi; Si ad illam per obedientiam transmittatur absque licentia Prouincialis Mediolanensis.

Probatur, quia Prouincialis Genuensis nullã habet iurisdictionem in Prouincia Mediolanensi; secus verò si sit admissus à Generali, quia hic habet iurisdictionem in vniuersa Religione.

Dico Vndecimo, Petentibus Religiosorum confessarijs à Superiore facultatem absoluendi ab aliquo casu reseruato, si negauerit dictus Superior talem facultatem concedere, possunt nihilominus dicti confessarij pro illa vice tantùm, pœnitentes, etiam dicta facultate à Superiore non obtenta, absoluere. ita concessit Paulus V. in decretis pro Regularium reformatione Cuius decreti meminit. Naldus verbo Religiosus, nu. 4. fine & verbo casus, nu. 22. Franc. à Coriolano in suo tract. de casib. reser. par. 1. sect. 1. art. 17. in fine articuli in prima impressione.

Paulus V. Naldus. Francis. à Coriol.

§. Primus. *Quid possint Confessores Regulares circa casus reseruatos, & votorum dispensationem, vel etiam commutationem per sua priuilegia.*



IRCA potestatem, si quam habent confessarij regulares à casibus reseruatis absoluẽdi, videatur Henriquez, lib. 7. de indulg. cap. 18. Miranda tom. 1. manual. præl. q. 46. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 61. Confettius in compend. priuil. mendic. tit. 17. cap. 6. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 2. nu. 16.

Henriq. Miranda. Rodriquez. Confettius. Suarez.

Et nota, quod per edictum sacræ Congregationis Episcoporum, & regularium, de mandato S. D. Clementis VIII. quod refert Confettius tit. 17. cap. 6. Miranda loco cit. art. 2. Quaranta in sum. bull. verbo Casus reseruati. Fuit omnino Regularibus sublata potestas ab-

Confettius. Miranda. Quarãta.

soluendi à casibus, tùm Pontifici, tùm Episcopis a iure, vel ab homine reseruatis, prout in dicto decreto, seu in eius declaratione: vel etiam illius innouatione, facta de mandato Sanctiss. Domini Papæ Pauli V. ab eadem Congregatione, quam refert Naldus in sua sum. verbo Casus, oum. 14. in fine, expressius continetur. Et nota vlterius, quòd nomine casus reseruati, à quibus prohibiti sunt regulares absoluere, intelliguntur etiam censuræ, eisdem Pontifici, & Episcopis reseruatæ, vt dicitur in d. constitutione, facta de mandato Pauli V. Circa quę decreta videri potest Miranda loco cit. art. 8. à Sorbo in compend. priuil. mendic. verbo Absolutio quo ad fratres, & sæculares fine, pag. mihi 67. Floronus 1. par. de casibus reser. cap. 1. §. 2. num. 6. fine & cap. 4. §. 7. num. 18.

Naldus. Miranda. à Sorbo. Floronus.

Tandem verum est, post tale decretum nullos regulares posse absoluere à casibus reseruatis Pontifici, seù Episcopis à iure, vel ab homine neque etiam ab vlla excommunicatione eisdem reseruata.

Suarez.

Vltimo tamen Suarez tom. 4 de relig. tract. 3. cap. 2. nu. 15. fiod inueni dicentem, dictum Decretum Congreg. non obtinuisse, nec in Lusitania, nec extra dominium temporale Papæ, vide tom. 1. priuil. in const. 2. Iulij II. §. 15. num. 61. & 63.

Circa autem commutationem, vel dispensationem votorum, quo ad sæculares, in prædicta constitutione Congregationis, nihil est inouatum. Vnde cum nomine casus non comprehendantur vota, vt communis est sententia, & in specie habent Rodriquez tom. 1. quæst. 1. regul. q. 51. art. 6. Armilla verbo Casus, num. 1. Graff. de quinque Casibus reseruatis, lib. 2. cap. 43. num. 13. Nauarrus in sum. cap. 12. num. 79. illi potestati, quam habebant regulares antè prædictam constitutionem, circa commutationem, & dispensationem votorum, nullo modo per prædictam constitutionem est derogatum, eaque nunc, vt antea, possunt vti. Quod sentire videntur omnes illi Doctores, qui post prædictum decretum scripserunt, & tamen hanc potestatem regularibus non ademerunt, licet dicti decreti expressè non meminerint, vtpotè tamquam certum supponentes, illud non loqui de votis; Nam dicere, quòd illud ignorauerint, absurdum est, cum sit ipsis, & tonsoribus notū; Huiusmodi sunt à Sorbo in compend. priuil. verbo Absolutio quo ad fratres, & sæculares, pag. mihi 56. à conclus. 6. & pag. 67. Sanchez tom. 1. in decalog. lib. 4. cap. 43. cap. 54. Quo argumēto in casu simili vtitur Ipse Sanchez 6. in decalog. cap. 8. n. 30. expressè cum sentiunt Mirāda tom. 1. Manualis, q. 47 art. 1. & Zanardus 2. par. suæ summæ in materia de voto, cap. 52.

Rodriquez. Armilla. Graffius. Nauarrus. à Sorbo. Sanchez. Miranda. Zanard.

Dico igitur primo. Habent regulares mendicantes priuilegia à Summis Romanis Pontificibus concessa, per quæ possunt dispensare super omnibus votis ordinario iure Episcopo reseruatis, ita à Sorbo in compend. priuil. mendic. verbo Absolutio quo ad fratres, & sæculares, conclus 7. pag. mihi 56. Miranda tom. 1. Manualis, quæst. 47. art. 3. Sanchez, lib. 4. in decalog. cap. 43. nu. 4. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 63. art. 1. Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 28. n. 6. & alij, quos citat in comm. littera P. Sayrus in Claui Regia lib. 6. cap. 11. dub. 17. num. 95.

à Sorbo. Miranda. Sanchez. Rodriq. Henriq. Sayrus.

Lopez 1. par. instruct. cap. 5. col. 3. versic. Ex priuil. *Lopez.*

Probatur ex priuilegijs summorum Pontificum Innocentij VIII. & Martini V. & aliorū, quæ late referunt prælati Doctores, præsertim Sayrus, & apud ipsos possunt videri. *Sayrus.*

Et aduerte, quòd licet per priuilegium Innocentij VIII. non possent Regulares dispensare super votis peregrinationis vltra duas dietas (idest milliaria sexaginta, vt notat Sanchez loco cit.) Per priuilegia tamen alia, præsertim Martini V. possunt dispensare super omnibus, super quibus possunt dispensare Episcopi. *Sanchez.*

Vota autem quorum dispensatio pertinet ad Episcopum, sunt ferè hæc. Primo Votum non nubendi, quod differt à voto castitatis, quia vouens matrimonium non contrahere, fornicando, non facit contra votum.

Secundo. Votum continentiæ ad tempus, puta ad mensem, vel ad annum, vel continentiæ coniugalis, vel suscipiendi ordinem sacrum, etiam presbyteratum.

Tertio. Votum peregrinationis, ieiuniorum, eleemosinæ erogandæ.

Quarto. Votum pœnale Religionis, castitatis, siuè de adeundo Romam, Compostellam, Hierosolymam, quæ sunt quinque vota, reseruata Papæ in extrauagant. Etsi Dominici, la secunda de pœnis, & remiss. etiam adimpleta cōditione, vt tenent Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 63. art. 7. & in summ. tom. 2. cap. 97. conclus. & n. 2. Miranda tom. 1. Manualis, q. 47. art 6. Corduba in sum. q 152. Suarez tom. 2. de Religione, lib. 6. cap. 23. n. 6. Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 30. n. 6 qui numeros pro hac sententia citat in commi. littera A. Quia, aiunt illi Doctores, hæc vota solum esse reseruata Papæ, quā do ex Deuotione emittuntur, & sunt simpliciter voluntaria. Et addit Mir. ita censuisse Doctores Salmaticenses; licet alij contrariū censeāt, quos refert ibid. Mir. loco cit. & sequitur Graff. 5. par. dec. cap. 38. lib. 2. n. 3 Limitat tamē Suarez t. 4. de Rodriq. & alij, modo taliter voueāt, id rō facitot in gratiaū actionē, peccatorū medicinā, vel ipsi Dei, & religionis. Quia tunc non sunt pœpenalia, sed conditionalia, vnde, conditione adimpleta, remanent vota simplicia, & absoluta.

Rodriquez. Miranda. Corduba. Suarez. Henriq. Miranda. Graffius. Suarez. Rodriquez.

Quinto. Possunt etiā Episcopi dispensare in voto numquā dispensationē petendi, vel petita, & obtenta non vtendi. Hæc ex Graff. de casibus reseruatis lib. 2. cap. 43. n. 31. Sanchez in 4 decalog. cap. 40. à num. 41. vsque ad finem, vnde super istis etiam votis possunt confessores regulares approbati à suis Prælatis dispensare. *Graffius. Sanchez.*

Sexto. Possunt Regulares approbati à suis Prælatis dispensare cum sæcularibus ad petendum debitum, si post emissum votum castitatis, de facto contraxerint. Per priuilegium Pij Quinti, vt refertur in compend. priuil. Societatis IESV, verbo Dispensatio § 9. ita Henriquez lib. 12. de matrim. cap 8. num. 9. Rodriquez tom. 1. quæst. 1. regul. quæst. 63. art. 2. Viualdus in Candelabro aureo de Sacram. Matrim. num. 141. Miranda tom 1. Manualis, quæst. 47. art. 8. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 15. num. 3. & 4 in decalog. cap. 41. num. 10. vbi addit, posse Regulares cum illis dispensare, etiam antè consumatum matrimonium, & citat Sayrum in Claui Regia lib. 6.

Henriq. Rodriquez. Viuald. Miranda. Sanchez. Sayrus.

lib. 6. cap. 11. num. 104. licet contrarium teneat *Azor.* Azor tom. 1. Instit. moral. lib. 11. cap. 19. q. 10. versu, sed dubiæ quæstionis est. Notandum tamen, quòd si votum fiat post matrimonium, virtute huius priuilegij non possunt super illud Re- *Rodriquez. Miranda. Vega.* gulares dispensare, vt aduertunt Rodriquez, Miranda locis cit. & Vega 2. parte summ. cap. 119. casu 77. Possunt tamen virtute alterius priuilegij, quod habent in omnibus votis dispensandi quando non sunt Pontifici reseruata. Si autem antè matrimonium, vel post, nondum tamen consumatum vouerit coniux Religionem, nequeunt cum illo Regulares dispensare, vt petat, aut reddat debitum; quia nec id possunt Episcopi, vt idem Sanchez loco cit. num. 13

Septimo. Possunt dispensare inter coniugatos, quorum alter cùm alterius consanguinea adulterium perpetrauit, ad petendum debitum, *Sayrus.* ex priuilegio Martini V. quod refert Sayrus in Claui regia lib. 6. cap. 11. num. 98.

Dico secundo Possunt Confessores Regulares commutare omnia, & quæcumque vota, exceptis illis quinque reseruatis Pontifici. Ita à *à Sorbo.* Sorbo in compend. priuil. verbo Absolutio quo ad fratres, & sæculares, conclus. 6 pag. mihi *Sanchez. Miranda. Rodriquez. Sayrus.* 56. Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 54. num. 3. Miranda tom. 1. Manualis quæst 47. art. 4. Rodriq. tom. 1. quæst. regul. quæst. 63. art. 4. Sayrus in Claui regia lib 6. cap. 12. dub. 2. nu. 15. & alij, quos citaui pro prima conclusione. Nam qui habet auctoritatem dispensandi, habet etiã commutandi saltem in melius, vt ait Sayrus loco cit. & patet ex regula cui licet, quæ est 53. de regulis iuris in 6. vbi dicitur, cui licet quod est plus, licebit vtique quod est minus.

Probatur ex priuilegijs summorum Pontificum Eugenij IV. Pauli III. & Gregorij XIII. qui Gregorius extendit etiam ad vota iurata, *Rodriquez. Miranda. Sanchez.* quæ non sunt in præiudicium tertij, vt referunt Rodriquez, Mir. Sanchez locis cit.

Et notant Rodriquez, & Miranda, quòd non erit in præiudicium tertij, si quis voueat, aut iuret dare Deo Calicem huic Monasterio: si nomine Monasterij tale votum non est acceptatũ; Potest enim ex cõmutatione Episcopi, vel Cõfessarij regularis alteri Monasterio, aut pio ope- *Nauar.* ri applicare, vt cum communi tenet Nauar. in sum. cap. 12. num. 78.

Item possunt Confessarij regulares cõmutare votum alicuius ingrediendi in arctiorem Religionem, vt ingrediatur in lnã: dũmodò si antè professionem recesserit, cõmutatio, siuè dispensatio sit nullius momenti per priuilegium Eu- *Casarub. Sanchez.* genij IV. vt refert Casarub. in Compend. verbo Dispensatio, n. 18 & habet Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 43. n. 19. Qui addit n. 22. posse etiam cum isto Confessores regulares dispensare absolutè, vt ingrediatur suam, vel alienam Religionem, sine eo onere, vt egressus ex legitima causa, antè professionẽ teneatur ad prius votũ; quia hoc non est dispensare in voto, sed in voti circumstantiam. Quod posse Episcopum, & per consequens confessorem regularem, probat ipse *Sanchez.* Sanchez loco cit. cap. 40 n. 74.

Dico tertio possunt Confessarij regulares dispensare, & commutare omnia vota Pontifici reseruata, quoties in eis materia promissa defi- *Sanchez. Suarez.* cit à natura materiæ reseruatæ. Ita Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 43. num. 7. & cap. 54. n. 18. Suarez tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 26. num. 17.

Probatur, quia in ijs, illo casu possunt dispensare, eaque commutare Episcopi, ergo & Religiosi mendicantes, habentes priuilegium dispensandi in omnibus votis, quibus Episcopi. Et ratio est; quia cum deficiunt a materia voti, tunc non sunt Pontifici reseruata.

Vnde colligitur, posse confessarium regularem dispensare in voto disiunctiuo, cuius solũ altera pars est reseruata, vt si quis voueat castitatem, aut ieiunium, quando vouens nondum elegit partem, quam velit seruare, Sanchez, *Sanchez.* lib. 4. in decalog. cap. 40. num. 41.

Secundo colligitur, posse regularem dispensare in votis reseruatis, quando expressus vouentis animus fuit ijs, ad solam culpam venialem se obligare, vel ad solam pœnam; quia tũc à voti perfectione deficiunt, & leuissima reputantur. Sanchez loco cit. num. 47. *Sanchez.*

Tertio. posse dispensare in voto castitatis coniugalis seruandæ: quia non est totius castitatis votum sed partis, cum integrum sit huic matrimonium inire. Intellige, nisi hoc votum sit alicui statui religioso auctoritate Pontificis annexum. Sanchez loco cit. num. 50. *Sanchez.*

Quarto posse dispensare in voto Religionis non approbatæ; quia Religio non approbata nõ est verè Religio, Sanchez, num. 71. *Sanchez.*

Quinto posse dispensare cum eo, qui non tãtùm promisit Religionem intrare, sed in ea perseuerare: nimirùm circa perseuerantiam, ita vt possit hic tempore nouitiatus exire, si expertus Religionis austeritates, iusta causa ad non perseuerandum ducatur. Sanchez num. 75. *Sanchez.*

Sexto posse dispensare in triplici peregrinationis reseruatæ voto, quando expressus vouẽtis finis fuit non ad inuisenda ea loca, sed ad alium finem; vt si quis promittat ire Romam ad inuisendam immaginem B. M. V. ad osculandos Pontificis pedes, eumque recognoscendum: vel ab eo impetrandum peccati absolutionem; si autem ea vota fiant absolutè, nullo fine considerato, tunc sunt reseruata. Sanchez n. 77. *Sanchez.*

Septimo tandem colligitur, posse confessariũ regularem dispensare in circunstantia, his peregrinationibus adiuncta, vt si quis promisit, se iturum pedibus, aut mendicando, potest confessarius Regularis dispensare, vt equo vectus eat, & portet necessarias itineris expensas; quia tunc non dispensatur in voto, sed in circumstãtiam per accidens adiuncta Sanchez num. 78. *Sanchez.*

Dico quarto stante perfecta votorum reseruatorum Papæ materia, licet possit Episcopus ratione alicuius circumstantiæ: necessitatis, verbi gratia, vel dubietatis super ijs dispensare; non possunt tamen confessarij regulares. *Sanchez. Suarez. Rodriq. Miranda.* Ita Sanchez lib 4. in decalog. cap 40. num. 16. Suarez loco cit. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 63. art. 6. Miranda tom. 1. Manualis, quæst. 47. art. 4.

Probatur, quia in hoc casu illa vota sunt verè reseruata, & dispensatio verè cadit super materiam reseruatam; & ideò casus illi non sunt ordinario iuri Episcoporum subiecti; sed ex quadam benigna voluntatis reseruantis interpretatione. Quando autem hoc pacto possit Ep[isc]o[p]us super his dispensare, latè docet Sanchez loco cit.

Dico quinto Potestas dispensandi, & commutandi vota religiosis concessa non restringitur ad subditos illius Diœcesis, in qua sunt Religiosi, sed extenditur ad quoscumque vndecumque venientes, ita Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 43. nu. 15. & cap. 54. nu. 59. a Sorbo in compend. verbo Absolutio quo ad fratres, & sæculares, conclus. 10. pag. mihi 57. *Sanchez. a Sorbo.*

Probatur ex priuilegio Pauli III. concesso Soc. IESV, quod refert Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 54. nu. 3. quo tribuitur Confessarijs Societatis, & per participationem reliquis mendicantibus, facultas commutandi quæcumque vota quorumcumque, vndecumque venientiũ. Et ratio esse potest, quia cum Religiosi habeant auctoritatem dispensandi, & commutandi vota à Summo Pontifice, qui toti orbi præest, non est cur ea restringenda sit ad subditos illius Diœcesis, in qua Religiosi inueniuntur. *Sanchez.*

At inquies, ergo etiam Episcopi, qui habent auctoritatem à Papa, poterunt vndecumque venientium vota dispensare, & commutare, quòd tamen est falsum, vt habet communis sententia, Sylu. verbo Domicilium in fine, & supponit Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 43. num. 14. & cap. 54. num 59. *Sylu. Sanchez.*

Respondeo, falsum assumi, quòd Episcopi habeant talem auctoritatem à Papa; habent enim à iure ordinario, per quod, seclusa reseruatione, possũt in suis Diœcesibus in omnibus votis, sicut Summus Pontifex in toto orbe, dispensare. At ratione reseruationis nequeunt in quinque, ita Sanchez 4. in decalog. cap. 40. num. 84. innumeros citans. Vnde non est mirum, si ordinaria illorum auctoritas ad forenses non extendatur, ad quos extenditur delegata Regularium per citatũ priuilegiũ Pauli III. quod si videre potuisset Syl. loc. cit. aliter locutus fuisset. *Sanchez.*

Quæres primo. An requiratur in confessarijs regularibus licentia specialis suorum Prælatorum, ad hoc vt possint vti dicta facultate, circa dispensationes, vel commutationes votorum, an verò sufficiat licentia illa generalis, qua admissi sunt ad confessiones audiendas.

Quæres secundo, si possint confessarij regulares prædicta facultate circa vota vti; vnde est quod aliqui Episcopi commutationem votorũ, & dispensationem sibi reseruant? vt Archiepiscopus Genuensis, Neapolitanus, Episcopus Regij in Lombardia, & Nolæ in Regno Neapolis. Ex quo sequitur, quòd stante decreto Sacræ Cõgregationis citato, quo prohibetur regularibus absolutio à casibus Episcopis reseruatis, non possunt, in prædictis saltem locis, regulares prædicta facultate vti.

Ad primum respondeo, sufficere generalem illam licentiam suorum Prælatorum, qua approbati sunt ad sæcularium confessiones audiẽdas, absque noua, & speciali licẽtia; nisi fortè in aliquo peculiari casu ea requiratur, quia sic expressè declarat Pontifex priuilegium concedens; vt in dispensando ad petendũ debitũ, cũ eo qui facto voto castitatis, de facto contraxit, vt dicit in specie Sanchez 4. in decalog. cap. 43. n. 10 vel si quis alius sit casus in hac materia votorũ quẽ non viderim; in reliquis sufficit illa generalis licentia. Et ratio est, quia eo ipso, quod sunt approbati à suo Prælato, & ab Episcopo, recipiunt auctoritatem, & iurisdictionẽ à Pontifice, vt dixi supra hoc cap. conclus. 3. ita videtur sentire à Sorbo in compend. priuil. verbo Absolutio quo ad fratres, & sæcul. versus nouem, pag. mihi 64. tit. resolutio quo ad absolutionem sæcul. & Rodriquez tom. 1. quæst. Regul. q. 61. art. 5. *Sanchez. à Sorbo.*

Ad secundum respondeo, non ideo sibi illos Episcopos vota reseruare, quia casus sint, sed vt intelligatur, quòd dispensare super illis, eaque commutare, pertinet ad ipsorum iurisdictionẽ. Vnde non sibi talem iurisdictionem reseruant pro Regularibus priuilegiatis, sed pro illis, qui tale priuilegiũ nõ habẽt. Sicut antequã prohibiti essent Regulares absoluere à reseruatis; adhuc tamen Episcopi sibi casus reseruabant; & tamẽ pro illis, qui habebãt priuilegium absoluendi, nõ intelligebatur casus illi esse reseruati.

§. *Secundus, De alijs quibusdam priuilegijs Regularibus circa Confessiones sæcularium audiendas.*

DICO primo, possunt Regulares mendicantes approbati legitimè ad confessiones audiendas etiam non graduati aliquo magisterio, vel doctoratu, litteras, seu Breuia sacræ pœnitentiariæ, quæ cõmittuntur Doctori, aut magistro in Theologia aperire, & auditis confessionibus ad ipsos recurrentium, imposita illi pœnitentia in litteris expressa, vel de iure imponenda, eos absoluere, ac in foro conscientiæ quascumque sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum iniunctiones excipere, & exequi, si fuerint ad id specialiter à Generali admissi, & approbati, ita Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 28. num 6. à Sorbo in comp. verbo Confessores fine, Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 63. art. 8. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 34. n. 11. Molfesius tom. 1. sum. tract. 4. cap. 18. n. 64 *Henriq. à Sorbo. Rodriquez. Sanchez. Molfesius.*

Probatur ex priuil. Gregorij XIII. concesso Sacerdotibus Soc. IESV, quo fruuntur omnes participantes, & referunt citati Doctores.

Et per extensum Cherob. tom. 1. Bull. in Greg. XIII. const. eius 75. quo pag. mihi 457. incipit, Exponi nobis, & pro explicatione huius priuilegij, vide Portel. in addit. ad dub. reg. verbo Confessor à n. 15. *Cherub. Portel.*

An autem possint Regulares nullo gradu insigniti extrà sacramentum pœnitentiæ, tales litteras aperire, & expedire, putat Sanchez loco cit. num. 30. quod sic. Sed obstare videntur verba illa priuilegij (*& auditis confessionibus*) Ad quæ licet respondeat; cautiùs tamen est confessiones eorum audire. Quia sic etiã melius adimplentur conditiones quæ solent apponi in talibus litteris, verbi gratia, *si ita esse per diligentem Oratoris examinationem inueneris.* *Sanchez.*

Dico secundo Regularis approbatus ab aliquo Ordinario de licentia suorum superiorũ, quando terra, aut mari iter agit, potest (non repugnante Parrocho, illius Ecclesiæ) vbique, prædicare, & omniũ cõfessiones audire. Ita tamẽ, vt si eo loco ordinarius adsit, illius licentiã priùs obtineat. Henriquez lib 7. de indulg cap. 28. n. 8. Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 59 art. 5. A Sorbo in cõpend. verbo Absolutio quò ad fratres, & sæculares, conclus. 21. pag. 57. Mir. tom 2 manualis. prel. q. 14. ar. 8. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 28. sect 7 n. 13 *Henriq. Rodriquez. à Sorbo. Miranda. Suarez.*

Proba-

Probatur ex priuilegio Gregorij XIII. Concesso sacerdotibus Soc. Iesu, quod referunt citati Doctores. Sed, vt audio, hoc priuilegium fuit viuæ vocis oraculo reuocatum. Caute igitur procedendum, & re melius inspecta.

Dico tertio. Possunt Regulares approbati in vna Diœcesi, subditos illius Diœcesis, vbicumque repertos, etiam extra territorium, & Diœcesim, a peccatis absoluere, Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. versu Aliud verò dubium, Ledesma 1. par. sum. de sacram. pœnit. cap. 12. dub. vit. pag. mihi 420. Angles in floribus, q. de côfess. art. de ministro, versu poterit etiam confessiones. pag. mihi 181. Henriquez lib. 6. de sacram. pœnit. cap. 7. num. 1. qui dicit esse communem recentiorum, Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 60. art. 5. Miranda tom. 1. manualis, quæst. 45. art. 14. conclus. 3. fine.

Sotus. Ledesma. Angles. Henriq. Rodriquez. Miranda.

Probatur ex priuil. Syxti IV. Id disertis verbis concedentis, quod refert Cæsarub. in compend. verbo Absolutio, quò ad sæculares 1. n. 11. Rodriquez, Mir. Henriq. locis cit.

Cæsarub. Rodriquez. Miranda. Henriq.

Secundo. Probatur, quia possunt Curati suos subditos vbicumque repertos, etiam extra Diœcesim, absoluere, vt est communis opinio, Sylu. verbo Confessor 1. quæst. & num. 14. Armila verbo Confessio, num. 34. Henriq. Rodriq. Ledes. & alij cit. ergò & id possunt Regulares; consequentia probatur, tum auctoritate citatorum scriptorum; tùm ex Clementina Dudùm de sepulturis, vbi Clemens V. auctor illius Clementinæ, pares facit regulares confessarios, quò ad potestatem audiendi confessiones, Curatis.

Sylu. Armilla. Henriq. Rodriq. Ledesma.

Si obijcias ex eadem Clementina, §. Statuimus in fine, quòd extrà Diœcesim, in qua fuerint regulares deputati, non possint Confessiones audire.

Respondent Sotus, Ledes, Henriq. in comm. littera D. Sensum illius Clementinæ esse, quòd nullo pacto possint Confessarij regulares iurisdictionem exercere in subditos illorum Episcopatuum, in quorum Diœcesibus non sunt approbati: Non autem, quòd non possint eadam exercere in subditos illorum Episcopatuum, in quorum Diœcesibus sunt approbati, vbicumque repertos. Vnde videtur, quòd dicta Clementina derogare voluerit falsæ illi opinioni, quam habuerunt aliquandò Regulares, quòd approbatus in vna Diœcesi, esset approbatus in omnibus.

Sotus. Ledesma. Henriq.

Limitanda tamen est conclusio; modo subditus extra territorium repertus, in ea non sumpserit domicilium; nam tùnc est subditus Episcopo domicilij, in quo, si non est confessor approbatus, iurisdictionem exercere non potest.

Et quis dicatur sumpsisse Domicilium, vide Sanctarel. tom. 1. variar. teiol. q. 77. à num. 1. & Sanchez. lib. 3. de Matrim. disp. 23. nu. 1. vbi determinat quod quis dicitur constituere in aliquo loco domicilium, quando ibi habitat animo ibidẽ perpetuo habitandi, & quòd si talem animum non habeat, etiamsi per multum temporis ibi habitet, nunquã dicetur ibi constituere domicilium, vnde colligit num. 4. quòd Gubernator alicuius Arcis, vel Ciuitatis non dicitur constituere Domicilium in loco, in quo est Gubernator, etiam si ibi per multum temporis, & multos Annos habitet, cum ibi habitet animò recedendi; Quarè ibi tales Gubernatores poterunt confiteri Sacerdoti approbato ab Episcopo in quo habent suum Domicilium, etiam si non sit approbatus ab Episcopo, in cuius Diœcesi habitant.

Sanctarel. Sanchez.

Circa autem approbationem Regularium ad confessiones sæcularium audiendas, ab Episcopo faciendam; affirmant multi Doctores, & Classici, Clementinam Dudùm de sepulturis, in qua §. Statuimus præscribitur modus, quo Regulares debent præsentari à suis Prælatis, vel personaliter, vel per scriptum coram Episcopo: ipsumque humiliter petendo ab eo, vt præsentatos dignetur approbare: quos perperam, & sine causa reiectos, approbat Papa de plenitudine potestatis. Affirmant, inquam, multi Classici Doctores, hanc Clementinam per decretum Concilij Trid. Sess. 23. cap. 15. de reform. Non fuisse reuocatam, quinimmò per dictum Concilium esse approbatam, & confirmatam. Ita Nauarrus in sum. cap. 27. à num. 264. Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 6. num. 4. Mir. tom. 1. manual. quæst. 45. art. 6. Vega 1. par. sum. cap. 61. casu 4. Rodriq. tom. 1. quæst. regul. quæst. 59. art. 2.

Trid. sess. 23. Nauarr. Henriq. Miranda. Vega. Rodriq.

Si autem quæras, an possit Episcopus Regulares idoneos repertos admittere cum limitatione temporis, certorumuè locorum, vel generis personarum.

Respondeo, quòd non, si generaliter idonei reperti sunt, vt definiuit sacra regularium congregatio, Anno Domini 1587. die 21. Iunij, & refert Confettus in compendio priuil. mendic. tit. 17. cap. 4. fine; si autem non ita idonei reperti fuerint, possunt eos limitatè, & restrictè admittere.

Confett.

Sed inquies, quomodo cognoscetur, an Regularis propria culpa, & defectu, non fuerit idoneus repertus, & ita limitatè admissus; an verò fuerit limitatè admissus, non quia idoneus non repertus fuerit, sed ex odio, seù alia passione Episcopi.

Respondeo; ad hoc cognoscendum, duo à Doctoribus assignantur manifesta indicia. Primũ, Quandò omnes doctos, & minùs doctos, Theologos, & simplices, indifferenter admittit cum restrictiore personarum, locorum, & temporum, vel ad suum beneplacitum. Ita Vega 1. par. cap. 61. casu 7. & 8. Ledes. p. 1. sum. de sacram. pœnit. cap. 13. dub. 9. pag. mihi 447. Rodriquez in explic. bullæ Cruciatæ par. 1. §. 9. num. 33. Ratio est, quia impossibile est credere, ex omnibus regularibus, qui quidem studijs, plùs quàm cæteri, vt Ecclesiæ inseruiant, incumbunt, nullum idoneum reperiri, qui simpliciter approbetur. Sed cùm sciant Domini Episcopi, quòd Regularis per Pontificia priuilegia semel idoneus repertus debet simpliciter admitti, nec potest ab eodem Episcopo ampliùs examinari; istas technas adinuenerunt, ad hæc priuilegia deludenda; quæ illis fuerunt concessa, tùm ad eos liberandos à talibus vexationibus; tùm in fauorem populorum, tùm ob beneficia in vniuersalem Ecclesiam ab ipsis collata, vt Leo X. testatur in Concilio Lateranensi, Anno Domini 1516. die 19. Septembris, in Bulla, quæ incipit, Dum intra mentis, & refertur in comp. priuil. Minimorum, pag. 104. §. 2. vbi religiosos fares omninò facit in conferendis in Ecclesiam beneficijs Sanctissimis Episcopis...

Vega. Ledesma. Rodriquez.

Nouimus, episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostræ assumptos fuisse, quorum honor, & sublimitas (testante Ambrosio) nullis potest comparationibus adæquari: Religiosos etiam in agro Dominico pro Christiana Religionis defensione, & ampliatione complura fecisse, ac vberes fructus protulisse & in dies singulos proferre; ita vt eorundem episcoporum, ac religiosorum bonis operibus, orthodoxam fidem incrementa sumpsisse, & per orbem terrarum vndique dilatatam fuisse, fidelium nullus ignoret; & sicut ipsi sæpenumero vigilantissima, & Solerti cura schismata in Dei Ecclesia extinguere, & Ecclesiæ vnitatem reddere, & vt eiusdem Ecclesiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire non dubitarunt. Hæc dictus Leo. Sciant ergo Domini Episcopi, quòd dictus Leo pares illis facit religiosos in subeundis laboribus pro pace, & tranquillitate Ecclesiæ: & quòd illorum sunt charitatiui coadiutores, & vt tales deberent ab ipsis tractari. Alioquin sciant, quòd in fraudem legislatoris nihil est faciendum, & factum non prodest, cap. Constitutus de concessionibus præbendarum. Nam non in folijs, sed in radice rationis consistit lex, vt dicitur cap. Marcion 1. quæst. 1.

Secundo Censetur Episcopus ex odio Regulares limitatè admittere, quandò non eodem modo se gerit cum ipsis, ac cum alijs presbyteris sæcularibus eiusdem conditionis, & qualitatis. Nam sicut non possunt Episcopi in odium Regularium plures illis casus reseruare, quàm reseruant Parochis, quo casu probabilissimum est, quòd non tenerentur illis obedire, circa talem restrictionem, atque limitationem, vt benè Syl. verbo Confessor 2. num. 5. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 59. artic. 8. Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 2. num. 16. Reginaldus in praxi, lib. 8. num. 74. Molfes. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 17. n. 30 Vnde quando ab aliquibus episcopis conceditur per decretum publicum ordinaria facultas suis Curatis absoluendi in aliquibus anni festiuitatibus a casibus, quos sibi reseruarunt, dicta facultas censetur etiam concessa regularibus ab ipsis approbatis. Vt patet ex Clem. Dudùm, §. Per huiusmodi de sepulturis, quæ pares omninò facit confessores regulares Parochis. Nec obstat, quod non nominet, nam censetur supponere ex vulgaribus iuribus, pro quo facit cap. illud superfluum dist. 95. Ità probabile est, quòd nec tenet restrictio iurisdictionis facta in fraudè illius decreti congregationis absque iusta, & legitima causa. Ità videntur sentire Miranda tom. 1. manual. prælat. q. 54. art. 10. conclus. 2. Ledesma 2. par. sum. de sacram. pœnit. cap. 13. dub. 9. pag. mihi 447. Henriquez lib. 3. de sacram. pœnit. cap. 6. num. 5. Expressè Rodriq. in explic. bullæ Cruciatæ p. 1. §. 9. num. 34. Cũ præsertim ab Episcopis, vt diximus nullam Regulares Iurisdictionem, sed simplicem tantummodò approbationem recipiant.

Sylu. Sotus. Rodriquez. Suarez. Reginald. Molfes. Miranda. Ledesma. Henriq.

Sed nota, quòd nobis Minimis illæ restrictiones, quæ solent ab aliquibus Episcopis apponi, locorum, in Ecclesijs V. G. sui ordinis, nihil obsunt: quià per nostrum Correctorium, num. 83. Confirmatum à Iulio II. in Bulla Incipiente, Pastoralis officij, quæ habetur ante dictum Correctorium, pag. 27. Facultatem habemus confessiones audiendi extrà nostras Ecclesias, non solùm in Ecclesijs, & oratorijs, de licentia intelligendum dictarum Ecclesiarum, sed etiã in cunctis domibus, & locis congruis; quod priuilegium a Papa interpretatum, non potest vt dicitur in Clementina ne Romani de elect. in principio.

Tandem quæres primo, an liceat confessarijs iniungere pœnitentibus, vt faciant celebrare tot missas pro pœnitentia.

Respondeo, licitum esse confessario iniungere missas pro pœnitentia, sicut orationes, & alia opera pietatis. Hoc tamen non est indifferenter cum omnibus faciendum, sed considerata persona pœnitentis, & peccatorum qualitate, & circunstantijs. Quo tamen casu debet prudens confessarius mittere pœnitentem ad aliã Ecclesiam pro celebratione dictarum missarum vt nullo modo possit iniici scrupulus pœnitenti, id illi ex auaritia esse iniunctum; & multò magis debet confessarius abstinere a receptione eleemosinæ pro dictarum missarum celebratione, ne scandalizet pœnitentem. Non esset tamen damnandus, si reciperet, vbi nulla scandali, seu admirationis esset Dubietas, Ita Syluest. verbo Decima, nu. 6. Corradus 1. parte respons. quæst. 358. Non potest verò religiosus eleemosynas acceptas pro celebratione missarum sibi retinere, etiam si habeat a suo prælato generalem licentiam retinendi eleemosynas, sibi prouenientes ex ministratione Sacramenti pœnitentiæ. Tùm quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, iuxtà regulam in Generali, quæ est 81. de regulis iuris in 6. tùm quia non potest subditus per se ipse absq; licentia Prælati satisfacere pro missis receptis, cum hoc pertineat ad Prælati officium, apud quem est Conuentus administratio. Vnde tamquam fur poterit condemnari, si aliquam missarum eleemosynam conuictus fuerit recepisse. Et nota vlteriùs, quòd si subditus habeat licentiam à Prælato celebrandi vnam; vel duas, missas pro parentibus, vel amicis suis, non potest loco earum celebrare missam pro ijs, qui illi dederunt pecuniam; quia hoc est contra mentem concedentis. Nota vlteriùs, quod subditus valorem missæ sibi specialiter debitum potest applicare cuicunque voluerit. Ità Sotus in 4. d. 13. q. 2. art. 2. versu Quibus autem, Nauar. in Sum. cap. 25. n. 92. Corradus 1. par. resp. q. 357. Scottia lib. 1. de sacrif. Missæ cap. 9. num. 2.

Sylu. Corrad. *Sotus. Nauarr. Corrad. Scottia. Aragon.*

Nota denique secundum Arag. 22. q. 85. art. 3. in fine quòd subditus religiosus, qui defraudat aliquem vna, vel duabus missis, peccat omninò mortaliter, licet alioqui eleemosyna recepta nõ sit materia peccati mortalis. Quia priuat proximum magno bono spirituali, nec potest absolui, nisi promittat celebrare, vel celebrare facere, seu rogare Prælatum, vt det licentiam celebrandi; & si sit conuersus, qui istam eleemosynam arripuerit, & expenderit, debet rogare aliquem Sacerdotem, vt satisfaciat, si nolit se superiori manifestare. Quæ aduertere debent confessarij.

Quæres secundo an confessarius regularis possit licitè eleemosynam à pœnitente, datam recipere, & an pœnitentes eam elargiri debeant suis Confessarijs.

Corrad.

Respondet Corradus secunda parte suarum respon-

responsionum q.164. licere confessario accipere quidquid, siue paruum, siue magnum sibi a pœnitente sponte oblatum fuerit, non ratione confessionis, sed per modum eleemosynæ, datæ intuitu incommoditatis, & laboris, quem patitur confessarius dicto ministerio assistens. Ita tamen, vt sit semper paratus ministrare Sacramentum pœnitentiæ, tam dantibus illi aliquid, quam non dantibus. Et licet pœnitens de rigore iuris dare aliquid suo confessario, non teneatur, de honestate tamen, & conuenientia dare debet;

Luca. 10. *Nam dignus est operarius mercede sua Lucæ* 10. *&*

Corint. 9. *Apostolus* prima Corint. 9. *nescitis quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere.*

Roman. 15 *Et ad Romanos.* 15. *Si spiritualium eorum participes facti sunt, debent & in carnalibus ministrare illis.*

Crysost. Vnde Chrysost. ad locum illum Pauli ex prima Corin. ait, *Non habebunt Sacerdotes, & leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu sunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, & oblationes eius comedent,*

Gregorius. & Gregorius in Iob. 29. *A bonis*, inquit, *prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus.* Et verè diuinum est argumentum Pauli

1. Corinth. prima Corint. cit. *Quis militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit Gregem, & de lacte Gregis non manducat.* Id est, vt miles stipendio, pastor ouium lacte, qui vineam plantat, vineæ fructu, sic messor, & operarius Euangelicus mercede sua pascitur. Laudabilis itaque est illa consuetudo. Et ideo vbi viget seruanda; nam præter quam, quod alitur, aliqualiter seruus Dei, datur occasio deuotis illis pœnitentibus merendi propter illam eleemosynarum largitionem. Et licet verum sit, quòd, ad omnem cupiditatis occasionem, tollendam, & ad liberius confessarij munus exequendum, melius, esset actu saltem confessionis, nihil à pœnitente recipere. Vnde Apostolus prima Corinth. cit. ait, *Sed non vsi sumus hac potestate. sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* Quia tamen multi pœnitentes quandoque indignantur, si nolit confessarius recipere, quod ei deuotionis gratia offerunt, nec videntur sibi in illa confessione satisfecisse; & quia etiam non tenemur semper facere quod melius est, sed sufficit, si facimus, quod bonum est, vel etiam aliquando, quod malum non est. Vnde illud opus in Apostolo, non recipiendi quidquam pro prædicatione Euangelica fuit supererogationis, vt patet ex versu 15. vbi ait, *Bonum est mihi magis* (idest melius, & satius duco) *mori, quam vt gloriam meam* (quod gratis, & liberaliter Euangelizem) *quis euacuet*, ideò licitè, & laudabiliter stante confessarij, & pœnitentis recta intentione, potest, & ille accipere, & iste dare quidquid eius deuotio persuaserit.

C A P. XXII.

Vtrum subditus Possit prædicare absque Prælati proprij licentia.



VIDEATVR pro hac q. D. Thom. quodlib. 12. art. 27. & in 4. d. 19. q. 2. art. 2. quæstiuncula 1. ad 4. & opusculo 19. cap. 4. Nauar. in sum. cap. 25. a nu. 141. Rodriq. tom. 3. quæst. regul. q. 31. per totam, & in sum. tom. 1. cap. 34. Mir. tom. 1. manual. q. 50. per totam Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 18. n. 8. Sà. in aphorismis, verbo Prędicare, Confessus in compend. priuil. mendic. tit. 16. à cap. 2. Quaranta in sum. Bull. verbo Prædicare, Casarub. in compend. priuil. mendic. verbo Prædicatores verbi Dei. Graff. 2. parte decis. lib. 3. cap. 19. num. 29. & cap. 21. num. 11. Antonin. 3. par. tit. 18. cap. 3. & seq. Sylu. verbo Prædicatio, Caietanus in sum. verbo Prædicatores, Vega 2. par. sum. cap. 86. casu 40. *D. Thom.* *Nauarr.* *Rodriq.* *Miranda.* *Henriq.* *Sà.* *Confessus* *Quaranta* *Casarub.* *Graffius.* *Antonin.* *Sylu.* *Cai.* *Vega.*

Hic nihil aliud occurrit, nisi in medium afferre ea, quæ de prædicatoribus verbi Dei abundantes habet Trid. Sess. 5. cap. 2. de reform. & Sess. 24. cap. 4. de reform. eaque quantùm cum adiutorio prædictorum auctorum poterimus declarare. *Trid.*

Primo, Ergò habet Trid. Sess. 5 cap. 2. *Quòd Regulares Cuiuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare non possint.* *Trid.*

Secundo Quòd cum hac licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant.

Tertio. Quòd in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, vltrà licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine quibus licentijs possint nullo modo prædicare.

Quarto. Quòd si prædicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat.

Quinto Quòd si hæreses prædicauerit, contrà eum secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat Episcopus, quantumuis, se exemptum esse prætendat.

Sexto. Quòd quæstores eleemosynarij, qui etiam quæstuarij vulgo dicuntur, cuiuscunque conditionis existant, nullo modo, nec per se, nec per alios prædicare præsumant; & contrà facientes, ab Episcopis, & ordinarijs locorum omninò arceantur.

Septimo. Sess. 24. de reform. cap 4. Ita habetur. *Nullus autem secularis, siue regularis, etiam in Ecclesijs suorum ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat.*

Circa primum aduerto, peccare mortaliter regularem prædicantem sine sui superioris licentia. Ità Nauar. in sum. cap. 25. num. 141. Cai. in sum. verbo Prædicatorum peccata in principio, Armilla verbo prædicare, num. 1. Reginaldus in praxi, lib. 18. num. 130. Probat Cai. ex cap. Excommunicamus §. Quia verò, de hæreticis, vbi id prohibetur sub pœna excommunicationis, & adducitur illud Apostoli ad Rom. 10. *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur.* Quòd efficacius probatur ex Bulla Leonis X. in concilio Lateranensi, quam refert Quaranta in sum. *Nauarr.* *Cai.* *Armilla.* *Reginal.* *Cai.* *Rom. 10.* *Quaranta*

Bull.

Bull. verbo Prædicator, in qua Pontifex excom. excommunicatione Papali ipso facto, prædicantes sine licentia suorum Prælatorum, cuius absolutionem sibi reseruat. Clausula enim illa. *Si qui autem contra præmissorum aliquid, committere quidquam ausi fuerint, &c.* in fine constitutionis posita, concernit omnia præcedentia; præsertim quandò non habent suas determinatas clausulas, & ad tandem rem pertineant, vt in præfata constitutione, per ea, quæ habet Abbas in cap. Cum dilecti de donationibus, num. 7. & in cap. Secundò requiris de appell. num. 10. 11. Dictamque excommunicationem incurrere prædicantes absque superiorum licentia; expressè habet Zerola in praxi, verbo Prædicatio, nu. 1. par. 1. Reginaldus in praxi, lib. 18. num. 19.

Abbas. Zerola.

Peccant etiam omninò mortaliter Prælati, qui Subditos non examinatos, nec de vita, moribus, nec de doctrina, immò scientes, non esse idoneos, approbant ad prædicandum verbum Dei, etiamsi dicant, se illos approbare, honorandi gratia: vel illorum importunis precibus satisfaciendi; tùm propter auctoritatem Trid. quod tale examen necessariò præcedere approbationem requirit; tùm quia in præfata constitutione Leonis X onerat Pontifex conscientias Prælatorum, qui Subditos ad munus prædicandi destinatos, diligenter non examinant. Tùm propter scandala, quæ inde possunt, & Solent euenire. Cum enim turafones isti, & ambitiosi circulatores vident, se litteris patentibus concionatoris condecoratos cristam erigunt, famosissimos se deprædicant, & dilatando phylacteria sua, magnificando fimbrias, subsanando alios, pulpitum audent impudentissimè conscendere; Vnde dato, quòd nec Hæreses, nec errores, nec falsas doctrinas disseminarent, sed optimas (sciolliores enim psitaci more omnia memoriter discere consueuerunt, & iuxtà cartularum (vnde rectè illis potest dici illud, si *Carta cadit, tota scientia vadit* (doctrinam docti sunt) populum ad risum, & cachinnum, quandoque etiam inuitum prouocant, cum vel obliuiscuntur: vel inordinatè recitant: vel verba parùm congruentia proferunt: vel saltus mirabiles edunt: vel ab extremo ad extremum currunt sine medio: vel omnia ab imis ad supera inuoluunt: vel Solæcismos ridiculosissimos euomunt. vel scripturas falsificant, historias peruertunt, nomina mutant, & similia etiam peiora præstant; Quòd malum, Prælato perperam licentiam concedenti, tribuitur. A mortali ergo non est talis Prælatus absoluendus, vt nec absoluere videntur Nauar. in sum. cap. 25. n. 143. & Reginaldus lib 18. num. 31. quatenus habent, quòd contrafaciens statutis Concilij Trid. cit. peccat mortaliter.

Trid. Nauarr. Reginald.

In ordine nostro Minimorum circa Prædicatores aliqua Sanctè statuuntur, primo, quòd *nemo audeat prædicare sine licentia superiorum* In correctorio, nu. 79. vbi aduertendum, quod licet ratione huius statuti non peccet mortaliter Frater Minimus, prædicando sine licentia; omninò tamen peccat mortaliter per ea, quæ modo dicta sunt.

Secundo Præcipitur, *ne prædicationis tempore, Prædicatores sæcularium conuiuia frequentent* d. Correct. num. 80. Quid enim absurdius prædicare abstinentiam, & deinde epulis, & conuiuijs delectari? posset enim illis dici, isti Prædicatores dicunt, & non faciunt; & pleno ventre ieiunium prædicant.

Tertio Præcipitur, *ne Prædicatores prædicationis tempore, multùm se in audiendis confessionibus occupent*, dicto Correct. num. 81. Priuatur tamque libertate corrigendi, qui assiduè in confessionibus audiendis versatur.

Circa secundum aduerto, quòd ad hoc vt regulares possint in Ecclesijs sui ordinis prædicare, sufficit, vt examinati à suis superioribus; & ab eis approbati, cum ipsorum licentia coram Episcopis se præsentent & ab eis, antequam incipiunt prædicare, benedictionem petant. Nec requiritur licentia ipsorum Episcoporum, vt probatur ex contextu Concilij; & ex differentia, quæ ponitur, quando debent prædicare in Ecclesijs sui Ordinis, & quando in Ecclesijs, quæ sui Ordinis non sunt. Vnde hanc benedictionem non potest eis Episcopus denegare, vt notat Farinacius sess. 5. in Concilium Trid. cap. 2. §. Prædicare; quod si neget, possunt nihilominus in Ecclesijs sui Ordinis prædicare, vt notat Rodriq. tom. 3. quæst. regul. q. 32. art. 5. & probatur ex ipso contextu Concilij: ait enim *Quod tenemur petere benedictionem*, non dicit & illam obtinere; ergo sufficit, vt petant, licet non obtineant. Et probatur, quia benedictio iure petita, si iniustè negetur, videtur ipso iure concessa: vt bene docet Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 13. num. 4. qui in comm. littera F. multos alios citat. Et tandem dicitur, hoc censuisse sacram congregationem, Anno Domini 1597. die prima Ianuarij.

Farinac. Rodriq. Henriq.

Circa tertium aduerto, quòd ad prædicandum in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, requiritur, vltra licentiam sui Prælati, licentia etiam Episcopi Ordinarij illarum Ecclesiarum, in quibus prædicare intendunt; Quam licentiam possunt Episcopi velle dare Regularibus, mediante examine. Nam si ad prædicandum in Ecclesijs sui Ordinis, supponitur, quòd sint examinati à suis superioribus; ergo & ad prædicandum in ijs, quæ sui Ordinis non sunt, in quibus præterea requiritur licentia Episcopi, supponitur; quòd per Episcopum examinari possint; & habet Zerola in praxi, verbo Prædicatio, num. 9. Vnde si minus idonei reperiantur, possunt ab Episcopis reprobari.

Zerola.

Aduerto vlterius, quòd Parrochus potest concedere licentiam viro docto, vt in sua Ecclesia duobus, aut tribus vicibus concionetur, quòd habet Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 25. num. 8. Rodriquez loco cit. Nauar. in sum. cap. 25. num. 141. Riuius par. 1. praxis decis. 755. qui ait id fuisse declaratum Sacra Congregatione indefinitè Campanil. in diuers. iur. rubr. 12. cap. 13. num. 11.

Henriq. Rodriq. Nauarr. Riuius. Campanil.

Insuper nota, quòd Regulares mendicantes, in Prædicatores semel ab Episcopis assumpti, ex priuilegio Gregorij XIII. de quo superiori cap. iter mari, vel terra faciunt, possunt vbique locorum prædicare, non contradicentibus Parochis, nec in locis, vbi sunt præsentes Episcopi absque eorum licentia, vt refert etiam Rodriquez, tom. 3. quæst. regul. q. 32. art. 6.

Rodriquez.

Aduerte etiam, quod si quis regularium, in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicauerit sine Episcopi licentia (in casibus, quibus

bus non prodest priuilegium Gregorij citati) non potest tamen ab Episcopo puniri, sed puniri debet a suis superioribus, vt censuisse sacram congregationem, refert Quaranta in summa
Quaranta Bul. verbo Priuilegio regularium.

Nota etiam, quòd regularis semel ab Episcopo licentiatus, & approbatus ad prædicandũ, non potest ab eodem sine rationabili causa à prædicatione suspendi; vt dicit Sa in aphoris-
Sa. mis, num. 6. verbo Prædicare, de mente congregationis Concilij.

Aduerto denique, quòd Prædicatores regulares semel ab Episcopo approbati, non possunt ab eodem iterùm compelli, vt præsententur, ad hoc vt denuò examinentur, & approbentur;
Miranda. Mir. tom. 1. manual. præl. q. 50. art 9. Sà in apho-
Sa. rismis, verbo Prædicare, num. 7. Et habetur expressè in Bulla Pij Quinti, quæ incipit. Etsi mendicantium, quæ quò ad hoc, per illius reductionem ad terminos iuris communis, &
Trid. Concilij Trid. factam à Gregorio XIII. & per annullationem omnium priuilegiorum decretis Concilij contrariorum facta à Pio IV. non est reuocata. Non enim hoc est contra Conci-
Trid. lium Trid. vt ait Sa loc. cit. & Asorbo in com-
Sa. pend. priuil. mendic. verbo Prædicatori, versu
Asorbo. & notandum.

Circa quartum, & quintum aduerto quòd sacra congregatio Concilij censuit per confirmationem priuilegiorum regularium ab Apostolica sede obtentam, non esse derogatum huic decreto Concilij, nisi in ipsis priuilegijs appareat expressa dispositio, quæ contraria sit dis-
Farinac. positioni Concilij. Refertur in declarationibus Concil. Sess. 5. cap. 2. versu Procedat.

Circa sextum aduerte, quòd licet si Religiosi mendicantes sint quæstuarij; Victitãt enim precario, præsertim qui nihil proprij in communi habent; non comprehenduntur tamen hoc decreto prohibente, quæstuarios, nec per se, nec
Nauarr. per alios posse prædicare, vt habet Nauarrus
Rodriquez lib. 5. consil. de pœnitentijs, & remiss. consil. 33. Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 57. art. 7. sed solùm procedit in quæstoribus, qui quærunt eleemosynas, prædicando, vel publicando indulgentias concessas ijs, qui pijs locis, quorum ipsi sunt quæstores, manus adiutrices porrexerint.

Circa Septimum aduerte, quòd in Clem. Dudùm de sepulturis; §. Statuimus (quæ per hoc Concilij decretum nullatenus censetur reuocata) habetur hoc statutum. *Apostolica auctoritate statuimus, & ordinamus, vt dictorum Ordinũ fratres in Ecclesijs, & locis eorum, ac in plateis communibus, liberè valeant Clero, & Populo prædicare, ac proponere verbum Dei, illa hora dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari, in qua Prædicare cessabunt.* Decretum igitur Concilij de non prædicando, contradicente Episcopo, intelligendum est de illo tempore, & hora, qua Episcopus prædicare voluerit, vel coram se facere solemniter prædicari: non autem alias;
Rodriquez Ita Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 38. art. 1.
Miranda. Miranda tom. 1. manualis, q. 50. art 3. qui addit consultos super hoc doctores Salamaticenses, ita respondisse; & necessario sic debet intelligi, ne cogamur dicere, Concilium sibi ipsi esse cõtrarium; si enim possunt Regulares in Ecclesijs sui Ordinis, petita ab Episcopis tantùm benedictione, licet non obtenta, vt diximus, absque alia ipsorum Episcoporum speciali licentia prędicare? quomodo non poterunt contradicente Episcopo?

Vltimo aduerte, quòd Prædicatores regulares à suis Prælatis examinati, & approbati, ab ijsdemmet, rationabili existente causa, reprobari possunt, & ab eodem munere suspendi. Probatur ex his, quæ diximus de confessarijs.

Verùm quidem est, quòd si Regularis suspensus ab officio prædicandi, nihilominùs prædicauerit, licet mortaliter peccet: non fit tamen *Henriq.*
Irregularis. Ita Henriq. lib. 13. de excommunic. *Rodriq.*
& suspens. cap. 38 nu. 5. Rodriq. in sum. tom. 2. *Armilla.*
cap. 24. conc. 7. & ibi cap 69. conc. 8. Arm. verbo Suspensio, §. 15. Ratio est, quam affert Henriquez. Quia actus prædicandi, solemniter, etiã cum benedictione petita, potest competere laico ex dispensatione Episcopi, vt habet expres- *Glossa.*
se Glossa in cap. Adijcimus 16. quæst. 1. & pro- *Reginald.*
bat Reginaldus lib. 18. praxis, num. 121. licet si ex lege humana; aut consuetudine actus prædicandi deputetur Ordini Diaconatus.

Ad vltimum noto duo. Primum. Quòd Diaconi de licentia suorum prælatorum possunt prædicare, ita Syluester verbo Prædicatio q. 1. Armilla verbo Prædicare, num. 7. Tabiena eodem, statim in principio, Angelus ibidem, Reginaldus in praxi, lib. 18. num. 120.

Nec solùm Diaconi regulares possunt prædicare, sed etiam Clerici in minoribus ordinati, vt habet Reginaldus loc. cit. & refert Rodriquez in suo Bullario in Grego. constitutione eius 28. priuilegium adhoc concessum à Gregorio XIII. Societati IESV, Anno Domini 1584. die 20. Nouembris, Pontificatus eius Anno XIII. Quod incipit vigore priuilegij, quod sic habet.

Præsentium tenore declaramus, vt vnicuique vestrum etiam ad sacros ordines non promoto, primaque tonsura tantùm insignito, à præposito tamen approbato, prædicationis munus ad populum exercere posse liceat, districtius inhibentes vniuersis locorum ordinarijs, ac alijs quacumque dignitate fulgentibus ne, ne vos in huiusmodi impedire, aut molestare audeant.

Noto secundo, quod postquam hæc scripsi, exijt constitutio Gregorij XV. quæ incipit Inscrutabili Dei prouidentia, data apud S. Petrum anno 1622. Nonis Februarij Pontificatus eius anno II. Super quam factæ sunt aliquæ declarationes, de mente eiusdemmet Põtificis, à sacra Congregatione Concilij. Iuxta quam constitutionem in ijs (in quibus viget) moderanda sunt dicta hoc capite.

†

CAP.

CAP. XXIII.

Vtrùm Regularis de licentia Prælati possit extrà Conuentum degere.



Nauarr. Rodriq. Miranda. Panorm. Sà. Molina. Vega. Henriq.

VIDERI potest pro hoc Capite Nauar. comm. 3. de regul. nu. 40. & lib. 3. consil. de regul. à consil. 68. vsque ad 74. Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 53. art. 5. Miranda tom. 1. manual. præl. q. 32. art. 3. Panorm. in cap. Clerici de vita, & honestate Clericorum, num. 11. Sà in aphorismis, verbo Religio, num. 53. Molina disp. 140. pag. mihi 480. versu Idem dicendum, Vega par. 2. sum. cap. 86. casu 14. Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 26. num. 1. qui alios citat in comm. littera D.

Nauarr. Graffius. Miranda.

Dico primo, non licet Religioso extrà Conuentum ire absque licentia superioris, Nauar. com. 4. de regul. num. 34. Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 96. Miranda tom. 1. manual. præl. quæst. 32. art. 2.

Nauarr.

Probatur ex cap. Statuimus 19. quæst. 3. & cap. Placuit ei 2. & cap. Monachi ei 1. 16. q. 1. Quale autem peccatum sit. Respondet Nauar. loco cit. num. 35. quòd ratione regulæ quorum statuta ad nullam culpam obligant, non esset peccatum; sed quia est contra ius commune, regulariter est veniale, vt habet etiam Graff. p. 1.

Graffius.

decis. lib. 3. cap. 5. num. 96. Potest autem esse mortale ex contemptu: vel si fit contra præceptum speciale superioris; vel si et iam contra laudabilem, & toto rigore obseruatam consuetudinem, vt est in nostra Religione Minimorum, in qua graue quid existimatur, egredi Conuentu absque licentia, & benedictione superioris, nec est, qui audeat, quantumuis priuilegiatus, hoc perpetrare; Vnde si quis in nostra Religione absque licentia egrederetur, talis egressus esset iudicatus ab omnibus maximè præsumptuosus, & non sine temerario contemptu, & per consequens omninò esset peccatum mortale. Quod forsan in alijs Religionibus non ita strictè obseruatur. Consentit Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. num. 1. Addit etiam Nauarrus, quòd esset mortale, quoties fieret cum notabili scandalo, vel damno Monasterij.

Suarez. Nauarr.

An autem hæc licentia debeat esse expressa, vel sufficiat tacita. Dico cum eodem Nauarro loco cit. num. 34 Miranda loco cit. concl. 1. quòd sufficit regulariter, quòd sit tacita: Nam eadem est vis taciti; & expressi, vt habetur cap. ex Parte de rescriptis. Nec etiam requiritur specialis, sed sufficit generalis: præsertim cum Procuratoribus conuentus, & alijs fratribus, qui quotidie ad necessitates Conuentus exeunt. In nostro autem Ordine, adhùc vsu non est recepta talis licentia tacita, nec generalis, sed requiritur necessariò expressa, & specialis. Et videtur rationi consonum, vt sciat superior, vbi sint Religiosi suæ curæ demandati: sicut Pastor scire debet, vbi pascant oues sibi creditæ.

Hanc autem licentiam exeundi, si dent Prælati absque necessitate, vel vtilitate, semper peccant, saltem venialiter; & Subditi eam importunis precibus extorquentes, non minori culpa grauantur; vt notant prædicti Nauarrus, & Miranda.

Nauarr. Miranda.

Panorm. Antonin.

Dico secundo Regulares extra Conuentum, numquam debent esse soli, sed semper debent habere Socium Panor. in Clem. ne in agro de statu Monachorum, num. 28. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 8. § 2.

Probatur ex dicta Clem. Ne in agro, §. Ad hæc, vbi id habetur expresse. Et in regula nostra Minimorum, num. 19. Hæc, & antecedens conclusio expressè habentur.

Et in num. 20. Mandat circa hoc, vnum particulare B. Pater noster Franciscus dicens. *Insuper quandiu foris extiterint, illorum alter Correctoris vice fungatur.* Quòd est omninò d'ulnumi tùm propter eum, qui Correctoris vices gerit Memor enim quod superior debet ita se in incessu gerere, vt talis appareat; tùm propter eum, qui illi debet subesse; Quis enim nisi impudentissimus, ad sui superioris præsentiam, nõ omnia, quæ recta sunt, semper operabitur.

Vega. Nauarr. Panorm. Rodriq. Miranda. Sà.

Dico tertio, iusta existente causa potest Regularis de licentia Prælati extra Conuentũ degere Vega 2. par. sum. cap. 86. casu 14. Nauar. com. 2. de regul. num. 40. Panor. in cap. Clerici de vita, & honestate Cleric. num. 11. Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 53. art. 5. Miranda tom 1. manualis præl. q. 32. art. 3. Sà verbo Religio, num. 53.

Probatur ex cap. Cum Pastoralis 2. quæst. 7. & cap. Placuit 1. & 2. & cap. Monachi 1. & 2. 16. quæst. 1.

Nauarr. Rodriq. Miranda. Glosa.

Dixi iusta existente causa; quia sine illa, nec etiam Papa potest talem facultatem facere: Cũ Regularis voto adstringatur ad stabilitatẽ perpetuam in monasterio seruandam: Et certum est, nullum superiorem, etiam Papam, posse in voto absque iusta causa dispensare, vt Nauar. Rodriquez & Miranda locis cit. & habetur cap. Non est voti, de voto, iuncta Glossa verbo Adimplere.

Iusta autem causa est vtilitas Monasterij, etiã indirectã, vt sit v. g. Procurator Patroni Ecclesiæ: vel alicuius Episcopi: vel amici, qui monasterio profuit, prodest, aut quòd sit profuturus speratur, ita Nauar. dicto num. 40. versu 2. Quòd iusta causa.

Nauar.

Secundo Causa iusta est ad studendum; vel etiam docendum facultates regularibus licitas. Nauar. loco cit.

Nauar.

Tertio est ad subueniendum parentibus inopia laborantibus, per ea, quæ diximus supra cap. 9. & habent Rodriquez, & Mir. locis cit.

Rodriquez Miranda.

Quarto Ait Rodriquez loco cit. posse Generalem facere facultatem fratri alicui inquieto, & insolenti, qui propter sua delicta condemnatus fuit ad triremes, ab his postea restitutus, vt possit heremiticam regulariter vitam ducere: vel in aliquo Hospitali, vel Ecclesia, præstita per eum obedientia Ordinario loci, seu Generali ipsi, ita etiam consuluit Nauar. lib. 3. consil. de regul. consil. 74. Et Ratio est, quia cum iste talis sit naturaliter Inquietus, & insolens, si aliqui fratrum ej importenerint sua delicta, non de facili eos sustinebit, & erit nouissimus error peior priore.

Nauar.

Quinto potest subditus de licentia superioris extra conuentum degere ad sanitatem procurandam, cum consilio Medici dicentis, illum extra Conuentum sanaturum: vel quia Conuentus aeris laborat intemperie: vel quia ita di-

stat à

stat à Ciuitate, vt facile Medici non possit habere assistentia: vel quia pauperrimus est, & omnia necessaria tali infirmo suppeditare non potest. Ita Rodriquez loco cit. & Nauar lib. 3. consil de regul. consil 70.

Rodriquez. Nauarr.

Hic esset agendum, An Frater Minimus ratione infirmitatis, cum licentia Prælati possit extra conuentum degere, stante particulari decreto fœlicis record. Clem. VIII. sed quia longiorem requirit disputationem, pro nostra Minimorum Religione, illud transfero in quæstionem de voto vitæ quadragesimalis.

Aduerto tamen, quod quando dico, quòd potest Regularis in casibus suprad ctis extra Conuentum degere, debet intelligi, habitu retento; nam concedere talem licentiam, habitu dimisso solius Papæ est; vt ait Nauarrus comm. 3. de regul. n 49. & lib. 3. consil. de regul. consil. 72. n. 2. Rodriq. tom. 3. q. regul. q 53. art. 6. Mir. tom. 1, manual. q. 32. art. 8.

Nauarr. Rodriq. Miranda.

Aduertendum vltimò supradicta esse vera de iure communi; sed pro nostra Religione Minimorũ, exijt edictum à sanctissimo D. N. Papa Paulo V. Anno Domini 1617. die 23. Decembris, intimatum P. Fr. Io. Pinæ de Celija nostri ordinis tùm temporis Zeloso à R. D. Vulpiano Archiepiscopo, & congreg. Regul. Secretario tenoris sequentis.

Admodùm Reuerendo in Christo Patri Procuratori Generali Ordinis Minim. Sanctissimus ordinauit mihi, vt notum facerem P. vestræ; quòd prouideat, ne imposterùm sub quocumque prætextu detur licentia suis Religiosis, extra Mon. vel domus, Conuentus, vel Collegia suæ Religionis permanendi; & si forté fortuna nunc aliquis extrà reperiatur absque licentia huiusmodi Sanctæ Sedis, ad claustra reuocetur. Insuper vt renouentur Ordines, quòd appellens aliquis suorum Religiosorum locum, vbi sint Monasteria, Domus, Conuetus, seù Collegia suæ Religionis, teneatur illuc recta ire & se illius Domus superiori consignare. Quod decretum intimatum est à dicto Patre Zeloso vniuerso ordini, die 4. Febr. Anno Domini 1618.

Per quod decretum videtur sublata potestas superioribus, facultates extra Conuentũ degendi, ob prædictas causas, concedendi, in perpetuũ, vel ad longum tempus, non autem ad breue.

Sed quæres, An post tale decretum, si Prælatus faceret alicui facultatem foras degendi; posset hic tuta conscientia remanere.

Respondeo. Peccaret quidem Prælatus, & esset arbitrio sui superioris Puniendus (vbi enim lex non apponit pœnam, contrafacientibus, videtur iudici arbitraria, vt dicitur in cap. Nihil de elect.) quia contrafecit statuto Papę sed subditus potest tuta conscientia permanere, tũ quia hic valet illa regula, Multa fieri prohibétur, quæ tamen facta tenent: nam decretũ nõ annullat licentias contrà ipsum datas. Vnde videtur, solùm velle superioribus Timorem incutere, ne sint nimis faciles, in talibus licentijs concedendis; tùm quia Lex de nouò statuta à Principe, non derogat priuilegijs positis, & insertis in corpore Iuris communis; etiam positis quibuscumque circumstantijs, & clausulis generalibus, nisi faciat de illis specialem mentionem, vt ait Bartolus citatus à Miranda tom. 1, manualis prælq. 45. art. 8. Et Glossa in lege s. §. Legati ff. de re vendicata, & probat Bonacina multos allegans de Censur. disp. 2 q. 6. puncto 2. n. 15. Sed posse Prælatos concedere tales licentias, priuilegium est insertum in corpore iuris communis, vt patet ex capitibus cit. in in probatione nostræ 3. conclusionis; Nec in hoc edicto sunt aliquæ non obstantiæ; ergò.

Bartolus à Miranda, Glos. Bonacina

CAP. XXIV.

Vtrum liceat Subdito de vna Religione transire ad aliam.

D. Thom.

De hac quæstione agunt D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. quæstiuncula prima ad 3. & dist. 38. q. 1. art. 4. q. 3. ad 24 Panorm. in cap. Ex Transmissa de renunciat. nu. 9. & 10. & cap. Sanè de regul. per totum, & cap. Licet à nu. 1. Sylu. verbo Religio 4. Pisanella Religio 5. Nauar. com. 4. de regul. à num. 10. & lib. 3. consil. de regul. a consil. 52. vsque ad 70. Armilla verbo Religio, num. 14. Angelus num. 34. Antonin. 3. par. tit. 16. cap 4. Reginald. in prax. lib. 28. a num. 112. Azor tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 14. & 15. Rodriq. tom 3. quæst. regul. q 52. Mir. tom. 1. manual. quæst 31. Graff. 1. par. dec. s. lib. 3. cap. 5. à num. 98. Sa in aphorism. verbo religio, num. 35. Quarantia in sum. Bull. verbo Monasteria Regularium, pag. mihi 434. versu Reuocatio indultorum, Casarub. in compend. priuil. mendic. verbo Apostatæ, præsertim num. 6 & 14. & verbo Recipere, vbi à Sorbo, Stephanus Durantus in quæst. iuris, q. 9. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 13. num. 100. Passarellus in not. priuil. Minim. notab. 39. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 7.

Panorm. Syln. Pisanella. Nauarr. Armilla. Anglos. Antonin. Reginal. Azor. Rodriquez Miranda. Graffius. Sa. Quarantia Casarub. Asorbo. Steph. Du. Lessius. Passarell. Sanchez.

Dico primo Transitus ad arctiorem Religionem Zelo maioris perfectionis, iure communi est licitus, petita à Prælato licentia, licet non obtenta. Dicunt omnes doctores cit.

Probatur ex cap. Sanè, & cap. Licet de regul. & cap. Statuimus, & cap. Mandamus 19. q. 3. & supponit Trid. 14. de refor. cap. 11. & sess. 25. cap. 19.

Trid.

Dico secundo Superior, qui potest facultatem facere transeundi ad arctiorem Religionem, & à quo debet talis licentia peti, est Generalis in toto ordine, vel Prouincialis in sua Prouincia. Ita Angelus verbo Religio, num. 35. Rodriq. tom. 3. quæst. regul. quæst. 52. art. 3.

Angelus. Rodriq.

Probatur, quia ad ipsos ordinariè spectat recipere fratres ad Religionem; sed per easdem causas dissoluitur contractus, per quas fit; ergò.

In ijs autem Religionibus, in quibus Priores conuentuales habent facultatem fratres ad ordinem recipiendi, poterunt prædicti priores talem licentiam concedere. Quo pacto intelligendi sunt Doctores dicentes, posse priores Cõuentuales, hanc facultatem concedere, vt Nauar. comm. 4. de regul. nu. 10. Sylu. verbo Religio 4. q. 3 & alij.

Nauarr.

Vnde colligitur, quòd transiens ad strictiorẽ Religionem, non est admittendus absque litteris Superioris Religionis, à qua transit, vt constat ex cap. Statuimus 19. q. 3 Quare cum subditus absque his litteris adit superiorem strictioris religionis, debet talis superior consulere

lere superiorem Laxioris; interrogareque, an dederit licentiam, vel cur denegauerit; & tunc si nullam, aut manifeste iniustam denegationis causam assignet, poterit secure ipsum ad strictiorem admittere; si verò iustam assignet, & Religiosus velit eā incontinenti probare falsam, non est huius Superioris causam discutere, sed ille non est admittendus, donec causa corā superiore prioris Prælati decisa sit, & transitus ab eo approbatus, ita Innoc. in cap. Licet de regul. num. 5. Sanchez 6. in decalog. cap. 7. num. 39.

Innoc. *Sanchez.*

Neque his obstat extrauagans Pij Quinti edita Anno 1569. quæ incipit Quæcumque Sacrarū, quam refert Cherub. in suo Bull. tom. 2. in Pio V. constit. eius 89. pag. mihi 290. In qua præcipit, non posse recipi, neque retineri ab vlla Religione Fratres alterius ordinis, sed statim debere ad proprios ordines remitti. Non enim agit de transeuntibus secundum iuris communis dispositionem; sed tantùm de fugitiuis, & Apostatis, qui sine licentia à suis superioribus petita, se ad alias Religiones transferre volunt ob iurgia, contentiones, leuitates, & malefacta. Itaque hæc extrauagans non tangit eos, qui laudabiliter de vna Religione transire volunt ad aliam; vel Zelo perfectioris Religionis; vel propter declinationem suę Religionis à debita perfectione; vel propter infirmitatem, aut debilitatem. Quæ tria singillatim iustificant (iuxta D. Thomā ab omnibus receptum 2.2. q. 189. art. 8.) Causa cuiuscunque transeuntis. Sic intelligunt hanc extrauagantem Nauar. lib. 3. consil. de regul. consil. 88. in casu, quo quidam Carmelita transierat ad nostram Religionem Minimorum. Probat enim non obstante prædicta extrauaganti, posse in Religione Minimorum permanere; quia in ea non est receptus vigore alicuius priuilegij particularis, concessi à sede Apostolica fratribus Minimis contra ius commune, vt possent recipere Apostatas (licet etiam hoc priuilegium haberemus concessum a Iulio II. anno 1506. Quinto Kal. Augusti, in Bulla, quæ incipit Dudùm, & habetur in nostris priuilegijs, pag. 62. Cui tamen per dictam extrauagantem Pij Quinti est sufficienter derogatum) sed est receptus in ea virtute iuris communis, quo licet omnibus de Religione laxiori ad arctiorem transiere. Sic etiam intelligunt eamdem extrauagantem Rodriq. tom. 3. q. regul. q. 51. art. 8. Mir. tom. 1. manual. q. 31. art. conclus. 1. Sanchez 6. in decalog. cap. 7. n. 2.

Cherub. *D. Thom.* *Nauarr.* *Rodriquez* *Miranda.* *Sanchez.*

Dico tertio, ad solum Papam pertinet concedere licentiam transeundi ad Religionem æquè strictam; quando nulla talis transitus adest legitima causa. Ita Anton. 3. par. tit. 16. cap. 4. ad finem principij, Rosella verbo Abbas, n. 3, Angelus verbo Religiosus, nu. 34. Sylu. verbo Religio 4. q. 2. Tab. q. 23. Azor. tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 14. q 9. Sanchez 6. In decalog. cap. 7. num. 64. Mir. tom. 1. manual. q. 31. art. 5. conclus. 2. fine. Quæ licentia Pontificis sine causa obtenta excusat etiam quò ad Deum, vt Angelus, Sylu. Miranda locis cit.

Antonin. *Rosella.* *Angelus.* *Sylu.* *Tab.* *Azor.* *Sanchez.* *Miranda.* *Angelus.* *Syluester.* *Miranda.*

Probatur, quia per supremam potestatem, quam habet summus Pontifex, videtur hoc illi esse concessum, etiam nulla existente legitima causa, cum præsertim Dei parùm referat, verùm hoc vel illo loco ei debita soluantur. Et hoc non vergat in præiudicium tertij.

Dico quarto, Legitima causa existente, potest per se solus Prælatus Religionis, quem diximus conclus. 2. habere facultatem transeundi ad æqualem Religionem, ita Panor. in cap. non est, de regul. num. 6. Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 52. art. 9. Sanchez 6. in decalog. cap. 7. nu. 65. Mir. & alij cit. con. 1. præced.

Panorm. *Rodriquez* *Sanchez.* *Miranda.*

Probatur ex Glossa in cap. Cum singula de præbendis, & dignitatibus, verbo Canonicè, quæ ad hoc affert caput statutum 19. q. 3.

Glossa.

Dico quinto, concedere facultatem transeūdi ad laxiorem Religionem sine causa, est solius Pontificis quò ad forū exterum tantum, ne molestia inferatur transeunti; nam quò ad forum internum, prædicta licentia non valebit, & erit ipso facto nulla; & peccabit tàm concedens, & ea vtens, quàm qui eam scienter procurauit, ita Abbas in cap. Non est, de regul. num 6. Angelus verbo Religiosus, num. 34. in principio, Sylu. verbo Religio 4. q. 2. Rosella verbo Abbas, nu. 3. Tab. verbo Religio, q. 23. Rodriq. tom. 3. q. regul. q. 52. art. 10. Nauarrus comm. 4. de regul. num. 10. versu secundò addo, Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 7. num. 67. & alij, quos ipse citat num. 51.

Abbas. *Angelus.* *Sylu.* *Rosella.* *Tab.* *Rodriquez* *Nauarr.* *Sanchez.*

Probatur, quia dispensatio circa legem dependentem à iure diuino, vt in casu nostro, non potest à Pontifice fieri sine iusta, & legitima causa, vt habet in specie Rodriq. loco cit. sed hic interuenit dispensatio, ergò.

Dico sexto, concedere facultatem transeundi ad laxiorem cum legitima causa, est probabile, posse etiam Prælatum Religionis, ita Abbas, Sylu. Angelus, Tab. locis cit. Nauar. lib. 3. consil. de regul. consil. 56. num. 1. Rodriq. cit. art. 9. vbi multas causas legitimas, & sufficientes, affert, Sanchez loco cit. num. 68. Mir. tom. 1. manual. q. 31. art. 5. conclus. 3. Et hoc, etiam si ad Pontificem sit facilis aditus, vt Angelus, Syl. Tab. Sanchez, debet semper tamen intercedere consensus conuentus, à quo transit vt Rosella verbo Abbas, num. 4. Sylu. Tab. Angelus locis cit. Sanchez num. 70. Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 41. dub. 13. num. 103. Qui etiam affert causas legitimas talis transitus, num. 102. quas & refert, Sanchez num. 71. & Diana tom. 3. tract. 2. resol. 43. vbi quatuor huiusmodi causas assignat,

Abbas. *Sylu.* *Angelus.* *Tab.* *Nauarr.* *Rodriq.* *Sanchez.* *Molina.* *Rosella.* *Sylu.* *Tab.* *Angelus.* *Sanchez.* *Lessius.* *Sanchez.* *Diana.*

Dixi, hoc esse probabile propter tot Doctorum sententiam. Cæterùm mihi probabilius videtur, hanc licentiam transeundi ad laxiorem Religionem, solùm summum Pontificem posse concedere. Quia continet quamdam dispensationem in solemni voto; & est opinio securior in cōsciētia; immò in practica ita seruatur. Hanc tenent multi Doctores, quos refert Sanchez loco cit. num. 52. præsertim Corduba in regula Diui Francisci, cap. 2. q. 17. p. 1. & est conformior Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. quatenùs dicit, quòd *nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* Licet id explicent de transitu sine causa, Nauar. lib. 3. consil. de regul. consil. 56. num. 3 & consil. 53. num. 1. Graff. 1. par. decis. lib. 2. cap. 5. nu. 99. Sayrus decis. 55. de regul. Lessius, & Sanchez locis cit.

Sanchez. *Corduba.* *Trid.* *Nauarr.* *Graffius.* *Sayrus.* *Lessius.* *Sanchez.*

Cæterùm cum omnes ferè Religiones habeāt sua particularia priuilegia prohibentia huiusmodi transitum, etiam ad arctiorem, vt est videre

Armilla. dere apud Casarub. in compend. priuil. verbo Apostatæ, & verbo Religio; & apud Armillam verbo Religio, num. 14. Ad euitandas censuras in eiusmodi priuilegijs positas, tàm cōtrà receptos, quàm contra recipientes, consultū est; vt volentes Zelo perfectioris vitæ transire, obtineant licentiam à Pontifice; vel à Sacra Congregatione Regularium. Vt deciditur in cap. licet statim in princip. de regul. & dicit Sāchez lib. 6. in decalog. cap. 7. n. 10. Quod nunc videtur omnino necessarium post Bullam Syxti V. quæ incipit, Immensa æterni Dei, emanata anno 1588. die 23. Martij, quam refert Quaranta *Quaranta* in sum. Bull. verbo Congregationes Illustrissimorum Cardinalium, in qua instituens diuersas Congregationes; in institutione Congregationis pro consultationibus regul. versu; Nec Sanè minùs, tribuens dictæ Congregationi varias potestates, & facultates circà illos, inter cætera ait. *Concedimus etiam, vt dictis regularibus non ad laxiorem, nec ad parem, sed ad arctiorem Religionem transeūdi, ijs, quos feruore Spiritus incensus, ad perfectioris vitæ statum transire velle constiterit, non obstantibus quibuscumq; prædecessorum nostrorum decretis licentiam dare possint.* Vnde videtur sequi, quod facultatem abstulerit Prælatis Regularium hanc licentiam concedendi; Ad quid enim eam concedere Cardinalibus, si possunt Prælati Regulares? Nisi dicamus, eamdem facultatem Prælatis Regularium iure communi concessam, voluisse dictæ Congregationi participare, vt regularibus licitum esset, tùm à proprijs Prælatis, tùm, à dicta Congregatione licentiam petere.

Dico septimò, illa Religio simpliciter strictior dicitur, quæ seruat duriora, & arctiora statuta. Ita Ioannes Andreas cap. Sanè num. 8. ad finem de regul. vbi Abbas num. 5. Rosella verbo Religio 4. num. 8. fine, Angelus verbo Religiosus, num. 34. Passarellus in priuilegijs Minim. notab. 39. Lessius lib. 2. de Iustitia, cap. 41 dub. 13. num. 100. versu dico arctiorē, Azor to. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 14. quæst. 2. Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 52. art. 4. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 7. num. 21. Reginaldus in praxi lib. 18. num. 414.

Io: And. Abbas. Rosella. Angelus. Passarel. Lessius. Azor. Rodriq. Sanchez. Reginald.

Probatur primò, ex cap. Licet de regul. & cap. Virgines 20. quæst. 4. in quibus capit. expressè habetur, quòd hic transitus tantummodò sit licitus intuitu Strictioris, & durioris Religionis.

Secundò Probatur, quia extrauagans viā ambitiosæ de regul. concedit omnibus mendicantibus, Vt possint transire ad Carthusiam: & in omnibus Religionum priuilegijs denegantibus transitum ab illis ad aliam Religionem, semper excipitur Carthusia; Cum tamen hæc nō sit perfectior cæteris, quò ad finem, vtpotè, quæ nullatenùs est instituta ad vacandum saluti Spirituali proximorum, sed soli orationi, & silentio, cum arctissima clausura; ergò iura solùm respiciunt maiorem asperitatem.

Nota tamen, quòd ad iudicandum, quæ Religio sit arctior, & asperior, non est spectanda regula in sua primæua institutione, sed in præsenti obseruantia; Nam potest accidere, quòd regula in sua primæua cōstitut. sit lata, & deindè per adiunctas cōstitutiones reddita sit arctior, & durior & è contrà, vt benè aduertunt Abbas, Rosella locis cit. & Sanchez etiam cit. n. 23. 24.

Abbas. Rosella. Sanchez.

Ex quibus colligitur, quòd de iure communi licitum erit ex omni alia Religione ad Religionem Minimorum transire, cum hæc propter perpetuam quadragesimalem vitam sit arctissima omnium Religionum, vt declarauerunt summi Pontifices Iul. II. & Leo X. in priuilegijs, quæ afferam §. seq.

Fallit tamen hæc Regula in Minoribus de obseruantia, per priuilegium Iulij II. datum die 9. Iulij; Anno 1510. quod incipit, exponi vobis, & habetur in priuilegijs Minimorum, pag. 103. Refert etiam Casarubius in priuilegijs *Casarub.* Mendicantium, verbo Recipere, num. 10. vbi prohibentur fratres Minimi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aliquem fratrem Minorem de obseruantia recipere, vel retinere.

Fallit etiam hæc Regula in Capuccinis, per priuilegium Pij V. datum die 6. Octobris, Anno 1567. quod incipit Sedis Apostolicæ Solertia, & habetur in priuilegijs Minimorum, pag. 231. & refert Capuccinus ad finem priuilegiorum Mendicantium, pag. 546. vbi prohibetur transitus Capuccinorū ad Minimos, & è contra.

§. *Primus Vtrùm Religio Minimorum sit arctior Religione Carthusianorum.*

DICENDVM est simpliciter, & absolutè, Religionem Minimorum esse strictiorem Religione Carthusianorum, & per consequens strictissimam omnium, quę hucùsque fiut in Ecclesia Dei. Ita Passarellus in *Passarell.* priuil. Minim. notab 39. Ricciullus de iure personarū, lib. 8. cap. 7. vbi id ex *Ricciulus.* professo probat; addēs n. 5. in fine, hac cōclusionem propter declarationes summorum Pontificum, quas afferam, non esse vlteriùs sub disput. reuoluenda Barbosa in cap. licet de Regul. n. 21. *Barbosa.*

Probatur primò ex Bulla Iulij II. emanata die 27. Martij 1508. quæ incipit Sacer ordo, & habetur in compendio nostrorum priuilegiorum, pag. 86. In qua hec inter alia habentur. *Et cum vita Ordinis Minimorum huiusmodi sit cæteris aliorum Religiosorum arctior, & strictior sub excommunicationis latæ sententiæ pœna mandamus, quam tàm recipientes, quam recepti, & concedentes ipso facto incurrere debeant, quòd fratres ipsi ad nullum alium, quantùmlibet etiam priuilegiatum ordinem, prætextu quorumcumq; priuilegiorum cuicumq; alteri ordini, etiam sub quacumque verborum forma quomodolibet concessorum, absquè nostra, & Generalis Correctoris licentia speciali transire possint.*

Secundò, probatur ex alia Bulla Leonis X. quæ incipit, quamuis alias. Emanata Anno 1516. die 18. Augusti, & habetur in dicto compendio pag. 118. In qua, Commemorans Papa dictam Bullam Iulij II. ait, *Quamuis aliàs Iulius II. prædecessor noster, prouidè considerans, quòd vita, & obseruantia Ordinis Minimorum, cum sit continua vita quadragesimalis, tàm in Conuentibus, & domibus huiusmodi, quàm extrà, Cæterorum quatuor mendicantium Ordinum, & aliorum Religiosorum sit arctior, & strictior.* Per quæ verba (*Et aliorum Religiosorum sit arctior, & strictior*) sine dubio voluit etiam Summus Pontifex excludere Carthusiam, quæ non est ex Religionibus mēdicantibus, quam etiam exclusit Iulius Secundus

per illa verba (*Ad nullum alium quantumlibet etiam privilegiatum Ordinem*) sicut erat ordo Carthusiensium per extrauagantem viam Ambitiosæ, de regularibus. Quorum verborum vniuersalium, & indefinitorum hęc est vis, vt includāt etiam illas Religiones, de quibus erat facienda expressa mentio, vt per multos textus probat Ricciullus loco cit. num. 9. *Ricciullus.*

Tertio Probatur ex communi omniū sensu, statim enim ac quis audit, fratres Minimos obseruare quadragesimalem vitam, caperat, frontem, stringit dentes, eleuat humeros, & compatiendo dicit, hæc quidem Religio est omnium strictissima; & quidem meritò: nam vt ait D. Paulus ad Ephesios 5. *Nemo vmquam carnem suā odio habuit, sed nutrit, & fouet eam*, natura sic dictante, & inclinante, sed appetitiua naturales domare est maximè arduum, & durum; ergo Religio nostra, quæ appetitum hunc naturalem fouendi, & nutriendi propriam carnem coercet, & domat, erit omnium strictissima. Cum nulla alia Religio reperiatur, quæ hoc specialiter, & principaliter intendat. *D. Paulus.*

Quarto, quia ad vitam quadragesimalem se obligant Minimi per votū solenne, quod nulla alia Religio facit, neque Carthusiana; quod vinculum nulla potest, quantumuis arcta constitutione compensari.

Obijcies primò, extrauagantem viam Ambitiosæ inter communes primam de regularibus, in qua Pōtifex, prohibito transitu omnibus mēdicantibus ad monachales Religiones, illum eis liberum concedit ad Carthusianos, vtpotè strictiores omnibus.

Respondeo primò, siuè illa extrauagans (*Viā*) sit Martini quinti, vt multi eam citant, siuè Martini IV. vt alij, & in titulo ipsius extrauagantis dicitur Martinus Quartus, emanata est antequàm Religio Fratrum Minimorū instituta esset; nam Martinus V. rexit sedem ab Anno 1417. vt Platina in eius vita, & Bellarminus in sua Cronologia illo anno, & vixit in Pontificatu annos 13 & menses decem. Martinus verò Quartus rexit sedem ab anno 1281. vt idē Bellarminus, & Tursellinus in sua epitoma illo anno; B. verò Pater Franciscus natus est anno 1417. & ordinē Minimorum instituit anno 1435. Vndè non est mirū, si Pontifex Martinus cōcesserit transitū ad Carthusianos, qui tunc temporis erant strictiores omnibus. *Platina. Bellarm. Bellarm. Tursellin.*

Secundo Respondeo, illā extrauagantē, quò ad nos Minimos latis fuisse antiquatam per Bullas Iulij, & Leonis in quantùm ad transitum.

Sed contra primam responsionē obstabis, nā lex, quæ perpetua est, nō solùm obligat eos, qui nati erāt, eo tēpore, quo ipsa lata est, sed etiam eos, qui nascentur toto tempore, quo ipsa durabit; Hæc autem lex est perpetua, ergò.

Respondeo, quandò lex etiā perpetua est facta propter aliquē finē, ipso cessante, debet etiā ipsa cessare, vt dicitur l. Quod dictū ff. de pactis, & habetur cap. cū cessante, de Appell. sed hoc priuilegium fuit concessū Carthusianis intuitu solùm vitæ strictioris, vt habet Sanchez lib. 6. in decal. cap. 7. nn. 21. Quia nimirùm tunc tēporis nulla Religio strictior Carthusia reperiebatur; ergò cum alia strictior ipsa superuenerit, debet omninò illud priuilegium cessare. Sicut si nunc oriretur in Ecclesia Religio strictior nostra, iā nostra non posset dici strictissima omnium, non obstantibus declarationibus Iulij II. & Leonis X. *Sanchez.*

Obijcies secundo, Nauarrus tom. 1. commē. lib. 3 de regul. consil. 51. probat, Religionē Carthusianorū esse strictiorē Religione Minimorum; *Quia, inquit, Carthusiani non comedunt carnes, neque ægritudinis tempore; quod tamen faciunt Minimi.* *Nauar.*

Respondeo primo, Carthusiani omni tempore vescuntur oua, & lacticinijs; Minimis autem de his nullo tempore licitū est gustare. Quod si diligenter trutinetur, apparebit; quòd numquàm comedere Carnes, nec lacticinia, nisi tēpore infirmitatis erit sine comparatione multo grauius quàm Comedere omni tēpore oua, & lacticinia, & numquàm Comedere carnes; tùm quia si corpus numquàm infirmetur, numquàm comedentur carnes; tùm quia cibi quadragesimales extenuant vires, debilitant corpus, sanitatem frangunt, si non, dicant, qui experiuntur; At verò abstinentia perpetua a carnibus de se graues infirmitates non inducit, vt dicit Io: Medina cod. de ieiunio, q. 13. §. Est tamen dubium ad 4. Quia caro non est simpliciter necessaria ad tuenda, & conseruādam vitam; vt optime probauit Arnoldus à Villanoua Doctissimus medicus ad instātiam Carthusianorum; sicut refert Io: Antonius Guercius Monachus Carthusianus lib. 1. de clect. vitæ perfectæ, colloq. 11. pag. mihi 116. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 6. §. 5. Quòd priùs Arnoldo probauerat Plutarchus opusc. de sanitate tuēdā. *Io: Med. Arnold. Io: Ant. Guercius. Antonin. Plutarch.*

Itaque nos Minimi comedimus carnes, quādò eas comedere non possumus, gustu deprauato: & eas comedimus, quandò est necesse pro tuēda vita, & restauranda sanitate, quam sanitatis restaurationem, & vitæ tuitionem iure naturali diuino tenemur procurare: ergò erat necessarium pro tempore Infirmitatis, strictissimum vitæ quadragesimalis votum relaxari, alioquin Indiscretum, & contra naturam fuisset. Carthusiani autem prætérquamquod numquàm comedere carnes, non habent sub voto; & aliqui etiam dicunt, quod comedendo mortaliter non peccant; Quod tamen non credo, saltem ratione consuetudinis introductæ, nullam talem necessitatem patiuntur: tùm quia oua, & lacticinia non ita debilitant vires, nec frangunt sanitatem: tùm quia si in aliquam Infirmitatem Inciderint, possunt optimè ab ea reparari ouis, & lacticinijs, suppositis alijs medicaminibus, juxtà artem medicam, vt dixi. Quòd si non possent vitam his medijs conseruare, tenerentur etiam ipsi carnes comedere, vt benè docet Medina loco cit. saltem secluso scandalo. *Io. Medina*

Secundo; Ad argumentum respondeo, quòd nos Minimi comedamus carnes tempore Infirmitatis, non facit quòd Religio nostra non sit strictior Carthusianorum. Nam laxitas, vel austeritas Religionis non est mensuranda ex eo, quod obseruatur in casu aliquo particulari, sed ex eo quod obseruatur in vniuersali; vt colligitur ex optima Doctrina D. Thomæ quodlib. 3. art. 11. & 14. Generaliter autem in tota nostra Religione fit solemne votum vitæ quadragesimalis; & cum toto rigore obseruatur, ita vt repetiantur aliqui sexagenarij in Religione, qui numquam illud fregerunt. Quòd autē tali casu, nimirū Infirmitatis non obseruetur, nō minuit de austeritate voti, nisi id, quod est necessariū ad hoc vt indiscretū, & cōtra naturā non sit; *D. Thom.*

Con-

Concessit itaque Sanctus Pater hanc indulgẽtiam infirmis, quia cum Religionem suam fundasset in charitate, eamque illi in insignia dedisset, sciebat, quòd tempore infirmitatis, iura tùm diuina, tùm naturalia, tùm humana ægrotis laxant habenas, quò ad corporis sanitatem restaurandam; ideoque illi visum est hoc sibi suæ Religiosis esse omninò necessariũ. Ac si dixisset Filij agite pœnitentiam, quando per vires potestis; quando autem infirmi estis, vires recuperate, vt eas iterum ad gloriam Dei, & animarũ vestrarũ salutẽ implicetis. Legerat enim illud Cassiani collat. 2. cap. 2. vbi ait, *Innumeros sæpè accerrimè ieiunijs, & vigilijs incumbantes, arreptum opus non potuisse congruo exitu terminare, summùmque feruorem, & conuersationem laudabilem detestabili fine conclusisse.*

Cassianus.

Ex his igitur patet, quòd Religio Carthusianorũ ex hoc nõ est strictior Religione Minimorũ, sed laxior. Quod etiã video sentire Lessium lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 13. num. 100. versu, dico arctiorem, & Reginaldũ in praxi, lib. 18. n. 414.

Lessius. Reginald. Nauar.

Obijcit tertio, Nauar. eodẽ loco, sibi incertum esse, an Minimi obseruent vitam quadragesimalem sub voto, & dato quòd obseruent, parùm referre, an talis abstinentia obseruetur sub voto speciali, & expresso, an generali, & tacito, quo vouetur Regula id continens.

Respondeo ad illud de incertitudine, esse mirabile Doctissimum Nauarrum, qui interrogatus manè, respondebat vesperi, & qui tantã familiaritatem habebat cum fratribus Minimis, vt ex consilijs pro ipsis datis apparet, tàm diu dubium fuisse in hac incertitudine, ex qua præiudicium vni Religioni resultabat, ableganda. Vndè meritò Anno 1618. ad instantiam Admodum Reuerendi Patris Io: Pinæ de Celsijs nostri Ordinis Zelosi, Sanctissimus in Christo Pater Papa Paulus V. ordinauit, hoc loco Nauarrum esse corrigendum. Ad illud, quòd dicit, *parùm referre, &c.* Respondeo, multùm referre ad religionis arctitudinem, an aliquid obseruetur sub voto solemni, an verò sub simplici constitutione. Nam vota obligant strictiori vinculo, quàm constitutiones, & obligant etiã electos, quos tamẽ nõ obligãt cõstitutiones, vt Sot. lib. 10. de iustitia, q. vltima, art. vlt. & Nauar. ipse tom. 3. de regul. n. 46. & communiter alij.

Nauar.

Obijcit quarto, Nauar. eodem loco, Carthusianos obseruare maxima Silẽtia, & strictissimã Clausuram, officiaque longiora Canere.

Respondeo primò, Abstinentiã à carnibus esse præcipuã constitutionẽ, propter quã obtinuerũt à Põtificibus priuilegiũ illud, recipiẽdi omnes ex quocumque ordine ad ipsos Conuolãtes, vt habet Vasquez t. 2. disp. 162. cap. 4. num. 23. Vnde, destructo principaliori fundamento, facilè ruit id, quòd est minus.

Vasquez.

Respondeo tamen secundo ipsos, vt audio, non obseruare amplius illa Silentia perpetua, quæ in sua primæua institutione dicuntur obseruasse; nam comedunt, & colloquuntur simul singulis diebus Iouis, & festiuis, tàm celebratis ab vniuersali Ecclesia, quàm ab ipsis in particulari; hoc tamen cum prudenti dispensatione Pontificum: quibus diebus etiam ad honestas, & Religiosas pergunt recreationes. Quò ad officia verò, in Choro, vt audio, non recitant, nisi matutinas, & vespertinas horas, quæ omnia sunt rigida quidem, & austera; sed si nostris hæc sunt aliquantò arctiora statuta, ea compensamus cũ molesta, & fastidiosa mendicitate, & paupertate, quæ est tàm extrema, vt credi vix possit; labore prædicationum, & confessionum; Addo, quòd nos etiam silentia seruamus à completorio, vsque ad primam. Quinquies intra diem, & noctem chorum contendimus, bis in hebdomada, vltra ieiunia vniuersalis Ecclesiæ, ieiunamus; & vlterius à 2. die Nouembris, vsque ad diem Natali Domini. Sed quando hæc non sufficerent, ad illam clausuram, & silentia compensanda; nihil est quod possit adæquare vitam quadragesimalem, eamque Pauperrimam, & miserrimam.

Obijcit quinto Nauarrus, Iulium Pontificẽ, quando dicit, nostram Religionem esse cæteris arctiorem, loqui de mendicantibus; & addit, statuta Minimorum, quæ non tangunt tria vota essentialia, ad nullam culpam obligare.

Nauar.

Respondeo, ad hæc iam patere ex dictis prima, & secunda probatione nostræ conclusionis, quæ si vidisset Nauarrus, aliter locutus fuisset; quod etiam fecisset Azor, qui cum Nauarro, licet satis irresolutè sentit, tomo primo Instit. moral. lib. 12. cap. 14. q. 14. & Miranda tom. 1. manualis, q. 31. art. 10. Adeat curiosus Lector nostrum Correctorium, num. 18. & num. 86. & videbit, an votum solemne vitæ quadragesimalis obliget ad culpam, nec ne.

Azor. Miranda.

Obijcies sexto Capuccini, & Minores de obseruantia sunt strictiores Minimis, quia viuunt in extrema paupertate, tàm in communi, quàm in particulari: induunt vestes illas rudas, & asperas, absque subuculis, & sine calceis, & caligis omni tempore per glacies, per niues, per frigus incedunt, quod horrorem, & compassionem maxima generat.

Respondeo, hæc esse quidem ardua statuta, at per hoc non faciunt Religionem Capuccinorũ, & Minorum strictiorem nostra Minimorũ. Ad illud enim de paupertate dico, quòd viuere in paupertate particulari, & in communi, ita vt nihil facit ad austeritatem Religionis; nam censentur ab omnibus Carthusiani esse strictissimi, & tamen magnis abundant diuitijs, necessarijs tamen, ita vt nihil penitùs quæstuent. Et D. Tho. 2. 2. q. 188. art. 7. ait, quòd paupertas in cõmuni non minuit, de perfectione Religionis, nec ex eo, quòd est maior in vna, quàm in alia, facit Religionem simpliciter perfectiorem. Addo, nos, qui proprium in cõmuni possumus habere, habemus hoc propriũ, ita tenue, *vt cogamur admodùm perfricta fronte esse ob ventris esurientis necessitatem*, vt loquitur Chrysost. homil. 68. ad populum Antiochenum. Vnde puto, quòd diuitiæ in communi sufficiẽtes pro numero Religiosorũ, maximè conducant ad obseruantiam regularem; tolluntur enim hoc pacto vagationes fratrũ, commercia cum sæcularibus, perualdè Religiosis noxia; & multi alij abusus, qui quotidie visuntur in Religionibus, quæ precario viuunt. Quare meo videri vnicum remedium reformandi Religiones illud esset, dare illis facultates sufficientes pro sustentatione fratrum, qui in singulis Conuentibus degunt: vel illis prohibere, quòd non possent recipere ad habitum, nisi eos fratres, quos commodè possent sustentare; quo pacto desinerent, fieri in

D. Thom.

Religionibus tàm rabiosæ quæstuationes pro illarum sustentatione. *Rodriq.* Vide Rodriquez tom. 3. quæst. Regul. q. 29. art. 14. col. 5. & 6. Nec per hoc absolutè damno quæstuationes, nam ipsis datur crebriùs deuotis amicis, & fidelibus occasio, eleemosynas faciendi, & consequenter merendi; & quæstuarij fratres etiam ipsi multùm merentur, & obedientiam faciendo, & quod maximum duco, eleemosynas petendo; *Nam nõ leui mercede emit, qui precatur*, *Apuleius.* vt ait Apuleius; & Seneca lib. 2. de benefic. cap. 1. *Nulla res carius emitur, quàm quæ precibus empta est.*

Ad illud de rudo vestitu, & pedũ nuditate, *D. Thom.* respondet D. Tho. 2. 2. q. 188. art. 6. ad tertiũ, quòd *ad continentiam*, propter quam hæc fiunt, *efficacius ordinatur maceratio carnis per abstinentiã cibi, & potus, quæ pertinent ad famem, & sitim, quàm per subtractionem vestium, quæ pertinent ad frigus, & nuditatem*, & *Caiet.* Caiet. ibi ait, *Attende quod non exẽpli tantùm, sed veritatis doctrinam continet; nã pauperes nudos vacare generationi videmus, & similiter laborantes continuè laboribus maximis, vacare etiam generationi perspicimus; famelicos autem, & sitibundos nequaquam, iuxta illud sine Cerere, & Baccho friget Venus. Conuenientius ergò medium ad Continentiam seruandam est abstinere à cibo, & potu, quàm carere caligis, aut calcen.* Ad quod facit etiam illud *Georgij.* Gregorij lib. 5. in primum regũ, cap. 14. *Abstinentia ciborum contra hoc vitium fortissima est; si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cum cibos subtrahis.*

Tandem noto pro ijs, quæ possent, hic replicari, quòd tres sunt Inimici nostri, Dæmon, Mũdus, Caro, Ad quos debellandos ingrediuntur Religiosi Religionis vallũ, Dæmonem vincere *D. Petrus. Epist. 1. cap. 4.* nos docet Apostolus Petrus sua 1. Epistola, cap. 4. *Christo igitur in carne passo, vos eadem cogitatione armamini.* Mũdus fugiẽdo vincitur, vt te *Bernar.* Bernardus serm 40 in Cantica. *Sede, ait, solitarius vt turtur, nihil tibi, & turbis, nihil cum multitudine cæterorum. etiam ipsum obliuiscere populũ, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* At caro, molestissimus hostis semper nobiscũ, & venit, & dormit, difficillimè superatur. Est velut eff ænis æquus, qui vix domatur inedia, & proprijssimi cibi ad illum domandum sunt quadragesimales, vt vniuersalis censet sensus Eccle- *Psal. 108.* siæ. Et addo illud Psalmi 108. *Caro mea immutata* *Galenus.* *est propter oleum*, Idest ex calidissima, eaque libidinosissima complexione factus sũ cõplexionis frigidissimæ, & continentissimæ, comedẽs Quadragesimales cibos, qui oleo solo condiuntur, vel comedens multũ olei; Scio Glossam, & alios hunc locum aliter applicare; nimirũ *propter oleũ idest propter defectum olei*; at volui sequi vulgatã; & hoc pacto explicare, suffultus auctoritate Doctissimi Galeni, qui lib 5. de simplicium medicament. facult. cap 22. ait, *Vnde meritò* (loquitus de oleo) *velut materia quadam cæterorum fuit medicaminum, nam si frigida illi commisceas, frigidum efficietur illud, quod mixtum erit, si calida, calidum*; At omnia quadragesimalia; quibus nos præsertim iuxta nostram paupertatem vtimur, humidissima, & frigidissima sunt, pisciculi, caules, herbæ, &c. Quæ condita oleo, non est mirum, si robustissimam complexionem commutent in maximè infirmam, & per consequens continentem.

Ex quibus omnibus constat, non solùm posse ex omnibus Religionibus (seclusis priuilegijs Minorum, & Capuccinorum, de quibus diximus) sed etiam ex Carthusiensibus, quoscumque zelo maioris perfectionis, ad nostram Religionem transire. Nos autem Minimos ad nullam, neque etiam ad Carthusiensem posse Religionem transire. Quod etiam collegit Ricciullus *Ricill.* loco cit. num. 11.

§. Secundus. *An Laudabile sit de vna Religione transire ad Aliam.*

DICENDVM est, transire de vna Religione ad aliam, nisi propter euidentem vtilitatem, vel necessitatem, non esse laudabile, ita D. Tho. 2. 2. q. 189. art. 8 *D. Tho.* Primo, quia dicit Apostolus 1. *Paulus. Corint.* Corinth. 7. *Vt vnusquisque permaneat in vocatione, qua vocatus est.*

Secundo, quia ex hoc transitu, vt plurimùm scandalizantur illi, qui relinquuntur.

Tertio, quia faciliùs quis proficit in Religione, quàm consueuit, quam in illa, quam non consueuit, ait enim Cassianus coll. 14. cap. 5. *Cassian.* *Vnicuique vtile est secundùm propositum, quod elegit, vt summo studio, ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua, quam elegit, professione discedat.*

Quarto, quia ait Bernad. de præcepto, & dispens. propè finem. *Bernard.* *Fortè vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cistercienfium se stringere paupertatem, eligens præ illis, nimirum consuetudinibus, magis regulæ puritatem. Si me consulit, non consulo, si non sanè id Abbatis sui ex parte assensu. Primo propter scandalum ipsorum, quos deserit. Deinde, quia certa pro dubijs relinquere, tutum non est. Tertio suspectam habeo leuitatem, qua id sæpè, quod facilè volumus, antequam probemus, saperis iam nolumus, vno prope momento & ipsum, & cupientes, & respuentes, tam leuiter, quàm, & irrationabiliter. Quales vtique non paucos frequenter experimur, qui vna vix hora in vna voluntate durantes, aura leuitatis impulsi, vagi. & instabiles hac & illac velut ebrij nutant, nutantque pro experimento iudicium; imo sine iudicio festinantes, & tumultuantes, tot de se consilia præsumunt, quot leua reuisunt, semper quod non habent cupientes, & quod habent fastidientes.*

Et verè maximum est leuitatis, & instabilitatis, ne dicam ingratitudinis indicium, propriam matrem, cuius vbera sucta sunt, deserere, cũ præsertim nulla sit tàm relaxata Religio, quæ viros, & multos exẽplari vita, Religiosis moribus, & sanctitate refertos non nutriat, vt experientia constat; non nego tamen, quòd vna plures quàm alia non alat, sed hoc nihil facit; nõ decet Religiosum exempla perfectionis nõ à multis, sed ab vno, vel paucis expetere, vt optimè Cassianus *Cassianus.* lib. 4 de Institutis, cap 40 *Ad quod, ait, vt valeas faciliùs peruenire, exẽpla tibi sũt imitationis, ac vitæ perfectæ, in cõgregatione cõmorãti, à paucis, immo ab vno, vel duobus. nõ à pluribus expetẽda Nã præter id quod examinata vita, Et ad purũ excocta reperitur in paucis, etiã istud ex hoc vtilitatis accedit, quod ad perfectionem propositi huius, idest cœnobialis vitæ, diligentius quis vnius imbuitur, ac formatur exẽplo.*

Cum ergò nullus sit Conuentus, qui vnum sal-

tem

tem Religiosum non nutriat vitæ exemplaris, plus proficiet, si voluerit, quis huius exemplo in sua Religione, quam si transierit ad aliam, in qua multi tales reperiantur.

Quæres primo an oblati, & conuersi possint zelo perfectioris Religionis, etiam ipsi ad strictiorem transire, non posse, tenent Glossa in c. vt lex cõtinentiæ verbo professi in fine 27. q. 1. Abbas in cap. nõ est n. 2. de regul. Angel. Armil. Tab. verbo Monachus, num. 1. Sed posse, tenent Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 52. art. 7. Sanchez 6. in decalog cap. 7 num 9. qui alios citat; quam sententiam puto veram, præsertim in nostra Religione, in qua conuersi, & oblati sunt verè Religiosi, & vouent quatuor vota, sicut nos; vndè hoc priuilegio arctioris vitæ non deberent priuari, si austeritas Religionis, vt diximus, nõ obstaret. Prima opinio intelligitur de oblatis, qui se, suaque obtulerunt Religioni, & habitu sęculari retento, vel parùm immutato, facti sunt quasi serui illius Monasterij, cui se dedicauerũt.

Glossa. Abbas. Angelus. Armilla. Tab. Rodriquez. Sanchez.

Quæres secundo, ad quosnam pertineat recipere transeuntes.

Respondeo, de iure communi pertinere ad eos superiores, ad quos pertinet recipere ad habitum alios nouitios, in nostra autem Religione pertinet ad solum Generalem, vt habetur in Capitulo Paulæ, num 33. & in Capitulo Genuę 6. num. 25 & receptio talium interdicitur Prouincialibus sub pœna priuationis officiorum.

§. *Tertius, Vtrum Religiosus Choro destinatus possit ad ordinem Conuersorum transferri.*

DICENDVM est, posse Clericum choro deputatum, proindè vt ad Sacerdotium promoueatur, iussu & auctoritate superioris transire ad ordinem Conuersorum, ita vt in posterum sit futurus Religiosus Laicus, seù Conuersus, non solùm voluntariè; sed etiam contra voluntatem suam, in pœnam scilicet alicuius delicti, qui sic translatus in posterum non erit obligatus ad recitationem officij diuini, ita Sotus lib. 10. de Inst. q. 9. art. 3. col. penul. versu ad Aliud verò, Aragon. 2 2. q. 83. art. 12. dub. 4. in argum. 4. & ibi ver. Aduertendo 2. in fine, Azor tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 6. q. 7. Ledesma 2. p. sum. tract. 9. cap. 4. conclus 13. dub. 1. pag. mihi 740. Suarez tom. 2 de relig. lib 4. cap. 17. nu. 7. Ex professo Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 7. num. 80.

Sotus. Aragon. Azor. Ledesma. Sanchez.

Probatur primò, quia non variatur substantialis Religionis status, sed illęsus manet; nec hic transit ad aliam Religionē, sed cũ eiusdem met Religionis votis in ea in laicali ordine manet.

Secundò, quia sicut potest Prælatus suis subditis alias grauiores pœnas infligere, vt electionis à Religione, perpetui carceris, triremiũ, &c. iuxtà caput in singulis, & cap. Ea quæ de statu Monachorum, & probabo latiùs in seq. ita in pęnam alicuius delicti potest destinatum choro ab illo amouere, & ad statum Laicalem transferre. Tertiò, quod hic sic trãslatus sit exemptus à recitatione officij diuini, patet; quia ablato fundamento, quo ad illud tenebatur, nimirùm destinatione ad chorum, aufertur etiam obligatio.

Objicies primò status laicorũ est laxior aliorum choro destinatorum ergò ex hoc sequitur, quòd possit Prælatus dare licentiam transeundi ad statum laxiorem.

Respondeo, negando esse laxiorem; tenentur enim Laici ad vota, & ad alias constitutiones pœnales, sicut alij; & præterea duriorem, & asperiorem degunt vitam, omnes ferè labores Conuentus supportantes.

Ob: secundò Prælatus Religionis non potest eximere suum Religiosum professum ab onere diuini officij persoluendi, annexo professioni choro destinatorum.

Respondeo, non posse quidem Prælatum directè, & per se eximere subditum ab ea obligatione, at posse per accidens, remouendo eum ab illo statu deputatorum choro.

Ob: tertiò. Ergò hic ex suo delicto reportabit commodum.

Respondeo, hoc non est absurdum, quòd per accidens qui ex delicto reportet commodum, sicut si beneficiatus priuetur beneficio, priuatur etiam oneribus beneficio annexis; & quando quis eijcitur à Religione, eximitur ab illa stricta obedientia, & alijs obseruãtijs; ad quas tenebatur. Deinde dico, quòd hic nullum commodum reportat; nam licet non teneatur amplius recitare officium diuinum, vt qui choro sunt destinati; tenetur tamen recitare illud, quod est pręscriptum laicis.

At inquis, ad hoc non tenetur sub mortali, sicut tenebatur ad illud, vt dicunt Soto lib. 10. de Iust. q. 5. art. 3. col. vltima, paulò ante ad primũ, Ledesma 2. par. sum. tract. 9. cap. 4. conclus 8. pag. mihi 731. Sylu. verbo Hora, q. 2. nu. 3. d. 7. Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 17. nu. 2. fine.

Soto. Ledesma. Sylu. Suarez.

Respondeo, Verum quidem est, quod dicunt isti Doctores, non teneri scilicet Laicos ad persoluendum officium sibi præscriptum sub mortali, sed tantummodò eo vinculo, quo tenentur obseruare alias constitutiones; vndè in nostra Religione Minimorum, in qua statuta ad nullã culpam obligant per istorum sententiam nullo peccato ad illud tenerentur, at Antonin. 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 1. in fine videtur dicere (saltem sic eum intelligit Sotus loco cit.) quòd tenentur sub mortali, & citat Augustinum de Ancona, & Petrum de Palude, & affert rationē, quia eo ipso, quòd sunt applicati totaliter ad cultũ Dei, habent beneficiũ interpretatiuè, scilicet viuēdi ex eleemosynis: vel de redditibus Monasterij: vel de quęstibus, qui eis conceduntur ab Ecclesia, ratione applicationis ad cultũ diuinũ. Ex qua sententia sequitur, quòd in nullo relaxentur huiusmodi translati, quòd si sequemur opinionem Soti, dicendum erit, hoc esse per accidens, & non esse absurdum.

Antonin. Sotus. August. de Ancona. Petrum de [Palude].

Dices ergo, Religiosus electus à Religione, & in maioribus nõ ordinatus, nõ tenebitur ad officiũ diuinum, cùm iã sit liberatus ab vsu chori.

Respõdeo cum Suarez loco cit. n 8. disparitatē esse inter hũc, & illũ; quia licet hic sit separatus ab actuali vsu chori; sẽper tamen manet in statu Religiosi professi ad chorũ, & ideo tenetur officiũ recitare; ille autē nõ est ampliùs in illo statu & ideò est liber ab annexis illi statui; quia obligatio dicẽdi officiũ nõ cõsistit in vsu, sed in statu. Quo fundamẽto dicemus infra electos: & ad triremes damnatos teneri ad officium diuinum; quod ait etiam Suarez loco cit. num. 9.

Suarez. Suarez.

Sed quæret hic meritò aliquis, Cuiusnam superioris auctoritate poterit destinatus ad Chorum, transferri ad statum laicorum.

Sanchez. Sanchez loco cit. nu. 81. existimat pertinere ad Generalem, vel Prouincialem cum consensu Conuentus. Quia res grauis est iuxta ea, quæ dixeram de ijs, ad quos pertinebat concedere licentiam transeundi ad æque arctum, vel laxiorem Ordinem, sed nô puto esse necessariũ consensum Conuentus: præsertim in nostra Religione, in qua Prælati cum suis collegis habent auctoritatem definiendi omnes causas graues.

Si quæras vlteriùs, propter quas causas destinatus ad chorum potest transferri ad ordinem Laicorum.

Sanchez. Respondet Sanchez loco cit. num. 81. & assignat tres nimirùm, vel punitionem delicti: vel ingentem vitæ humilioris in illo Religioso ardorem: vel ineptitudinem ad litteras addiscendas, & Sacerdotum ministeria.

Soto. Ad vltimum nota duo, primum, hæc intelligi de Clerico ad Chorum destinato, qui nondùm Sacris est initiatus, vt aduertit Soto loco cit. nam si est in Sacris, non potest ad gradum inferiorem deijci. Secundum, quòd hæc procedunt in ijs Religionibus, in quibus regula, & regularia statuta contrariũ non præscribunt, vt Regula nostra, num 3 Quia non obstante, vtrùm aliquo casu hęc procedant, dicam, Deo dãte, in explicatione Regulę, illo loco n. 3.

C A P. XXV.

Vtrum Subditus propter aliqua delicta possit per Prælatum à Religione expelli.

D. Thom. Bonauent. Panorm. Angelus. Syln. Antonin. Nauar. Armilla. Sotus. Zerola. Passarel. Sà. Vega. Sayrus. Angles. Molina. Rodriquez. Azor. Lessius. Miranda. Castrub. à Sorbo. Aragon. Spathar. Graffius. Reginald. Diaz. Salzedo. Sanchez.

PRO hoc Capite videri potest D. Thoma quolib. vltimo art. vltimo Bonauent. tom. 1. opusc. in quæstionibus super regulam S. Francisci, q. 14. Panor. in cap. Cum dilecta de rescriptis, & cap. Finali de regul. Angelus verbo Abbas, num. 17. Sylu. verbo Religio 6. q. 17. Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 5. Nauarrus comm. 2. de regul. à num. 32. & lib. 3. consil. de regul. à consil. 77. Armilla verbo Religio, num. 15. Soto lib. 7 de iust. q. 2. art. 1. ad 3. dub. vltimo Zerola 2. parte praxis verbo Eiecti, Passarellus in not. priuil. Minim. notab. 16. Sà in aphorismis verbo Religio, num. 40. Vega 2. parte sum. cap. 86. casu 12. 13. 16. 37. 42. Sayrus in Claui reg. lib. 6. cap. 9. dub. 14. num. 25. Angles in Floribus 2. parte quæst. de voto, art. 2. diff. 8. pag. mihi 89. Molina tom. 1. de iust. disp. 140. dubio De electis à Religione, Rodriq. tom. 3. quæst. regul. q. 30. ab art. 14. & quæst. 33. art. 5. Azor tom. 1. instit. moral. lib 12. cap. 16 à dub. 2. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 14. Mir. tom 1. Manual. quæst. 52. Casarub. in Compend. verbo Eijcere, vbi à Sorbo, Aragon. 2. 2. quæst. 88. art. 3. circa solut. ad 2. pag. mihi 710. versu Hucusq; Spatharius de modo corrigendi regul. tract. 10. parte 3. cap. 19. 20. Graff tom. 1. consil. lib. 3. de regul. consil. 5. Reginaldus in praxi, lib. 12. à nu. 417. Diaz in sua Pract. cap. 142. vbi Salzedo, Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 9.

D. Thom. D. Bonau. Dico primò, potest Religiosus propter sua demerita à Religione expelli, & habitu spoliari. Ita D. Thom. quolib. vlt. art. vlt. D. Bonau. in quæst. super regulam S. Francisci, quæst. 14. Antoninus 3. parte, tit. 16. cap. 4. hinc Passarellus in priuil. Minim. notab. 16. Nauar. Comm. 2. de regul. num. 33. Turrecremata in regula D. Benedicti, tract. 87. Sylu. verbo Religio 6. q. vlt. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 9. num. 3. Fellus 4. parte sui sum. cap. 25. *Antonin. Passarell. Nauar. Turrecre. Syln. Sanchez.*

Probatur primò, ex priuil. Alexandri VI. Innocentij. IV. Syxti IV. Pij V. Syxti V. & aliorum Summorum Pontificum, quæ referunt Casarub. in Compen. verbo Eijcere; & habetur in mari magno Minim. pag. 74. & concessit etiam Ioannes 22. vt refert Fellus loc. cit.

Secundò, probatur ex Cap. Finali de regul. in quo id supponitur: & cap. finali de statu Monachorum, §. Poriò, iubentur visitatores expellere rebelles, ne ouis morbida, sanas inficiat; & cap. cum in Ecclesijs de maioritate, & obedientia in fine.

Tertiò probatur, *quia sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, sanitatem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit: ita isti, qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, debent abscindi; si enim moribus deprauatis in Sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficient*; vt loquitur D. Prosper lib. 2. de vita contempl. cap. 7. & refertur cap. Ecce autem 24. q. 3. Quod idem habetur cap. Resecandæ, & cap. Corripiatur eadem causa, & q. *D. Prosper.*

Quartò, probatur ex Regula S. Benedicti c. 28. vbi præcipitur abscindi ferro, qui medicaminibus correctionum curari respuit; & S. Augustini regula 3. cap. 20. vbi incorrigibilis de fratrum societate iubetur proijci.

D. Bonau. D. tamen Bonauentura loco cit. tria requirit, ad hoc vt quis iustè possit è Religione eijci, & habitu spoliari. Primum, quòd eius delicta sint publica, tàm fratribus, quam sæcularibus; nam si sint solummodò nota fratribus, putat, talem tolerandum, & in carcerem detrudendũ Tùm ne eiectis, cùm eius culpę nô pateant iniustè eiectus videatur. Tùm ne eius peccata propalentur. Secundum, quòd eius excessus tàm graues sint, vt possint alios fratres inficere, & sæcularibus propter scandalum esse causa ruinę Tùm propter auferẽdum scandalum. Tùm propter corruptionem ordinis præcauendam. Tertium, quòd sæpiùs correctus non se emendauerit; nam si vult corrigi, non est eijciendus, vt habet D. Thoma quodlib. vlt. art. vlt sed est sequestrandus in carcere, vel alio modo puniendus. Quia electio in Religione est velut excommunicatio in Ecclesia; quæ tamen non excommunicat, nisi contumaces; Quod tamen limitat Sylu. verbo Abbas, num 6. nisi incorrigibilitas præsumatur de facto, vt modo declarabo. Absque his conditionibus tutum non putat Bonau. saltem in foro animæ, expellere Religiosum à Religione: licet in foro fori per Pontificia priuilegia, etiamsi aliqua ex his desit, tutum esse possit. *D. Toma. Syln. Abbas. Bonau.*

Dico secundo, Eijcere fratres à Religione, ad Generales per se solos pertinet, in ijs religionibus, in quibus Generales per se soli procedunt absquè consensu aliorum, licet non absque consilio. In nostra autem Religione, in qua non procedunt in casibus grauibus, nisi de consilio, & assensu suorum Collegarum, ad Generales cum Collegarum assensu, & ad Prouinciales

clales

ciales cũ consensu maioris partis Capituli Prouincialis pertinet. Ita concedit Alexander VI. Generali, & Prouincialibus, ordinis Minorũ, *Cæsarub.* & referunt Cæsarub. in Compend. verbo Eijcere. num. 4. *Rodriquez* Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 30. art. 16. *Miranda.* & 17. Mir. tom. 1. Manualis, q. 52. art. 1. conclus. 2.

Circa quod noto, quòd consensus maioris partis Capituli Prouincialis, non est necesse, quod obtineatur ab ipso Capitulo in vnum congregato; nam huiusmodi Capitula non Congregãtur, nisi statutis temporibus semel in anno (suppono enim quòd capitula intermedia, seù definitoria, eamdem vim habeant, quam Prouincialia, vt declarauit Pius V. Anno Domini 1568. die 27. Maij in Bulla, quæ incipit super familiam, & habetur in nostris statutis post regulã, pag. 13. & potest dari casus, in quo propter cõmune bonum conueniat eijcere aliquem à Religione; & tunc puto, quòd poterit Prouincialis cum consensu definitorum, qui totum constituunt Capitulum Definitorium, talẽ eijcere.

Sed amplius priuilegium, & sine talibus limitationibus concessum est nobis Minimis, vt videre est in nostro Mari magno in compend. priuil. Ord. pag. 74. vbi conceditur Generali, & Prouincialibus potestas eijciendi, propter emeritas culpas fratres à Religione: & ita obseruatur in praxi, quòd soli Prouinciales cum cõsensu suorum Collegarum, quos tali pœna dignos agnoscunt, expellunt, id quod expressè *Nauar.* etiam docet Nauar. lib. 3. consil. de regul. consil. 77. num. 1.

Dico tertio, prima & principalis causa, propter quam quis est eijciẽdus à Religione, est incorrigibilitas. Ita omnes Doctores citati.

Hic solùm quæri potest, quisnam dicendus sit *Sayrus.* incorrigibilis. Multa dicunt Doctores, Sayrus *Graffius.* libro 5. de censuris, cap. 21. num. 37. Graff. 1. *Sanchez.* parte decis. lib. 2. cap. 24. num. 19. Sanchez alios *Abbas.* citans 6. in decalog. cap. 9. num. 4. Abbas in cap. Cum non ab homine de iudicijs. sed breuiter. In iure incorrigibilis dicitur, qui tertio monitus, non resipuerit cap. Contingit el 2. de sententia excommunicationis, & cap. Constitutio- *Hostien.* nem eodem titulo in 6. Hostien. in cap. cum in *Trigona.* Eccles. de maior. & obed. & Io: Ant. de Trigona dicunt quod Monachi non tenentur amplius recipere Monachum, qui alias bis de mo- *D. Thoma.* nasterio fugit. D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 10. ad 3. eos vocat incorrigibiles, qui adhoc perueniunt, vt non ex fragilitate, vel ignorantia, sed ex cõtemptu peccent, nam hi sunt, qui difficulter surgunt iuxta illud Hierem. *Confregisti iugum meũ dirumpisti vincula mea, dixisti non seruiam.*

In ordine Prædicatorum definitur, quòd incorrigibilitas fratris, quare ab ordine est eijciẽdus, est *quando culpas non timet committere: & pœnas recusat ferre: vel ex earum sæpius repetita inflictione iudicio discretorum cognoscitur non proficere.* Ita habetur in constit. dicti ordini vt refert Felius 4. par. cap. 25.

In ordine Minorum ille dicitur incorrigibilis, *qui ter fuit iuridicè punitus, & conuictus de eodem, vel distincto crimine graui, & numquam fuit* *Tolet.* *emendatus.* Ita habetur in illorum constit. To- *Vallisolet.* let. & Vallisolet, pag. 147. vt refert Spatharius *Spathar.* tract. 10. par. 3. cap. 19. num. 7.

In nostro ordine Minimorum, *qui tres arripuit fugas, non debet ampliùs recipi.* Ita statutum est in cap. 1. Valent, num. 13. *Valent.*

In hoc mihi quam maxime placet Doctrina *Sylu.* Syl. verbo incorrigibilis, & verbo Abbas, nu. *Abbas.* 6. q. 3. qui distinguit duplicem incorrigibilitatem, vnam de facto, alteram de iure. De iure propterea, quia regula, vel constitutiones mandant, talia tot vicibus perpetrantem appellari, & esse incorrigibilem. De facto, quando quis, licet de iure incorrigibilis non sit, quia ter cõuictus, & punitus non fuit, est tamen de facto propter eius conditiones naturales notas; quia scilicet vitijs assueuerit, & ad hæc habet naturalem inclinationem. Quas ambas incorrigibilitates esse sufficientes ad alicuius expulsionẽ à Religione, & habitus priuationem, docent *Rodriq.* Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 30. art. 15. Miranda *Miranda.* tom. 1. Manualis, q. 52. art. 2. conclus. 2. Felius loco citato.

Itaque secundùm istos Doctores, incorrigibilis non solùm est, qui ter Correctus, & punitus non se emendauit, sed etiam, cui bis, aut ter crimina remissa, condonata, dissimulata, emendationis spe fuere, & tamen non se corre- *Rodriq.* xit; & citat ad hoc Rodriq. quamdam declarationem Parlamenti Parisiensis, in qua fuit declaratum, quòd in criminibus grauibus, in quibus non imponitur pœna mortis, reputatur Clericus incorrigibilis ad effectum, vt degradatus possit tradi brachio sæculari, si bis ipsi venia da- *Iul. Claro.* ta fuit. Quam doctrinam probant Iul. Clarus *Salzedo.* in sua practica crimin. q. 36. num. 34. & Salzedo *Cassaneũ.* ad practicam Diaz, cap. 142. verbo Incorrigibilis; quibus omnibus adde Cassaneum cit. à Claro, & Salzedo super consuet. Burg. fol. 51. post numerum 66. Qui ait, quòd in curia Parisiẽsi seruatur, quòd post binam remissionem de delictis pro quibus ingeritur pęna mortis, Clericus habetur pro incorrigibili.

Rodriq. Ex quibus elicio cum Rodriquez, & Miranda *Miranda.* locis citatis quòd Religiosus, qui propter latrocinia, & alia scelera, & crimina fuerat in quadam Religione ad triremes damnatus; cum autem aufugisset è carcerib. diù apostatauit: in qua Apostasia, crebrius celebrauit, sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrauit: ad aliam deinde Religionem transiens, in eaque ludum alearum prohibitum grauibus censuris, & pœnis sæpiùs exercuit cum maximo istius Religionis detrimento, & scandalo sæcularium, & fratrum, quos ad ludendum prouocabat, docendo eos alearum ludos prohibitos: quique cibis vetitis sub mortali in tali Religione notoriè, & & publicè vesci non erubuit: Quique eleęmosynarum vsurpator, & dissipator extitit continuus: quiquè ventri, & Veneri fibulam laxauit: quique inter fratres discordias, rixas, zizanias disseminauit, inimicitias sparsit quamplurimas, easque graues, quique mendacijs, & dolis, non solùm fratres apud fratres, sed fratres apud sæculares infamauit: quique totam Religionem in communi depompauit pro posse: fratres, quos potuit temerauit, manuari priùs, deinde ludere docuit: Intestabilis, & detestabilis homo seù potiùs bellua, sine spe alicuius correctionis, & emendationis, etiamsi non fuerit bis, neque ter conuictus, nec punitus, sed semper toleratus spe emendæ, seù fortè etiam timore dolosę, & maledictæ ipsius linguæ (licet hoc damnetur cap. Sed illud, decis. 45.) potest iure optimo ab

ista

ista Religione, tamquam membrum putridum infectum, & per eius Conditiones incorrigibile expelli.

Rodriq. Rom. 2. Probat id multis Rodriquez, & præcipue ex illo ad Rom. 2. *An ignoras, quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? An diuitias bonitatis eius, patientiæ, & longanimitatis Contemnis? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram:* vbi apparet, quòd Paulus notat habere impœnitens cor, idest incorrigibile, illum, qui contemnit clementiam, & bonitatem Iudicis delicta condonantis; quē

Bernardus locum declarans Bernardus primo de consid. ad Eug. *Quid est*, inquit, *cor durum, ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad periculum, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens.* hæc Ber. Nec potest melius describi cor incorrigibile.

Quare cum istius vitia cum illo creuerint ab adolescentia sua, & propter longam consuetudinem, assuefactionem, & in illis inueterationem, facta sint illi quodammodo naturalia; Tāquam putridum membrum, ne alios inficiat est eijciendum: nec expectanda bina, aut trina per sententiam punitio, quæ potius nocitura, quàm profutura videtur; Acesias enim medicatur istis qui tempore magis indurescunt, patientia marcescunt, & quorum vitia antiquitate non antiquantur, sed magis adolescunt, & reuiuiscunt; Quapropter quam maximè mihi probatur Patrum Iesuitarum numquam istis laudata Religio, qui abscindunt cancrum antequam serpat. Vtinam facerent cæteræ Religiones; & pœna triremium à Religionibus penitus ablegaretur. Peruersi namque cum peruersis peruertuntur, vt dicam infra.

Dico quarto propter delicta, quibus in sæculo respondet pœna mortis, potest regularis à Religione expelli: puta homicidium voluntarium: cultura (vt sic loquar) habitualis, & formalis fundi sterilis, &c. nisi pœna sit illis apposita, non tantùm ratione delicti, quantùm ratione iurisdictionis: vt puta extrahere de manibus iustitiæ condemnatum ad mortem; nam tunc non deberent Religiosi à Religione expelli, cum actum exercuerint, charitatem, & pietatē olentem, ita Rodriquez loco cit. art. 18. 19. Graff. tom. 1. consil. lib. 3. de regul. consil. 5. num. 16. Mir. etiam cit. conclus. 3. & 4.

Probatur ex concessionibus Pij V. quas refert Capuccinus in compend. priuil. verbo Eijcere in principio, Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 30. art. 15. & 16. & Miranda tom. 1. Manual. q. 52. art. 1. conclus. 2. Quibus Ordini S. Hieronymi in Hispania concessit, & indulsit, quòd Generalis, vel eius ministri dictæ Religionis, de consilio fratrum, possint fratres delinquentes, in casibus, quibus quis de iure communi esset ad mortem damnandus, habitu Religionis spoliare, ab eaque expellere. Quo priuilegio gaudent omnes communicationem habentes; debent tamen Prælati eo prudenter vti, consideratis conditionibus, passionibus, consuetudinibus; vita ante acta, qualitate Religiosi

Capucc. Rodriquez Miranda.

puniendi, & cæteris, vna enim circumstantiola addita, vel adempta facto, frequēter variat ius, quod oritur ex eo, vt ait Nauarrus lib. 5. consil. de apostatis, consil. 1. num. 2. Attento etiam, quòd vix vila Regula absque aliqua exceptione inuenitur, etiamsi verbis vniuersalibus affirmatiuis, vel negatiuis concipiatur, vt idem Nauarrus habet ibidem. Nauarr. Nauarr.

Circa quam concessionem notat duo Rodriquez art. 16. primum, quòd Generales virtute huius priuilegij Pij V. possunt demeritos à Religione expellere per se solos, adhibito consilio seniorum, quod tamen non tenentur sequi; qui enim tenetur petere consilium, ad illud sequi non obligatur; vt habet Panor. in cap. Cum in veteri de elect. & Rodriquez loco cit. art. 17. Rodriquez Panorm. Rodriq.

Secundum, quòd Prouinciales per hoc priuilegium non possunt à Religione expellere, nisi de commissione Generalis. Quia auctoritas datur Generali, vt per se, vel per suos ministros procedat.

Dico quinto eiecti, si emendati, & correcti humiliter petierint in Religionem iterum recipi, admitti debent. Antoninus 3. parte tit. 16. cap. 5. statim in principio, Syl. verbo Apostasia, quæst. 5. num. 10. Turrecremata in regula S. Benedicti tract. 88. Molina tom. 1. de iust. disput. 140. col. penul. § Quòd ad votum, Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 15. num. 118. versu verius tamen puto. Nauar. lib. 3. consil. de regul. consil. 78. num. 3. Corduba in Regula D. Francisci cap. 2. quæst. 21. par. 2. versu Notandum. Antonin. Syluester. Turrecr. Molina. Lessius. Nauarr. Corduba.

Probatur primo, ex cap. finali de regularibus, vbi id expresse habetur.

Secundo. Quia Religio non habet ius à vinculo Religionis aliquem absoluendi, & ab ea eijciendi, nisi quatenus id permittunt illius delicta, ergo cessante ista causa, & eiecto ad meliorem frugem reducto, & penitùs emendato, debet cessare effectus; & debet eum humiliter, & de corde puro petentem iterum recipere.

Limitat tamen Corduba, nisi aliud obstet: vtpote si sit probabile, scandalum ex tali admissione secuturum: vel si sedeant morbo aliquo contagioso infecti: vel alias inhabiles ad ordinis officia: vel tandem si ad aliorum terrorem valdè conducat, hos iterum non admittere; Limitat etiam Lessius, nisi Religio iustas non admittendi causas haberet dictas scilicet vel alias. Corduba. Lessius.

Vnde in nostra Religione Minimorum, tales electi, si spem emendationis præbuerint, ac litteras probatas eorum mores testificantes attulerint, possunt à Patre Generali, vel eius Vicarijs admitti iterùm ad Religionem, ita statutum est in Capitulo Barchinonensi, num. 17. quod intelligo de eiectis à Patre Generali, nam eiecti à Prouinciali, ab eodem recipi potuerunt, nam eiusdem est soluere, cuius est ligare, cap. Inferior, decis. 21.

Dico sexto Religio potest cogere tales eiectos ad redeundum D. Bonauentura in Regula S. Francisci, q. 14. fine, Sylu. verbo Apostasia, q. 6. num. 10. & verbo Religio 6. q. 18. num. 18. Passarellus in nor. priuil. notab. 16. Vasquez 1. 2. disp. 165. cap. 8. num. 87. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 15. nu. 111. Molina tom. 1. de iust. disp. 140. col. penul. paulò antè §. Quò ad votū, D. Bona. Sylu. Passarell. Vasquez. Lessius. Molina.

Sanchez

Sanchez. Reginald.

Sanchez lib.6. in decalog. cap.9. num.30. Reginaldus in praxi, lib. 18. num. 417. & alij apud Sanchez.

Sanchez.

Probatur primo, ex cap. finali de regul. vbi statuitur, hos eiectos debere censuris Ecclesiasticis cogi redire ad Religionem. Dubijs autem, quæ possunt fieri circa hanc decretalem, respondet benè Sanchez loco cit. n.17. 18. & 30.

Festus.

Secundo, quia isti eiecti non liberantur à votorum obligatione: & remanent veri eiusdem Ordinis Religiosi, & Prælatis Ordinis subditi, vt declarauit Ioann. 22. vt refert Festus in summario constit. prædicatorum 4. par. cap. 25. de grauissima culpa his verbis. *Ille autem, qui propter culpam suam expellitur ab ordine, adhuc Prælato subditus est: sicut morbida ouis quæcunque à grege expulsa, tamen pastoris est.*

Tertiò, quia ob eorum delicta, non debent commodum libertatis perpetuę consequi, & fieri potioris conditionis, quàm alij Religiosi.

Sotus. Grassus. Angles. Aragon. Sayrus. Sanchez. Naldus.

Dico septimo, hos eiectos, tamquàm incorrigibiles, obligatos esse ad corrigendum mores, habilesque se redendos, vt iterùm in Religionem admittantur; & ita Correctos, se Religioni offerre, quod quousque fecerint, sunt in malo statu, ita Sotus lib.7. de iust. q.2. art.5. in solut. ad 3. sub fine, Graff. 1. par. decis. lib.3. cap.5. num. 147. Angles in floribus 2. par. q. de voto art.2. difficul. 8. Aragon 2.2. q.88. artic.3. circa respons. ad secundum, pag. mihi 710. §. dico 2. Sayrus in Claui Regia, lib.6. cap.9. num. 25. & 27. Sanchez lib.6. in decalogum, cap.9. num.25. Naldus in sum. verbo Religiosus, num. 16.

Probatur, quia quamdiù in malitia, & culpa sua manēt, ipsi sunt causa suæ expulsionis, & per consequens ne votum Religionis, quòd emiserunt, possint adimplere; ergò non sunt tuti in cōscientia; quia malitia, & culpa nulli debent patrocinari.

Sayrus. Aragon. Sotus. D. Bonau. Pisanella. à Sorbo. Passarell.

Verum quidem est, quòd si postquam eiectus se emendatus obtulerit Religioni, non fuerit receptus, potest tutè manere in seculo, vt dicūt præfati Doctores, Sayrus, Aragon, Sotus, & alij, quia adimpletio voti iam illi est facta impossibilis sine sua culpa: nisi forsan per suos Prælatos illi fuerit iniunctum, vt ad aliam Religionē transiret; nam tunc teneretur obedire. Posse autem Prælatum primæ Religionis id illi præcipere, docent D. Bonau. in q. super Regulam fratrum Minorum, q.14. Pisanella verbo Religio primo, §.6. à Sorbo in Compend. priuileg. verbo Eicere, vers. Nec potest; Passarelius in priuilegijs Minim. notab. 16. Et ratio est, quia cum vouit istum Ordinem, ita se alligauit Religioni; quòd secundùm ius canonicum nullatenus potest redire ad sæculum, vel ad laxiorē vitam transire; ergo tenetur obedire Prælato præcipienti, vt regularem in aliqua approbata Religione vitam ducat, quia licet non se obligauerit ad profitendum in alia Religione, præterquàm in ea, quam professus est; tamen se obligauit ad viuendum sub disciplina regulari: & obseruantia votorum essentialium. Per quæ est satis responsum rationi Sanchez, contrariam opinionem tenentis 6. in decalog. cap. 9. n.42.

Si autem ordo, ad quem ingredi fuerit iussus eiectus eum recipere noluerit, nec inuenerit; qui eum recipiat, & primus ipsius ordo neque etiam velit eum recipere propter aliquas causas sufficientes, potest tuta conscientia in sæculo remanere, sicut etiam potest tuta conscientia remanere, si fuerit eiectus absolutè, & postquam se correxerit, iterum ingredi attentauerit, quibus non obstantibus semper fuerit passus repulsam, absque aliqua conditione de intrando in aliam Religionem.

Zerola. Farinac.

Obijcies contra dicta quandam declarationē sacræ Congregationis Concilij, quam refert Zerola 2. parte suæ praxis, verbo Monachi, n.7. & Farinacius decisionibus in Concilium, sessio. 25. de regularibus, cap.14. quæ sic habet; *In posterum Nemo regularium eijciatur è Monasterio, etiamsi sit incorrigibilis, sed peccantes à superioribus ignominia carceris castigentur, & acrius etiam si opus fuerit, pro modo delictorum puniantur.*

Rodriq. Salas. Molfes. Zerola.

Hoc dubium postulat, vt aliquid dicamus de huiusmodi declarationibus sacræ congregationis, de quibus dubitant doctores an sint auctoritatiuæ, an verò tantùm doctrinales, seù an habeant vim legis, & obligent in vtroque foro, an solùm contineant interpretationem doctrinalem, & sint responsa prudentum. De his declarationibus tractat ex professo Rodriquez tom.1. quæst. regul. q.11. art.1. & 2. Salas de legibus, tract.14. disp.2. sect.9. & disp.21. sect.12. Molfesius tom.1. sum. tract.7. cap.18. num.24. & tract.9. cap.13. num.43. & 44. Zerola prima parte praxis, verbo Auctoritas, & 2. parte, verbo Absolutio in principio, vt resoluam.

Quaranta

Noto, quòd Syxtus V, anno 1588. edidit bullam, qua constituit quindecim congregationes Cardinalium, quę incipit immensa æterni Dei, & eam refert Quaranta in sūma bullarij, verbo Congregationes Cardinalium, in institutionē autem Congregationis Concilij tribuens eidē auctoritatem, hæc habet. *Cum ad singularem Papæ auctoritatem tantummodo spectet generalia cōcilia indicere, confirmare, interpretari, & vt vbique locorum seruentur, curare, ac præcipere: eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent interpretationem nobis ipsis reseruamus: Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis iudicijs, alijsque huiusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem (nobis tamen consultis) impertimur.* De valore huiusmodi declarationem vide Io: Val. in differ. vtriusq. fori, verbo absolutio, num. 8.

Salas.

Dico primo, declarationes factæ à sacra congregatione, Consulto sanctissimo, & in forma authentica præsentatæ obligant in vtroque foro, & secundùm illas iudicandum est: patet, quia sunt factæ cum auctoritate Papæ, & idem est in moralibus facere per alium, ac facere per se. Præsentantur autem in forma authentica: vel per breue Papæ: vel per monitorium auditoris Cameræ: vel per epistolam alicuius ex Cardinalibus dictæ congregationis, & ipsius nomine: vel partibus citatis per transumptum, ex registris ipsius congregationis desumptum, sigillo secretarij eiusdemmet cōgregationis munitum, ita Salas dicta disp.21. corollario 6.

Dico secundo declarationes, quæ non sunt factæ à sacra cōgregatione, consulto sanctissimo (vt ferè communiter teste Salas loco cit. ante corollarium primum his verbis. *Illud verò ex decla-*

declarationibus impressis, & manuscriptis patet, quod congregatio non semper, sed in raro casu, & in grauioribus, & difficilioribus dubijs, summum Pontificem consulere solet) non habent vim legis, nec obligant ad eas sequendas in vtroque foro, ita Suarez relatus a Salas dicta disput. 2. nu. 53. his verbis. *An declaratio Cardinalium circa Tridentinum sit authentica, seu auctoritatiua vim habens legis, an vero doctrinalis, seu quasi doctorum, huius dubij decisionem summo Pontifici remitto: & dum aliud non definitur, nondum censeo habere vim legis, donec certiùs de illis constet, & sufficienter propositæ, ac promulgatæ sint.*

Suarez.

Et probatur primò, quia cum Cardinales non habeant à iure communi auctoritatem cõdendi leges, vt colligitur ex Suarez lib. 4. de legibus, cap. 5. num. 4. solùm eam habent per auctoritatem illis à Pontifice delegatam, Pontifex autem, vt patet ex verbis citatis Syxti, concedit, fieri tales declarationes (nisi aliud per sequentes Pontifices, quod non scio, sit determinatum) ipso Pontifice prius consulto.

Suarez.

Secundò, sensus ipsiusmet congregationis videtur esse, quòd nolit, suas communiter declarationes haberi pro legibus. Nam cum certum sit, de essentia legis, vt obliget esse promulgationem, vt dicitur, cap. 1. de postul. Prælatorum, §. Verum, & docet D. Thomas 1. 2. q. 90. art. 4. Nauarrus tom. 1. concil. de Cõstit. consilio 1, n. 2. versu. Quinto dico; tantùm abest, vt dictas declarationes promulget sacra congregatio, vt eas nolit, neque manuscriptis, neque impressis libris publicari, & libros eas diuulgantes prohibet, vt constat ex decreto dictæ Congregationis, anno 1621. die 19. Aprilis, & alio simili congregationis Indicis sub die 6. Iunij eiusdem anni.

Et licet dicatur, quòd declarationes legum iam receptarum, non est necesse, quòd publicentur, cum in ipsis legibus insint, vt habet Rodriquez loco cit. art. 2. id tamen intelligo in manifestis, non autem in dubijs, quia tales declarationes sunt veluti nouæ leges. Vndè quando sacra congregatio vult eas haberi pro legibus (quando scilicet factæ sunt consulto sanctissimo) eas promulgat, ita Salas loco cit. coroll. 5.

Salas.

Ad dubium ergo propositum respondeo, prędictam declarationem nihil obstare dictis, tùm quia authentica non est; tùm quia sufficienter promulgata non est, & promulgatio erat omninò necessaria, cum sit dicta declaratio (si declaratio congregationis est contra ius commune, & contra tot priuilegia summorum Pontificum, & tot regulas à tot summis Pontificibus confirmatas. Vndè omninò noua lex esset, de cuius essentia, diximus, esse promulgationem, tùm quia non constat, quòd sit facta de mente Pontificis.

§. Primus. *Ad quid teneatur à Religione electus.*



DICO primo, electus tenetur ad castitatem seruandam; est communis omnium opinio, etiam si non sit in sacris. Soto lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. ad tertium fine.

Soto.

Dico secundo, tenetur ad obedientiam Episcopo; eo tamen modo, quo reliqui Presbyteri, neque alio specialiori, Molina disp. 140. col. ante penultima, Rodriquez tom. 1, q. regul. q. 30. art. 20.

Molina. Rodriquez.

Dico tertio, tenetur etiam ad paupertatem, eo modo, quo status, in quo reperitur compatitur, nulliusque rei dominium verum, & absolutum sibi potest comparare; ita Mol. & Rodriquez cit. Sanchez 6. in decalog. cap. 9. n. 45.

Molina. Rodriq. Sanchez.

Dico quarto, si eijciatur ex ordine Minimorum, tenetur etiam ad votum vitæ quadragesimalis, ita expressè Ledesma, cap. 3. de statu Episcop. concl. 25. difficul. 1. Paulo ante, digolo tercero; pag. mihi 75. loquens de Minimis translatis ad Episcopatum: quòd à fortiori valet in electis; & ratio, quam reddit, est quia ad id se obligauit per solemne votum; & ego latiùs dicam in quæst. de vita quadragesimali, cap. 2. vbi probabo, quòd Minimus ad Episcopatum translatus tenetur ad vitam quadragesimalem, quidquid dormiens dixerit Vega 2. par. sum. cap. 86. casu 16. quem sequitur Sanchez, lib. 6. in decalogo, cap. 9. num. 56. ad cuius rationes etiam respondebo. Fauet etiam nostræ conclusioni Rodriquez, tom. 1. quæst. regul. q. 30. art. 20. fine. Quatenùs dicit, quòd non excusaret ab obseruatione ieiuniorum electos ab ordine Minorum; quia ad hæc tenebantur sub mortali.

Ledesma. Vega. Sanchez. Rodriquez.

In vniuersum autẽ, quòd electi teneantur ad vota essentialia, & solemnia, docent Nauar. comm. 2. de regul. num. 34. 35. 36. & comm. 3. num. 46. Ledesma de statu Religiosorum in cõmuni, cap. 8. conclus. 7. versu A duiertase que en el tal caso, pag. 277. Corduba in regula D. Francisci, cap. 2. q. 21. par. 3. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 16. quæst. 4. Vasquez, par. 2. disp. 165. num. 87. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub 5. num. 112. Mol. tom. 1. de iust. disp. 40. col. ante penul. versu Quandò verò, Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 30. art. 20. Miranda tom. 1. Manual. q. 52. art. 5. Reginaldus lib. 18. nu. 418. 420. Sanchez, lib. 6. in decalog. cap. 9. num. 27. Et ratio est; tùm quia Prælatus non potest suos subditos liberare à iugo votorum solemnium, & monasticæ professionis, quia sunt de essentia Monachatus, vt dicitur, capite. Cum ad monasterium de statu Monachorum, tùm quia omnes fatentur, huiusmodi electos teneri ad votum castitatis; at eadem est ratio de alijs; cum sint ęque solemnia, ac Religioni essentialia; tùm quia Religiosus factus Episcopus ab his non liberatur.

Nauar. Ledesma. Corduba. Azor. Vasquez. Lessius. Molin. Rodriq. Miranda. Reginald. Sanchez.

Dico quinto, tenetur etiam ad officium diuinum, etiamsi non sit in sacris; Nauar. de horis canonicis, cap. 7. num. 20. Rodriquez loco cit. art. 20. Ledesma 2. p. sum. tract. 9. cap. 4. conclus. 13. dub. 2. pag. mihi 741, Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. num. 9.

Nauar. Rodriq. Ledesma. Suarez.

Pro-

Probatur, tùm quia ex delicto non debet reportare commodum, cap. Tuæ de clericis non residentibus; tùm quia non liberatur à statu clericali, cui est annexa obligatio recitandi officium diuinum.

Sotus. Nauar. Aragon. Lessius. Sà.

Dico sexto, ad alias obseruantias Regulares, ieiunia, silentia, &c. non tenetur. Sotus lib. 7. de iust. q.2. art.1. in solut. ad 3. sub fine, Nauarrus comm.3. de regul. num.46. Aragon. 2. 2. q. 88. art.3. circa solut. ad 2. pag. mihi 710. §. Huscusque diximus, Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub.15. num.115. Sà in aphorismis, verbo Religio, num. 40.

Probatur, tùm quia hæc non vouit expresse; tùm, quia hæc comitantur vitam Monasticam; & ratione solius Religionis tenebatur ad illa.

Rodriquez. Miranda. Spathar.

Dico septimo, quòd isti eiecti, quamdiù in sæculo steterint, si sunt Sacerdotes, non possunt confessiones audire, nec prædicare, nec docere. Ita Rodriquez, tom.1. quæst. regul. q.30. art.21. Mir. tom. 1. Manual. q. 52. art. 5. Spatharius de modo corrigendi Regulares, tract. 10. p 3. cap. 20. num. 9.

Cherub. Casarub.

Probatur ex priuil. Innoc. IV. & Clem. IV. & Iulij II. qui quidem Iulius id nobis Minimis côcessit vt videre est in bulla quę incipit, virtute conspicuos, quam refert Cherub. tom.1. Bullar. in Iulio II. sub constit. eius 10. §. 14. pag.418. qui Pontifices id expresse concedunt; quæ priuilegia refert Casarub. verbo Eijcere, num. 1. & 3. & præterea id etiam habetur expresse in nostro mari magno, fol.74. vers. Inhibemus. Contrarium autem attentantes, præuia monitione, possunt Generales, & Prouinciales auctoritate Pontificali excommunicare.

Rodriquez. Lappus. Miranda.

Ex quo colligit Rodriquez loco cit. quòd huiusmodi eiecti sunt infames, ad quod citat Lappum super consil. 38. Federici; idque etiam sentit Miranda loco cit. art.7. Quòd intelligo de infamia facti: & quamdiù in sæculo incorrecti vixerint.

Et meritò tales eiecti dicuntur infames; nam si fama est (vt post Glossam in cap. Vestra. verbo Notorium de cohabitatione Clericorum, & mulierum, definiunt vt plurimùm summistæ in verbo Fama) *illæsæ dignitatis status, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus.* Infamis meritò dicitur eiectus, quia dignitatem Monachismi læsit, ab honorato suo statu decesit, cum pessima vita, & deprauatis moribus expurgando.

Soto. Salon.

Vel si famam definiamus cum Theologis, vt Soto 4. de iust. q.6. art.3. ad 4 & lib.5. q.9 art.2. Salon 2.2. q.62. art.2. post côtrouersiam 12. Quòd sit, *Communis, & clara opinio, & æstimatio bonæ, & inculpata vita voce manifestata, quam de aliquo habent homines.* Infamissimus meritò dicitur eiectus; Communis enim omnium sensus, nemine discrepante, eiectos improbos, & sceleratos iudicat, & ita, vt si quis videat aliquem, quem primo aspectu iudicet integrum, probum, & sanctũ si de eo deinde audiat, quòd fuerit à Religione eiectus, statim ait, non potest esse bonus, iniquum, dolosum, fallacem putat.

Bartolus.

Vel si definiamus Infamiam cum Iuristis, vt Bart. in lege 1. Cod. Ex quibus causis Infamia irrogatur, quòd *sit læsæ dignitatis status.* Quis non videat eiectum maximè statum suum læsisse.

Præterea eiectos esse infames, ex eo specialiter probo, quòd sint prohibiti prædicare, docere, &c. nam sicut qui prohibitus est à testimonio ferendo: vel à testamento condendo, dicitur intestabilis, idest infamis, vt demonstrat Gellius lib. 6. cap. 7. & lib. 15. cap. 13. quia nimirum priuatur propter sua demerita iure testamenti condendi, deque rebus proprijs disponendi: & priuatur iure testimonij ferendi, quibus non potest quis priuari, nisi propter scelera (nisi aliud iuridicum adsit impedimentum) Cũ sint hæc hominum propria, ita quòd sacerdos priuetur iure confessiones audiendi, & Prædicator prædicandi, & Doctor docendi, quæ sunt illius propria, supponit aliquod flagitium perpetratum, propter quod fuerit dignè talibus priuatus; vnde intestabilis, & execrabilis, meritò dicitur. *Gellius.*

Quare tamquam talibus nulla est adhibenda fides, si quid in Religionem effutiant, nec multum curandum de eorum maledictis; *dementia enim est maxima*, vt ait Seneca epist.92. *vereri ne infameris ab infamibus*; Genius namque illois si notus, quia quod ipsi agunt, aut agere cogitant, id per summam impudentiam ordini affingunt, vt eiectionem suam, & flagitia excusent, ac velent. Ad quod facit illud Cypriani epist. 25. qui, cum de S. Cornelio Pontifice à desertoribus fidei sparsum esset, eum passim communicare sacrificatis, respondit, *Hoc de apostatarum fictis rumoribus nascitur; neque enim possunt laudare nos, qui recedunt; aut expectare debemus, vt placeamus illis, qui nobis displicentes, & contra Ecclesiam rebelles sollicitandis de Ecclesia fratribus, violenter insistunt.* Hæc Cyprianus, quæ iure optimò istis eiectis accomodari possunt. *Seneca. Cyprian.*

Et tantum abest, vt eorum maledictis Religioni, & fratribus maculam inurant, vt his potius eam laudare videantur, ait enim Gregorius in Ezechielem, *Peruersorum derogatio vitæ nostræ approbatio est; quia iam ostenditur, aliquid iustitiæ nos habere, si illis displicere incipimus,* qui non *placent Deo.* *Greg.*

Nec nouum est in Mundo, malos maledictis insequi bonos; Incontinês enim, & impura Domina, sed suarum passionum serua, puri, & Sãcti Ioseph, eum incontinentiæ notauit, Gen.39. superbi, & elati Hebræi, humilem Moysem superbiæ redarguerunt, num.16. Scelestus Rapsaces, sceleribus nutritus, scelerum accusabat sincerũ Ezechiam, sic Alexander ærarius multa mala ostendit Paulo II. ad Timoth.4. sic Semei maledixit Dauid 2. Regum 16. quod & dicitur cap. nulli dubium 3. q. 3. *Gen.39.*

Sed notandum, quòd Deus quandoque permittit, vt nos dicti Apostatæ, & eiecti lingua, & manibus insequantur, vt nostram patientiam exerceat, vanagloriam compescat, nosque ad virtutes ardentius prosequendas inflammet, à leuitatibus restrænet, ad mundum despiciendũ incitet, & ad patriam coelestem amandam inuitet iuxtà cap. sunt plurimi 6. q. 1. Audiamus, quid ad hoc propositum dicat Gregorius lib. 9. epistolarum ep. 39. ad Theostistam. *Neque enim* ait, *electis suis in hac vita promissa gaudia delectationis, sed amaritudinem tribulationis, vt medicine more, per amarum poculum ad dulcedinem æternæ salutis reducant. Quid namque dicit? Mundus gaudebit, vos lugebitis. Sed qua spe, qua promissione? Paulo post additur, Iterum videbo vos, & gaude-*

gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Hinc iterum discipulis dicit. *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Pensate, quæso, vbi erit patientia, si deest quod toleretur. Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minimè purgantur. Ipsa autem malorum societas, purgatio bonorum est. Tres in arca filij Noe fuerunt, vnus irrisor patris extitit, qui etsi in se benedictus fuit, maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham, priusquàm vxorem Cethuram acciperet, filios habuit, sed tamen carnalis eius filius est repromissionis filium persecutus. Quod magnus Doctor exponit, dicens: Sicut autem is, qui secundum carnem est, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ità & nunc. Duos Isaac filios habuit, sed vnus, qui spiritalis extitit, antè minas carnalis fratris fugit. Duodecim Iacob filios habuit, sed vnum, qui rectius viuebat, decem in Aegypto vendiderunt. In Dauid Propheta, quia fuit quod purgari debuisset, actum est, vt persecutorem filium pateretur. Beatus Iob de societate reproborum dicit. Frater fui draconum, & socius struthionum. Ad Ezechielem Dominus ait, Filij hominis, increduli, & subuersores sunt tecum, & cū scorpionibus habitas. In duodecim Apostolis vnus reprobus mixtus est, vt esset cuius persecutione vndecim tentarentur. Apostolorum Princeps discipulis loquitur, dicens Iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, & conuersatione eripuit; Aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Paulus quoque Apostolus discipulis scribit dicens. In medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.*

Quia ergo, scriptura teste, cognoscimus, bonos sine malis esse non posse, de stultorum vocibus excellentia vestra turbari nullatenùs debet. Et paucis interpositis. *Si ergò fuerunt, qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc seductorem vocarent; Quis, rogo, Christianus debet indignum ducere, pro Christo iniurias audire? Quanta autem virtutis Præcursor nostri Redemptoris fuit, nouimus, qui per sacrum eloquium, non solùm plusquàm propheta, sed etiam Angelus vocatur; & tamen, sicut mortis eius historia testatur, post mortem à persecutoribus eius corpus incensum est. Sed quid ista de sanctis hominibus dicimus? De ipso Sancto Sanctorum (id est de Deo) qui pro nobis homo factus est, loquamur, qui antè mortem iniuriam, quod Dæmonium haberet, audiuit. Post mortem verò à suis persecutoribus seductor appellatus est, cum dicerent: Scimus, quia seductor ille dixit, Post tres dies resurgam. Quanta ergò nos peccatores à lingua, vel manibus iniquorum hominum portare necesse est, qui in aduentu æterni iudicij iudicandi sumus, si & ipse, tanta tàm antè, quàm post mortem pertulit, qui & Iudex venit?*

At inquies, aliqui ex calumnijs, & conuicijs talem voluptatem hauriunt, vt facilè etiam præbeant assensum; Vnde interest, hos sycophantas communi omnium ludibrio, & irrisui exponere, vt malefacta cognoscant sua; & qui hic conuicijs delectantur, se conuiciatoribus delectari intelligant, quod & monuit Ysocrates. *Caue calumnias, licet falsæ sint, nam multi veritatem ignorant, famaque, & opinione ducuntur.*

Respondeo, verum quidem esse, quod non est *quidquam mortalibus tàm suaue, & iucundū, quàm de rebus alienis garrire*, vt ait Sanctus Gregorius Nazianzenus apologia 1. Et quod aliqui ita sunt curiosi audiendi aliena facta; Religiosorū præsertim, etiamsi falsa sint, & nullam veri speciē præseferant, vt ea totis pectoribus excauare nitantur, ijsque sycophantis ita delectantur, vt alij suauissimis, & dulcissimis cantionibus, parùm aduertentes dictum Comici, *Qui calumnijs assensum præbet, is aut moribus improbus est, aut puerilem animum gerit.* Et licet dicant, se non præbere assensum, sed delectari tantummodo audire talia. Ergò dicemus eis, vt Scarabæi, qui delectantur, & nutriuntur in stercore, & estis portæ illæ sterquilinij, de quibus Plutarchus apud Roa singularium locorum lib. 6. c. 15. per quas purgamenta ejciuntur Ciuitatū. Quod ita verum est, vt negari nequaquam possit. Nā si detrahentium guttur nihil est aliud, quam sepulchrum, iuxta illud Psalmi, *Sepulchrum patens est guttur eorum*, Ex sepulchris non oriuntur nisi fœtores, qui dùm excipiuntur, & tàm hilariter à vobis, portæ meritò sterquilinij nūcupamini.

Gregorius Nazianz.

Comicus.

Roa.

Hæc, inquam, vera sunt, sicut & verum est dictum illud *Calumnia negligenda nō est, licet valdè falsa sit, sunt qui eam velint amplificare, & magnis incrementis adaugere. Propter quos rationi consentaneum est, vt hæc talia vitentur, & caueantur*, & illud Apulei apolog. 2. *Pudentis, & verecundi animi est, etiam falsa vituperatione grauari.* Tamen verum etiam est dictum illud Demosthenis *Calumniam, occasione oblata, firmam quidem suspicionem auditoribus inijcere: temporis autem progressu languescere, & euanescere.* Et dictum Senecæ 2. de Ira cap. 30. *Ille magnus, & nobilis est. Qui more magnæ feræ latratus canum securus exaudit.* Et ibidem, *Contumeliarum patientia ingens instrumentum est ad tutelam regni.* Verum etiam est illud Iob. 16. *Ecce enim in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.* Quem locū explicans Gregorius in principio epistolæ cit. ad Theositam, ait; *Qui enim vitæ suæ in cælo testem habet, iudicia hominum in terra pertimescere non debet.*

Seneca.

Iob.

Gregorius

Quid igitur faciendum? Tolerandæ ne omninò calumniæ, an resistendum? Ad hoc respōdeo, resistendum pro posse, lingua, & manibus, verbis, & operibus; Quia, vt ait Gregorius loco cit. *Cum sedari stultorum hominum murmur trāquilla ratione potest, peccatum esse crede, si ne bonum, quod vales fieri, negligitur, vt fiat. Nam cum placare insanas mentes, atque ad salutem reducere possumus, scandalizare eos minimè debemus. Sunt enim quædam scandala, quæ omninò despicienda sunt: quædam verò cum vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt, ne cum culpa sinuentur.* Et paucis interpositis, docet, illa scandala, quæ nos ad peccata implicant, contemnenda, & ea, quæ placare sine peccato possumus, modis omnibus mitiganda. Si verò omnibus diligentijs peractis, nihil proficiamus, tunc dicamus cum Christo Matth. 15. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Et consolemur illo Matth. 5. *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis: sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et illo Matth. 10. *Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?* Consolemur denique

Matth. 15.

Matth.

Matth.

aique exemplis eorum, qui similibus calumnijs petiti sunt. Quorum multos hic supra atuli, dicentes, quòd, *Reddet illis Dominus secundùm opera eorum*, vt dicitur ad rem hanc a. ad Timoth. 4. Et quòd disrumpantur licet calumniatores, & eorū auditores, Religio semper erit Religio, & quò acriùs fuerit impugnata conuicijs, eò (protegente Domino, primo Religionum omnium fundatore) florebit feliciùs. Et canet illud Pindari. *Preme Preme Immersabilis Sum sicut suber super maris summum*. His tandem vnam meorum propono si sapiunt quidquam, volueodam, Augustinj sententiam serm. 53. ad fratres in Eremum, vbi ait. *Nemo lacerer seruos Dei, quia nō expedit lacerantibus, seruus Dei quidem merces falsis detractionibus crescit, sed crescit etiam fama detrahentibus. Nam non sine causa dictum est, Gaudete, & exultate, quando detrahunt de vobis, quia merces vestra magna est in cœlis?*

Timoth. 4.

§ Secundus. Quarè à Religione eiecti, & Apostatæ sint tam peruersi flagitiosi, & scandalosi.



EST res miserabilis, & contrà naturā, quòd assueti regulari disciplinæ, si semel excutiant iugum, tàm effrænatè, & libidinosè viuunt, vt vix flagitiorum genus sit reperire, quòd ipsi attentare non audeāt & tamen videretur, quod contrarium foret futurum; quia, vt dicitur Prouer. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, & S. Maximus In ser. de S. Io. Bapt. *Quod in iuuentute addiscitur, in matura ætate seruatur*; & Salust. in Iugurtha, *Benefacere ex consuetudine, in naturam vertitur*, & tandem, *Suaue est homini, quod consueuit tota vita sua*. Hic huius rei rationem quærimus.

Prouer. 22. S. Maxim. Salust.

Dicendum est cum phylosopho, quòd corruptio optimi pessima est, & si bonus bonitatem Relinquat, non fiet malus, sed pessimus, sicut enim flumen assuetum fluere, si per aliquod tempus retineatur, aperta deinde aliqua via; maiori impetu ruit; Vndè Poeta Aeneidos primo de ventis carcere ab Aeolo detentis. Cum conuersa cuspide impulit In Latus cauum montem. *Ac venti velut agmine facto. Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant*. Sic isti aquatici homines, Veneris fratres, & vento ambitionis agitati sub iugo suaui Religionis assueti, si semel illud excutiant, vt sui iuris compotes facti, omnia sibi licere existimant, & sic nullum reperitur facinus, quod attentare non audeant. Quod etiam omniscius D. Th. docuit 2. 2. q. 186. art. vlt. ad 3. vbi ait. Quòd *isti non fiunt mali, sed pessimi*, & ad id adducit illud Ieremiæ 2. *Confregisti iugū disrupisti vincula, dixisti non seruiā, in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, tu prosternaberis meretrix*. Ratio autem formalis est, quia procliuius tendit in malum, quàm in bonum natura, quæ ad malum est prona ab adolescentia sua, & oneri habet regularem disciplinam in quæstu autem relaxatè viuere.

Virgil. D. Thoma. Ierem. 3.

Ad quod facit illud Doctissimi Baronij to. 12. annal. anno 1145. pag. 100. *Nihil in suis membris infestius Ecclesia patitur, quàm Religiosus à paternis institutis desciscentes, & amore sæcularium ad gloriam, & lucra turpiter inhiantes*. Sed melius Augustinus epist 137. *Qui teste est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quam qui in Monasterijs profecerunt, ità non sum expertus peiores, quàm qui in Monasterijs ceciderunt. Ità vt hinc arbitrer scriptum in Apocalypsi. Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc*, & refertur in cap. *Quantumlibet* distinct. 47.

Baronij. Augusti.

§. Tertius Vtrùm possit eijci à Religione, qui interrogatus in Professione, an haberet aliquam infirmitatem incurabilem vel aliud impedimentum, negauit, si posteà repertus fuerit habere.



IN Religione nostra Minimorum Nouitij facturi professionem interrogantur, an habeant aliquam infirmitatem incurabilem, vel contagiosam, qui si negauerint, admittuntur ad professionem, cum protestatione, quòd si deinde reperti fuerint aliquam huiusmodi habere, professio erit nulla, ita habetur in nostris cæremonijs de modo recipiendi fratres ad professionem, & in Capitulo Paulæ auctoritate Apostolica confirmato, num. 33.

Secundò, in eodem Capitulo Paulæ num. 34. *definierunt Patres, quod similis interrogatio fiere debeat de illis, qui ex Confessorum genere eri ginem traxerunt, cum simili protestatione de habenda nullia, & irrita eorum professione*; de culus ilaturi validitate disputat Nauar. lib 3. consi. de regul. consil. 26 Passarellus in Schol. js ex Genuensi, num. 31. Rodriq. tom. 3. quæsti. regul. q. 11. art. 1. & 2. Beia 4. parte casuum, casu 35. Mir. tom. 1. Manual. q. 19. art. 7.

Nauar. Passarelli. Rodriq. Beia. Miranda.

Tertiò, interrogantur, an grauati sint ære alieno, & cum non esset soluendo, ad Religionem conuolauerint: vel an commiserint aliqua delicta, propter quæ non possint in seculo tuti manere.

Quæritur igitur in hoc §. An qui negauit habere aliquod ex prædictis impedimentis (cæteræ enim interrogationes non multam patiuntur difficultatem) præfata protestatione adhibita, si posteà repertum fuerit habere aliquod, fit nulliter professus, & per consequens possit à Religione expelli.

Circa primam interrogationem dico, quod in nostra Religione per prædictū statutū à Papa confirmatū, Professio habentis incurabilem, vel contagiosā infirmitatē est nulla, ita Rodriq. to. 3. q. regul. q. 17. ar. 9. Mir. to. 1. Manual. q. 19. art. 3. Vega 2. par. cap. 50. casu 4. notab. 3. à Sorbo in comperd. priuil. mendic. verbo Nouitius post 7. notab. §. 5. principaliter, pag. mihi 435. Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 4. n. 57. Quod etiā fer fit, & defēcit præclarissimus Iurisconsultus Zacharias Giraldus Bonon. anno 1610. in casu, quo quidam filius Excell. D. Antonij Cucchi Medici præclarissimi, in d. Ciuitate propter comitialē morbū fuerat à nostra Religione expulsus, inquo solemniter professionē emisserat; cui expulsioni adstipulata est deindè, vt audiui, Romana Rota.

Rodriq. Miranda. Vega. à Sorbo. Sanchez. Zachar. Girald.

Circà secundam interrogationem dico, quòd illud statutum Paulæ est contrà ius commune, cap. Eam te de rescriptis, vbi Felinus num. 12. ponit hanc Regulam. *Infidelitas etiam propria non nocet Conuersæ*. Et latè id probat Passarellus in Scholijs ex Genuensi, num. 31. §. Quæstio super receptionem illorum, & ideò cum acta prędicti Capituli sint confirmata, quatenùs iuri cõmuni contraria non sunt, statutum illud nihil valet. Pręterea fuit eum multis non obstantijs antiquatum in specie à Gregorio XIII. anno Domini 1583. die prima Augusti per suam constitutionem, quæ incipit. Muneris nostri, & habetur in nostris constitutionibus post regulam, pag. 83. in qua cessat prædictum statutum, *quia*, ait, *Græci, & Iudæi, distinctio esse non debet*, admittitque præfatos ad dignitates, & officia ordinis.

Felinus. *Passarell.*

Confirmat autèm dictum statutum *quò ad illos, qui ex Iudæis, ex eo quòd post baptismo ab eis susceptum, iterùm à fide Catholica recesserint, per sententiam in foro Ecclesiastico latam damnatis, Mahumetanis item, & Hæreticis similiter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combusta sunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam vsquè ad quartam generationem inclusiuè*, vide Zanardum tom. 2. suæ summæ cap. 17. quod conformat cum cap. Si qui Presbyteri prima quæst. 7.

Zanard.

Itaque prædictum statutum Paulæ indistinctè nullius est momenti; tùm propter dictam constitutionem Gregorij; tùm quià contrà ius commune cit. Cap. Eam te, contrà quod nullus inferior Papę habet auctoritatem statuendi, vt docent Nauarrus lib. 3. consil. de regul. consil. 26. num. 4. Passarellus loco cit. Rodriq. tom. 3. q. regul. q. 11. art. 2. Miranda tom. 1. Manualis, q. 19. art. 7. versu Præmitto 1. d. 20. & habetur expressè in cap. Quod super his de maioritate, & obedientia.

Nauar. *Passarell.* *Rodriquez* *Miranda.*

Valet autèm quò ad eos, qui originem ducunt ex relapsis Iudęis, Mahumetanis, & Hęreticis dãnatis per sententiam in foro Ecclesiastico, & hoc siuè ducant originem per paternam, vel maternam lineam. Vnde duæ conditiones requiruntur, ad hoc vt quis iam professus in nostra Religione, vigore prædicti statuti possit expelli vsque ad quartam generationem inclusiuè. Primò, quòd ducat originem ex Iudæis, &c. qui post susceptum baptisma ad Iudaismum, &c. redierint. Secundo, quòd de hoc conuicti, & damnati fuerint in Tribunali Ecclesiastico.

Dicunt verò Nauarr. loco cit. num. 1. & 11. Rodriquez loco cit. Ludouicus Beia 4. par. casuum, casu 25. versu, Probatur hæc veritas, col. 5. & versu, Ex his apertè, col. 6. Sanchez lib. 7. matrim. disp. 37. quæst. 4. num. 30. & lib. 5. in decalog. cap. 4. num. 73. Quòd licet pręfati descendentes ex maculato genere (non loquor de relapsis) non possint eijci ex Religione vigore præfati statuti, quod nullum est; possunt tamèn eijci, quia non fuit datus consensus legitimus ex parte recipientium, receperunt enim eos cum ista conditione, si non descendissent ex infidelibus, & dispositio conditionalis, non existente conditione; nihil operatur, vt cap. Si pro te de rescriptis in 6. & cap. Pręterea el secondo de appell. quibus tamèn, (Hoc saltèm casu) obstat præfata Constitutio Gregorij, quę vult, quòd conditio originis, Iudæis, & Mahumetanis, nec quò ad ingressum, nec quò ad dignitates, quidquam nocere possit, aùt debeat etiam facta d. protestatione ex parte Religionis, vt patet ex dicta constit. Gregor. §. 1.

Nauar. *Rodriquez* *Ludouic.* *Beia.* *Sanchez.*

Ad tertiam interrogationem. Dico quòd in in Ordine nostro nullum est statutum irritans professionem illorum: & quandò fiunt protestationes, non fiunt, nisi de infirmitate incurabili, vel contagiosa: præsertim in his partibus Italię, in quibus rarò inueniuntur, qui ex genere Iudeorum, vel Mahumetanorum descendant.

Primò autèm circa grauatos ære alieno: & reddendis rationibus obnoxios, propter administrationem rei alienę, vel publicæ, vel particularis: vel criminosos, extant duę constitutiones Syxti Papę V. vna, quę incipit cum de omnibus, & altera huius modificatiua, quæ incipit ad Romanum spectat Pontificem, quas refert Quarãta, verbo Monasteria Regularium, pag. mihi 406. & Naldus in sum, verbo Religiosus, num. 40. in quibus prohibet, tales ad Religionem recipi, & receptos, & iam professos eijci iubet, & priuat voce actiua, & passiua, & officijs, quæ habẽt ipso facto quoscumque Religiosos, & eorum superiores, inhabilesque reddit in perpetuum ad alia obtinenda, qui dictos ære alieno grauatos, & criminosos ad Religionem receperint. Quas extrauagantes, simùl cum illarum modificatoria Gregorij XIV. quam referunt ijdem Quaranta, & Naldus, reduxit ad terminos iuris Communis Clemens Papa VIII. anno Domini 1601. die 2. Aprilis per suam constitutionem, quæ incipit in suprema Ecclesia, quam refert Naldus in sum. verbo Professio Regularium, n. vlt. & Cherub. tom. 3. Bull. in Clemente VIII. constit. eius 83. pag. mihi 119. & Meminit de ea Sanchez 7. de matrim. disp. 37. q. 4. num. 34. & Beia 4. parte casu 18. fine, Miranda tom. 1. Manual. q. 19. art. 3. relictis tamen in suo robore pœnis, ibi contentis contrà superiores, qui ea forma non seruata, aùt illis impedimentia affectos ad Religionem admittunt.

Quaranta *Naldus.* *Naldus.* *Cherub.* *Sanchez.* *Beia.* *Miranda.*

De iure autèm communi certum est, professionem pressi ære alieno, esse validam, etsi profitendo, reddatur impotens ad soluendum; cum tamen in sæculo esset soluendo, & patet, quia ad hoc vt professio sit valida, satis est, si persona sit libera, & à iure profiteri non prohibeatur, persona autèm debitoris non est creditorũ serua nec eis debita, quamuis ad illis satisfaciendum obligata, nec vllo iure Ecclesiastico illa professio irritatur antè constitutionem Syxti Quinti, ita Angles in floribus, secunda parte, quęst. Quis à restit. sit liber, art. 2. difficul. 9. pag. 172. versu valebit tamèn, Medina Cod. de rebus restit. quæst. 3. causa 8. ad quintum, Sanchez lib. 4. in decalogum, cap. 19. num. 2. Verùm quidèm est, quòd tàm recepius, quàm recipientes peccabunt mortaliter, vt Angles.

Angles. *Medina.* *Sanchez.*

Circà verò reddendis rationibus obnoxium, si reddere debeat reipublicæ, & communitati, cui sit perpetuò obligatus, ingredi non potest, vt habetur cap. Legem, d. 53. Si verò sit obligatus ad ratiocinia priuatorum, potest ingredi, vt habent Angelus, verbo Religiosus, num. 10. Sylu. verbo religio 2. q. 6. Sanchez multos citans 4. in decalogum, cap. 19. num. 19.

Angelus. *Sylu.* *Sanchez.*

Secundò

Secundò noto, quòd debita, quę prohibent his onustum ingredi Religionem, debent esse supra ipsius facultatem; & debet esse certa, quorum Dominus, facta diligenti inquisitione, possit scire, vt dicitur in præfata constit. & per debita intelliguntur, non solùm realia, verùm, & personalia, si scilicet aliquis esset condemnatus ad soluendum aliquid in pœnam alicuius transgressionis. Verùm quidem est, quòd posset quis ingredi Religionem de consensu suorū creditorum, vel etiam ipsis inuitis, priùs cedendo bonis suis; vt notant Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 10. art. 9. Miran. tom. 1. Manual. q. 17. art. 7. Naldus in sum. verbo Religiosus, n. 21.

Rodriq. Miranda. Naldus.

Tertiò, Circa obnoxios reddendis rationibus noto, quòd si patrimonium illius, qui vult profiteri, longe superat æstimationem administrationis præstitæ, nec rationes eius ita sunt inuoluæ, vt possit ei molestia aliqua inferri, hoc non esset impedimenti ad Religionem profitendum, vt ex mente huius constit. colligit Diaz in sua practica cap. 2. num. 6. Naldus loco cit.

Diaz. Naldus.

Nec similiter impediretur quis à Religionis ingressu, & à facienda professione, si antè ingressum sufficientem cautionem præstitisset, qua fideiussores se ad reddendas rationes obligarēt, sicut principales debitores; vt notat idem Diaz. Qui autem sint ij, qui sunt obnoxij ad reddendas rationes, docet Rodriquez loco cit. art. 10. nimirùm Tutores, Curatores, Actores, Procuratores, & Executores: de quibus omnibus intelligitur prædicta extrauagans Syxti V. videri potest circa hoc ipsum Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 54. art. 2. & per totam quæstionem, vbi ex professo agit de istis Bullis Syxti, & Sāchez loc. cit.

Diaz. Rodriquez. Rodriquez.

Quartò, Circa criminosos noto, quòd si postquam quis commisit homicidium, latrocinium, &c. & antequàm de his cognoscat Iudex sæcularis, ingrediatur Religionem, non potest de his delictis ampliùs Iudex sæcularis cognoscere, nec hæc crimina impediunt Religionis ingressum, sed solùm impediunt, quando antè susceptionem habitus deducta essent in iudicium per accusationem, seu inquisitionem contra delinquentes, ita declarauit suam primam constit. prædictus Syxtus, & aduertunt Rodriq. loc. cit. art. 7 & Mir. tom. 1. Manual. q. 10. art. 8.

Rodriquez. Miranda.

Aduertendum tamen circa hos criminosos, quòd Leo X. anno 1516. die 15. Martij per suam constitutionem, quæ incipit, cum sicut nobis, & habetur in nostris priuileg. Minim. pag. 151. *Concessit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis fratrum Minorum, vt fratres eiusdem Ordinis etiam professos, qui grauissimis, & scandalosis delictis notati, & diffamati fuerint, quæ fraudulenter; ac dolosè in eorum receptione, ac professionis emissione (monitione super his per prædictos Prælatos præmissa) tacuerunt, non obstante, quòd iam recepti sint, & professionem emiserint, ne morbida, & infecta pecus ouile Domini corrumpat, & vt aliis cedat in exemplum, à domibus, & Conuentibus dicti ordinis expellere, & remouere, liberè, & licitè possint, & valeant, pro vt conscientijs prædictorum superiorum (quas super hoc onerat) visum fuerit iustum, & honestum.*

Rodriq.

Circa quam constitutionem aduertit Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 17. art. 9. quòd ad hoc vt præfati criminosi possint expelli à Religione, non est necesse, quòd eorum delicta sint deducta per accusationem, denunciationem, vel inquisitionem in iudicium, vt volebat constitutio Syxti V. sed satis est, quòd de ijs delictis fuerint diffamati, & notati: etiamsi nō fuerint accusati.

Aduerto etiam, quòd hoc priuilegio gaudēt omnes communicationem habentes, & quòd non est reuocatum; Noto etiam, quòd non conceditur per hoc priuilegium, vt professio ab istis facta possit nulla declarari, sed tantùm, vt possint expelli.

Ex his igitur colligitur primò, quòd nullus professus potest à Religione expelli, eo quòd descendat ex genere Iudæorum, Mahumetanorum, & aliorum infidelium, quantumuis interrogatus hoc tacuerit in professione, neque potest à Religione expelli professus ære alieno grauatus. Nec reddendis rationibus obnoxius iuxta dicta: Verum quidem est, quòd superiores recipientes huiusmodi debitis, & ratiocinijs obligatos incurrent pœnas positas in Bullis Syxti, atque ita tenet Sanchez lib. 4. in decalogum cap. 19. num. 21.

Sanchez.

Secundò, Colligitur, posse tamen à Religione Minim. expelli laborantem incurabili, seu contagiosa infirmitate, & descendentem ex hæreticis, Iudæis, vel Mahumetanis relapsis; Posse etiam expelli criminosos, quamuis eorum delicta non fuerint in iudicium deducta, modo de ijs fuerint diffamati, per priuil. Leonis citati.

Sanchez.

§. Quartus: *A quonam debeat expelli Professus inualidè propter infirmitatem, vel crimina, de quibus est in sæculo diffamatus.*

DICENDVM est, quòd debet expelli à Generalibus, vel Prouincialibus Ordinis, cum eorum Collegijs, absque aliquo interuentu ordinarij, ita Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 17. art. 9. & q. 11. art. 10. Nauar. lib. 3. consil. de regul. consil. 26. num. 3. & consil. 57. à num. 3. Mir. tom. 1. Manual. q. 30. art. 2. conclus. 5. Zacharias Giraldus cit. §. præcedenti in lacti contingentia, num. 76.

Rodriquez. Nauarr. Miranda. Zach. Giraldus.

Probatur ex priuil. Leonis X. cit. quòd expressè concedit hanc facultatem superioribus ordinis, vt vidimus.

At obijcies, Concil. Trid. sess. 25. de regul. cap. 19. vbi dicitur, *quòd quicunque Regularis prætendat se per vim, aut metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat antè ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, &c. Non audiatur, &c. nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario.* Ex quo colligitur, quòd ad declarandam professionem nullam, requiritur auctoritas, non solùm superioris Religionis, sed etiam ordinarij locorum.

Respondeo circa hoc caput, multa, & doctè docent Sanchez lib. 7 de matrim. disp. 37. & prædictus Zacharias in consil. pro hac re, à nu. 48. vsq; ad 97. Ait ergò Sanchez. q. 4. n. 32. quē sequitur d. Zacharias, Concilium nō procedere in professione nulla, & irrita ex statutis Religionis à Pontifice confirmatis, sed procedere in causis irritantibus professionem de iure, vt exempla, quę afferuntur, innuūt; Professio enim facta antè tempus debitum nulla est ipso iure, si fiat antè puber-

Sanchez. Zacharias. Sanchez.

pubertatem, item professio metu, vel dolo nulla est, vt Sylu. verbo Religio 3. num. 11. sed hæc professio nulla est per statutum speciale.

Sylu.

Ex quibus colligitur, posse Religionem, nulliter per ipsius statuta professum in casibus propositis semper eijcere, etiam transacto quinquennio, quia alioquin maximum detrimentum pateretur; cogeretur enim effectos inhabiles per sua statuta à Papa confirmata retinere, eo quòd quinquennium transactum sit à professione irrita, doloque facta, atque ita decretum fauore Religionis editum in ipsius detrimentum redundaret, contra Regulam. Quod ob gratiam quæ est 61. de regulis iuris in 6. vbi dicitur; *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, & illi inhabiles, commodum ex suo delicto reportarent, contra caput tuæ de Clericis non residentibus, ita Sanchez loco cit. num. 32.

Sanchez.

Secundò. Colligitur, hos inhabiles, quocumque tempore transacto reclamantes esse audiendos; quia Trid. claudens aditum ad reclamandum post quinquennium, non loquitur de his inhabilibus; clausula enim. Ex quacumquè causa, ad personas habiles restringenda est, ita Sanchez loco cit. num. 33.


Sanchez.

Tertiò, Colligitur, ipsos debere reclamare apud solos Prælatos regulares, ad quos pertinet, declarare nullitatem professionis, nec posse cogi Prælatos regulares ad simul cum ordinario causam decidendam, quia, Concilium non loquitur in his casibus, vt diximus, & fuit in facti contingentia, ita iudicatum in casu illo Bononiensi citato, in quo per solum Vicarium Generalē nostri Ordinis fuit prædictus Cucchius propter comitialem morbum à Religione expulsus, quam sententiam, vt audio, confirmauit Rota Romana.

Quartò, Colligitur, quòd professio facta per metum cadentem in constantē virum est nulla, etiam si metum incutiens non incutiat in ordine ad dictam professionem; nam professio debet esse libera, sed ex quocumque fine fit metus concussus libera non est, cum est, per metum, ergò neque Concilium requirit, quod metus sit incussus in ordine ad professionē, sed absolutè, quod qui per vim, aut metum prætenderit &c. Vndè qui timore, nè occideretur in sæculo, Religionem est ingressus, videtur posse prætēdere se per metum fuisse ingressum. Sic Iuuenis, qui sæuitiam Patris, vt aufugeret, Religionem est ingressus, videtur posse prætendere fuisse per vim ingressum, nam tunc professio libera non est, supposito quod nesciat, quo alio loco commodius possit diuertere. Fauet Trid. dicta sess. 25. cap. 17. & cap. 16. ibi, *ne hac occasione discedere nequeat*, in quo supponit Trid. quod bona Monasterio donata libertatem professionis impediant; quod si bona temporalia dictam impediunt libertatem, multò magis illam impediet metus mortis, quæ verò impediunt nè liberè fiat professio, factam professionem cassant in casibus designatis à Concilio, scilicet vi, metu, &c.

Trid.

§. Quintus: *Verùm Conuentus possit consentire, vt habens incurabilem, seù contagiosam infirmitatem, validè profiteatur.*



SCIVNT fratres vnius Conuentus, aliquem Nouitium, comitiali morbo, seù alio incurabili laborare; tamen admittunt eum ad professionem cum consensu Prælati. Quæritur, an ille sit validè professus, ita vt ab alijs superioribus non possit amplius expelli.

Dicendum est, non posse fratres consentire, vt talis validè profiteatur.

Probatur; tùm quia est contra Regulam, & regularia statuta; tùm quià, licèt reuera consentiant, deest tamen potestas validè consentiendi, & validus nouitij consensus, vtpotè qui iure incapax est.

Neque valet quòd vnicuiq; licet iuri suo renunciare, nàm dico quòd hoc intelligitur de iuribus singularibus, & personalibus, non autèm de ijs, quæ sunt in communem vtilitatem Religionis; his enim fratres vnius Conuentus renunciare non possunt, immò neq; fratres capituli Prouincialis: neq; etiam fratres Capituli Generalis; quià hæc Capitula non possunt quidquam, quòd sit contra Regulam, & commune bonum, vt patet ex cap. si diligenti de foro competenti, & habet Glossa in capite ad Apostolicam de regul. verbo Monasterij, adde quòd quandò dicitur, quòd vnicuiq; licet iuri suo renūciare; intelligitur modò nō sit in præiudiciū tertij, vt esset hoc casu, nimirùm cōmunitatis.

Glossa.

CAP. XXVI.

De Religiosis Apostatis, vagabundis, & fugitiuis.



PRO hoc capite videatur Caiet. 2. 2. q. 12. art. 1. §. antepenult. Innocen. Panor. & alij Canonistæ toto titulo de Apostatis. Hostiensis in sum. lib. 5. tit. de Apostasia, pag. 1547. Angelus, Tab. Rosella, Pisanella, Sylu. Caiet. & reliqui summistæ verbo Apostasia Nauar. lib. 5. consil. de Apostatis, & lib. 3. consil. de regul. consil. 75, & comm. 2. de regul. num. 33. Quaranta in sum. Bullarij, verbo Apostata, & eius Additionator, verbo casus reseruati circa secundum casum, Graff. lib. 3. de casibus reseru. cap. 2. & prima parte decis. lib. 3. cap. 5. à num. 78. Confettius in compend. priuil. mendic. tit. 13. cap. 14. & 16. Casarub. & à Sorbo in compend. verbo Apostatæ Zerola par. 2. praxis verbo Monachus, Diaz, & Salzedo in practica, cap. 114. Sa in aphorismis, verbo Religio, à num. 71. Vega prima parte sum. cap. 20. Antoninus 3. parte, tit. 16. cap. 5. Val. tom. 3. disput. 1: q. 12. p. 1. Iulius Clarus in sua practica crim. lib. 5. q. 77. n. 16. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 30. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 16. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 15. Suarez tom. 5. in 3. pat. disp. 23. sect. 4. excom. 14. Reginald. lib. 18. praxis, n. 416. Mir. tom. 1. Manual. q. 51. Ioannes à Cappeauille 2. pac. de casibus reseru. cap. 2. q. 1. Sayrus lib. 3. de censuria, cap. 34. à. num. 7. Thomas

Caiet. Innoc. Panorm. Hostiens. Angelus. Tab. Rosella. Pisanella. Sylu. Caiet. Nauar. Quaranta. Graffius. Confett. Casarub. à Sorbo. Zerola. Diaz. Salzedo. Sa. Vega. Antonin. Valent. Iul. Clar. Rodriquez. Azor. Lessius. Suarez. Reginald. Miranda. Io. à Cappeauilla. Sayrus.

Thomas Triulz. Spathar. Ledesma. Sanchez.

Thomas Triulzanus in sua pract. crim. cap. 18. num. 18. Spatharius de modo corrigendi regul. tract. 10. par. 3. cap. 18. Ledesma de statu Religiosorum in communi, cap. 4. conclus. 18. difficul. 1. pag. mihi 176. & cap. 8. per totum, pag. 173. Sanchez 6. in decalog. cap. 8.

Missis varijs distinctionibus Apostasię, à Fide, ab Obedientia, à Religione, vel ab Ordine, & & alijs subdiuisionibus horum membrorum, quæ videri possunt apud cit. Doctores. Hic solùm nobis agendum est de Apostasia à Religione, quam quis per solemne votum professus est. Quæ Apostasia nihil est aliud, quam recessio à Religione, quam quis professus est, habitu dimisso, vel retento, absq; animo ad eam ampliùs redeundi.

Caietan.

Noto primò, ex Caiet. 2.2. quęst. 12. art. 1. §. antepenult. dupliciter posse contingere, Religiosum sinè licentia extra Claustra manere. Primò eo animo, & intentione, vt non sit ampliùs Religiosus, & hic est verus Apostata: nec excusatur ab Apostasia, & censuris annexis, ex hoc quòd habitum deserat, sed tenetur ad omnia, ad quæ tenentur alij Apostatę sinè habitu; Secundò non eo animo retrocedendi à Religione, sed propter Prælatorum fortè rigorem, aut propter libidinem vagandi, aut aliquid huiusmodi, & talis non est Apostata, sed fugitiuus, & vagus; Quod probat Caiet. ex eo quia Apostasia consistit in retrocessione à Religione: ac per hoc, qui retrocessioni à Religione numquàm consentit, numquã Apostasiã incurrit, quãuis incurrat peccatum Inobedientiæ, & rebellionis, contra præceptum Prælati exeundo. Sicut etiam stans in Claustro, & nolens pertinaciter obedire Prę-lato aliquid iustè præcipienti, rebellis est, non Apostata.

Nauar.

Noto secundò, Nauarrum lib. 5. consil. tit. de Apostatis, consil. 11. num. 8. ex prædicta doctrina Caietani, optimè colligere differentiam inter Apostatam, & fugitiuum, seù vagum. Fugitiuus enim est, qui exit Monasterium sine superioris licentia, & vagatur, siuè omisso, siuè retento habitu, & se celat, ne inueniatur, non animo Religionem deserendi, sed ad eam reuertendi. Apostata verò est ille Religiosus, expressè, vel tacitè professus, qui deserit Religionem, quam professus est, sinè transitu ad aliam, absque animo ad eam reuertendi, siuè dimisso, siuè retento habitu. Et dixi, tacitè, vel expressè professus, ad insinuandos duos modos, quibus quis professionem Religionem ingreditur, de quibus in sequentibus §. aliqua dicam. Dixi, sinè transitu ad aliam, quia si quis deserat Religionem laxiorem, & ingrediatur strictiorem, etiam non obtenta licentia sui Prælati, licèt petita, Apostata non est, vt dixi supra cap. 24. conclus. 1. Si autem ingrediatur laxiorem cum licentia Pontificis, non est dicendus Apostata; quia ad id summus Pontifex habet auctoritatem, vt dixi cap. 24. conclus. 5. Si autem sua propria auctoritate, absque licentia Pontificis, vel sui Prælati data cum causa legitima, vt dixi d. cap. 24. conclus. 6. non est dicendus Apostata, nisi im-

Rodriquez. Graffius. Ledesma. Sanchez.

propriè. Ita Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 30. arti. 1. & Graff. lib. 3. de casibus reser. cap. 2. num. 34. Ledesma de statu Religiosorum in cõmuni, cap. 8. conclus. 4. Sanchez 6. in decalog. cap. 8. num. 8. quamplurimos citans, quia iste non retrocedit à substantia Religionis, sed retroabit. Esset tamen, si a nostra Minimorum ad aliam, absq; legitima causa, & auctoritate transiret, quia tùc retrocederet a substantia Religionis, de qua est quartum votum vitæ Quadragesimalis, vt dicam suo loco. Neque est censendus Apostata, qui exit Monasterium ad succurrendum parentibus, extreme, vel grauiter indigentibus, petita licet non obtenta licentia, vt dictum est supra cap. 9. & denique nullus fit Apostata, nisi per culpam mortalem, & non per omnem mortalem, sed per eam, qua retroceditur à Religione, animo ad eam amplius non reuertendi, vt dicunt omnes.

Nauar. Rodriq. Graff. D. Thom.

Ex quibus vlterius colligitur, non esse Apostatam eum, qui retrocessit ea retrocessione, quę non est mortifera; vt si per aliquos passus sine licentia Prælati egrediatur Monasterio, statim reuersurus. Nauarr. lib. 5. consil. tit. de Apostatis consil. 11. num. 8. Rodriquez loco cit. Graff. loc. etiam cit. num. 46. cum exiguitas in omni materia excuset à mortali, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 59. art. 4. ad secundum.

Graffius. Ledesma.

Neque esse Apostatam eum Religiosum, qui lasciuiendi liberiùs gratia, de nocte Monasterium exit, habitu dimisso, cum animo eadem nocte reuertendi, licèt si incurrat excommunicationem capitis, vt periculosa, de qua infra. Ita Graffius par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 79. Ledesma de statu Religiosorum in communi, cap. 4. cõclus. 18. difficul. 1. vers. digolo 2. pag. mihi 177.

Graffius. Sanchez. Bannes. Aragon. Suarez.

Neque esse Apostatã illum, qui ad longũ tempus, etiã sine habitu vagatur, si semper habet redeundi animũ Graff. lib. 3. de casibus reseru. cap. 2. n. 45. Sanchez 6. in decal. cap. 8. n. 4. fine Bãnes; & Aragon. 2. 2. q. 12. art 1. contrariũ sentit Suarez tom. 4. de Relig. tract. 4. lib. 3. cap. 1. n. 11.

Nauarr. Rodriquez. Sanchez. Francis. à Coriol. Riccinllus. Tridens. Suarez.

Neque esse Apostatã, vel fugitiuũ, nec mortaliter peccare illũ Religiosũ, qui valdè grauatus à suo superiore Pręlatũ adit, vt à tali grauamine subleuetur, vt dixi supra cap. 20. conclus. 1. dub. 1 ex Nauar. comm. 2. de regul. n. 61 Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 30. art. 3. quibus addo Sanchez 6. in decalog. cap. 8. n. 17. Franciscum à Coriolano de casibus reseru. 2. par. casu 3. à nu. 9. Riccrullum de iure personarum, lib. 8. cap. 2. à n. 14. qui id multis probat, & exponit Concilium Trid. sess. 25. de regul. cap. 4. vide Suarez to. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. num 5.

Caietan.

E contrà autem ex dictis etiã colligitur: esse Apostatã illũ Religiosũ, qui animo ad Religionẽ non reuertendi vagatur etiã cũ habitu, patet ex Caiet. licèt si in foro exteriori nõ erit iudicàdus Apostata. Secundũ aliquos quo ad incurrendã excõmunicationẽ capitis, vt periculosa, quam aiunt solũ ferri in habitũ dimittentes, nõ in hos Apostatas, qui licet tales verè, & realiter sint, tamen cũ id in intentione solũ consistat eos excõmunicatos nõ iudicat sine habitus dimissione, quia solũ de his, quę videt, iudicat Ecclesia.

Caiet. Armilla. Nauarr. Aragon. Sanchez.

Etiã esse fugitiuum, Religiosum fugientem è carcere, in quo iussu sui superioris iustè detinebatur. Ita Caiet. 2. 2. q. 69. art. 4. dub. 2. fine, Armilla verbo Accusatio, n. 19. Nauarr. comm. 4. de regul. n. 64. Corolar. 5. Aragon. 2. 2. q. 69. art. 4. circa secundum argumentũ D. Thomæ, dubio 1. fine, Sãchez quã plurimos citãs 6. in decal. cap. 8. n. 12. Ratio est, quia Religiosi per vota se sua libertate exeũdi à claustro, & vagãdi priuauerũt.

Temperat tamen Sanchez, nisi pœna Capitis, vel membri alicuius abscindendi illi imponenda esset: vel licèt iuste detentus; iniuste tamen ibi per nequitiam custodis, vel mandatum superioris affligeretur: puta, denegando illi cibum potum, vestem, aut ignem, ad vitæ sustentationem necessaria: quia tunc naturale conseruandæ vitæ desiderium, ius illi præberet fugiendi.

Nauar. Salzedo. Sayrus. Rodriquez. Sanchez.

Etiam esse fugitiuum fugientem è carcere, in quo erat perpetuò damnatus. Nauar. loco. cit. Corolar. 4. Salxedo ad practicam Diaz, cap. 140. versu. Sed vtrùm Clericus, pag. mihi 574. Sayrus in Claui Regia, lib. 12. cap. 18. num. 9. Rodriquez de ord. iudic. cap. vlt. num. 4. fine, & tom. 1. sum. cap. 40. num. 1. versus finem, Sanchez loco cit. num. 18. propter dictam rationē; Quod etiam temperandum est; nisi iustè detentus, iniustè affligeretur.

Rosella. Armilla. Tabiena. Henriq. Azor. Miranda. Glossa. Caietan.

Dico primò, Apostata est ipso iure, & ipso facto excommunicatus, siuè habitu retento, siuè dimisso vagetur. Ita Rosella verbo Excommunicatio primo, casu 16. num. 1. Armilla verbo Apostasia, num. 12 Tab. verbo Excomm. 5. casu. 23. num. 1. Henriquez. lib. 12. de excommunic. cap. 39. num. 1. fine, & cap. 40. num. 1. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 17. quæst. 6. Mir. tom. 1. Manual. q. 51. art. 2. conclus. 3. Glossa in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. verbo ipso facto, Citatur etiam pro hac sententia Cai. 2. 2. q. 12. art. 1. §. antepenult. vbi ait; Apostatam non excusari ab Apostasia, & censuris annexis, ex eo quòd defert habitum, in sum. autèm, verbo Apostasia dicit, quòd Apostata est excommunicatus propter dimissionem habitus.

Azor.

Probatur primò ex d. cap. Vt periculosa, in quo ideò fertur excommunicatio in eos, qui temerè suæ Religionis habitum dimittunt, vt periculosa Religiosis euagandi subtrahatur occasio. Ergò siuè habitu indutus, siuè eo exutus Religiosus à Religione defecerit, vt liberè euagetur, in excommunicationem incurret, vt benè Azor; Nàm tàm perniciosa est vagatio cum habitu, quàm sinè illo. Immò dico, quòd est magis perniciosa, & magis scandalosa; quia cum habitu nocet sibi, & Religioni, eam suis malis artibus, & actibus infamando; sine illo autèm non nocet, nisi sibi ipsi, cum non cognoscatur ab omnibus.

Cæsarub. Miranda. Sanchez. Coriol. Naldus.

Secundò. Probatur ex priuil. Innoc. VIII. & Syxti IV. quæ refert Cæsarub. in compend. priuil. verbo Apostatæ ab Ordine, num. 21. in quibus excommunicantur ipso facto Apostatæ, Constat etiam ex multis alijs decretis summorum Pontificum, de quibus meminit Mir. loco cit. & ex alijs, quæ refert Sanchez 6. in decalog. cap. 8. num. 11. Franciscus à Coriolano par. 2. de casibus reseru. casu 2. de Apostasia, num. 14. & Naldus verbo Religiosus, num. 32.

Sanchez. Passarell. Ledesma. Graffius. Coriolano. Naldus.

Circa hanc conclusionem noto, quòd multi Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez loc. cit. num. 10. præter quos Passarellus in formulario Ordinis Minim. de modo recipiendi Apostatas, num. 3. Ledesma de statu Religiosorum in communi, cap. 8. conclus. 1. dubit. 1. Graff. lib. 3. de casibus reseruatis, cap. 2. num. 8. Coriol. & Naldus locis cit. tenent, quòd contra Apostatas non inest in iure lata excommunicatio ipso facto, & quòd non incurrunt excommunicationem capitis Vt periculosa, nisi dimittant habitum; tamen verior mihi videtur nostra sententia propter dicta.

Panormit. Rodriquez.

Et addo, quòd licet Apostata non dimittat habitum, materialiter; dimittit tamen formaliter; quia Religionem relinquit. Præterea illa excommunicatio capitis Vt periculosa, videtur principaliter lata contra vagantes, vt patet ex ipso proœmio, ex quo colligitur mens dispponentis, vt ait Panor. in cap. Aduersus, num. 2. de immunitate Ecclesiæ, ait enim ibi Papa, *Vt periculosa vagandi tollatur occasio*; vbi particula (Vt) dicit causam finalem, propter quam fertur illa excommunicatio; Proœmia enim continent causam finalem, vt habet Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 11. art. 6. reg. 1. ergò cum causa finalis, propter quam est lata, sit vt tollatur occasio vagandi, siuè quis vagetur cum habitu, siuè sinè illo, parùm refert ad eam incurrendam.

Ledesma. Cappeauil. Graffius. Hostiens. Diaz. Coriol.

Dico secundò, Apostatæ antequàm sint reconciliati, sunt ij so iure infames, & repelluntur ab accusatione, & testificatione, ita Ledesma de statu Religiosorum in communi, cap. 8. conclus. 1. dub. 1. pag. mihi 274. Chappeauille de casibus reseru. par. 2. cap. 2. de Apostasia, versu Apostasia ab ordine, Graff. lib. 3. de casibus reseru. cap. 2. num. 26. Hostiensis in sum. lib. 5. tit. de Apostatis, num. 3. §. Qualiter puniantur, pag. mihi 1547. Diaz in sua practica, cap. 114. num. 2. Franciscus à Coriolano par. 2. de casib. reseru. casu 2. à num. 14. versu sed in illa.

Probatur primò ex cap. Alieni 2. q. 7. & cap. Beatus 3. quæst. 4. & cap. Infames 6. q. 1.

Secundò, quia relinquentes Religionis statū, in quo acquiruntur, & vigent virtutes, eas abominari videntur; vndè digni non sunt, vt eis vlla adhibeatur fides.

Vndè etiam collige, quod ad Religionem recepti, & ab excommunicatione absoluti, etiā si neq; in Apostasia receperint, neque in receptis ministrauerint, non possunt neque in susceptis ministrare, neque ordines recipere, antequam sit cum illis per præfatos Regulares super dicta infamia dispensatum; neque decet statim dispēsare, nè qui hodie in circò saltat, manè in altari ministret, vt dicitur in cap.

Sylu. henriq. Antoninus. Graffius. Azor.

Dico tertiò, Qui suscepit ordines sacros in Apostasia est irregularis, Sylu. verbo Ordo 5. quæst 5. num. 6. fine Henriq. lib. 13. de excom. cap. 39. 40. num. 1. Antoninus 3. par. tit. 27. cap. 4. versu Apostatæ paulò ante medium, Graff. lib 3. de casibus reseru. cap. 2. num. 19. Azor tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 17. q. 5.

Probatur primò, ex cap. Consultationi de Apostatis, vbi id expressè dicitur. Quod caput specialiter declarat Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. à num. 28.

Secundò, Quia cum probauerimus, Apostatam esse ipso facto excommunicatum; tùm per excommunicationem cap. Vt periculosa; tùm per excommunicationem priuil. Ord. necesse est, quòd dicamus, recipientem Ordines esse irregularem; cum excommunicatus ordines recipiens fiat irregularis cap. Cum illorum de sent. excomm. §. Si autem hos.

Abbas. Angelus. Armilla. Azor. Henriq.

Nec solùm Apostata est suspensus, & irregularis Ordines sacros suscipiens in Apostasia, sed etiam suscipiens Minores, vt Abbas cap. Consultationi, num. 3. Angelus verbo Apostasia, num. 6. Armilla eodem num. 12. Azor, Henriquez,

Antonin. Syln. Sanchez.

quez, Antonin. Sylu. locis cit. & alij, quos citat. Sanchez lib. 6. in decalogum, cap. 8. num. 25.

Sed quæres, Quis poterit dispensare cum isto qui suscepit Ordines in Apostasia.

Respondeo, in cap. Consultationi cit. dicitur, quòd recipiens ordinem sacrum in Apostasia sit suspensus, & irregularis: nec cum eo etiam ad pœnitentiam redacto possit quispiam dispēsare, nisi Romanus Pontifex, sed hoc cap. Nihil dicitur de recipiētibus ordines Minores, in cap. verò, Cum illorum cit. dicitur, quòd ordinati in excommunicatione sint ipso facto irregulares, & suspensi: & quòd cum istis non possit dispensare: nisi Romanus Pontifex, si scienter in contemptū Ecclesiasticæ disciplinæ id fecerint: si autem non in contemptum, sed facti memoriam, vel iurisperitiam non habentes, & factum non fuit graue, & notabile, potest dispensare proprius Prælatus. Variant hic multùm Doctores, vt videre est apud Sanchez loco cit. Resolutoriè dico, quòd cum omnibus ordinatis in Apostasia seruanda est de iure cōmuni dispositio capitis cum illorum, vt Angelus verbo Apostasia, num. 6. Sylu. eodem, q. 8. num. 11. in fine, Tab. num. 12. Panor. cap. Consultationi de Apostatis, num. 8.

Angelus. Syln. Tab. Panorm.

Dixi, de iure communi, nàm de iure particulari per priuilegia possunt omnes Prælati Religiosorum dispensare cū suis subditis super omni Irregularitate, quomodocumque contracta, excepta irregularitate homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, ita Antonin. 3. par. tit. 28. cap. 6. §. vlt. fine; Passarellus in formulario ordinis Minim. de forma recip. Apostatas, num. 5. latè Mi. tom. 1. Manual. q. 8. art. vlt. conclus. vlt. vbi refert diuersa priuilegia circa hoc Romanorum Pontificum, possunt etiam videri Casarub. in compend. verbo Dispensatio, præsertim num. 21. vbi à Sorbo in fine, Confess. in suo compend. pag. mihi 81. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 24. præsertim art. 8. & in Marimagno Minim. expresse habetur pag. 79.

Antoninus Passarell. Miranda.

Casarub. à Sorbo. Confess. Rodriq.

Et nota, quòd non solùm possunt Prælati Religionum dispensare cum ordinatis in Apostasia, vt ministrent in ordinibus susceptis, sed etiam vt possint ad alios promoueri, vt dicitur in præfato Marimagno loco cit. & habet Sanchez 6. in decalog. cap. 8. num. 23.

Sanchez.

Ex quibus sequitur, quòd celebrans in Apostasia fit irregularis, quia est excommunicatus, cap. Cum illorum de sent. excomm.

Dico quartò. Apostata, durante Apostasia, non potest ad dignitates eligi, Sylu. verbo Apostasia, quæst. 8. num. 11. in medio, Diaz in sua practica, cap. 114.

Sylu. Diaz.

Probatur ex cap. Legi 16. quæst. 1.

Immò nec potest ad dignitates eligi, & electus debet priuari, postquam ad meliorem vitæ frugem, & ad pristinam Religionem se receperit. Ita Syln. verbo Excommunicatio 9. casu 24. n. 52. Antoninus 3. parte, tit. 24. cap. 53. vers. Dic quòd illud loquitur, Passarellus in formulario cit. num. 2. Graff. lib. 3. de casibus reseru. cap. 2. num. 85. qui id probat ex dicto cap. Legi, & alijs capitibus: sentiunt etiam alij quos citat Sanchez 6. in decalog. cap. 8. num. 31. licèt ipse ab hac opinione recedat nu. 32. sed nostra sententia est multùm conformi cōstitutioni Pauli

Syln. Antonin. Passarell. Graffius.

Sanchez.

IV. quam refert Cherub. tom. 1. Bull. in Paulo IV. constit. eius 14. pag. mihi 738. quam ad terminos iuris communis reduxit Pius IV. vt refert idem Cherub. tom. 2. Bullarij in Pio IV. constit. eius 3. pag. 3. De quibus agunt Nauarrus lib. 5. consil. de Apostatis, à num. 9. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 30. art. 4. qui addit, quòd Apostatæ possunt compelli per ordinarios redire ad pristinam Religionem per dictam constit. Pij IV. & per decretum Concilij Trid. sess. 25. de regularibus, cap. 4. Est, inquam, nostra conclusio multùm conformis illi constitutioni Pauli IV. etiam redacta ad terminos iuris communis, quia non est contra ius commune, hos Apostatas etiam ad Religionem reductos, ad Prælaturas non posse præfici: Immò illi multùm conforme, vt docent Antoninus, Sylu. Graff. qui ex multis iuris capitibus id probant.

Cherub.

Nauar. Rodriquez

Concil. Tridentin

Antonin. Syln. Graffius.

Quibus omnibus addo declarationem dictæ Bullæ Pauli IV. factam ad instantiam fratris Mathurini Auberth. nostri Ordinis zelosi de mente ipsiusmet Pontificis à Pio V. cum esset Cardinalis Alexādrinus, Anno 1559. die x. Aprilis, & habetur in nostris constitutionibus post regulam, pag. 19. in qua declaratione inter alia hæc habentur.

Nos de eiusdem Sanctissimi Domini mente, & voluntate esse, tenore præsentium declaramus, Huiusmodi Apostatas per vos receptos, & Religioni iterū insertos, actiua, & passiua vocibus, iureque suæ primogenituræ, nec non publica ad populum prædicatione, & confessionis sæcularium audientia, priuatos esse, per nullos superiores, nec etiam per Generale, seu Prouinciale capitula rehabilitandos, donec ad minùs quadriennium benè, & laudabiliter, sub correctionis, & disciplinæ ferula patienter, & humiliter vixerint. Quo quidam quadriennio sic expleto, poterunt ex huiusmodi Generalis, vel Prouincialis capitulorum, duarum ex tribus partium vocalium accedente consensu, rehabilitari, & ad omnes, & singulos Religionis legitimos actus restitui; eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Pauli IV. auctoritate, & gratia permittimus, & indulgemus, dummodo tempus, quo manserunt extra Religionem inter suæ Professionis annos non computetur.

Et nota, quòd hæc declaratio fuit missa ad capitulum Generale ordinis Minimorum Genuæ 3. celebratum, & à patribus dicti Capituli fuit libenter acceptata, vt videri potest in dicto capitulo num. 4. & de ea fit etiam mentio in capitulo Valentino 4. num. 58 vbi additur, quòd *Apostatæ redeuntes, etiamsi elapso quadriennio fuerint rehabilitati, non possunt præfici nisi elapso decennio.* Quod habent etiam fratres Prædicatores in eorum constit. d. 1. cap. 13.

Dico quintò, Recipientes Apostatas, sinè Religiosi sint, siuè sæculares, sunt ipso facto excōmunicati. Ita Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 30. art. 9. Miranda tom. 1. Manualis, quæst. 51. art. 2.

Rodriquez Miranda.

Probatur ex multis priuilegijs, quæ refert Rodriquez, & Mir. locis cit. & Casarub. in Compend. priuileg. Mendic. verbo Apostatæ ab Ordine, præsertim num. 4. & 7. versu Attende insuper, num. 11. & retinentes possunt Prælati Ordinis excōmunicare, etiamsi Magnates sint, & Duces, dictus Casarub. num. 7. & 17 & Rodriquez loc. cit. Constat etiā ex const. 1. Iulij II. §. 13. in nostro Comp. Et per Bullam Pij V. quæ incipit

Casarub.

Casarub. Rodriquez

Cherub.

incipit. Quæcumq; sacrarum, emanatam Anno Domini 1569. quam refert Cherub. tom. 2. Bullarij in Pio V. constit. eius 89. pag. mihi 290. de qua etiam nos supra cap. 24. conclus. 2. reuocata sunt omnia priuilegia recipiendi tales Apostatas, præter dispositionem iuris communis.

Rodriq. Miranda.

Notat autem Rodriquez, & Miranda circa Apostatas retinentes. Non per hoc incurrere excommunicationem, qui Apostatas, & fugitiuos reciperet nō vt tales, sed vt consanguineos, affines, amicos, & familiares, benignitate quadam naturali, ipsi benefaciendo, quod probat à simili de recipientibus hæreticos; comprehendit enim hęc excommunicatio contra recipientes hæreticos, tantummodò recipientes, vt tales, vt notat Nauar. in sum. cap. 27. num. 55. *Nauarr.* versu Quarta quòd fautores, quia potest quis, licèt non teneatur, hæreticis etiam nō extreme indigentibus subuenire, quatenus homines sūt, argumento Capitis duo ista nomina 23. quæst. 4. vbi dicitur. *Quia peccator est corripe: Quia homo est miserere: & ibidem, Nulli homini standenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda.*

Dico sexto, Apostatæ, vel fugitiui possunt vbiquè, & extra territorium à suis superioribus absq; alicuius licentia apprehendi, ligari, & in Monasterium reduci, ita Nauar. comm. 3. de regul. num. 50. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 30. art. 6. Mir. tom. 1. Manualis, q. 51. art. 3. Sanchez lib. 6. in decalogum, cap. 8. num. 33.

Nauarr. Rodriq. Miranda. Sanchez.

Probatur primò, ex multis priuilegijs, quæ referunt Rodriquez, & Miranda, & ex rationibus, quas ad id adducit Nauar. loco cit.

Rodriquez Miranda. Nauarr. Casarub.

Secundò, ex Priuilegio Innoc. IV. quod refert Casarub. in Compend. priuileg. Mendic. num. 4. vbi Pontifex concedit, quòd *Generalis, & Prouincialis Ministri, & Custodes, & cæteri fratres Ordinis Minorum, possint Apostatas, & Insolentes dicti ordinis excommunicare, ligare, capere, & carceri mancipare, si videbitur expedire.*

Tertiò. Probatur ex Priuilegio nobis Minimis concesso à Iulio II. anno Domini 1506. & habetur in Bulla inserta in nostris priuilegijs, pag. 38. quæ incipit Dudùm, in fine eiusdem bullæ, vbi Pontifex hæc ad propositum habet. *Nec non eiusdem Ordinis Minimorū Apostatas, & gyrouagos quoscumque vbilibet repertos, & quibuscumq; litteris, ac prouisionibus Apostolicis, etiam quascūq; derogatoriarum derogatorias clausulas in se continentibus munitos, quas ei nullatenus suffragari posse decernimus, inuocato etiam ad id (quatenus opus fuerit) auxilio brachij secularis, capere, incarcerare, ac punire, seu capi, incarcerari, ac puniri facere, liberè, ac licitè valeant.* Id etiam habet Leo X. in const. eius 13. tom. 1. nost. priuil.

Et nota, quòd possunt Prǫlati Apostatas capere vbique, etiam in Romana Curia, vt aduertunt Rodriquez, & Sanchez locis cit. per priuilegium concessum Carmelitis, vt ijdem dicunt.

Rodriq. Sanchez.

Ex quibus colligitur, quòd hęc potestas Cōpellendi Apostatas ad redeundum in Religionem, est concessa Generali, Prouincialibus, & superioribus Immediatis, Correctoribus, Prioribus & habetur etiam expressè in bulla cit. superius Pauli IV. contra Apostatas, vbi id conceditur omnibus superioribus indifferenter, & habetur cap. nè Religiosi de regularibus.

Vbi aduerte, quòd in nostro Ordine Minimorum vbi Correctores locales compulerint Apostatas, & fugitiuos ad redeundum in Religionem, eosq; in carcerem detruserint, causā fuisse, eosque denuò in Religionem incorporare, ad solos Generales, & Prouinciales spectat, vt patet ex declaratione citata Cardinalis Alexandrini, & ex Capitulo Rom. 3. num. 24. Quod idem etiam est dicendum de Apostatis spontè venientibus, quos recipere iuxta formā traditam a Patre Pallarello, ad solos Generales, & Prouinciales spectat, vel quibus ipsi commiserint, quæ forma omnino seruanda est: & addendum, quòd semper debent absolui ab excommunicatione, etiamsi habitum non dimiserint, iuxta tradita supra conclusione prima.

Dico septimò, Prælati Regulares tenentur summo studio requirere fratres Apostatas, & fugitiuos, obnixequè procurare, vt à tali statu exeant, & ad propria Monasteria, siuè Religiones reuertantur. Ita Syl. verbo Apostasia, q. 6. num. 10. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 5. statim in principio. Angelus verbo Abbas, num. 17. Rosella eodem num. 2. Tab. verbo Apostasia, num. 9. Abbas cap. finali de regul. num. 3. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 17. q. 1. Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 30. artic. 5. Franciscus à Coriolano par. 2. de casibus reseru. casu 3 num. 13. Mir. tom. 1. Manualis præl. quæst. 51. art. 4.

Sylu. Antoninus. Angelus. Rosella. Tab. Abbas. Azor. Rodriquez. Coriol. Miranda.

Probatur primò, ex cap. finali de regularibus, vbi dicitur. *Ne Religiosi viri vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de manibus Prælatorum requiratur, statuimus, vt præsidentes capitulis celebrandis, &c. fugitiuos suos, & eiectos de ordine suo requirant, & sollicitè, annuatim, & inobedientes excommunicent, & excommunicatos denunciari ab Ecclesiarum Prælatis procurent.*

Secundò, probatur ex Bulla Pauli IV. cit. contra Apostatas, vbi præcipitur, vt superiores perquirant Apostatas, & ad Religionem redire cogant, & si redire distulerint, vel recusauerint, per Ecclesiasticas Censuras compellant, & auctoritate Pontificis excommunicatos declarēt; Quæ constitutio quò ad hoc reuocata non est, eo quia licet is per Pium IV. reducta ad terminos iuris communis, conformat enim cum cap. illo nè Religiosi de regul.

Quæres, an hoc eodem pacto debeant Prælati regulares, & Priores Conuentuales perquirere eiectos, & ad Religionem compellere, cum caput illud nè Religiosi de eiectis etiam loquatur.

Respondeo, caput illud nè Religiosi, quod est finale de regul. quò ad eiectos, varias admittit explicationes, de quibus potest videri Sanchez 6. in decalogum, cap. 9. num. 17. 18. Azor tom. 1. Instit. moral. cap. 17. q. 1. Nauarr. comm. 2. de regul. num. 36. Franciscus à Coriolano par. 2. de casibus reseru. casu 3. num. 13. Dico itaq; breuiter, caput illud nè Religiosi, quò ad eiectos tantùm, cum sit iuris humani, esse consuetudine abrogatum, neq; enim Religionum Prælati, Religiosos eiectos quotannis perquirunt, neq; reducunt, neq; repetunt; Quò verò ad Apostatas adhuc est in obseruantia, quia Prǫlati Religionum eos perquirunt, & redire compellunt. Licèt alij lori iure, nimirùm diuino naturali, dicat eos ad id teneri Sanchez loco cit. non iure

Sanchez. Azor. Nauarrus. Coriol. Sanchez.

huma-

humano inaertò in illo capite, nè Religiosi, quod totum totaliter abrogatum putat consuetudine.

Sed est aduertendū, quòd non tenentur Prælati Religionū omnes, & quoscumq; Apostatas sinè discrimine perquirere, & recuperare, sed eos tantùm, de quibus emendatioris vitæ propositū concipere, & sperare probabiliter possunt: & etiam, qui Religioni possunt esse bono vsui, vt declarauit Cardinalis Alexandrinus, posteà Pius V. in declaratione Bullæ Pauli IV. citata supra conclus. 4.

Nauar. Rodrig. Miranda. Sanchez.

Dico octauò, Quicquid sit de iure antiquo, bona acquisita à fratribus Apostatis, electis, & fugitiuis, si extra Religionem decesserint pertinent ad Cameram Apostolicam, ita Nauar. lib. 3. consil. de statu Monach. consil 17. num. 11. Rodriquez tom 1. q. regul. q. 30. art. 12. Mir. to. 1. Manualis, q. 51. art. 7. Sanchez lib. 7. in decalogum, cap. 34. num. 9. 21. & 31.

Cherub. Quaranta

Probatur ex motu proprio Gregorij XIII. incipiente Officij nostri, emanato anno 1577. die 21. Ianuarij, quem refert Cherub. tom. 2. sui bull. in Greg. XIII. constit. eius 43. pag. mihi 411. & Quaranta in sum. Bullarij, verbo Spolia Clericorum, pag. 614. vbi expresse habetur nostra conclusio.

Rodriquez Suarez.

Dixi, si extrà Religionem decesserint; nam si ad Religionem reuertantur, & deferant omnia, extrà eam acquisita, hæc in Religione manent, etiamsi deindè dicti Apostatæ per aliqua de nouo patrata delicta, tamquàm incorrigiles à Religione de nouo expellerentur: vel denuò Apostatare contingeret, & extra Religionē decederent; Quod aduertit in specie Rodriquez loco cit. quia dicta bona per ingressum dictorū Apostatarum, &c. ad Religionem, iam non sūt ampliùs ipsorum, sed sunt facta propria Religionis, in eaq; incorporata, ita etiam Suarez tom. 4. relig. tract. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 4. nu. 19. Sed cui acquiret effectus, seù Apostata in Diœcesi exempta à Spolio, vt est hæc nostra Genuensis, hic non resoluo.

§. Primus. De Pœnis fugitiuorum, & dimittentium Habitum Regularem.



IN cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. excommunicatur Monachus temerè habitum suæ Religionis dimittens, vt liberiùs euagetur, de qua excommunicatione late Passarellus in notabilibus priuileg. Minim. notab 34 Ledesma de statu Religiosorum in communi; cap. 4. conclus. 18. pag. 176. Suarez tom. 4. in tertiam partem, disp. 23. sect. 4. nu. 16. Sayrus lib. 3. de censuris cap. 34. à num. 7. latissimè Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 8. à num. 37.

Passarell. Ledesma. Suarez. Sayrus. Sanchez.

Itaquè ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur temeraria, idest absqnè iusta vel saltem apparenti causa, habitus propriæ Religionis dimissio, quæ sit apta ad periculosè vagandum.

Ex quibus colligitur, quòd qui dimittit habitum causa mutationis; mundationis, aut reparationis, seù etiam balneationis, natationis, vel modestæ, & recreatiuę piscationis, seù causa euidentis infirmitatis, vel metu mortis, vel periculi, vt si transeat per loca Turcharum, Saracenorum, vel hæreticorum, aut etiam hostium nominis Religiosorum, non incurrit hanc excommunicationem; quia tunc nō est temeraria habitus dimissio, adest enim iusta, vel apparens dimittendi causa, vt dicunt omnes Doctores citati, præsertim Passarellus loco cit. versu primo modo, & Sanchez num. 41.

Passarell. Sanchez.

Neq; etiam incurrit, qui habitum dimittit ludendi gratia, aùt aliqua alia leuitate, puta si tempore recreationum quis habitum dimittat, vt induat ad modicum tempus in Conuētu habitum Histrionum, licèt ista dimissio non sit sinè peccato veniali, ita Syl. verbo Excommunicatio 9. nu. 53. Suarez tom. 5. in tertiā partem disp. 23. sect. 4. num. 29. Antoninus 3. parte tit. 24. cap. 53. Ratio est, quia ista non est temeraria dimissio.

Syl. Suarez. Antonin.

Neq; incurrit hanc excommunicationem Religiosus, qui dimittit habitum, seù potiùs habitu se spoliat in sua cella, vt quietiùs dormiat, pulices quærat, lignum aliquod scindat, seù etiam vt terram fodiat, vel propter calorem estiuum, ita communiter D. Antoninus loco cit. Sanchez 6. in decal. cap. 8. nu. 59. Quia hæc non est proprie habitus dimissio, sed spoliatio: quæ duo valdè differunt, vt bene notat Suarez loco cit. num. 27. Tabiena verbo Excommunicatio 5. casu 23. num. 1.

Antoninus Sanchez. Suarez. Tabiena.

Neque etiam incurrit hanc censuram; qui habitum dimittit, vt cum fœmina rē turpē habeat, seù vt aliquid liberiùs surripiat, ita Sylu. verbo Excommunicatio 9. casu 24. nu. 92. notab. 52 Nauar. in sum. cap. 27. num. 131. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 17. q. 9. Passarellus in notab. priuileg. Minim. notab. 34. versu Si verò dimittit, Sanchez loco cit. num. 56. Ratio est, quia tunc non dimittit vt periculose vagetur, sed vt commodiùs fornicetur, vel liberiùs furetur, licèt Antoninus cum aliis, quos citat Sanchez num. 56. putent incurrere.

Sylu. Nauar. Azor. Passarell. Sanchez. Antonin.

Incurrit autem hanc censuram, qui dimittit habitum causa diuagandi, aut eundi ad lupanar, nè vmquàm Religiosus cognoscatur, Syl. loco cit. Tab. loco etiam cit. versu ad finem, Nauarrus loco cit. Passarellus versu, Itèm si merè fit. Ratio est, quia ista dimissio est ad periculoseè vagandum.

Sylu. Tabiena. Nauar. Passarell.

Item incurrit hanc censurām, qui habitū quidem defert, sed ita Coopertum, vt cognosci nō possit. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 6. paulò post principium, Sylu. loco cit. quæst. 4. Caiet. in sum. verbo Excommunicatio, cap. 61. ibi Armilla casu 13. num. 11. Passarellus loco cit. versu Sed tu distingue, Iulius Clarus in pract. crime lib. 5. quæst. 77. nu. 16 Ricciulius de iure person. lib. 8. cap. 12. & alij multi, quos citat, & sequitur Sanchez loco cit. num. 65. Habet etiam Glossa in Clementina quoniam de vita, & honestate Cleric. verbo extrinseci. Ratio est; quia licèt non dimittat materialiter, dimittit tamen formaliter: & idem est habitum non gestare, ac illum gestare alio habitū coopertum; quia benè potest liberè vagari, ac si illum non haberet, & patet ex Trid. sess. 25. de regul. cap. 19.

Antonin. Sylu. Caietan. Armil. Passarell. Iul. Clar. Ricciull. Sanchez. Glossa. Trid.

Item incurrit hanc excommunicationem, qui habitum temerè dimittit etiam in Monasterio, & sic habitu dimisso, se sæcularibus præsentat;

Rossella

Rosella. Sylu. Azor. Sanchez. Rosella verbo Excommunicatio primo, casu 16. num. 5. Syluest eod. 9. casu 54. num. 54. q. 5. fine, Azor tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 17. q. 15. Sanchez 6. in decal. cap. 8. num. 61. & alij, quos citat. Ratio est, quia talis habitus dimissio est apta ad periculosè vagandum.

Azor. Sanchez. Sed quid, si aspectibus sæcularium se non præsentat, putant incurrere, Azor loc. cit. q. 13. & Sanchez e propter dictam rationem, quod probabile puto, nisi in aliquo Conuentu esset consuetudo, vt omnes Religiosi illius aliquo saltem anni tempore, puta in æstate, per Conuentum absque habitu incederent: vel nisi ita absque habitu incederent, vt tamen è vestitu sub habitu gestari solito, possent tamquam Religiosi illius Monasterij ab omnibus cognosci.

Quæres, Fugitiuus, qui habitum non dimittit, incurret ne hanc excommunicationem?

Nauarrus. Sanchez. Sanchez. Suarez. Respondet Nauar. comm. 1. de regul. nu. 61. versus finem, quem sequitur Sanchez loco cit. num. 46. non incurrere, quia eo capite, vt periculosa, non excommunicantur fugitiui, sed habitum dimittentes, ita etiam Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. num. 9. & 10.

Rebuffus tamen apud Nauar. & Sanchez locis cit. in praxi benefic. tit. de dispens. cum regul. nu. 17. putat incurrere, fortè propter rationem, qua supra hoc cap. conclus. 1. probaui, Apostatam etiam cum habitu incurrere hanc censurã, quæ videtur etiam hoc casu militare; præsertim si fugitiuus sit ad longum tempus; quid enim tūc interest, in foro saltèm exteriori, inter fugitiuum, & Apostatam habitum nō dimittentem, cum sola intentione differant, quo pacto omnes Doctores cit. in dicta prima nostra conclus. d. Rebuff. suffragarentur.

Rodriquez. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 30. art. 8. refert duo priuilegia Eugenij IV. & Cælestini V. per quæ huiusmodi fugitiui ipso facto excommunicantur. Itaquè censeo, fugitiuos esse excommunicatos, siuè per illam capitis vt periculosæ; vt Rebuffus: siue per hanc Eugenij, & Cælestini. Fugitiuos, inquam, non grauatos recurrentes ad suos superiores, quos fugitiuos non appello, cum nec mortaliter peccent fugiendo: & fugitiuos vagantes per multùm temporis.

§. Secundus. *Quid requiratur ad Professionem expressam.*



DIXIMVS suprà, quòd Apostata est Religiosus, expressè, vel tacitè professus, qui Monasterium exit animo non reuertendi, cuius occasione nunc quærimus quæ requirantur ad inducendam professionem expressam.

Nauarr. Sylu. Angelus. Rosella. Pisanella. Sanchez. Prima, conditio requisita ad inducendã professionem expressam, est vt fiat in manibus illius qui recipiendi habet legitimam potestatem, vel cui ipse commiserit, ita Nauar. comm. 4. de regularibus, num. 74. Sylu. verbo Religio 3. q. 18. §. secundo requiritur, Angelus verbo Professio, num. 1. Rossella verbo Nouitius, num. 19. Pisanella verbo Religio 4. §. quæ est professio expressa, Sanchez lib. 5. in decal. cap. 4. num. 62. & alij communiter; & habetur cap. Porrectum de regul. & cap. ad Apostolicam eodem titulo.

Sed difficultas maxima est, quisnam sit iste, qui habet auctoritatem recipiendi Nouitios ad Professionem, an Prælatus ipse per se solus, absquè consilio, & consensu Conuentus: an Prælatus cum consilio Conuentus: an Prælatus cum consensu Conuentus, an verò Conuentus per se ipse absq; consilio, & consensu Prælati. Dicam prius, quid de iure communi, deinde quid de iure Regulæ nostræ, & nostrorum statutorum.

Panormit. Felinus. Sylu. Azor. Sanchez. Dico primò, in recipiendis Nouitijs ad Professionem, spectandum in primis esse, an aliquid circa hoc consuetudo legitimè præscripta, Religionis Priuilegia, aut constitutiones habeant, quibus standum est. Panorm. in cap. ad Apostolicam de regular. Felinus cap. Quoniam de Simonia, num. 2. Sylu. verbo Religio 3. quæst. 13. Azor tom. 1. institut. moral. lib. 12. cap. 5. q. 3. Sanchez lib. 5. in decalog. cap. 4. num. 64.

Probatur ex cap. si ad solum de regul. in 6. vbi ad creationem Monachi supponitur, standum esse legitimæ consuetudini.

Panormit. Sylu. Rosella. Nauar. Dico secundò, Abbas per se solus, seù alius immediatus Conuentus superior non potest Nouitium ad professionem recipere. Panor. in cap. ad Apostolicam de regul. num. 12. Sylu. verbo Religio 3. q. 13. Rosella verbo Nouitius, nu. 20. Nauar. comm. 3. de regul. num. 5. & alij communiter.

Probatur ex cap. Nouit. & ex cap. Quanto de his, quæ fiunt à Prælatis, vbi dicitur, quòd in præcipuis negotijs Ecclesiæ, seù Conuentus, debet Prælatus procedere cum consilio totius, vel maioris partis Conuentus, & Regula omnium Religiosorum id præscribit.

Dico tertiò, Conuentus absquè suo superiore non potest Nouitium ad professionem recipere, est sinè controuersia, quia sinè capite, non potest Collegium legitimè esse Congregatum; & habetur cap. Porrectum, & cap. ad Apostolicam de regul.

Panormit. Felinus. Sylu. Angelus. Rosella. Tab. Nauarr. Azor. Passarell. Vega. Rodriq. Dico quartò, de iure communi recipere Nouitios ad Professionem, pertinet ad Abbatem, seù Priorem, seù Correctorem, & quocumque nomine vocetur, ad superiorem immediatum illius Conuentus, in quo Nouitius annum probationis explenit, cum consilio dicti Conuentus, non autem requiritur consensus, ita Panor. in cap. ad Apostolicam de regularibus, nu. 13. fine, Felinus in cap. Quoniam de Simonia, n. 3. Syl. verbo Religio 3. quæst. 13. & q. 18. d. 4. Angelus verbo Professio, num. 1. Rosella verbo Nouitius, num. 20. vbi Tab. nu. 8. Nauar. com. 3. de regul. num. 5. Azor lib. 12. instit. moral. cap. 5. q. 3. Passarellus in Scholijs ex Barchinonẽsi, n. 18. Vega 2. par. sum. cap. 50. casu 4. notab. 1. Citatur etiam pro hac conclus. Rodriq. tom. 2. sum. cap 8 num. 8. conclus. 7. sed perperam, dicit enim ibi expressè contrarium, requiri nimirùm, vt maior pars Conuentus consentiat, & addit, suam conclusionem esse contrà Panormit.

Probatur ex cap. Nullam 18. q. 2. vbi dicitur quòd ad Abbatem tota potestas pertinet Conuentus, & ex cap. Porrectũ, & cap. ad Apostolicã de regul. vbi dicitur, quòd professio Nouitiorum recipitur ab Abbate per se, vel per alium.

Ex quibus primò, Colligitur, quòd superior Conuentus non tenetur expectare consensum singulorum fratrum, seù maioris partis ipsorũ, sed pe-

sed petito consilio, ipsis volentibus, nolentibus, potest Nouitium ad professionem recipere; quia qui tenetur petere consilium, non tenetur sequi, vt dicunt omnes cit. Doctores, & nos diximus etiam supra cap.25. conclus.4. versu circa quam, & latè probat Sanchez lib. 1. de matrim. disputatio 34. num. 24.

Sanchez.

Colligitur secundò, quòd si non petito consilio, Prælatus recipiat Nouitium ad professionem, professio est ipso iure nulla, vt dicunt omnes cit. quandò enim requiritur à iure consiliū, si id non adhibeatur, nullius est momenti quod fit; vt habetur in cap. Noulr. & cap. Quarro, de his, quæ fiunt à Prælatis. Contra hoc corrolarium tenet Suarez tom.3. de relig. lib.5. cap.10. num. 7.

Suarez.

Verùm quidem est, quòd licèt de iure communi, hæc vera sint, consuetudine tamen præscripta introductum est in Religionibus ferè omnibus, vt Nouitij non recipiantur ad professionem à Prælatis, nisi de consensu Capituli Ita Rodriquez tom. 3. q regul. q.17. art.7. Nauar. lib.1. consil. de constit. consil.9. num.12. qui hoc pacto potest conciliari cum se ipso in comm. 3. de regul. num. 5. sicut etiam possunt conciliari alij Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez, de hac etiam consuetudine testificans lib. 5. in decalog. cap.4. num.65. nimirùm, quòd dicentes requiri ad professionem Nouitij, non solùm consensum Prælati, sed etiam Conuentus, debeant intelligi, non de iure communi, sed de consuetudine, & verè nullo iure cauetur, teneri superiorem ad expectandum consensum Conuentus.

Rodriquez. Nauar. Sanchez.

Dico quintò, potest Generalis, aut Prouincialis ex iusta causa præcipere immediato Conuentus superiori, nè quemquam, ipso inconsulto, ad professionem admittat, adiecto decreto reddente irritam professionem aliter factam, ita Sanchez loco cit. num.70.

Sanchez.

Probatur primo, quia tota potestas immediati Prælati est eminenter in Prouinciali, tamquàm in legitimo ipsius superiore, & tota vtriusquè potestas est eminenter in Generali, tamquàm in totius Religionis capite: ergò potest in casu speciali iusta causa dictus reseruare sibi consensum illum vna cum conuentu præstandum, el admissioni ad professionem; & subindè efficere, vt pro fessio aliter facta sit irrita, defectu legitimi consensus admittentis.

Secundò, quia potest Prælatus ex iusta causa superiorem immediatum amou re: ergò & partem eius facultatis in casu speciali, ex iusta causa suspendere.

Tertiò. Quia Prælato iusta præcipienti subditus tenetur obedire, vt supra latè probatum est; sed immediatus superior est subditus Prouincialis, & hic Generalis: ergò tùm superior immediatus Prouinciali; tùm hic Generali tenentur obedire, quando iusta causa aliquid præcipitur illis. Quòd in nostra regula est indubitatum; posse enim Prælatos id præcipere habetur cap. Val. 2. num. 15.

Dixi, Ex iusta causa, nàm sinè ea neuter obedire teneretur, & valeret professio; etiam cum decreto adiecto irritante, quæ iusta causa debet esse nota inferiori superiori. Nec sufficit superiorem Prælatum dicere, se id facere ex iusta causa, sed illam deberet assignare, vt supra diximus ex Nauarr. lib.3. consil. de regul. consil. 56. nu.2. & de spolijs Clericorum, §.2. n.7. & 8.

Nauar.

In nostro ordine Minim. circa receptionem Nouitiorum ad professionem, tenet Passarelius in Scholijs ex Barchinonensi, nu. 12. quòd non potest Prælatus sine consensu Capituli, nec Capitulum sinè consensu Prælati recipere Nouitios ad professionem.

Passarell.

Quòd Capitulum non possit sinè consensu Prælati, Prouincialis scilicèt, aut Generalis præsentia (qui duo solùm apud nos vocantur Prælati, nam Correctores locales Prælati non sunt, vt probabo latiùs alibi, & patet ex Correctorio, num 11.) Patet tùm ex iure communi, de quo diximus conclusione 2. vbi enim maior est auctoritas, cessare debet minor; tùm ex multis textibus nostrorum statutorum, vt Correctorio, num.64. tos. Capitulo Tholosano, nu.35. Val.2. num. 10. Primo Bononiensi, num 14. in quibus locis determinatur quod *Correctores locales suum exerceant officium, quatenùs eis per Correctores Prouinciales permissum fuerit; & quod nihil concludatur per Correctorem, & Capitulum locale, & quòd conclusum executioni non mandetur, nisi ex scientia, & assensu superioris Prælati.*

Dixi, Prouincialis, aut Generalis præsentis; nàm si sit absens, potest Capitulum locale cum CorrectoreNouitios ad professionem recipere, vt declaratur in capitulo Val. 2. num. 15.

Sed pone casum, quòd Corrector cum suo capitulo locali acceptet Nouitium ad professionem, & de facto illum faciat solemniter professum, professio erit nè valida? Si Prælatus Prouincialis præsens ignoret, & non consentiat, nec ipsius nomine ad professionem talis Nouitius recipiatur.

Respondeo, Talem non esse professum, & posse à Religione expelli, quià eius professio non fuit acceptata ab habente auctoritatem recipiendi, Ita Sylu. verbo Religio 3. quæst. 18. d.2. Reginal. in praxi, lib. 18. num. 385. Azor tom.1. instit. moral. lib. 12. cap.5. q.7. Passarelius in Scholijs ex Barchinonensi, num. 12. Certum est autem, in nostra præsertim Religione, quòd sicut ad Prælatos Prouinciales pertinet recipere Nouitios ad Religionem, ita ad eosdem pertinet eos recipere ad professionem: nec potest quidquam Corrector cum suo Capitulo locali notabile concludere, nec conclusum executioni mandare absquè scientia, & consensu Prælati Prouincialis præsentis, vt dictum est.

Sylu. Reginald. Azor. Passarell.

Sed quæres, poterit nè Prælatus talem professionem factam absquè illius nomine, & auctoritate, cum sciuerit, ratificare?

Respondeo, quòd non; *nàm ratum habere non possum, quòd meo nomine non est gestum*, vt dicitur in Regula, *Ratum* quæ est 9. de regul. iur. in 6. secus autem, si inscio Prælato illius nomine pro fessio sit facta; nàm tunc eam poterit ratificare, vt dicunt Sylu. verbo Religio 3. q. 16. Rosella verbo Nouitius, num.25. Sanchez 5. in decalog. cap.4. num. 80. Antequàm autem ratificet, vota facta non censentur solemnia, sed simplicia; vndè à Prælato possunt irritari, & nulla declarari, vt ait Sylu. loco cit. Quod tamen absquè rationabili causa non debet Prælatus facere; immò legitima causa cessante, tenetur professionem ratam habere, vt probat Passarellus loco cit. & colligitur ex nostro Correctorio, num.16.

Sylu. Rosella. Sanchez. Sylu. Passarell.

Sed

Sed pone casum, quòd ex odio, & malitia nolit superior Prælatus consentire, vt talis Nouitius, omnia habens requisita, ad professionem recipiatur, poterit ne tunc à solo Capitulo recipi?

Respondeo, si Congregato Capitulo de consensu Prouincialis, ipsoque præsente pro acceptando tali Nouitio ad Religionem, inter ferenda suffragia (si ferantur vocaliter) nolit illi Prouincialis suum suffragium impertire; immò verbis, & nutibus nitatur, vt neque alij illi suffragentur, quibus non obstantibus, reliqui omnes de Capitulo Nouitium ad professionem recipiant, cum *malitiis hominum non sit indulgendum*, iuxtà legem in fundo ff. de rei vendicatione, videtur, quòd deindè suo tempore poterit talis Nouitius à Correctore locali, vel de eius iussione ad professionem admitti, etiam Prouinciali renuente, sed tutiùs puto hoc casu, quòd poterit Nouitius agere apud Generalem, vel alterum superiorem, vt ad professionem recipiatur, vt docet Abbas in cap. cum causam de electione, num. 8. quia eo ipso, quòd ad Religionem à Capitulo legitimè congregato fuit admissus, Religio nō poterit illum amplius expellere absquè iusta causa; nàm ex parte sua consensum tribuit, & omnis ratio dictat, vt promissa seruemus, vt dicitur cap. Antigonus de pactis.

Abbas.

Si verò suffragia ferantur secretò, vt fit in nostra Religione, tunc non potest esse dubiū, quin talis suo tempore debeat ad professionem admitti, quia cum iam fuerit per maiorem partem suffragiorū acceptatus, nisi quid denouo emerserit, propter quod mereatur à Religione expelli, non potest Prælatus contrà talem acceptationem ire, quia *quod semel placuit, amplius displicere non potest*, vt dicitur in Regula, *Quod semel*, quæ est 21. de regul. iuris in 6.

Quòd verò Prælatus in nostra Religione non possit absquè consensu Capituli recipere Nouitios ad professionem, ita habet consuetudo; & fuit statutum in Capitulo Barchinonensi r. n. 12. his verbis *Mota fuit quæstio, ad quos spectaret recipere Nouitios ad professionem; et si absquè consensu Capituli localis possint Prouinciales ipsos Nouitios recipere, & fuit determinatum, quòd ipse Prouincialis, contrà voluntatem Capituli localis, non possit Nouitios recipere ad professionem, quòd si contrarium fecerit, à suo officio per sex menses suspendatur.*

Sed quid, si Prouincialis contrà voluntatem Capituli localis Nouitium ad professionem recipiat, professio erit nè valida?

Respondeo de iure communi professio non est nulla, si Prælatus à Capitulo de tali recipiendo ad Religionem consilium postulauerit; quia, qui tenetur petere consilium, non tenetur illud sequi, vt supra dictum est: erit autem nulla, si consilium non postulauerit, vt dictum est. De cōsuetudine verò, quę necessariò requirit Capituli consensum est nulla; quia quandò requiritur cōsensus ad actus validitatem, si hic non habeatur, actus redditur nullus, vt habet Glossa in cap. Si pro te de rescriptis in 6. verbo Assensus, & eadē Glossa in cap. Si ad Episcopum, nè sede vacante in 6. verbo cum consilio, & ita habent Sanchez lib. 5. in decalog. cap. 4. num. 66. Mir. tom. 1. Manualia prę l. q. 15. art. 2. fine. licèt Rodriq. to. 3. q. regul. q. 17. art. 7. dicat, talem professionem non esse ipso iure nullam, sed talem declarandam.

Glossa. Sanchez. Miranda. Rodriquez.

In nostra autem Religione habeo aliquam difficultatem. Nam statutum illud Barchinonense, licet prohibeat, recipi ad professionem Nouitios absque consensu Capituli, factum tamen nō irritat; vndè videtur, quòd hìc valere possit illa regula; *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem* vt dicitur cap. ad Apostolicam de regul. vbi Glosa ait; quòd ista Regula habet locum in his, quæ non habent perpetuam prohibitionem: quia scilicet non cauetur in prohibitione, quod si factum fuerit nō valebit; quod etiam notat Innoc. in cap. cum in tua de his, qui matrim. accus. possunt, & Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 17. art. 20.

Glossa. Innoc. Rodriquez.

Deniquè statutum illud Barchinonense cit. in quo determinantur personæ, ad quas pertinet recipere Nouitios ad professionem, innuit, quòd post factum tenet professio; apponit enim pœnam suspensionis ab officio per sex menses Prouincialibus, qui contrà Capituli localis voluntatem Nouitium ad professionem admiserint; & quandò lex apponit pœnam transgressoribus, actum gestum contra illam non est irritum, vt dicunt communiter scribentes in lege non dubium, cod. de legibus, vt notat Sanchez lib. 5. in decalog. cap. 4. nu. 6. & Felinus cap. Dilectè, de exceptionibus, num. 4 fine, & habet Azor in sum. lib. 1. cap. 17. num. 10. facit etiàm quod dicunt communiter Iuristæ, & Canonistæ, quòd lex pœnalis non est extendeda vltrà verborum proprietatem. Itaquè puto, quòd in nostra Religione, si Prouincialis contrà voluntatem capituli, sumpto tamen illius consilio, aliquem Nouitium ad professionem admiserit, valida erit professio propter dicta.

Suarez. Felinus. Azor.

At obijcies, voluntas dicit consensum, vt dicitur lege quarta, cod. de fideiussoribus, sed quando ad aliquem actum requiritur consensus alicuius, si hic non adsit, actus redditur irritus, vt diximus, ergò cum statutum Barchinonense requirat, vt Nouitij ad professionem non admittantur contrà voluntatem capituli localis, vbi hæc non intercesserit, videtur, quòd professio erit nulla.

Respondeo, *Illud contra voluntatem*, posse dupliciter sumi, positiuè, & negatiuè, si capitulum locale nō solùm consensū nō præbeat recipiendo; sed contradicat formaliter, & protestetur de nullitate; tùm si fiat professus cum sola voluntate Pręlati, fortè professio erit nulla. Si autèm capitulum totum, vel maior ipsius pars neget solummodò pręstare consensum, sed se positiuè non opponat, puto, si fiat cū voluntate Prælati, quòd erit valida professio, quia quandò ad aliquem actū requiritur voluntas alicuius, nō sic accipitur voluntas, vt consentire teneatur, qui voluntatem præstare debet, sed vt nè contradicat, vt dicitur lege secunda §. Voluntatem, ff. solut. matrim. & lege 37. ff. eodem. Immò addo, quòd cum Capitulum, nō contradicat videtur consentire, *qui enim tacet, consentire videtur* per regulam. *Qui tacet*, quæ est 43. de regul. iur. in 6. & subsequenter approbare quòd priùs reprobauerat; vel nō approbauerat: Quod satis est ad conualidandum actum, in quo voluntas alicuius requiritur, vt dicitur lege 10. ff de aqua & aqua pluuia. Itaquè quandò dicitur, quòd

non

quòd nõ fiat quis professus cõtrà voluntatẽ Capituli, intelligo, cõtradicente capitulo, reclamãte, protestãte, positiuè nõ autem negatiuè se habẽte.

Sed quid si Prælatus faciat quidèm Nouitium professum de voluntate Capituli, sed coacta, puta incutiendo timorem contradicentibus, vel non consentientibus incurret ne saltèm pœnam illam suspensionis, in dicto capitulo Barchinonensi taxatam? si probauerint deindè, fratres iusto timore perculsos consensisse.

Respondeo, nòn incurret, quia voluntas coacta, voluntas est, vt dicitur cap. Meritò 15. q. 1. nàm regulariter metus non excludit consensum, nec annullat actum ipso iure, nisi in ijs, quæ requiruntur liberum consensum, vt in matrimonio, electione, professione, & alijs spiritualibus rebus, confessione, eleęmosyna, pœnitentia. De quibus vide Tabienam verbo Coactio, num. 6. ita Panor. in cap. cum locum de sponsalibus, & matrim. num. 2. neque in nostro casu tantus potest esse timor, qui voluntatem excludat.

Tabiena. Panorm.

An autèm ex precibus superioris, quæ dicuntur esse mandata iuxtà Glossam in Clem. 1. verbo Exhortamur de testibus, causetur metus cadens in constantem virum, & voluntatem excludens. Dico, quòd non, nisi sit solitus tyrannicè tractare non obtemperantes suis precibus. Tab. verbò Coactio, num. 2. Panor. cap. cum inter. R. De electione, nu. 8. quod tamen vix contingere potest in Religionibus.

Glossa. Tab. Panorm.

Sed quid de Superiore legitimè excommunicato, & denunciato, aùt notorio Clerici percussore, qui professionem admittit, aùt alteri admittere committit, erit ne talis admissio irrita?

Respondeo cum Sanchez lib. 5. in decal. cap. 4. num. 78. quòd erit valida, siuè accepiet per se, siuè committat alteri; quia recipere ad professionem, non est actus iurisdictionis, quo priuat excõmunicatio, si enim esset actus iurisdictionis spiritualis, minimè esset capax illius femina, sed superioritatis, vt sentit Rosella verbo Nouitius, num. 21. sine quo non priuat excommunicatio.


Sanchez.

Quid deniquè, si Prælatus esset suspensus denunciatus, valeret ne professio ab illo acceptata? Respondet Sanchez loco cit. num. 79. quòd erit valida, quia soli actus iurisdictionis exerciti à Suspenso denunciato sunt irriti, non autèm actus superioritatis, qualis est, vt dixi, recipere ad professionem.

Sanchez.

Vel dic, si placet, in istis duobus casibus, quòd si sit excommunicatus, de breui reconciliandus, vel ad breue tempus suspensus, si commodè fieri potest, debet expectari eius absolutio; quantùmuis instet Nouitius professurus; Si autèm suspẽsio sit ad longum tempus, perindè est, ac si esset absens, facit cap. Si ad Episcopum ne sede vacante in 6. iuncta Glossa.

§. *Tertius. De Reliquis Conditionibus Professionis expressæ, & de Professione tacita.*



ECVNDVM, quod requiritur ad professionem expressam, quæ est illa, quæ verbo, vel scripto publicè emittitur, iuxtà formam in vnáquaquè Religione obseruatam est, vt, qui professionem facit, expleuerit ætatis suæ annum 16. Desumitur ex Trid. Sess. 25. cap. 15. de regul. vbi nota; quòd non satis est, vltimam diem decimi sexti anni esse incepisse: sed debere, eam ætatem esse completam de momento ad momentum; & quandò annus est bissextilis, reputari duplicem diem pro vna: & ità si illa ætas compleatur anno bissextili, die 24. Februarij verbi gratia, complenda erit in die sequenti die 25. Februarij in puncto horæ respondenti diei Natiuitatis, ita Sanchez lib. 5. in decal. 4. cap. 4. num. 4. Vndè in nostra Religione, in qua ad profitendũ requirũtur anni 18. quia hoc statutum non irritat factam professionem antè, satis erit, si compleuerint, qui professionem sunt facturi, annum 16. argum. Capitis ad Apostolicam de regularibus, & probat benè Nauarr. lib. 3. consil. de regul. consil. 24. num. 2. & Sanchez loco cit. num. 6. Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 17. art. 20.

Trident. Sanchez. Nauar. Sanchez. Rodriq.

Tertium, quod requiritur ad professionem expressam, est, vt qui facit professionem, absoluerit annum integrum probationis, Habetur in Trid. loc. cit. vbi noto, quòd huic anno non est addẽda vna dies, nisi in anno bissextili, qui cum excedat alios annos in vna die, de illius integritate est vna dies, & debet esse completus de momento ad momentum; & etiam requiritur vt sit continuus, vt Nauar. loco. cit. consil. 17. num. 2. Sanchez lib. 5. in decal. cap. 3. num. 31. & cap. 4. num. 9. Henriquez in sum. lib. 13. cap. 40. num. 2.

Nauar. Sanchez. Henriq.

Circa professionem tacitam, multa, modis poterat fieri antè Concilium Trid. de quibus potest videri Azor lib. 12. istit moral. cap. 4. q. 3. Reginald. lib. 18. praxis, n. 386. Sanchez 5. in decalog. cap. 3. à nu. 13. Nunc autèm post Conciliũ, Si quis per annum integrum gestet habitũ professorum, & Nouitiorũ communẽ, susceptũ auctoritate superioris, cuius est ad professionẽ, & Religionẽ admittere, & expleuerit annũ 16. sciens, & volẽs animo in Religione perpetuò permanẽdi & vota seruãdi, cẽsendus est tacitè professus, ita Reginal. loco cit. versu potest vero, & Sanchez, etiam cit. à num. 14.

Azor. Reginald. Sanchez. Reginald. Sanchez.

Quãdò autèm habitus Nouitiorũ, & professorũ est distinctus, vt in nostra Religione, in qua distinguitur in forma Caputij, cinguli, & tõsuræ, quãuis quis talẽ habitũ portet, etiã ad viginti annos, nũquàm inducitur professio tacita, vt benè probat Glossa in Clem. Eos, qui de regul. quę varios modos habitũ gestãdi, communẽ, vel distinctũ, latẽter, vel patẽter distinguit. Notat etiã Passarellus in Cæremonijs Minim. ad propositũ professionis, n. 5. pag. mihi 62. secùs autẽ esset, si elapso anno, nõ portaret ampliùs Caputiũ, cingulũ, & Tõsurã Nouitiorũ, sed professorũ; quia tũc efficeretur tacitè professus, si cęteras haberet cõditiones dictas & talẽ habitũ professorũ portaret, saltèm per tres dies, vt notat Passarellus loc. cit. vndè taliter professus potest compelli manere in Religione, eumquè Religio, quã sic professus est, retinere tenetur, vt Reginaldus loco cit.

Glossa. Passarell. Reginald.

Dixi, sciens, & volens, quia qui post professionẽ etiã expressã, inualidè, siuè nulliter factã, illius nullitatẽ ignorãs in Monasterio persenerat, nõ cẽsetur satis illã ratificare, eò quia se actibus solis professis conuenientibus immisceat, ita Caiet. 2. 2. q. 189. art. 5. §. 1. Nauar. lib. 3. consil. de regul. consil. 17. n. 3. & cõsil. 24. à n. 3. Azor. lib. 12. Institut. moral. capite quarto, quæst. 7.

Caietan. Nauarr. Azor.

CAP. XXVII.

Vtrum Subditus Regularis, ita suis exigentibus delictis possit per Prælatos ad Triremes damnari.

Diaz. Salzedo. Nauarr. Graff. Zerola. Iul. Clar. Baiard. Rodriq. Miranda. Victorin. Mansus. Francisc. Pegna. Viuald. Azor. Sanchez. Spathar. Suarez. Riccius.



IDERI potest pro hic dicendis Diaz in sua practica Crim. cap. 146. vbi Salzedo, Nauarr. comm. 3. de regul. num. 52. & lib. 5. consil. de hæreticis, consil. 1. Graff. lib. 3. consil. regul. consil. 4. difficul. 2. n. 6. & consil 6. n 8. tom. 2. & prima parte, decis. lib. 3. cap. 5. num. 82. Zerola in praxi, par. 2. verbo Excommunicatio, num. 19. & ibi verbo Triremes, Iul. Clar. in sua practic. crim. lib. 5. §. finali, num. 7. quæst. 67. vbi Baiardus num. 13. Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 25. art. 1. & 2. & in sum. de ord. iudiciali, cap. 12. conclus. & num. 13. circa finem, & cap. vlt. conclus. 4. Miranda tom. 1. Manualis præl. q. 52. art. 8. Victorinus Mansus de modo proced. in causis regul. cap. 19. num. 4. Franciscus Pegna in 3. par. directorij inquisit. com. 46. pag. mihi 518. Viualdus in suo Candelabro, tract. de depos. & degradn, nu. 38. pag. mihi 83. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 16. q. 12. Sáchez 6. in decalogum, cap. 8. num. 16 & cap. 9. num. 58. Spatharius de modo corrigendi regul. tract. 10. parte 3. cap. 17. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 10. à num. 3. Riccius 4. par. praxis decis. 169.

Dico primò, licèt pœna triremium sit noua, quò ad hoc vt ea plectantur Domino Deo dicati Regulares; & à iure communi exorbitans. Per consuetudinem tamen, & priuilegia particularia, possunt Prælati Regulares ad tempus, vel in perpetuum suos subditos ad eas condemnare si delicta eorum eò deuenerint, vt aliter castigari non possint. Hæc conclusio habet quatuor partes, & per omnes probanda est.

Nauarr.

Prima pars, quòd scilicet sit pœna noua, patet, quia ea numquàm vsi sunt antiqui patres, nec Religionum institutores, Benedictus, Basilius, Augustinus, vterq; Franciscus in suis regulis de illa meminerunt, eo dumtaxàt contenti, vt scelesti, & incorrigibiles ab eorum societate expellerentur: vel carceribus manciparentur, ita Nauar. comm. 3. de regul. num. 52.

Secunda pars, quòd scilicet hæc pęna sit exorbitans à iure communi. Probatur ex cap. Vniuersitatis de sent. excomm. vbi excommunicantur Prælati mandantes verberari Clericos, seù Religiosos per sæculares, in quam excommunicationem incurrunt etiam sæculares verberantes. Sed qui damnant regulares ad triremes, eos subijciunt quotidianis, ne dicam momentaneis, verberibus.

Tertia pars, quòd scilicet possint per consuetudinem, & priuilegia, probatur primò, quia consuetudo, ita obtinuit, & quotidie videmus, Religiosos damnari à suis Prælatis ad triremes, de qua consuetudine testantur citati Doctores.

Secundò, Probatur ex priuil. Pij V. concesso Priori Generali Ordinis Sancti Hieronymi in Hyspania, vt refert Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 25. art. 1, quo datur facultas dicti Priori vt possit fratres de consilio deputatorum delinquentes ad triremes damnare perpetuò, vel ad tempus: eoquè gaudent omnes Religiones communicationem habentes; vt ait idem Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 30. art. 16. atque ita Generales aliorū ordinum possunt de consilio aliorum, quibuscumque decernunt grauiora Religionis negotia, suos fratres ad triremes damnare, quod tamen per hoc priuilegium non possunt Prouinciales, nisi de commissione Generalis, quia priuilegium hanc facultatem priori soliùm Generali concedit, vel cui ipse commiserit.

Tertiò. Contrà Clericos ter blasphemantes Christum, & B. Virginem à Pio V. constituta est pœna triremium, Anno Domini 1566. die prima Aprilis per eius constitut. quæ incipit cùm primum, §. 10. quam refert Cherub. in suo bull. tom. 2, in Pio V. constit. eius 5. pag. mihi 179. — Cherub.

Quartò. Probatur ex alio priuilegio concesso nobis Minim. (de quo neminem vidi mentionem facientem) a Clemente VII. Anno Domini 1529. die 19. Augusti, ad instantiam Patris fratris Desiderij de Mota tunc temporis nostri ordinis Generalis, & est insertum in nostris constitutionibus post regul. pag. 18. tenoris sequentis.

Exponi nobis, & Infrà. *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, & pro tempore existenti Generali, ac zeloso, nec non alijs, superioribus dicti ordinis, omnes, & singulos dicti Ordinis fratres, quos in quibusuis Ciuitatibus, & locis, tàm sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quàm quorumuis Regum, Ducum, & aliorum Principum ditioni subiectis, inhonestè, & præter regularium institutorum, eorumdem obseruantiam viuentes, & scandalum generantes, & incorrigibiles reperieritis, ac vobis de eorum prauato viuendi modo, per vos, vel testes fide dignos constiterit, corporaliter capiendi, seu capi, eosquè iuxtà criminum, & delictorum per eos perpetratorum qualitates, ad triremes perpetuò, vel ad tempus, absquè aliqua Iudicum Ecclesiasticorum, vel sæcularium super eisdem criminibus, & delictis, cognitione, vel sententiæ prolatione, detrudendi, & condemnandi, seu detrudi, & condemnari faciendi, sine conscientiæ scrupulo, omni tamen malitia, & specie vindictæ ex parte vestra, & vobis in hoc assistentium cessantibus, plenam, & liberam auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus. Mandantes triremium earundem Capitaneis in virtute sanctæ obedientiæ, vt eosdem fratres, quos iuxtà conscientiam vestram, & de vobis assistentium consensu, huiusmodi pœna dignos iudicaueritis, eis pro tempore consignatos inibi delictorum suorum pœnitentiam facturos, recipiant, & retineant.*

Circà quam constitutionem puto primò, quòd hoc priuilegio gaudent cęterę Religiones communicationem habentes; atque ita, tùm Generales, tùm Prouinciales de consensu sibi assistentium possunt fratres delinquentes ad triremes damnare; Non puto tamen, quòd hanc auctoritatem habeat Pater Zelosus, licèt dicatur in Bulla, Tibi, & Patri Zeloso, nàm Pater Zelosus in nostra Religione est tantummodò procurator Generalis, nullam habens auctoritatem iudiciariam, nec iurisdictionem, licèt aliquam preeminentiam, vt patet ex Capitulo Paulæ, n. 24. Ideò quandò illi concedit Pontifex auctoritatem damnandi ad triremes, debet intelligi, quandò zelosatui est annexa auctoritas Vicarij Generalis, prout ordinariè est in absentia Reuerendissimi

disalmi ab vrbe; Non enim censendus est Pontifex voluisse illi tantam facultatem tribuere contra Regulam, & Regularia statuta. Et ratio est, quia in suis constitutionibus non intendit Papa derogare statutis particularium locorum, nisi expresse deroget, vt supra dixi, cap. 21. conclus. 6. versu dixi modò, neque per illa verba *Alijs superioribus dicti Ordinis*, possunt intelligi Correctores locales, qui in nostro Ordine ad summum habent auctoritatem formandi processus in rebus grauibus, non autem decidendi, neque sententiandi absque auctoritate Praelati, vt dicam alibi. Remanet ergò solùm praelata potestas penes Generalem, & eius Vicarios, & penes Prouinciales; & sic fuit declaratum in capit. Val. 4. num. 61. & quò ad Prouinciales cum limitatione, vt priùs Generalem consulant.

Noto secundò, quòd hoc possunt facere dicti Praelati absque *conscientiae scrupulo, & iuxta conscientiam suam*, cuius verbi repetitio in Canone, vel lege grande mysterium continet, vt
Glossa. optimè tradunt Glossa in Clem. prima, verbo
Sanchez. Dioecesanis de iur. patr. & Sanchez 6. in decalog. cap. 8. num. 10. Mysterium ergò est ad innuendum, quàm maturè debeant Praelati procedere in tali condemnatione.

Noto tertiò, quòd debent hoc facere Praelati absque passione irae, vel vindictae, sed solo zelo iustitiae, & boni communis, quòd si aliter, videtur annuere Pontifex, quòd incurrent excõmunicationem capitis Vniuersitatis de sentent. excomm. quia vapulandum praebent Religiosum saecularibus, quod vetatur illo cap.

Noto quartò, quòd debent hoc facere Praelati, non de consilio tantùm collegarum, sed de consensu. An autem assistentes, si specie vindictae damnant aliquem ad triremes, dictam excommunicationem incurrant, puto quod sic; quia quandò collegae debent praestare assensum in aliquo negotio, ita vt negotium illud, nisi talem assensum praestent, expediri non possit, concurrunt tamquàm participes officij, & ideò videtur, quòd debeant participare in illa excommunicatione cap. Vniuersitatis, quia & ipsi pro parte sua Religiosum saecularibus praebent verberandum. Addo, quòd Consilium, & fauorem dantes, incurrunt in excommunicationem capi-
Sayrus. tis Si quis suadente, vt dicunt omnes, Sayrus
Suarez. lib. 3. de censuris, cap. 16. Suarez tom. 5. in tertiam partem, disp. 22. sect. 1. num. 55.

Noto quintò, quòd Capitanei triremium non recipientes dictos Religiosos ad suas triremes damnatos, legitima causa cessante, & receptos inscijs Superioribus ipsorum Religiosorum dãnatorum, vel contradicentibus, dimittentes, peccant omninò mortaliter.

Quarta Pars conclusionis, quòd scilicet haec poena non debeat irrogari, nisi quandò aliter Regularia castigari non potest; probatur, quia haec poena est omnium terribilissima. Vndè eam
Diaz. meritò deplorat Diaz in sua pract. cap. 146. n. 3. Qui nec approbat dari Sacerdotibus Dei, quibus maior dignitas collata est, quàm Angelis, quantumcumque facinorosis, quia ibi est maxima omnium sceleratorum hominũ copia, maximus squalor, maximus omnium aerumnarum, ac immunditiarum aceruus: & putat tolerabilius quouis mortis genere (momentaneo tamen) vitam finire, quàm longo vitae interuallo cum tot facinorosis hominibus, ac etiam infidelibus, saepiùs tali quotidiana poena torqueri.

Quod non minoribus, & efficacioribus verbis & sententijs deplorat Viualdus tract. de depos. *Viuald.*
& degrad. sub num. 38. pag. 84. vbi ad longum deplorata miserijs talium damnatorum, in haec concludit. *Vellem equidem, vt si aliquis mihi notus, vel coniunctus ad triremes esset condemnandus, vt morte potius puniretur quacumque subita naturali quàm illa ciuili: In morte enim naturali per ministros iustitiae data, multa reperiuntur commoda, videlicet confessio, sacratissima communio, indulgentiarum acquisitio, piorum hominum confortatio, fidelium orationes, ac deniquè in ictu oculi de hoc mundo in caelum, vt piè creditur, euolatio. In triremibus è contra miserrimus quisque reus quotidie moritur, & numquàm finitur. Insulta ferè discit peccata, quae postea vix deserit. Quotidie flagellatur, & saepè sine culpa: Habitat cum Turcis, & Infidelibus, latronibus alijsque pessimis hominibus: Non satiatur pane, & aqua: seu per pluuijs, ventis, insanisque expositus procellis: ac, vt alia taceam, deniquè catena ligatus, pedibusq; suspensus, fracta, submersaque triremi, inter vndas absquè sacramentis, aliaque consolatione desperatus perit, atquè tamquàm lapis in infernum descendit.*

Quibus omnibus, miseriam loci illius deplorantes, symbolum nostrum adijciamus, & nos; Schola sunt triremes omnium peccatorum, scelerum, vitiorum, facinorum, criminum, quantùmuis nefandorum, & enormium, vbi prima Cathedratica Venus, cui adstant sodomorum turbae, ganeonũ Conuentus, scortorum, & pathicorum multitudines, ociosorum phalanges, latronum cohortes, ludentium Myriades, ebriosũ, & comedonum exercitus. Secundus Cathedraticus (in praeiudicio in assignatione locorũ alijs) Zoroaster, cuius sunt auditores venefici, incantatores, strigones, iudiciarij, negromantes: Tertius Cathedraticus est Pater mendacij Diabolus, cuius auditores sunt blasphemi, mendaces, murmuratores, calumniatores, falsi testes, periurij, maledici, zizaniarum seminatores, animarum negotiatores. Et verè *edaces scelerum triremes*. Vndè iure meritò possunt appellari *Terra tenebrosa, & operta mortis caligine, terra miseriae, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Vt loquendo de Inferno ait Iob cap. 10. Quarè, & locum illum appello Infernum temporalem; nàm si *in Inferno*, vt ait Greg. in diuersis locis suorum operũ, praesertim 9. moralium, cap. 38. 39. & quarto dialog. cap. 36. *Erit immortalis vermis, faetor intolerabilis, horrida visio Daemonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum, Mors sinè morte, defectus sinè defectu*. Hic adest semper vermis immortalis propriae conscientiae, qui dicitur synderis, semper accusans, & improperans vinctum illum: quae est grauissima poena. Vndè Ambrosius lib. 3. officiorũ, cap. 4. *Quae autem, ait, poena grauior, quàm interioris vulnus conscientiae? quod seuerius iudiciũ, quàm domesticum, quo vnusquisque sibi reus est?* & alibi idè Ambrosius *Nihil agis sapiens, nisi quod honestũ sit, nisi quod cũ sinceritate sinè fraude sit. Neque quidquam facis in quo te crimine quoquè obliges etiamsi latere possis, sibi enim est reus priusquam caeteris. nec tàm pudẽda apud eũ publicatio flagitij, quàm conscientia est* & Socrates ad Demonia cum ait, *Socrates.*
si quid vnquàm turpe admiseris, ne speraueris fore

etiam, nam vt alios id celes, at sibi ipse eris conscius, & tandem ad id facit Iuuenalis carmē Satyra 13.

Nocte, dieque tuum gestas in pectore testem.

Fœtor intolerabilis, & talis, qualis, nisi ab illi Cloacæ assuetis sustineri potest, si non, dicat rerum magistra experientia; Horrida visio hominum indæmoniatorum, omnibus vitijs affluentium, & dæmonibus etiam peiorum: Confusio peccatorum, nihil proprius, chaos omnium confusionum: Desperatio omnium bonorum: quid ampliùs? Mors sinè morte, quæ semper incipit, & numquàm deficit: Moriuntur quotidie, & semper viuunt, feriuntur flagellis, & verberibus absquè pietate, & discretione præ manibus Turcarum, & infidelium, indè aceto, & sale medicantur, semper deficiunt, & numquàm deficiunt. Teterrima itaquè pœna, incautè, & pro quocumque delicto non infligenda, sed pro eo solùm, & non vno, sed pluribus, propter quæ fit quis morte turpissima dignus.

Iul. Clar. Sed quoniam, vt ait Iulius Clarus in sua practica Crim. lib. 5. q. 67. §. finali, num. 7. ita creuit plurimorum regularium libido, & impudentia, vt non possint ordinarijs carcerum pœnis coerceri, quia vel aufugiunt, vel non timent, necessaria fuit Cloaca ista ad Religiones expurgandas, & purificandas. Nequè sat est aliquandò à Religione electio, Homicidæ enim, Latrones, & Drauci, si à Religione eijciantur, meritas absquè dubio non luent pœnas. Fateor tamen, quòd meliùs esset, tū pro Religionibus, tū pro istis scelestis, qui propter facinora perpetrata fiunt digni, vt ad triremes eijciantur, eos ad perpetuos, & duros carceres compedibus, disciplinis, & inedià torquendos, condemnare; sic enim de illorum salute, & correctione posset sperari, quod etiam notat Rodriquez de ord. iudic. cap. vlt. conclus. & num. 4. *Rodriq.*

Dico secundò, si quandoquè esset Religiosus ad triremes damnandus, deberet condemnari, vel in perpetuum, vel si tantam non mereretur pœnam, vt finito tempore, habitu remaneret spoliatus, ita vt ad Religionem ampliùs non rediret, est opinio Rodriquez tom. 2. quæst. regul. quæst. 55. art. 8. *Rodriq.*

Probatur primò, nàm ad mala pronus, cum peruersis degens, pessimus efficitur. Nec enim incorruptus manere potest, qui corruptis sociatur, cap. Quis quis 23. q. 4. vndè Ecclesiastici 13. dicitur; *Qui communicat superbo induet superbiam*, Et vicinitas confederationem arguit vitiorum dist. 44. §. 1. & tantùm abest, vt possit sperari emenda de istis, quin potiùs rationabiliter credi possit, ipsos euasuros peiores; vndè infecta illa ouis, quæ scelerum magistra erit facta, ad inficiendas in Religione alias oues sanas, admitti non debet.

Apuleius. Secundò. Probatur ex eo, quod dicit Apuleius apologia 2. *Peccatum semel, vt bonus quisquè, postea sollicitus cauet, ità qui ingenio malo est* (vt sunt isti) *confidentibus integrat, ac iam de cætero, quò sæpiùs delinquit; Pudor enim veluti vestis quantò obsoletior est, tantò incuriosiùs habetur.*

Tertiò. Quia indecentissimum est, Galeotas istos tàm infami punitionis genere punitos, iterùm Religiosorum sancto, & honesto habitu reinduì, & denìquè.

Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt, vt cecinit Oratius lib. 1. epist.

Dico tertiò. Ad triremes damnandus esset priùs actualiter degradandus. Franciscus Pegna in 3. parte direct. inquis. comm. 46. versu de eo verò, pag. 518. Salzedo ad practicam Diaz, cap. 146. versu Sed vtrùm. *Francis. Pegna. Salzedo.*

Probatur, quia perpetuis carceribus immurandus per definitionem Vrbani IV. quam refert Pegna loco cit. versu Et consequenter. Salzedo ad pract. Diaz, cap. 116. versu debet, est degradandus, ergò ad triremes perpetuò damnandus; quia cum par sit vbiquè, & penitùs similis ratio, idem erit statuendum, lege illud, ff. ad legem Aquiliam. Aduertunt tamen Pegna, & Salzedo locis cit. in conclusione, quòd quia cum istis solet aliquandò dispensari. Ideò non solet Clericus, seù Regularis ad istas pœnas damnatus, actualiter, sed verbaliter tantùm degradari. Quæ autèm sit degradatio actualis, quæ verbalis, vide apud Sylu. verbo Degradatio, num. 1. Sebastianum Medicem in summ. peccatorum, cap. 28. Suarez tom. 5. in tertiam partem de censuris, disp. 30. sect. 2. à num. 6. Ambrosinum de immu. Ecclesiæ cap. 17. num. 35. 36. & caput degradatio de pœnis in 6. *Pegna. Salzedo. Diaz. Pegna. Salzedo. Sylu. Sebast. Medicem. Suarez. Ambrosin.*

Dico quartò, Ministri triremium verberantes Religiosos ad eas damnatos, non incurrunt in excommunicationem, Nauarr. comm. 3. de regul. num. 58. Mir. tom. 1. Manualis, q. 58. art. 8. Freita addit ad Cuntha q. 24. n. 45. Molina tom. 4. de iust. tract. 3. disp. 51. num. 5. col 2. & tom. 6. tract. 5. disput. 7. num. 4. Aldrete de Religiosa disciplina lib. 2. cap. 27. num. 16. ex Freita loc. cit. qui id etiā putat à summi Pontificis cōmissione in consequentiam necessariam pendere. *Nauar. Miranda. Freita. Cuncha. Molina. Aldrete. Freita.*

Probatur, nàm si sit actualiter degradatus, iam perdidit priuilegium Clericale, per cap. degradatio in fine, de pœnis in 6. & probat cum alijs multis Viualdus tract. de depos. & degrad. q. 38. pag. 84. Si autèm sit tantùm verbaliter degradatus, licèt si priuilegium non perdat, vt Glossa d. cap. Degradatio, & Syl. verbo degradatio, num. 8. q. 6. cum communi; tamen per consuetudinem in contrarium videntur excusari à culpa, & à pœna, si modum non excedant: vel non verberent ex odio, & malignitate. Quia cum lex de non verberando Clerico, non sit naturalis, nec diuina, sed humana, tolli potest per consuetudinē, vt habet Nauar. loc. cit. & Suarez tom. 5. in tertiam partem, disp. 22. sect. 1. nu. 44. Panor. in cap. vt famę de sent. excom. num. 8. licet dicat hanc consuetudinem esse malam. Videatur quid dicat Zerola circa hoc, secunda parte suę praxis, verbo Excommunicatio, §. 19. *Viuald. Glossa. Sylu. Nauar. Suarez. Panorm. Zerola.*

Sed quid? si quis absolutum à pœna triremium, eò quia tempus suæ condemnationis cōpleuit, sed nondùm illis egressum, nec habitu regulari nondùm indutum percutiat?

Respondeo, erit excommunicatus, quia, peracta pœnitentia, ille non est ampliùs triremium legibus subditus, sed est Religiosus sub obedientia sui Prælati.

Dico quintò, damnatus ad triremes tenetur ad officium diuinum, si erat choro destinatus: etiamsi in sacris non sit, modò tamen commodè possit id facere, ita Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. num. 9. Alphonsus Viualdus loco cit. n. 40. qui addit, quòd si commodè non potest officium recitare, tenetur ad aliquas preces, verbi gratia, Pater noster, Aue Maria loco officij. *Suarez. Alphons. Viuald.*

Proba-

Probatur, quia nō absoluitur per damnationē ad triremes à statu regulari; ergò tenetur ad omnia ea, iuxtà possibilitatem suam, quæ de statu illo sunt, vel essentialia, vel de præscripta consuetudine.

Sanchez.

Dico sextò, Religiosus damnatus ad triremes perpetuò, vel ad tempus non potest ab eis tuta conscientia fugere, Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 8. nu. 16. & alij multi, quos citat, licèt Bannes etiam ab ipso citatus 2. 2. q. 69. art. 4. post 5. conclus. contrarium teneat; quod est valde probabile propter illius pœnę duritiam, & ignominiam, modò rectè superiorem adeat.

Probatur nihilominùs cōclusio, quia per votū obedientiæ se ita libertate priuauit, vt nō sit ei licitum ad beneplacitū vagari: sed tenetur permanere, & stare, vbi suus illi præceperit Prælatus.

Graffius.

Dico septimò, Si Religiosus ad triremes damnatus aliquid quærit, ait Graff. 1. par. decis. lib. 3. cap. 5. n. 82. quòd quærit Episcopo, cui sūt subiectæ triremes, sed puto distinguendum, nam vel est damnatus perpetuò, vel ad tempus: si perpetuò, cum sit seruus, & mancipium exauctoratus, & degradatus, quærit illi, cui quærunt serui, & mancipia: si verò ad tempus, & eo tran lacto ad suam, vel alienam Religionem non reuertitur, sed remanet in habitu Clericali, vel Laicali, tùm etiam distinguo, vel est ita damnatus ad triremes, vt finito tēpore, sit habitu spoliatus; & tùm quærit illi, cui quærunt eiecti: vel non est habitu priuatus, & tùm ad Religionem tenetur redire, & secum omnia acquisita deferre: si negligat redire, & remanet in sęculo, quærit illi, cui quærunt Apostatæ.

Sylu. Panorm. Nauarr.

Dico octauò, ad triremes damnatus ad tempus, si eo finito ad Religionem reuertatur, non amittit Genituram, Sylu. verbo Religio 3. q. 19. versu secundo inducitur, Panorm. in cap. ex rescripto de iure iur. num. 5. Nauar. com. 4. de regul. nu. 74. versu aduertendum 3. aduerte, quod ad triremes damnatus, si confugiat ad Ecclesiam gaudet immunitate, Giurba in consil. crim. consil. 30. num. 21. Diana tract. 1. de Immun. Ecclesiæ resol. 40. qui ait id esse etiā verum de Bonauolijs, & sic in praxi fuisse sæpius declaratum. Ità Passarellus in Scholijs ex Genuensi, num. 81. & probatur, quia in Monasterio dicitur esse Monachus, qui manet in quocumq; loco de superioris mandato.

Giurba. Diana. Passarell.

Dico vltimò, damnatus ad triremes, per iudicis legitimam sententiam est infamis infamia iuris: quæ à summistis, verbo infamia dicitur, quandò quis legitimè conuictus de aliquo enormi crimine, fuit legitimè condemnatus, & per consequens est Irregularis, vt notat Glossa in Regula Infamibus, quæ est 87. de regul. iur. in 6. & Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 24. art. 6. & Toletus in sum. lib. 1. cap. 61. num. 1. fine, vndè sequitur, quòd si sit Sacerdos, seù ordinatus in aliquo ordine sacro, non possit exercere ordinem, quem habet, nec promoueri ad quem non habet absquè dispensatione, vt Toletus loco cit. & alij communiter; Repellitur etiam ab accusatione, & testificatione, & omnibus alijs actibus prohibitis infamibus, Sayrus lib. 7. de censuris, cap. 11. num. 6.

Glossa. Rodriq. Toletus. Toletus. Sayrus.

Sed quæres, quis poterit cum isto dispensare, vt celebret in ordine suscepto, & ad altiores promoueatur.

Nauarr. Sayrus. Toletus.

Respondent omnes Doctores communiter, quòd super Irregularitate prouenienie ex infamia iuris, solus Papa potest dispensare. Nauar. in sum. cap. 27. num. 204. versu decimoseptimo, Sayrus lib. 7. de censuris, cap. 11. num. 15. Toletus in sum. lib. 1. cap. 62. num. 5. in specie autem, quòd Prælati Religionum non possint dispensare super Irregularitate prouenienie ex infamia iuris, docent Rodriquez tom. 1. quęst. regul. q. 24. art. 6. & Miranda tom. 2. Manualis, quęst. 8. art. 5.

Rodriq. Miranda.

Si obijcias id, quod diximus supra, Pręlatos Regulares posse per sua priuilegia dispensare cum suis subditis in omnibus Irregularitatibus, excepta Bigamia, mutilatione membrorum, & homicidio voluntario.

Respondent prædicti Rodriq., & Miranda, quòd licèt ità sit, tamen sicùt adhùc censentur reseruatæ Pontifici irregularitates prouenientes ex aliquo corporis vitio, & defectu, propter scandalum, quod fidelibus, indè prouenire potest, ita cum istis infamibus solus Papa potest dispensare propter scandalum, quod exindè generari potest, videndo ipsos celebrare.

Quòd licèt habeat aliquam probabilitatem, tamen non puto omninò verum; non enim solido innititur fundamēto. Nam si dicatur, quòd non possunt Prælati Regulares dispensare cum istis, qui ad triremes fuerunt damnati propter scandalum, quod potest generari in populo, videntes eos celebrare, quia hoc dicit quandam deformitatem, idem poterit etiam dici de Papa; nàm idem scandalū generabitur; postquàm fuerit cum illis dispensatum per Papam, quia eamdem deformitatem habebit; quòd tamen nullus dicet. Addo, hoc esse ita in his temporibus ordinarium, vt Ecclesiastici ad triremes damnentur, & quòd deindè egressi celebrent, vt nullam, aùt saltèm paruam hoc in populo generet admirationem, putant enim, cū illis fuisse dispensatū ab habente auctoritatē. Itaquè, nisi aliud obsit, puto, quòd Prælati Religionum per sua priuilegia, quæ latè sunt interpretanda, iuxtà Regulam *Odia restringi*, quæ est 15. regul. iur. in 6. possint dispensare cum infamia iuris notatis, & per cōsequens cum ijs, qui propter delicta fuerunt ad triremes damnati, & ità obseruatur in praxi, vt audio, quod etiā dicit Naldus in sum. verbo Infamia, num. 1. versu hic autèm addendum.

Naldus.

CAP. XXVIII.

Quomodò subditi teneantur suos Prælatos honorare.

D. Thom. Aristot. Plato. Val. Tab. Angelus. Sylu. Armilla. Peraldus. Th. Kēpis. Iac. Alu. Antonin.

PRO hic dicendis videri potest D. Th. 2. 2. quæst. 63. art. 3. & q. 103. ar. 2. & quodlib. 8. art. 7. & in 3. dist. 9. quæst. 2. art. 3. Aristoteles primo Ethycorum, cap. 1. & lib. 4. cap. 3. Plato lib. 34. de legibus, dialogo 11. Val. tom. 3. disp. 5. quæst. 7. par. 3. Tab. Angelus, Sylu. Armilla verbo Honor. Peraldus in summ. vir. & vit. tom. 1. tract. 5. de iust. par. 6. cap. 1. & 2. Thomas Kempis de fideli dispensatore, §. 84. & cap. 4. de discipl. claustral. Iacobus Aluarez de vita religiosè instituēda, lib. 6. cap. 9. & de vita spirit. to. 2. lib. 3. p. 5. sect. 6. à cap. 9. Antoninus 4. p. tit. 5. cap. 10. §. 1.

Nauar. Sayrus. Aragon.

Nauar. cap. inter verba, concluſ.4. à num. 4. & concluſ. 5. à num. 63. & de finibus humanorum actuum, à num. 47. & in ſum. cap. 18. à num. 17. & cap. 23. num. 9. Sayrus in claui regia, lib. 11. cap. 8. Aragon. 2. 2. q. 63. art. 3.

Thomas Valdenſis. D. Thom.

Noto primò, quòd quinque ſunt honoraria bona, Reuerentia, Laus, Honor, Fama, & gloria humana, *Reuerentia*, vt eam definit Thomas Valdenſis in lib. de ſacramentalibus, cap. 118. art. 6. *Eſt animi reputatio, qua quis bonitatem alterius magnifacit*, & vt dicit Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 103. art. 1. ad primum. *Eſt primum motiuum ad honorandum, in quantùm ſcilicet aliquis ex Reuerentia, quam habet ad aliquem, eum honorat; eſt etiam honoris finis, in quantùm ſcilicèt aliquis ad hoc honoratur, vt in reuerentia habeatur ab alijs.*

Ariſtot. Ariſt.

Laus eſt oratio magnitudinem virtutis oſtendens, vt eam definit Ariſt. 1. Rethoric. cap. 9. verſu finem, & 3. Rethoric. cap. 16. in principio, & verſatur circa vniuerſalia, ad differentiam Encomij, quod verſatur circa ſingularia; & Prædicationis, quæ circa finem, vt idem Ariſt. 2. moral. Eudemiorum, cap. 1. fine. Differt autem ab honore dupliciter, primò, quia laus conſiſtit in ſolis ſignis verborum; Honor autèm in quibuſcumque exterioribus ſignis. Secundò, quia per exhibitionem honoris teſtimonium reddimus de excellentia bonitatis alicuius abſolutè, ſed per laudem teſtificamur de bonitate alicuius in ordine ad finem, vt quandò laudamur aliquem operantem benè propter finem, vt D. Th. 2. 2. quæſt. 103. art. 1. ad tertium Antoninus 4. parte, tit. 5. §. 1.

D. Thom. Antonin.

D. Thom.

Honor eſt exhibitio Reuerentiæ in teſtimonium alicuius excellentiæ, quę in honorato reperiatur. Ità D. Tho. par. 2 q. 2. art. 2. corpore, & 2. 2. q. 25. art. 1. ad ſecundum, vbi aſſignat differentiam inter amorem, & honorem, quòd ille reſpiciat bonum in communi, hic proprium bonum honorati.

Nauar.

Fama, vt iam diximus cap. 25. §. 1. concluſ. 7. *Eſt illæſa dignitatis ſtatus, vita & moribus comprobatus, & in nullo diminutus.* Et eſt non ſolùm de ijs, quæ virtutem reſpiciunt, ſed etiam de ijs, quæ ingenium, fortunam, &c. ſicùt etiam de ijſdem eſt laus, vt dicit Nauar. cap. inter verba, concluſ. 4. num. 4. & de finibus humanorũ actuũ, num. 48. quia moribus vitioſus, ſi habeat aliquã ingenij excellentiã, & eſt laude dignus, & fama.

Ambroſ. D. Thom.

Gloria deniquè eſt clara cum laude notitia, vt ex Ambroſio in cap. 1. ad Romanos eam definit D. Thomas 1. 2. quæſt. 2 art. 3. & 2. 2. q. 103. art. 1. ad tertium, vbi nota, quòd verbum illud (Laude) non ita ſtrictè ſumitur, vt ſuprà dictum eſt; fieri enim poteſt, vt alicui contingat gloria abſquè laude verborum per honorem facti, vt Mardocheo Eſter. 6. Quod benè notat Nauarrus de finibus humanorum actuum, num. 49. Notandum eſt etiàm, quòd gloria non eſt honor, ſed honoris effectus, & laudis, vt D. Tho. 2. 2. q. 103. art. 1. ad tertiũ, & q. 132. art. 2. corpore; Ex hoc enim quòd aliquis honoratur, redditur clarus in oculis aliorum, vt idem D. Tho. 2. 2. q. 145. art. 2. ad ſecundum, & q. 103. art. 1. ad tertium.

Eſter. Nauar. D. Toma.

Valdenſ.

Adde ex Valdenſi loco cit. quòd hæc quatuor. Reuereri, Honorare, Laudare, & Glorificare, ita ſe habent, vt poſteriùs priori ſemper aliquid adijciat; *Reuereri enim, eſt animo magnificare, Honorare id aliquo ſigna exteriori ſignificare: Laudare, id verbis facere, Glorificare autèm, Longè, lateque id expandere.* Tandèm hic aduerte, *quod honor magis eſt in honorante, quàm in honorato*, vt refertur ex Ariſt. primo ethyc. & Chryſoſt. homil. 25. Epiſtola ad Hebræos, ait, *Honorans alios ſe ipſum honorat.*

Ariſtot. Chryſoſt.

Ariſt. D. Thom.

Noto ſecundò ex Ariſtot. 4. ethyc. cap. 3. Antè medium, & D. Tho. 1. 2. quæſt. 2. art. 2. ad primum, & 2. 2. q. 103. art. 1. ad ſecundum, *quòd virtuti in hac vita non poteſt ſufficiens præmium aſſignari* Cum autem nihil in rebus humanis, & corporalibus maius honore poſſit inueniri, in quantùm ſcilicèt ipſæ corporales res ſunt ſigna demõſtratiua excellentis virtutis; Ideo dicitur honor eſſe præmium cuiuſcumquè virtutis.

Noto tertiò, quòd *honor propriè ſoli virtuti debetur*, vt Ariſtot. 4. ethyc. cit. & D. Tho. 2. 2. q. 63. art. 3. corpore, & q. 144. art. 2. ad ſecundum Poteſt tamen aliquando aliquis honorari, non ſolùm propter virtutem propriam, ſed etiàm propter virtutem alterius; ſicut Principes, & Prælati honorantur, etiam ſi ſint mali, in quantùm gerunt perſonam Dei, & communitatis; Senes honorandi ſunt propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus, licèt hoc ſignum quandoquè deficiat, vndè dicitur Sap. 4. *Senectus venerabilis non diuturna, nequè annorum numero computata, cani autèm ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Parentes etiam, & Domini ſunt honorandi propter participationem diuinæ bonitatis, qui eſt omnium Pater, & Dominus. Diuites etiam honorandi, quia maiorem locum in communitatibus obtinent, ita D. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 3.

D. Thom. Nauar. Antonin. Aluarez. Tabiena.

Dico primò Prælatis Religioſorum debetur honor, & Reuerentia, ita D. Thom. 2. 2. q. 102. ar. 2. ad tertiũ, & q. 103. art. 2. corpore, & in 3. d. 9. q. 2. art. 3 Nauar. cap. inter verba, concluſ. 5. n. 63. Antoninus 4. par. tit. 5. cap. 10. §. 2. Aluarez de vita religioſè inſtit. lib. 6. cap. 9. Tab. verbo Honor, num. 1.

Rom. 13. Tim. 5. Gloſſa. Rom. 12. Philip. 2. Petr. 2.

Probatur primò, ex Apoſtolo ad Rom. 13. *Cui honorem, honorem*; habita Relatione ad poteſtatem, de qua initio dixerat, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* 1. ad Timoth. 5. *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore ſunt digni.* Quod declarant Gloſſa, ait, *Non ſolùm ſublimi honore, ſed terreno.* Et ad Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes*, Quod exponens ad Philip. 2. ait, *Superiores inuicem arbitrantes*: quaſi dicat, Vos honore inuicem præuenite propriè poteſtis, quia ſinguli ſingulos inuicèm Superiores arbitrari debetis, & 1. Petri 2. *Regem*, inquit, *honorificate.*

Secundò. Probatur ex cap. Quamquàm omnes, d. 23. vbi ſtatuitur, vt *vnuſquiſquè dependat debitum per omnia honorem, atquè obſequij reuerentiã præeminenti ſibi*, & cap. debent extra de officio iud. ord. dicitur, *Debent ſuperioribus ſuis reuerentiam ſubditi.*

Ignatius. Thomas Kempis.

Tertiò. Probatur ex Patribus, Ignatius epiſtola ad Smirnenſes, *Honora, inquit, fili Deum, & Regem, Honora Deum vt auctorem vniuerſorum, & Dominum: Epiſcopum autèm vt Sacerdotum Principem, & imaginem Dei ferentem.* Thomas Kempis cap. 1. de fideli diſpenſat. §. 24. *ſemper*, inquit, *ſenioribus reuerentia deferatur, & honor ſiuè dignitate Prælationis, ſiuè auctoritate officij, ſiuè ætate temporis, & conuerſatione venerabiles fuerint, imq*

mili

mili corde exigeris reddere debitam subiectionem; & Beatus, si impleas eam, & deuotè venerari Prælati tui præsentiam, & de disciplin. claust. cap. 4. fine, ait, *Vbi obedientia non curatur, & Prælatus parùm reueretur, ibi bonum regimen annullatur*. *August.* August. in quæst. ex vet. test. q. 35. *Qui in officijs sunt, tamdiu honorandi, quamdiu præsunt.*

Aristot. Quartò. Probatur ex Arist. 5. ethyc. cap. 6. & 4. ethyc. cap. 3. vbi dicitur, quòd *honor debetur optimis*, idest superioribus, qui omnium subditorum optimi debent esse, vt exponit D. Thom. 2. 2. *D. Tho.* *Plato,* art. 2. In argumento, Sed contrà, & Plato lib. 4. de legibus, dialog. 11. *maiores*, inquit, *alijs præstant, vt seniores communiter iunioribus: Parentes natis: Viri mulieribus, atquè pueris: Principes subditis; quos venereri par est, cùm in omni principatu, tùm vel maximè in ciuili* *Seneca;* Seneca ep. 64. *Si Consulē videro, aut Prætorem, omnia quibus honor haberi solet faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam.*

D. Thom. Quintò. Probatur ratione D. Thom. 2. 2. q. 102. art. 2. corpore, *Quia omne mouens habet quamdam excellentiam supra id, quod mouetur; Prælatus autem cum habeat gubernare subditos, habet illos mouere in debitum finem; ergò ratione huius sublimioris gradus illi debetur honor*: licèt fortè, vt dicit idem D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 2. quò ad alios gradus ipse honorante esset multùm inferior. Neque enim requiritur, vt qui honoratur, sit in omnibus excellentior ipso honorante, sed sufficit, quòd sit excellentior quibusdam alijs: vel etiam ipso honorante quò ad aliquid, non simpliciter. Deindè honorandi sunt Prælati, quia gerunt personam Dei, & Communitatis.

Dico secundò, Vicarij missi à Superioribus ordinarijs, etiam honorandi sunt, non tamen tantùm, quantùm ipsimet superiores. Prima *Antonin.* pars est Antonini 4. par. tit. 5. §. 2. versu 6. & *Philip. 2.* probatur ex Epist. ad Philipp. 2. *Eum cum omni honore habetote*, & loquitur de Epaphrodito ad eos ab Apostolo misso.

Nauar. *Rodriq.* Secunda pars est Nauarri in cap. Humanæ aures, num. 6. Rodriquez tom. 2. q. regul. q. 34. art. 2. osculamur enim pedes ipsi Pontifici causa honoris, non tamen id facimus eius legato, etiàm à latere, & minùs delegato: etiàm dùm eum tãquàm Legatum, & Pontificis Vicarium honoramus: Deum Optimum Maximum adoramus latria, Papam eius Vicarium, etiam quandò tamquàm Vicarium adoramus, dulia, vel hiperdulia; vndè Io: Andreas super Glossam, cap. *Io: And.* Si Canonici, verbo Deuotionis, de off. ord. lib. 6. ait, *Latria fit Domino, debetur dulia seruo*. Et ipsa Ratio dictat, magis honorandum prototypum, quàm exemplar, etiam ad viuum ab ipso desumptum.

Dico tertiò, Honor, & Reuerentia debetur Prælatis à suis subditis ex debito legali, alijs au- *D. Thom.* tèm Prelatis ex debito morali, ita D. Tho. 2. 2. *Caietan.* q. 102. art. 2. ad secundum, Caiet. ibi, qui benè aduertit, quòd omissio honoris debiti præsidentibus proprijs, non solùm est peccatum, sed est punibilis per humanam legem. Omissio autèm honoris extraneorum præsidentium, punibilis quidèm non est, quia ad legale debitum nō spectat; peccatum tamen quandoquè est, quià præter morem est, & propterea à morali debito declinat.

Dico quartò, malis Prælatis debetur honor, in quantum gerunt vices Dei, vel Communitatis, ita D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 3 & q. 103. art. 2. ad secundum, & in 3. dist. 9. q. 2. art. 3. & quodlib. 8. art. 7. Antoninus 4. parte, tit. 5. cap. 10. §. 2. Aragon. 2. 2. q. 63. art. 3. §. 1. Circa finem, Tab. verbo Honor in princip. Sylu. verbo Honor num. 2. quæst. 1. *D. Thom.* *Antonin.* *Aragon.* *Tabiena;* *Sylu.*

Probatur primò, & declaratur ea Doctrina D. Th in quodlib. cit. nam in Prælato duo possumus cōsiderare, primò personā propriā, secundò dignitatē secūdùm quā est quędā persona publica; ergò Prælatus sit malus, ratione personæ propriæ nō est honoradus, quia honor est Reuerētia exhibita alicui in testimonium virtutis, vndè falsum testimonium proferret, si quis propriæ personæ intuitu eum honoraret. Sed in quantùm est persona publica, cum gerat locum, nō sui ipsius sed alterius, idest, Christi in Ecclesia, vel Reipub. vt Dominus in sæcularibus dignitatibus ideò est honore dignus, quantùmuis malus. *D. Thom.*

Secundò, probatur ex Ber. serm. 3. de aduentu, vbi ait, *Redde cuiquè quod debes, Redde Reuerentiā Prælato, & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est; neque enim sufficit exteriùs obtemperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod si tàm manifestè innotuerit in digna Prælati alicuius vita, vt nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat; propter eum tamen, à quo est omnis potestas, ipsum, quem modò talē nouimus, excelsum reputare debemus: Non præsentibus personę meritis, sed ordinationi, diuinæ, & dignitati ipsius officij deferentes.* *Bernad.*

Tertiò, probatur ex Cypriano lib. 3. epist. 9. & refertur cap. Dominus noster, dist. 93. qui ait *Dominus noster ipse Iesus Christus Rex, & iudex, & Deus noster vsque ad Passionis diem seruauit honorē Pontificibus, & Sacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent.* *Cyprian.*

Quartò, probatur ex Greg. 3. par. pastor. adm. 5. *Admonendi sunt Subditi, nè cum culpas Præpositorū considerant, contrà eos audaciores fiant; sed sic, si qua valdè sunt eorum praua, apùd semetipsos dijudicent; vt tamen diuino timore constricti, ferre sub eis iugum Reuerentiæ non recusent.* *Gregor.*

Dico quintò, multis modis pręstatur iste honor Prælatis à Subditis, quos enumerat Antoninus loco cit. Primò. Diligenter præstando auditum loquentibus. Secundò. Reuerenter alloquendo; Tertiò, venientibus assurgendo. Quartò sedentibus decenter stando. Quintò Incedentes Comitando. Sextò Transeuntibus, vel alibi inclinando. Septimò propriam operam in seruitijs exhibēdo: Octauò Honorabiliora, vt fercula, vestes, &c. conferendo: Nonò propriam Magnificentiam ad illorum præsentiam deponendo, vt Caputium, pileum, &c. Decimò ipsos pręferēdo in omnibus vt in eundo, descendēdo, loquendo, sedendo, de quibus modis videatur etiam Aluarez de vita Relig. instit. lib. 6. cap. 9. versu exteriùs verò. *Antonius.* *Aluarez.*

Dico sextò, qui hoc debitum Superioribus etiam malis soluere prætermittit: ex Superbia, vel contemptu, peccat omninò mortaliter; si autèm ex inaduertentia, vel negligentia, seù in re minima, non peccat plùs quàm venialiter, est D Thomæ 2. 2. q. 102. art. 2. ad secundùm, vbi Caiet. licèt non determinent, quodnam peccatum sit, quia tamen dicunt, quòd subditi tenentur ad talem honorem exhibendum ex debito *D. Thom.* *Caiet.*

legali:

legali: quod debitum propriè ad Iuſtitiam pertinet, *D. Thom.* vt idem D. Tnom. 2. 2. q. 80. art. 11. corpore; & lædere notabiliter iuſtitiam læthale ſit; ſequitur, quod hoc debitum Superioribus denegare ſit omninò læthale. Expreſſa eſt ſententia *D. Bonau.* D. Bonauenturæ in ſpeculo animæ, cap. 1. In principio, tom. 2. opuſc. *Nauar.* Nauar. in ſum. cap. 14. n. 22.

Timoth. 6. Probatur primò, ex prima ad Timoth. 6. *Quicumquè ſunt ſub iugo ſerui, Dominos ſuos honore dignos arbitrentur.* Ad quod faciunt multa cap. In iure, cap. Soliţæ de maior. & ob. cap. Omnis anima de cenſibus. Concilium Gangienſe, cap. 3. vbi Anathematizatur, qui docet alienum ſeruũ contemnere Dominum ſuum, vt refert *Iuſtin.* Iuſtinianus in caput ſextum epiſt. primæ ad Timotheũ, facit etiam *Trid. ſeſſ. 25.* Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 17.

Secundò. Probatur ex multis, quibus ſunt mulctati à Deo hoc debitũ ſuis Prælatis perſoluere negligentes. *Cham nuditatem Patris irriſit, & ſemen ſuum in ſeruitutem perpetuam damnauit. Abſalon quoquè Dauid de regno expulit, & concubinas eius inceſtauit, ſed morte condignas pœnas luit. Heliſæi Caluitiũ pueri Bethelii vriſerunt, & duo vrſi de ſaltu ex eis quadraginta duos lacerauerunt. Quia pueriliis ſtultitia Iudæorum in Caluariæ loco Chriſtũ Crucifixum irriſit; quadrageſimo ſecundo anno poſt Aſcenſionem eius duo vrſi Veſpaſianus, & Titus de ſaltu gentium egreſſi, illuſores ſæuiſſimè Laniauerũt.* *Gloſſa.* Ita Gloſſa in cap. 3. Eccleſiaſtici ſuper illud Honora Patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benè.

Tertiò, quia, vt diximus, ad id tenentur ſubditi ex legali debito, quod ad Iuſtitiam pertinet quàm ſicut lædere in re graui læthale eſt, ita in re parua, ſeù ex Inaduertentia veniale.

Quartò. probatur omnibus argumentis quibus probauimus primam concluſionem, quæ hãc etiam euidenter probant.

Aduerte autem, quòd etiam Prælati debent ſuos ſubditos honorare, vt dicitur cap. Eſto ſubiectus diſt. 95.

Sed pone, quòd Prælatus nolit ſubditum honorare ipſum ſalutando, tenebitur ne ſubditus eum ſalutare? videtur enim quòd non, nàm fides non eſt ſeruanda non ſeruanti, cap. Peruenit, el ſecondo de iureiurando, & fruſtra petit debitũ, qui, quod debet, non impendit, argumento capitis eſto ſubiectus cit. Vbi adducitur illud Oratoris Domitij, *Cur ego te habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem.*

Reſpondeo, tamen, quòd nihilominùs ſalutare debet ſubditus Prælatum non reſalutantẽ. Quia Prælatus ſe habet reſpectu ſubditi ſicut pater reſpectu filij, Patri autem expedit aliquandò filiũ non ſalutare, imò nec aſpicere, nec interrogãti reſpondere, vt ſibi iratum patrem credens, ſe corrigat, & emendet: ſic Prælato licet aliquãdò ita ſe erga ſuum ſubditum gerere. Sed quid ſi non hoc bono fine, ſed ex ſuperbia, & Inflatione reſalutare nolit, & hoc in conſuetudinem ducat. Hic multa poſſent dici quæ prætereo; nàm ſubditi non eodem modo indifferenter tractandi, melius tamen eſt ſalutare etiam nõ reſalutantẽ, nàm & Iudex eſt; & vim coactiuam habet; & honor in honorante eſt. Videatur Gloſſa in cap. Eſt ſubiectus cit. verbo Deferatur.

§. Primus. *Quàm grauiter peccet Subditus inhonorans ſuum Prælatum, de illo murmurando.*



De hac materia murmurationis (vitium, in quo maximè peccant Clauſtrales) Agit D. Thomas 2. 2. q. 72. vſque ad 77. nos *D. Thom.* hic aliqua ad noſtrum propoſitum. Vbi notandum, quòd non diſtinguo inter conuiciũ, impropetium, contumeliam, detractionem, &c. vt diſtinguunt ſummiſtæ, & alij præſertim Sayrus in Claui Regia lib. 11. cap. *Sayrus.* 8. num. 2. Sed nomine murmurationis intelligo omne id, quo directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſſè læditur Superioris fama, honor, & reputatio. *Eſt autèm murmuratio*, vt ait Bonauentura *D. Bonau.* tom. 2. opuſc. In ſpeculo animæ, cap. 1. *iniuſta querela contrà Superiores, latenter multorum auribus inculcata, & habet rationem mortalis, ſecundùm quòd ad alterius diffamationem anhelat.*

Dico primò, quam diſpliceat Deo hoc peccatum murmurationis ergà Prælatos, & per conſequens quàm graue ſit, patet ex multis auctoritatibus Scripturæ, & Patrum, & primò ex ſcriptura. Num. 12. vbi Aaron, & Maria ſoror eius, *Num. 12.* quia contra Moyſen murmurauerant, grauiter à Deo reprehenſi ſunt; & Maria, quæ procaciùs id fecerat, lepra percuſſa eſt, & à caſtris ſeptem diebus ſegregata. Vis ſcire quarè lepra? & quarè à caſtris ſegregata? & quarè ſeptem diebus? id fuit ad denotandam murmurationis naturam, quæ vt lepra eſt cõtagioſus morbus; inficit enim ſua dulcedine (attenta conditione humanæ fragilitatis) quoſcumquè tangit; & ſicùt lepra eſt morbus inſanabilis; ità murmuratio eſt infirmitas prorſus incurabilis, quæ cum ſemel radices iecerit, per totum corpus ſerpit, & graſſatur: & ſicut lepra eſt morbus ſtomachabilis, ità murmuratio eſt penitùs ſtomachabilis, ſemper enim putrida inſtar muſcarum mordet, & rodit, ex cuius corroſione exeſit tales auræ, quæ de ſabæis meſſibus nihil ſpirantes, nares, & patulas aures obturandi probis viris occaſionem præbent. Lepra eſt morbus faſtidioſus, qui neſcit ocioſitatẽ, licèt fortè ex ea oriatur, ità murmuratio morbus eſt faſtidioſus neſciens deſidiam, ſemper enim deficientibus nouis inculcat vetera mala, & ita moleſtus, vt penè intolerabilis ſit ijs, qui eo non delectantur, licèt ex deſidia oriatur, vt dicam Leproſos fugiunt omnes, & multò magis deberent detractores, ne illis fierent ſimiles, dicente Bernardo 2. de conſid. in fin. *Bernard.* *Porrè detrahere, aùt detrahentem audire, quòd horum damnabilius ſit non facilè dixerim.*

Sed cur eijcitur è caſtris. Primò ne alios inficiat, infecta enim pecua inficit omne pecus. Deindè vt iuſtam arrogantiæ pœnam luat; erexerat enim ſe ſuperbè Maria contrà fratrẽ ſuum Moyſen Ducem Caſtrorum, Prælatorum Principem; eumquè deſpexerat, ideò iuſtè humiliatur, vt quaſi infamis, & indigna, non tantùm fratris conſpectu, ſed & totius populi à caſtris ſeparetur. Tali ſunt mulcta mulctandi ſimiles Prælatorum murmuratores; vndè Baſil. in regulis breuioribus, q. 26. 27. 39. Colligit modum corrigendi *Religioſum murmurantem contrà Prælatũ;*

iubet

Iubet enim separari ab aliis, non solùm quò ad consortium, sed etiam quò ad victum, & vestitum, & tamquàm omninò præcisum, lepra, & peste infectum fugi, vt de suo errore erubescens, resipiscat itá, ne iterùm deindè similis pœnæ timore percitus cadat.

Septem autem diebus à castris abigitur Maria; idest perpetuò; ponitur enim hic numerus terminatus pro interminato, quod est frequens in scriptura, præsertim dùm est sermo de numero septennario, vt Zachariæ 3. *Super lapidem vnū septem oculi sunt;* & exponunt expositores septé oculi, idest infiniti oculi, oculi sine numero; & perpetuò ablegabitur à castris Paradisi murmurans de suo Prælato, nisi Moysis precibus, nisi meritis Christi per condignam pœnitentiam fuerit reuocatus.

Zach. 3.

Audiamus sanctum Ephrem ad hoc propositū factum hoc exponentem, dùm agit de morbo linguæ. *Ex teterima,* inquit, *Mariæ prophetissæ lepra docemur, quàm graue, ac detestabile vitium sit obtrectatio, corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cuius indicabat maculam; & ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractorie corrumpatur animus, vtin sicut illa defecerat à fratre suo, ita & ab ipsa proprium corpus defecit, vt ex semetipsa charitatem addisceret.*

Sed multò peiùs habiti sunt Chore, Dathan, & Abiron num. 16. Cum omnibus adhærentibus suis, eò quia contra Moysen murmurauerant, & iniurij illi fuerant; *Dirupta est enim terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntquè viui in Infernum operti humo.*

Et nihilo seciùs pexi sunt murmuratores contrà Moysen Nu. 21. *Misit enim Dominus in eos igniтos serpentes, à quibus partim sunt vulnerati, partim occisi.* Quem locum contra murmuratores affert D. Paulus 1. Corinth. 10. dicens, *Neque murmurauerītis, sicùt quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.*

Num. 21.
D. Paulus.

Sed cur, inquis, Deus tàm seuerè punit contrà superiores murmurantes?

Respondeo, quia superiores tenent locum Dei, & ab eo gradum illum receperunt; & ideò eos offendentes, Deum offendunt, vndè reputat suā illis factam iniuriam, & tamquam talem vlciscitur. Sicut iniuriæ factæ Legato Principis, ipsi factæ censentur, & ad eas vlciscendas tenetur Princeps, gerit enim illius personam. Sic Dauid iniurias factas suis Legatis ab Ammonitis in rasura dimidiæ partis barbæ, & præcisione vestium vsquè ad Nates 2. Regum 10. vltus est vastatione terræ eorumdem Ammonitarū, cap. 11 cum ergò superior gerat vicem Legati Dei, ad iniurias illi factas tenetur Deus. Quod clariùs probatur ex cap. 16. Exodi, *Murmurauit omnis Synagoga filiorùm Israel aduersus Moysem, & Aaron, & dixerunt Moyses, & Aaron ad omnes filios Israel, Nos quid sumus quia mussitastis contra nos, nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum,* cuius scilicèt personam gerimus. Et primò Regum 8. Quandò filij Israel eiecerunt Prophetam Samuelem, & ei obedire ampliùs recusauerunt; quid dixerit Deus, audite? *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Vndè Greg. in moralibus apud Bonauenturam, lib. 3. pharetræ, cap. 3. de murmur. tom. 1. opusc. ait,

Regum 10.
Exod. 16.
Regum 8.
Greg.

Qui contrà suprapositum sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eandem homini potestatem dedit.

Secundò. Grauitas huius peccati murmurationis colligitur ex dictis Patrum. Basilius enim cap. 34. in regul. Monach. ad interrogationem, qua pœna puniendus sit, qui detraxerit illi, qui præest, respondit, *In hoc manifestum est indicium iracundiæ Dei super Mariam, quæ detraxit Moysi, & peccatum eius, ne ipso quidem Moyse orante, inultum Deus esse, permisit.*

Basilius.

Et Bernardus de considerat, apùd Bonau lib. 3. pharetræ, cap. 3. de murmur. *Si molestè tpperis sustinere, si iudicare Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exteriùs impleas, quod iubetur, non est virtus patientia, sed velamen malitiæ,* & in sententijs dicit. *Antè omnia sinè murmuratione sint fratres, forsà aliqui leue peccatum æstimant murmurare, sed non ille, qui antè omnia monet esse cauendum.*

Bernard.

Et alludit ad illud D. Pauli, qui ad Philippenses 2. ait, *Omnia facite sinè murmurationibus; puto autem ne illum quidem leue reputasse, qui murmurantibus aiebat, non contra nos est murmur vestrū, sed contrà Dominum,* & alludit ad illud Exodi 16. de quo diximus.

Philip. 2.

Gregorius 3. parte pastoral. admonit. 5. Moraliter interpretans factum illud Dauid abscindentis in spelunca oram Chlamydis Saul, inquit, *Saulem, tamen Dauid ferire metuit; quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt, qui, atsi quando pro infirmitate se se abstinere vix possunt, vt extrema quadam, atque exteriora mala præpositorum, sed tamē humiliter loquātur, quasi oram Chlamydis leniter incidunt. Quia videlicet, dùm Prælatæ dignitati saltem innoxiè, & latenter derogant; quasi regis superpositi vestem secant, sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime, vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Vndè benè illic scriptum est, Post hæc Dauid percussit cor suum, eo quod abscidisset oram Clamydis Saul. Facta quippè præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum rectè reprehendenda indicantur.* Chrysost. homil. 8. in ep. ad Philipp. cap. 2. in verba illa, *omnia facite sinè murmurationibus, vides,* inquit, *quod eos studiat, ne murmurent; est enim seruorum improborum, & insensatorum murmurare,* & paucia interpolitis, *sæpè malumus ministerio priuari, quàm murmurantem sustinere. Grauis enim, Grauis, inquam est murmurator, & vicinus blasphemiæ, alioqui cuius gratia illi tantum supplicij dederunt? Ingratitudo est res ista; qui murmurat ingratus est Deo, qui autèm Deo, ingratus est, blasphemus quoquè est.*

Gregorius
Chrysost.

Tertiò. Grauitas huius criminis colligitur ex Iure Canonico, cap. Deteriores, vbi Detractores, & murmurantes contrà suos Prælatos, eos infamando, dicuntur esse infames & repelluntur ab accusatione, & testificatione, cap. Detractores 3. q. 4.

Quartò. Grauitas huius delicti noscitur ex damno, quod infertur ei, apùd quem calumniatur Prælatus; non potest enim in posterum tantùm doctrina Prælati proficere, quantùm profecisset, si talem murmurationem de suo Prælato non audisset: Impossibile est enim illud, quod multùm efficaciter affirmatur, non

r,

gignere

gignere aliquam ambiguitatem etiam in ijs, qui aliter credere dispositi sunt.

D. Thom. *Scotus.* *Perbalt.* *Toletus.* *Victorel.*

Dico secundo, quatuor modis potest, quis murmurare de suo Prælato, vt habent D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1. ad tertium, & q. 62. art. 2. ad secundum, Scotus in 4. dist. 15. q. 4. Perbaltua tom. 4. sui Rosarij, verbo Restitutio, §. 18. Toletus lib. 5. sum. cap. 70. vbi multos citat Victorelius.

Gen. 3.

Primo modo imponendo falsum, & sic semper peccat mortaliter, si res sit grauis, quæ Prælatum dehonestet: & tenetur famam restituere eo modo, quo abstulit, etiam cum amissione famæ propriæ, vt habet Scotus loco cit. in primo membro, & fit similis Diabolo, qui primus fuit impostura rum inuentor Gen. 3. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi.* Manifesta impostura; nàm non præceperat illis Deus, ne comedere possent ex omni ligno, sed solùm ex arbore vitæ.

Matth. 26. *Ioann. c. 2.*

Secundo modo potest Subditus murmurare de suo superiore alterando verum, & illud augendo, vel minuendo ex cuius augmento, vel diminuitione, si auferatur superiori fama, erit mortale, & restitutioni obnoxium, vt dicunt omnes. Huius rei habemus exemplum Matth. 26. vbi refert Euangelista fabricationem illam iniquam processus contra Christum; & ait *Nouissimè accesserunt duo falsi testes, & dixerunt, Hic dixit, Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud*, sed quomodò Matthæus vocat istos falsos testes, cum Ioannes cap. 2. dicat, Christum verè dixisse, *Soluite templum hoc, & post triduum reædificabo illud?* Christus hoc dixit de téplo sui corporis, illi de templo materiali; ideò falsi testes dicuntur, quia verum alterauerunt.

Eccles.

Tertio. Murmuratur de Prælato Reuelando secretum. Quandò sit peccatum reuelare secretum, & quandò non diximus supra, cap. 15. de huiusmodi secretorum reuelatoribus loquitur sapiens Ecclesiastici 19. *Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te disrumpet: à facie verbi parturit fatuus tamquàm gemitus partus infantis: sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* Stultus itaq; omninò est, qui vnum verbum occultare non potest.

Eccles. 10. *Gen. 42.* *Iudic. 42.*

Quarto, murmuratur de Prælato Calumniando bonum, & est pessimum omnium, pessimumq; malignitatis indicium. Vndè Sapiens Ecclesiastes 10. *Cor Sapientis in dextera eius*, quia omnia in bonam partem accipit, & non valens excusare opus, quia manifestè malum, intentionem excusat; *Cor stulti in sinistra illius*, quia omnia in sinistram partem accipit; & non valens calumniari opus, calumniatur intentionem. Exempla harum veritatum habentur in scriptura Gen. 42. Sanctus Ioseph non poterat excusare peccatum fratrum, Attendite quomodo intentionem excuset, *Nolite timere, voluntas Dei hæc fuit.* Et Christus in Cruce nō valens excusare opus Crucifixionis, excusat intentionem dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* E contra verò lib. Iudicum 15. Ad conuisendos parentes secedit Sanson; & putauit socer, quòd secessisset, eo quia vxorem odisset; & loquētibus varijs linguis Apostolis post receptionem, Spiritus Sancti; Musto madere deputabant Hebræi, quia *cor stulti in sinistra illius.*

Sap. 1.

Et meritò fatuus dicitur murmurator, quia suis murmurationibus nihil proficit; quantumlibet enim fremat, & ut obmurmuret superiorum clementiam, si ea vel decreuerint, peruertere non poterit, nec si iustè exarserint ita contra aliquem, persuadebit, vt quidquam de illa diminuant; vnde rectè Sapiens Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest.*

Bernard.

Secundò, fatuus dicitur murmurator, quia murmurando nihil lucratur, & multùm perdit, *Prodit enim*, vt inquit Bernad. ser. 24 in Cantica, *primùm se ipsum vacuū charitate, deinde quid aliud detrahendo intendis, nisi vt is, cui detrahit veniat in odium, vel contemptum ipsis, apud quos detrahit, ferit ergò charitatem in omnibus, qui se audiunt, lingua maledica, & quantùm in se est necat funditus, & extinguit. Non solùm autèm, sed & in absentibus vniuersis, ad quos volans verbum, forte per eos, qui præsentes sunt, peruenire contigerit:* Hæc Bernardus.

Herodot.

Fatuus ergò detractor, & eius auditor, & ab vtriusq; calumniatus vltionem repetet; *In Calumnia* enim, vt ait Herodotus lib. 7. apùd Stobæum, *quæ est res grauissima, duo semper sunt, qui iniuriam faciunt. Is nimirùm, qui calumniatur, & qui calumnianti fidem habet, antequàm verè rem cognoscat. Alter autèm iniuriam patitur, tùm à calumniatore tùm ab illo, qui ipsum aures calumnianti præbens, malum reputat.*

August.

Quarè istis optimè quadrare videtur dictum Augusti relatum à Suetonio Tranquillo in eius vita, *Minima commoda maximo sectantes discrimine, similes sunt aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum, nulla captura pensari potest.*

§. *Secundus. Carpuntur Murmuratores in Communi.*



HIC solùm pauca congeram dicta Scripturæ, Patrum, & Phylosophorum, vt quàm detestabile sit hoc vitium, cognoscatur.

Psal. 10. *Rom. 1.* *Ciprianus.* *Leuit. 19.* *Prouerb. 4.* *Eccl. 19.* *Greg.* *Leuit. 19.*

David Psalmo 110. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Paulus ad Rom. 1. *Detractores Deo odibiles*, vbi aliqui vertunt *Dei osores*, & Cyprianus ep. 68. vertit *Deo abhorrentes* Leuit. 19 *Non erit Susurro, nec Criminator in populo*, quasi dicat Exterminandus est. Prouerb. 4. *Labia detrahentia procul sint à te.* Ecclesiastici 10. *Si mordeat serpens in occulto, nihil minùs eo habet, qui detrahit* & huic vitio accomodat Gregorius in 3. parte Pastor. cap. 1. admon. 36. illud Leuitic. 19. *Non maledices surdo: Quippè maledicere surdo*, ait Gregorius, *est absenti, & non audienti derogare.*

Chrysost.

Chrysostomus homil. in Psalm. 100 *Graue malum est detractio, turbulentus Dæmon, nec vmquàm peccatum hominum reddens. Ex ea odia pullulant, iurgia confluantur, dissidia ortum trahunt, suspiciones malæ procreantur, sinè vlla causa hostem reddit, qui paulo antè amicus erat, vniuersas domos subuertit, et pacatas vrbes ad bellum excitat pulchræ pacis vincula dissoluit, magnæ charitatis nodum infringit; Qui detractioni studet, Diaboli seruit, vtpotè qui calumniæ opera eflagitator, quarè detractor tamquàm mendax, & fur est propellendus*, & homil 79. ad populum. *Homo es, ne venenum euomas aspidum,*

dum, Homini te, fera ne fiat: propterea tibi factum est os, non vt mordeas, sed vt medearis.

Hieronym. Hieronymus ad Rusticum, *Nulli, ait, vmquam omninò detrahas, nec alierum vituperatione laudabilem te uideri velis, magisquè vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere.*

August. Augustinus, vt refert Possidonius in illius vita, cap. 22. contra hanc pestilentiam hos versus suæ mensæ adscripsit.

Quisquis amat dictis absentum rodere uitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Vndè & Coepiscopos, quosdam sibi familiarissimos illius scripturæ oblitos, & contrà eam loquentes, tàm asprè aliquandò reprehendit, vt diceret: aut delendos illos versus de mensa: aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum; Quod ego & alij, qui mensæ illi interfuerunt, experti sumus, ita Possidonius.

Anselm. Anselmus apud Bonau. lib. 3. pharetræ, cap. 3. de detractione, *Tria, ait, sunt genera homicidij, quæ pari plectuntur pœna; interfectio hominum, detractio proximi, & odium fraternum.*

Isidor. Isidorus apud eumdem Bonauenturam. *Detractio graue crimen est, Detractio grauis damnatis est.*

Io: Clim. Ioannes Climacus gradu 10. *Detractio est proles odij, tenuis languor, pinguis, & occulta, ac latens sanguisuga, quæ charitatis omnem demolitur, ac consumit sanguinem, dilectionis simulatio, cordis sordes, ac duritiam parans, castitatisquè exterminatio.*

Th. Kēpis. Thomas Kempis de disciplina Claustralium, cap. 4. *Non est credendum ei, nec consentiendum, qui superiori suo detrahit, & ad resistendum illi rationes quærit.*

Cicero. Audiamus nunc Gentiles, Cicero de offic. *Detrahere alteri, & hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra Naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt Corpori accidere, aut rebus externis; nàm tollunt conuictum hominum, & societatem.*

Demosthē. Demosthenes in Oratione prima contra Aristogonum. *Neminem, ait, vmqquàm vestrum fortasse vipera momordit, neque phalangium, & absit, vt mordeat vmquàm; sed tamen omnia huiusmodi animalia vbi conspexeritis, mox interficitis; Itidem, Et cum delatorem, & crudelem, & hominem uideritis viperinam habere naturam, ne expectate donec aliquem vestrum mordeat, sed cumprimùm occurrerit, puniatur*, vbi aduertè, quòd murmuratores assimilat viperæ, & scorpioni, qui mordent eos, in quos incurrunt; non quia irritentur, sed quia natura feruntur ad morsus, & venena fundenda.

Lucian. Lucianus in fragmento de hac re. *Sæpenumerò quorum se reum calumniator fieri metuit, socium insimulat, vt cum anteuerterit accusando, suspicione culpæ, aut crimine elabatur.*

Plutarch. Plutarchus de his citatus à Martino de Roa lib. 6. Singularium locorum, cap. 15. ait. *Veluti Vrbes portas quasdam habēt nefastas, & sinistri ominis, per quas educunt supplicis capitis destinatos: purgamenta, & sordes ejiciunt: nihil autem purum, aut sacrum per eas, vel ingreditur, vel egreditur: ità per horum aures nihil purum, aut laudabile transit, sed sermones de cædibus aditum inueniunt, atquè ibi versantur, impuras, & falsas de alierum vita, & moribus fabulas componentes.* Porta hęc mihi videtur illa, de qua dicitur 2. Esdræ 3. *Melchias filius Rechab ædificauit portam sterquilinij.* Melchias

Esdræ 3. interpretatur chorus, & significat detractores, qui semper chorum faciunt detrahendo; soli namq; numquam reperiuntur; quia soli suam hanc artem exercere non possunt. Rechab, cuius est filius detractor, interpretatur pater mollis; tùm quia ex leuitate, & mollitie nascuntur detractores, homines enim sunt leuiores vento; tùm quia ex remissione, simulatione, & lenitate Prælatorum ortum habent isti murmuratores. Si enim hos murmurātes adsueti fratres suos Prælati redarguerent, & punirent seuerè, cauti essent in posterum. si eos in chorum reductos otiosos, vbi laudes Diabolo celebres, & gratas concinnunt, dispergerent, & ad orandum, vel studeodum mitterent, detrahendi illis occasiones auferrent; quia si deest qui audiat, deest & qui detrahat; & malæ aures faciunt malas linguas; Detractor autem os suum portam sterquilinij ædificat, dùm eorum immunditias, quibus detrahit, in ore versat.

Saluftius ad Cęsarem de ordinanda Republica. *Plerique mortales ad iudicandum satis ingenij habent, aut simulant verumtamen ad reprehendenda aliena facta, aut dicta, ardet omnibus animus.* Saluft.

Ex quibus colligitur grauitas huius peccati, & etiam ex eo quòd hæc culpa detractionis semper in hac vita, si non integrè, saltèm ex parte punitur; vndè Salomon Prouerb. 13. dicit. *Qui detrahit alicui rei, ipse se obligat in futurum*, scilicet tempore vitæ suæ; quia qui mordet, mordebitur, & qui notat, notabitur, & à quo minùs speratur, parabitur ei opprobriū, vndè Abacuch 2. *Consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur, qui lacerent te, & quia expoliasti, expoliaberis:* & Sap. 11. *Per quæ peccat quis per hæc, & torquetur*, & Ecclesiastici 7. *Non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum*, & Dauid Psalm. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi*; idest Fefellit eos ipsorummet iniquitas, quia & illis damnum intulit; & Psalm. 119. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam*; quasi dicat, Lingua maledica castigabitur iuxta naturā peccati. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, idest cum Sagittis aliarum linguarum; & igne morsuum aliorum maledicorum. Efficacissimum, & iustissimum remedium pro linguis illis infernalibus comprimendis. Salomon. Prou. 3. Abacuch. Sap. 11. Eccles. 7. Psal. 26. Psal. 119.

Thomas Cantipratanus lib. 2. apum, cap. 32. num. 3. narrat de quodam, non re, sed tantùm nomine Sacerdote, qui in tantùm huic vitio detractionis erat deditus, vt potiùs de se pessima mentiretur, quàm non socios, vel cohabitantes sibi Criminibus Infamaret. Hic antè mortem raptus in furiam, tanta in se debacchatus est cæde, vt propriis dentibus linguam maliloquam laniaret, & palàm cunctis ostenderet, quòd olim lingua sua dolosè egerat, & venenum aspidum sub labijs eius, quasi sepulchrum patens guttur illius fætorem teterrimum exhalaret, vt per quæ peccauerat, per eadem in hac vita torqueretur. Th. Cātip.

Sed & in Inferno vltra communes aliorum damnatorum pœnas, particulari, eaquè atrocissima plectuntur: de qua Ioannes in Apocalypsi 16. *Commanducauerunt linguas suas præ dolore*, illa lingua, quæ hic proximi famam, & honorem corroserunt, illa in Inferno ab ijsdem commanducabitur, & corrodetur. Audi Iudam in sua Canonica. Ioannes.

nonica. *Quibus procella tenebrarum seruata est in aeternum, hi sunt murmuratores.* Tandem de his
Prouer.13 loquitur Sapiens Prouerb.13. *Qui detrahit fratri suo eradicabitur.*

Multa alia de istis flagriferis malis, tùm ex scripturis, tùm ex patribus, tùm ex alijs Scriptoribus, Catholicis, & prophanis possent afferri, sed hæc pro nostro instituto satis.

Hoc tantùm addo, rem esse mirabilem, quòd cum omnes auctores linguas suas contra illos acuant; ita pauci tamen reperiantur, qui hoc vi-
Hieronym tium penitùs deuitent; vndè Hieronymus ep. ad Celantiam, *Pauci*, ait, *admodùm sunt, qui huic vitio renuncient, raroq; inuenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam, tantaquè huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procùl ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum*
Glossa. *Diaboli laqueum incidant:* ad quod facit etiā Glossa super illud Prouerb.24. *Cum detractoribus ne commisceatis,* quę ait, *Hoc specialiter vitio penè pericli-*
D. Thoma *tatur totum genus humanum*, & D. Thomas 2.2.q. 73. art.2. ad secundum ait, *Pauci, vel nulli sunt, qui non aliquandò ex animi leuitate aliquid dicant, vndè in aliquo, vel leuiter alterius fama minoretur.*
Iacob.3. Quare Diuinum est illud epistolæ Iacobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic est perfectus vir.*

§ Tertius. De Præcipuis murmurationibus Claustralium.



Peraldus. DE Claustralium murmuribus agit in specie Peraldus tom.2. summ. tract.9. de peccato linguę, cap. 2. § de murmure Claustralium. Tres sūt pręcipuę murmurationes Claustralium, in quātùm possumus pro nostra imbecillitate cognoscere.

Prima est, quòd murmurant, taxando omnes actiones Prælati, malas augendo exaggeratione & ampliatione: bonas in malas retorquendo, vel diminuendo, vel tacendo, vel internos sensus numquàm imaginatos eliciendo: dubias in sinistrum interpretando;

Secundò murmurant, si aliqui fratres exaltentur, ipsis postpositis, non tàm benemeritos sicùt ipsos eos æstimando: ductos aliqua passione, seù interesse Superiores illos eleuantes, iudicando: zelo Religionis se vestiendo dicunt, communitati malè esse prouisum in persona talis, vel talis exaltati.

Tertiò, murmurant, si eis magna, & pinguis, & pretiosa pictantia non detur, omnia sibi comedere Superiores blaterando: cibos omnes nauseando, omnia stomachando; & fastidiendo.

Circa primum aduerte, quòd peccatum est, & aliquandò mortale, manifestas Prelatorū culpas damnare, illas angendo, manifestando, notificādo. Tùm quia contra charitatem proximi est illius defectus manifestare: tùm quia ex odio id prouenire solet; tùm quia resultat in infamia illius, cuius culpæ reuelantur. Vndè Sanctè Sanctus Ioannes eleemosynarius Patriarcha Alexādrinus, etiam publicè peccantes taxari vetabat; *Nam fieri;* inquiebat, *potest, vt peccatum poenitendo deleuerit; iniquum est autem id ab homine petulanter exprobari, quod à Deo clementer est condonatum;*

& Christus Matth.7. id expressè prohibuit, *Nolite iudicare, vt non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini,* & Paulus ad Rom. 14. Matth.7. Rom.14.
Tu quis es, qui iudicas alienum seruum, Domino suo stat, aut cadit.

Qui autem bonas actiones in malas retorquet, sinè dubio peccat mortaliter, & Diabolo similis efficitur, Gen.3. Ad ostendendum submissionem Gen.3.
hominum erga Deum, præcepit illis Dominus, vt non comederent de fructu arboris boni, & mali; Iustissimum, æquissimumq; præceptum; cum enim Deus eos donasset toto hoc vniuerso, voluit ipsos remanere obligatos ad soluendum liuellum, seù terraticum in recognitionem Domini directi; sed vide Dęmonis malitiam, *Cur præcepit vobis Deus, ne comederitis de omni ligno, quod est in Paradiso;* conatur suadere, talem prohibitionem prouenire ex malignitate, & odio Dei erga ipsos. Colligitur hæc mens Diaboli ex textu Hebreo, vbi illi dictioni, *Cur*, respondent duæ istæ dictiones, *Af. Chi.* quæ iunctæ significant Latinè, quantò magis; separatæ *Af.* significat iram, *Chi.* quarè; nec est credendum; Dæmonem loqui cępisse cū Eua ex his verbis, quātò magis, sed ex alijs: nimirùm, magna sinè dubio debet esse ira Dei super vos: cum enim alijs nobiliora fecit animalia, non pulchros vos creauit vt pauones, non fortes, vt Leones, non veloces, vt ceruos, *Af. Chi.* quantò magis, cum vobis vetuerit comestionem fructuum tàm dulciū, quòd alijs non fecit animantibus; eccè opus bonum à Diabolo in malum retortum.

Quò verò ad actiones dubias, peccat etiā subditus, & mortaliter pro earum qualitate, & malitia eas in sinistram partem interpretando, tùm quia *cum sit ars artium, scientia scientiarum hominem regere, cum sit moribus varius, virtute diuersus,* vt ex Nazianzeno refertur. Sensus superioris Nazianz.
facilè non intelligitur: præstat enim aliquando cum discolo remissè se habere, ne eum omninò perdat; & cum disciplinato austerè, vt eum retineat. Audiat bonus subditus, quid Cassianus Cassianus.
dicat lib 5. instit. cap. 30. *Ob hoc enim iudicare de alijs periculosum est, quod ignorantes, vel necessitatē, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimus, aut rectè coram Deo, aut venialiter agunt, inuenimur eos temerè iudicasse. Et per hoc admittimus non leue peccatum,* & Sanctus Gregorius tertia parte pa- Greg.
storalis, admonit.5. *Admonendi,* inquit, *sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temerè iudicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne vndè mala rectè redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur.* Quarè optimum semper mihi visum est Apulei consilium apolo- Apuleius.
gia prima. *Ego numquam studui malefacta cuiusquam cognoscere, sed semper potiùs duxi mea peccata tegere, quàm aliena indagare.*

Denique circa hoc primum murmurationis genus aduerte, quòd isti, qui omnes Prælatorum actiones taxant, sunt illi, qui ex aliorum dedecore sibi venari volunt gloriam, quod intolerabile, ait Plutarchus de ijs, qui se citra inuidiam Plutarch.
laudare possunt, *Molestissimus,* inquit, *planè; importunissimusque est, qui ex alterum culpa laudem sibi videtur velle quærere;* & sunt illi, qui videntes festucam in oculo fratris sui, trabem autèm, quę in oculo suo est non considerant; & pleni defectibus, eos iudicare non desinunt, etiam in ijs, in quibus ipsi ordinariè delinquunt; Quibus loquitur

Hieronym. quitur Hieronymus lib. 3. contrà Ruffinum. *Caueas in alterum dicere quidquid in te statim retorqueri potest*, & tandem
Cicero. Cicero hæc omnia concludit contra Salustium. *Carere omni vitio debet, qui in alterum paratus est dicere.*

Quò ad secundum murmurationis genus. Multi sunt, qui eam de se ipsis habent opinionem, vt putent, neminem vnquàm reperiri posse aptiorem regimini, quàm ipsos. Natos se æstimant ad imperandum: Maximam sibi irrogari iudicant iniuriam, si quandòque sine officijs relinquantur; nec tùm benè Religioni esse prouisum, tempusq; terrere censent, quo non fuerint in aliqua occupati dignitate; quos audies, in cœtu præsertim Iuniorum, se, suaque magnificare, laudare, & extollere, si quid vnquàm, dum aliquo munere fungerentur, gloriæ, & honoris dignum exantlarint, omnia se in eo munere obeundo maxima prudentia & sagacitate peregisse: indè desumere occasionem omnes Prælatorum actiones taxandi; ad aliquod munus assumptos calumniandi; inter quæ audies quandòque suspiria ex intimis cordis partibus attracta, inde se nolle aliorum actiones taxare, cum ipsi sint (dicunt) alijs omnibus peiores, sibique quàm maximè displicere, eos non posse laudare, quod toto corde facerent: excusare incipiunt quandoque, sed ita, vt talem excusationem non admittere, quod excusare prætendunt, manifestent: Deniquè tacent, & suspirant, & tunc libera me Domine. *Malus enim, vbi bonum se simulat, pessimus est.* Vt ait Publius apud Lipsium in dialogistam. Quibus rebus accensos iuniores, vulpes istas nõ agnoscẽtes, audies murmurare, blaterare contrà Prælatos, ipsorumque regimen; obseruantiam diminui, relaxari, penitùs deperdi, Religionem quamprimùm ruituram, eo solùm quòd illius Zelatores ad illam regendam, & gubernandam non admittuntur.

Vides quanta mala causant ambitiosi isti, quos
Ioan. 6. velim recordari Christi Domini, qui Ioann. 6. *Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem*
Greg. *ipse solus*: Et legere Greg. 1. parte pastoral. cap. 3. vbi ait. *Idcircò Christus in carne apparuit, vt non solùm nos per passionem redimeret, verùm etiam per conuersationem doceret, exemplum se sequentibus præbens; Rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum spontè peruenit; oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetijt, vt membra eius videlicet discerent, Mundi fauores fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare. Quia & ista sæpè per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant, &c.* Quæ ibi Gregorius elegantissimè, & doctissimè docet.

Cosiderentque illi, qui honores, quasi præmia suarum actionum, exquirunt, quòd qui eos hic recipiunt, æterna præmia perdunt; & ibi illis dicetur, *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.*
Luc. 6. Luc. 6. Relinquant mundanos istos, & onere verè plenos honores, vt illos æternos mereantur accipere; & quidquid à Superioribus factum fuerit, desursùm prouenire existiment, idque æquibonìq; consulant, & vt quietiùs in Religione viuant, scenæ pareant, foroque vtantur. Quod ipsorum tùm animæ, tùm corporis saluti profuerit, & iudicent dignum, quem dignus Prælatus elegerit, vel eligendum proposuerit.

Sed quod longè detestabilius est, eos videbis his murmurationibus immersos, qui omni titulo ab honoribus sunt exclusi. Duplici titulo, vt puto, debentur in Religione Religiosis dignitates, vel bonitate vitæ, vel scientiæ Laurea, & expressè habetur cap. Vilissimus 1. q. 1. Quæ duo si in vno sint vnita, nihil melius desiderari potest; sin minùs, vnum saltèm eorum sufficere videtur, sed videbis appetere honores, & dignitates, easquo mendicare externis, & internis fauoribus, per bonas, & malas artes, fas, & nefas, ignorantissimos, eosque vitiosissimos homines. Quos, si non obtinuerint, audies clamare, stridere, & murmurare vsque ad sydera, & in sydera, benemeritos obtrectare, superiores calumniari, mordere, rodere, acriter carpere. Quos velim, vt se ipsos noscerent, vt Chilonis sapientia vtar; Et per speculum considerationis propriam conditionem recognoscerent.

Adiuuenta sunt specula, vt ait Seneca 1. quæst. natural. cap. 17. *vt homo se ipse nosceret; multaque ex hoc consecuta: Primo sui notitia, deindè, & ad quædam consilium: formosus, vt vitaret infamiam, deformis vt sciret redimendum esse virtutibus quidquid corpori deesset; Iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audiendi: senex vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret: Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit nosmetipsos videndi.* Vtantur hoc speculo illi ambitiosi, & si materiale speculum non sufficiet ad penetrandam sui cognitionem, adhibeant speculum spirituale, idest reflexioné considerationis supra considerationem propriæ conditionis, & qualitatis; & desinent sinè dubio, tùm contrà Prælatos, tùm contra eos, quos illi sublevauerint, mussitare, *& priùs suæ domus*, idest, propter conscientiæ præesse discant, *quàm Ecclesiæ Dei curam attentent, & qui de vineis suis non colligere, nisi spinas & tribulos consueuerunt, vereantur vineis Dominicis audacter, & impudenter se ingerere*, vt Bern. ait serm. 30. in Cantica vndè Bernard.
Basilius in regula Monach. cap 41 *Requirere gloriam, vel honorem, indicium est infidelitatis & qui inquirunt, alienos esse à pietate Dei.* Basilius.

Contra illos optimè Bonauentura apud Gretserum lib. 2. de modo agendi Iesuitarum, cap. 4. pag. mihi 265. *Qui se, inquit, ad hæc officia impudẽter ingerunt, indignantes, si ad ea tardiùs promouentur; quia sint imprudentes, perpendere nolunt, aut nesciunt, & eo ipso se ad hoc ostendunt, & reddunt indignos. Nam si digni fuerint, & idonei, non debent se ad hoc ingerere, sed modestè expectare, quousque per inspirationem Dei à Prælatis suis, & fratribus, ad hoc suo tempore assumantur. Si autem indigni, vel nondùm idonei, tùm si se ingerunt. Primò quidem temerarie sunt; quod antequàm vocentur, ad tantum officium currere præsumunt. Vnde Ieremias,* Ierem.
ipsi currebant, cum ego non mitterem eos, & Paulus, Paulus.
Quomodò prædicabunt, nisi mittantur? Idem alibi; Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquàm Aaron. Et Christus dicit in Ioanne: Neque enim à me ipse veni, sed ille me misit, scilicet pater. Secũdò superbi, *qui se ipsos reputant dignos, & idoneos, ad quod fortè, nec Deus, nec Fratres vel Prælati sui iudicãt eos idoneos, sicùt Chore, qui voluit sibi Sacerdotiũ vẽdicare. Tertiò stulti, quia cũ talia officia sint occasio tentationis, per inanẽ gloriã, auaritiã, luxuriã, noxiã libertatẽ, & internæ deuotionis extinctionẽ, & alia plura pericula, quòd ipsemet se talibus* Ioann.

incautè ingerunt, nimis stultè se tantis periculis sinè necessitate exponunt; cum fugere magis deberent à periculo, quàm illud appetere, nescientes, quo exitu bellum, quod sibi concitant, finiatur. Quarto non carent rancore liuidiæ, vel contrà eos, qui ad hæc officia eos promouere possunt, & non faciunt; vel qui fortè impedimerunt, imputantes illorum maleuolentiæ, magis quàm suæ insufficientiæ, quòd non promouentur, cum ipsi sibi videantur ad hæc digniores, quàm illi, quos vident iam promotos esse, quibus in scientia, & alijs se reputant aptiores. Hæc præclarè Sanctus Bonauentura, ex quo in Apologia pauperum, 1. respons. 3. particul. art. 3. hæc, ad dicta addo. *Apparet igitur, quòd status Prælationis, simul est excelsus, & periculosus, & ideò ipsum appetere, simul est periculosum, præsumptuosum, & stultum.* Et August. 19. de Ciuit. Dei. *Locus Superior, sinè quò populus Regi non potest, & si ita administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur.*

Bonauent. *August.*

Circa tertium murmurationis genus. Ventri, & abdomini facti, qui *tamquàm boues*, vt aiunt *ad præsepè* Nephalia sacra Baccho peragere nesciunt, quousquè ventrem ad saturitatem impleuerint, os habent semper quærimonijs, & lamentationibus onustum: Isti sunt, de quibus Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*, De quibus luculenter Bernard. serm. 30. in cantic. *Legumina inquiunt*, ait, Bernardus, *ventosa sunt: Caseus stomachum grauat: Lac capiti nocet: Potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, coleram porri accendunt, pisces, de stagno, aut de lutuosa aqua mea penitùs complexioni non congruunt: quale est hoc, quod in totis fluuijs, agris, Hortis, cellarijsque reperiri vix possit, quod comedas? Puta te quæso, Monachum esse, non medicum. Parce obsecro primùm quieti tuæ, parce deindè labori ministrantium, parce grauamini domus, parce conscientiæ: conscientiæ dico, non tuæ, sed alterius, illius videlicet, qui propè sedens, & edens quod sibi apponitur, de tuo singulari ieiunio murmurat, scandalo quippè est ei, aut tua odiosa superstitio, aut duritia, quâ fortè putat illius qui sibi habet prouidere, scandalizatur, inquam, in tua singularitate frater indicans te superstitiosum, tamquàm superflua quæritantem: aut certè me durum accusans, qui non perquiram victui tuo necessaria.*

Philipp. *Bernard.*

Sed in triplici differentia sunt (vt videas quantùm sibi negotij assumit, qui officium Superioris sibi, vel inultè, vel voluntariè assumit) qui de cibarijs murmurant. Alij enim murmurant, nisi pretiosa cibaria illis tribuantur, & isti planè sunt suæ professionis immemores: non enim recordantur, se paupertatem fuisse professos; si enim recordarentur, recordarentur etiam, quòd qui; pauca habet, pauca debet expendere, & quòd *ubi pauper diuites imitari cæperit, peribit*, vt ait Seneca apùd Turrecrematam in regula S. Benedicti, tract. 103. Recordarentur etiam isti pauperum Christi, qui quandòque, pane carent; & viderent, quòd magna peruersitas est, pretiosos quærere cibos, dùm scitur, Dominum suum in pauperibus egere. Cogitent etiam, quòd non videtur esse membrum illius corporis, cuius caput est Christus, qui Indigentiæ membrorum nō compatitur, vt dicitur 1. Corinth. 12. Nec qui eamdem hominibus cum animantibus assignauit escam communem voluisse videtur, vt pretiosa cibaria, sudore, & pecunia quæremus. Cum his

Seneca. *Corinth. 12*

loquitur Hieronymus ad Nepotianum dicens, *Natus in pauperi domo, & in tugurio rusticano, qui vix milium, & panè cibario rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam, & mel fastidio.*

Hieronym

Alij non quærunt quidem pretiosos cibos, sed vilibus, & communibus contenti, eos vellet studiosè, & accuratè præparari. De quibus Hugo lib. 3. de Claust. animæ, vt refertur, *Alij superstitiosi nimis in præparandis cibis studium adhibent, infinita decoctionum, & frixurarum, condimentorum genera excogitantes: modo mollia, modo dura, modò frigida, modo calida, modo cocta aqua, modo assa, modò pipere, modò alis, modo comino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium desiderantes.* Hæc autem ad quid, nisi vt soli fastidio, & satietati consulatur, contrà quod Seneca epist. 119. *Inter reliqua hoc nobis natura præstitit præcipuum, quod necessitati fastidium excussit, recipiunt superuacua delectum*, & ibidem, *Nihil contemnit esuriens.*

Hugo. *Seneca.*

Alij quantitatem ciborum deposcunt; nō curantes, an pretiosi sint, vel optimè præparati, necne. Sed isti nō aduertunt, quòd excessus ciborum nocet tùm corpori, tum animæ tùm famæ, & reputationi; Corpori, quia somnū aufert. *Saturitas diuitis non sinit eum dormire* Ecclesiastici 5. Infirmitates generat. *In multis escis erit infirmitas* Ecclesiastici 37. Dolores excitat. *Cum satiatus fueris arctaberis, æstuabis, & omnis dolor irruet super eum* Iob 20. Animæ verò nocet saturitas, quia aciem cordis obtundit, vndè Hieronymus apùd Turrecrematā in Regul. S. Bened. tract. 103. *Nihil adeò obstruit intelligentiam, sicùt comessatio, & ebrietas.* Obliuiscentiam causat, *Saturati sunt, & obliti sunt mei.* Oseæ 13. Carnalem concupiscentiam concitat. *Saturaui eos, & mæchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur.* Ierem. 5. Famæ, & Reputationi nocet, quia Crapulones, & Mandúcones ab omnibus dicuntur, qui numquàm comedendi finem faciunt. De quibus Esaiæ 56. *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Et ego cognoui aliquos aliàs Sanctos, quia tamen hac macula erant tincti, ab omnibus vilipendebantur, & irridebantur.

Eccles. 5. *Eccles. 37.* *Iob. 20.* *Hieronym* *Oseæ 13.* *Ierem. 5.* *Esaias 56.*


Ad hoc propositum legitur in vitis Patrum, lib. 6. num. 17. *Quòd cum quidam senex comederet aliquando cum pluribus monachis, ex illis quosdam comedere vidit mel, alios autèm panem, alios verò stercus, & admiratus tantæ rei nouitatem, deprecatus est Dominum, vt illi mysterium reuelaret, optimus autèm ille Deus, qui petentibus desiderata concedit, omisit de cælo vocem dicens. Qui manducant mel, hi sunt, qui cum timore, & tremore, & gratiarum actione edunt ad mensam, & incessanter orant, & oratio eorum sicùt incensum ascendit ante Deum, ideoquè, & mel comedunt. Qui autèm panem manducant, hi sunt, qui gratias agentes percipiunt ea, quæ à Deo donata sunt. Illi verò qui stercus manducant, hi sunt, qui murmurant, & dicunt, hoc bonum est, illud malum.* O quanti Religiosi manducant stercus, pretiositatem, præparationem, vel abundantiam ciborum quæritantes.

Quibus tandèm vnam sententiam Hugonis libro 1. cap. 8. de claustr. animæ propono. *Abundans est pauperi Religio, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, Pænitentibus misericors, Peruersis seuera, Bonis optima;*

Ex qui-

Ex quibus colligitur, quòd Religio dat omnibus suas necessitates secundum mediocritatem, & quod dat, est sufficiens ad vitæ sustentationem. Vndè superflua est tanta sollicitudo inquærendis cibis, vel delicatis, vel optimè præparatis, vel in maiori abundantia.

§. Quartus, Vndè Ortum ducat Murmuratio.



X multis fontibus ortum ducit hoc flumen murmurationis, per totū fluens vniuersum, suisque aquis singulos penè homines proluens. Primò oritur ex malignitate, vt notat August. lib. 50 hom. homil. 2. Cum ponderat ea verba Psalm. 49. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum*, quod ipse alibi legit, ponebas detractionem. *Quod dixit*, ait Aug. *Sedens, ostendere voluit, quod non transitoriè detraxerit, nec ex surreptione sit passione quadam subita, vt malum de proximo loqueretur, sed sedens, idest ex odio, & malignitate, quasi ad hoc vacans, vt derogares proximo suo.*

August.

Secundò oritur ex otio, Probatur ex eodem loco psal. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris detrahendo*, vt explicat Anterus Papa relatus 6. q. 1. cap. ex merito. Quare loquebaris, quia sedens, quia otiosus eras. Quod manifestiùs probatur ex alio loco Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, idest non patiuntur eos labores, quos solent de ordinario pati homines, sed otiosi, & in delicijs viuunt. Vndè sequitur, *Quod posuerunt in Cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terram.* Alcibiades, prout Plutarchus refert in Apophtegm. Atheniensium Dux canem possidebat perpulchrum emptum magno pretio, eique cum caudā quadam die amputasset, huius rei interrogatus, eo id se fecisse dixit, vt haberent otiosi Atheniēses, quod de ipso loquerentur, neque in alias inquirerent res eius.

Anterus.

Plutarch.

Detestabilissimum vitium otium, & Deo maximè exosum, propter quod Sathan deiectus est de Paradiso, vt dicitur Esaiæ 14. *Sedebo in monte testamenti*; Dedit illi Deus gratiam, vt illa operando, & negotiando, sibi Paradisum acquireret: ipse autèm eo frui volebat, tamquàm si illud sibi fuisset in testamento, absque aliquo sui labore, & industria. Propter hoc vitium Adam fuit expulsus è Paradiso, in quo positus erat à Domino, *Vt operaretur, & custodiret illum*, Gen. 2. & quia Eua otiosa aures serpenti præbuit, & Adam similiter otiosus auscultauit Euam, ideò facillimum fuit, illis transgressionem præcepti Dei persuadere, quo transgressio, è Paradiso eiecti sunt, & semen suum in æternum temerauerunt. Quod videtur sentire Hieronymus, in epistola ad Rusticum Monachum, seu potius illi antiqui cœnobitæ, inter quos erat communiter receptum hoc axioma, *Aliquid operis facito, vt te Diabolus semper inueniat occupatum*; Non enim facilè capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio, Ità etiam otium deijcit Monachum de Monasterio, illum vagabundum reddit, omnia fastidire facit, semper noua quærere, & vetera abhorrere suadet, sed de otio dicam latiùs quæstione de castitate. Nunc satis sit, quòd ex otio oritur murmuratio.

Esaiæ 14.

Gen. 2.

Hieron.

Tertiò, oritur murmuratio ex vilitate, & demissione animi, quid enim vilius murmuratore? Quid infimius, & demissius? Ideò talames, & & deteriores latronibus ducuntur, cap. ex merito, cap. Deteriores, & cap. Infames sexta, q. 1. Fingebant antiqui, Mimum esse Deum Murmurationis, natum ex vilissimis ortum duxisse parentibus, nimirùm ex somno tamquam patre, & nocte tamquàm matre: & tamen de Dijs aliis omnibus, nullo excluso, murmurabat; Sic vilissimos, & nullo honore dignos videbis, de viris honoratis murmurare, ijs detrahere, eosque deprimere; cum enim talibus vitijs, similes esse non possint, procurant totis viribus, & posse, ipsos fieri similes sibi.

Quartò, Oritur ex inconsideratione propriorū defectuum, Vndè Christus Matth. 7. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.* Indè versus. Matth. 7.

Tollere festucam si vis de fratris ocello.
Quæ tua conturbat lumina tolle trabem.

Et August. in Psalm. 49. *Tolle te à tergo tuo, vbi te videre non vis, & constitue te coram te.* Et ad Galatas 6. *Vnusquisquè onus suum*, nō alienū, *portabit.* Aug. 7. Galat. 6.

Sed quæres, quomodò resistendum sit detractoribus. Respondeo quò ad audientes, resistunt isti detractoribus per tristitiam faciei, iuxtà illud Prouerb. 25. *Ventus Aquilo dissipat nubes, & facies tristis linguam detrahentem.* Et Hieronymus epist. ad Rusticum. *Sicut sagitta, si mittatur in duram materiam, nonnumquàm in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantē, ità discat detractor, facilè sunt mihi in aurib. grauiū.* (Psal. 77.) *Itā detractor cum tristem faciem viderit audientis, imò nec audientis quidem, sed obturantis aures suas, illico conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur.* Prou. 25. Hier. Psal. 77.

Quò ad detractos verò, vberiùs doceo modum detrahentibus resistendi tomo 2. cum de Prælato, contrà quem linguarum sagittæ propriè diriguntur; nunc pro subditis satis sit remedium adhibitum à David Psalm. 38. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret Peccator.* Idest detractor, seu murmurator *Aduersùm me.* Super quem locum ait Ambrosius. *Vellem adhibuis seribus oris sui, seruat thesaurum cordis sui, argentū eloquij sui*, Vide Roman. sing. 678. Psal. 38. Ambros.

§. Quintus. Quòd Subditi tenentur tolerare defectus Prælati.



D tolerandos defectus Prælati, multa possunt adduci motiua, quæ si bonus Subditus considerabit, nullo negotio Prælatorum defectus sustinebit.

Primò, cum sint homines Prælati, & non Angeli, in terra, non in Cœlo vitam ducentes, licèt boni sint, non tamen sunt semper perfecti: quis enim est hic, qui carne indutus humana, in occasionibus, si non proximis, saltem remotis peccandi versans, tot, tantisque stipatus hostibus, qui illius ruinam non optant solùm, sed anhelant, & non cadit? Quis, inquam, est hic, & laudabimus eum. Baptistam scimus, in ventre matris sanctificatum, *antra petissa deserit sub teneris annis, ne leui saltem maculare vitam famine posset*.

Quid de non sanctificato? Quid de non Ioanne Baptista? Et iusto dicitur Prouerb. 24. *Septiès cadet iustus, & resurget;* & Ecclesiastes 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet,* Quod etiam intelligit de mortalibus Athanas. de Incarnat. versu contra Paulū Samosatanum; ita vt nemo suis viribus ea vitare possit, & iustus esse. Ad quod insinuandum Christus Ioann. 8. volens absoluere mulierē deprehensam in adulterio. *Digito scribebat in terra*, Quasi assignans causam absolutionis, fragilitatem scilicèt terrenam, & figmentum nostrum, quod nō est aliud quam puluis, & cinis. Vnde Sanctus Leo serm 11. de quadrag. *Quis non infirmatur in carne? Quis non sordescit in puluere?* Et ibidem, *Quis tantæ puritatis est, vt ijs non polluatur, sinè quibus vita non ducitur.*

Prouer. 24
Eccles. 7.
Athan.
Ioan. 8.
D. Leo.

Vndè non est mirum, si Prçlatus, quamuis bonus, in aliquem quandoquè cadat errorem, errorem, inquam, qui forsan alij non imputaretur, sed quia Prælati est, error maximus est. Et Ratio est, quia cum Prælatus sit candelabrum supra montem positum, omnium oculi in ipsum intendūtur, quod eruditè notauit D. Bernardus serm. 31. Paruorum, ad id adducens locum illum ex 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus, & malis, & bonis pariter* addit, indeque colligit, quantùm debeant Prælati in suis actionibus esse circumspecti, dicens, *Si ità omnium oculi in nos, nostri quò abierunt, aùt quare soli ipsi recesserunt à nobis, à dextris scilicèt, & sinistris tanto studio circumspecti, soli dissimulamus inspicere vitam nostram? Soli nosmetipsos negligimus intueri?* Quod etiam perbellè dixit Plutarchus lib. politic. ad Traianum: *Quisque sibi vitam, & mores excolere debet, quà prorsus omni nota vituperationeque careat, quandò præsertim eorum, qui præsunt, non modò singula verba, nec res tantùm publicitus gesta animaduerti notatione solent, sed virtus quoque, ioci, simul, & seria quoquè,* Et cecinit Iuuenalis.

D. Bernar.
Corinth. 4.
Plutarch.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet; quanto qui peccat maior habetur.

Secundò, debent Subditi considerare, quòd boni filij, & boni Subditi est, agnitos parentum & Prçlatorum defectus tegere. In ipso enim parentis, & Prçlati defectu suum agnoscit filius, & Subditus dedecus. Vndè Ecclesiastici 3. dicitur, *Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio; Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij Pater sinè honore.* Quarè bonus subditus defectus sui Prælati proprium dedecus reputat, & omni eo modo, quo suos defectus, abscondit, protegit, defendit, & excusat quantùm potest. Quod si tàm manifesti sint, vt nulla possint tergiuersatione celari, nequè excusari, compatitur humanæ fragilitati, & eiusdem Prælati virtutibus cooperit, has illis longè præponderare demostrans; & meritò, quia gloria illi ex honore Prælati sui; Quę enim maior gloriatio Subditi, quàm à bono regi Prçlato & quod maius dedecus, quàm à malo; Mundani homines nō ne gloriantur, bonum se habere Regem? Et contrà illi maledicentes non ne meritò irascitur. Sic bonus tenetur facere Subditus, non tàm propter gloriam Prçlati, quàm propter suā.

Eccles. 3.

Tertio, ad hoc multùm iuuat propriorum defectuum consideratio. Vndè Gregorius 5. moral. cap. 30. *Cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in alijs excessimus, delicta cogitemus; consideratā quippè infirmitas propria, mala nobis excusat aliena; patienter namquè illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari: & quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, sua quaque ad mentem culpa reuocatur; quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proxima sæpè se recolit parcenda peccasse.*

Greg.

Quartò, Tolerabit bonus Subditus sui Prælati defectus, si eum amauerit; amor namquè bona amati videt, & laudat: mala verò, vel præterit, vel alleuiat. Vndè Apostolus ad Rom. 13. *Dilectio proximi malum non operatur,* Ad quem amorem tenetur, quia Prçlatus Pater est Subditorum, quod optimè docuit Chrysostomus homil. 2. in 2. ad Timoth. his verbis. *Oportet enim naturales patres affectu, ac dilectione transcendere, sed & spirituales filios non segniùs affici, quàm illi sibi necesse est. Obedite enim* (inquit Apostolus ad Hebræos 13.) *Præpositis vestris, & Subditi estote illis, scientes quoniam ipsi vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri.* Et paucis interpositis. *Idem verò considera quantùm periculi sit per singulos Subditorum discuti, rationemque pro omnibus reddere, quantumuis illi honoris impendas, quantumlibet obsequiò deferas, nihil his periculis referre par poteris. Nàm etsi animam ponas, ipse hoc pro te iugiter facit: etsi id minùs hoc in vita facit, quòd persecutionis non adsit tempus; quam tamen periculo æternæ mortis expenit.*

Rom. 13.
Chrysost.
Hebr. 13.

Denique consideret bonus Subditus, quæ docet piè pariter, & eruditè Thom. Kempis de disciplina Claust. 4. num. 2. *Caueat omnis bonus Subditus ne Prælatum suum temerè iudicet, nec vias eius curiosè scrutetur, sed potiùs eius dicta, & facta in melius interpretetur. Etsi quædam minùs vtilia appareant, & aliqua defectuosa in eo reperiantur, non despiciat, nec arguat eum, sed excuset, & piè toleret, & charitatiuè (si ità conuenit) admoneat: aùt paternè obsecret per se, vel per alium magis idoneum; quia magnum onus super se habet, sæpiùs etiam pro eo secretè oret, vt Deus eum custodiat, & confortet, cum nullus sit in tota domo, qui tantam quotidie sollicitudinem pro omnibus gerat. Rarò namquè inuenitur Prælatus, qui possit cuilibet satisfacere, vel placere pro voto.*

Thomâ Kempis.

§. *Sextus Quomodò se habeat Subditus in vitijs Prælatorum Corrigendis.*



AD honorem Prælatis debitum pertinet eorum errata, debita cum Reuerentia, si quandoquè id facere fuerit necesse, corrigere.

Dico primò, non solùm possunt subditi, sed etiam debent, quandò necesse fuerit, suorum Prçlatorum defectus corrigere. Ita D. Tho. 2. 2. q. 33. ar. 4. & in 4. d. 19. q. 2. ar. 2. quæstiuncula 3. Caiet. ad D. Tho. 2. 2. cit. Val. to. 3. disput. 3. q. 10. p. 4. Rodriquez tom. 2. q. regul. q. 8. art. 2. Tab. verbo Correctio, nu. 9. Angelus eodē fraterna, nu. 3. Rosella nu. 2. Sylu. nu. & q. 3. Pisanella nu. 2. Angles in floribus, p. 2. q. de correct. frater. difficul. 3. versu Grauius peccat, pag. mihi 63. Suarez de Fide, Spe, & Charitate, tract. 3. disp. 8. sect. 5.

D. Thom. Caietanus. Val. Rodrig. Tabiena. Angelus. Rosella. Sylu. Pisanella. Angles. Suarez.

Proba-

D. Thom. Matth. 18. Luc. 17. Probatur primò, quia correctio fraterna est in præcepto, vt habet D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. & alij communiter, & habetur Matth. 18. & Luc. 17. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum*, ad quod præceptum tenentur omnes tam subditi, quàm Prælati, vt habet D. Thom. loco cit. art. 3. D. Tom. Reg. 19.

Secundò, Probatur ex scriptura primo Regum 19. vbi Ionathas dicitur laudabiliter corripuisse Saulem patrem suum, & Regem de iniqua persecutione contra Dauid, & 2. Regum 12. dicitur de Nathan Propheta, quòd corripuit Regem Dauid de adulterio, & ad Coloss. 4. ait Paulus dicite *Archippo* (Prælato) *vide ministerium, quod accepisti in Domino*. Reg. 12. Coloss. 4.

Tertiò. Probatur ex cap. Plerumquè, & cap. Paulus dicit 2. q. 7.

August. Gal. 2. Quartò, ex Patribus August. epist. 19. ad Hieronymum agens de facto Pauli, qui Petro in faciem restitit ad Galat. 2. *Ipse Petrus*, inquit, *quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis, sancta, ac benigna pietate humilitatis accepit: atque ita rarius, ac sanctius exemplum posteris præbuit (qui non dedignarentur sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi) quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores maioribus, pro defendenda Euangelica veritate, salua fraterna charitate, resistere.* Greg. lib. 10. regist. epist. 35. Relatus cap. Sicut to quit 2. quæst. 7. ait, *Sicut laudabile, discretum quà est Reuerentiam, & honorem debitum exhibere prioribus ita rectitudinis, & Dei timoris est, si qua inter eos correctione indigent, nulla dissimulatione postponere. Ne totum corpus, quod absit, incipiat morbus inuadere, si languor non fuerit curatus in capite.* Et 3. parte pastoral. admonit. 18. relatus cap. Admonendi 2. q. 7. ait, *Admonendi sunt subditi, ne plùs quàm expedit sint subiecti, ne cum student plusquàm necesse est hominibus subijci, compellantur vitia eorum venerari.* Greg.

Quandò autem sit necessarium, dixi supra, cap. 16. conclus. 1. versu quatuor. Et quando illa, quæ ibi assignaui, concurrunt tunc grauius peccat omittens corrigere Prælatum, quàm alium proximum, vt Angles loco cit. Tùm quia ordine charitatis, & eleemosynæ spiritualis, plùs tenemur Prælatum, quàm alios diligere, vt habet Angles loco cit. & Origines homil. 3. in Cantica. *Si quis*, inquit, *laboret in verbo Dei, atque animas nostras infirmas: & illuminet, viam salutis doceas, vinendignè ordinem tradat, non tibi videtur multò amplius alio proximo diligendus, qui horum nihil egeris*; tùm quia peccatum Prælati magis nocet. Angles. Angles. Origenes.

Dico secundò. Prælatus, si quandò est corrigendus propter aliquos defectus, debet corrigi à personis grauibus, & auctoritatis (si adsint, & velint) qui putentur aliquid profecturi; & hoc debet fieri leniter, humiliter, & reuerenter, ita D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 4. art. Val. tom. 3. disput. 3. quæst. 10. p. 4. versu tertiò certum est, Rodriquez tom. 2. q. regul. q. 8. art. 2. versu circa secundam conditionem. D. Thom. Val. Rodriq.

D. Thom. Probat primò D. Thomas ex illo primæ ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem*; vult enim Paulus, vt Prælati moneatur, sed ea reuerentia, & lenitate, vt potiùs eos obsecrare, quàm admonere videatur admonens, idem potest probari ex illo Sapientis loco, Prouerb. 25. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem*; Diuina quippè comparatio, & ad rem maxime faciens. Duo debent habere, ad hoc vt pretiosæ censeantur inaures, primum, quòd sint ex materia magni pretij, auro, lapidibus pretiosis, &c. Secundum, quòd sint paruæ ponderis; alioquin enim angerent aures. Talis debet esse correctio facta Prælato de re graui primò, lenibus, & appositis verbis secundò. Prou. 25.

Greg. Secundò. Probatur ex Gregor. 5. moral. cap. 10. id confirmans exemplo Pauli, qui etiam subditos humiliter corripiebat, inquiens ad Ephes. 4. *Obsecro vos fratres ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis*, &c. Hinc, ait Gregorius *colligas disciplinæ, si quandò aliquid rectè sentis, quanta humilitate debeas magistro loqui, si ipse Magister gentium in his, quæ cum auctoritate prædicat, tàm submissè discipulos rogat*, & tertia parte pastoral. adm. 5. *Aliter admonendi sunt iuuenes, atquè aliter senes: quia illos plerumque seueritas admonitionis ad profectum dirigit, istos vero ad meliora opera deprecatio blanda componit.* Ephes. 4. Greg.

Dixi, hanc correctionem debere fieri à personis grauibus, & auctoritatis, quia hæ vt prudentiùs corripiunt, ità attentiùs audiuntur, & frequentiùs proficiunt: & Prælati minùs ægrescunt à qualificatis personis corrigi, quàm ab ordinarijs. Certum est autèm, peccatum secretum Prælati secretò esse corripiendum; Si autem publicum sit, potest publicè corrigi, cap. 1. de pœnit. & remiss. præsertim si sit in fide, aùt moribus perniciosum, vt ait Caiet. 2. 2. quæst. 33. art. 4. in respons. ad secundum, & Pisanella verbo Correctio fraterna, num. 2. & habetur expressè cap. Paulus dicit 2. quæst. 7. vbi dicitur, *Venine dicis, seniorem ne increpaueris; sed hæc eius regula in eo seruanda est, cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum; vbi autèm senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districtâ increpatione feriendus est; Nam scriptum est Esaiæ 48. Laqueus iuuenum omnes vos, & cap 65. Maledictus puer centum annorum.* Caiet. Pisanella. Esaiæ 24.

Nec hoc debet ægreferre Prælati, quasi in eo de illius auctoritate aliquid minuatur, & minores subditis fiant. Nàm primò *vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia, & sanctitate, qui est honore præstantior*, vt habetur cap. Vilissimus prima, quæst. 1. & primo Regum 2. dicitur. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vndè apparet, quòd Prælati propter culpas fiunt viliores subditis. Reg. 2.

Secundò, quia prudentes viri, quando corriguntur, gratias agunt, iuxtà illud Prouerb. 9. *Argue sapientem, & diliget te: & plus proficit apud prudentem correptio, quàm centum plagæ apud stultum*, Prouerb. 17. Prouer. 9. Prou. 17.

Tertiò. Quia, vt optimè Dionysius de diuinis nominibus *Puniri non est malum, sed fieri pœna dignum, malum est.* Dionys.

Quartò. Quia, vt ait Plinius, lib. 7. *Nulli patientiùs reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur.* Plinius.

§. *Septimus. Quàm grauiter peccet Subditus suum Prælatum percutiens.*



HOC etiam pertinet ad honorem Prælatis debitum; & vt meliùs atrocitas huius delicti videatur, adducam quædam dicta Doctorum.

Abbas. Abbas in cap. cum illorum de sentent. excommunic. num. 5. & Felinus ibi, n. 2. *Felinus.* dicunt, quòd excessus cómissus in Episcopũ, vel Abbaté, seù Prioré Conuétus, vel Prouincialem, vel Generalem propriũ, semper dicitur enormis, etiamsi non sit effusus sanguis. Vndè à Prælato Regulari absolui non potest, sed est absoluendus à Papa, vt dicitur d. cap. Cum illorum, §. Qui sic Claustrales in fine, & cap. Si quis suadente Diabolo, 17. q. 4. & tradunt communiter Doctores, *Nauar.* Nauart. in sum. cap. 27. num. 91. *Sayrus.* Sayrus de censuris, lib. 3. cap. 28. à n. 2. *Suarez.* Suarez tom. 5. in tertiam partem, disp 22. sect. 1. num. 90. docentes, percussionem proprij Prælati semper esse enormem, (*nisi tot, tantæq; concurrant circumstantiæ, vt conditio personæ offendentis, quantitas, modus offensionis, occasio actionis, locus, tempus, & similia, quæ actum ita minuant, vt simpliciter enormis dici non possit*, vt notauit Suarez loco cit. num. 91.) & pro enormi percussione semper esse recurrendum, ad Papam de iure communi.

Rodriq. Rodriquez tom. 2. q. regul. q. 34. art. 2. probat, enormitatem huius delicti ex pœnis, quæ infliguntur, percussoribus sæcularium magistratuũ, & citat Aristotelem 5. ethic. cap. 5. in principio, qui ait, *Si magistratum quis gerens percusserit, repercutiendus non est: si autèm magistratum gerentem quis percusserit, non solùm est percutiendus, sed supplicio insuper afficiendus*, quem locum declarans *D. Thom.* Sanctus Thomas 5. ethic. lect. 8. reddit. rationẽ, quare percutiens principem, sit tàm grauiter puniendus: quia ait, *qui percutit principem, non solùm personam ipsius, sed totam rempublicam lædit*. Et lege, omne, §. 1. ff. de re milit. ita habetur. Qui manus iniulit Præposito capite puniendus est, augetur, autem petulantiæ crimen dignitate Præpositi. Vide Corsetum in addit. ad indicem *Panormit.* Panor. in verbo, Index pag. 70.

Addit Rodriquez, percutientem enormiter (ea scilicet enormitate, quæ talis dicitur ratione actionis, non ratione personæ) Prælatum suum, siué sit Generalis, siué Prouincialis, siué Corrector, esse à Religione eijciendum; quam tamen pœnam non consentit incurrere percutientem Vicarium Conuentus; quia Vicario non tantum debetur honor, sicùt superiori ordinario, vt diximus supra hoc capite, conclus. secunda quod est intelligendum de Vicarijs ad modum prouisionis, & ad breue tempus, non de Vicarijs ordinarijs, qui præsunt alicui Conuentui, Correctorem propter penuriam alimentorum nequeunt sustinere.

Nequè est intelligendum de Vicarijs, seù visitatoribus missis ad visitandum aliquod Regnũ, vel Prouinciam, quia sunt veri Iudices, & habent dignitatem, & amplissimam iurisdictioné.

Spathar. Spatharius de modo corrigendi regul. tract. 30. parte 3. cap. 17. ait, quòd per sui ordinis Minorum statuta, quicumq; Prælatum localem interfecerit, ad triremes perpetuò est damnandus: & si gladio vulnerauit, non secuta morte, damnandus est ad triremes arbitrio superioris: & similiter arbitrio Generalis est damnandus ad triremes, qui Prouincialem quouis modo, etiam leuiter percusserit; si autem gladio, siué mors secuta fuerit, siué non, ad triremes omninò perpetuò est damnandus: & similiter qui Generalem ipsum etiam leuissimè percusserit.

In ordine nostro Minimorum circa percussores superiorum, nihil adhùc est determinatum, quod viderim; fortè quia per misericordiã Dei, quod sciam, nondùm datus est casus; & vtinam numquàm detur, quòd si forsan daretur (quod Deus auerruncet) posset Prælatus, cui incumberet onus delinquentes puniendi, consideratis considerandis, proportionaliter ad dicta, in causa procedere.

§. *Octauus. Vtrùm Subditus malo Prælato teneatur obedire.*

HOC etiam pertinere visum est ad honorem Prælatis debitum, & absquè controuersia est inter Catholicos, subditos vitioso Prælato obedire teneri. Quod probo auctoritate Scripturæ, & Patrum.

Primò ex scriptura ad Hebræos 13. ait Paulus *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis:* etiamsi discoli, & scelerati sint, inquit Theophylactus eo loco; Quod ad omnem ambiguitatem tollendam expressit disertis verbis Petrus prima Petri 2. *Serui subditi estote omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim gratia in Christo Iesu Domino nostro. Hæc est gratia*, ait, B. Laurentius Iustinianus lib. de obed. cap. 12. *vt non inspiciamus personam operantis, sed in præcipiente Dominum, cui famulari expedit, & à quo obedientiæ nostræ debemus sperare mercedem*, & ad Ephes. 6. *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicùt Christo.* Si ergò præcipit Apostolus Christianis, vt obediant Dominis carnalibus, qui tunc siné fide omni erant iniquitate referti; quantò magis debemus obedire pastoribus, & Prælatis nostris: etiamsi in moribus sint scelesti. Et Christus Matth. 23. hoc expressit dicens, *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, secundùm opera eorum nolite facere*, vbi Glossa, *Doctrinam tenete, non vitam*. Et Chrysost. *Sicùt aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, sic etiam auditores doctrinam accipiant, & mores relinquant; frequenter enim de homine malo bona doctrina procedit*, & ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, & loquitur de magistratibus sæcularibus, quibus soluuntur tributa, & vectigalia, de quibus loquitur eodem cap. vers. 7. Ita exponit hunc locum Basilius de constit. monasticis, cap. 23.

Hebr. 13. *Teoph.* *Petrus.* *B. Laurent. Iustin.* *Ephes. 6.* *Matth. 23.* *Glossa.* *Chrysost.* *Rom. 13.* *Basilius.*

Secundò. Probatur eadem veritas ex Patribus Clemẽs Petri discipulus in quadam epistola citatus à Ludouico Blosio qui hac de re disertè *Ludouicus Blosius.* disserit lib. 1. Collyrij hæreticorum, cap. 7. ait,

Episco-

Episcoporum præceptis in omnibus obedite, etiamsi ipsi aliter (quod absit) agant, memores scilicet illius Dominici præcepti, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, obedientia enim, & humiliatio, quæ magistris impenditur, domino exhibetur. Quod D. Bened. iisdem fere verbis præcipit D. Benedictus in sua regula, cap. 4. instrumento 60.

Chrysost. Chrysostomus homil. 34. in cap. 13. epistolæ ad Hæbr. *Quid ergò, dicis aliquis, dùm præpositus malignus extiterit, num obediemus? Quomodo malum dicis? Siquidem est in causa fidei fuge illum, & euita, non solùm si homo fuerit, sed etiamsi Angelus de cælo descenderit. Si verò in vita moribus malignum dicis, noli curiosus esse:* & citato ad hoc Matth. 23. loco Matthæi 23. *Super Cathedram*, &c. *Habent*, inquit, *dignitatem, licèt vita sint perdita: verumtamen non ad vitam eorum, sed ad sermones intendite.*

D. Bonau. Bonauentura tom. 2. opusc. in stimulo amoris, cap. 11. fine. *Si cor rationale, & nobilem haberes, non certè renueres Deo, tam in se, quàm etiam in quocumq; Prælato vilissimo obedire?*

B. Lauren. Iustin. Beatus Laurentius Iustinianus lib. de obed. cap. 12. *Cæterùm si fortè cuiquam eorum, qui in hac pastorali resident Cathedra, vita non suppetat sanctitas, minimè tamen est illi subtrahenda subiectio; quippe cum non personæ, sed dignitati sit principaliter deferendum, Christo siquidem in Præsidente, & Præsidenti propter Christum omninò obtemperandum est; quia non à Petro Petra, sed Petrus à Petra sumpsit initium, cognomen, auctoritatem, & gloriam, ipse namq; Dominus Iesus per se ipsum, ipse in pastoribus ouium suarum principatum gerit: proptereà nemo dedignetur subesse, & homini malo, cui imperandi est prærogata potestas.*

Thom. Kemp. Thomas Kempis opusc. exercit. spirit. cap. 13. *Si vita alicuius Prælati non est ità perfecta, & laudabilis, sicùt status, & ordo requirit, tu tamen benefacis obediendo in bono; quia non ab homine, sed à Deo præmium accipies.*

Hæc omnia intellige, quandò Prælati mali nõ præcipiunt contraria fidei, nàm tùm *etiamsi Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizamus vobis, anathema sit*, ait Apostolus Galat. 1. ad Galat. 1. Vel non præcipiant contraria mandatis Dei: vel bonis moribus; quia tùm *obtemperare oportet magis Deo quàm hominibus*, Actorũ 5. Actor. 5.

Quæres primò. An Prælato existenti in peccato mortali notorio, sit obediendum.

Tostatus. Respondet Tostatus lib. 1. Paralipom. cap. 21. q. 9. *Quod obediendum est Prælato, licèt sit in peccato mortali: etiamsi sit notorium, quousq; per sententiam priuetur iurisdictione, aut suspendatur ab vsu eius, vel sit tale peccatum, in quod incidens ipso iure sit* Panormit. *priuatus executione iurisdictionis*, & Panorm. in cap. cum non liceat de præscriptionibus, n. 3. ait, *quòd obediendum est Prælato, etiam notoriè criminoso antè sententiam, præterquàm in quatuor casibus. Primò in crimine hæresis; Secundò in schismate, Tertiò in crimine notoriæ fornicationis; Quartò in simonia in ordine commissa.* Si possunt probari; quod etiam Glossa. habet Glossa d. cap. cum non liceat, verbo Recedere, quia ista crimina suspendunt ipso iure à iurisdictione, vt habetur, cap. præter, §. verum, d. 32. Quibus adde, si sit notoriè excommunicatus cap. Pastoralis de appell. & cap. Excommunicatos 12. q. 3.

Circa notoriè fornicarium, aduerte, quòd noPanorm. tat Panorm. in cap. Vestra de cohabit. Cleric. & mulier. num. 7. & habetur cap. quæsitum eodem tit. Si ex euidentia operis est indubitatum, talẽ esse fornicarium, est ipso iure suspensus; vbi autem non est talis operis euidentia, nõ est ipso facto suspensus, & ideò ei obedire tenemur. An autem notoriè fornicarius celebrans fiat irregularis, tenet quòd non Franciscus Samarinus in Sacerdotali, parte prima, tract. de irregular. regula 41. alios citans. Alij contrarium tenent, vt Nauarrus in sum. cap. 25. num 76.

Quæres secundò, An Prælato accusato de aliquo delicto, quo probato erit deponendus, sit obediendum, lite pendente.

Respondeo, esse obediendum, licèt non quò ad desistẽdum ab accusatione, Abbas in cap. ex parte de accusat. num. 4. Felinus ibidem pauló post principium, Sanchez lib. 6. in decalogum, cap. 2. num. 64. & habetur expressè in cap. non ne directa 8. quæst. 4. *Abbas. Felinus. Sanchez*

CAP. XXIX.

An liceat Regularis alios ad suam Religionem inducere.



PRO hoc capite videri potest D. Tho. 2. 2. q. 189. art. 9. & quodlib. 3. art. 11. & 13. & opusc. 19. cap. 13. Nauar. in sum. in cap. 12. à nu. 44. Reginaldus in praxi, lib. 18. n. 373. Sayrus in Claui regia, lib. 6. cap. 9. num. 1. 2. 3. 4. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 4. & de vitæ statu deligendo, q. 8. Ledesma de statu Religiosorum in communi, cap. 5. concl. 8. pag. mihi 213. Sylu. verbo Religio 2. quæst. 2. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 1. q. 2. *D. Thom. Nauar. Reginald. Sayrus. Lessius. Ledesma. Sylu. Azor.*

Dico primò, non solùm est licitum inducere aliquem ad Religionem, sed etiam maximè meritorium; ita D. Thomas, & alij locis citatis. *D. Thom.*

Iacob. Probatur primò ex scriptura, Iacob. in sua epist. cap. vltimo. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, & Danielis 12. dicitur. *Qui ad iustitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*, & Ierem. 15. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* *Daniel. 12. Ierem. 15.*

Secundò. Probatur ex patribus, qui ad mundum relinquendum, & ad Religionem ingrediendum, se ipsos, & alios hortabantur, & primus fit Sanctus Fulgentius, qui vt refert Surius tom. 1. in ipsius vita, aiebat, *Cur obsecro, sinè spe futurorum bonorum laboramus in hoc sæculo? quid nobis denique præstare poterit mundus? si gaudere desideramus; licèt meliùs sit bene flere, quàm male gaudere, quantò meliùs tamen gaudent, quorum in Deo tranquilla est conscientia, qui nihil timent, nisi peccatum, nihil agunt, nisi ex Dei præscripto: non fatigantur publicis negotijs, non damna rei familiaris, aut miserabiliter flere, aut turpiter timere coguntur: nec cum sua ipsi relinquerint, alijs insidiantur, viuunt inter se pacifici, sobrij, mites, humiles, atquè concordes: nulla ibi cogitatio libidinis, immò magna sollicitudo, & iugis custodia castitatis. Imitemur tàm laudabiles viros, & arripiamus hanc benè viuendi constantiam. Sit nobis vtile, quòd gratia reuelante meruimus meliora cognoscere; abijciamus pristinos mores, & mutemus labores, vt iubamur priùs inter amicos nobiles,* *S. Fulgen. Surius.*

biles, nobiliores apparere: nitamur modò inter seruos Dei pauperes, effici pauperiores.

Basilius. Basilius homil. 52. *Ad vitam te vocamus ò homo, quid fugis vocationem? bonorum participationem? quid negligis donum? Regnum Cœlorum apertum est, qui vocat non mendax est: via facilis est, non tempore, non sumptu, non negotio opus est: quid cunctaris, quid tergiuersaris? quid iugum times, velut iuuenca nondum iugum experta? Bonum est, leue est, ceruicem non atterit, sed Glorificat? subde indomitam ceruicem, fias Christi iumentum, ne dimisso iugo, & vitam degens liberam, feris te laniandum exponas: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Dulcedinem mellis, quomodo eam ignorantibus declarare possim? gustate, & videte.*

Chrysost. Chrysostomus homil. 14. in epist. 1. ad Timoth. *Sanctos viros,* ait, *inquire, qui re vera sancti sint, qui in solitudinibus sedent,* & paucis interpositis ait. *Verè Domus luctus, Monasteria sunt, vbi cinis, atque cilicium, vbi solitudo, vbi risus nullus, nullus negotiorum sæcularium strepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum, ibi munda sunt omnia, nullus ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis vini, perturbationes, curæ, tumultus; Tranquillo in portu nauigant, ac velut luminaria sunt, sublimi de loco nauigantibus fulgore suo iter aperientes; in littore placidè sedent, omnes ad quietem suam inuitantes? ac pertrahentes; neque naufragium pati sinentes eos, qui se inueniunt, non permittunt in tenebris degere eos, qui suas aspiciunt sedes: Perge itaque ad illos, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes longè enim honorabilius est, illorum pedes, quàm aliorum caput tangere.*

Greg. Gregorius lib. 6. regist. epist. 190. Andream virum nobilissimum, ab Imperatoris obsequio, ad quod aspirabat, ad Christi obsequium retrahere conatur. *Cur,* inquiens, *Magnificè fili non consideras, quia Mundus in fine est,* & infrà. *Vnde magis suadeo, vt magnitudo vestra in suo proposito quondam in pauco tempore delectabili receptaculo peregrinationis viuere studeat, & quietam, ac tranquillam vitam ducere, sacris lectionibus vacare, cœlestia verba meditari, in æternitatis amore se accendere.*

B. Laur. Iustin. Beatus Laurentius Iustinianus de discipl. & perfect. monast. conuers. cap. 2. *O Præuaricatores redite ad cor, resipiscite à vijs vestris, ne post paululùm in æternum pereatis. Cohibite corda vestra, ne post suas abeant concupiscentias: Ne quandò vos mors rapiat, & non sit qui eripiat. Vendite quæ possidetis, vt hoc fœlici commercio cœlestem gloriam adipiscamini. Donate Christo quòd seculo relicturi estis: præmittite ante vos facultates vestras, quatenus necessitatis tempore multiplicatæ restituantur vobis. voluntariè ab renunciate Mundo, ne cum mærore de eodem exire cogamini; De necessitate virtutem facite, & post hanc vitam regnum accipietis æternum. Finem illorum diligenti examinatione cognoscite, qui præcesserunt vos, atque viuere voluerunt tamquàm vos; nempè in sæculo floruerunt, diuitijs abundauerunt, & omni se voluptati dederunt; in canticis, in Choris, in Conuiuijs, in comessationibusque læti sunt, duxerunt in bonis dies suos, & in punctio ad inferna descenderunt. Exiguo exultauerunt tempore, & æterno damnati sunt exitio. Non sic autem contingit ijs, qui Deo militant, qui pro Christo animas suas tradiderunt, & sub Præceptoris Imperio absque vlla requie propriàs crucifixerunt voluntates, &c.* Quæ ibi pulchra valdè scribit Iustinianus.

Dico secundò, inducens ad Religionem aliquem minis, metu, atque terroribus, committit peccatum ex suo genere mortale, ita Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 5. conclus. 8. pag. mihi 213. Reginaldus in praxi, lib. 18. nu. 373 & innuit D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 9. corpore, Sayrus in Claui regia lib. 6. cap. 9. num. 2. *Ledesma. Reginald. D. Thom. Sayrus.*

Probatur primo ex cap. Præsens 20. quæst. 3. vbi id expressè præcipit Nicolaus Papa.

Secundò. Quia sicùt nemo potest ad baptismum cogi, qui tamen est de necessitate salutis, ità multò minùs ad Religionem, quæ solùm est de perfectione. Multis alijs rationibus nostram conclusionem probat Lessius lib. 2. de Iustitia, cap. 41. dub. 4. num. 38. quæ apud ipsum possunt videri. *Lessius.*

Quarè sacrosancta Tridentina Synodus Sess. 25 cap. 18. de regul. *Excommunicat omnes, & singulas personas cuiuscumque qualitatis, & conditionis fuerint, tàm Clericos, quam Laicos, sæculares, vel regulares, atquè etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumquè coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquàm in casibus à iure expressis, ad ingrediendum Monasterium; vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis; vel ad emittendam professionem: quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint: quique scientes, eam non spontè ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere; qui quomodocumque eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint.* Pro cuius capitis declaratione videatur Suarez, tom. 5. in tertiam partem, disp. 23. sect. 7. à num. 8. Sanchez, tom. 1. in decalog. lib. 4. cap. 4. per totum. Rodriquez, tom. 3. quæst. regul. q. 17. art. 19. Ex quibus. *Synod. Trid. Suarez. Sanchez. Rodriq.*

Noto primò, sub hac excommunicatione non comprehendi, qui cogunt ad Religionis ingressum, vel ab eo impediunt viros, ità Suarez loco cit. & Sanchez num. 3. Ledesma de statu Relig. in communi, cap. 5. conclus. 8. pag. mihi 214. Et ratio est; tùm quia idem Tridentinum Sess. 24. cap. 9. de matrim. volens comprehendere eos, qui cogunt siuè viros, siuè mulieres ad matrimonium, id expressit; Tùm quia cum frequentissimum sit, mulieres inuitas ad Monasterium trahi, rarum admodùm est, sic duci viros; & legis est frequenter contingentibus prospicere, vt dicitur lege nam ad ea, ff. de legibus. *Suarez. Sanchez. Ledesma. Trid.*

Noto secundò, vtrùm cogentes mulieres metu leui, vel non cadente in virum constantem, vel precibus importunis, incurrant hanc excommunicationem; negat Sanchez loco cit. num. 4. Certum tamen puto, Parentes, Tutores, & alios, sub quorum cura est aliqua puella, qui eo fine, vt Religionem ingrediatur, dant illi parùm cibi, vestibus laceris, & suo statui minùs conuenientibus eam vestiunt, deferreque cogunt, in aliqua includunt cella, & verbis, & operibus eam pessimè tractant ad hūc finem, vt his fastidita puella, talem vitam nauseans, Religionem appetat, & ingrediatur, incurrere hanc excommunicationem, ità Ledesma loco cit. *Sanchez. Ledesma.*

Noto tertiò, casus in iure expressi, quos hic excipit Tridentinum, quibus potest quis cogi ingredi Religionem, sunt tres. Primus, quandò quis spontè Religionem vouit, tunc enim potest compelli vt impleat, cap. Licèt de voto. Secundus. Quandò coniux conscius de dispositione iuris, cap. Quidam, & cap. Placet de con-

uers,

perſ. conjug. quibus capitibus definitur, quod conjux non poteſt altero conjuge inuito Religionem ingredi, & ingreſſus tenetur ad inſtantiam alterius conjugis egredi; conſcius, inquę, conjux de hac diſpoſitione conſentit, vt alter in Religionem ingrediatur, in eaq; profeſsionem emittat, ſi de conjuge remanente in ſæculo habeatur ſuſpicio, quòd non ſeruabit votum continentiæ, cui ſe adſtrinxit, ad hoc vt alter poſſet Religionem ingredi, poteſt ad intrandum compelli, iuxta caput ſignificauit de conuerſ. conjug. à contrario ſenſu. Tertius caſus eſt, quandò quis commiſit crimen, propter quod eſt in Monaſterium detrudendus iuxta cap. de lapſis 16. quæſt. 6.

Leſſius. Reginald.

His tamen duobus caſibus non poteſt quis cogi ad profitendum, ſed ſolùm ad ingrediendum, vel ad continentiam ſeruandam, vel ad debitam delicto pœnam luendam. Videatur Leſsius lib. 2. de iuſt. cap. 41. dubit. 4. num. 42. Reginaldus in praxi, lib. 18. num. 373.

Ledeſma.

Ex quibus colligitur primò, quòd mulier inuenta in adulterio à marito, qui illam volebat occidere, ſi non promitteret ingredi Religioné, ingredi tenetur, nec maritus excommunicationem incurrit. Sicùt neq; etiam incurrunt dantes ad id conſilium, ſuaſium, & fauorem; quia talis metus, licèt ſit mortis, iniurioſus tamen non eſt, ſed iuſtus. Ità Ledeſma de ſtatu Religioſ. in communi, cap. 5. concluſ. 8. pag. mihi 215.

Suarez. Ledeſma.

Colligitur ſecundò, quòd poteſt cogi mulier ad ingrediendum Monaſterium abſque periculo incurrendi hanc excommunicationem ad cautionem, puta, ſi maritus iter longum ſit arrepturus, & de vanitate, & caliditate vxoris dubitans, illam ad Monaſterium ingrediendum vſquè ad illius aduentum, cogat. Idem dico de filia; quia iſta coactio non eſt iniurioſa, ſed rationabilis. Suarez tom. 5. in tertiam partem, diſp. 23. ſect. 7. num. 9. Ledeſma loco cit.

Sayrus.

Noto quartò, quòd inducens virum ad Religionis ingreſſum importunis, & terribilibus perſuaſionibus, mortale peccatum ex genere ſuo committit, Sayrus in Claui regia lib. 6. cap. 9. num. 2. qui pro hoc citat Ricardum in 4. diſt. 38. art. 6. q. 3. & Gabrielem ibidem q. 1. art. 4. littera T. Tunc autèm eſt nimis importuna perſuaſio, quandò fit cum rerum temporalium promiſsione, & cum nimia ſollicitudine; ſolent namquè promiſsiones huiuſmodi, & perſuaſiones importunæ in iuuenibus ſurreptionem cauſare, & de libera voluntate eorum, quę ad Religionis ingreſſum omninò requiritur, ſemper aliquid detrahere.

D. Thom. Ledeſma. Reginald. Azor. Sayrus. Syluest.

Dico tertiò. Mortale peccatum ex genere ſuo committit inducés ad Religionem aliquem muneribus per ſimoniam datis, & acceptis. Ità D. Tho. 2. 2. q. 189. art. 9. Ledeſma de ſtatu Religioſ. in communi, cap. 5. concluſ. 8. pag. mihi 216. Reginaldus in praxi, lib. 18. num. 374. Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 12. cap. 1. q. 2. Sayrus in Claui Regia loco cit. num. 3. Syluester verbo Religio, 2. quæſt. 2.

Probatur ex cap. Quàm pio 1. q. 2. vbi dicitur *Nuſquam legimus, Domini diſcipulos, vel eorum miniſterio conuerſos, quempiam ad Dei cultum muneris interuentu prouocaſſe*. Quod fit, quando intercedente pacto, quis alium ad Religionem trahit muneribus; ſi dabis mihi hoc: vel dabo tibi hoc, ſi me ad Religionem duxeris; Non verò quandò hoc ſinè pacto fit, ſed ex charitate, intendendo proximi ſalutem, & bonum, vt ſi quis ſcholaſticum alat; vel eum ſibi aliquibus muneribus beneuolum reddat ad hunc finem, vt ad Religionem pertrahat. Ità D. Thom. loco cit. & q. 100. art. 3. ad 4. Azor loco cit. Leſsius lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 18. num. 66.

D. Thom. Azor. Leſſius.

Licet tamen pro Religionis ingreſſu aliquid accipere, exigere & paciſci, quandò Monaſteriũ eſt ita tenue, vt non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas gratis tamen ingreſſum Monaſterij exhibendo. Ità D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. & in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 7. vbi ait, *Cum poſſeſsiones alicuius loci Religioſi non ſufficiunt ad ſuſtentandum plures, tunc poteſt exigi ab eo, qui in illo loco Deo vult ſeruire, non quaſi pretium Religionis, ſed vt habeat Monaſterium vndè ei poſsit prouidere*. Ità etiam Syl. verbo Simonia, q. 15. diſt. 2. Angelus num. 4. Tab. num. 61. Sayrus loco cit. Leſsius lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 12. n. 71. Admittit etiam Suarez, tom. 5. in tertiam partẽ, diſ. 22. ſect. 5. num. 12. Hic non cenſetur quidquã ſpirituale vendi; ſed illa pecunia exigitur tamquàm conditio neceſſaria, vt alij Religioſi non grauentur; non enim par eſt, vt antiqui Religioſi maiorem inopiam patiantur propter eos, qui admitti petunt. Niſi forſan admittendus, eſſet perſona inſignis in litteris, quæ maximam ſuis virtutibus poſſet toti Religioni vtilitatem afferre; nam tùm propter bonum commune deberent particulares Religioſi moleſtiam aliquam, & inopiam ſufferre.

D. Thom. Syluest. Angelus. Tab. Sayrus. Leſſius. Suarez.

Licet etiam propter largas eleemoſynas, quas aliquis in Monaſterium contulit, faciliùs ab ipſo commendatum ad Religionem admittere; vt ait D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. Sayrus loco cit. ſicut etiam poteſt quis blanditijs, & munuſculis animos ſibi Religioſorum allicere, vt faciliùs in Religionem admittatur, vt Ledeſma de ſtatu Religioſ. in comuni, cap. 5. concluſ. 8. pag. mihi 216.

D. Thom. Sayrus. Ledeſma.

Circa autèm donationes factas Monaſterijs à Nouitijs, vel eius parentibus; adeſt decretum Concilij Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 16. huiuſmodi. *Sed neque antè profeſsionem, excepto victu, & veſtitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monaſterio aliquid ex bonis eiuſdem tribuatur; ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partẽ ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat; nec facilè ſi diſceſſerit id recuperare poſsit: quin potius præcipit ſancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus, & recipientibus; ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus antè profeſsionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant*. Circa quòd decretum.

Trid.

Noto primò, quòd iſta excommunicatio non incurritur ipſo facto, vt probatur ex illis verbis, *Sub anathematis*, Quæ non ſententiam latam, ſed ferendam denotant; peccaret tamen mortaliter, qui contra tale decretum acciperet, vel daret aliquid; Quia materia eſt grauis, Ità Ledeſma loco cit. difficult. 1. digolo primiero.

Ledeſma.

Noto ſecundò, quòd pro victu, & veſtitu Nouitij poteſt aliquid accipi: & hoc erit iuxta locorum, & Religionum diuerſitatem, prudentum iudicio penſandum; certa enim regula de hoc dari nequaquàm poteſt.

Noto tertiò, quòd non peccarent parentes, vel propinqui Nouitij, nec contra hoc decretum facerent,

cerent, si in fauorem ipsius Nouitij darent ex bonis proprijs aliquid Monasterio. Quia Concilium solum prohibet aliquid dari ex bonis ipsius Nouitij, non aliorum. Et ita tenent *Ledesma.* Ledesma loco cit. digolo segundo *Sanchez.* Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 5. num. 23.

Noto quartò, quòd quæcumque donatio facta de bonis ipsius Nouitij Monasterio, quæ difficiliter posset recuperari, si Nouitius ad sæculum vellet redire, est prohibita per hoc decretum Concilij vide *Sanchez.* Sanchez loco cit. num. 24. Vndè colligit *Ledesma.* Ledesma, loco cit. digolo tercero; quòd quantitates pecuniæ datæ Monasterio in ingressu Nouitij sub titulo mutui, ex bonis ipsius Nouitij sunt prohibitæ hoc decreto; quandò scilicèt sunt veræ donationes sub titulo mutui, ad deludendam legem Adinuentæ. Et Ratio est, quia difficiliter possunt deindo recuperari. Si autem pro mutuo dato antè professionem accipiatur pignus, vel fideiussio sufficiens, putat *Rodriq.* Rodriquez, tom. 2. quæst. regul. q. 48. art. 5. videri potest *Sanchez.* Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 5. n. 24. Quod non fiet contra hoc decretum; quia pignore, vel fideiussione accepta, facile potest mutuum, vel commodatum recuperari; & ideò ex hoc non potest detineri Nouitius, si ad sæculum redire vellet.

Noto quintò, quòd si Nouitius, vel Nouitia ante professionem voluerint abire, debent eis restitui omnia, si quæ dederant in ingressu Monasterij, simul cum fructibus, si qui sint, deducto tamen victu, & vestitu. *Zerola.* Zerola in praxi, p. 1. verbo Monialis, num. 3. & p. 2. eodem verbo dub. 1. vbi addit, quòd non solùm sunt restituenda omnia, si redire voluerint ad sæculum, sed eadem restitutio debet fieri parentibus, ijs mortuis; nisi de ijs bonis, cum essent sui iuris, disposuissent. Ita etiam *Naldus.* Naldus verbo Nouitius, n. 6.

Noto sextò, quòd si Nouitius sit sui iuris, & nõ habeat parẽtes, nõ potest in ingressu Religionis præter victũ, & vestitũ aliquid donare Monasterio amore Dei intellige aliquid magni momẽti quod illum retarderet ab egressu, vt *Sanchez.* Sãchez loc. cit. n. 23. Quia id expressè prohibetur hoc decreto, *Ne quocumque prætextu aliquid Monasterio tribuatur.* Similiter neque potest Nouitius in ipso ingressu donare se ipsum, & omnia bona sua Monasterio, vt fiebat olim; Et ita dicitur, declaratum iussi à sacra Congregatione.

Dico quartò, non est aliquis mendacijs ad Religionem inducendus. Ita *D. Thom.* D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 9. *Sayrus.* Sayrus in Claui regia, lib. 6. cap. 9. nu. 4. *Ledesma.* Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 5. conclus. 8. pag. mihi 217. versu La tercera causa, & alij citati præcedenti conclusione.

Probatur ex D. Thom. quia huic imminet periculum, ne se rum deceptum inuenerit, retrocedat. Vndè.

Noto primò, quòd inducens alium ad Religionem, debet illi omnia declarare, & manifestare, tàm bona, quàm etiam mala (Si in illa Religione reperiantur:) abstinentias scilicèt regulares, Duritiæ lecti, vestimentorum asperitates, silentium; prolixitatem officij, ieiunia, totalem abrenunciationem, abnegationem propriæ voluntatis, grauem delinquentium punitionem, & similia; quæ *D. Bened.* D. Benedictus in sua Regula prædicari iussit recipiendis cap. 58. *Prædicentur*, inquiens, *vis dura, & aspera*, Si autèm tepidè in illa Religione viuunt maiores, & inter minores multa est relaxatio, id etiam est ei explicandum, ne inductus deinde scandalum patiatur, vt *Caietan.* Caiet. ait 2. 2. q. 189. art. 9. & Sayrus loco cit. qui docent, etiam illicitum esse inducere aliquem ad Religionem, in qua tàm relaxatè viuitur, vt promissa secundùm regulam: etiam quò ad essentialia non obseruentur: & vnusquisque quod illi magis arridet, hoc exequatur, cum paruo timore Dei, & minore superiorum (si talis inueniatur Religio.) Quod etiam aduertit *Nauar.* Nauarrus in Manuali, cap. 12. num. 45. & num. 51.

Noto secundò, quòd decipiens aliquem ad hunc finem, vt eum pertrahat ad Religionem, quò ad essentialia illi Religioni: puta, quòd non tenebitur obseruare castitatem: vel in ordine nostro Minimorum, quòd poterit comedere carnes, etiam post peractam professionem, peccat non solùm mortaliter, sed professio taliter facta est nullius vigoris, vnde poterit qui sic professus est ad sæculum redire, vxorem ducere, & cætera facere, quæ poterat antè ingressum, est communis opinio, *Sayrus.* Sayrus in Claui regia loco cit. *Ledesma.* Ledesma etiam cit. pag. 218. vers. digo lo tercero. Ratio est quia cum deceptio fit circa substantialia regulæ, quæ sunt vota, tollit omnino voluntarium, requisitum ad votum, vt *Sotus.* Sotus ait lib. 7. de iustit. q. 1. art. 2. circa medium, *Rodriq.* Rodriquez in summa, parte secunda, cap. 98. conclus. 4. Sayrus loco cit.

Noto tertiò, quòd si deceptio fiat, non circa substantialia, sed circa aliquod statutum particulare illius Religionis, quod est apud illam maximi ponderis, & momenti, & in maxima obseruantia, & rigore, vt verbi gratia, quòd apud Monachos, & Dominicanos comeduntur carnes. Deceptio ista non annullat quidem professionem, sed dat professo iustam causam petẽdi transitum ad aliam Religionem, Primum probatur, quia circa substantialia non est deceptus, vndè ad illa tenetur. Secundum probatur, quia cum sit deceptus in re graui, & multùm contrà suam voluntatem grauatus, nec possit istud grauamen illi altera via compensari, habet iustum titulum petendi dispensationem, vt ad aliam Religionem transire possit. Ità *Ledesma.* Ledesma loco cit. pag. 219. versu, digolo 4.

Dico quintò. Retrahens aliquem paratum ingredi Religionem, in qua disciplina regularis obseruatur, & qui frugi futurus est illi Religioni, peccat quidem mortaliter, si odio, vel alio malo fine, id facit, ad restitutionem tamen nullam tenetur; Immò si bona intentione id fecit: vel affectu aliquo sanguinis ductus, poterit etiã aliquidò à mortali excusari, *Sotus.* Sotus lib. 4. de iust. quæst. 6. art. 3. in responsione ad secundum arg. conclus. 1. *Vasq.* Val. tom. 3. disp. 5. q. 6. puncto 5. col 9. assert. 4. circa bona animæ, *Nauar.* Nauarrus in manuali, cap. 12. num. 44. *Reginald.* Reginaldus in praxi, lib. 18. n. 375 *Aragon.* Aragon 2. 2. q. 62. art. 2. col. 10. d. 3. pag. mihi 189. *Sayrus.* Sayrus in Claui Regia, lib. 1. cap. 1. nu. 27. 28. 29.

Prima pars probatur, quia ex odio impedire aliquem, ne aliquod bonum consequatur, peccatum mortale est, contrà proximo debitam dilectionem, & charitatem.

Secunda Pars probatur, quia non tenetur aliquid restituere ratione iustitiæ ipsi retracto, cum per regulam Iuris 27. de regulis iuris in 6. *Volenti, & consentienti nulla fiat iniuria:* Neque Re-

ligioni;

ligioni; Quia hæc nullum ius acquisiuit super ingressurum. Tenebitur quidem ratione Charitatis illum, corrigendo se ipsum, admonere, vt suum sequatur propositum, vt aduertit Sotus loco cit. *Sotus.*

Tertia Pars etiam probatur, quia si bona intentione id facit, putans, talem non futurum vtilem tali Religioni, vel illum iudicans inconstantem: vel quia illius egent ope parentes: vel quia sibi in spiritualibus frugi fore sperat: vel quia in illa Religione non ita desciplinatè viuitur; Non videtur, quòd bono fine fecit, non facturus, si aliter credidisset, illius conscientiæ debere obesse, vt Nauar. loco cit. *Nauarr.*

Et nota, quòd si quis sinè causa, vel dolo, vi, aùt fraude retrahit puellam, vel aliquam aliam mulierem à proposito veli accipiendi, vel voti emittendi, incidit in excommunicationem latã cap. 18. sess. 25. de regul. concilij Trid. Quam tamen non incurrit, si cum causa id suadet, vt Sayrus loco cit. pro qua excommunicatione videri potest Sanchez, lib. 4. in decalog. cap. 5. num. 10. 11. 14 & Suarez, tom. 5. in tertiam partem, disp 23. sect. 7. num. 10. *Trid. Sayrus. Sanchez. Suarez.*

Dico sextò, retrahens Nouitium à iam suscepto habitu, & ad sæculum redire suadens, mortaliter peccat, si odio, vel alio malo fine id faciat, ad nullam tamen restitutionem tenetur; Ità Sayrus loco cit. num. 29. Val. loco cit. *Sayrus. Valent.*

Probatur, quia non tenetur retracto, quia volenti, & consentienti nulla fit iniuria contra iustitiam; neque Religioni; quia sicut Nouitius potest absquè irrogatione iniuriæ Religioni ea deserere; Ità potest quis absquè tali iniuria id illi persuadere. Quòd autem mortaliter peccet, patet ex probatione primæ partis quintæ conclusionis.

Dico septimò, qui vi, fraude, & dolo aliquem antè, vel post susceptionem habitus, antè tamen professionem à Religione retrahit, peccat non solùm mortaliter, sed tenetur iniuriam per restitutionem compensare. Ità Valentia loco cit. versu Secus si, Sotus loco cit. conclus. 3. Aragon. loco cit. dist. 2. Sayrus cit. num. 33. *Valentia. Sotus. Aragon. Sayrus.*

Probatur, quia peccat contra iustitiam, faciens, quòd retractus inuitus, per vim, fraudẽ, & dolum patiatur, quæ ipsi, & suo statui forent conuenientia; Et ideò restituere tenetur, remouendo vim, fraudem, & dolum, & exhortando ad ingressum, vel perseuerantiam in Religione, Quomodò etiam fieret religioni ea restitutio quæ posset, & sufficeret, Si tamen hæc restitutio non sufficeret, ad hoc vt Nouitius, vel regrederetur, vel remaneret, nullum aliud, ait Sotus ligamen remanet, retrahenti. *Sotus.*

Dico octauò, Abstrahens aliquem Religiosũ professum à Religione vi, fraude, vel dolo, tenetur resarcire damna, quæ Religio passa est ex amissione talis viri: verbi gratia, si legendo, cõcionando aliqua stipendia lucrabatur. Ita Valent. loco cit. assert. 5. Aragon loco cit. dist. 1. Sotus etiam cit. conclus. 5. Sayrus cit. num 34. *Valentia. Aragon. Sotus. Sayrus.*

Probatur, quia nocens alteri cum iniuria, scilicèt dolo, vi, fraude, tenetur resarcire damnum illatum.

Dico Nonò, qui malo animo, sine vi tamèn, & dolo Monacho iam professo exire persuasit, licèt mortaliter peccet, non tenetur tamen quidquam Religioni restituere, Ità Sotus loco cit. *Sotus.* circa finem secundæ conclusionis ibi, quin verò neque illic, Sayrus loco cit. num. 30. qui alios citat, & multis id probat. *Sayrus.*

Probatur, quia non tenetur restituere professo; quia sponte exijt: Neque Religioni, quia si Monachus sua sponte exiret, non teneretur quidquam restituere Religioni; quamuis teneretur redire ratione obedientiæ, & voti, quo erat obligatus. Ergò nec qui ad exitũ persuasit, tenebitur.

Dico vltimo, siuè quis paratum ingredi, siuè iàm ingressum, sed nondùm professum, siuè etiã professum à Religione extraxerit, vel id faciat odio, vel fraude, vi, aùt dolo ad illam ingrediendam, pro tali damno resarciendo, nullo modo tenetur. Ità Sotus loco cit. conclus. 4 Nauar. in sum. cap. 18. n. 44. Sayrus loco cit. n. 35. Valent. loco cit. assert. 4. versu secus si. Aragon loco cit. dicto vlt. colligitur ex D. Thoma quodlib. 3. art. 13. vbi ait, *Pro nullo peccato posse homini imponi pro pœnitentia, vt Religionem intreat, in commutationem satisfactionis quantumcumque grauis.* *Sotus. Nauar. Sayrus. Val. Aragon. D. Thom.*

Probatur, quia cogeretur quis inuitus essentialia Religionis vouere, & obseruare contrà naturam, & essentiam voti, quod omninò requirit libertatem; coacta enim respuit Deus, negari tamen non potest, quin retrahens opus maximæ perfectionis faceret, si Religionem ingrederetur, vt refert Paludanus (qui partem contrariam tuetur) in 4. dist. quæst. 2. art. 2. fecisse Raymundum, qui propterea Religionem Dominicanorum ingressus est, quòd cuidam Nouitio id vitæ institutum dissuaserat; sed id non fecit ex obligatione. Pro his, qui retrahunt aliquem à Religione potest videri Ludouicus Beia, secunda parte casuum, casu 3. in congregatione habita die 15, Decembris, anno Domini 1582. *Paludan. Ludouicus Beia.*

CAP. XXX.

Vtrùm Subditus teneatur obedire Prælato præcipienti, quòd studeat, & litteris incumbat.



PRO hac quæstione videatur D. Tho. 2. 2. q. 188. art. 5. & q. 187. art. 1. & opuscul. 19. cap. 11. Abbas 1. p. consil. consil 88. num. 6. Rodriquez, tom. 3. q. regul. q. 64. art. 4. Armilla, Sylu. verbo Scientia, Angelus eodem, & verbo Magister, Tabiena verbo Obedientia, nu 10. ibi Pisanella, n. 4. Antoninus tertia parte, tit. 16. cap. 6. §. 1. Grassius in append. ad suas decis. lib. 4. cap. 4. à num. 15. Valent. tom. 3. disp. 10. quæst. 6. puncto primo, versu itèm rectè. *D. Thom. Abbas. Rodriq. Armilla. Syln. Angelus. Tab. Pisanella. Antonin. Grassius. Val.*

Dico primò, studium sacrarum litterarum regularibus choro destinatis maximè conuenit, & est necessarium: siuè Religio sit instituta ad opera vitæ actiuæ: siuè ad opera vitæ contemplatiuæ siuè ad opera vitæ mixtæ, est expressa sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 5. & omnium aliorum cit. *D. Thom.*

Probatur primò ex scriptura Oseæ. 4 *Tu scientiam repulisti, repellam te, & ego, ne Sacerdotio fungaris mihi*; Vbi Deus minatur, quòd priuabit eos Sacerdotes (hos enim non populum alloquitur) dignitate Sacerdotali, qui eius legem per sacratum litterarum studia nosse negligunt. Et Malachiæ 3. *Labia Sacerdotis custodient scientiam,* *Oseas 4.*

& legem

Danielis 12.

& legem requirent de ore eius: Et Danielis 12. *Quid docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Hieronym.

Secundò, Probatur ex Patribus. Hieronymus ad Rusticum, & refertur cap. Sic viue 16. quæst. 1. *Longo tempore disce, quæ postmodum doceas,* Et ibidem, vt refertur eadem causa, & quæst. cap. si Clericatus, ait. *Si Clericatus titilius desiderium, discat, quid possit docere.* Et super Aggæum. *Considera, Sacerdotis esse officium de lege interrogatum respondere, si Sacerdos est, sciat legem Domini, si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse Sacerdotem Domini.* Et Chrysost. lib. 2. de dignit. Sacerd. ait, *Sapientissimum esse oportet Sacerdotem, & perspicacem in omnibus, & mille, vt dicitur, ex omni parte oculos habentem, quippè qui non solùm sibi, sed etiam populo viuit,* Et Bern. serm. 66. in cantica *Non ignoro quantùm Ecclesiæ profuerint, & prosint litterati sui, siuè ad refellendos eos, qui ex aduerso sunt, siuè ad simplices instruendos.*

Chrysost.

Bernard.

Tertiò, Probatur ex multis textibus in iure canonico. cap. finali, dist. 38. *Qui discere negligit, magis Diaboli, quàm Christi membrum esse ostenditur* & ead. d. cap. Ignorantia dicitur, *Quod ignorantia mater cunctorum errorum Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt.* Et Clem. ne in agro, §. penult. de statu Monach. ait, Clemens V. *Rursus vt ipsis Monachis proficiendi in scientia, via opportuna non desit, in singulis ipsorum Monasterijs, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur Magister qui eos in primitiuis scientijs instruat diligenter.* Et cap. quia nonnullis de magistris habetur, *Quòd in Ecclesia Metropolitana constitui debet Magister Theologiæ, qui Sacerdotes in sacris litteris doceat.* Et cap. super specula eodem tit. habetur, quòd *Prælati, & capitula ad studia Theologiæ scholares dociles transmittant;* Et alibi sæpiùs, quæ etiam faciunt pro regularibus, qui Sacerdotes, & Ecclesiæ ministri sunt.

D. Thom.

Quartò, Probatur ex doctrina D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 5. Nàm studium litterarum ad vitam contemplatiuam iuuat dupliciter. Primò directè, coadiuuando ad contemplandum per illuminationem intellectus; nulli enim dubium est, quin litteratus magis, & meliùs rationem diuinorum arcanorum sit contemplaturus, quàm illiteratus, tùm quia magis habet proportionatam potentiam intellectiuã; tùm quia aptiora media faciliùs potest inuenire. Secundò indirectè, Remouendo errores, qui frequenter instigatione Dæmonis in contemplatione diuinorum accidunt ijs, qui litteras, & scripturas ignorant.

Deindè studium litterarum etiam prodest Religiosis institutis ad vitam actiuam; puta ad prædicandum, docendum, confessiones audiendum. Et ita prodest, vt sit, naturaliter loquendo, omninò necessarium; quis enim hæc potest absquè litteris exercere: & hæ non acquiruntur sinè maximò labore, & studio.

Tertiò studium litterarum Religiosis conuenit quantùm ad id, quod est Religiosis omnibus commune, Primò enim valeat ad vitãdam carnis lasciuiam. Tùm propter laborem adiunctũ, iuxtà illud Ecclesiastici 31. *Vigilia honestatis tabefaciunt carnem;* Tum etiam, quia abstrahit cogitationem ab impuris rebus. Vndè Hieronymus ad Rusticum de viuendi forma circa medium, & refertur de consecr. cap. Numquàm dist. 5. *Ama scripturarum studia, & carnis vitia non amabis:* Iuuat etiam ad seruandam paupertatem, quatenùs parit contemptum rerum temporalium. Vndè dicitur Sap. 7. *Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Et 1. Machab. 12. *Nos autèm nullo horum indigebamus* (Scilicèt exteriorum subsidiorum) *Habentes solatio sanctos libros, qui in manibus nostris sunt.* Valet etiam ad seruandam obedientiam, Vndè August. lib. de operibus Monach. cap 17. circa finem, *quæ,* inquit, *est ista peruersitas, lectioni nolle obtemperare, dùm vult ei vacare.* Addo, quod etiam iuuat ad seruandam ciborum abstinentiam, verbi gratia quadragesimalem vitam in nostro ordine, quatenùs fugat otium, de quo Cassianus, lib. 10. instit. cap. 6. *Mens otiosi nihil aliud cogitare nouit, nisi de escis, & ventre.*

Eccles. 31.

Hieron.

Sap. 7.

Machab. 12.

August.

Cassian.

Dico secundo, licet Religiosis scientias liberales, & Philosophicas addiscere, non per se ipsas simpliciter, sed in quantùm ordinantur ad sacram doctrinam. Ità D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 5. ad 3. vbi Caiet. Rodriquez tom 3. quæst. regul. q. 64. art. 5. Angelus, Tab. Sylu. verbo Scientia; num. 1. Antoninus tertia parte, tit. 16. cap. 6 § 1.

D. Thom.

Caiet.

Rodriq.

Angelus.

Tab.

Sylu.

Antonin.

Prima pars probatur primò, quia hæ scientiæ multùm conferunt ad intelligentiam sacrarum litterarum; vt habetur cap. Relatum, §. cum enim, dist. 37.

Secundo, quia iuuant ad errores Gentilium confutandos; vt habetur cap. si quid veri, d. 37.

Tertiò probatur ex cap. Legimus enim, d. 37. vbi triplex redditur ratio, quare scientijs istis sæcularibus debeamus incumbere. *Legimus enim,* vt ibi dicitur, *aliqua ne negligantur; Legimus ne ignorentur; Legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus.*

Quartò probatur ex cap. Turbat. & cap. qui de mensa, & alijs cap. eadem dist. 37. vbi multa ad hoc probandum adducit Gratianus, præsertim dicto cap. Legimus, potest etiam probari ex Clem. ne in agro de statu Monach. cit. vbi per illud, primitiuis scientijs, intelligit Paulus iurisconsultus super dicta Clement. Grammaticam, & Logicam.

Caietan.

Secunda Pars probatur ex Caiet. loco cit. vbi ait. *Nota diligentissimè conclusionem, & rationem illius, scilicèt quòd Religiosis non conuenit studium Philosophiæ, & huiusmodi; quia tota eorum vita mancipata est diuinis obsequijs. Vndè sicùt negotia sæcularia sunt absolutè prohibita Religiosis omnibus; Ità studia scientiarum sæcularium, scilicet Philosophiæ, Mathematicæ, & artium liberalium Verùm sicùt pietatis gratia de Superiorum licentia; moderatè possunt Religiosi sæcularia tractare negotia; Ità Diuinæ scientiæ gratia licitum est Religiosis, cum Superiorum suorum beneplacito, vacare Logicæ, Philosophiæ naturali, & huiusmodi; vt scilicèt possint errores confutare, & diuinitatis mysteria intelligere, & hæc benè aduertant Religiosi, qui totum vitæ suæ tempus in scientijs sæcularibus consumunt.* Facit etiam ad hoc caput non ne vobis, dist. 37.

Gerson.

Dico tertiò, studijs librorum Gentilium, Poetarum, & Oratorum. *Se non tradre sed commodare* (vt loquitur Gersonius in epistola, cui titulus est. Quid, & qualiter studere debeat, &c. parte prima, operum Gersonij, pag. mihi 560.) *Et ea velùt peregrinando percurrere.* Est Religiosis maximè vtile. Ità dictus Gerson. loco cit. &

multis

multis id probat Roa, lib. 5. singul. locorum, à cap. 4.

Probatur primò, ex D. Basilio homil. de legendis libris Gentilium, vbi postquàm docuisset, Poetis, Oratoribus, & alijs quibusque vtendum. *Veluti plantis*, inquit, *Quibus propria virtus est fructu pulcherrimo scatere, folia nihilominùs ramis coniuncta quemdam formas ornatum; Sic & anima, cui præcellens quidem veritas fructus est, non ab re tali tamen exteriore sapientia circumdatur sicùt folijs quibusdam, vmbram fructui, ac aspectum non intempestiuum præbentibus. Dicitur enim. Et Moyses ille, cuius est in sapientia nomen apud omnes maximum, AEgyptiorum disciplinis mentem exercitatus, ità ad eius, qui est, contemplationem processisse: Similiter autèm, & in sequentibus temporibus, Danielem Babylone Chaldæorum sapientiam dicunt didicisse, tunc deniquè diuinas attigisse doctrinas.*

Greg. Naz. Probatur secundò, ex Gregorio Naz. in oratione facta in funere diui Basilij. *Illud*, inquit, *Inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona primarium locum tenere. Non de hac nostrate solùm, ac nobiliore loquor, quæ contempto omnis sermonis lepore, atquè ornamento, salutem vnam tantumque rerum, quæ ratione, atquè animo intelliguntur, pulchritudinem arctissimè complectitur, sed etiam de externa, quam plerique Christiani graui quodam iudicio, vt insidiosam, ac periculosam, & procùl à Deo auertentem repudiant*. Et paulò post. *Quamobrem non idcircò contemnenda est eruditio, quòd ità quibusdam videatur, quin potiùs insulsi, & præposteri habendi sunt, qui hoc existimant, omnesque sui similes esse optarent vt priuata eorum ignorantia communis ignorationis tenebris obtegatur, nec quisquam ipsorum inscitiam prodat, & coarguat.*

Roa. D. Amb. D. Hieron. D. Chry. D. August. Tertiò idem probat Roa ex Patribus, Ambrosio lib. 3. de fide, Hieronymo ad Galatas 3. Chrysostomo homil. tertia in epist. ad Titum, Augustino secundo de doctrina Christiana, cap. 18. vbi ait. *Historia plurimum nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.*

Antonin. Nauarr. Sebast. Medices. Tabiena. Reginald. Lambert. Dico quartò, Religiosi scholares ad studendũ deputati, qui sunt in studendo notabiliter negligentes, peccant omninò mortaliter. Ita Antoninus tertia parte, tit. 5. cap. 2. §. 11. Nauarrus in sum. cap. 25. nu. 59. versu tertiò peccat. Sebastianus Medices in sum. peccatorum, cap 30. num. 75. Nec negaret Tabiena, verbo interrogatio, num. 29. Reginaldus in praxi lib. 20. nu. 55. Lambertin. de Iure patron. lib. 2. p. 1. q. 9. art. 14. num. 6.

Probatur tùm quia occupant locum aliorum, qui diligentes in studijs essent; Tùm quia abutuntur commoditate illis data à Religione, quæ in alijs exercitijs eos occuparet. Tùm quia videntur contemnere scientias, quas edocentur, & sic sunt velut membrum Diaboli, vt dicitur cap. nullus Episcopus, dist. 38. Tùm quia iniuria afficiunt magistrum, cui est gloria ex doctrina Discipuli, Et labore pro illis in docendo passo abutuntur, qui illud Ouidij cogit. canere. *Verba miser frustra non proficientia perdo.*

Tiraquel. Dico quintò, seniores, vel à paruo, vel à longo tempore professi, non debent erubescere discere à Iunioribus. Habetur expressè in cap. Nullus, Episcopus, dist. 38. vbi dicitur. Ita Tiraquel. de iure primogen. in præfat. num. 203. *Nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis, à paruulis, vel Minimis eruditis, si quid fortè est vtilitatis, aut salutis, inquirere negligat.*

D. August. Et Augustinus ad Auxilium Episcopum, ep. 75. relatus cap. Si habes 24. q. 3. *En, ait, Adsum senex à Iuuene, nec dùm anniculo paratus sum discere.* Et cap. de Constantinopolitanæ, dist. 22. dicitur; *Stultus est, qui bona, quæ vides, discere contemnis. Et nulla ætas sera est ad discendum vsquè ad annum* 78. ff. de fideicommiss. lege, apùd Iulianum, vbi

Pompon. refert Pomponius Iurisconsultus dictum cuiusdam Sapientis; videlicèt, *Si vnum pedem haberem in tumulo, alterum extrà adhuc non pigeret aliquid addiscere.* Et Glossa Marginalis refert dictum Solonis gloriantis. *Senescere se, quotidiè aliquid addiscendo.*

Dico sextò, appetitus, seù studium cognoscendæ veritatis potest sex modis fieri vitiosus, licèt in se virtuosissimus sit. Primò si quis studeat, vt exindè superbiat, vt faciunt aliqui, qui disputantes de Cœlo, in Cœlo sibi habitare videntur, vel disputantes de Angelis, Angelos se esse existimant. Secundò si quis studeat ad peccandum,

Hiere. 9. iuxtà illud Hierem. 9. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt*, vt faciunt Hæretici. Tertiò si per studium minùs vtile, quis retrahatur à studio, quod ei de neces.

D. Hier. incumbit. Vndè Hieronymus ad Damasum de filio prodigo dicit. *Sacerdotes dimissis Euangelijs, & Prophetis, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuũ verba cantare.* Quartò, si quis studeat discere ab eo, à quo non licet, vt si à Dæmonibus aliqua futura perquirat. Quintò, si appetat cognoscere veritates circa Creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicèt ad cogni-

D. August. tionem Dei. Vndè Augustinus de vera Religione, cap. 29. dicit, *Quod in consideratione Creaturarum non est vana, & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus.* Sextò, si quis studeat cognoscere veritatem supra proprij ingenij facultatem. Vndè

Eccles. 3. dicitur Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Et posteà sequitur. *Multos enim supplantauit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.* Quod etiam faciunt Hære-

D. Thom. tici. Ita D. Thom. 2. 2. q. 167. art. 1. Vbi aduerte, quòd sicùt dictis modis fit appetitus cognoscendæ veritatis, seù studium, vitiosus, ità per oppositum sex modis fit virtuosus.

Dico septimò, Prelati debẽt suis Religiosis studẽtibus aliquas exemptiones cõcedere à cõmunibus exercitijs, & ab aliquibus horis Canonicis, exceptis diebus festis, & omnem studendi com-

Grassus. moditatem tribuere. Ità Grassius in append. ad suas decis. lib. 4. cap. 4. num. 18.

Probatur primò, ex cap. quia nonnullis, & cap. Super specula de magistris, quibus Capitibus cõceditur studentibus, vt possint esse exempti à residentia, & percipere fructus beneficij, & hoc vt commodiùs studijs possint incumbere.

Secundò. Probatur ex Decretis Clementis Octaui publicatis, & receptis in Capitulo Generali Genuæ 6. Ordinis Minimorũ, anno 1596. De quibus supra facta est pluries mentio, vbi habetur, quòd *Superiores cum studentibus, & studiorum causa occupatis possint dispensare, vt ab officio chori sint immunes.*

Quare debent etiam superiores studentibus aliquas licitas recreationes concedere, *vt suis interdum interponant gaudia curis:* immò recusantes ad eas cogere; verbi gratia, vt quandoq; extra Ciuitatem cum magistro proficiscantur: Quod certis diebus ludis aliquibus Religiosis, & honestis vacent. Hinc enim mens occupata, in studijs, quæ melancholiam passim gignunt, subleuatur, animus relaxatur, melancholia depellitur, lumen intellectus acuitur, & reiectis offuscationibus; quibus ex continuis occupationibus obumbrabatur, illustratur, Defatigatis enim quies maximi solet esse solatij. Corpus etiam exercitatur; vndè mali humores desiccantur, & indè ardentiùs studijs incumbitur.

Seneca. Vndè Seneca lib. de tranquillitate animi cap. 15. ait, *Danda est remissio animis, meliores, acrioresq; requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandum, citò enim exhauriet illos nunquàm intermissa fœcunditas, ita animorum impetus assiduus labor frangit. Vires recipient paulùm resoluti, & remissi: Nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quædam, & languor: nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, nisi naturalem quamdam voluptatem haberet lusus, iocusque; quorum tamen frequens vsus omne animis pondus, omnemque vim eripiet. Legum conditores festos instituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur; tamquàm necessarium laboribus interponentes temperamentum, Et magni viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant, quidam nullum non diem inter otium, & curā diuidebant; qualem Pollionem Asinium Oratorem magnum meminimus, quem nulla res vltrà decimam detinuit, ne epistolas quidem post eam horam legebat, ne quid nouæ curæ nasceretur: sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat. Quidam medio die interiunxerunt, & post meridianas horas aliquid leuioris operæ distulerunt.* Et supra ait. *Cum pueris Socrates ludere non erubescebat: Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum. Et Scipio triumphale illud, & militare corpus mouit ad numeros*, & infrà. *indulgendum est animo, dandumque subindè otium, quod alimenti, ac virium loco sit: Et in ambulationibus apertis vagandum, vt cœlo libero, & multo spiritu augeat, attollatque se animus.* Et paucis interpositis, *Aliquandò animus in exultationem, libertatemquè extrahendus, tristisque sobrietas remouenda paulispèr: Nam siuè Græco Poetæ* (Anacreonti) *credimus, aliquandò, & insanire iucundum est: siuè Platoni, Frustra poeticas fores compos sui pepulit: siuè Aristoteli, Nullum magnum ingenium sinè mixtura dementiæ fuit.* *Lipsius.* Et Dio relatus à Lipsio ad cap. 15. Senecæ de tranquilli. num. 318. *Remissiones*, aiebat, *præparamenta ad labores sunt, & arcus, & lyra, & homo vegetantur quiete.*

Dico octauò, studere diebus festiuis in honorem Dei, Sanctorum, si principaliter non fiat propter lucrum, sed ad illuminationem proprij ingenij, & aliorum, dummodò debitis horis, assistatur diuinis, peccatum non est, licèt accessoriè veniat lucrum. *Panorm.* Ità Panor. in cap. Omnes dies de ferijs, num 4.

Probatur, quia studere opus seruile non est, quod solùm prohibetur cap. Licet tàm de ferijs. Doctores tamen legentes principaliter propter *Panorm.* salarium à peccato non excusantur, vt Panorm. ait loco cit. Addens, licere tamen Doctori expedire forenses, qui consilium expectant, ne stet in hospitio cum magna impensa. Contzen tamen lib 4. polit. cap. 15. §. 1. in principio, dicit quod quamuis studeat quis lucri gratia dictis diebus non peccat, quia studium seruile opus non est, & lucri cupido honestum finem potest sortiri: nec Ecclesiastica lege lucrum, sed opus seruile vetatur.

Dico nonò, Lectioni sacrarum scripturarum, seù auditioni earum debent vacare omninò Religiosi omnes, tàm docti, quàm indocti, ab hoc enim exercitio nemo potest excusari. Qui intelligit, legat, & studeat, qui non, legentem, & declarantem audiat, & hoc propter vtilitates; quæ ex tali lectione, vel auscultatione legenti, vel auscultanti proueniunt; quas duodecim numerat Turrecremata in Regula S. Benedicti; tract. 41. *Prima est productio bonorum fructuum, 2. Inflammatio cælestiū desiderū, 3. Animatio, & Confirmatio debilium, & infirmorum contrà Dæmonum tentationes, virorum fortium exemplis, 4. Quia lectione, vel auditione cauentur Dæmonum insidiæ, 5. Valet ad cognitionem sui ipsius, 6. Valet ad conuersandum cum Deo 7. Ad animæ refectionem, 8. Ad salutaria remedia applicanda infirmitatibus, 9. Ad consolationem tribulatorum, 10. Ad viros animi replendos, ascendendas, 11. Ad necessaria in vita præsentis peregrinationis cognoscenda, & prudenter prosequenda, 12. Valet, vt diximus, ad carnalia desideria refrænanda.*

Vndè optimè Athanasius sermone quodam ad Monachos, *Sinè legendi studio, neminem ad Deum intentum videas.* Et Hieronymus ad Eustochium. *Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat.* Ambros. lib. 1. offic. cap. 20 *Ambros.* *Cur non illa tēpora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impēdas? Cur nō Christū reuisas? Christū alloquaris? Christū audias? illum alloquimur, cum oramus, illum audimus cum diuina legimus oracula.* Aug. ep. 143. *August.* ad Demetr. virg. *Ità scripturas sanctas lege, vt semper memineris, Dei illa verba esse, qui legē suam non solùm sciri, sed etiam impleri iubet*, & ibi *Optimè vteris lectione diuina, si eam sibi adhibeas speculi vice, vt ibi velùt ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæquè corrigat, vel pulcra plus ornet.*

Ex dictis colligitur, quòd subditus iussus à Prælato studere, & litteris incumbere, tenetur obedire. Cum studium bonum per se sit, & Religiosis omnibus apprimè vtile, & necessarium.

At inquint quandòque subditi. Doleo Capite, Angor distillationibus, laboro stomacho, capacitatem non habeo, ideò studere non possum. Sed hæ sunt puerorum nugæ, friuolæ excusationes, quæ nec dici, nec acceptari merentur. Cælium namquè Aurelianum legimus, in curando Capitis dolore, lectionem adhibuisse. Senecam verò ad refrænandas, quas patiebatur Capitis distillationes, eamdem in vsu habuisse, vt ipsemet scribit ep. 78. *Studia mihi nostra saluti fuerūt, philosophiæ acceptum fero, quòd surrexi, quòd conualui. Illi vitam debeo.* Et seniorem Plinium, iuniore testante, epistolarum lib. 9. in penultima, *Voce, & stomacho laborantem, claram lectionem in remedium adhibuisse scimus.* Vndè Seneca epistola 81. ait *Studia etiam saluti corporis prosunt, in remedium enim cedunt honestæ solatia, & quidquid animum erexerit, etiam corpori prodest.* Quò ad capacitatem verò, nullum tàm hebetem puto, qui aliqualis studij, & lectionis capax non sit, maximè si Choro destinatus existit.

Sed

Origenes. Sed tegit se incapacitate quandoquè desidia: *Pange*, Aiebat Origenes super Exodum, *& dabis lachrymas: Stringe mentem, & dabis intellectũ;* *Hugo de S. V.* *Tria sunt*, ait Hugo de S. Victore, lib. 3. didasc. capit. 7. *Necessaria studentibus. Natura, exercitium, disciplina. In Natura consideratur, vt facilè audita percipias, & percepta firmiter teneas. In Exercitio, vt labore. & sedulitate naturalem sensum excolas. In Disciplina, vt laudiliter viuens, mores cum scientia componat.*

Circà disciplinã in discẽdo refert dictus Hugo loco cit. cap. 13. dictũ cuiusdã sapiẽtis, qui interrogatus de modo, & forma discendi, Respondit *Mens humilis, studium quærendi* (idest Desiderium sciendi, ex quo procedit inuestigatio occultorum) *Vita quieta* (interiùs, & exteriùs) *Scrutinium tacitum* (Diligens perceptorum meditatio) *Paupertas* (Frugalitas in viuendo) *Terra aliena* (vbi quis in patria à studendo impediretur, vel studendi commoditatem non haberet. *Hæc reserare solent nonnulla obscura legenti.*

Tria sunt, ait dictus Hugo, lib. 5. didasc. cap. 5. *Quæ præcipuè studijs obesse solent: Negligentia, Imprudentia, Fortuna. Negligentia est, quando ea, quæ discenda sunt, vel prorsus prætermittimus, vel minùs studiosè discimus. Imprudentia est, Quandò congruum ordinem, & modum in his, quæ discimus, non seruamus. Fortuna est inuentum, casu sinè naturaliter contingente, Quandò vel paupertate, vel infirmitate, vel naturali tarditate, siuè etiam Doctorum raritate, quià, aut non inueniuntur qui doceant, aut qui bene doceant, à proposito retrahimur.*

Et notent discipuli, quòd ad hoc vt addiscant faciliùs, & breuiùs, debent magistris subijci. *Boetius.* Quoniam vt ait Boetius cap. 2. de scholarium disciplina. *Qui se non nouit subijci, non nescat se magistrari. Miserum est enim, eum fore magistrum, qui numquàm se nouit esse discipulum: Debet autèm discipuli subiectio in tribus consistere, scilicèt in attentione, beneuolentia, & docilitate: Attentus, inquam, exercitio, docilis ingenio, beneuolus animo. Attentus, inquam, ad audiendum, docilis ad intelligendum, beneuolus ad retinendum.*

Vbi notandum, quòd tria hæc, Attentio, Beneuolentia, atquè docilitas discipulum maximè magistro, atq; doctrinæ submittunt, maius tamen horum est amor addiscendi, quo corda erudiendorum ad doctrinam cognoscendam fortiùs alliciuntur. Et hic amor ex tribus constare dicitur. Primò ex magistri cordiali dilectione; Dilectione enim intima erudientis, audita credibiliora redduntur in recipiente. Et hæc dilectio sita est in timore, & reuerentia ergà magistrum. *Hebræos 12.* Vndè D. Paulus ad Hebræos, 12. ait, *Patres carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos*, *Basilius.* idest reuerenter timebamus. Et Basilius in psal. 33. ait, *Discipulus filius Spiritualis est præceptoris; Qui enim ab aliquo informationem pietatis accipit, is velut efformatur ab ipso, & ad substantiam venit, quemadmodum à prægnante infantes.* Idque probat tùm ex verbis psalmographi: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Tùm ex illis *Galat. 4.* Apostoli ad Galatas 4. *Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis.* Atquè ità sicut carnales Patres eos timere reuerenter *Cato.* debemus. Vndè Cato aiebat, *Magistrum metue.* Secundò Hic amor confirmatur ex adeptione fructus, quem quotidie recipere sentit se discipulus, ex quo ad disciplinam allicitur; Fructus autem Sapientiæ est donum Dei, vt Augustinus *August.* ait 12. de Ciuit. Dei, cui nihil occurrit præferendum, & nullo pretio potest comparari. De qua Tullius lib. 2. offic. *Quid enim post Deos optabilius? Quid præstantius? Quid melius? Quid omnino dignius sapientia?* *Tullius.* Tertiò iste amor stabilitur ex naturali appetitu scientias addiscendi; De quo dicit Aristoteles 1. metaphys. *Quòd omnis homo natura scire desiderat:* Tunc itaquè proficit discipulus; cum attentè aduertit, audita dociliter intelligit, atquè intellecta beneuolè scrutinio cordis recommendat. Et capite 4. Paulò post principium, ait idem Boetius, *Felicisquè discipuli discretio magistratui gaudeat subijci, eumquè metuendo diligat, diuesq; existat. Nec ei sub pictura dilectionis obtutu Albinus existat detrahendo. Væ magistratus detractori*, Idest gaudeat fœlix, & discretus discipulus magistro suo subijci, & diligat eum metuendo, sitquè ei fidelis, tàm verbo, quàm opere, nequè detrahat ei sub aspectu fictæ dilectionis; nequè, *Ei existat Albinus*, Idest Albini mores non sequatur, qui nefando scelere magistro suo manus violentas iniecit, eo quia *Ad primam aeris impressionem, nequiuit totam constitutionem comprehendere*, Vt ipsemet Boetius dixit cap. 2. idest quia non potuit *Boetius.* comprehendere totam lectionem ad primam Magistri sui Grilli pronunciationem. Signum maximæ ingratitudinis est magistro detrahere, eiquè non per omnia debitum honorem deferre; *Nàm Dijs, Parentibus, Magistris numquàm possumus reddere æquale*, Vt ex Aristotele 9. ethic. *Aristo.* refertur.

Quatuor autem conditiones debet habere Magister, vt à discipulis ametur, & reuerenter timeatur. Primò debet esse scientia illustratus, vndè Ecclesiastici 18. dicitur, *Antequàm loquaris* *Eccles.* *disce*, idest antequã loquaris docẽdo, disce priùs audiendo. Secundo debet esse humilis, benignus facilis, affabilis. Vndè Gregorius relatus d. 46. *Gregorius.* cap. *Hoc habet*; dicit *Hoc habet Proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant inferre, quod docent, & recta, quæ sapiunt, rectè ministrare non possint.* Tertiò debet esse probus, ac rectus, vndè Seneca epistola 6. *Homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt. Et longum iter est per præcepta breue, & efficax per exempla*,

Vndè versus.

Non satis est Domini præcepta euoluere lingua.
Is meminit legis, qui memor est operis.

Et Lactantius lib de falsa sapientia. *Turpe est,* *Lactãtius.* ait, *Ad Philosophiam pergere: & Philosophiæ opera non agere*, Quartò debet magister esse practicus, & expertus, vt sciat modum, & methodum facilè tradendi doctrinam, quam docet, captui scholarium se accomodare, vndè Palladius relatus ab Expositore Boetij de discipl. scol. cap. 6. lib. 1. de agricultura aiebat. *Pars prima prudentia est, vt consideres personam eius, cui præcepturus es, nàm stultum est rusticos peritissimorum virorum alloqui stylo.* Vt ergò quis benè doceat, expedit, vt modum audienti vtilem exquirat, eiusquè capacitatem, ætatem, & sensum concernat, nec extruere incipiat artes, sed priùs mutuet partes. Hincquè sumptum est vulgare illud.

Artes post partes veteres didicere magistri.

Debet deniquè magister esse talis, qualis describitur à Boetio loco cit. cap. 6. *Sit in sermone*

verax, in iudicio iustus, in consiliis prouidus, & in commisso fidelis, constans in vultu, pius in affatu, virtutibus insignitus, benitateque laudabilis existat, conuersatione etiam sit bonus. Nulla siquidem res est magis perniciosa discipulo vita magistri contumeliosa. Infusa enim vidimus sæpissimè confundi ex fætido vase, quia fætidū vas aquas infusas corrūpit. Et paucis interpositis ait, *Tenetur quoquè Doctor eruditus esse, mansuetus, rigidus, antiquus non annis, non negligens, nec arrogans.* Quæ declarans ait, *Sit, inquam, eruditus, prius enim oportet, vt discat, quàm doceat. Mansuetus, quoniam quandoquè discipulorum elationem pati opportunum est, Rigidus, in scelerium enim amplexu rigore fruē (vti) commodissimum est, vt sic errantibus vindictam imponat. Sophistarum lites dissoluat, oblatrantes atquè remordeat, obloquentesquè reprimat, proteruientes castiget, Sit antiquus verè, non annis, sed perpetua scientia; Si verè vtrumque adfuerit, sanior conditio erit. Non negligens, quoniam sicut in vnoquoque opere diligentia materinuenitur constantia, ità vniuersæ doctrinæ, & disciplinæ nouerca est negligentia. Non sit arrogans, quoniam vinax pauperum scintillula* (amor sciendi) *extinguitur magistrantis* (magistri) *arrogantia, voluntas discendi à diuitibus sequestratur* (separatur) *quoniam arrogantis magistri sedulitas numquàm fideliter hominem instruxit.*

Studeant ergò Religiosi omnes pro suo captu quisq; Et studeant, dùm sunt iuuenes; nàm cum corpore canescit ingenium, & habescit, nisi

Tibullus. exerceatur memoria, vndè Tibullus.

> *At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,*
> *Vtere, non tarde labitur illa pede.*

Ouidius. Et senes apud Ouidium 4. de Ponto canunt.

> *Da veniam fasso, studijs quoquè frena remisi;*
> *Ducitur, & digitis littera rara meis.*
> *Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,*
> *Qui prius in nobis esse solebat, abest.*

§. Vnicus. *Quibusnàm libris studere debeat studiosus Subditus.*



HVNC paragraphum non nisi coactè valdè aggessi. Difficillimum est enim, præsertim mihi homunculo ineptissimo, non dicam de aliorum doctrinis iudicium ferre, sed de fructibus etiam ex eijsdemmet doctrinis colligendis; *Nam cum trahat sua quemquè voluptas,* iuxtà affectionem, quam ad libros habemus, eos fructuosos, vel minùs, seù inutiles iudicamus. At postulantibus subditis nostris id negare non potui.

Dico igitur primò, in ea esse me opinione, vt credam, nullum librum esse tàm infimæ notæ, ex quo benè affectus, & studiosus lector fructū aliquem, si non centuplum, saltèm decuplum, vel etiam vnicum capere non possit; Quod etiam

Plinius. consuit Plinius senior, Iuniore testante in dedicatoria ad Marcum suum his verbis. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, vt non aliqua ex parte prodesset. Puto enim, immò firmiter credo, Doctores scribentes, & typis sua scripta mandantes, omnem diligentiam adhibere, vt eorum libri doctrina, de qua tractant, vberiori sint referti, mundatam namquè farinā ex sua molestrina omnes progredi exoptant, & vt talis exeat, omnem adhibent diligētiam, iuxtà talentum sibi ab vniuersali Domino concreditum. Quòd autem aliqui magis accepti sint, quàm alij, fortunæ quandoque potiùs, quàm arti tribuendum est. Vndè ego semper admonui Religiosos, vt studerent, & legerent libros quoscumque iuxtà propriam affectionem (modò à Religiosis institutis libri penitùs non aberrarēt). Legat itaq; Subditus noster libros illos, ex quibus sibi plùs, vel deuotionis, vel scientiæ, siuè etiam honestæ recreationis nouerit prouenire.

Et ad hoc propositum bene dicit Gerson. 1. p. suorum operum in opusc. qui libri legendi sunt religioso pag. mihi 570. liber omnis, inquit, sit historicus, sit moralis, sit allegoricus, sit anagogicus, in quo plus repetiet ad deuotionem se moueri, legatur. *Gerson.*

Dico secundò, studendum est inprimis libris antiquioribus, & à multis sæculis probatis, à Sāctissimis, & expertissimis, seù consummatissimis viris compositis; Tùm quia fontes ipsi sunt, vndè riuuli recentiorum librorum promanarūt; Tùm quia illorum auctoritas magni fit ab omnibus. Tùm quia sic nos docuerunt doctissimi viri, inter quos Buridanus (apùd Gersonem, prima parte suorum operum, in epistola, cui titulus est. Quid, & qualiter studere debeat nouus Theologiæ auditor, pag. mihi 557.) In proœmio egregij illius operis, quod scripsit super Ethica. Vbi fatetur, *Se nouis rationibus nequaquam adhæsurū, quantumcumquè apparentibus, quia ab illis plures decepti est, Ex antiquorum autèm dictis nunquàm, præsertim in moralibus.* Propterquòd etiàm dicit Aristoteles 8 Ethic. cap. 11. *Quarè peritorum hominum, & seniorum, seù prudentium pronunciationibus, & opinionibus absquè demonstratione, nō minùs, quàm demonstrationibus attendendū est. Quia namq; ex ipsa experientia visum habēt, principia intuētur.* *Buridan. Gerson. Aristot.*

Dico tertiò, scholares, seù iuniores, vel minùs docti, vnius doctoris eruditione contentos esse debere, nec ipsis legēdi sūt alij libri, præterscripta sibi à magistris dictata, seù legēdi sunt libri de magistri sciētia, & cōsilio. Inexperti enim in scientijs, nesciūt discernere, quid bonū, quidvè malum. Et cum *discentem credere oporteat:* Si reperierint in libris aliquid, quod ipsis fuerat à magistro dictatum, vel contrà quod fuit dictatū, ex hoc eam fidem in posterū sui Doctoris dictis nō habent, quā tenentur. Et sic nescientes fiunt, dùm maximè scientes fieri præsumūt, Vndè doctissimus Pythagoras suos discipulos docuit per septenniū, quærentibus suorū dictorū rationē, nihil aliud respōdere, quàm, *Magister dixit.* Et de diuo Tho. refert Gersonius 1. p. suorū operū, epistola, in qua laudat D. Bonauēturæ doctrinā, pag. mihi 554. Quòd dū inquireretur ab eo, quis esset optimus modus studendi Theologiam. Respondit. *Exercere se in vno doctore.* Et notum est illud. *Libera me Deus à doctore vnius libri.* Audiamus, quid ad hoc propositum dicat Seneca ep. 45. *Non refert quam multos, sed quàm bonos habeas libros; Lectio certa prodest, varia delectat. Qui quò destinauit peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur; Non ire istud, sed errare est.* Et lib. de Trāquillitate, cap. 9. *Onerat discentem turba, non instruit, multòq; satiùs est paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos.* Sed vberiùs, & ex professo hoc, quod intendimus docet ipse Seneca ep. 2. *Gerson. Seneca. Seneca.*

Certis,

Ceris, ait, *ingenijs immorari, & innutriri oportet. Si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbiquè est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est ijs, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, & properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus amittitur. Nihil æquè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur. Non conualescit planta, quæ sæpè transfertur. Nihil tàm vtile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum multitudo librorum. Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vbi varia sunt, & diuersa, inquinant, non alunt.* Tandèm notent hic scholares vnam Hugonis sententiam lib. 3. discal. cap. 3. vbi postquàm retulit factum illud Pythagoræ discipulorum, subiungit. *Hinc profectò accidit, eo tempore tot fuisse sapientes, vt plura ipsi scriberent, quàm nos legere possimus. Scholastici autèm nostri aut nesciunt, aut nolunt modum congruum in discendo seruare: & idcircò multos studentes paucos sapientes inuenimus.*

Hugo.

Dico quartò prouectiores, & qui docendi alios habent curam, seù scriptores multos habere libros necesse est; Tùm ad suas opiniones corroborandas, Tùm ad alienas confutandas. In tripilci autèm differentia sunt libri, quos isti debent habere, vt Gersonius ait epistola, cui titulus est. Quid, & qualiter studere debeat, &c. pag. mihi 557. vbi ait, *Quosdam in transitu raptim videamus, quasi eos non penitùs ignorasse satis sit, vt eis fiat vale perpetuum. Alijs verò per vices vtamur, pro vt sit necessitas dederit, vel delectationis congruitas. At verò quosdam familiares nobis aduocemus, & tamquàm domesticos fidelissimos, intrà mentis nostræ cubicula, inter secreta, quotidianaquè colloquia iugiter collocemus.*

Gerson.

Dico quintò; Disputatio, quæ mentis aciem acuit, veritatem patefacit, intellectum illuminat, mentis tenebras pellit, vires adauget, animositatem tribuit, audacem reddit, non debet esse proterua, non contentiosa, non amara, non mordax, non superba, non clamorosa, non petulcaci animositate tumultuans, sed modesta, sed dulcis, sed lenis, sed affabilis, qualem esse decet veritatis inquisitionem: quæ acuet, & excitet ingenium, quæ ad studium inflammet, quæ stabiliat quoquè veritatis positionem, falsitatis oppositione patefacta. Canes latrantes communiter non mordent. Qui multùm amplexat, parùm stringit. Argumentum verbosum, minùs neruosum. Rationis defectus lingua supplet; Et vitium intolerabile est, quod nequit vi argumentationis obtineri, id contendere stridoribus. Et deniquè *verba virtutem non addunt*, vt aiebat Salustius in Catilinam.

Sed quibus libris studendum? Quandò cogor, Audacter dicam. Philosophis Aristotelem propono cum commento D. Thomæ, cuius philosophia licèt aliquibus difficilis videatur, est tamē D. Thomæ, qui clarus, & facilis est in omnibus, si attentè legatur. Theologis Scholasticis vnum D. Thomam, cuius doctrina verè Angelica, quiq; mihi semper visus est sibi sufficere; Licèt aliqui dùm declarare conantur, eum magis obscurent; Et meliorem doctrinam quærētes Angelica, panem quærunt meliorem triticeo, Prædicatoribus, & Scripturalibus propono versus Syxti Senensi in libro de arte interpretandi scripturas in fine.

Historiam Hebræis, & Græcis fontibus haustam,
Hieronymo disces duce.
Allegorias, Anagogenquè recludent
Origenes, Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus, Gregorius.
Indubijs, alijsquè locis caligine mersis.
Aurelius lucem feret.
At breuis, & facilis non est spernenda Tyrenti
Lyrensis expositio.

Confessarijs Syluestrum, Nauarrum, & Alphonsum de Vega. Talis est mea sententia, quæ spernenda ijs, qui alijs Doctoribus se magis proficere sentiunt; in hoc enim multùm refert affectio, & naturalis inclinatio.

CAP. XXXI.

Quomodò se gerat Subditus in Prælatorum electionibus.

D. Thom. Panorm. Innocent. Hostiensis Syl. Armilla. Tab. Angelica. Rosella. Pisanella. Caiet. Miranda. Reginald. Azor. Rodriq. Vasquez. Salon. Valen. Vega. Sotus. Nauar. Ledesma. Cæsarub. à Sorbo. Anton. Graffius. Zerola. M. Anto. Cucchus. Sa. Angles. Passarell. Aragon. Molfesius.



PRO hoc cap. videatur D. Thom. 2.2. quæst. 63. art. 2. ad tertium, & q. 185. art. 3. & quodlib. 5. art. 12. & quodlib. 6. art. 9. & quodlib 8. art. 9. Panorm. Innoc. & alij Canonistæ toto tit. de elect. Hostiensis libro 1. summ. toto tit. de elect. Sylu. Armilla, Tablena, Angelica, Rosella, Pisanella, & alij summistæ, verbo Electio Caiet. ad locum citatum ex sum. D. Thom. Miranda Manual. Prælat. tom. 2. q. 23. Reginaldus in praxi, lib. 30. tract. 3. à nu. 191. Azor tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 24. & 25. Rodriq. tom. 2. q. regul. q. 51. 52. & in sum. p. 1. à cap. 101. vsq; ad 108. Vasq. in opusc. opusc. de benef. cap. 2. § 3 à dub 1. vsque ad 10. Salon 2. 2. q. 63. art. 2 controu 3. Val. tom 3. disp. 5. q. 7. p. 2 dub. 2. & 3. Vega 1. p. sum. cap. 97. Sotus lib. 3. de Iust. q 6. art. 2. Nauar. lib. 1. consil. de elect. per multa, Ledesma 2. p. sum. tract. 7. conclus. 4. per multa. Cæsarub. in compend. verbo electio, vbi à Sorbo, Antoninus 3. p. tit. 19. cap. 2. Graff. in append. ad suas decis. lib. 4. cap. 2. & tom. 2. consil. lib. 1. de elect. per multa, Zerola in praxi, verbo electio, Marcus Antonius Cucchus instit. iur. Canon. lib. 1. tit. 7. Sa in aphorismis, verbo electio. Angles in floribus, p. 2. q. de Clericis restitutioni obnoxijs, dificul. 4. pag. mihi 191. Passarellus in scholijs ex Auenion. n. 2. per multa Aragon. 2. 2. q. 63. art. 2. Molfesius tom. 1. sum. tract. 6. cap. 6 7. & præsertim, cap. 16.

Noto primò, quòd electio est alicuius personæ ad dignitatē vocatio; & est triplex, scrutinij compromissi, & communis inspirationis; Forma electionis faciēdæ per scrutiniū (nàm de alijs cū nō sint apùd Regulares, præsertim apùd nos Minimos ferè in vsu, nō ago) habetur in iure cap. quia propter de elect. (in quo etiā habētur aliæ aliarū electionū) his verbis, *Statuimus, vt cū electio fuerit celebrāda præsentibus omnibus, qui debēt, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorū diligēter exquirāt, et in scriptis redacta mox publicēt in cōmuni, nullo prorsùs appellationis obstaculo interiecto, vt is collatione habita, eligatur, in quē omnes, vel maior, & sanior, pars Capituli consensit.*

 Quæ

Sylu. Miranda, Panorm. Sylu. Tabiena. Angelus, Rosella.

Quæ forma habet locum in omnibus electionibus, tàm Episcoporum, quam Generalium, Prouincialium, &c. vt dicit Sylu. verbo Electio 1. q.1. & Mir. tom.1. manualis, q.23 art.3.

Noto secundò, ex Panor. in d. cap. Quia propter, à num.12. Sylu electio 1.q.10. nu.12. Tab. eodem primo, num.19. Angelo num.26. Rosella num. 13. Quod multa sunt de substantia Canonicæ electionis, quorum vel omniũ, vel aliquorum, vel singulorum omissio electioné omninò irritat, & colliguntur ex præcitato cap. Quia propter. Primum, quòd omnes, qui debent, possunt, & volunt interesse, congregentur simùl in locum vnum ad hoc destinatum: Non enim sufficit consensus eligentium simpliciter præstitus; vt si quilibet consentiret in sua camera; sed oportet, quòd collegialiter consentiant. Secundum, quòd ab iis sic congregatis assumantur tres scrutatores, qui omnium vota habeant perscrutari: quique debent esse de collegio; si verò in Collegio essent pauci electores, tunc sufficerent duo. Tertium, quòd illi tres scrutatores exquirant vota singulorum in secreto, vt quilibet possit liberiùs votum suum dicere. Quartũ, quòd ista inquisitio fiat singillatim; nõ enim bini, vel trini sunt vocandi. Quintum, quòd vota omnium exquirantur; quia si vnus, qui Collegio adesset, propter contemptum omitteretur, ita vt suum votum non proferret, electio non valeret; secùs autèm si esset absens; nam, vt dicam, vocatio absentium non est de substantia electionis, sed de iustitia, & ideò electionem ipso facto nõ irritat; Potest tamen irritam reddere, si non vocatus suam prosequatur iniuriam. Sextum, quòd scribant, vel per se ipsos, vel per tabellionem vota omnium. Septimum quòd mox postquàm fuerint omnium vota in scriptis redacta, publicentur in communi, scilicèt capitulo (*mox*) idest in continenti, nullo actu contrario interiecto. Octauum, quòd facta publicatione votorum, fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum; quæ tamen collatio omittitur, quandò omnes vnum eligunt, vt notat Sylu. secùs autèm si non omnes vnum, sed plures. Nonum, quòd facta collatione fiat communis electio per vnum de Collegio ab ipso ad id destinatum, nomine Capituli, & per verba singularis numeri, hoc pacto. *Ego Frater N. nomine meo, vel vice mea, & omnium electorum præsentiũ, qui mecum consenserunt, eligo in Generalẽ V. F. N. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Si verò ille, qui format communem electionem, in ea non consensit, dicat, *Nomine omnium vestrum, qui in illum consensistis.* Quam communẽ electionem esse omninò de substantia electionis, probat optimis rationibus Panor. cap. in Genesi, nu.3.10. quòd electio fiat de eo, in quem maior, & sanior pars Capituli consensit. Sanior autèm communiter dicitur, quæ maior, vt notat Tab. 11. quòd d. electio solemniter, & publicè denuncietur, idest in Capitulo 12. quòd seruetur omnium prædictorum ordo successiuè, sicùt numerata sunt, aliter si præposteretur, nihil valet.

Panorm.

Tab.

Noto tertiò, quòd præter dicta, ad substantiam electionis pertinet etiam libertas, qua sublata, tollitur omninò electio; vt habetur cap. Periculum §. Cæterùm, de electione in 6. vbi dicitur, quòd *cessat electio, vbi adimitur libertas eligendi*, estquè tanti ponderis libertas in electionibus, vt nulla consuetudine introduci possit contrarium, vt habet Sylu. verbo Electio 1. num. 26. quæst. 23. Ratio est, quia eligere est vnum ex pluribus voluntarie capere, atquè ita sentiunt communiter omnes Panorm. in cap. Licet de vitanda, de elect. num. 13. Tab. verbo Electio 1. nu. 23. Hoc tamen intellige, quandò electores compellerentur eligere certam personam; secùs si compellerentur eligere aliquem de certo genere personarum. vt Panorm. & Tab. loco cit. quia hoc pacto non adimitur libertas, sed restringitur. Vndè non esset contra libertatem electionis, si Generalis verbi gratia mandaret, vt mortuo aliquo Prælato, priusquàm electores ad electionẽ venirent, ipsum certiorem facerent, quò dictos electores ad virum probum eligendum posset hortari. Colligitur ex Panorm. in cap. Cum Monasterium, de elect. num. 3.

Sylu. Panorm. Tab. Panorm. Tab. Panorm.

Noto quarto, quòd preter ea, quæ diximus esse de substantia electionis, sunt etiam aliqua de solemnitate illius. Primum, Tractatus de elect. Panor. in cap. cum in veteri, de elect. n. 11. Secundum, Præfixio diei non est de substantia, sed de iustitia, Panorm. in cap. Quia propter, de elect. num. 16. Tertium, quòd scrutatores sint fide digni, Panorm. ibi, quartum locus non est de substantia, sed de honestate, & iustitia; nisi aliter habeat consuetudo Panorm. ibi, & cap. cum Monasterium, eodem tit. num. 4. Si fieret tamen in Camera, & per occulta conuenticula, censeretur Clamdestina, & ideò esset cassanda. Sylu. electio primo, q. 8. num. 9. Angelus n. 11. Azor tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 14. q. 17. Quintum, quòd in casu mortis Prælati non fiat electio antè sepulturam defuncti, Panorm. in cap. quia propter cit. Sextum, quòd vocentur absentes, Glossa in cap. nulli, de elect. in 6. Tabiena verbo Electio, num. 19. Septimum, decretum, seù scriptum in quo contineatur, quid sit actum in electione à principio vsq; ad finem, non est de substantia: fit enim solùm ad faciendam fidem, formam seruandam, fuisse seruatam: & vt electores negare non possint. Panor. in cap. Innotuit, de elect. num. 16. Antonin. 3. parte, tit. 19. cap. 2. §. 10. Sylu. verbo Electio 1. q. 18. num. 21. Vndè quandò superior, ad quem pertinet confirmare, est præsens, sufficit quòd verbo per vnũ eligentium recitentur ei gesta in electione. Octauum, Inuocatio Spiritus Sancti, & Missa de Spiritu Sancto non sunt de substantia, vt eidem Panorm. in cap. Transmissam, eodem tit. num. 3. Aduerte itaq; differentiam inter ea, quæ sunt de substantia electionis, & ea, quæ sunt de solemnitate, quòd illa irritant ipso facto, & nullam reddunt electionem, vt ait Sylu. verbo Electio 2. q. 10. num. 13. Hæc autèm non annullant ipso facto, sed reddunt annullandam, si fiat oppositio; vt notat Passarellus in Scholijs ex Aueniopensi, num. 2.

Panorm. Panorm. Sylu. Angelus. Azor. Panorm. Glossa. Tabiena. Panor. Antonin. Sylu. Sylu. Passarell.

Noto quinto, ex dictis patere difficultatem huius electionis per scrutinium, vt notat Panor. in cap. quia propter, & Sylu. loco cit. & etiam Periculum, quod imminet Religiosis illis, qui simùl viuunt; quandò enim scrutatores vident, aliquem non dare votum, vt ipsi prætendebant, concipiunt erga eum malam voluntatem, & sæpissimè odia, ex quibus rumores, rixæ, contentiones, & vt plurimùm eligentes his ductis respecti-

Panorm. Sylu.

pectibus, non eligunt secundùm iudicium conscientiæ suæ. Quod aduertentes Patres Capitulares Ord. Minim. In Capitulo Val. 4. num. 25. *Consulentes electionum libertati, & aliquorum pusillanimitati: attendentes etiam ad cap. sextum Concilij Trid. Sess. 25. de regul. Quod omnino requirit* Trid. *Secretum ad electionem, statuerunt vt singuli electores accipiãt tres, vel ad minùs duas schedulas de manu scribæ, cum inscriptione nominum trium, vel duorum diuersorum Patrum, quos eligens voluerit tantùm absquè nomine eligentis. Hoc pacto videlicèt. Frater N. eligatur ad tale officium, vnamquè ex schedulis illis inscriptam nomine illius, quem eligens voluerit eligere, inuolutam, seù clausam reponat cum aliorum eligentium votis in vrnam, aut Capsulam, quæ coràm omnibus stabit, alijs schedulis palam fractis, nihil aliud, tàm ipse Scriba, quàm quiuis respicientes, nisi quod vna tantùm ab vno dimittatur. Quibus omnibus à singulis electoribus sigillatim dimissis, scriba cum duobus scrutatoribus, ad id designatis à Capitulo, palàm accepta vrna, seù Capsula, singulas schedulas à singulis electoribus inuolutas ibidem dimissas, in commune effundat: & antequàm ipsas aperiat, numeret, & ad numerum vocalium conferat, & si æquales numero non sint, statim eas comburat, seu palam totaliter laceret, & iterum alias schedulas modo prædicto singuli faciant; verùm cum eas cum vocalium numero conuenire inuenies, aperiat, & nomina publicet eorum, qui fuerunt electi, exprimens numerum votorum, quem vnusquisq; habuit; vbi si quis aliquem, vel aliquos coelectos vnica super eminenti voce supra medietatem omnium Capitulantium ibi existentium superauerit, eius electio rata, & legitima habeatur.* Quę forma in ordine nostro est omninò seruanda, irritantur enim ibi omnes electiones præter ipsam factæ.

Noto sextò, quòd prædicta forma, quæ obseruatur inuiolabiliter in nostro ordine, est valdè conformis formæ scrutinij positæ cap. quia propter: Nàm primò electio fit ab omnibus in vnum collectis. secundò eliguntur tres scrutatores de corpore capituli, quorum vnus fungitur officio scribæ. Circà tertium verum quidem est, quòd dicti scrutatores non scrutantur vota singulorũ, sed id fecerunt Patres. Tùm ad consulendum aliquorum pusillanimitati: Tùm ad seruandum illud secretum, quod omninò requisit Trid. per quod videtur sublata illa exquisitio per tres scrutatores, vt notat Miranda tom. 2. manual. q. 23. art. 29. ver. 7. Addo, quòd Glosa d. cap. quia propter, verbo Sanior. ait, Hunc numerum scrutatorum non esse de substantia: dummodò tales sint Inquisitores, quòd fraus fieri non possit; & Patres nostri ordinis in capitulo Parisiensi, n. 5. confisi de fidelitate scribæ, qui statim electus, eã capitulo promittit, deliberauerunt, ipsum solum ad audiendum eligentium vota sufficere. Quartò ista inquisitio fit sigillatim; vnusque enim solus accedit ad scribam, & facit sibi scribere duo, vel tria nomina, quorum vnum proijcit in vrnam, alterum dilaniat. Vbi est aduertendum, quòd quandò aliqui ex electoribus vnam schedulam tantùm recipiunt, seù plures vnico nomine scriptas, vnam quarum, reponunt in capsulam, ità vt nomen electi sit notum scribæ, electio illa est omninò nulla; tùm quia est contrà formam Concilij Tridentini cum non sit secreta; tùm quia in ordine nostro est contra formam, quæ debet omninò seruari. Vndè puto, scribam peccare omninò mortaliter; tùm cõtrà fidelitatem promissam capitulo; tùm contra decretum concilij in re graui: & sic electum non esse in cõscientia securum (si illi de huiusmodi nullitate constet) sed debere, vel renũciare, vel confirmationẽ petere á sanctissimo. Puto etiam, quòd mortaliter peccent sic eligentes; quia contrafaciũt decretia Concilij, & sui ordinis in re tàm graui. Quod idem etiam dicendum est, quandò electores accipiũt duas schedulas quidem, sed eo modo vnã scindunt, & alteram reponunt in capsulam; vt tamen, data opera, scribæ innotescat, quamnã reposuerint ad eligendum, & quamnam lacerauerint ad reprobandum. Quod diligenter deberẽt aduertere tùm scribæ, tùm electores. Quod etiam dicitur iuisse determinatum á congregatione concilij, 5. omnes, qui intersunt capitulo dant suum votum. Sextò, Omnium vota scribuntur per scribam communiter electum. Septimò, Scrutinio facto, publicantur vota in capitulo: intellige in electione Prouincialium, & Generalium; nàm in electione correctoris localis vota numquàm publicantur, sed inuoluta, & clausa mittuntur ad Capitulum Definitorium, inquo deinde aperiuntur. Octauò fit collatio numeri ad numerum tãtummodo propter quietem electionis. Quod etiam habent Fratres Prędicatores, vt notat Tab. verbo Electio 1. num. 19. per priuilegium cuiusdam Pontificis, quem non nominat; eo tamen certum est gaudere omnes participantes. Vbi aduerte, quod si omnes in vnum conueniant, adhuc est facienda collatio, non de numero, sed de electoribus. Vtrùm scilicet quis sit contemptus, vel aliquis adfuerit, cuius votum non sit computatum, quod benè notat Pisanella verbo Electio primo, § Collatio. Quæ collatio in ordine nostro nunquam omittitur, vt videri potest in forma præfata. Itaquè duplex potest constitui collatio, vna quò ad electos, alia quò ad eligentes. Prima, si Electores in vnum conueniant, non est necessaria. Secũda semper. Nonò facta collatione fit per scribam communis electio, quod obseruatum vidi in capitulis Generalibus, & deberet omninò seruari etiam in Prouincialibus, tùm propter obseruantiam Canonis, quia propter; tùm quia singulares consensus ad electionem non valent, etiamsi vnanimes sint, vt dicitur cap. in Genesi de elect. vbi assignatur etiam Ratio, *Quia*, inquit Papa, *Ex propositionibus singularibus licet veris, non apparet propositio vniuersalis, nisi exprimatur per signũ vniuersale.* Hostiensis lib. 1. sum. tit. de elect. n. 4. pag. mihi 99. reddit aliam rationem dicẽs. *Quod cum Spiritus Sanctus descenderit super congregatos in vnum, & Communitas pariat vnitatem, singularitas vero diuisionem, debet esse electio potius communis, quàm singularis; cum debeat fieri inuocata Spiritus Sancti gratia.* Si autèm ipse scriba, ad quem de cõsuetudine in ordine nostro pertinet facere communẽ istam electionem, eligeretur in Prælatum, tunc alteri de capitulo, id esset committendum, quod obseruant Fratres Prædicatores, vt docet Festus in sum, const. parte tertia, cap. 24. versus finem. Nam nemo se ipsum potest eligere, vt dicitur cap. per nostras, de iur. patron. & habent Rosella verbo electio 1. num. 31. & Miranda tom. 1. manualis, q. 23. art. 39. Decimò, electio fit de eo, in quem maior, & sanior pars consensit; semper autèm dicitur sanior, quandò

est ma-

Tab.

Pisanella.

Rosella.
Miranda.

est maior. Vndecimo, his omnibus peractis, electio publicatur, & denunciatur, & tandem omnium istorum ordo, sicut numerata sunt, seruatur. Vndè apparet, quòd optima est ista nostra forma, vtpote in omnibus, & per omnia conformis sacris canonibus.

Tab. Pisanella. Sylu. Angelus. Antonin. Azor. Miranda.

Noto septimò ex Tab. verbo electio, 1. nu. 16. Pisanella ibi, §. quis non potest, Sylu. num. 16. q. 14. Angelo num. 53. Antonin. 3. p. tit. 19. cap. 2. §. 6. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 14. q. 9. Mir. tom. 2. Manual. q. 53. art. 11. conclus. 5. Quòd multa sunt impedimenta Canonica, quibus ligatus incapax est electionis, seù vt eligatur, & ad octo capita reducuntur. Primum, si sit notoriè malus, & malæ vitæ. Vndè D. Thom. quodlib. 8. art. 6. ait, quòd per quodlibet peccatum mortale, aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum. Hoc tamen caput non irritat ipso facto electionem, sed facit irritandam vt habet Sylu. loco cit. immò si sit paratus Corrigi, potest confirmari, vt Tab. loco cit. num. 17. Secundum si sit excommunicatus excommunicatione maiori, habetur expressè cap. constitutis, el primo de appell. Tertium si sit excommunicatus excommunicatione minori, habetur in cap. Si celebrat, de Clerico excommunicato ministrāte; hoc tamen casu electio non est ipso iure nulla, sed annulandam, vt ibi dicitur. Quartum, si sit suspēsus, vel interdictus, aùt violator interdicti, aùt irregularis cap. 1. de postul. præl. cap. Cum dilectus, de consuet. Quintum, si non est Legitimè natus, ętatis debitę, Sufficientis litteraturę, vel simile habet impedimentum circà Ordinationem, cap. Innotuit; cap. Cum in cunctis, de elect. Sextum, si semel propter vitium personæ fuit reprobatus; secùs autèm si non fuit reprobatus propter vitium personæ, sed propter defectū electionis, cap. Super eo, de elect. Septimū si est Episcopus, qui non potest eligi ad aliam dignitatem, sed debet postulari cap. finali, de postul. præl. Octauum, in Prælatum Religiosorum non potest eligi, qui non est expressè professus, cap. nullus Religiosus, de elect. in 6. & debet esse professus in eadem Religione, in qua eligitur; professus enim alterius Religionis eligi non potest. Ità habetur in Clementina prima, de elect.

D. Thom. *Sylu. Tab.*

Antonin. Tab. Rosella. Pisanella. Angelus. Azor.

Noto octauo ex Antonino tertia parte, tit. 19. cap. 2. in principio, Tab. electio 1. num. 5. Rosella num. 2. Pisanella §. quis non potest eligere, Angelus num. 8. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 14. q. 8. Quòd multi sunt in iure priuati potestate eligēdi. Primò, excommunicati excommunicatione maiori, cap. Constitutis, el primo de appell. secùs si minori, cap. Si celebrat; de Clerico excōmunicato ministrante: Secundò suspensi, cap. cū dilectus, de consuet. §. quia nobis. Tertiò interdictus, cap. cum inter R. seniorem in fine, de elect. Quarto cui est interdictum eligere sine superioris licentia, cap. finali, de elect. Quintò, qui celebrauit scienter in loco interdicto, cap. is qui de sententia excommunic. in 6. nisi super hoc fuerit Priuilegiatus: Sexto, qui in ea vacatione elegit scienter indignum, pro ea vice est priuatus potestate eligendi, cap: cum in cunctis, de elect. in fine. Itèm qui postulauit indignum, cap. scriptum, de elect. fine: modò secuta sit electio, vel postulatio; nàm si non sit secuta, non sūt priuati; cap. Perpetuò, de elect. in 6. Septimò, qui peccauit in forma electionis, debet priuari potestate eligendi, cap. quia propter, de electione Octauò, Pupillus masculus ante 14. Fęmina ante 12. annum. Nec malitia supplet ætatem, cap. ex eo, de elect. in 6. Nonò Laicus, siuè Conuersus non debet admitti ad eligendum simul cum Clericis in Monasterijs Regularium; nec qui non est tacitè, vel expresse professus, d. cap. ex eo; nisi antiqua consuetudo quò ad Laicos id haberet, Innoc. cap. in Ecclesia, de initijs, num. 2. Roman. sing. 659. Decimò illi, qui per Laicalem abusum elegerunt, cap. quisquis, de elect. idest, qui elegerunt mediante potestate Laicali, nempè de cōsilio, & voluntate Laicorum. Vndecimo non eligentes in tempore debito, cap. ne pro defectu, de elect. quia electio tunc deuoluitur ad superiorem, vt dicam. Duodecimo qui per eorum constitutiones prohibentur, Tab. verbo Electio primo, num. 5. XIII. Qui non sunt Subdiaconi in Cathedralibus, vel Regularibus Ecclesijs, nō habent vocem in Capitulo: etiamsi ab alijs liberè sibi concedatur, Clem. vt ij, de ętate, & qualitate ordinandorum. Quod in ordine nostro Minim. est in obseruantia, & fuit determinatum in Capitulo Genuensi 6. num. 19. Plura possunt videri apud Hostiensem lib. 1. sum. num. 27. §. & qualiter, vbi multos casus ponit redactos in versus, in quibus electio est ipso iure nulla; qui omnes reducuntur ad tria capita; vel enim est ex parte formæ, vel ex parte electi, vel ex parte eligētis, & de his omnibus satis dictum est, vt puto.

Innoc. *Tab.* *Hostiens.*

Hostiens. Tab. Rosella. Angelus. Pisanella. Sylu. Anton.

Noto nono ex Hostiensi lib. 1. sum. de elect. §. quo tempore, num. 19. Tab. electio 1. num. 7. Rosella num. 6. Angelo num. 9. Pisanella, §. infrà quod tempus, Syl. q. 6. num. 7. Antonino 3. parte, tit. 19. cap. 2. §. 1. quòd electiones Ecclesiæ Cathedralis, vel Regularis debent fieri intra tres menses, computādos à die vacationis, aliter deuoluuntur ad superiorem proximum: qui si intrà præfatum terminum non elegerit, deuoluuntur ad alium, & sic vsq; ad Papā, Habetur in cap. nè pro defectu, de electione. Vndè mortuo Pręlato habent electores tempus trium mensium ad nouum eligendum. Electione autèm facta, tenētur electores eam pręsentare electo, & petere cōsensum eius intra octo dies, computandos à die electionis, postquàm commodè poterunt: alioquin sunt suspensi per tres annos ab omnibus beneficijs ipsius Ecclesiæ, cap. Cupientes §. Cæterùm, de elect. in 6. in alijs verò Ecclesijs debet prouideri intrà sex menses, vt in cap. nulla, de concess. præb. Vndè patet, quòd minus tempus conceditur ad prouidendum Cathedrali, quàm Parochiali; & sic etiam minùs conceditur ad prouidendum de Prælato Religioni vniuersæ, seù alicui Prouinciæ, quàm vni Conuentui; Largius enim tempus conceditur, vbi minus periculum in vacatione versatur, vt notat Cucchus lib. 1. institut. Iur. Canon. tit. 7. de elect. pag mihi 15. Electus verò tenetur consentire intrà mensē computandum à die Præsentationis, aliter est priuatus iure electionis: nisi fortè talis sit, qui consentire non possit absq; licentia sui superioris; Quo casu tenentur electus, vel electores petere licentiam cum ea celeritate, quam superioris absentia, vel præsentia patitur, & si non habeatur, ex tunc ad electionem aliam procedant, cap. quàm sit, & cap. si Religiosus de elect. in 6. Deniquè post consensum præstitum intrà tres menses à die præstiti consensus, tenetur electus

Cucchus.

petere

petere confirmationem, aliter irrita est electio, d. cap. Quàm sit. nisi confirmatio sit petenda à Papa, quia tunc tenetur intra mensem post consensum, electioni præstitum: vel si non fuerit ei electio præsentata intra mensem à notitia, arripere iter versùs curiam, & confirmationem petere, cap. Cupientes, de elect. in 6. In Ordine nostro Minim. omnes electiones, siue Generalis, siue Prouincialis, siue Correctoris, siue causa mortis, vel Priuationis, vel renunciationis, vel assumptionis ad altiorem gradum, debent fieri intrà tres menses à die vacationis, alioquin electio deuoluitur ad superiorem. Ità statutum est in Capitulo Generali Romæ 6. num. 34. dub. 2. in quo statuto condendo videntur Patres attendisse ad id, quod dicitur, cap. Inter vniuersas, de electione, & cap. Quàm sit, & cap. Cupientes, eodem titulo in 6. vbi habetur, quòd Mora longior est in electionibus valdè suspecta: immò sæpè damnosa, & periculosa. Nam alioquin non arctantur Regulares his regulis iuris, nec tempus in electionibus à iure præfixum illis currit, per priuilegium Clementis IV. relatum à Miranda to. 2. Manual. q. 23. art. 10. & habetur in nostro Marimagno in principio. Cui priuilegio an, seù qua ratione potuerit dictum capitulum generale renunciare, dicam alibi.

Miranda.

§. Primus. *Quisnam sit in Prælatum Religiosorum Eligendus.*

D. Thom. Hostiens. Rosella. Tab. Sylu. Pisanella. Angelus. Anton. Graff.

DICENDUM est, eligendum ad aliquam dignitatem, seù Prælaturam Ecclesiasticam, debere esse alijs sanctiorem, & doctiorem. Ità communiter omnes Doctores. D. Tho. 2.2. q. 185. art. 3. in corpore Hostiensis, lib. 1. sum. §. Quis eligendus, num. 10. Rosella electio 1. num. 34. Tab. num. 13. Sylu. q. 16. n. 18. Pisanella §. quis potest eligi, Angelus num. 20. Antoninus 3. parte, tit. 19. cap. 2. §. 5. Graff. in append. ad suas decisiones, lib. 4. cap. 3. nu. 19.

Probatur primò, ex cap. Vilissimus 1. q. 1. & cap. licèt ergò, 8 q. 1. & Glossa cap. finali de ætate, & qualitate præficiend. vbi expressè habetur nostra conclusio, & ex cap. Vnum distinct. 25. vbi dicitur. *Quod eligendus ad Ecclesiasticam dignitatem, talis debet esse, vt illius comparatione cæteri grex dicantur.*

Glossa.

Secundò. Probatur ratione. Quia cum à capite pendeant omnes resolutiones, & deliberationes, is debet necessariò caput constitui, qui possit resoluere, & deliberare iuridicè, & rationabiliter.

Tertiò. Quia id etiam dictat Natura ipsa; Apes enim, Grues, & cætera animalia, quæ sibi constituendi regem, seù Coriphæum habent instinctum, semper eligunt, qui cæteris præstat magnitudine corporis, pulchritudine formæ, & virium fortitudine.

Ad sciendum autem, quisnam sit iudicandus Doctior, & Sanctior, noto tria. Primo, quòd omnia, quæ requirit Paulus prima ad Timoth. 3. in episcopo, dicens. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum, non percussorem; sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ Domus benè præpositum,*

Ad Tim. 3.

requiruntur etiam in quolibet eligendo ad Ecclesiastica beneficia. Ita Io: Andreas cap. cum in cunctis, de elect. nu. 7. Nauarrus Miscellaneo 33. de oratione, Gratianus cap. Vnum, d. 25. §. Nunc autem, vbi d. loco Pauli, probat qualem oporteat esse eligendum ad ecclesiasticam dignitatem, & patet ex cap. cum in cunctis, de elect. vbi dicitur *In cunctis sacris ordinibus, & Ecclesiasticis ministerijs sunt ætatis maturitas, grauitas morum, & litterarum scientia inquirenda.* Idq; habetur etiam in Triden. Sess. 24. de reform. cap. 1. Vnde elector illum iudicabit dignum, qui habebit ætatem legitimam, qui vir erit æstimatus probus, qui nullo vitio ex ijs, quæ numerat Paulus, erit notatus, qui omnibus virtutibus, quas in Episcopo requirit, erit præditus, qui scientia fulgebit. Illum autem iudicabit digniorem, qui omnes scientia, & sanctitate præcellet. Prudenter tamen semper est procedendum. Nam licèt eligendus in Correctorem, seù Priorem alicuius Conuentus, verbi gratia non habeat sanctitatem, & scientiam, quam habet Prouincialis, & Prouincialis nō habeat eam, quam habeat Generalis in eo eminenti gradu, sed in inferiori, intra tamen eamdem speciem, non per hoc erit iudicandus indignus, cum in minoribus officijs minor sanctitas, & litteratura requiratur, quam in maioribus; vt Colligitur ex Nauarro loco cit. & dicam, §. seq. quæstio 6.

Io: And. Nauarr. Gratian. Trid. Nauarr.

Noto secundò, quòd ad hoc vt elector iudicare debeat, aliquem esse dignum, & eligibilem ad dignitatem Ecclesiasticam, satis est, quòd habeat certitudinem moralem, & humanam, qua iudicet, talem esse virum probum. Ità Caiet. 2. 2. q. 63. art. 2. vbi Aragon columna 4. pag. 288. Ledesma parte secunda summ. tract. 7. cap. 1. conclus. 4. dub. 3. pag. mihi 233. Et Ratio est, quia maiorem certitudinem habere non potest. Vndè sequitur, quòd elector, dùm non cognoscit aliquem indignum, debet eum, adhibitis debitis diligentijs, dignum reputare, vt dicitur cap. Ex parte tua, de scrutinio.

Caietan. Aragon. Ledesma.

Noto tertiò ex D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 1. & q. 185. art. 3. vbi Caiet. & quodlib. 8. art. 6. & quodlib. 6. art. 9. Vasq. opusc. de benef. cap. 1. §. 3. dub. 1. num. 49. Ledesma parte secunda summ. tract. 7. cap. 1. conclus. 8. dub. 9. pag. mihi 160. Reginaldo lib. 30. tract. 3. num. 199. Rodriquez in summ. tom. 1. cap. 106. num. 2. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 15. q. 1. versu verùm quis dignior, & q. 3. & 4. Mir. tom. 2. Manual. q. 23. art. 13. conclus. 3. Soto lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. conclus. 9. Limit. 2. Quòd ille, qui debet aliquem eligere, nō tenetur assumere, vt loquitur D. Tho. meliorem simpliciter, quod est secundùm charitatem, sed meliorem quò ad regimen Ecclesiæ, qui scilicèt possit Ecclesiam, & instruere, & defendere, & pacificè gubernare. Itaquè sanctior, & doctior est ille, qui est aptior ad talem regimen, licèt comparatione alterius non tàm apti, sit minùs sanctus, & minùs doctus. Vndè ait Sotus, *quod licèt occurrat vir litteris clarissimus, & prudentia conspicuus, vecors tamen, vel alijs implicitus negotijs, de quo non est tanta spes, quòd prædicabit, aut gubernabit secundùm suas dotes; vel fortè non publicis negotijs aptus, huiusmodi est ille præferendus, qui licèt huiusmodi dotibus non sit tàm potens; speratur tamen curam sollicitiùs habiturum, diligentiamquè adhibiturum ad suum exequendum munus.*

D. Thom. Caiet. Vasq. Ledesma. Reginald. Rodriq. Azor. Miranda. Sotus. D. Thom. Sotus.

Sed

Sed heù heù, tanta est dominandi cupiditas, & tanta fames, vt ait Suetonius his verbis.

O fimitas hominum mentes, ò pectora vana,
Regni infausta fames, quæ non mortalium cogis pectora?

Quòd non sanctiores, nequè doctiores, nequè aptiores eliguntur. Sed ea est horum temporum ratio, vt qui plus opibus valent, plus excellant gratia, & quod virtute effici debet, id solet tentari pecunia, fauore, & alijs illicitis vijs. Contrà quem deprauatum morem optimè Hieronymus super illud epistolæ ad Titum, cap. 1. *Et constituas per Ciuitates presbyteros,* ait *Quidam nō quærunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognouerint Ecclesiæ prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel dedit, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. Et, vt deteriora taceam, qui vt Clerici fierent, muneribus impetrauerunt.* Hæc Hieronymus, Ad quæ pauca hæc addo. Non ad merita, non ad virtutes, non ad ea, quæ deberent electores respiciunt, sed ad suas passiones, vnusquisque trahitur à concupiscentia sua, & ad illud, quod sibi, non Ecclesiæ fore optimum, & vtile putat, respicit; Ad amicitiam, ad consanguinitatem. Idque præcipuè intendunt huius temporis electores, vt eligēdus ab ipsis eligatur, ex illorum manibus egrediatur ipsis electionem debeat; parùm attendentes, sit nè aptior, vel etiam idoneus, nec ne; vt subditi, & superiores sint, vt omnia suo nutu regantur, & gubernentur, vt electus nomen, ipsi facta Prælationis habeant: vt ad illorum votum sublimētur alij, alij deprimantur: vt ipsi tamquam Domini semper habeantur. Quibus tamen, sic permittente Deo, solet sæpè accidere, quod Israelitis, Exodi 32. Qui maxima diligentia, & sumptu fabricatum aureum vitulum tamquam Ducem sibi præfecerunt, & tamquàm Deum adorauerūt, quem deindè, sic ductore exercitus Moyse imperitante, in puluerem redactum potauerunt; sed cū maxima fabricatorum iactura; pulueres enim illorum labijs adhæserunt, & omnes aurata labia habentes occisi sunt. Sic contingit quandoquè plurimis, qui maxima diligentia, & cura curant eligi aliquem in Prælatum, spe, quòd illis multùm fauebit, quòd bene tractabit, quòd erunt Domini, & Prælati ipsi; Contingit, inquam, quòd iste sic electus suos electores acrè persequitur, & vexat, nec dimittit, donec in puluerem eos redegerit, annichilauerit, fundìtùs destruxerit. Quod in Religionibus sæpè videmus, permittente Deo, in peccatorum nostrorum vindictā, vt ab illis torqueamur, quos inmeritò promoueri fecimus, quod etiam dixit Sapiens Prouerb. 26. *Sicùt qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: Ità qui dat insipienti honorem,* vbi legunt 70. *Sicùt qui mittit lapidem in fundam,* mittit incautus pusio lapidem in fundam, eamq; in gyrum ter, aùt quater ductam in altum deijcit, dùmque magni aliquid se fecisse autumat, dilabitur lapis super caput eius, illudquè rumpit, ac frangit; Sic euenit istis. Nec habent quod conquerantur; Id tantùm possunt dicere, quod Ouidius.

Hieronym.

Exod.

Heù patior telis vulnera facta meis.

Vndè optimum est consilium Pytagoræ *A fabis abstineto*, idest, ad meum propositum, Caue nè tuo suffragio (quod fabis ferri solitum apud Athenienses testatur Lucianus apud Claudium Minoe ad emblemata Alcyati de Symbolis) aliquis, qui non est dignus exaltetur, & ad aliquam dignitatem assumatur; nàm planges ea, quæ tibi flores fabarum plangenda, prænunciant; Aiunt enim Characteres illos, qui in floribus fabarum apparent, planctus, & doloris esse significatiuos.

§. Secundus. *An possit aliquandò eligi Indignus.*

DICENDVM est, semper peccare mortaliter qui eligit indignum D. Tho. quodlib. 6. art. 9. Sotus lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. conclus. 7. Salon. 2. 2. q. 63. art. 2. controu. 2. Ledesma secunda p. summ. tract. 7. cap. 2. conclus. 5. pag. mihi 236. Rodriq. in sum. tom. 1. cap. 106. conclus. 10. num. 12. Reginaldus in praxi, lib. 30. tract. 3. num. 195.

D. Thom. Sotus. Salon. Ledesma. Rodriq. Reginald.

Probatur primo, Tùm quia elector peccat contrà iustitiam distributiuam, qua tenetur benemeritis distribuere gradus, & honores; Tùm quia peccat contra Commutatiuam, cum non prouideat bono communi, sicùt tenetur ex officio.

Secundò probatur ex cap. Graue nimis, de præbendis, vbi dicitur. *Graue nimis est, & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promouere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non iudicium rationis; Vndè quanta Ecclesijs damna proueniāt, nemo sanæ mentis ignorat.*

Tertiò, Probatur ex Trid. sess. 24. de reform. cap. 1. *Vbi monet sancta Synodus, & hortatur omnes, quibus ius eligendi quocumque modo competit, vt in primis meminerint, nihil se ad Dei Gloriam, & populorum Salutem vtilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernādæ idoneos promoueri studeant; eosquè alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint.*

Trid.

Ex quo loco colligitur, vt benè aduertit à Sorbo in compend. priuil. verbo Electio, versu, Sed debent, & Rodriq. tom. 1. quæst. regul. q. 52. ar. 5. versu aduertant etiam electores. Quòd licèt qui indignum eligit, ex quo multæ malæ gubernationes oriuntur, & multa peccata, vnum tantùm committat mortale peccatum, eligendo, vt aduertit in specie Nauar. in summ. cap. 11. num. 4. fine, Naldus in sum. verbo eligere, nu. 14. Graff. in append. ad suas decis. lib. 4. cap. 1. nu. 21. Participaturum tamen se sciat pœnam peccatorum, ab eo sic indigno electo in prælatura, & dignitate illa commissorum, à qua participatione, liberet me Dominus, clamat Rodriq. loc. cit.

à Sorbo. Rodriquez. Nauarr. Naldus. Graffius. Rodriq.

Quæres Primò, An possit quis iustè suum suffragium negare alicui, quem per solam sacramentalem confessionem nouit indignum, cui aliàs deberet suffragari.

Respondeo, quòd sic. Ità Nauarrus in cap. Humanæ aures, quæst. 1. num. 5. & dist. 6. de pœnit. cap. penult. Sacerdos, num. 147. Reginaldus in praxi, lib. 3. de sigillo sacramenti pœnitentiæ, num. 33. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 16. nu. 6. qui multos alios citat. Suarez tom. 4. in tertiam partem,

Nauarr. Reginald. Sanchez. Suarez.

partem, disp. 33. sect. 7. num. 12. qui ait, id non procedere, quandò electio fuerit publica, & persona talis, quæ communiter existimatur digna, cui elector suum suffragium deferre debeat; quia tū potest generari suspicio alicuius criminis cogniti per confessionem, quod propter reuerentiam Sacramenti planè vitandum est. Ratio est quia, saluo secreto sacramentali, potest indemnitati animæ fratris velle consulere.

Quæres secundò, An teneatur tale suffragium indigno per solam confessionem Sacramentalē cognito denegare. Respondeo, non teneri. Ità D. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. quæstiuncula 1. ad 3. Sanchez lib. 3. de matrimonio, disp. 16. num. 6. qui alios citat. Rodriquez tom 3. q. regul. q. 53. art. 4. Suarez loco cit. Ratio est, quia non tenetur quis mederi saluti, & animæ proximi (vt habet D. Thom. loco cit.) Nisi eo modo, quo scit, eam periclitari; ergò qui scit in foro conscientiæ, aliquem esse dignum, in eodem foro tantummodò debet remedium illi adhibere, admonendo vt à tali electione abstineat: ergò non tenetur ad illi denegandum suffragiū extrà illud forum, in quo sciuit eum esse indignum. Multis id probat Rodriquez, & Sanchez, locis citatis.

D. Thom. *Sanchez.* *Rodriq.* *Suarez.*

Quæres tertiò, An sic indignum eligens, quē talem per solam confessionem nouit, vel publicè, vel secretò eligat, incurrat pœnas statutas, cap. cum in cunctis, §. finali de elect.

Suarez. *Reginald.* *Sanchez.* *Nauar.*

Respondeo cum Suarez, Reginaldo, Sanchez loco cit. non incurrere, quicquid dicat Nauarrus dist. 6. de pœnit. cap. Sacerdos, num. 148. Quia leges, quæ similes pœnas imponunt, semper intelliguntur secundùm scientiam communem, & cognitionem humanam. Deindè cùm nullam committat culpam, vt dixi, quia propter Reuerentiam sacramenti potest nosse vt illa scientia, & ità se gerere, ac si nihil nouisset, non est cur eum subiectum alicui pœna dicamus.

Quæres quartò, Decem sunt in vno Capitulo, nouem concurrunt de facto ad eligendum indignum, possum ne ego, qui sum vltimus, & certè sciò, nihil posse proficere per denegationem suffragij, me cum alijs conformare?

Sotus. *Vasquez.* *Vega.* *Bannes.*

Respondeo, nullo modo posse, Sotus lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. sub conclus. 9 dub. altero, Vasq. opusc. de benefic. cap. 2. §. 3. dub. 3. Vega prima parte summ. cap. 97 casu decimo, Bannes 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 3. §. Sed contra, ad primum, Ratio est; tùm quia ille ab alijs est iniquè intrusus, cui iniquitati nullo colore fauendum est. Tùm quia eligere indignum est intrinsecè malum, quod nulla ratione fieri potest licitum.

Sed contrà hanc responsionem multa possunt obijci. Primò. Quia ego certè scio, si non concurro cum cæteris ad talem eligendū, quòd ipse deindè electus me persequetur, & malè tractabit; ergò à tali me malo redimendo, potero ad illius electionem concurrere; cum præsertim meo voto nihil sim profecturus.

D. Thom.

Confirmatur, quia simonia est intrinsecè mala; tamen dicit D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad quintum, *quòd antequàm alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacumquè alia dignitate, simoniacum esset aduersarij obstacula pecunia redimere, sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendā, sed postquam alicui ius acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta remouere*; ergò similiter licèt non liceat concurrere ad electionem indigni, antequàm ipse ius ad electionem acquisierit, postquam tamen illi ius tale acquisitum est, licebit concurrere, & meo suffragio iniustam persecutionem redimere.

Secundò. Video multos timoratos Dei concurrere cum illo, quem ego existimo omninò indignum; quarè nō possum meam existimationem deponere, & illorū votis me conformare?

Tacitus,

Tertiò, multi iudicantur mali, qui tamen in Prælaturis deindè se benè gerunt; Cum honores (vt dicitur) mutent mores, & quos putamus esse desperatos, ac perditos, inuenimus aliquandò meliores ijs, quos iudicabamus inculpatos, & innocentes, *Vi dominationis impulsos*, Vt aiebat Tacitus; & vno verbo, *Non semper de primis feruntur vltima iudicium*; Ergò possum electioni indigni, iam ab alijs electi me conformare.

Ad primum Respondeo, multos pusillanimes his, & similibus friuolis rationibus allucinari, hisque, se blandimentis demulcere, sibi persuadentes licere concurrere ad electionem indigni propter timorem alicuius iniustæ persecutionis; certum malum perpetrantes pro incerto labore. Trepidantes à timore, vbi timor non est. Et quis quæso, timor potest esse in electionibus, quæ fiunt in Religionibus, vbi ad hunc timorem expellendum, tot remedia adinuenta sunt; Secretudo enim illa, quam requirit Concilium, ad nihil aliud fuit inducta, nisi ad pusillanimitatem louendam. Deinde quis timor potest esse in Religionibus; vbi tot superiores reperiuntur, quorum si vnus aggrauat, alter subleuat, si vnus percutit, sanat alter: vbi tot recursus; vbi Superiores aliorum superiorum visitationi subiacēt, & censuræ, æstimant quidam Religiosi quamplurimis commoditatibus assueti, illarum vna priuari, maximam persecutionem; & ideò vtcumquè proposito ad Prælaturam suffragantur, ne talibus commoditatibus priuentur; parùm, seù potiùs nihil considerantes, sit ne dignus, nec ne; sit aiunt, vt vt sit, sit amicus meus, mea non curet, me meis sinat commoditatibus perfrui, & currāt res quomodò currunt; se ipsos decipientes; suam Religionem defraudantes, & bonum commune, ad quod omninò respicere tenentur, euertentes, & destruentes. Deindè dico, quòd quamuis aliquid iniustè passuri essent; non deberent tamen indigno suffragari; nam bonum particulare cōmuni est postponendum. Nequè valet, quòd bono communi prospicere non possunt, vt supponimus in casu proposito. Nàm tenentur prospicere quantùm in ipsis est, vnusquisque pro parte sua. Et si alij non prospiciant, ipsi viderint. Dicant mihi quæsò, isti, si destruant aliqui Religionem, vel Monasterium de facto, absquè eo quod ego possim id reparare, licebit ne mihi illos ad destruendū adiuuare? vel si aliqui occidant aliū, à qua occasione ego illum defendere non possū, licebit ne mihi, ex hoc eum pugione ferire? Nequàquam certè, prout ex his, quæ docet Nauarr. in summ. cap. 17. num. 20. clarè constat. Dicamus ergò, *Quòd male se res habent; cum in Republica non est, qui pro bono communi mortem subire paratus sit.* vt dicit Pius II. in quadam epistola.

Pius II.

Ad confirmationem respondeo, disparem esse casum, nàm donatio illa pecuniæ in eo casu mala non est; non enim est ad acquirendum aliquid spiri-

ſpiritualem, ſed ad redimendam, ſeù propulſandam aliquam iniuriam iniuſtè paſſam, quòd eſt omninò extrinſecum ad dignitatem: ſed in caſu noſtro ſuffragari indigno eſt cóncurrere ad actionem intrinſecè malam; ſuffragium enim huius, ſicùt cætera concurrit ad indignum eligendum, & eſt ad propulſandam iniuriam, quæ timetur, non quam de facto patiatur; neq; quidquam valet, quòd ſuo ſuffragio nihil ſe profecturũ ſciat; nam quæ ſunt intrinſecè mala, nullo caſu fieri permittuntur.

Ad ſecundum reſpondeo. Si elector eſt dubius de indignitate perſonæ eligendæ, poteſt ſecum timoratis Dei conformare, at ſi eſt omninò certus de indignitate, nequaquàm, debet enim iudicare, illos non habere eam certitudinem de indignitate eligendi, quam ipſe, ſed potiùs contrariam.

Ad tertium, Reſpondeo, hoc eſſe valdè peregrinum; *Nam qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit, Et Rumor de veteri facit ventura timeri; Cras poterunt fieri turpia ſicùt heri*: Vndè Hieronym. (*Hieronym.*) ad Ruſticum Monachum, *Non eſt facilè de prouecta ætate ſuſpicandum; quia & vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis*, ergò quorum vita præterita fuit flagitioſa, nihil boni poteſt ſperari: præſertim aſſecuta dignitate, cum dignitates reddant homines communiter audaces, & inſolentes. Ad quod faciunt caput Scribam, cap. cum in iuuentute, & cap. Mandata, de præſumptionibus: vbi dicitur. *Quid ex tranſacta vita diſcitur, quid de ſubſequenti conuerſatione ſit præſumendum*. Facit hic etiam illud Taciti. (*Taciti.*) *Nemo vnquàm Imperium flagitio* (vt quærunt ordinariè indigni) *quæſitum bonis artibus exercuit*.

Addo, quòd etiamſi ſperaretur, quòd indignus futurus eſſet frugi, ſi ad dignitatem aſſumeretur, adhuc mortaliter peccaret, qui illi ſuffragaretur, vt habet Couarrunias (*Couarru.*) in regula Peccatum, parte ſecunda de reſtit. §. 7. & Graſſ. (*Graſſ.*) lib. 4. append. cap. 2. num. 21. quia bona communitatis exponeret maximo periculo, & faceret contrà legem naturalem, diuinam, & humanam.

Itaq; tenetur quis facere quantum poteſt in publico, & in ſecreto, ne indignus eligatur, quod expreſsè mandauit S. Benedictus (*D. Bened.*) in ſua Regula, cap. 64. & Refertur, cap. In Ordinatione, diſt. 61. His verbis. *Quòd ſi etiam omnis congregatio vitijs ſuis (quod abſit) conſentientem perſonam, pari conſilio elegerit, & vitia ipſa aliquatenùs in notitiam Epiſcopi, ad cuius Diœceſim pertinet ipſe locus, vel Abbatibus, aut vicinis Chriſtianis claruerint. Prohibeant prauorum præualere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem: Scientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè, & zelo Dei faciant; ſicùt è conuerſo peccatum ſi negligant; & taceant*, licèt non conſentiant, vt notat Panorm. (*Panormit.*) cap. 1. de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli. *Error enim, cui non reſiſtitur, approbatur*, vt dicitur cap. Error, diſt. 83. *Et conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit*, vt dicitur cap. Conſentire, diſt. eadem.

Sed quid ſi nouem electores ſunt determinati eligere dignum, digniori relicto, poſſum ne ego pro bono pacis tùm ijs me conformare? Caiet. (*Caietan.*) in ſum. verbo Electio fine, Vega (*Vega.*) 1. par. ſum. cap. 97. caſu primo, Bannes (*Bannes.*) 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 3. concluſ. 3. affirmant. Negat autem Ledeſma (*Ledeſma.*) ſecunda parte ſum. tract. 7. cap. 2. dub. 2. pag. mihi 243. quia ſemper ratione diſtributiuæ Iuſtitiæ, tenemur eligere meliorem. Sed vere tunc faciendum eſt bonum pacis, & tranquillitatis præſertim ijs, qui communiter viuunt, vt pro illo aliquando, & fruendo poſſit minùs dignus, dignus tamen eligi.

Quæres quintò. An ſi indignus promoueatur ad regimen animarum, peccet mortaliter, ſi ſciens ſe indignum, dignitatem acceptet.

Reſpondeo mortaliter peccat. Ità Graſſius (*Graſſius.*) lib. 4. append. cap. 2. num. 24. & habet iuſtam cauſam renunciandi, cap. Niſi cum pridem, §. Pro defectu, de renunc. Immò & renunciare tenetur. Ledeſma (*Ledeſma.*) parte ſecunda, tract. 7. cap. 2. concluſ. 5. dub. 2. dificulo 2. pag. mihi 238. Quia non poteſt perficere ea, ad quæ ex iuſtitia tenetur: vel debet ſibi prouidere de idoneo coadiutore. Quòd ſi non renunciat, nec prouidet ſibi de idoneo coadiutore, poteſt inuitus amoueri. Habetur cap. finali, de ætate, & qualitate præficiendorũ. Hæc intellige de indignitate ratione ſcientiæ; nàm de alijs indignitatibus, vel natiuitatis, vel ætatis, vel morum, poteſt, vel diſpenſationem petere, qua obtêta, poterit ſecurè in officio permanere, vel mores corrigere, vt Felinus (*Felinus.*) in cap. dilectæ, de except. nu. 4. verſ. ſextò induco, quòd ſi corrigere non poteſt propter inueteratam conſuetudinem, vel non vult propter malitiam, renunciare tenetur: ne petra ſit ſcandali ſibi ſubdito gregi.

Quæres ſextò. Quænam illiteratura ſit ſufficiens ad reddendum quempiam indignum Prælatura.

Reſpondeo. Ille eſt indignus vt aſſumatur ad dignitatem Eccleſiaſticam, qui non habet litteraturam ſufficientem illi dignitati, ad quam eſt aſſumendus, pro locorum, temporum, & perſonarum, quibus debet præeſſe, varietate. Quæ litteratura debet eſſe maior, vel minor, pro vt dignitas, ad quam petit promoueri, eſt maior, vel minor. Vndè Generalis debet habere maiorem litteraturam, quàm Prouincialis, hic quàm Corrector, ſeù Prior. Quia Generalis cum ſit totius Religionis Caput, debet, poſſe alios docere, inſtruere, dubia reſoluere, &c. Prouincialis debet etiam poſſe docere ſuos ſubditos, inſtruere, & ſcire debet ea, quæ ad illius ſpectant officium. Corrector, cum vnius domus ſolùm curam gerat, non eſt neceſſe, vt ſit tàm litteratus, prudens ſit, ſit diſcretus, ſit charitatiuus, ſit hoſpitalis, & aliqualem litterarum cognitionem calleat, & ſufficit. Quarè Generalis debet eſſe Theologus in eminenti gradu. Prouincialis in inferiori; intrà tamen eamdem ſpeciem. Corrector ſufficit, quòd Grammaticam, & caſuum conſcientiæ aliqualem doctrinam calleat. Ità colligitur ex Innoc. (*Innoc.*) cap. Cum in cunctis, de elect. num 2. Abbate (*Abbas.*) ibi, num. 4. qui expreſsè declarat, quæ ſcientia requiratur in quolibet officio, Nauarro (*Nauarr.*) miſcellaneo 40. de orat. nu. 8. Bannes (*Bannes.*) 2. 2. q. 63. ar. 2. dub. 1. conditione ſecunda, verſu aduerte tamen Si quis autèm iàm ſit aſſumptus in Generalem, vel Prouincialem, qui grammaticam ſaltèm neſciat, eſt deponendus, per caput finale, de ætate, & qualitate præficiendorum. Si autèm Corrector ſit planè illiteratus, ità vt legere neſciat, eſt etiam deponendus, per caput Illiteratus, diſt. 36.

Itaq; concludendo dico, quòd ille eſt indignus

vt ad

vt ad dignitatem Ecclesiasticam assumatur, qui non habet conditiones requisitas, cap. Cum in cunctis, de elect. quæ sunt ætatis maturitas, grauitas morum, literarum scientia, & natiuitas legitima. Et electio facta in persona alicuius patientis aliquem istorum defectuum, est ipso iure nulla, vt dicitur eodem cap. cum in cunctis, §. finali, & declarant Panot. & Nauar. loc. cit.

Panorm. Nauarr.

Circa defectum scientiæ nota, quòd licèt literarum defectus reddat collationem iniustam; non reddit tamen ipso iure nullā, nisi sit planè illiteratus. Itá vt si sit Generalis, vel Prouincialis, grammaticam nesciat; & si Corrector nesciat legere. Per defectum grauitatis morum, quisnam reddatur inhabilis, & quis deponendus, dicam, §. sequenti. Circa ætatem, & legitimam natiuitatem, hic nihil occurrit, dicam tom. 11 vbi latè de istis, & alijs conditionibus Prælatorum. Hic sufficit scire Subdito, per quænam quis reddatur indignus, ad hoc, vt eligi non possit.

Quæres septimò An peccet, qui bona fide eligit indignum, vel minùs dignū, digniorem putans.

Respondeo. Si adhibitis debitis diligentijs bona fide elegit, non peccat, quia *qui facit quantùm potuit, legem adimplevit*. Peccat autem, & mortaliter, si eligit, non adhibitis debitis diligentijs, vt Panor. in cap. Bonæ memoriæ, el 2. de postul. præl. num. 15. Si autem eligit dignum, putans eum esse indignum, peccat mortaliter, quia quantùm in ipso est indignum eligit. Itá Tabiena verbo Electio 1. num. 17.

Panorm.

§. Tertius. *Quisnam dicendus sit indignus Ecclesiastica dignitate proptèr defectum morum.*

Dico primò, Eligens peccatorem occultum, alijs cæteris digniorem in Prælatum Religiosorum, de quo non est certum, quod sit perseueraturus in peccato, sed potiùs creditur, quòd sit quàmprimum surrecturus, mortaliter non peccat; secùs autem si sciat, eum habere animum in peccato perseuerandi. Nec etiam peccat, qui in tali peccato existens suæ electioni consentit. Hanc conclusionem tenent expressè. Azor to. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 14. q. 10. & Bannes 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 1. versu, Sed quæres. Et videntur tenere Nauarr. miscellaneo 34. de orat. ou. 4. versu Quartò contingit, Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. col. 3. vers. Sed vt quid. Ledesma secunda parte sum. tract. 7. cap. 2. conclus. 2. dub. 4. pag. mihi 234.

Azor. Bannes. Nauarr. Aragon. Ledesma.

Probatur. Tùm quià si credit, ipsum non esse permansurum in peccato, potest etiam credere, ipsum iam esse contritum, & in eo ampliùs nō permanere. Vndè non debet omittere eum eligere, qui alias est frugi futurus illi Ecclesiæ, ad cuius gubernationem admittitur. Tùm quia nemo dicit requiri tantam puritatem ad acceptandam electionem de se factam, quanta requiritur ad recipiendā Eucharistiam, ad quā requiritur omnimoda puritas; ergò minor omnimoda requiretur secundum communem sensum, ad recipiendam dignitatem.

Si autem sit in peccato perseuaturus mortaliter omninò peccat, qui illum sciente eligit. Quia *qui sibi nequam est, quomodo alijs bonus erit?* Et quam curam habebit Ecclesiæ Dei perditus homo?

Quod autem peccet mortaliter peccator, qui non habet animum dimittendi peccata, suæ electioni consentiens, probatur, quià exponit se periculo peccandi mortaliter mortaliter per administrationem Sacramentorum, quæ omnimodā puritatem requirunt.

Idem dicendum est de eo, qui eligit scienter illum, qui manifesta malitia, & inueterata consuetudine peccator est; quià cum probabiliter iudicetur diù in tali peccato perseueraturus, quid frugi poterit alijs esse?

Dico secundò qui eligit peccatorem publicum, & famosum, peccat omninò mortaliter, & qui tali electioni consentit. Itá Nauarrus loco cit. versu. Tertiò contingit. Azor etiam cit. & est communis omnium eorum, qui simpliciter tenent, esse peccatum mortale eligere in mortali existentem, quos vide apud Nauarrum loco cit. num. primo.

Nauarr. Azor.

Probatur, quià alijs præbet offensionis causam; cum videant, hunc eligi, alio prætermisso, qui bonus, & idoneus ab alijs censetur.

Vndè quando D. Thomas quodlib. 8. art. 6. & alibi ait, *Quod oportet eligere ad prælationem, vel Ecclesiasticum officium illum, qui est bonus simpliciter; quià per quodlibet peccatum mortale, aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum*. Potest intelligi primò de existente in peccato mortali notorio, & publico. Vndè Idē D. Tho. lect. 2. in ep. ad Titum explicans illud, *Oportet Episcopum sinè crimine esse*, ait, *Non vult dicere Apostolus, quod qui mortaliter peccat post baptismum non possit eligi, sed quòd non sit infamis*. Idest, quòd non possit eligi, qui est in peccato, si peccatum est notorium, & famosum, accusatione quē dignum. Sic explicat hunc locum D. Thomæ Cornelius à Lapide in ep. ad Titū, versu 6. Vel secūdo potest intelligi D Thom. vt loquatur de eo, qui est in peccato graui, & enormi. Vel de eo, qui in peccato est Diù perseueraturus. Sic explicat D. Thom. Bannes loco cit. Quo pacto etiam potest intelligi Cal 2. 2. q. 63. art. 2. & q. 185. art. 3.

D. Thom. D. Thom. Cornelius à Lapide. D. Thom. Bannes. Caiet.

Dico tertiò supposito quòd in aliquo loco non reperiatur qui possit, & sit idoneus ad Sacramenta ministranda, nisi peccator notorius, possunt electores illum eligere. Itá Rodriquez in sum. cap. 1 os. conclus. prima, num. 3. Ledesma secunda parte sum. tract. 7. cap. 2. conclus. 4. dub. 2. dignolo 2. pag. mihi 233. Aragon 2. 2. quæst. 63. art. 2. col. 4. versu, Et ad primum argumentum; pag. 228.

Rodriq. Ledesma. Aragon.

Probatur, quià hoc casu non esset eligere indignum, sed bono communi consulere. Ad quod electores tenentur, cui nec aliter, nec alio modo, vt suppono, consulere possunt, quā istum peccatorē eligendo. Neq; dicēdi sunt electores mortaliter peccasse, eò quià ille sic electus sacramenta ministrabit in mortali, & sic mortaliter peccabit; Tùm quià ipsi eū elegerunt, tāquam minùs malū permittētes ad maius præcauendū; Tū quià ipsi dederunt ei administrationē, quā ipse potest benè, & cū merito facere: sin autē ali ter facit, sibi debet imputare, nō alijs qui neces-

sitate coacti id fecerunt; sicut qui petit mutuum ab vsurario: vel ministrari sacramenta a proprio Parrocho, quem scit esse in mortali.

Sed quæres quid faciendum in aliquo Capitulo vel locali, vel definitorio, vbi agitur de aliquo eligendo in Prælatum, quem ego scio fore perniciosum communitati; quia malæ vitæ, malæ conscientiæ est; occultum est tamen, illum esse tam malum.

Respondeo si eligendus est futurus perniciosus communitati, nec possum alia via eius electionem impedire, & bono communitatis consulere, teneor eius delicta reuelare; nam bono communitatis consulere teneor strictiori iure naturali, quàm secretum seruare: Sin verò non est futurus perniciosus communitati, sed vni, vel aliquibus particularibus, tùm secretum seruare teneor; quia illius obseruatio est de iure naturali, quod propter bonum aliquod particulare non est omittendum. Hoc tamen casu, qui difficilis admodum est, vt cautè procedatur, debent deponi passiones, & solo bono communi prospecto. Ità sentit Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 53. art. 3. Colligitur ex Nauarr. in Manual. in cap. 18. num. 56. Expressè Molina tract. 4. de Iust. to. 5. disp. 24. n. 6. & 7. Castelinus cap. 5. de elect. n. 84.

Rodriq. Nauar. Molina. Castelinus

Dico quartò, si crimen irregularitatem inducit, vel aliam specialem inhabilitatem, siuè occultum sit, siuè publicum, mortaliter peccat, tàm qui eligit, quàm qui electioni consentit, & electio est ipso iure nulla. Ità Panorm. in cap. Innotuit, de elect. num. 6. Tab. verbo Electio 1. num. 17. Nauar. miscellaneo 34. de orat. nu. 4. Felinus cap. dilecte, de except. num. 5. Capata p. 1. de Iust. cap. 4. num. 1. qui non est contrarius doctrinæ hìc traditæ, vt patet ea num. 13. & 25.

Panorm. Nauar. Tab. Felinus. Capata.

Probatur ex cap. cū in cunctis, de elect. & cap. Si celebrat, de Clerico excōmunicato ministrāte.

§. *Quartus. Vtrùm liceat eligere dignum dimisso digniori.*



DICENDVM est, peccare omninò mortaliter qui omisso digniori eligit dignum ad Ecclesiasticas dignitates. Ità D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. corpore, & ad tertium, & quodlib. 6. art. 9. & quodlib. 8. art. 6. Sotus lib. 4. de Iust. quæst. 6. art. 2. conclus. 9. Vasquez opusc. de benef. cap. 2. §. 3. dub. 1. Aragon. 2. 2. quæst. 63. art. 2. col. 6. versu his constitutis, vbi Salon controu. 2. conclus. 1. Couarruuias in regula peccatum, parte secunda de restit. §. 7. Valen. tom. 3. disp. 5. quæst. 7. puncto secundo, versu secundò queritur. Ledesma parte secunda sum. tract. 7. cap. 1. conclus. 7. pag. mihi 240. Vega parte secunda sum. cap. 97. casu 2. Nauar. miscell. 38. de orat. Bannes 2. 2. quæst. 63. art. 2. dub. 3. Azor tom. 1. lib. 6. cap. 15. quæst. 1. Rodriquez tom. 1. sum. cap. 106. conclus. 3. num. 5. & alij communiter, contra quosdam, quos referunt Couarruuias, Bannes, Azor, Salon, & alij. Capata 1. p. de Iust. cap. 6.

D. Thom. Sotus. Vasq. Aragon. Salon. Couarr. Valentia. Ledesma. Vega. Nauarr. Bannes. Azor. Rodriq. Capata.

Probatur primò, Quia qui eligit dignum, relicto digniori, facit contrà vtramque iustitiam; commutatiuam quidèm, quia elector ex officio tenetur consulere illi Collegio, vel Communitati, à qua ius eligendi accepit; quandò enim talis potestas datur, in hunc finem datur, vt conseruationi, & augumento communitatis consulatur: & vt bonum illius omnibus licitis vijs quæratur. & vt elector sit velùt illius tutor; qui tamen tutor nulli dubium est, quin teneatur bonum pupillorum quærere; sed qui, digniori omisso, dignum tantùm eligit, non facit quòd debet, non quærit bonum Communitatis, ergò mortaliter peccat. Secundò facit contrà iustitiam distributiuam, quæ præcipit, vt gradus, & honores tribuantur; attenta ratione meritorum.

Secundò Probatur ex Trid. sess. 24. de reform. cap. 1. & 18. Quibus capitibus præcipitur, quòd dignioribus, & magis idoneis dignitates conferantur sub pœna peccati mortalis.

Trid.

Tertiò. Probatur ex Concilio Basiliensi, sess. 12. decreto de electione Episcoporum, & Prælatorum, vbi ab electoribus, de eligendo meliori, iuramentum exigi debere mandatur. Quod nobis Minimis expressè fuit iussum in illis constit. quas Sanctissimus Pastor Clemens Papa VIII. misit publicandas, & acceptandas in Capitulo Genuensi 6. de quibus suprà sæpè. In quarum fine dicitur, *Iurent electores secundum veritatem conscientiæ propriæ meliores, ac magis idoneos eligere*: Alijs multis, tùm rationibus, tùm auctoritatibus scripturæ, & Patrum hanc conclusionem probant Bannes, Salon, Aragon.

Bannes. Salon. Aragon.

Limitatur tamen primo prædicta conclusio, quòd intelligatur in foro conscientiæ; nàm in foro exteriori sufficit, quòd sit facta in persona digni, vt impugnari non possit. Ità D. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 3. quem sequuntur omnes. Nàm aliter vnaquequè electio calumniam pateretur.

D. Thom.

Secundò. Quòd licèt peccatum sit mortale non eligere meliorem, tamen ex leuitate materiæ potest fieri veniale. Ità Salon 2. 2. q. 63. art. 2. controuersia 3. versu his positis. Sotus loco cit. limit. prima, vt verbi gratia, si sit exiguus excessus inter personas eligendas; vel inter dignitates, ad quas sunt eligendi: vel quando munus, ad quod quis eligendus est paruī momenti. Et Ratio est, quia peccatum iniustitiæ mortale, ex leuitate materiæ fit veniale in omnium sententia. Et hoc etiā electores iurassent de eligendo meliori simpliciter, vt Ledesma loco cit. dub. 1. quia etiam iuramentum promissorium in materia leui nō obligat sub mortali, vt tenent multi Doctores, quos refert, & sequitur Ledesma secunda parte sum. tract. 11. cap. 3. conclus. 5. dub. 1. pag. mihi 875.

Salon. Sotus. Ledesma. Ledesma.

Tertiò Limitatur conclusio; quòd quandò dicitur, quòd in foro cōscientiæ oportet eligere meliorem, intelligitur de possibilibus haberi, & qui in promptu sunt; non enim tenetur elector requirere per orbem digniores; His enim, de quibus constat, quòd haberi non possunt, extrà latitudinem eligibilium computandi sunt. Ità Calet. 2. 2. q. 63. art. 2. versu Nota 4.

Caiet.

Quartò, quòd si necessitas id exigat, vt eligatur dignus, dimisso digniori, nō modò id licèt, sed ità debet fieri; vt quādo beneficiū tenuius datur digniori; quia necessitas illius Ecclesiæ id exposcit; & pinguius digno; quia ibi tanta necessitas non est. Ità Sotus loco cit. arg. 2. contrà nonā cōclusionem. Aragon. loco cit. conclus. 2. corol. 2.

Sotus. Aragon.

Quintò

Quintò limitatur. Quòd quandò sunt plures electores in vno Capitulo, & plures etiam, qui eligi prætendunt, quorum vnus est dignissimus, alter dignior, tertius verò dignus, cum eò res deuenta est, vt si eo suffragabor dignissimo, vt teneor, certè scio alios suffragatores digno solummodò; tunc possum, relicto dignissimo, immò teneor suffragari digniori, ne is qui minùs dignus est eligatur, quia iste dignior hoc casu est dignissimus, qui possit haberi, & hoc etiamsi iurassem de eligendo digniori; quia iuramentum intelligitur inter possibiles haberi. Ità Sotus loco cit. dub. altero. Aragon. loco cit. coroll. 3. Ledesma secunda parte sum. tract. 2. cap. 2. conclus. 7. dub. 2. pagina mihi 241. Rodriguez prima parte sum. cap. 106. conclus. 5. num. 7.

Sotus. Aragon. Ledesma. Rodriq.

Quæres primò. An etiā in electione ad dignitates curā animarū nō habentes suffragari debeamus digniori, an verò sufficiat suffragari digno.

Respondeo etiam hic digniorem esse eligendum. Ità Bannes 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 5. Nauarr. miscell. 38. de orat. num. 4. licet alij apud Nauarrum, sufficere eligere dignum contendant, quos ipse optimè redarguit. Ratio est, quia ratione iustitiæ distributiuæ tenentur electores semper eligere digniores; & gradus, & dignitates conferre illis, qui magis merentur. Confirmatur ex Trid. sess. 24. de reform. cap. 18. vbi loquens de patronis Ecclesiasticis, respectu quorumcumque beneficiorū, dicit, illos teneri eligere digniorē.

Bannes. Nauar. Trid.

Ex quo sequitur, quòd collegiatus, & definitoriatus, & si qui sint alij gradus honorarij in Religionibus debentur semper dignioribus.

Quæres secundò, an etiā summus Pontifex teneatur ad dignitates Ecclesiasticas digniores eligere.

Respondeo teneri. Ità D. Tho. 2. 2. q. 63. art. 2. ad primum, vbi Caiet. versu Nota 3. Ledesma loco cit. dub. 12. pag. mihi 250. Nauarr. miscell. 39. de orat. num. 1. Sotus lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. ad quintum argumentum principale. Reginaldus lib. 30. tract. 3. nu. 195. Salon. 2. 2. q. 63. art. 2. controu. 3. §. An liceat in aliquo casu eligere dignū ad quartum. Probatur, quia Papa non est Dominus, sed dispensator beneficiorum Ecclesiasticorū, iuxtà illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorū Dei.* Verum quidèm est, quòd si indignū eligat, electio erit valida in foro exteriori; non quia Dominus, sed quia sic expedit, & est necessarium pro bono communi, vt ait Ledesma loco cit. & Salon loco cit. in fine. Et eo magis erit valida electio, si indignitas proueniat ex illis Capitibus, super quibus habet auctoritatem Pontifex dispensandi: vt ex defectu natalium, irregularitatis, &c. licèt dispensando sine necessitate peccaret, vt Nauar. loco cit. in fine.

D. Thom. Caietan. Ledesma. Nauar. Sotus. Reginald. Salon. Ad Cor. 4. Ledesma. Salon. Nauar.

Quæres tertiò: An peccet minùs dignus concurrendo cum manifestè digniori, prosequēdo concursum vsquè ad examinationis, vel suffragationis finem.

Respondeo, mortaliter peccat: etiamsi id faciat, non vt ei præponatur, sed vt ex cōcursu cū eo reportet aliquē honorē, vel vtile. Nauarr. miscell. 40. de orat. à nu. 10. quia petit id, quod sibi de iustitia non debetur, & offēdit notabiliter digniorem. Si autèm nō est manifestè dignior: vel nō prosequitur concursū, nō peccat concurrēdo, vt Nauar. ibi, & Caiet. in sum. verbo Benef. §. 2. Reginaldus lib. 30. tract. 3. num. 198.

Nauar. Nauar. Caiet. Reginald.

§. Quintus. Vtrùm possit eligi minùs dignus naturalis, Relicto digniori extraneo.

DICENDVM est, conuenientissimum esse naturæ, & rationi maximè consonum, vt naturales assumantur ad regimen suarum Ecclesiarum, liceretq; electoribus postposito digniori extraneo, indigenam dignum eligere, est sententia D. Tho. 2. 2. q. 63. art. 2. ad quartum, vbi Salon controu. 3. in respons. ad decimum, §. Sic ne optimū quod præcipitur, & Bannes dub. 3. conclus. 3. ad quartum argumentum principale, versu Nihilominùs sententia opposita. Sotus lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. paulo antè decimam conclusionem, & in respons. ad quartum. Val. tom. 3. disput. 5. q. 7. p. 2. §. Tertiò quæritur. Rodriquez tom. 2. q. regul. quæst. 52. art. 6. & in summ. tom. 1. cap. 106. conclus. 6. num. 8. Reginaldus in praxi, lib. 30. tract. 3. num. 200. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 5. q. 1. versu Item cur indigenis, Nauarrus miscell. 38. de orat. num. 3.

D. Thom. Salon. Bannes. Sotus. Val. Rodriq. Reginald. Azor. Nauar.

Probatur primò, ex ijs Scripturæ locis, quibus Deus volens aliquod singulare beneficium facere populo, promittit illi Pastorem, & Prælatum ex eodem gente. Sic habetur Oseæ 2. *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco* Ieremiæ 30. *Conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius disrumpam; & non dominabuntur ei amplius alieni, sed seruient Domino Deo suo, & Dauid regi suo* (idest de gente sua, de carne sua) *quem suscitabo eis*, vbi notanda sunt illa verba, *Conteram iugum, & vincula disrumpam*; quia plus, quàm iugum ferreum portare, & strictissimis vinculis ligari, est gubernari, & Regi ab alienigenis, & Deuteron. 17. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.*

Oseæ 2. Ierem. 30. Deut. 17.

Secundò Probatur ex eiusdem scripturæ locis, quibus Deus quasi sæuissimum supplicium populo minatur, quòd eum gubernandum tradet alienigenis; Sic Deutheron. 28. ait Moyses. *Aduena qui tecum versatur in terra, erit super te, eritque sublimior, tu autèm descendes, & eris inferior; Ipse erit in caput, & tu eris in caudam*; Et Esaiæ 1. *Regionem vestram alieni coràm vobis deuorant.* Et Gen. 42. obseruat scriptura, quòd *Ioseph ad fratres suos, quasi ad alienos duriùs loquebatur.*

Deut. 17. Esaia 1. Gen. 42.

Tertiò Probatur ex sacris Canonibus, cap. enim nullus inuitis, dist. 61. ait Celestinus Papa; *Tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius Clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) poterit reperiri: Primum enim illi reprobandi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat vnusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem.* Quod idem habetur cap. Obitum victoria, d. ead. & cap. Metropolitano, dist. 63. & cap. cum inter, el 2. de elect. & argumento, cap. Neminem, dist. 70. & cap. Hortamur, dist. 71. Ex quibus colligitur, vnumquemque teneri suffragari indigenæ potiùs, quàm extraneo. Idem habetur lege. In Ecclesijs, cod. de Episcopis, & Clericis,

Celestinus Papa.

D. Thom. Quartò probatur ratione D. Thom. loco cit. ad 4. quia vnusquisque, vt plurimum propensiorem habet animum ad suam propriam Ciuitatem, & Ecclesiam, in qua nutritus est, quam ad quamlibet aliam; & hac ratione poterit esse vtilior.

Quintò, quia naturalis cum in sua patria habeat viuere, & mori, vtilior necessariò debet esse quàm extraneus, qui functo suæ Prælationis officio, alio diuertit: & nihil aliud quærit in illa Prælatione, quam non oues sibi creditas, sed se ipsum pascere. Cui loquitur Ezech. 34. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, non greges*, pascere, inquam, se ipsum, & bene ingurgitare, vt deindè in patriam profectus, in qua vnusquisque appetit videri magnus, diues appareat. *Ezech. 13.*

Sextò, quia extranei dominari solent, non gubernare: Dominos se exhibent, non ministros, obliti sententiæ sapientis Ecclesiastici 32. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.*

Itaquè sanctissimæ sunt illæ leges, quibus cauetur, quòd non nisi naturales assumantur ad officia suæ patriæ; & vt ait Sotus loco cit. Paulò antè 10. conclus. *Vtinam eas vbiquè sanciret Ecclesia, quemadmodùm, & in Trid. Concilio, me præsente*, inquit, *consultabatur.* *Sotus.*

Ex quibus colligitur, quam malè faciant illi Generales, qui cogunt fratres alicuius Prouinciæ ad eligendum extraneum; Quod tamen in ordine Minorum facere non possunt per quamdam constitutionem, quam affert Rodriq. tom. 2. quæst. regul. q. 52. art. 6. vbi dicitur, quòd *Ministri Prouinciales in posterum non eligantur ex alienis Prouincijs, nisi magna, in vrgente necessitate, & ex consensu totius Definitorij*. Quæ constitutio deberet fieri in omnibus ordinibus propter dictas rationes. *Rodriq.*

Limitatur tamen conclusio, quandò reperiuntur naturales idonei; Nàm si non reperiantur (quod tamen non credatur, vt dicitur dicto cap. Nullus inuitis, d. 61.) ad extraneos est recurrendum. Peccatum tamen maximę malignitatis est, impossibilitare naturales per subtractionem studiorum, & aliarum commoditatum ad studendum requisitarum, ne habiles fiant ad prælaturas. Et hoc modo se in possessione Prælaturæ conseruare. Et nihilosecius malum, est nolle ad habitum naturales recipere, & si quosdam non nisi amusios, ne eos iure dominij, cum in numerum, & auctoritate creuerint, priuare attentent; Nec scio, quomodò Generales has res supportantes possint excusari à mala administratione sui officij, & grauissima culpa. Nec eos potest ignorantia excusare; nàm ad eorum officium pertinet hæc indagare, vt benè Panor. in cap. Innotuit, de elect. num. 21.

Ad vltimum noto duo. Primum, quòd ille dicitur naturalis, qui in regno natus est: vel saltem in eo domicilium contraxit; & insuper per decennium in eo vixit, & habitauit cōtinuè, vt ait Rodriq. loco cit. art. 8. Ex quadā lege, quā citat; Et ad nostrum propositum ille dicitur naturalis alicuius Prouinciæ, qui in ea sumpsit habitum: seu qui per decennium continuum moratus est. *Rodriq.*

Secundò noto, quòd illa Prouincia, in quam mitteret Pater Generalis aliquem Prælatum ordinarium extraneum, haberet iustam causam appellandi, reclamandi, & contradicēdi. Habetur cap. Nullus inuitis, dist. 61. Si verò per negligentiam, vel discordia, illa Prouincia neminē elegisset, tunc illi posset dari Prælatus extraneus, vt Glossa d. cap. Nullus inuitis, in principio, quæ ad hoc probandum adducit, cap. Volumus, dist. 89. *Glossa.*

§. Sextus. *Soluuntur quædam difficultates in Materia electionis.*

DICO primò, valet electio facta non vocatis ijs, qui sunt priuati, vel inhabiles ad eligendum, licèt primo discussum non sit, an sint priuati; satis enim est, quòd postea possint conuinci. Ità Abbas cap. 2. de postul. præl. nu. 15. Angelus verbo Electio, num. 3. Tab. electio 1. n. 4. quia in veritate, si non habebant potestatem eligendi, non erat opus eos vocare. Secùs autem esset, si essent priuandi; quia priuādus antequàm priuetur, iustè possidet: & habet etiam Sylu. electio 1. q. 2. nu. 9. Arm. illa num. 10. Vega prima parte, sum. cap. 97. casu 4. *Abbas. Angelus. Tabiena. Syl. Armilla. Vega.*

Dico secundò, Si in capitulo essent aliqui excommunicati, vel suspensi, & aliqui non, Si isti ignorabant, eos esse excommunicatos, vel dubitatiuè scientes, ipsos esse excommunicatos vel suspensos, nec potentes sinè scandalo eos à Capitulo ejicere, admiserunt cum protestatione, quòd eos non admittebant ad eligendum, tamquàm ius habentes ad electionem: sed quia dubium erat de illorum excōmunicatione, vel suspensione, valet electio facta. Ità Innocen. in cap. Illa quotidiana, de elect. nu. 2. Abbas in cap. Cumana, eod. tit. nu. vltimo, & cap. cum Vintoniensis, n. 14. Rosella verbo Electio 2. n. 32. Sylu. eodem, q. 15. n. 17. Mir. tom. 2. Manual. q. 23. ar. 11. fine. Dixi, si ignorabāt, nàm defectus vnius, vel aliquorum non debet nocere capitulo id ignoranti. Et habet Nauar. lib. 1. consil. de Elect. consil. 9. n. 1. & Abbas cap. cum Vintoniensis, eodem tit. n. 8. Dixi, vel dubitatiuè scientes; Nàm si certò sciebant, eos esse notoriè excōmunicatos, & denunciatos, à qua denunciatione non appellauerant, electio est nulla. Abbas in cap. Illa quotidiana, de elect. n. 9. Nauarr. loco cit. consil. 2. & habetur cap. finali de procurat. Dixi nec potentes sinè scādalo, Nàm si possunt ejicere sinè scādalo, ejicere debent, etiàm violentèr. Abbas in cap. cū Vintoniensis, de elect. n. 14. Et nota, quòd hoc casu valet electio; etiamsi omnes essent excōmunicati, & vnus solùm habilis, si faceret suas protestationes, vt dictum est, vt habet Innoc. loc. cit. quia tùm totū ius capituli in illo solo residet vt dicit Innoc. Et quòd ius capituli in vno solo possit residere, docēt Glossa in cap. 1. de postul. vbi Panor. nu. 9. Hostiensis lib. 1. sum. de elect. §. Qualiter facienda, nu. 11. pag. mihi 113. Petrus de Baysio in direct. elect. p. 1. cap. 2. num. 6. *Innoc. Abbas. Rosella. Sylu. Miranda. Nauarr. Abbas. Abbas. Nauarr. Abbas. Innoc. Glossa. Panormit. Hostiens. Petrus de Baysio.*

Vndè colligitur, quòd si omnes iàm congregati in Capitulo, verbi gratia decē, aliqui egredientur, verbi gratia quatuor, vel sex, possūt de iure, qui remanent electionem facere: etiamsi vnus solus remaneat, & electio erit canonica. Quia qui exierunt non computantur ampliùs in numero electorum, vt habetur cap. cum nobis,

Glossa; Rodriq. Nauarr. Panorm. Glossa. Petrus de Baiso.

bis, de elect. vbi Glossa verbo reuocare Rodriq. tom. 2. quæst. regul. q. 53. art. 11. Nauarrus lib. 1. consil. de elect. consil. 7. Panormit. in cap. cum nobis num. 10. Glossa etiam in Clem. Quòd circà, de elect. verbo. Quæ in facto Petrus de Baiso cit. num. 8. qui addit num. 9. quod ille solus tamen se ipsum eligere non posit, quamuis meritissimus, cap. per nostras de iure patr. cap. Cumana de electione. Quod intellige, quandò tempus electionis est determinatum, & est in vltimo termino, quo transacto, deuoluitur ius eligendi ad Superiorem; nam si tempus non est vltimo termino, debent expectari vsquè ad illum.

Angelus. Pisanella. Tab. Syluest. Armilla. Miranda. Azor. Mādagot.

Dico Tertiò, si aliquis sit in Ciuitate, vel Monasterio infirmus, scrutatores debent ire ad eū, & inquirere votum eius. Itá Angelus verbo Electio, num. 17. Pisanella eod. 1. §. Omnes electores, in fine, Tab. num. 6. Syiu. q. 5. num. 6. dicto 1. Armilla num. 23. Miranda tom. 2. q. 23. art. 6. conclus. 1. Azor tom. 2. lib 6. cap. 14. q. 7. versu verùm, Mandagotus de elect. cap. 25. p. 1. Quia isti censentur præsentes, vt dicunt præfati doctores, vndè contemni non debent.

In ordine autèm nostro, si quis sit infirmus in Camera, qui non possit ire ad Capitulum, debet ad eum accedere scriba cum scrutatoribus, & afferre capsulam, in qua ponatur suffragium infirmi, quæ debent ab vno scrutatorum ita deferri, vt ab alijs videri possit, ne fraus possit intercedere. Si autem infirmus esset in Ciuitate, & non posset ad Capitulum venire, consultius esset vt renunciaret; Potest enim quilibet renunciare iuri suo, vt dicitur leg. Si quis in conscribendo, Cod. de pactis. Quòd si nollet, debent scrutatores cum scriba ad illum accedere, & factis duabus, vel tribus schedulis à scriba cum duobus, vel tribus nominibus diuersis, vt dictū est, ipse infirmus debet vnam ex his schedulis, conuenientem nomen illius, cui suffragari intendit, includere in littera suo Chirographo subscripta, & sigillata, quæ testetur, illud esse votum suum; quam schedulam sic sigillatam afferent scrutatores cum scriba in capitulum, & reponent in capsulam cum alijs schedulis, aperiendam deindè in collatione votorum. Hoc tamen vsu non est, quò ad eos, qui sunt in Ciuitate Et consuetudo, quòd non vocentur absentes valet, vt Panor. in cap. Cumana de elect. num. 1. Rosella electio 1. n. 10. Sylu. eodem, q. 3. n. 4. d. 3.

Panorm. Rosella. Sylu.

Sed quid faciendum, si moriatur vnus Collega Generalis, vel Generalis ipse, & alter collegarum sit absens, debet ne expectari, & vocari?

Respondeo, si commodè potest vocari, debet vocari, & expectari per spatium trium mensiū, vt dictum est, cap. Quia propter, de elect. §. Illud autèm; & cap. Quòd sicùt, eodem titulo; nisi fortè iuri suo renunciare vellet; vel vices suas alteri committere, dicto can. Quia propter. Sed quid si non vocaretur? Electio esset ne ipso iure nulla? Non esset; Si ipse vellet habere ratam, vt Glossa in cap. Quia propter, verbo Sanior; esset tamen annullanda, si ipse nollet eam ratam habere: Vt probat Passarellus in scholijs ex Aulnionensi, n. 2. ad tertium, & Vega loco cit. casu 7. Armilla verbo electio, nu. 20. Sylu. electio 1. q. 2. dist. 5. & habetur expressè cap. Bonæ memoriæ, el 2. §. Electionem, & cap. Quòd sicùt, de elect. vbi Panor. nu. 3. Quis autèm dicatur posse commodè vocari, docet Hostiensis in sum. lib. 1. de elect. §. Qualiter facienda, nu. 11. pag. mihi 111. dicens, id relinqui arbitrio iudicis considerantis pericula imminentia, discrimina viarum, periculum schismatis, abusum laicæ potestatis, vel imminentia bella, &c. Quod ipsum notat Rosella electio 1. num. 9. Si autem nullum horum interuenit, est citandus quantumuis absens. Quia iudicabitur, tùm commode posse citari; quandò nullum adest impedimentum. Quis autem sit iste iudex, qui hoc potest arbitrari. Dic quod est Iudex, qui habet electionem confirmare, argumento cap. fin. de electio p. 3. cap. 8. nu. 3.

Glossa. Passarell. Vega. Armilla. Sylu. Panorm. Hostiens. Rosella.

Si quæras, an possit statui terminus minor trium mensium, si duæ partes sint præsentes, & possit assignari alteri parti terminus, intrà quem si non venerit, non erit ampliùs expectanda. Dico, quòd sic, modò assignetur aliqua vrgens causa; quarè debeat electio fieri intra illud tempus minus trium mensium. Itá Hostiensis loco cit. Tab. electio 1. num. 10. Sylu. eod. q. 7. nu. 8. secùs autèm si duæ partes non sint præsentes: vel nulla sufficiens assignetur causa coarctationis; nàm tùm debet expectari vsq; circa finem trium mensium.

Hostien. Tab. Sylu.

Si quæras vlteriùs an assignato termino ad eligendum, verbi gratia Die Pentecostes, si aliqui non compareant, possint reliqui ad electionem procedere. Dico, quòd sic. Armilla electio 1. num. 19. Vega loc. cit. casu 6. Panorm. cap. cum inter vniuersas, de elect. num. 10. & cap. cum nobis, eod. tit. num. 9. Mir. tom. 2. manual. q. 23. art. 6. conclus. 3. Et iamsi vnus solus reperiretur in Capitulo, vt notat Panor. d. cap. cum nobis, num. 9. Quia iste non tenetur dimittere ius suum propter absentiam aliorum. Et Ratio est, quia ex quò terminus est præfixus à iure, omnes videntur esse moniti in termino, vt dicitur, cap. potuit, de loc. & conduc. Et nota, quòd debent venire ea hora diei qua solet fieri elect. Panorm. in cap. cum nobis, de elect. num. 11.

Armilla. Vega. Panorm. Miranda. Panorm.

Dico quartò in electionibus vota incerta, & conditionata, seù alternatiua non Valent. Itá Rosella electio 1. num. 17. Pisanella eod. §. In electionibus, Tab. num. 24. Armilla num. 29. Antoninus tertia parte, tit. 19. cap. 2. §. 3. versu Itèm nota.

Rosella. Pisanella. Tab. Armilla. Antonin.

Probatur ex cap. In electionibus, de elect. in 6. Vota autèm incerta dicuntur. Eligo illum, quem Petrus voluerit, vel eligo eligendū. Conditionata. Eligo Petrum, si electus fuerit à maiori parte Capituli. Alternatiua. Eligo Petrum, vel Paulum; vndè si reperiatur in capsula, seù in scrutinio aliquod ex dictis votis, non computatur in numero, sed electio fit ex alijs votis, vt habetur d. cap. in electionibus. Idem est dicendum, si in scrutinio reperiatur aliqua schedula alba; Quia censetur, qui eam posuit, iuri suo renunciasse. Vt Nauar. lib. 1. consil. de elect. consil. 7. Vega 1. p. sum. cap. 97. casu 5. Rodriq. tom. 2. q. regul. q. 51. art. 13.

Nauar. Vega. Rodriq.

Dico quintò, si electio tenet de iure naturali; puta quia ad fuit consensus eligentiū, tamen est nulla propter solemnitates iuris non seruatas, non tenetur electus in foro conscientiæ renunciare. Rosella electio primo, num. 29. Sylu. eod. q. 10. nu. 11. & verbo Alienatio, q. 13. nu. 11. Nauar. lib. 1. consil. de elect. consil. 8. n. 2. qui desumpserunt ex Innoc. cap. Quòd sicùt, de elect. nu. 7.

Rosella. Sylu. Nauar.

Dico sextò, cassanda est electio illius, qui requisitus antequam esset electus, cólensit electioni de se faciendæ, quia præsumitur ambitiosus. Rosella electio primo num.31. Pisanella eod.§. Quando potestas Tab. num.26. Antoninus tertia parte, tit.19. cap.2.§.4. Vega loco cit. casu 4. qui notat, quòd ad annullandam electionem, non sufficit petere, an velit, sed debet consentire,& velle eligi. Habet etiam Panor. cap. cum post, de elect. nu.1.& Glossa dicto cap.cum post verbo requisitum, nostra conclusio habetur dicto cap. cum post,& cap.Officij, de elect. similiter sollicitans electores pro sua electione, reddit se indignum ad illam dignitatem, quia præsumitur ambitiosus. Habetur in cap. per inquisitionem, de elect. vbi Panor. num. 5. & habet Glossa in cap. tuam, verbo nullum prorsùs, de ætate, & qualit. ord.

Rosella. Pisanella. Tab. Anton. Vega. Panorm. Glossa. Panor. Glossa.

Sed quomodò, inquis, se debet habere electus vt electioni de se factæ consentiat; si consensus requiratur ante electionem.

Respondeo, quòd nullo modo debet consensum præstare, quia cassabitur electio, vt dixi propter ambitionem,& debet respondere nolo, quòd me eligatis, & ita rogo. Potest etiam respondere. Non intendo Dei vocationi resistere Et sic potest indirectè declarare voluntatem suā. Si autem requiratur consensus post electionem factam, potest electus respondere, volena volo, & nolo volens, & est honestum non statim consentire, sed aliquantulùm resistere, ne notetur ambitione; Non tamen damnatur, si incontinēti consentiat: præsertim si dubitat, ne aliquis perniciosus se ingerat. Vndè tunc potest dicere, Charitas cogit me ad consentiendum. Ità Panor in cap.cum post, de elect.num.5.

Panorm.

Dico septimò, Electio facta de nocte non valet: si est per scrutinium, quia cum per Tridentinum debeat fieri secretò, forma illa cap. quià propter, de nocte sine lumine seruari non potest Ità Armilla verbo Electio, nu.15. Vega loco cit. casu 5. Rodriquez tom.2.q.regul.q.61.art.15.qui limitat finē necessitate; nàm quandò electores per totum diem electionem facere non potuerunt, putat, quòd possint eam facere de nocte, idest, vsquè ad mediam noctem, Adhibitis luminaribus, quod etiam sentit Mir. tom.2. Manual. q.23. art. 11. quod est intelligendum, quandò finitur ultimus electionis dies, qua transacta, electio deuoluitur ad Superiorem. De nocte autem intelligitur non statim post occasum solis, nec post pulsatam AVE MARIA; quia tunc etiā homines se recolligunt; sed intelligitur quandò iam tenebræ sunt super terram, vt docent Nauar. lib. 1. consil. de elect. consil. 8. qui addit, quòd electio facta post tenebras valet, quò ad forum conscientiæ, si seruata sunt omnia, quæ de iure seruari debent, quò ad formam, & quò ad substantiam.

Armilla. Vega. Rodriq. Miranda. Nauar.

Dico octauò, Instante termino electionis, si dubitatur de aliquo, an habeat vocem, nec id potest commodè probari, debet admitti cum protestatione, quòd illius votum non valeat, nisi in quantùm postmodùm apparuerit, cum debuisse interesse,& sic non nocet. Panor. in cap. Cumana de elect. num. 2. Armilla verbo electio, num. 8. Vega loco cit. casu 3. Graff. lib. 1. consil. de elect. consil. 3. difficul. 6. In ordine nostro statutum est capitulo Val. 3. num. 8. quòd quandò constat de alicuius priuatione, & non constat de habilitatione, non possit hic habere vocem in electionibus, quousquè suam rehabilitationem non probet. Quod est valdè conforme cap. constitutis, de elect. & habet Glossa in cap. cumana, verbo præsentes, eod. tit. colligitur ex Panor. cap. cum inter Canonicos, de elect. num.7.

Panorm. Armilla. Vega. Graffius. Glossa. Panorm.

Dico nonò, In electione Correctorum nostri Ordinis Minimorum, vocem habent omnes Sacerdotes professi, qui saltem per triennium laudabiliter vixerunt in Religione, occurrit, quòd moritur corrector; interim, antequàm fiat noui correctoris electio, ordinatur quis in Sacerdotē qui dictas habet conditiones, vltra quas est etiā admissus à Prouinciali ad vtramquè vocem, ad quem Prouincialem pertinet declarare, an vixerit laudabiliter, nec ne: Dico, quòd iste poterit votare in electione correctoris Defuncti, licèt tempore mortis nō esset Sacerdos. Ità Graffius expresse lib. 1. consil. de elect. consil. 1. difficul. 3. tom. 2. Glossa Clem. 2. verbo Constitutus, de ætate,& qualitate præfic. Rodriq. to.2.q. regu. q.51. art.5. versu & aduertendum. Suarez tom.4. de Relig. lib.2. cap.4. num.6. Probatur ex cap. cū inter R. de elect. in fine; & cap. Apostolicæ, de except. Quod idem dicendum est de eo, qui non erat habilis tempore mortis, vel non erat Sacerdos tempore statuto pro electione, quod tamen tempus aliqua occasione fuit translatum, quo deinde factus est habilis, seu Sacerdos; verbi gratia, electio Correctoris fit singulis annis die 15. Septembris, occurrit casus, quo transfertur vsq; ad diem 25. interim quis ordinatur Sacerdos, seu ab habente potestatem rehabilitatur, dico, quòd iste poterit votare in electione correctoris. Et in vniuersum ad hoc vt quis habeat vocem in quacumquè electione, satis est, quòd sit habilis tempore, quo fit ipsa electio; etiamsi tēpore vacationis seu pro illa determinato non erat habilis. Quod ex professo probat dicta Glossa, & Graffius.

Graffius. Glossa. Rodriq. Suarez. Glossa. Graffius.

Dico decimò, electio antè publicationem mutari potest, post publicationem vero nunquam, Hostiensis in sum. lib. 1. de elect. §. virùm mutari possit, num. 22. Glossa in cap. quanto Apostolica, d. 63. Sylu. electio 2. q. 7. num. 9. & habetur capite publicato, de elect. à contrario sensu.

Hostiens. Glossa. Sylu.

Sed quid si appelletur, & opponatur, ne fiat publicatio. Respondeo, si pars appellans sit minor, & nihil rationabile opponat, tùm non obstante tali appellatione, debet fieri publicatio iuxta caput quia propter, de elect. si autē omnes, vel maior pars opponāt, & petāt variari, tùm antè publicationē variari debet, Hostiens. loc. cit.

Hostiens.

Sed quid si vnus electorum tantùm velit votū mutare iam datum; quia de nouo audiuit vitium vel defectum latentem, quem adhùc non audierat, Hostiensis arbitrio boni Iudicis relinquendum putat, considerata qualitate personę, & causæ, attenta etiam conditione personæ electæ, & personæ, à qua eligens intellexit vitium latens; potest enim esse, vt fraudolenter imputauerit eligendo vitium; sed si vitium de nouo auditum sit verum, putat quòd potest variare.

Hostiens.

Dico tamen absolutè, quòd postquàm conuenerunt omnes electores in capitulum, & quis dedit suum suffragium, ponens schedulam in vrnā, non potest ampliùs eam reassumere, & votum mutare, Ducor 1. Quia sic posset quilibet ex malitia

Jitis in longum electionem pertrahere, & inquietare, quod est damnosum cap. cum inter vniuersas, de elect. 2. quia nemo potest mutare consilium in alterius præiudicium lege oemo, ff. de re iudicata. Tertiò quia quod semel placuit, ampliùs displicere non potest, per regulam. Quod semel 21. de regul. iur. in 6. Quartò quia multùm negligens est, qui ante ingressum capituli non format conscientiam suam, & oon cogitat de eligendo, & illius conditiones oon considerat; Diximus enim supra, quòd qui non adhibuit omnem diligentiam, ad cognoscendas conditiones personæ eligendæ, non saluat conscientiam suam. Vndè si vitium latens audit, postquàm suffragium dedit, potest imaginari, illud non esse verum; quòd si non possit, quia verum est; Doleat, non de peccato, quod non commisit, cum fecerit quantùm potuit; sed de malo, quod commonitati imminet, & dissuadeat quantum potest, qui adhuc non vouerunt. Quintò quia proiecta schedula in vrnam, ità miscetur cum alijs, vt impossibile sit eam cognoscere; Vnde posset quis in fraudem electionis, seu in odium electi fingere, velle sumere, suam schedulam ad mutandum votum, & sumere aliam. Tandem si hoc admitteretur, numquàm cessarent lites, & campus apertus aperiretur malignis & litigiosis contrà id, quod dici tur cap. dixit 32. q. 1. Fauet dictis hic Rodriq. tom. 2. q. regul. q. 51. art. 7. Miranda tom. 2. q. 23. art. 14. conclus. 1.

Rodriq.
Miranda.

Dico vndecimò, electo per electorem ad eam dignitatem ius acquiritur Prælaturæ, sed non exercitium antè confirmationem. Ità Hostiensis In sum. lib. 1. de elect. §. Quid operatur, n. 36. Abbas in cap. postulationem, de postul. præl. num. 4. & cap. cum dilectus, de consuetud. nu. 8. Nauar. comm. 2. de regul. num. 65. Graff. lib. 1. consil. de elect. consil. 2. num. 1. tom. 1.

Hostiens.
Abbas.
Nauar.
Graffius.

Probatur ex cap. legimus, dist. 93. vbi dicitur, quòd electio facit Imperatorem, & cap. cum inter Canonicos, de elect. in fine, & cap. cum dilecta, de rescriptis. Glossa in cap. Quantò Apostolica, dist. 63. verbo Relatio, Vndè sequitur, quòd electus petendo confirmationem, nullam petit gratiam, cum pleno iure innitatur. Et sic si confidit de idoneitate personæ suæ, potest accedere ad Iudicem cum caputio, vel bireto non eleuato, & comminari, quòd nisi ipse confirmet, habebit recursum ad superiorem, si confirmans superiorem recognoscit. Ità Panorm. loco cit.

Glossa.
Panorm.

§. *Septimus. Vtrùm per electionem in Regula Minimorum ius correctori Electo acquiratur, ità vt possit illam repetere in Iudicio.*



NOTANDVM est, quòd electio nostrorum correctorum fit singulari modo per determinationem nostræ regulæ in Correct. nom. 103. fiunt electiones in singulis Conuentibus die 15. Septembris, pro vt determinatum fuit in Capitulo Romano 6. num. 14. & factæ electiones secreto conseruantur, vt habetur Capitulo Valentino 4. n. 26. mittendæ pro confirmatione ad Capitulum definitorium, cum littera testimoniali, illam esse electionem illius Conuentus, scriba tantummodò notificante Capitulo electionem adesse. In Capitulo definitorio deindè aperiuntur dictæ litteræ continentes electiones; quæ quidem electiones etiam aperiuntur, & facta collatione numeri schedularum ad numerum fratrum subscriptorum, examinantur à definitoribus, quæ si inuentæ fuerint Canonicæ, confirmantur, sin aliter, prouidetur Conuentibus de alijs Correctoribus per definitorium.

Modò quæritur, an Definitores habeant plenariam potestatem super huiusmodi electionibus; ità vt eas absquè vlla ratione cassare, & annullare possint, & absquè eo quòd possit electus agere pro sua electione, & in iudicio eam repetere. Certum est, vt dixi, de iure, communi, quòd per electionem ius acquiritur electo Quod ius si illi à confirmatore, vel alio tollatur, potest agere pro eo conseruando, & illud in iudicio repetere.

Tota itaquè dubitatio est de iure particulari nostrarum constitutionum, & de Correctoribus nàm de Generali, vel Prouincialibus non est dubium, quin per electionem eis ius acquiratur. In qua dubitatione Reuerendus P. F. Gaspar Passarellus, nostri Ordinis decus, & Doctissimus Canonista, & in nostris constitutionibus expertissimus, in scholijs ex Auinionensi, num. 15. dicit, quòd Corrector hoc pacto electus nullum ius acquirit per electionem ante confirmationem; Vndè si non confirmetur, non potest pro illa electione agere in Iudicio. Passarell.

Probat primò tribus Rationibus, quas in hoc casu pro se habent fratres Prædicatores; Quià quantumcumquè ab omnibus eligatur, nullam tamen habet administrationem, sicùt habent superiores Prælati;

Secundò, quia Religiosus non habet velle, neque nolle.

Tertiò, quia Religiosus electioni de se factæ, extrà suum Monasterium sinè licentia sui Superioris, non potest consentire.

Quartò specialiter. Quia quantumcumquè ab omnibus eligatur, tamen in potestate Prouincialis, & Definitorum est confirmare, vel reprobare. Quia Correctorium, num. 103. dicit, quòd in Capitulis Prouincialibus fiat definitio Correctorum, in Conuentibus priùs electorum. Definitio autèm in definiente præsupponit liberam potestatem.

Quintò. Quia secreto fiunt huiusmodi electiones, & secretè seruantur, quousquè in prædictis Capitulis maturè definiantur.

Sextò. Quia fuit conclusum in Capitulo Val. 3 num. 8. quòd super iure electionis non confirmatæ, non posset agere electus in Correctorem, si per aliquam missam obedientiam remoueretur. Secùs super confirmatæ, quia non posset amoueri sinè causa, secundùm determinationem dicti capituli Valentiæ.

His tamen non obstantibus puto, quòd electi in Correctores ius habeant ad electionem, & quòd illam possint in Iudicio repetere.

Probo primò ex Capitulo Tholosano, nn. 48. dicitur, quòd *in Capitulo Prouinciali, si Prouincialis, & Definitores reperirent alicuius Conuentus Correctoris electionem iniustam, poterunt super huiusmodi*

huiusmodi prouidere; ergò à contrario sensu, si iustã inuenerint, prouidere non poterunt, sed confirmare tenebuntur. Quod argumentum à contrario
Hostiens. Panorm. sensu in iure fortissimum est, vt habet Hostiensis in sum. lib. 1. de elect. §. Verùm mutari possit, num. 28. & Panorm. in cap. Publicato, de elect. num. 6.

Secundò. Probo ex capitulo Val. 1. num. 21. vbi dicitur. *Et quia est abusus in aliqua parte, præceptum Correctorij ac Correctorum electione non obseruari, Sed ad Prouincialis voluntatem nouos non electos in quolibet Conuentu, electos autèm non confirmare. Ideo decreuerunt, quod deinceps Correctorij præceptum obseruetur. Ità quod qui fuerint per localia Capitula electi, si fuerint idonei, & sufficientes postmodum per Prouinciale Capitulum assignentur.* Non potest dici clariùs meo videri.

Tertiò. In capitulo 2. Val. nu. 16. dubitatum est a quibusdam, an teneatur Prouinciale Capitulum assignare Correctorem alterum illorum, qui fuerunt in vocibus pares, & ambo idonei. Cui dubio responsum est, *liberum esse Capitulum Prouinciale, ad quod talis electio deuoluta est, alterum, vel neutrum eligere, cum nullius sit electio;* Quæ determinatio est conformis iuri Canonico cap. Quoniam, de iur. patron. Et cap. si forté, dist. 63. iuncta Glossa, verbo Tantum vt nullus; ergò si quis est à maiori parte electus, & est idoneus, non est in potestate Capituli eam mutare. Ergò electo ius ad Prælaturam, & confirmationem acquiritur.

Quartò. Probo ex Capitulo Romano 4. n. 13. in fine, vbi dicitur quòd *possunt Correctores per oblatos, aut alios fideliter electiones suas in Capitulum Prouinciale mittere, confirmandas ibi per Prouincialem, & Definitores;* ergò si Definitoriũ solùm habet confirmare, electus ad eam ius habet; Nam confirmatio est iuris priùs habiti Corroboratio, vt
Hostiensis. ait Hostiensis in summa, lib. 2. tit. de confirm. vtil. vel inutil. § Quid sit. Et nota, quòd dicit *confirmandas*, non assignandas, neque mutandas.

Quintò. Probo ex Capitulo Paulæ, num. 13. quod fuit confirmatum à Pontifice, vt dixi, vbi sic habetur. *Tandèm exactè ponderantes electionem fratris Ioannis Saracini in Correctorem localem Conuentus Ambasiæ, & eiusdem confirmationem à Capitulo Prouinciali datam Definierunt, quòd non obstantibus quibuscumquè Præfata electio Canonicè facta, & confirmatio suum sortiantur effectum Et Fr. Franciscus Gaudiou cedat alteri tamquàm suo benemerito Correctori.* In qua determinatione attendendum est, quòd, vt ex ea colligitur, apparet, quòd dicti Fratres Ioannes, & Franciscus fuerunt ambo electi in Correctores Conuentus Ambasiæ. Et quòd frater Ioannes fuit confirmatus à Capitulo Prouinciali, quam confirmationem ægreferens Fr. Franciscus, appellauit ad Capitulum Generale, quod tamen approbauit electionem, & confirmationem præfati Fratris Ioãnis, & determinauit, ipsum Fratrem Franciscum debere cedere dicto Fratri Ioanni. Verbum autèm cedere significat renunciare iuri acquisito, seù illud in alium transferre, vt colligitur ex Clem. Vnica, de renunc. & cap. Quàm periculosum, 7. quæst. 1. Ergo si Capitulum determinauit, vt cederet, supposuit, ipsum iàm acquisiuisse aliquod ius, cui pro litigijs vitandis iussus fuit cedere, hoc non poterat esse aliud, quàm ius ad electionem Correctoris, ergò,

Dices ex isto decreto solùm colligitur, quòd Frater Franciscus se opposuerit electioni dicti Fratris Ioannis, & quod pro ea infirmanda recurrerit ad Capitulum Generale.

Respondeo, hæc non benè sonant cum verbis dicti decreti; Tum quia per hoc non fuisset necessariò recurrendum ad Capitulum Generale; has enim lites Definitorium dirimit. Tùm quia non damnaretur, vt cederet, sed iuberetur desistere, & tamquàm litigiosus, & contrà Capitulum Prouinciale pugnans puniretur. Dicendum ergò est, quòd prætendebat ius suum per electionem acquisitum. Et quòd posset illud prætendere, insinuat Capitulum in illis verbis, *Exactè ponderantes*. Nàm si certum esset in nostra Religione Minimorum, quòd Correctores electi nullum ius acquirerent, non opus erat tàm exacta ponderatione, sed sufficiebat, competitorem à Capitulo Prouinciali confirmationem obtinuisse.

Sextò, si liberum esset definitoribus Correctorem electum assignare, vel reprobare; ad quid illa constitutio, quę tanti fit in nostra Religione Clementis Octaui. *Quòd Superiores non possint amouere Fratres è Conuentu, in quo sunt locales, per tres menses antè electionem, quæ habebit fieri in tali Conuentu. Nec in dicta electione vocem habeant illi Fratres, qui per tres menses antè electionem non fuerint locales in illo Conuentu.* Ad quid, inquam, tantæ diligentię, si per electionem, quę fit in singulis Conuentibus, nullum ius acquiritur electo; si non suam potest prosequi iniuriam, si non cõfirmetur. Ergò dicendum est de mente Pontificis esse electum à fratribus Conuentualibus in Correctorem, ius ad tale officium habere; & Definitorij solùm esse examinare, an electio fuerit Canonica, & sic eam confirmare, vel reprobare, si secùs.

Septimò, quia hoc esset priuare Fratres, saltèm indirectè iure eligendi, quod est contrà Regulam; Quid enim prodest illa electio, si liberũ est Definitoribus illam mutare, vel annullare. Itaquè censeo, non posse Capitulum Definitorum electiones Correctorum annullare, neque etiam Correctores electos mutare de vno ad alium locum. Nàm in hoc irrogatur iniuria, non solùm electo, qui per electionem non acquisiuit tantùm ius ad Correctoratum in communi sed ad talem in particulari. Fit etiam iniuria electoribus, & quia priuantur sua auctoritate, & quia electus est illis magis gratus, quàm quilibet alius, & magis amatus. Poterunt tamen aliquandò tales circumstantiæ concurrere, vt expediat pro bono communi mutare; Annullare autèm absquè aliquo defectu Canonico, vel in eligentibus, vel in electo, vel in electione, numquàm licebit.

Ad primum in contrarium Respondeo. Si Fratres Prædicatores habent illud statutum, quòd electi in Priores nullum ius acquirant, vt ipse Passarelius testatur, & habet etiam Ledesma Ledesma. p. 2. sum. tract. 7. cap. 2. conclus. 7. dub. 10. pag. 248. Est quid speciale, & erit confirmatum à Papa, vt sunt ferè omnia statuta dicti ordinis. In nostra Religione adhùc non est inductum. Prima autèm illa ratio nequidquam valet; nam de iure electionis est, vt electus nondùm confirmatus nullum habeat exercitium; immò se in administratione ingerens, priuatur iure electionis, vt

habe-

habetur expressè cap. Auaritiæ, de elect. in 6. & dicam infra; & tamen ius habet ad electionem, vt dixi, secundùm opinionem communem, quã ipsemet probat Passarellus hoc loco; Quòd autem Prælati Generales, & Prouinciales statim ac electi habeant administrationem, est Priuilegium quò ad Generales, quod habetur in marimagno in principio. Quò ad Prouinciales verò, habemus expressum statutum in Capitulo Val. 3. num. 9.

Ad secundũ, respondeo primò. Illud etiã posse dici de Prouincialibus, qui Religiosi etiã ipsi sũt & tamen negatur ab ipso Passarello. Secùdò Respondeo, illud quod dicitur cap. Religiosus, de elect. in 6. Religiosos non habere nec velle neq; nolle, non intelligitur, quòd non possint liberè velle, ac nolle, sicut alij non Religiosi, sed quòd non debent, nec sine peccato possunt velle, vel nolle quidquam contra ius Regulæ, quam sunt professi: vel voluntati Superioris iubentis eis secundùm eamdem regulam. Ità Glossa in extrauaganti, Quorumdam, de verbo signific. Ioã. 22. §. In primis, verbo Voluerint Nauar. com. 2. de regul. num. 59. qui addit ex D. Thoma 2. 2. q. 104. art. 5. *Posse etiam Religiosum multa licitè velle, & nolle præter voluntatem Superioris: immò, & contra illam, si iuberet contraria: vel extraria regulæ*, Vt etiam patet ex supradictis. Hoc autem quòd Corrector electus non acquirat ius ad electionem, est contra præceptum Correctorij, explicatum in Capitulo Val. num. 21. Quod adduxi in secunda probatione. Addo etiam, quòd in ijs quę sunt iuris naturalis, comedere sobriè, bibere parcè, vestire pauperrimè, habent Religiosi liberum velle, & nolle, vt habet Glossa in dicta extrauaganti quorumdam. Immò ipsamet extrauagans.

Ad tertium Respondeo, concedendo, quòd si Religiosus eligatur ad aliquam Prælatutam extra ordinem, non potest illi consentire sinè licentia sui Superioris, vt dicitur in cap. Si Religiosus, de elect. in 6. Non autem si eligatur ad Prælatutam in suo ordine; quia eo ipso quòd eligitur à Capitulo, eligitur à suo superiore. Vnde in acceptatione nullus Prælati consensus exigitur, vt notat Panor. in cap. Cum dilectus, de Consuetud. nu. 2. Nec potest dici electus ab extraneis, qui eligitur à Conuentu eiusdem Prouinciæ, licèt electus in eo non resideat, quià per nostras constitutiones Correctores possunt eligi de corpore totius Prouinciæ, nec possunt dici extranei, qui sunt greges eiusdem Pastoris.

Ad quartum Nego, quòd in potestate Prouincialis, & Definitorum sit confirmare; Nàm cum hoc sibi assumpsissent Prouinciales, & Definitores, sublatus est hic abusus in Capitulo Val. 3. nu. 21. Ad aliud de correctorio, dico, id esse declaratum in Capitulo Tholosano, nu. 48. & Genuensi 5. nu. 19. In quibus liberum relinquitur Prouinciali cum Definitoribus, quandò aliquis electus fuerit in correctorem à pluribus Cõuentibus, vtri eorum assignare; seu illum assignare propter aliquam rationabilem causam assignandam, & vensilandam in Correctorem alicuius Conuentus, in quo electus non fuerit: seu prouidere, & assignare Correctores illis Conuentibus, in quibus non fuit facta electio, vt dicitur in Capitulo Genuensi 5. citato. Et hæc est libertas, quam habent Prouincialis, & Definitorea, Addo, quòd definire non supponit liberam voluntatem, saltem hoc casu, sed significat negotium finire, seu determinare.

Ad quintũ Respondeo, quòd ideò huiusmodi electiones confirmantur, vt de illis in Capitulo Definitorio definiatur: an iusta fuerint, nec ne; an defectus aliquis intercesserit in forma electionis, in personis electorum, in persona electi; Hoc tamen non arguit, quòd electo ius ad eam electionem non acquiratur.

At inquis, si nescit, an sit electus, quomodò potest ius acquirere.

Respondeo, semper plus, minusuè scitur, quisnam sit electus; quià licet non sciatur in communi, sciunt tamen electores omnes in particulari, cui suffragati sint: & quis vetat post electionem eos sibi inuicem reuelare? Deindè illi electo ius iam est acquisitum, etiam si nihil sciret, vt puta si eligeretur absens: Tertiò scitur post publicationem electionis in definitorio: Quartò ius non acquiritur per scientiam; sed per liberam voluntatem suffragantium.

Ad sextum Respondeo primò quòd tùm debet obedire electus, quià cum iam fuisset amotus per Patrem Generalem, & translatus in alienam Prouinciam, iàm in ea, in qua fuit electus, eligi ampliùs non poterat; Quià Correctores eliguntur de corpore Prouinciæ: Secundò Respondeo, posse Patrem Generalem propter bonum commune totius Religionis, electum in Correctorem amouere, & aliò, vbi magis talis electus est necessarius, transmittere. Tandem nota quòd hic dictis non obstat statutum in cap. Rom. 7. sess. 8. requiritur enim ibi iusta, & rationabilis causa designanda in actibus ipsius diffinitorij: nota virerius quæ dico supra cap. 12. versu probatur r. & versu, neque credendum est ad hoc, vt mutari possint electiones; Quòd intelligo iuxtè d. probatione 7. Nostra autem conclus. est maximè conformis cap. Monachi de statu Monach. §. Priores.

§. *Octauus, Soluuntur aliæ difficultates circà eamdem materiam de electione.*



Dico primò, si quis antè tempus ordines sacros suscepisset, Presbyteratũ verbi gratia, adhùc tamen posset, si aliud non obstaret, electioni interesse, & suffragium ferre. Ità Rodriquez, tom. 2. quæst. regul. q. 51. ar. 5. vide pro hac quæst. Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 4. num. 7. Ratio est, quià ad eligendum requirunt Canones sacros ordines, non ætatem, & Concilium Trid. sess. 25. de refor. cap. 4. non decernit, quòd qui 25. annum attigerit, vocem habeat in electionibus, sed statuit, quòd sit sacris ordinibus ordinatus. Dixi, nisi aliud obstaret. Tùm quià in ordine nostro non solum requiritur, vt qui debet in electionibus votum habere sit presbyteratus ordine insignitus, sed etiàm, vt vigesimum quintum annum ad minus attingat, vt patet ex capite nono regulæ, num. 39. Nisi fortè vellimus dicere, quòd regula non loquatur de his, qui debent eligere, sed solùm de his, qui debent eligi, nimirum vt nullus eligatur in Correctorem, qui 25. an-

Marginalia (left): Glossa; Ioan. 22, Nauar. D. Thom. — Glossa; — Panorm; (right): Rodriq. Suarez.

25. annum ad minus non attigerit. Quo pacto locum illum regulæ videtur intellexisse Passerell. qui ad marginem citauit Clem. Ne in agro, de statu Monachorum §. Cæterùm, quæ loquitur non de electoribus, sed de electis. Tùm quià, qui antè ætatem legitimam ordines suscipit, remanet suspensus: & si in ordine suscepto ministrat, fit irregularis, per extrauag. Pij II. quæ incipit Cum ex sacrorum, quam refert Cherub. in suo bull. tom. 1. in Pio II. constit. eius 7. pag. mihi 379. & per extrauag. Sixti V. quæ incipit Sanctum, & salutare, quam refert idem Cherubinus tom. 2. bulla. in Sixto V. constitut. eius 91. pag. 651. Quam tamen constitutionem Sixti ad terminos iuris communis, & præfatæ bullæ Pij II. reduxit Clemens Octauus per bullam quæ incipit, Romanum Pontificem, quam refert idem Cherubinus, tom. 3. bull. in Clement. constit. eius 40. pag. mihi 54. De quibus constitutionibus mentionem facit Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 23. art. 8. Suspensus autem est priuatus iure eligendi, vt dixi suprà notab. 8. Sublata autem suspensione, non est cur ab electione repellatur.

Cherub. *Rodriq.*

Subnecto hic, aliud non spernendum dubiū. Quidam Regularis antè legitimam ætatem ordinem Presbyteratus suscepit, quo suscepto, pœnitentia ductus accesserit ad suum Prælatum pro remedio (alij enim contrarios, & eius parentes sæculares illum stimulant, & sollicitant, vt missam nouam cantet) illi Prælatus non credit, sed putat, ipsum velle frui priuilegijs Sacerdotum, sed nolle illorum onera ferre, & hortatur, vt breui missam cantet; recurrit iste ad summum Pœnitentiarium Romanum, qui rescribit, quòd expectet tempus legitimum, sternit se iterùm iste ad pedes Prælati pro remedio; qui tamen nullū affert. Quid faciet iste, potest ne celebrare?

Respondeo, quòd poterit iste tuta conscientia celebrare. Ratio est, quià Lex, quæ prohibet ordinē Presbyteratus suscipi ante 25. annum, saltē inceptū, lex humana est, sicut illa, quòd recipiēs suspēsus remaneat; cui legi præpōderat lex diuina naturalis de scādalo cauēdo, & famæ propriæ consulendo. Habere tamen debet animum impetrandi dispensationē omnibus vijs possibilibus. Colligitur ex Sanchez libro 7. de matrim. disp. 37. q. 5. nu. 38. & 43. Baldus in summa verbo irregularis nu. 23. Henriquez de Pœnit. lib. 3. cap. 15. in fine, Lopez to. 2. cap. 93. q. 5. Gutierrez lib. 1. Canonic. quæst. cap. 13. à num. 21. & multos ad id citat num. 22. & sequent.

Sanchez. Baldus. Henriq. Lopez. Gutierrez.

Dico 2. Si electio Prouincialis, aùt Generalis, vel etiam correctoris coarctetur ad tres, vel quatuor personas particulares, non est valida, neque Canonica, sed ipso iure nulla. Rodriq. tom. 2. q. regul. q. 52. art. 11. & sum. tom. 1. cap. 103. n. 1. Mir. to. 2. Manual. q. 23. artic. 21.

Rodriq. Miranda.

Probatur, nàm per istam coarctationem tollitur libertas, quæ est ità de substantia electionis, vt consuetudine introduci non possit, quo minùs libera sit, vt dicit Abbas cap. Cum terra. de elect. num. 4. & habetur eod. cap. Cum terra. Papa tamen potest talem coarctationem facere quià est supra sacros Canones. Secùs autèm est dicendum de coarctatione ad certum genus hominum, puta Magistrorum: vel certum collegiū, puta de Prouincia, vt Rodriquez, Miranda, Abbas locis cit. & Couaruuias de sponsal. 2. parte, cap. 3. §. 6. nu. 8. & 9. Sylu. verbo Electio 1. q. 23. num. 26.

Abbas. *Rodriq. Miranda. Abbas. Couaru.* *Sylu.*

Ex quibus colligitur, quòd si Generalis proponeret in Prouincialem alicuius Prouinciæ tres, vel quatuor, mandans expressè, vt vnum ex illis electores eligerent, adiecto etiàm decreto irritante electionem alitèr factam, si electores, aliquem ex illis propositis motu meo Generalis, eligerent, electio esset nulla.

Et nota, quòd non obstante tali præcepto, & decreto, possunt electores alium eligere, & Generalis tenetur illum confirmare, si habeat requisita. Si autèm Generalis proponeret quatuor: addens vel alium quemcumque idoneum; tùm non diceretur electio coarctata, cùm in potestate electorum sit eligere, quem voluerint.

In ordine Minorum Generalis, seù Præsidens Capituli coarctans electores ad eligendum vnū ex tribus, vel quatuor propositis, statim ac fuerit conuictus, est priuatus officio, quod possidet, per bullam Pij V. quæ incipit. Pastoralis officij, & refert Cherub. tom. 2. bull. in Pio V. constit. eius 128. pag. mihi 340. Mir. loco cit. art. 21.

Cherub. Miranda.

Dico tertio, si vnus electorum publicè manifestat suum votum, permittente Capitulo, electionem irritat. Rodriquez in summ. cap. 102. nu. 4. Mir. loco cit. ar. 19.

Rodriq. Miranda.

Porbatur, quia non potest dici electio secreta. Quod tamen requirit omninò Tridentinum, vt dixi. Si autem manifestat secretè alicui, non irritat electionem. Quia sic in potestate cuiuslibet esset electionem infirmare, est tamē arbitrio Iudicis puniendus.

Dico quarto, Accusatus de aliquo delicto non est incapax electionis. Nauarr. lib. 5. consil. de accus. consil. 6. Rodriq. in sum. cap. 105. nu. 2.

Nauarr. Rodriq.

Probatur, quià in potestate vnius maleuoli, inuidi, & inimici esset meritissimos viros à promotione ad dignitates, maximè, quæ per cōcursum dantur, ablegare. Id tamen debet intelligi. modò accusatus non sit grauatus apùd bonos viros de tali peccato; nàm hoc casu proptèr malam famam ineligibilis esset, vt habetur cap. Omnipotens Deus, de accusatio. & docet Naldus in sum. verbo Infamia, nu. 1. & Molfesius tom. 1. lomu. 2, tract. 6. nu. 29. 30.

Naldus. Molfes.

Dico quinto, Quandò electus non vult consentire electioni de se factæ; vel postquàm consensit, renunciat iuri suo; vel moritur: aùt proptèr eius occultum vitium electio irritatur, electio deuoluitur ad electores. Ità Sylu. verbo Electio, 1. q. 12. Azor, tom. 2. lib. 6. cap. 14. q. 12. Mir. tom. 2. manualis, q. 23. art. 33. Habetur expressè cap. Si electio, de elect. in 6. Intellige tamen, si electoribus non currit tempus eligendi; nàm si tempus est in vlt. termino, eo elapso, electio deuoluitur ad Superiorem, vt dixi, & habetur expressè in Clem. Exiui de paradiso, de verborum signific. §. Cæterum si Capitulum.

Sylu. Azor. Miranda.

Dico sexto, Quando duo fuerunt electi in eadem dignitate in discordia, & vtraque electio ex aliquo defectu cassatur, non debet in ea dignitate tunc temporis aliquis illorum assumi, proptèr discordiam euitandam. Panor. in cap. Considerauimus, de electione, num. 3. & habetur expressè d. cap. Consid. Addit tamen Panor. quòd si omnes, qui fuerunt diuisi, in vnū duorū illorum concordarent, valeret electio, quià iàm cessaret causa prohibitionis, quæ est discordia.

Panorm.

Dico

Dico septimò, semel reprobatus propter vitium personæ ab aliqua dignitate, non potest iterùm eligi ad illam, vel aliam; secùs autem si nò vitio personæ, sed vitio, vel defectu electionis. Est casus expressus in cap. Super eo, de elect. Vbi notat Panor. nu. 3. & 4. quòd vel vitium, propter quod cassata fuit prima electio, fuit probatum: & sic cassabitur 2. electio per regulam, *Semel malus*, quæ est 8. de regul. iur. in 6. Nisi probetur emendatus, vt idem Abbas cap. Cum inter Canonicos, de elect. nu. 7. Vel vitium fuit solùm præsumptum; & sic non impeditur 2. electio, si potest se purgare de illo crimine præsumpto. Quià contra crimen præsumptum admittitur purgatio, vt in cap. Officij, prope finē, de elect. Vel fuit cassata prima electio propter infirmitatem, & non impeditur 2. electio, si potest probare, quòd ab illa infirmitate conualuerit, vt Abbas cap. Cùm inter Canonicos, de elect. num. 7. Immò opponenti contrà aliquem, quòd laboret aliqua infirmitate, proptèr quam redditur inhabilis ad illud officium, incumbit probare, quòd tali adhùc infirmitate laboret. Quià semel infirmus, nō sēper præsumitur infirmus nisi sit incurabilis, vt podragosus cōtinuus.

Panorm.

Abbas.

Abbas.

Dico octauò Electio metu facta est ipso iure nulla. Glossa in cap. Bonæ Memoriæ el primo, de elect. verbo Metuebant, vbi Panor. num. 11. Passarellus in scholis ex Barchinonens. num. 14. Neque valet hic Regula, quòd *voluntas coacta voluntas est*. De qua in cap. Meritò, 15. q. 1. Quià in electione non solùm requiritur consensus, sed etiam liber consensus; Metus autèm licèt non tollat consensum; tollit tamen libertatem consensus; quià vbi intercedit Metus, ibi consensus non est liber. Facit caput Quisquis, de elect. vbi Panor. nu. 5.

Panorm. *Passarell.*

Panorm.

Dico nonò, Omnes vnauimitèr de Capitulo, nemine discrepante, possunt admittere extraneum ad eligendum vnà cum eis. Panor. in cap. Scriptum, de electione, num. 3. Et in cap. cum Vintoniensis, eodem numero, & titulo. Nauarrus lib. 5. consil. de Simonia, consil. 9. Passarellus in scholijs ex Auenionensi, de elect. dub. 6. vbi adducit multa capitula generalia nostri ordinis, in quibus id fuit vsu receptum, habetur in dicto cap. Scriptum. §. Et si partes. Et ratio est, quia si possunt totam potestatem eligendi in compromissarios transferre. Vt in cap. Causam, multo fortiùs debent posse communicare aliquibus, vt cum eis coeligant. Vno autem discrepante, non possunt eligere extraneum admittere dicti Panor. & Passarell. argumento cap. In re Communi. De regul. iur. in 6. reg. 56. vbi dicitur, In re Communi potior est conditio prohibentis, & ratio est; quia ius eligendi spectat ad singulos de collegio pro parte sua; Vndè singulorum interest, ne admittantur extranei. Quia pluribus admissis, minus valet votum cuiuslibet. Idem dic de priuatis à iure potestate eligendi. Vt Panor. in cap. Cum Vintoniensis, de elect. nu. 3. & Passarell. loc. cit. & habetur dicto cap. Cum Vinton. vbi Glossa verbo Admittendos. Sed nunc in nostra religione limitata est hæc conclusio, quod solum intelligatur in casibus dubijs Ità fuit determinatum in cap. Romano 6. nu. 14. dub. 1.

Panorm.

Dico decimò, Reputatus dignus ad minorem dignitatem, non reputatur dignus ad maiorem, Glossa in cap. Scriptum, de elect. verbo Præsumptione, & Panor. ibi nu. 15. Ratio est, quià vbi maior imminet cura, ibi maior requiritur idoneitas, argumento cap. Cum in cunctis, de elect. in principio.

Glossa. *Panorm.*

Dico XI. Notarius, seù tabellio, seù scriba de iure communi non est necesse, quòd sit de corpore Capituli, sed potest esse extraneus, & etiam laicus. Panor. in cap. Quia propter, de elect. num. 10. Quià solùm habet nudum ministerium. De iure autem Regulæ nostræ debet esse de corpore Capituli. Habetur Capitulo Val. 4. nu. 26. Qui non potest esse Corrector in Capitulo locali; neque Prouincialis in Prouinciali; nec Generalis in Generali, vt habetur cap. Auinionensi 2. nu. 10.

Panor.

Dico XII. De iure communi, Si priuetur aliquis Prouincialis, electio Vicarij pertinet ad illum, qui eum priuauit. Habetur cap. Inferior, dist. vbi late Glossa verbo Inferior. Quià illius est ligare, cuius est soluere. Cui iuri conformat nostrum Correctorium nu. 9. Conformant etiam statuta Capituli Tholoseni, nu. 13. & fori Iulij, nu. 10. Habetur expressè in Capitulo Genuensi 4. nu. 11. Ab ijs enim, à quibus fit Prælati depositio, fit Vicarij substitutio vsque ad proximius futurum Capitulum, vel Prouinciale, vel Generale, Quod etiàm conformat cum capite Ea quæ, de statu Monac. §. Quòd si Abbas.

Glossa.

§. IX. *De Simonia, quæ contingit in electionibus faciendis.*



Dico primò Religiosus simoniā committit, si dat temporale aliquod munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio (pro quorum terminorum declaratione vide D. Th. 2. 2. q. 100. ar. 5. Less. lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 20. Petrum Sotum de sacram. ord. lect. 7. versu. Quæ vero dari) pro consequendis rebus Ecclesiasticis, verbi gratia licentia confessiones audiendi, prædicandi, ordines recipiendi: vel à Prælato, seù Episcopo à casibus reseruatis absoluendi. Prosequendam Abbatia, Prioratu, Prouincialatu, Generalatu, Vicariatu, Collegatu, Definitoriatu. Ità Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 54. nu 3. & habetur in capite non satis, & in cap. Mandato, de Simonia, & in cap. 2. §. Prioratus, de statu Monachorum; & in cap. Quàm pro, prima, q. 1.

D. Thom. *Lessius.* *Petrus.* *Sotus.*

Suarez.

Itèm Simoniacus est, si det aliquid ex prædictis muneribus pro consequendo officio Sacristæ, vel Procuratoris Ordinis. Ità Suarez ibi Et habetur expressè in cap. Saluator, prima, q. 3.

Suarez.

Dico secundò, Simoniaca est illa electio, in qua electores conueniunt, vt alter suffragetur vni in vna electione, & alter suffragabitur in alia; sine si dederis mihi tuum votum in hac electione, ego dabo tibi meum in illa. Ità Nauarrus in sum. cap. 23. num. 100. versu Secundò quòd duplex. Angelus verbo Simonia, 3. nu. 3. Syluester verbo Simonia, q. 13. nu. 13. d. 4. Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 62. ar. 4. Reginaldus in praxi, lib. 23. nu. 244. versu Quintum est. Syln. verbo Simonia, q. 13. d. 4.

Nauar.

Angelus. *Syluester.* *Rodriq.* *Reginald.*

Proba-

Probatur primò ex cap. Quā pio, prima,q.2. & cap. Cuoi pridé, & cap. Pactiones,de pactis, & cap. Præterea, el primo, de transactionibus, & cap. Tua nos, de Simonia. Expresse in cap. *de hoc autem*, de Simonia.

Secundò Probatur, quià in istis conuentionibus datur ius spirituale, cum onere vt fiat aliquid, quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa mediata eam habendi.

Tertiò Probatur ex cap. Quæsitum, de rerum permutatione, vbi definitur, quòd *Semper continet Simoniæ labem datio rei spiritualis pro alia spirituali, interueniente pacto*, Verbi gratia Beneficium, votum pro voto. Atque ità etiam Vega. tenet Vega secunda parte sum. cap. 101. casu 12. Vndè colligitur, quòd scientes, se fuisse tali pacto electos, tenentur statim renunciare, vt bene Rodriq. colligit Rodriquez loco cit.

Dico tertiò, Simonia est dare pecuniam, vt aliquis mihi suffragetur, seù pro obtinenda vo- Panorm. ce alicuius. Ità Panor. in cap. Matthæus. nu. 3. Et patet, quià pecunia acquiritur quid spirituale.

Dico quartò si pro suffragio ferendo beneficiũ aliquod promittatur, verbi gratia si promittatur Prioratus vel collegatus, electio secuta est Azor. simoniaca. Ità Azor tom. 3. instit. moral. lib. 12. cap. 7. q. 1. versu Est itidé. Et habetur expressè in cap. De hoc, de Simonia.

Dico quintò Licitum est offerre pecuniam, non solùm vt non eligatur idignus, sed etiàm vt eligatur dignus in communi, In casu, quo Electores essent determinati eligere indignum, Sotus. prætermisso digno. Ità Sotus lib. 9. de Iustitia, Valentia. q. 6. art. 1. ad 2. Valent. tom. 3. disp. 6. q. 16. pun- Lessius. cto 3. col. 13. versu Quartò sequitur. Lessius lib. Suarez. 2. de Iustitia, cap. 35. dub. 19. nu. 113. Suarez tom. Aragon. 1. de Religione, lib. 4. cap. 50. num. 36. Aragon 2. 2. q. 100. ar. 3. circà secundum, dub. vit.

Probatur, quià procurare bonum Ecclesiæ licitum est, etiamsi alter propter hoc sit peccaturus; Immò concedunt Suarez, & Lessius, quòd si aliqui electores iniustè electionem impedirent, posset illis pecunia offerri pro redimenda vexatione Ecclesiæ, cuius plurimùm interest pastorem habere.

Dico sextò si aliquis sit excommunicatus, seù suspensus, vel priuatus iure eligendi, & vult quidam eum accusare, ne electioni intersit, si ille timens dat ei pecuniam, ne accuset, Simonia- Panormit. cus est. Ità Panorm. in cap. Nemo, de Simonia, Graffius. nu. 1. Graffius prima parte decis. lib. 2. cap. 96. Naldus. num. 58. Naldus in sum. verbo Simonia, nu. 6. Et habetur in cap. Nemo, de Simonia, vbi Glossa verbo Celet. patet, quià Simonia committitur, non solùm impendendo aliquid spirituale pro temporali, sed etiàm omittendo spirituale, quod tenebatur impendere per aliquid temporale, vt Panor. loc. cit. Secùs autèm esset, si iniustè fuisset excommunicatus, vel priuatus.

Dico septimò, si quis det pecuniam alteri, ne consentiat, in tali electione, seù ne suffragetur, alicui digno, Simoniam committit. Ità Glossa in cap. Nemo, de Simonia, verbo Celet. Et patet, nàm Simonia committitur quàdocumquè spirituale committitur, vel omittitur pro commodo temporali, vt dixi ex Panorm.

Dico octauò, si postquam aliquis est electus plurium electorum suffragio, pecunia daretur alicui, qui electioni contradiceret, ne repugnãdo electum vexaret, vel electionem impediret, electio esset simoniaca. Ità Panorm. in cap. Panor. Matthæus, de Simonia, nu. 3. Azor tom. 3. instit. moral. lib. 12. cap. 7. q. 1. versu Quæres quid dicendum, & habetur in cap. Matthæus, de Simonia. Et ratio est, quia alijs electoribus liberum ius est contradicendi, excipiendi, & opponendi aliquid contrà electionem: vel quià fortè sunt neglecti, cap. Quod sicùt, de electione: vel quià fortè electus fuerit corruptè, scilicet quià, eo sciente, & non contradicente, pecunia data sit, vt Glossa dicto cap. Matthæus, verbo Paucis.

Vndè colligitur, quòd si duo essent electi in Prouinciales, vel Correctores verbi gratia, non posset eorum alter dare pecuniam, vt alter desisteret: seù ad hunc finem aliquod officium ei promittere, absquè eo quòd ambo Simoniæ labe inquinarentur: Quià tunc acquiritur mediante temporali aliquid spirituale. Atquè ità docet Reginaldus in praxi, lib. 23. nu. 124. Reginald.

Dico nonò, Si contradicentibus electoribus, nõ iure, sed facto, det electus pecuniã ne cõtradicant, Simoniam committit. Ità Panorm. de Panor. mente Innocentij, in cap. Matthæus, de Simonia, num. 4. Azor tom. 3. instit. moral. lib. 12. cap. 7. q. 1. versu Sed quid si contradicant cæteri. Ratio est, quià pro iure spirituali quærendo licitum non est dare pecuniam, iste autèm licèt electus sit, nondùm tamen habet ius plenũ antè confirmationem; secùs autèm esset, si quis nõ elector electũ vexaret, vt notat Azor loc. ci.

Dico X. Si quis fuit electus ad aliquam dignitatem, & confirmatus, potest dare pecuniam iniustè vexantibus pro se in suo officio conseruando. Ità Panor. in cap. Matthæus, nu. 4. Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 18. nu. 110. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 50. nu. 2. qui multos citat. Colligitur satis clarè ex cap. Dilectus, el 1. de Simonia. Et patet, quià iste non dat pecuniam pro aliquo iure acquirendo, sed solùm pro se in iure acquisito conseruando.

Dico XI. Qui fuit iniustè priuatus, seù suspensus, potest dare pecuniam, vt suum sibi restituatur officium, vel à suspensione liberetur. Ità Glossa in cap. Dilectus, el 1. de Simonia, verbo Restituere. Quià non dat pecuniam, vt villũ ius acquirat, sed vt acquisitum retineat. Secùs verò si iustè sit suspensus, vel priuatus, vt eadem Glossa ibi, & Reginaldus in praxi, lib. 23. nu. Reginald. 135. & habetur in cap. Nemo, de Simonia, Patet, quià tunc pecunia quid spirituale acquiritur, gratia nimirùm reconciliationis, & ad officium reintegrationis, quæ spiritualia sunt.

Dico XII. Non est Simonia redimere vexationem, ab illo, qui iniustè vexat, & impedit, etiàm antè ius acquisitum si talis conferre non potest dignitatem, seù suffragium non habet in tali electione, vt verbi gratia. Si quis iniustè me infamaret, vel in carcerem truderet, ne ad Capitulum accederem, vel detineret aliquem electorum, ne mihi suffragaretur. Ità Sotus lib. Sotus. 9. de iustitia, quæst. 6. artic. 1. ad quintum. Lessi- Lessius. us lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 18. nu. 108. Sua- Suarez. rez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 50. nu. 23. qui addit, esse communem Theologorum; Le- Ledesma. desma secunda parte sum. tract. 12. conclus. 19. pag. mihi 953. Aragon 2. 2. q. 100. ar. 3. in solut. Aragon. ad quintum, dicto secundo.

Proba-

Probatur, quia redimere se hoc pacto à tali vexatione intrinsecè malũ nõ est; licitũ enim vnicuique est suũ ius, & famã defensare, & iniustas vexationes à se procul propulsare. Et hoc est valdè remotum ab acquisitione rei spiritualis, cùm solùm pertineat ad habilitatem personæ.

Suarez. Lessius. Aragon.

Dico XIII. Licitum est pecunia redimere vexationem, quam quis non elector, precibus, vel muneribus electores conatur corrumpere, seù licitum est redimere vexationem à subornatoribus electorum. Ita Suarez loco cit. num. 25. Lessius loco cit. num. 109. Aragon loc. cit. d. 3.

Probatur, quia hic nulla res spiritualis emitur, si solùm intendatur propulsatio illius iniuriæ. Secùs autem si non solùm daretur pecunia, vt subornator desisteret à tali subornatione, sed vt facerèt officium in contrarium, inclinando nimirùm electorem in fauorem dantis pecuniam, vt notat Suarez loco cit. num. 26.

Caiet. Suarez. Lessius.

Ad discernendum autèm, quomodò, & quandò, & cui possit dari pecunia pro vexatione redimenda, noto duo. Primum, quòd multum interest considerare, an persona, cui datur pecunia, possit obesse tantum electioni, & non prodesse, an verò possit non solùm obesse, sed etiam prodesse; seù clariùs, An persona, cui datur pecunia, non habeat votum in electione, vel habeat. Quæ distinctio sumitur ex Caietano 2. 2. q. 100. art. 2. §. Ad hoc dicit. Et communiter approbatur ab omnibus, Lessio lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 18. num. 108. 109. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 50. num. 21. Ab illis enim licitum est vexationem redimere, ab istis verò nequaquàm, quamuis sit iniusta.

Aragon.

Ità Aragon loco cit. dicto primo. Et ratio est, quia obtinere ab eo, qui potest prodesse electioni, vt desistat ab iniuria inferenda, est ex consequenti ab ipso pretio obtinere beneficium. At verò obtinere ab eo, qui tantùm potest obesse, vt desistat, non est obtinere ab eo quidquam spirituale, sed solùm vexationem redimere.

Lessius. *Suarez.*

Notò secundò, quòd multùm etiam interest ad discernendum, quandò licitum sit dare pecuniam pro vexatione redimenda, an vexatus habeat ius in re; idest An sit electus, & confirmatus, an vero solùm habeat ius ad rem; idest solùm sit electus, nondum verò confirmatus. Qui enim habet ius in re, potest suam vexationem redimere à quocumque vexante, etiam ab eo, cuius esset possessionem dare, vt Lessius loco cit. num. 110. multos alios citans. Qui verò solùm habet ius ad rem, licèt pro sibi conseruando illo iure ad rem, possit manifestè iniustam vexationem à quocumque redimere, vt Suarez loco cit. num. 8. non potest tamen vexationem redimere à vexantibus etiam iniustè in prosecutione illius electionis; idest à vexantibus, ne confirmationem obtineat; Et ratio vtriusquè est, quia in prima redemptione nullum de nouo ius acquirit, sed solùm acquisitum tuetur, in secunda autèm nouum ius acquirit spirituale, nimirùm confirmationem.

Suarez. Glossa.

Dico XIV. si alius dedit pecuniam, sciente illo, cui electio procurabatur, & non cõtradicẽte, electio est ipso facto nulla, & sic electus renunciare tenetur. Ità Suarez to. 1. de Religione, lib. 4. cap. 57. num. 28. Glossa in cap. Sicut tuis, verbo præbere, de Simonia.

Probatur, quia sciẽs Simoniacã intẽtionẽ resistere debebat, vndè nõ resistẽdo, tacitè consẽsit.

Suarez.

Dico XV. Si electus non sciuit simoniam, quæ committebatur, sed quia suspicatus est ne committeretur, contradixit, repugnauit, & numquã consensit, electio est firma, & valida. Ità Suarez loco cit. num. 30. & habetur expressè in cap. Sicùt tuis, de simonia, & hoc siuè mediator ille, qui dedit pecuniã, sit amicus, vel inimicus. Nàm motiuum aliorum inordinati amoris, vel odij, non debet innocenti, & contradicenti nocere.

Abbas. Glossa.

Sed quid, si adepta dignitate, electus consensit pecuniã soluendo. Abbas in dicto cap. Sicut tuis n. 8. & Glossa dicto capite, verbo Cõsenserit, dicunt, quod iste soluens pecuniam, propriè non committit Simoniam. Quia ille soluẽs pecuniã, non emit beneficiũ, sed consentit vẽditioni iàm factæ, quæ sũt valdè diuersa. Nec per consequẽs renunciare tenetur, poterit quidèm per iudicis sententiam priuari, quia factum approbauit. Quomodo dicunt intelligi verba illa. *Nisi postea consenseris* posita in d. cap. Sicùt tuis.

D. Thomas. Suarez. Lessius. Reginald.

Sed meliùs, & ad mentem D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 6. ad tertium, distinguũt Suarez loco cit. n. 31. & Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 15. n. 144. quos sequitur Reginaldus in praxi, lib. 13. n. 179. nàm, vel soluit pecuniam factum approbãdo, & sic inuoluitur Simoniæ vitio, & tenetur dignitatẽ renũciare, si fuerit per sententiam iudicis ad hoc adstrictus, vt notat Suarez n. 32. vel soluit pecuniã factũ non approbando interiùs, nequè exterius, sed solùm ne amittat damnum pariatur, & nõ est Simoniacus, nec potest beneficio priuari; Et ad vtrumque adducit dictus Suarez caput cũ quis, de senrent. excomm. in 6.

D. Thom. Suarez. Reginald.

Dico XVI. Si committatur Simonia prorsùs ignorante illo, qui dignitatem consequitur, & non contradicente, quia nullã occasionem, vel suspicionẽ habuit ad contradicendũ, si pecunia non sit data in odiũ illius ab inimico, sed in illius fauorẽ, & beneficentiã ab amico, tũc electio est ipso iure nulla, & tenetur sic electus, statim ac fuerit de Simonia, conscius, beneficiũ relinquere, & fructus receptos restituere, his exceptis, quos bona fide perceperit. Ità D. Thom. loc. cit. Suarez etiam citatus, nu. 35. Reginaldus in praxi, lib. 13. nu. 177. Probatur ex cap. Nobis, & cap. Sicùt tuis, de Simonia, vbi dicitur; *Quamuis secundùm sacrorum Canonum instituta etiam paruuli qui cupiditate parentum Ecclesias sunt adepti, eas dimittere teneantur.*

Glossa. *Felinus.*

Et etiam habetur in cap. Ex insinuatione, eodem tit. vbi Glossa, verbo Resignasti, notat, quòd in odiũ Simoniæ punitur aliquàdò quis sinè culpa. Quia, nisi ius taliter puniret, nimis frequẽtatũ esset hoc crimẽ. Quod etiã notauit Felinus eodẽ capite, nu. 4. Excipitur autèm casus, quo pecunia data esset in odiũ eligẽdi *Nàm odium inimici parantis insidias nemini debet obesse*, vt dicitur d. cap. nobis, & Sicùt tuis, vbi dictus casus excipitur.

Suarez. Armilla.

Dico XVII. si electio sit Simoniaca, ignorãte electore, & electo, puta quia data sit pecunia alicui cõsiliario, et intimo amico eligẽtis ab amico electi, est nihilominùs ipso facto nulla. Ita Suarez loc. cit. n. 40. Armilla verbo Simonia, n. 7. & habetur in cap. De Regularibus, de Simonia. Intellige, dũmodò electus suspicãs de Simonia nõ cõtradixerit, vel in odiũ ipsius nõ sit data pecunia. Et ratio est, quia irritatio directè fertur in omnẽ electionẽ, quæ cõtingit per simoniã fieri,

Et aduerte, quòd est Simonia illa electio, & consequenter nulla, in qua concurrit vnus electorum, cui facta fuit aliqua promissio temporalium, etiamsi ille existeret extra numerum maioris partis: ita vt maior pars sine illo nihilominus erat electura, imo etiamsi ille nihilominus erat electurus personam electam, (nisi promissio facta sit in fraudem electionis) imo etiamsi promissio facta non valeret. Atque ita probat Maria in suis decision. voto 50. à num. 1. & n. 4. addit, quòd ad probandum talem promissionē fuisse factam, sufficit litteras huius promissionis transmissas, fuisse repertas in Cella prædicti electoris, nam tunc videtur illas acceptasse ex regula legis, si filiusfamilias patre absente ff. ad Macedonian. & nu. 5. ait, quod hæc præsumptio debet esse validum argumentum superiori, ne dictam electionem confirmet; imo & ipso electo, & fortè ignoranti debet esse consilium ne dictam electionem accipiet, iuxta cap. Matthæus de simonia.

Dico XVIII. Circa pœnas Simoniacorum, quòd omnis electio, prouisio, nominatio, & confirmatio Simoniacè facta est ipso iure nulla antè omnem iudicis sententiam, etiam declaratoriam, nullumque ius, vel effectum confert, & qui sic electus est, tenetur in conscientia Prælaturam renunciare, nec potest absolui, priusquam renunciet. Ità D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad tertium, quem sequuntur omnes, Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 57. num. 10. & num. 25. Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 25. nu. 137. *D. Thom. Suarez. Lessius.*

Probatur ex Extrauag. cum detestabile, quæ est secunda de Simonia, vbi dicitur, *Per electiones verò, postulationes, confirmationes, prouisiones, seù quasuīs alias dispositiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesiasticis, & quibusuis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam, ius nullatenùs acquiratur, nec indè faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem, sub anima sua periculo sit adstrictus*, Et hoc etiamsi Simonia sit occulta, vt probat Suarez loco cit. num. 27. & habetur expressè in cap. Matthæus, de Simonia, quod de secreta loquitur, & expressiùs in dicta extrauaganti ibi, *Et eorum quemlibèt tàm manifestum, quàm occultum.* Et hoc siuè Simonia sit commissa ab eodem, qui dignitatem obtinuit, siuè ab aliis, ipso etiam nesciente, iuxtà dicta.

Dico XIX. Qui recipit Simoniacè Ecclesiasticam dignitatem, non est priuatus ipso facto aliis dignitatibus, priùs ritè acquisitis, sed debet expectari Iudicis sententia condemnatoria. Ità Nauarrus lib. 5. consil. de Simonia, consil. 92. Azor tom. 2. Institut. moral lib. 12. cap. 21. dub. 12. Suarez loco cit. cap. 58. à num. 2. Reginaldus in praxi, lib. 23. nu. 188. Molfes. prima parte sum. tract. 6. cap. 15. num. 97. *Nauarr. Azor. Suarez. Reginald. Molfesius.*

Probatur, quia nullo iure cauetur, vt benè Suarez discurrens per omnia. Et pœna, qua quis priuatur à iure re sua iustè possessa, nō est sic accipienda, vt ille teneatur eā exequi in se ipso.

Excipit tamen ibi Suarez, nu. 3. duos casus, in quibus dicit, quòd Simoniacus priuatur ipso facto dignitatibus priùs ritè acquisitis, nec potest absolui, nisi dignitatibus dimissis, & est inhabilis ad futura quæcumque. Primus est, quandò Simonia est confidentialis per Extrauag. Pii V. quæ incipit intolerabilis, quam refert Nauarr. in summ. cap. 23. num. 110. Secundus est, quandò examinatores ad beneficia in examine committunt Simoniam, prout habetur in Trid. sess. 24. cap. 18. de reformatione. Vsu tamen videtur receptum, quòd nequè etiam in his casibus quis teneatur beneficia dimittere antè sententiam, vt notat Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 26. n. 148. & cap. 34. dub. 16. nu. 79. verùm tertiò nihil, per quem vsum videntur limitata prædicta iura. *Nauarr. Trid. Lessius.*

Ex conclusione ergò colligitur, quòd si quis fuerit ritè electus in Prouincialem verbi gratia si deindè simoniacè confirmationem obtineat, non per hoc electio erit ipso iure nulla, licèt poterit per sententiam Iudicis in pœnam simoniæ cōmissæ in cōfirmatione annullari. Ità Lessius lib. 2. de iustit. cap. 35. dub. 25. n. 138. et Suarez loco cit. nu. 7. qui ad id adducunt caput si confirmationem, de electione in 6. Et Ratio est, nàm si posterior actus irritus est, non per hoc prior irritus censeri debet, Quia priùs à posteriori non pendet. Secùs verò est, si prior actus, idest electio, irritus fuit, tunc enim confirmatio nulla erit, etiamsi absquè simonia fiat. Quia deest fundamentum, sinè quo non potest esse validus subsequens actus. *Lessius. Suarez.*

Dico XX. Qui simoniacè dignitatem obtinuit, inhabilis est ipso iure ad quascumquè alias dignitates obtinendas antè sententiam Iudicis condemnatoriam. Ita Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 58. num. 10. Azor tom. 3. instit. moral, lib. 12. cap. 21. dub. vlt. *Suarez. Azor.*

Probatur ex Bulla Pii V. quę incipit cum primùm, quam refert Cherubinus tom. 2. Bullarii in Pio V. constitutione eius 5. Vb. §. 8. sic habetur. *Qui dignitates Ecclesiasticas simoniacè acquisierit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas.* *Cherub.*

Sed dubitat ibi Suarez, an hæc pœna incurratur etiam antè sententiam Iudicis declaratoriā. Et licèt de rigore iuris ita esse dicat. Tandèm tamen cum Nauarro lib. 5. consil. de Simonia, consil. 92. concludit, quò ad hoc illam pœnam non esse vsu receptam, & sic debere expectari Iudicis sententiam declaratoriam, *Nauarro.*

Dico XXI. Per simoniam in beneficio incurritur excommunicatio maior ipso facto, cuius absolutio est Pontifici reseruata. Ità Suarez loco cit. cap. 56. nu. 6. & communiter alii. *Suarez.*

Probatur ex Bulla Pauli II. quæ est secunda de simonia inter extrauag. Cōmunes, in qua ita habetur. *Statuentes præterea, quòd vniuersi, & singuli etiā præmissis dignitatibus præditi, qui quomodolibèt dando, vel recipiendo simoniam commiserint, aut quòd illa fiat mediatores extiterint, seù procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente nō possint absolui, præterquàm in mortis articulo constituti*, & fuit confirmata per bullam Pii V. citatā, quæ incipit cum primùm. Quā tamen excommunicationem non incurrit, qui acquirit beneficium per Simoniam verè realem, ignoranter tamen, vt notat Aragō 2. 2. q. 100. art. 6. conclus. 4. Quia iste nullum peccatum commisit, licèt teneatur resignare, statim ac sciuerit factū, vt dixi. *Aragon.*

Solùm hic posset quæri, quid nomine beneficii intelligendum sit. Caiet. in sum. verbo Excommunicatio cap. 72, Rodriq. tom. 1, q. regul, q. 20. *Caiet. Rodriquez.*

Suarez. Armilla. Reginald.

q. 20. art. 13. Suarez loco cit. cap. 57. num. 47. Armilla verbo Excommunicatio, cap. 59. Reginaldus in praxi, lib. 23. num. 182. censent, quòd nomine beneficij intelliguntur officia apud Mendicantes, verbi gratia Prioratus, Guardianatus, Correctoriatus, Prouincialatus, Generalatus. Quia, inquiunt, licèt non sint beneficia, sunt tamen officia Ecclesiastica, quæ beneficijs æquiparari videntur.

Nauarrus. Angelus. Rosella. Tab. Syluester. Salzedo. Azor. Lessius.

Nauarrus autem in Manuali, cap. 23. num. 111. ad 14 versu 7. & lib. 5. consil. de Simonia, consil. 98. Angelus verbo Simonia 6. num. 9. Rosella eodem, nu. 13. ad finem. Tablena eodem, num. 72. ad finem, Syluester eodem, quæst. 19. §. Tertia excommunicatio, fine. Salzedo ad practicam. Diaz, cap. 94. versu Tertiò quòd nullus. Azor tom. 3. Institut. moral. lib. 12. cap. 21. quæst. 6. versu Quæres. Lessius lib. 2. de Iustitia, cap 35. dub. 25. num. 137. censent, quòd ista excommunicatio tantùm incurratur propter Simoniam realem commissam in ordine, & beneficio; & quod non habet locum in officijs Ecclesiasticis, quæ non sunt beneficia; Atque ita quod ista officia non veniunt nomine beneficij, Et verè multùm interest inter ista, officia regularia, & beneficia. Tùm quia illa ferè omnia temporalia sunt; Tùm quia nullam habent præbendam annexam, ex qua tale officium habenti aliquid emolumenti, & commodi proueniat, sed verè merè onera sunt (si, vt decet, exerceantur) vndè cum constitutio pœnalis sit strictè interpretanda, illa constitutio in istis officijs locum non est dicenda habere. Innuit etiam non obscurè summa corona confessorum, parte tertia, cap. 10. tract. de Simonia, n. 18. versu 4. quel, che cômetteranno Simonia.

Si quæras, an per Simoniam, quæ committitur in ingressu Religionis, incurratur aliqua excommunicatio. Respondeo, quòd secundùm istos Doctores per solam Simoniam in ordine, & beneficio, incurritur excommunicatio, atq; ita per Simoniam in ingressu Religionis secundùm eos nulla excomunicatio incurritur.

Si dicas, quòd in extràuag. 1. de Simonia, *præcipitur sub pęna excõmunicationis ipso facto ne dētur vel exigātur in Religionis ingressu pastus, prādia, pecunia, iocalia, siue aliæ res ... depunāda.*

Lessius.

Respondeo, dictos Doctores insinuare, hanc extrauagantem non esse receptam, vt censet, & credit Less lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 23. n. 131.

Suarez. Azor.

Dico XXII. Contrà obtinentes dignitates per Simoniam est in iure posita pęna infamiæ. Ità Suarez loco cit. num. 25. Azor tom. 3. institut. moral. lib. 12. cap. 21. q. 7.

Probatur ex cap. Sanè. 15. q. 3. & cap. Si quis præbendas, 1. q. 3. vbi dicitur; *Emptor, atquè venditor, & interuentor nota infamiæ percellantur.* Sed hæc pœna non incurritur ipso facto, sed per solam Iudicis condemnationem.

Nauarr. Azor. Suarez. Lessius. Reginal. Armilla. Graffius.

Dico XXIII. Ad has pœnas incurrendas non sufficit, quòd pecunia sit promissa, seù quòd sit accepta, & solùm promissa dignitas, sed debet esse realiter pecunia data, & dignitas realiter recepta. Ità Nàuarrus in summa, cap. 23. num. 104. Azor tom. 3. instit. moral. lib. 12. cap. 21. quæst. 10 Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 56. nu. 33. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 35. dub. 27. nu. 149. Reginaldus in praxi, lib. 23. nu. 178. Armilla verbo Simonia, n. 4. Graffius prima parte decis. lib. 2. cap. 96. num. 20. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 2. nu. 428. Couaruuias in regula Peccatum, parte secunda, §. 8. nu. 7. in principio, Vega secunda parte summę, cap. 101. casu 13 versu Empero nota, vbi alios citat. Ratio, quam afferunt isti Doctores est, quòd ità seruat stylus Romanæ curiæ. Et confirmatur ex extrauag. 2. de Simonia, vbi hæ pœnæ non statuuntur, nisi in eos, *qui conuentione facta quomodolibet, dando, vel accipiendo Simoniam commiserunt.*

Petrus. Nauarr. Couarr. Vega.

Quandò autem ex parte promittentis temporale esset traditum conferenti spirituale instrumentum debiti, seù schedula cambiorum, qua fateretur beneficium desiderans, se debere collatori, vel alteri centum: seù qua posset collator tali tempore recipere in tali bancho mercatorio illa centum. Tunc ambo incurrerent censuras. Ità Graffius loco cit. num. 22. Quod idem est dicendum, Si mihi collator debeat centũ ex alia causa, & feci ei chirographum, quo fateor ea recepisse hac ex causa, vt beneficium accipiã. Ità idem Graffius. Quod intellige, Modò beneficium, vel aliud aliquid spirituale acquiratur.

Dico XXIV. Mediatores Simoniacæ electionis realis, & completæ in beneficijs, & in ordine, incurrunt in excõmunicationem ipso facto. Azor tom. 3. instit. moral. lib. 12. cap. 24. q. 1. Nauarrus lib. 5. consil. de Simonia, consil. 98. qui docet, quòd ad hoc, *Vt quis dicatur mediator Simoniæ, non est necesse, quòd ipse ob eam aliquid recipiat, sed satis est, vt mediator fuerit, vt illa fiat,* Habetur expresse cõclusio in extrauag. 2. de Simonia.

Ex quo colligitur, quòd qui fuit mediator ad consequendam aliquam dignitatem in Religionibus mendicantibus, non incurrit dictam excommunicationem: Nec qui fuit mediator in Simonia conuentionali incompleta. Ità Nauar. loco cit. Quia nec ipsi principales incidunt.

Rodriquez. Suarez. Graffius. Sigismũd. Vecchius.

Dico XXV. Possunt Prælati regulares absoluere suos subditos ab omni excommunicatione per Simoniam incursa, præterquàm ab incursa per receptionem simoniacam ordinum. Ità Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 20. art. 13. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. vltimo, n. 4. Scortia in select. bull. theor. 380. Graff de quibusq; cas. lib. 1. cap. 9. n. 7. & à n. 28. Sigismũd. de elect. dub. 98. n. 10. quòd autem possint eos absoluere docet Vecchius de absolut. disp. 9. dub. 13. num. 3.

Rodriq. Suarez.

Probatur ex priuilegijs Eugenij IV. Celestini V. Clementis IV. quæ refert Rodriq. loco cit. Ab incursa autem per susceptionẽ Simoniacã ordinum non possunt absoluere, post constitutionem Syxti V. confirmatã à Clemẽte VIII. quas refert dictus Rodriq. & docet dictus Suarez loc. cit. n. 6.

Suarez. Reginald. Graffius.

Dico XXVI. Dispensare cũ eo, qui sciẽter Ecclesiasticã dignitatẽ Simoniacè obtinuit, vt eã de nouo Possit obtinere, ad solũ Papã pertinet. Ità Suarez loc. cit. n. 10. Reginaldus in praxi, lib. 23. n. 186. Graff 1. p decis. cap. 98. n. 6. Colligitur ex cap. Si aliculus, de electione, ex cap. Si quis de Simonia, & alijs capitibus apud Reginaldũ.

Cũ eo verò, quo ignorãte Simonia cõmissa est in acquisitione sui beneficij, post huius liberam resignationem dispensat Episcopus, nisi ipse sit, cum quo commissa est Simonia, si beneficiũ sit simplex, habetur in cap. Si aliculus, de electione. Si Beneficium sit curatum, tunc distinguendũ est. Vel is, qui beneficiũ recepit, statim ac sciuit simoniam fuisse commissã, illud renũ-

ciat, & tunc potest dispensare Episcopus, iuxtà caput finale, prima q. 5. Si verò beneficium non resignat, statim ac cognouit Simoniam, sed expectat Iudicis sententiam, tunc solus Papa dispensat. Ita Reginaldus loco cit. Et habetur in cap. Si aliculus, de electione. Cuius prima pars intelligitur, quòd non possit cum eo Episcopus dispensare pro illa vice, quandò scilicet non statim ac fuit de simonia conscius resignauit, sed expectauit Iudicis sententiam, vt Glossa ibi, verbo illa vice.

Ex quibus colligitur, quid sit dicendum de recipientibus per simoniam officia in ordinibus mendicantium. Qui enim scienter Prælaturam aliquam, verbi gratia Prouincialatum simoniacè recipit, illud retinere non potest absquè dispensatione Papæ; Si autem, ipso ignorante, simonia commissa sit, tunc si statim ac cognoscit Simoniam, renunciat Prouincialatum in manibus Generalis, potest ipse Generalis cum eo dispensare (nisi ipse, sit, cum quo commissa est simonia) si verò expectat Iudicis sententiam, tūc solus Papa dispensat. Quò vero ad alias inhabilitates vide Suarez loco cit. num. 11. *Suarez.*

Dico XXVII. Qui fictam, & deceptoriam simoniam committit, dictis pœnis obnoxius non est, verbi gratia. Si quis fictè promittat temporale pro spirituali obtinendo, finè animo adimplendi promissa. Ita Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 8, art. 1. Aragon 2.2. q. 100. art. 6. dub. 1. conclus. 3. Grathius prima parte decis. lib. 2. cap. 97. n. 81. Reginaldus loco cit. n. 188. Probatur Quia ille verè non emit spirituale, sed fingit emere. Vndè nec est excommunicatus, nec renunciare tenetur.

Sotus. Aragon. Grassius, Reginal.

Dico 28. contra simoniacos in ordine nostro sunt positæ multæ pœnę, & præsertim quod cōtra eos procedatur, tamquam contra proditores reipublicæ: admittendo nimirum testes singulares, &c. & pœnæ extenduntur etiam ad scientes, & non reuelantes. Ita statutum est in Capitulo Barchinonensi t. num. 14.

§. X. De Præsidente Capituli.

DICO primò. Præsidens Capituli cum ampla potestate etiam à Papa missus, non potest priuare Religiosos Capitulares voce, actiua, vel passiua, finè eo quòd priùs citētur, ipsisque detur copia eorum, quæ contrà ipsos sunt fulminata, vt se possint defendere. Ità Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 51. art. 11. ad primum dub. Mir. tom. 2. Manual, quæst. 23. art. 22. conclus. 3. versu Hæc inquam.

Rodriq. Miranda.

Probatur, Quia nemo potest condemnari inauditus; defensiones enim sunt de iure naturali. Quod adeò verum est, vt etiamsi dicatur in commissione, vt possit priuare dictos Religiosos voce actiua, & passiua. Id debet explicari, & intelligi iuris ordine seruato in eo, quod ad substantiam ipsius iuris spectat. Ad quam præcipuè spectat vt nemo inauditus condemnetur.

Dico secundò, Patres Capitulares præfato Præsidenti, mandāti; iuris ordine non seruato, obedire non tenentur; etiamsi præcipiat sub pœna excommunicationis ipso facto. Ità Rodriq. loco cit. ad secundum. *Rodriq.*

Probatur, quia si mandata iniusta sunt, & nulla, vt suppono, nec etiam in foro exteriori ligabunt, quia sententia nulla, sententia non est, vt dicitur cap. 1. de re iudic. Immò sententia excommunicationis nulla, in foro exteriori minime obligat, vt ait Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. circà conclus. 2. Corduba lib. 1. quæstionarij, quæst. 43. puncto 1. Quod intelligitur dummodo euidenter de nullitate constet. Constat autèm euidenter quinque modis, de quibus Sotus, & Corduba: vel quia scilicèt Iudex potestatem non habeat: vel quia fuit legitime recusatus, & ab eo appellatum est: vel quia sententia fuit lata contra tenorem priuilegij notorij, & iàm ipsi Iudici notificati: vel quia continet errorem intolerabilem; vel quia est declarata nulla ipso iure, & ipso facto. Intelligitur etiam, vt finè scandalo possit præfatæ sententiæ non obediri. Si enim ex inobedientia scandalum aliquod sit oriturum, obediendum est, saltèm in foro exteriori, vt dicunt præfati Doctores. Vndè cessante scandalo, si Præfatus Præsidens iniusta manifestè pręcipiat sub excommunicationis pęna, possunt fratres Capitulares; non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori illi non obedire.

Sotus. Corduba.

Dico tertiò, si priuentur aliqui vocales à dicto Præsidente, non seruato iuris ordine, electio à Iudice debet irritari, si ab exclusis petatur. Ita Rodriquez loco cit. ad tertium. *Rodriq.*

Probatur, quia non sunt admissi, qui erant admittendi. Vndè isti si suam velint prosequi iniuriam, debet Iudex electionem nullam declarare. Per ea, quæ dixi suprà, §. 6. conclus. 3, versu. Sed quid faciendum.

Dico quartò, dato, quòd maior pars Capituli nolit præfato Præsidenti obedire propter eius iniustitiam in procedendo, potest dicta maior pars ad electionem procedere fine ipso, & etiam fine maiori parte: Modò hæc minor pars non contemnatur, sed vocetur debitis vijs, & modis, & electio ab ista maiori parte facta valida erit. Ità Rodriquez loco cit. ad quartum, & habetur, cap. Quòd sicùt, de elect. Et Patet, quia cum illi iniustè procedenti obedire non teneantur, possunt suam electionem absque illo prosequi.

Dico quintò, In ordine nostro non potest Capituli Præsidens dictos Capitulares voce priuare protèr delicta contra ipsos ab eo, vel alijs reperta in visitationibus, nec per quascumque querelas à quibusuis ad Capitulum contra ipsos missas, nisi in casibus, in quibus quis fuisset electus, non seruata forma Canonica: seù haberet aliquod ex impedimentis Canonicis, de quibus suprà hoc cap. Notab. 7. Ità statutum est in Capitulo Valent. 4. num. 28. contrà quod statutum facta omninò sunt cassa, nulla, & irrita. Quod statutum habent etiam fratres Prædicatores, vt refert Festus in suo sum. parte 3. capite 6. versu Nullus autem, pagina mihi 262.

§. XI.

§. XI. *De Confirmatore.*

Hostiens. Antonin.



ICO primò, Electio cōfirmanda est a proximo superiore Hostiēs. in sū.lib.1.de elect. n.27.§.à quo confirmāda, pag.134. Antonin.3. p.tit 19. cap.4. Habetur expresse cap.nihil, §. Cæterùm, de elect.

Nauarr. Cucchus. Hostiens. Glossa.

Dico secundò, Ad Confirmatorem pertinet examinare personas, tàm eligentium, quam electi, & formam electionis, etiamsi nihil electo obijciatur, Nauar. lib.1.consil.de elect.consil.2. num.2. Cucchus lib.1. instit.Can.tit.9. de elect. num.1. Hostiensis loco cit. Glossa cap. nihil, de elect. verbo Examinet, habetur cap. cum nobis, & cap. Venerabilem, de elect. & dicto cap. nihil, in quo capite punitur, qui confirmauit indignum: Et Confirmator si confirmauit per negligentiam indignum, vtpote quia non examinauit diligenter vitam eius, &c. amittit potestatem confirmandi successorem illius indigni, & suspenditur ab officio, quousque fuerit restitutus; Si verò per malitiam confirmauit, grauiùs puniendus est, ad arbitrium scilicèt Superioris. Nam quando lex non apponit pœnam, apponenda est ad arbitrium Iudicis, vt habetur in cap. nihil de elect. verbo Grauiori; Et meritò, nàm vt dicitur eod. cap. Nihil; *Nihil sic nocet Ecclesiæ, quàm promotio eorum, qui indigni sunt, & minus habiles ad regimen animarum.* Et nota, quòd cōfirmatio facta sinè causæ cognitione est ipso iure nulla, vt habet Panor.d.cap.nihil n.1. & expresse habetur cap. finali de elect.in 6.

Miranda.

Rodriquez tamen tom. 2. quæst. regul. q. 52. art.5.versu, sed cum videamus, putat, quòd praxis, quæ seruatur à Generalibus in confirmatione electionis Prouincialium, factæ in concordia, in qua prætermittitur dictum examen, sit tuta propter multa, quæ affert. In Ordine nostro non confirmant Generales, nisi habitis litteris testimonialibus, subscriptis à toto Capitulo fidem facientes, electionem omninò esse Canonicā. Vbi nota, quòd illæ litteræ testimoniales debēt ab omnibus subscribi, etiā ab ijs, qui in electū non consenserūt, suumque ei suffragiū denegauerūt. Quod probat Mir.to.2. Manual.q.17. art.6. & est statutum in nostris constitutionibus cap.Val.4.n.41. Quandò autē in electione aliqui sunt oppositores, vocādi sunt, antequàm electus confirmetur. Habetur cap.finali, de elect. in 6.

Ledesma.

Quæres, an liceat aliquo casu cōfirmare indignū. Respōdeo cū Ledesma p.2.sum.tract 7.cap. 2.cōclus.7.dub.10. quòd non. Tū quia cū idoneus nō sit tali beneficio, cōfirmatio redūdaret in graue damnū Ecclesiæ; Tùm quia cōfirmatio est inuenta, vt Superior examinet, & videat si seruata sint, quæ sunt seruāda circa electionē; Quorū primū est, vt fiat in persona digni; Tū quia si Superior cōfirmaret electionē indigni, videretur cōcurrere, & confirmare peccatum electorum.

Ledesma. Salon. Bannes. Caiet. Couarr. Rodriq. Trid.

Dico tertiò, si electores elegerūt dignū, digniori prætermisso, electū tenetur confirmator cōfirmare. Ità Ledesma loco cit. Salon 2.2.q.63.art.2 controu.3.versu Obseruemus tertiò, vbi Bannes dub.3. ad septimum. Caiet.in summ.verbo Electio, & verbo Beneficium. Couarunias in regula Peccatum, p.2. §.7. nu.4. Rodriq.in sum.tom.1. cap.106.conclus.11. num.13. Colligitur ex Trid. sess.24.de reform.cap.18.& cap.Past.de iur.patr.

Probatur primò. Quia confirmatio est actus exterior: sed electio digni in foro exteriori est valida; ergò ad illam confirmandā tenetur, alioquin electus ius habet appellandi ad Superiorē.

Secundò, quia eo ipso quòd est electus, est gratus electoribus: & sic diiudicandus dignior, & fructuosior tali Ecclesiæ.

Ledes. Salon. Rodriquez. Armilla. Aragon.

Dico quartò. Si cōfirmatori proponantur duo, vel tres, tenetur digniorē confirmare. Ità Ledesma, Salon, Rodriquez locis cit. Armilla verbo Electio, nu.2. Aragon.2.2.q.63.art.2.col.13.conclus.5.pag.mihi 226. Et hoc sub mortali; quia tūc electoris, & confirmatoris vicem gerit.

Tab. Armilla. Cucch. Graff. Graffius. Syl. Miranda.

Dico quintò. Electus ad aliquam dignitatem, siuè in temporalibus, siuè in spiritualibus, si ante confirmationē administret, seù aliquē actū excerceat ad talem dignitatē spectantē, est ipso facto priuatus iure acquisito per illam electionem. Ità Tab. verbo Electio, 1. nu.27. Armilla n.32. Cucchus de instit.Iur.Canon.tit.9.de elect. Graff. to.2.consil.lib.1.de elect.consil.2.n.3. Habetur expresse in cap. Auaritiæ, de elect. in 6. & cap. qualiter, eod.tit. fallit tamē in multis, de quibus Graff loco cit. & Sylu.verbo Cōfirmatio humana, quæst.1. Mir. tom.2. Manual. q.23.art.32.

Fallit etiā in ordine nostro quò ad Prælatos, qui statim electi consequuntur ius Prælaturæ, & simùl administrationis. Generalis quidem per Maremagnū, vt videre est in priuilegijs nostris, pag.68. Et cap. Pauli n.23. in quo idem etiam determinatur de Generali, sicut de Prouinciali. Idē conceditur in Marimagno, §.4. Prouinciales vero per capitulum Generale Val. 3. num.9.

Cucchus

Dico sextò, Confirmatio facta post appellationem ad sedem Apostolicā ex legitima causa interpositam, nisi priùs fuerit ab appellatione Canonicè recessum, est nullius roboris, & momenti. Ità Cucchus loco cit. & habetur cap. Si postquam, de elect. in 6.

Cucchus.

Dico septimo, Confirmatio declarata irrita: vel propter non seruatā debitā iuris solēnitatē: vel propter inhabilitatē Iudicis cōfirmātis; quia scilicet confirmandi potestatem nō habebat, nō propterea irritat, aùt annullat præcedentē electionē, alioquin Canonicā. Ità Cucchus loc.cit. & habetur cap. Si cōfirmationem, de elect. in 6.

Graff. Hostiens.

Dico octauò, Si electio est ipso iure nulla, talis etiam erit illius confirmatio. Graff. loc. cit.n.1. Probatur primo. Quia cōfirmatio est iuris priùs habiti corroboratio, vt habet Hostiensis lib. 2. sum.tit.de cōfirm.vtil.vel inutil.§. Quid sit, Qui enim confirmat, nihil do nouo dat sed datū, vel aliter acquisitum corroborat.

Secundò. Quia vbi electio nō tenuit, ipso iure confirmari non potuit. Nàm si non valet principale, nec accessorium valebit, vt dicitur cap. Inter dilector, de fide instrum. §. Cum igitur.

Hostiens.

Dico nonò, Cōfirmator sciēs per sciētiā habitā in confessione, aliquē esse indignū, si nihil aliud obstet, debet illū cōfirmare. Hostiens. in sum.lib. 1. de elect. §. à quo, & qualiter confirmāda, n.27.

Probatur, quia cū Cōfirmatio, vt dixi, sit actus exterior, & Iudex procedere debeat secudū allegata, & approbata, nō est cur eū cōfirmare nolit.

Sylu. Miranda.

Dico X. Repertus dignus ad vnam dignitatē, si posteà eligatur ad aliā, debet dignus reputari, et per consequens ab habente auctoritatem confirmari. Syln. electio primo, q.3. Mir. to.2. Manual. q.23. art.11. Probant ex cap. Gesta, dist. 74.

Intelligenda tamen est conclusio de dignitate pari. Nam qui est dignus officio minori, non est dignus maiori, vt supra dixi.

Intelligenda est secundò, modò in prima dignitate bene se gesserit, & ea bene administrauerit. Nam si secus, indignum se reddidit quacumque alia etiam simili, etiam pari. Ad quæ debet attendere confirmator, ne laqueum sibi inijciat peccati.

Dico XI. Electus debet necessariò, & ex debito officij confirmari ab habente auctoritatem, si nihil obstet. Vnde benè notat Panor. in cap. Postquam, de elect. num. 1. quòd confirmatio est necessitatis, licet electio à principio fuerit voluntatis. Quòd si recuset, potest electus super electione litigare, & electionem suam prosequi, vt Panor. in cap. Cum inter R. de elect. nu. 1. Vide quæ dixi suprà §. 6. conclus. 11.

Panorm.

Dico XII. Non solùm electus potest prosequi electionem suam in iudicio, sed etiam electores coram confirmatore eam defendere. Ita Panor. in cap. Dudùm, de elect. nu. 4. & habetur cap. Bonæ Memoriæ, el 1. de elect. vbi Panor. num. 4.

Panorm.

Dico XIII. non potest electus confirmatorem iniustè confirmare renuentem, pecunia emollire. Ita Sotus, lib. 9. de iust. q. 6. artic. 1. Azor tom. 3. Instit. moral. lib. 12. cap. 7. versu Si roges. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 50. nu. 19. licet dubitare videatur Maior in 4. d. 25. q. 5. ad secundum, dicens, *forte non esse improbabile, quod in foro animæ pecunia dari possit pro vexatione tollenda circa confirmationem*. Quod stando in iure naturali posse procedere, affirmat ipse Suarez, licet simpliciter, stante iure Canonico, nullo modo admittendum esse dicat. Ratio conclusionis est, quia Confirmatio est quid spirituale, quod nullo modo emere licitum est.

Maior.

§. XII. De eo, qui vult electioni se opponere.

Dico primò. Eligentes aliquem ad aliquam dignitatem vnanimi consensu, non possunt deinde se illi electioni opponere; nisi ex causis posteà emergentibus: vel nisi eis improbitas morum electi de nouo fit manifestata, quæ tempore, quo elegerunt erat illis secreta. Cocchus lib. 1. Instit. Iur. Canon. tit. 7. de elect. pag. mihi 16. & habetur expressè in cap. Nulli, de elect. in 6.

Dico secundò, opponens, seu appellans contrà aliquem electum, vel eligendum: seu contra formam electionis: vel etiam contra electores; Debet in litteris appellationem, seu oppositionem continentibus (quæ litteræ debent esse manu propria appellantis, & eius sigillo subscriptæ) exprimere singula, quæ intendit obijcere, contra vel formam electionis, vel personas electi, seu eligendi, vel electorum & iurare per sacra Dei Euangelia, quod credit esse vera, quæ opponit. Quod iuramentum debet esse appositum in litteris oppositionem continentibus: & etiam quòd credit, se ea, quæ opponit posse probare. Habentur Hæc omnia expressè in cap. Vt circa, de elect. in 6. Quæ omnes clausulas apposuit Pontifex ad præcludendas vias malitijs.


Noto tamen, quòd dicta intelliguntur, quandò appellatio, seu oppositio fit contrà personā certam nominatim expressam: secùs autem quando fit oppositio contra personam incertā; vt quòd non eligatur excommunicatus: vel quòd non fiat electio, nisi Canonica: vel ne fiat contra tenorem priuilegiorum: nam tùm non tenetur opponens exprimere vitia, nec seruare formam dictam Capitis Vt circa; sed sufficit, quòd secuta electione, ea exprimat, & probet ad electionem innalidandam, & infirmandam. Habentur hæc in cap. Qui contra, de elect. in 6. iuncta Glossa.

Glossa.

Dico tertiò. Appellare ne fiat electio, non valet; benè autem, ne fiat nisi Canonica. Habetur cap. Cum nobis, de elect. & notat Glossa in cap. Considerauimus, verbo, Post appellationem, eodem tit. Quæ addit, quòd licet electio cassetur propter modum electionis, nihil obstat quin electus possit iterum eligi, & habetur d. cap. Considerauimus. Hi, qui voluerint se electioni opponere, videant Clem. Constitutionem de elect. caput Constitutio, & caput Statuimus, eodem tit. in 6.

CAP. XXXII.

Quàm deceat Religiosum esse Obedientiæ amatorem.



Expeditis ijs, quæ boni subditi possunt de iustitia facere, vel nō facere, in quibus obedire, vel non obedire tenentur, Reliquum est, vt eos ad obedientiam perfectiorem instruamus, & accendamus, quòd eos obedire doceamus etiam in ijs, ad quæ alioquin ex iustitia nō tenerentur, quod hoc capite præstabimus; & cum hoc fieri meliùs non possit, quàm in medium proferre loca patrum, & exempla Sanctorum, hæc afferemus, Pauca tamen, nam omnia, quæ possent adduci afferre, non est nostri intenti: & tot, tantaquè Sunt, vt sua propria volumina, eaque permagna requirant. Qui plura desiderabit, adeat Gregorium lib. 35. moral. cap. 12 Bernard. serm. de hac re, & ad milites templi, cap. 13. Anselmum cap. 12. ep. ad Hebr. Gregor. Naz orat. ad ciues timore perculsos. Hieronym. ad Demetri. epist. 8. cap. 10. & ad Rustic. mon. ep. 4. cap. 6. B. Lauren. Iustin. in ligno vitæ, de obed. & toto lib. de obed. Cassianum lib. 4. institut. cap. 10. & cap. 23. & seq. Climacum gradu 4. de obed. Thom. à Kempis opusc. de exercit. Spirit cap. 15. & de discipl. Claustr. cap. 4. S. Dorotheum serm. 2. Platum de bono statu religiosi, lib. 2. cap. 5. Bernardinum Rosignolinm de discipl. Christianæ perfect. lib. 4. cap. 14 & de actionibus virtutum, lib. 2. cap. 9. Aluarez de vita spiritual. tom. 2. lib. 5. parte 3. diffusè, Franciscum Labatam in suo appar. concionat. tom. 1. & 2. vtrobiq; verbo Obedientia. Alphonsum Rodriq. parte 3. exercit. perfect. religinf. tract. 5. per totum. Busæum in suo virid. verbo Obedientia, & in Panario, verbo Inobedientia. Guilelmum Peraldum to. 2. sum. parte decima de obed. per multa. Thomam Cantipratanum lib. 2. apum, cap. 22. Lud. Blosium

Greg. Bern. Anselm. Gregor. Naz. Hieronyj. B. Laur. Iustin. Cassianus Climacus Thom. à Kempis. S. Doror. Platus. Rosignol. Aluarez. Labata. Rodriqz Busæus Peraldus. Thom. Cantip.

Blosius. Gueuara. Io. Carth. Laur. de Portel. Blosium lib. 1. Enchiridij paruui. docum. 5. & cap. 2. spec. spirit. Antonium de Gueuara in orat. relig. a cap. 42. per multa. Ioanoem Carthagenam tom. 3. lib. 5. homil. 7. 8. 9. & 10. Laureotium de Portel exhortatiooe 5.

Hic tria tantùm videbimus. Primum motiua, seù incitameota ad obediendum: secundum obedientiæ effectus: tertium perfecti obedientis signa.

D. Paulus Philip. 2. Bern. Prouerb. 21. Greg. Quàm placens sit Deo obediētiæ virtus, ostēdit Paulus ad Philipp. 2. dicens *Christus factus est pro nobis obediens vsquè ad mortem, mortem autem Crucis*. Ad quem locum alludens Ber. ad milites templi, cap. 13. *Ne obedientiam*, inquit, *perderet, perdidit vitam*, & Prouerb. 21. de vero obediente dicitur. *Vir obediens loquetur victoriam*: quia, inquit, Greg. 15. moral. cap. 10. *Dùm alienæ voci humiliter subdimur, nos metipsos in corde superamus*.

Greg. Et idem Greg. lib. 6. in primum regum, cap. 2. *Longè*, ait, *altioris est apud Deum meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati subycere, quàm magnis ieiunijs corpus atterere; aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare*. Et lib. 35. moral. cap. 12. *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasq; custodit*. Et lib. 2. in primum regum, cap. 3. *Nec magna lucra ieiunij, nec asperæ vitæ studia demonis Christi militibus in maiorum præcepto valde pensanda sunt. Maioris enim est meriti Charitatis iniuncta refectio, ieiunis propria deliberatione suceptis*.

Hieromy. Hieroaymus io regula monach. cap. 6. *In obedientia*, ait, *summa virtutum clausa est. Nàm simplici gressu hominem ducit ad Christum*.

Basil. Basilius in regulis fusiùs disputatis, q. 41. *Et prompta*, ait, *vbiq; in omnibus rebus obedientia laudi semper tribuitur*.

August. Augustinus ad fratres io eremo, serm. 34. *In montem*, ait, *obedientia ascendamus, & quod Deo promisimus, attendamus. Nihil enim est maius obedientia, & nihil peius Inobedientia*.

D. Tho. D. Thomas 2. 2. q. 186. ar. 5. ad 5. *Nihil maius potest homo Deo dare, quam quòd propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subyciat*.

Bonau. Boouentura in speculo discipl. parte prima, partic. 1. cap. 4. *Nemo*, ait, *(ad perfectionis semitam currendam est magis expeditus, quam verus obediens*.

Cassianus Cassianus lib. 4. Instit. cap. 10. ait, *Quid tanta obseruantia illi antiqui cænobitæ obedientiæ Regulam custodiebant, vt iuniores absque præpositi scientia, vel permissu, non solùm, non auderent cellam progredi, sed ne ipsi quidem Communi, ac naturali necessitati satisfacere, sua authoritate præsumerent*.

Thom. Kempis. Thomas kempis de discipl. claustr. cap. 4. *Qui vult* ait, *summæ perfectioni citò propinquare, studeat ante omnia obedientiam seruare*. Et infrà. *Hæc sancta, & simplex obedientia plùs prodest, quam alta doctrina, vtilior est, quam potentia, & securior quam dignitas, aut Prælatura*.

Ludouic. Blosius. Ludouicus Blosius io speculo spirituali, cap. secundo. *Minimum opus ex vera obedientia factum magis Deo placet, quàm grande opus ex propria voluntate patratum*.

B. Laur. Iustin. De effectibus obedientiæ optimè B. Laurentius Iostinianus io ligno vitæ, de obed. cap. 3.

Primò Facit hominē fratrem Christi; vt colligitur ex illo Marci 3. *Eccè mater mea, & fratres mei, quicumquè fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Ipse meus frater, soror, & mater est*. *Marc. 3.*

Secundò, Reddit hominem Deo gratum, & ei acceptissimum præstat obsequium. Vnde dicitur Ecclesiastici 4. *Multo melior est obedientia, quam stultorum victimæ*. *Ecclesiastici. 4.*

Tertiò. Deum glorificat, hominemq; excellentem reddit, Vndè dicitur Esaiæ 58. *Et Glorificaueris Dominum Deum tuum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui*. *Esai. 58.*

Quartò. Impetrat. quicquid vult à Deo. Vndè 1. Ioannis 3. dicitur. *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum, quia quicquid petimus accipiemus, quià mandata eius custodimus*. *Ioan. 2.*

Quintò Hominem reddit exoneratum, tùm cogitationibus, tùm operibus, Obediens enim cum se regat ad alterius arbitrium, meritò dicitur exoneratus, & liber curis, & oneribus, *Hæc itaquè*, ait Iustinianus, *Hominem ditat, lætificat Ecclesiam, pacem tribuit, mentem ornat, animam castificat, cælum aperit, vitam felicem homini tribuit*.

Indicia veri obedientis hæc sunt. Primum Promptitudo exterior, de qua Sanctus Bern. serm. de virt. obed. *Verus obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem*. *Bern.*

Secundum iodicium est, simpliciter obedire. Vndè Greg. lib. 2. in primum regum, cap. 2. *Nescit*, inquit, *iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire*. *Greg.*

Tertiùm. Est in omnibus rebus se tamquàm exanimem ostendere, & sicùt talem permittere moueri. Vndè de B. Francesco ait D. Bonau. in illius vita, cap. 6. *Tolle corpus exanime, & vbi placuerit pone, videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quòd si statuatur in cathedra, non alta sed ima respiciet, si collocetur in purpura, pallescet. Verus obediens est, qui cùr moueatur, non diiudicat, vbi locetur non curat, vbi transmutetur non instat, euectus ad officium solitam tenet humilitatem, plùs honoratus, plùs reputat se indignum*. *D. Bonau.*

Quartum indicium est Patienter ferre superiorem, vel imprudeoter iubentem: vel experimentum sumentem. Vndè Climacus gradu 4. de obed. vltrà medium, de quodam Achario discipulo cuiusdam Imprudentis senioris ad hoc propositum multa dicit; præsertim, quòd non solùm iniurijs, contumelijs, & ignomioijs eum quotidie afficiebat senior; sed etiam quotidianis verberibus, ijsquè grauibus; quæ omnia patientissimus, & obedientissimus Acharius mira patientia tolerabat. De quo, ait idem Climacus, quòd cum mortuus esset, fuit ab alio Seniori interrogatus hoc pacto. *Achari putas ne mortuus es? Qui respondit* (etiam obedientiam post mortem ostendens) *de sepulchro, Et fieri quomodò potest Pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus?* Et de Abbate Nesterone legitur in Vitis Patrum, quod religionem ingrediens, apùd *Climacus* *Vit. Patr.*

se sic

se sic statuit. *Ego, & asinus vnum sumus, Asinus autem quicquid ei imponatur, hoc portat, & sine mora.*

Tandem hoc Alphabetum ex patribus, & viris deuotis desumptum, in Obedientiæ laudem accipiat, & custodiat verus Obediens.

Ala est obedientia, qua in cœlum volamus. *Climac.* Climac. grad. 4.

Bern. Bonus cibus. Ber. ser. De obed. & patient.

Cœlum, in quo obedientis anima requiescit, *Climac.* Climac. loc. cit.

Iustin. Ditat hominem. Iustin. in ligno vitæ, de obed. cap. 2. fine.

Aluarez. Ecclesiæ vnitatem tribuit. Alua. tom. 2. de vit. spir. lib. 5. parte 3. cap. 1.

Hieron. Felix, & abundans gratia. Hieron. in regul. mon. ca. 6.

D. Bonau. Genus nobilissimum martyrij. Bonau. in dietis salutis, tit. 4. dieta 4. cap. 1.

Humilitatis filia primogenita. Blosius in Speculo spirit. cap. 2. *Blosius.*

Iugum suaue, & onus leue. Alu. loc. cit. cap. 15. *Aluarez.*

Libertatem æternam parit. Alu. loc. cit. cap. 4. *Aluarez.*

Mater, & custos omnium virtutum. August. lib. 14. De ciuit. Dei, cap. 12. *August.*

Nescit moras, & fugit crastinum Bern. loc. cit. *Bern.*

Origo Sapientiæ, Bern. sem. de epiph. *Bern.*

Pacem tribuit. Iustin loco cit. *Iustin.*

Quies mentis. Dorotheus ser. 1. in fine. *Doroth.*

Regina virtutum. Alua. loco cit. cap. 1. *Aluarez.*

Securissima via ad cœlum. Kempis opusc. exercit. spirit. cap. 12. *Kempis.*


Tranquillitas animi. Dorotheus loco cit. *Doroth.*

Vita numquàm deficiens. Climacus loco cit. *Climac.*

Christo simillimum facit, Aluarez loco cit. cap. 4. *Aluarez.*

QVAESTIO II. DE VOTO RELIGIOSAE PAVPERTATIS.

Aggredimur secundam quæstionem de voto paupertatis, quam breuiter expediemus, succinctè traditis ijs, quæ ad instruendum bonum subditum necessaria iudicabimus.



CAP. I. *Quid sit Religiosa Paupertas.*



Climacus *Aluarez.* *Bonau.* *B. Laur.* *Iustin.* *Guliemus Perald.* *Barthol. à S. Fausto*

PRO hoc capite videri potest Climacus gradu 16. Aluarez tom. 2. de vit. spirit. lib. 5. parte 1. cap. 1. Bonauentura in diet. sal. tit. 4. dieta 4. cap. 3. B. Laur. Iustin. in ligno vitæ de paupert. cap. 4. Gulielmus Peraldus tom. 1. sum. tract. de beatitud. parte 5. Bartholom. à S. Fausto in spec. confess. tract. de vit. q. 1.

Climacus *Nuditas*, idest paupertas, (vt Climacus ait) *rerum omnium, curarum est depositio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mæroris alienatio, mandatorum fides* (idest fidelis obseruatio eorum, quæ mandantur.

Aluarez. *Paupertas Religiosa est* (vt ait Aluarez) *abdicatio omnium rerum temporalium opere, & voluntate ob amorem Dei, & desiderium perfectionis.*

Paupertas est, (vt Bonauentura,) *Cæleste pretium, cum quo pauperes Christi mercantur cælestia prandium, ad quod pauperes inuitantur; & cæleste solium, in quo pauperes locantur.* *Bonauent.*

Eleganter Iustinianus. *Hæc*, inquit, *virtus cuidam puellæ pulcherrimæ comparatur; etenim oculus eius est purus, & preclarus, nihil habens turbulentum sed mansuetus, tranquillus, delectabilis, ad omnes respiciens, nullum odij habens, mitis, & humilis. Os illi, & lingua sana est, plena gratiarum actione, & vtilibus, amabilibusque verbis abundans, longanimis est, & longè quam abundantia excellit. Vis videre animæ huius pulchritudinem? Vis inopiæ diuitias addiscere? Non subiacet Dæmonibus, non assistit regibus, quia militat Deo, & cum Angelis ipsi cælorum Regi famulatur. Non habet horrea, vbi grana reponat, sed talem abundantiam, vt habere mundum vniuersum nihil existimet; Non habet quod thesaurizet in terra, quia cuncta, quæ possidet, recondit in cælo.* *Iustinian.*

Hæc itaquè paupertas est Religioni necessaria, vt probat D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. & habetur in Iure, cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach.

CAP.

C A P. II.

Quid liceat, vel non liceat Religioso circà votum paupertatis.

D. Thom. Caietan. Val. Panorm. Io: Andr. Innocent. Nauarr. Antonin. Syluest. Rodriq. Miranda. Lessius. Vasquez. Vega. Molina. Ludouic. Beia. Azor. Reginald. Graffius. Corduba. Ledesma. Barthol. à S. Fausto. Sayrus. Sanchez. Cenedus.



RO hoc cap. videatur D. Thom. 2.2. q.186. art.3.& 6. vbi Cai. Val. tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 3. Panor. cap. Monachi, & cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach. vbi Io. Andreas, Innocentius, & alij Cannonistæ, Nauar. comm. 2. de regul. per multa, & comm. 1. Antoninus 3. parte. tit. 16. lib. cap. 1. §. 11. Sylu. verbo Religio 6. Rodriq. tom. 3. quæst. regul. q. 29. Mir. tom. 1. manual. q. 18. Lessius lib. 2. de iust. cap. 4. dub. 5. & cap. 41. dub. 9. Vasquez opusc. de redditibus eccles. cap. 3. dub. 2. Vega p. 2. sum. cap. 86. à casu 3. vsque ad 36. Molina tom. 1. de iust. disp. 140. & to. 2. disp. 276. & tom. 3. disp. 687. Ludouic. Beia 4. p. casuum, casu 17. Azor tom. 1. Instit. mor. lib. 12. cap. 9. & 12. Reginaldus in praxi, lib. 18. à nu. 397. Gaff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. à nu. 40. vsque ad 65. & lib. 3. de casibus reseru. cap. 4. & tom. 1. consil. lib. 3. de regul. consil. 8. Cordub. in sum. q. 54. Ledesma de statu religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. Lopez 2. parte instruct. cap. 4. 5. 6. Bartholomæus à Sancto Fausto in speculo confess. tract. de vitio proprietatis, Sayrus in Claui reg. lib. 9. cap. 16. nu. 20. Sanchez lib. 7. in decal. per multa, præsertim cap. 22. Cenedus in suo lib. de pauper.

Valen. Noto 1. quòd cum Religiosa paupertas sit diametraliter opposita dominio, de essentia illius erunt, quæ sunt opposita essentiæ Dominij. De essentia autem Dominij duo sunt, Primum, quòd Domini habeant liberam facultatem vsurpandi rem arbitratu suo, absque alterius iniuria, quæ sit contrà iustitiam cõmutatiuam: & per hanc facultatem propriè, & formaliter constituitur aliquis Dominus, quasi in actu primo. Secundum est, quòd re, cuius aliquis est Dominus, libere is vtitur independenter à voluntate alterius, quo ipso est rei Dominus, velut in actu secundò. Itaquè de essentia paupertatis Religiosæ erit nullam habere facultatẽ arbitrato suo disponendi de re aliqua neque aliquã rem vsurpandi independenter à voluntate Prælati. Ità Val. tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 3. versu Hæc cum ità sint.

Lopez. Noto secundò quòd peculium nihil aliud est, quàm habere aliquam rem in particulari, deputatam, & sequestratam ab alijs, ad vtendum ea: vel iure dominij, & proprietatis possidendo, & defendendo eam, vt suam: vel iure solius administrationis, ad eam administrandam, vel distribuendam secundùm conditiones, & leges ad hoc præstitutas; non tamen ad eam alienandam, neque distrahendum de ea vltrà concessa: vel iure solius vsus fructus, qui est facultas vtendi re, & fructibus eius, in vtilitatem propriam, commodumque etiam aliorum; salua tamen substantia rei fructuariæ: vel iure solius vsus, qui est facultas vtendi re ad solos proprios vsus, sinè alia facultate alienandi, neque administrandi, neq; etiam possidendi. Ità Lopez secunda parte instruct. cap. 4. in principio. Ex quibus colligitur differentia inter dominium, vsumfructum, & vsum, possessionem, & administrationem. Quòd Dominus disponit de re ipsa; quia potest eam destruere quò ad substantiam, alienare per donationem, vel venditionem; vsusfructuarius disponit de solis fructibus pro vt vult; non solùm in suam, sed etiam in aliorum commoditatem, salua tamen rei substantia. Vsurarius verò disponit de solis fructibus in propriam tantum vtilitatem, nullo autem modo in vtilitatem alterius. Possessio est ius insistendi rei corporali, à qua possidenda non prohibemur. Administratio est ius gubernandi, & distribuendi iuxtà conditiones certas, & limitatas, non tamen alienandi, nec in quoslibet vsus expendendi.

Azor. Sanchez. Cenedus. Trid. Noto tertio, quod nomine peculij intelliguntur tàm bona mobilia, quam immobilia, vt Azor lib. 12. cap. 9. q. 1. versu Aduert. fine; De peculio quatenùs includit bonà mobilia; verbi gratia certam quamdam pecuniæ quantitatem moderatam iuxtà qualitatem personæ, & dignitatem; seu etiam includit supellectilia, libros, &c. Nulli dubium, est, quin possit regularis de licentia sui Prælati tale peculium habere, vt dicit Sanchez 7. in decal. cap. 22. nu. 1. & Cenedus de paup. dubio 9. nu. 10. Et habetur expressè in Bulla Clementis VIII. de largitione munerum, §. Id autem, his verbis; *Eique vt ad libitum de eis dispenat, per superiores concessa fuerint.* Vetat enim ne possint regulares quidquam donare de elemosynis, ipsis à Prælatis concessis, ad suum libitum expendendis. Vndè supponit, posse Superiores tales pecunias, quas peculium dicimus, suis Subditis concedere; Immò, & id concedit Trid. sess. 25. de regul. cap. 2. De peculio autẽm quatenus immobilia includit, est maior dificultas, dicam in sequentibus.

Corduba. Lopez. Corduba. Rodriq. Sanchez. Lessius. Noto quartò, ex Corduba in sum. q. 54. notab. 2. Lopez 2. parte instruct. cap. 4. versu Triplex inueniri potest. Quod triplex potest esse Religiosorum peculium. Primò quando est designatum à Superiori ad aliqua certa, & determinata comparanda, vt libros, vestes, &c. Ità tamen, quòd hoc peculium reuocabile est per superiorem. Secundò quando peculium est irreuocabile à superiore. Tertiò quando peculium est quidèm reuocabile à Superiore, & eo animo habetur, sed non decernitur per Superiorem, ad quæ comparanda sit illud peculium destinatum. Peculium primò modo, aiunt, quòd potest Religiosus habere: Secundò neuquàm, quià dominium dicit: Tertiò negant posse Religiosum habere Corduba, & Rodriquez tom. 2. sum. cap. 32. conclus. 2. versu, Lo tercero digo: sed parùm refert, an sit determinatum ad certos aliquos particulares vsus, an verò indeterminatè ad vsus; semper enim intelligitur, quòd sit concessum ad vsus licitos, vt benè Sanchez loco cit. nu. 12. Lessius lib. 2. de iust. cap. 4. dub. 5. nu. 33.

Noto quinto, quod sine controuersia est apùd Doctores, nõ posse Religiosos regulares, sub voto paupertatis viuẽtes, habere aliquid propriũ, pro vt propriũ dicit dominium rei absolutum, ab alijs independens, Quià tali dominio per votum paupertatis renunciauerunt. Habetur expressè in cap. Monachi, de statu Mon. & cap. Cum ad Monasterium, eod. tit. vbi dicitur, *Prohibemus quoquè districtè in virtute obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat.* Quod ità verum est, vt eodem cap. dicatur, *Nec posse summum Pontificem*

sum

num Monacho (remanente Monacho) *super votum paupertatis dispensare*. Hoc idem fuit definitum in Trid. sess. 25. de regul. cap. 2. vbi dicitur, *Nemini regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona mobilia, vel immobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tamquàm propria, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere, sed ea statim Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur*. Videatur Nauarrus comm. 2. de regul. nu. 14. 15. *Trid.* *Nauarr.*

Noto sextò, quod dominium, possessio, administratio, vsus, & vsusfructus, sumuntur dupliciter. Primò quatenus talia sunt iuris; quià scilicet qui dominium alicuius rei, seù vsumfructum habet, eam pro suo arbitratu administrat. Iuxtà modum eas habendi, & regulas eas administrandi traditas notab. 2. Secundò quatenus talia sunt facti, quià scilicet realiter, & de facto habentur, sed non possunt ad suum libitum administrari sed ad voluntatem alterius, ad cuius etiam voluntatem amouibilia sunt. Proprium, seù dominium primi generis competit personis liberis: secundi generis potest competere Religiosis. Ità Nauarr. comm. 2. de regul. nu 15. & Bartholomæus à S. Fausto tract. de vitio proprietatis, q. 3. nu. 5. & 6. *Nauarr.* *Barthol. à S. Fausto*

§. Primus. *Vtrùm liceat Regulari de licentia sui Superioris retinere sibi aliquos annuos census in suos vsus expendendos.*

DICENDVM èst, posse Religiosum professum de licentia sui Prælati, ex iusta causa concessa, habere aliquod peculium, seù aliquos annuos redditus per se ipsum administrandos, quò ad vsus licitos, & honestos, etiam indeterminatos necessarios tamen, ad nutum tamen superioris amouibiles: & hoc non solum de iure antiquo, sed etiam post Côcilium Trid. In hanc conclusionem conueniunt exprofesso Nauar. com. 2. de regul. nu. 15. & 18. & comm. 1. nu. 15. & lib. 3. consil. de statu monach. consil. 14. nu 6. Sà in aphorismis, verbo Religio, nu. 48. Latè Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 22. nu. 11. Ledesma de statu religios. in communi cap. 4. conclus. 3. dub. 13. pag 115. vbi citat Ioannem Galium; quem, ait, fuisse præsentem Concilio Trid. nec tamen vnquàm intellexisse, per hoc decretum, tales annuos redditus fuisse prohibitos, & laudat Ledesma Prælatos, concedentes tales redditus suis subditis. quia, ait, cum Religiones vt plurimum non dent suis Religiosis necessaria, isti si non habent redditus ad sibi subueniendum, aliundè quærunt, & forsàn non tàm honestè; hanc eamdem sententiam defendit, & probat multis Ludouicus Beia 4. parte casuum, casu 17. in principio, & Miran. tom. 1. Manual. q. 28. art. 8. Citatur etiam Ioannes della Cruz, de statu religio. lib. 1. cap. 3. dub. 2. possunt etiam adduci Rodriquez, & Vega supra, quatenus dicunt, Concilium Trid. nihil innouasse, sed explicasse ius antiquum. *Nauar.* *Sà.* *Sanchez.* *Ledesma.* *Ludouic. Beia.* *Miranda.* *Io. della Cruz.* *Rodriq.* *Vega.*

Ex scriptoribus antè Concilium hanc etiam sententiam defendunt, Io. Andreas in regulam, Non est obligatorium, quæ est 58. de regul. iur. in 6. à num. 7. Abbas in cap. Cum ad Monasterium, num. 8. de statu monach. Innoc. in cap. Insinuante qui Clerici, vel vouentes, nu. 2. Sylu. verbo Abbas, q. 3. nu. 6. d. 7. & alij, quos citat Sanchez loco cit. nu. 5. *Io. Andr.* *Innoc.* *Sylu.* *Sanchez.*

Hanc eadem sententiam tenent alij, sed cum limitatione, Quandò Monasterium est ità Pauper, vt ex communibus redditibus nequeat Religiosis satis prouidere. Ità Val. tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 3. col. 2. corol. 4. *Valen.*

Tenent alij, quandò istud Peculium, seu annui census concederentur Religiosis ad vsus determinatos, puta, Concedo tibi hæc decem scuta annua, vt ex illis emas tot libros & non aliud. Ità Corduba in sum. q. 54. versu, Lo tercero digo. Lopez secunda parte instruct. cap. 5. col. 3. versu Tertiò addimus. *Corduba.* *Lopez.*

Tertiò tenent alij, quandò administratio prædictorum annorum censuum non permittitur ipsis Religiosis particularibus, sed officialibus Conuentus, ad id specialiter deputatis. Ità Bartoholomæs à S. Fausto tract. de vitio proprietatis, q. 12. Cenedus. tract. de Paupert. dub. 10. nu. 6. *Barthol. à S. Fausto* *Cenedus.*

Probatur primò nostra Conclusio, quià id habet vsus communis, etiam apud reformatos Religiosos, & Religiosas, vt testatur Beia loco cit. versu Confirmat hoc ipsum, & Ledesma similiter loc. cit. propter quem vsum suspicatur Vasquez opusc. de redd. cap. 3. dub. 2. nu. 15. quòd decretum Concilij sess. 25. cap. 2. de regul. non fuerit receptum; sicut non fuit receptum, quo ad illud; quòd Religiosis omnia necessaria ministrarentur. *Ledesma.* *Vasquez.*

Secundò Probatur, quià hos redditus habere amouibiles ad voluntatem Prælati, & non expendendos in quoscumque vsus, sed tantum licitos, & necessarios, non est contrà votum paupertatis, vt probatur ex notab. 1.

Tertiò Quia Papa solet concedere aliquos annuos redditus aliquibus Religiosis de Ecclesia benemeritis, vt dicit Ledesma loco cit. & Beia, quod non faceret, si esset contrà votum paupertatis. Multis alijs rationibus hanc conclusionem probant Nauarrus, Ledesma, Beia, Sanchez, Cenedus, locis cit. *Ledesma.* *Beia.* *Nauarr.* *Sanchez.* *Cenedus.*

At obijcies primò, Concilium Trid. sess. 25. cap. 2. de regul. vbi ait, *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum vel vsum administrationem, aut commendam*. *Trid.*

Respondeo cum Nauarro loco cit. ad quintum, Beia etiam cit. loc. 4. versu Respondemus Sanchez loco cit. nu. 13. Ledesma cit. pag. 113. versu A la raxon de dudar. Mirand. cit. Paulò antè ad primam confirmationem, Concilium non inducere ius aliquod nouum, sed tantummodo renouare, & ad memoriam reuocare ius illud antiquum positum, cap. Non dicatis, 12. q. 1. cap. Monachi, & cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach. Quibus cap. Cauetur, ne possit Religiosus habere peculium tamquam proprium, & independenter ab Abbatis voluntate, vt innuunt illa verba, *Tamquàm propria*, citata supra notab. 5. in fine. Et quamuis addat, *Neque etiam nomine conuentus*, intelligendum est sinè licentia prælati. Quandò autem dicit Concilium, *Non licere Prælatis concedere* *Nauarr.* *Beia.* *Sanchez.* *Ledesma.* *Miranda.*

cedere bona stabilia, etiam ad vsum, & administrationem, intelligitur sine causa iusta, vt ex-
Nauarr. plicat Nauarrus loco cit. ad quartum, & Beia:
Beia seù etiam potest intelligi ad vsum, & vsumfructum, iuris, non facti.

Quarant. Objicies 2. multas declarationes congregationis Concilij, quas refert Quaranta verbo Casus; Quibus cauetur, Nullo modo licere Religiosis tales redditus possidere, nec posse Prælatos facere talem facultatem possidendi suis subditis.

Respondeo, Has declarationes non maiorem obligationem inducere, quam ipsum Conciliũ, & eodem modo esse interpretandas. Et nota, quòd possunt religiosi nõ solum retinere dictos annuos census, relictos sibi in renunciatione, quam fecerunt antè professionem, seù quos aliqui parentes, amici, vel consanguinei eis reliquerunt; sed etiam quos ipsi professi instituerunt ex nummis eorum industria, prædicando, docendo, libros scribendo, quæsitis. Quia potest Conuentus religiosis benemeritis in præmium suorum laborum eis licentiam concede-
Cenedus re talibus annuis censibus fruendi. Ità Cenedus in tract. de pauper. dub. 10. num. 9.

Ex dictis colligitur primo, non posse Prælatum concedere Religiosis hos annuos redditus, nisi in vsus licitos, & necessarios. Et Religiosũ in illicitos distrahens, verbi gratia, in turpia, in vestes sericas, vel etiam laneas, sed maximi pretij, & contrà Religiosam paupertatem: vel in sumptuosa conuiuia, vanas picturas, canes venaticos, &c. mortaliter peccare contra votũ paupertatis. & qui pecunias à Religioso sic
Molina. accipit, teneri restituere. Ità Molina disp. 95. &
Nauarr. disp. 140. Nauarr. cõm. 2. de regul. nu. 53. Rodri-
Rodriq. quez in sum. p. 2. cap. 32. concl. 3. versu Lo quar-
Miran. to digo. Miranda tom. 1. Manualis, q. 28. ar. 9.
Vega. Vega secunda parte sum. cap. 86. casu 33. Sylu.
Sylu. verbo Religio 6. q. 7. d. 2. Sanchez 7. in decal.
Sanchez. cap. 22. num. 19. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41.
Lessius dub. 9. nu. 79. versu Nono non potest. Ratio est, quià cum Prælatus non sit Dominus rerum Monasterij, cuius verè, & propriè sunt, quæ possidet Monachus, sed dispensator, non potest facultatẽ facere res illas expendendi, nisi in vtilitatem, vel decorem Monasterij, Alioquin non dispensator fidelis, sed perfrictæ frontis dissipator meritò venerit appellandus; Cumquè Monachus non possit à Prælato licitè obtinere facultatem, redditus illos in illicitos vsus expendendi, sequitur, quòd expendens vtatur re illa tanquàm Dominus, & per consequens contrà votum paupertatis mortalitér peccabit. Recipiens autem peccuniam, vel aliam rem quantam à non habente potestatem dandi, clarum est, quòd tenetur restituere vero Domino, quod
Sanchez. est Monasterium, vt bene Sanchez lib. 7. in decal. cap. 19. nu. 30. Licet contrarium contendat de ludo dub. 21. nu. 4. multos citans. Pro no-
Sanctar. stra autem sententia adest Sanctarell. tract. de Apost. cap 6. dub 2. nu. 12. Adde, quòd putant aliqui apud Dianam tom. 3. tract. 2. resol. 98. quòd potest, qui habet pecuniam iniuste restituere illi, à quo habuit. Sed tu non recedas à dictis. Immò etiamsi haberet à Prælato expressam licentiam, quia Prælatus eam dare non potest, vt idem Sanchez loco cit. nu. 31. Immò neque etiam si ab ipso Prælato acciperet, vt idẽ Sanchez nu. 32. Hinc patet, quòd qui lucratur aliquod à Religioso, tenetur restituere Conuentui: similiter meretrices, quæ à Religiosis ob turpem actum aliquid recipiunt, restituere tenentur. Et nota vlterius, quòd si Prælatus nõ potest concedere subdito, vt redditus illos expendat in vsus illicitos neq; etiam potest id cõ-
cedere sibi ipsi, vt Sanch. 7. in decal. cap. 19. n. 25. *Sanchez.*
Vnde Religiosi tribuentes aliquid meretricibus ob turpia: seù etiam ludentes, vltrà peccatum, quod ex natura sua importat actus illicitus, peccant etiam contrà votum paupertatis. Si autem daretur alicui Religioso subdito, vel Prælato aliquod donum hoc pacto. Do tibi hoc, vt des tuæ concubinæ, non peccaret illud dando concubinæ contrà proprietatis votum, quia non
dat vt Dominus, sed vt Minister. Ità Vasquez *Vasquez.*
de redd. cap. 3. dub. 2. nu. 16. tunc enim non censeretur datum Monacho, sed concubinæ.

Colligitur secundò, Quid dicendum sit in illa quæstione, An peccet Religiosus dicens hoc est meum. Si enim dicat, Hoc est meum, intendens, quò ad dominium, & dispositionem ad libitum, & formaliter volens id esse suum, mortaliter peccat; Si autem dicit hoc est meum, intendens quò ad vsum, & administrationem, vel simplicem detentionem, nullum peccatum committit: Si autem nihil cogitans de proprietate, vel vsu, instatus respondeat Hoc est meum, peccat venialitèr, quià mendacium, est surreptitiũ, & omne mendacium quantumcumque leue
semper est peccatum veniale, vt docet D. Thom. *D. Thom.*
2. 2. q. 110. art. 3. Ità Nauarrus comm. 2. de re- *Nauarr.*
gul. num. 1. Bartholomæus à S. Faullo de vitio *Barthol.*
propr. q. 11. Graffius de casibus reseruatis, lib. *à S. Faust.*
3. cap. 4. nu. 10. Cauere tamen debet verus Re- *Graff.*
ligiosus, hæc verba *Meum, & Tuum*; Nàm sonant proprietatem, vt in cap. Dilectissimis, 12.
q. 1. Vndè Cassian. lib. 4. instit. cap. 13. de illis *Cassian.*
antiquis cænobitis ait. *Ne verbo quidem audes quis dicere aliquid suum; Magnumque sit crimen, ex ore Monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas. Proque hoc digna pænitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem, vel ignorantiam huius modi verbum ex ore eius effluxerit.*

Colligitur tertiò, posse Prælatum concedere hos redditus suo Religioso, expendendos in vsus indeterminatos, licitos tamen, Posse etiàm concedere, vt ipse Religiosus, cui concessum est peculium, redditus per se ipsum administret.
Ità Sanchez loc cit, nu. 18. Aduerto tamen Præ- *Sanchez.*
latos, vt inuigilent super sibi commissum gregem, & quotannis tempore visitationum curent sibi rationem reddi de redditibus, & expensis, & videant, an rectè sint expensi, quòd si non, castigent delinquentes iuxtà delicti grauitatem. Nàm ex negligentia Prælatorum oritur Religionum dissipatio, & Religiosorum perditio.

Colligitur quarto, esse contra votum paupertatis, si Religiosus Superiori volenti concessum sibi peculium reuocare resistat: aut paratus non
sit à se ad eius nutum abdicare. Ità Graff lib. 3, *Graff.*
de casib. reseru. cap. 4. num. 51. fine, Bartholo- *Barthol.*
mæus à S. Fausto loco cit. q. 10. nu. 24. Rodri- *à S. Faust.*
quez tom. 2. q. regul. q. 29. art. 12. Lessius lib. 2. *Rodriq.*
de iust. cap. 4. dub. 5. num. 31. & 32. Sanchez *Lessius.*
loc. cit. num. 15. Limitat tamen Lessius, modò *Sanchez.*

loc.

alliundè satis illi Religioso prouideatur; Nec enim Superiore iubente tenetur dimittere, nisi constaret alia ratione ex communi penu illi prospectum fore. Nec superiori volenti certam rationem victus communis instituere, potest subditus non obtemperare. Vt Lessius, & Sanchez locis cit. qui addit, subditum teneri obedire Superiori, quandò Superior aufert superflua: non autem si necessaria. Tandem nota, quòd non tenetur obedire, si auferat, vt sibi retineat, vel auferat mihi particulari, & non omnibus, vt dictum est suprà.

Lessius. Sanchez.

Colligitur quinto Resolutio illius quæstionis, An Religiosus, cui externus quidam dedit centum aureos, ad suum libitum expendendos, possit ex Superioris licentia alicui sæculari eos tradere, vt censum sibi quotannis soluat, dum vixerit. Ereo Religioso defuncto, centum illos aureos sibi retineat. Sic distinguendum enim est. Si ità concessi sunt illi centum aurei, vt concedens noluerit, illorum dominium trāsferri in Monasterium, sed omninò cedere in Religiosi vsum, & eadem fuit mens Religiosi acceptantis, est licitum ex Superioris licentia, eos tradere prædicto modo. Sin autem ità dati sint, vt illorum Dominium in Monasterium transierit. Tunc neque Generalis, aut Prouincialis absquè consensu Conuentus, nec Conuentus absquè consensu Generalis, aùt Prouincialis potest Religioso præd. facultatem concedere, prædictum contractum celebrandi. Ità Corduba in summ.q.54.dub.vlt. Lopez secunda parte instruct.cap.5. col. penul. versu, Secundò adijcimus, Vega tom. 2. sum. cap. 32. casu 19. Rodriquez tom.1. sum.cap. 90. nu.8. & 9. conclus.3. & 4. & tom.2. q. regul.q.47. art. 15. Sanchez loc. cit. num. 16. Tunc autem dicetur, Dominium in Conuentum non fuisse translatum, quandò secularis rem censu constituendam ipsi Religioso dedisset, vt ipse eam relinqueret cui vellet, & Religiosus sic eam acceptauisset. Ratio autem secundi dicti est quià cum iàm hæc summa sit in Conuentus proprietatem translata, non potest sinè ipsius beneplacito alienari, si enim alienaretur, in graue ipsius detrimētum redundaret. Quæ ratio cessat in primo dicto, vbi Conuentus nihil acquisiuit. Ego tamen habeo difficultatem in eo, quod dicunt, istos aureos iàm Religioni incorporatos, posse cū licentia Prælati, & Conuentus concedi præd. sæculari, præfato modo. Nàm Prçlatus, & Capitulum nō habent potestatē disponendi de rebus Conuentus, nisi in eius directam, vel indirectā vtilitatem, & necessitatem, vt probat Nauarrus comm. 1. de regul. num. 23. & comm. 3. num. 5. versu Tertiò quæritur. Addita præsertim constitutione Clementis VIII. de largitione munerum, de qua infra. At hic nulla vtilitas directa, neq; indirecta, nec vlla adest necessitas; ergò videtur, quòd Capitulum non possit hoc facere. Addo, quòd licet pecunia non sit de rebus, quæ seruādo seruari possunt, vt Sylu. cū cōmuni verbo Alienatio. q.8. nu.7. Si tamen implicetur in census, vel bona stabilia, fructificat; Vndè ista, quæ potest fructificare in perpetuū in vtile Monasterij, non potest dari ad vitam istius particularis, absquè eo quòd bono communi præiudicetur.

Corduba. Lopez. Vega. Rodriq. Sanchez.

Nauarr.

Sylu.

Colligitur 6. quid dicendum in illa quęstione, An Nouitius professionem facturus, & omnia sua Religioni relicturus, possit Religionem obligare, ad sibi soluendum quotannis quadraginta scuta: supposito, quòd facultates relictæ multum excedant dictam pensionem. Et an Conuentus deindè teneatur soluere dicto professo dictam pecuniam. Respondetur enim, quòd potest, cum enim sit Dominus rerum suarum, potest eas relinquere cuicumquè vult absolutè, vel limitatè; nec hoc est contra votum paupertatis, nec contra Concilium; quià semper supponimus, quòd hunc redditum retineat, & expendat cum voluntate Superioris. Conuentus autem tenetur dictam pensionem soluere ex debito iustitiæ; quià cum Nouitius fecit suum testamentum, seu renunciationem, erat in sua libertate, & sic instituit suum hæredem vniuersalem Conuentum, cum ista obligatione soluendi sibi ipsi iam professo talem pensionem; & Conuentus acceptauit hæreditatem, sic grauatam; ergò tenetur ex iustitia soluere illam pensionem. Sicùt si dictus Nouitius mandasset Cōuentui, ab ipso instituto hæredi, dictam pensionem alicui alij personæ extrà Religionē soluere, & Conuentus acceptasset, non ne teneretur ex debito iustitiæ soluere? sic tenetur soluere ipsi Nouitio iàm professo. Ità Ledesma de statu Religios. in communi, cap.4. conclus. 3. dub. 14. pag. mihi 116.

Ledesma.

Colligitur septimo, Quid dicendum loco casu, quo Nouitius ingrediens Religionem esset vsufructuarius aliquorum redditwum, durante eius vita; quià verbi gratia, Quandò natus est, eius Pater instituit censum ad eius vitam: vel est alicuius familiæ, quæ habet multa bona in communi, quæ quotannis dispensantur in descendentes illius, An scilicèt iste talis possit retinere sibi istum vsumfructum cum licentia Superioris. Dico, quòd sic; Quià cum iste retineat hos redditus, de licentia Prælati deque eius licentia expendat, non potest dici proprietarius. Nec obstat, quòd habeat illud ius exigendi illam annuam pensionem: vel petendi sibi dispensari de eleemosynia suæ familiæ, quod ius est ità illi proprium, vt non possit in alterum transferre, quià licèt ius illud cohæreat personæ, vtilitas tamen ex illo iure prouenitēs est apùd Monasterium: seù apud Monachum ipsum de licentia Prælati; quod etiam in vtilitatem Monasterij resultat; Si enim Monachus ille pensionem illam expendit in vsus licitos, & necessarios, id resultat in Monasterij vtilitatē, quod excusatur à prouidendo, vt tenebatur dicto Religioso de necessarijs.

Ponit hunc casum expressè Bart. in authen. Ingressi de sacrosanctis Ecclesijs num.20. & nu. 21. dicit, quod talis vsusfructus transit ad Monasterium ad vitam Monachi, quod quidem Monasterium, seu illius Prælatus concedit Monacho, vt illo vtatur. *Bart.*

Colligitur hæc doctrina ex Graffio lib. 3 de casibus reseru. cap.4. nu. 51. Et Nauarro comm. 2. regul. num. 38. *Graffius. Nauarr.*

Colligitur octauò, quòd si relinquatur legatum Religioso professo eo pacto, & conditione, quòd Prælatus illius consentiat, talem Religiosum eo frui, quòd si non consenserit, cadat à legato, interpretandum est, quòd vsus solummodo pertineat ad Religiosum, Dominium verò ad Conuentum. Vndè potest Prælatus tali

Reli-

Religioso talem vsum concedere: quòd si noluerit, nullum erit legatum, & penè grauatum remanebit. Ita Abbas in cap. Monachi, de statu Monachi, num 8. Sylu. verbo Religio 6. q. 7. d 3. Molina disp. 140. Miranda tom. 1. Manualis, q. 28. art. 6. Sanchez lib 7. in decal. cap. 17.

Abbas. Sylu. Molina. Miranda. Sanchez.

Colligitur nonò, Peculium concessum Religioso debere esse moderatum, ità vt religiosam paupertatem sapiat. Quia Trid. interdicit regularibus mobilia superflua concedi, Sess. 25. cap. 2. de regul. ergò etiam peculium rei stabilis superfluum. Superfluũ autẽ dicitur in præsenti, quod nõ est necessarium ad statum habentis peculium. Verùm quidem est, quòd in hoc debet attendi ratio qualitatis personæ, conditionis, loci, varietatis temporum, & nonnullarum aliarum circumstantiarum, ad decentiam status conseruandam necessariarum. Vndè quòd vni est superfluum, alij potest esse necessarium, si consideretur Religio strictior, vel laxior, vel etiam Gradus, vt si est Magister, Prouincialis, aut simplex subditus, ætas, vt si iuuenis, senex, infirmus, sanus. Ratio loci etiam in eadem Religione. Quia in vna Prouincia aliquid est necessarium, quod in alia erit superfluum, attenta qualitate regionis, & personarum sæcularium. Ità Sanchez loco cit. num. 17. Vndè dicitur, definitum à sacra Congregatione, & refert Naldus verbo Religiosus, num. 3. & Quaranta verbo casus. *Regulares Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debere, quo ad mobilium superfluitatem, vel conuenientiam: Nisi de excessu arbitrij constiterit*, habita videlicet ratione personæ, officij, & regularis status, paupertatisque quam professi sunt, & cæterarum itidem qualitatum. Quòd idem habetur expressè cap. exij § insuper de verborum signific. in sextò.

Trid. Sanchez. Naldus.

Colligitur decimò, Qualiter Religiosi habẽtes amplissimos redditus, possint hac superfluitatis culpa liberari. Primò enim possunt liberari, quòd ratione dignitatis personæ pluribus egeat iuxta dicta. Vel secundò, quando regula posset dici relaxata, & paupertas eo modo intellecta, præualuissetq; iã cõsuetudo. Vel tertiò, quia pars illorum redditum expendunt in bonum Conuentus, vel in pias operas, vel tandem quia Religiosus ille multa sua industria comparauit, vndè æquum est, vt illi plura concedantur. Ità Sanchez loco cit. num. 18.

Sanchez.

Colligitur vndecimò, Quòd Religiosus expendens aliquid notabilis quãtitatis, ex ijs, quæ sibi sunt concessa ad vnum vsum, in alium deteriorem, vel suo statui minùs conuenientem, intrà, vel extra Monasterium, peccat mortaliter, & agit contrà votum paupertatis. Ità Rodriq. tom. 3. q. regul. q. 89. art. 10. conclus. 4. Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus 3. dub. 3. pag. 88. Sanchez lib. 7. in decal. cap. 19. n. 68 Barthol. à S. Fausto tract. de vitio prop. q. 10. n. 19 Quia tunc videtur re illa vti tamquam propria. Aduertit tamen Ledesma, quòd si Religiosus habens licentiam à suo Prælato expendẽdi viginti ducatos, V. G. in Imagines, illos expenderet in libros, non peccaret contra votum paupertatis; quia præsumitur adesse licentia Prælati in vsus æquales, vel meliores. Esset autem peccatũ proprietatis, si omninò cõstaret de mente Prælati, quòd nollet dare licentiã, nisi in illos vsus præcisè. Notat autem idem Ledesma, quòd illos viginti ducatos non potest Religiosus erogare in eleemosynam, licèt sit melior vsus, quàm emere libros. Quia illa regula, quòd potest expendere in vsus æquales, vel meliores, intelligitur in ordine ad voluntatem Prælati, bono communi respicientis, quæ voluntas hic non præsumitur, cum bonum commune non respiciat.

Rodriq. Ledesma. Sanchez. Barthol. à S. Fausto.

§ II. *Quæ sit iusta causa peculij concedendi.*

DICENDVM est primò, iustam causam peculij concedendi, esse necessitatem, aùt vtilitatem grauem, priuatam, aùt publicam. Priuata est, vt pro victu, vel vestitu Religiosi, quandò Monasterium necessaria illi non suppeditat; vel ad emendos libros spirituales; vel quibus discat, aùt animus recreetur honestè. Publica autèm, vt cum conceditur alicui officiali peculium ad expendendum in vsum communem, seù ad libros emendos, ad docendum, vel concionandum, &c. Ità Nauarrus comm. 2. de regul. nu. 24. Antoninus tertia parte. tit. 16. cap. 1. §. 11. notab. 5. Passarellus in comp. priuil. Minim. post cap. 43. tit. de propr. abdic. versu de causa dispens. nota, versus finem. Sanchez 7. in decalog. cap. 22. num. 20. & tandèm benè concludit Nauarrus loco cit. num. 25. quæ sit iusta causa, relinqui arbitrio prudentis viri considerantis personam, locum, finem in quem conceditur, tempus, & quantitatem rei concessæ, & alia similia: Quòd etiam docet Beia quarta parte casuum, casu 38. versu dico ergò. Addit Sanchez, iustam causam concedendi peculij esse, quandò Religiosus bona Monasterij administrat, vt constat ex cap. Monachi, de statu Monach. §. qui verò. Vndè colligitur, licere Religiosis, munera Religionis obeuntibus, aliquid per modum strenæ, non per modum salarij, præsertim in Religionibus, quæ adhùc viuunt in strictiori paupertate, vt per misericordiam Dei est nostra Minimorum, assignare, vt diligentiùs, & fideliùs ea exequantur. Esset etiam causa iusta magna vtilitas Monasterij, vt si occurrant vir, aut fæmina ditissimi in aliquo Monasterio egẽti, proferentes volentes non aliter, quàm reseruato sibi peculio. Id quippè licebit vt suis diuitijs Monasterio subueniant quòd habetur in cap. Insinuante, ne Clerici, vel volentes.

Nauarrus. Anton. Passarell. Sanchez. Nauarr. Beia.

Quæres, an ad retinendum peculium sit semper à Superioribus successoribus petẽda licẽtia. Optimè distinguit Rodriq. tom. 1. quæst. regul. q. 155. art. 5. fine, quem sequitur Sanchez loco cit. nu. 55. Si legatum sit vnum, etiamsi in distinctis annis, debeat illo legatarius frui, verbi gratia si legetur vinea, aùt annuus redditus, sufficit vnius Prouincialis licentia ad ipso legato fruendum toto tempore vitæ suæ. Cum enim sit data nomine officij, semper valet quousquè reuocetur. Quòd si fuerit reuocata, alia de nouo debet impetrari. At si legatum sit diuisum, seù sint plura legata, velùt si singulis annis alicui Religioso legarentur centum ducati, tùm à successoribus Superioribus petenda esset continua confirmatio prioris licentiæ. Sufficit tamen, si in principio anni, quo incipit legatum, obtineatur licentia ab eo, qui tunc est superior, licèt dein-

Rodriq. Sanchez.

cèt deindè desierit esse superior, vt aduertit Sanchez loco cit.

Dico secundò, Prælatum Religionis, non ministrantem necessaria subditis, cum commodè possit, & sic præbentem causam peculijs, peccare mortaliter. Antoninus 3. par. tit. 16 cap. 1. §. 11. ad finem, Sylu. verbo Religio 6. q. 7. fine. Sanchez loco cit. nu. 26.

Sylu. Sanchez. Similiter peccant mortaliter subditi dapites peculijs causam, relinquendo vitæ communi, cùm illi necessaria ministrentur. Ita Antoninus, & Syl. loco cit.

Antonin. Sylu. Sanchez. Peccant etiam mortaliter grauiter murmurando, & magnas querelas fundendo, ne dicta vita communis introducatur, vt Sanchez loco cit. & est peccatum contra paupertatis votum.

In particulari autèm quinque possunt assignari obstacula, quæ sanctæ paupertati & obstat, & aditum aperiunt peculijs, quorum quatuor assignauit *Aluarez.* Aluarez tom. 2. de vita spirit. lib. 5 par. 1. cap. 14. col. 7. Primum est Religiosorum multitudo, ad quorum sustentationem nec consuetæ eleemosynæ, nec redditus cænobij sufficiunt. Vndè Hugo lib. 2. de Claustro animæ, cap. 2. ait, *Tenenda est primum circumspectio in numero fratrum, vt tot simul habitent, qui ordinatè viuere possint, ne vel excusante paupertate irregulariter viuant, vel pro multitudine cohabitantium necessitati eorum illicita quærant. Qui enim multos congregant, necesse est, vt eorum victui multa quærant. Sed cum quærunt plura, crescit exteriorum cura, &c.*

Trid. Huic malo visum est Concil. Trid. sess. 25 cap. 3. de regul. remedium adhibere his verbis, *In Monasterijs, & domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, & in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Quod etiam innouauerunt Summi Pontifices, Clemens VIII. & Paulus V. in decretis pro reform. regul. quæ decreta obligant sinè dubio ad mortale, quia præceptum est in graui materia, & ad conseruationem Religionum valdè necessarium, vt ait Sanchez 7. in decalog. ca. 23. num. 3. Qui tamen num. 6. ait, posse excusari Prælatos Religionum plures contrà prædictum decretum admittentes, si iusta causa ducti eos admittant. Iusta autèm causa est, ne Monasteria numero Religiosorum sufficienti destituta corruant; vel ministerijs ex suo Instituto debitis non possint satisfacere.

Secundum obstaculum est domos ædificandi desiderium, & ampliandi, Prælatos sollicitans, cui vt satisfaciant, subditis necessaria denegant. Dolus Diaboli est intentis, vt minora maioribus præponantur, & leuia incommoda grauissimis malis curentur: Leue enim incommodum est, si domus non sit plenè ædificata; magnum verò malum, si paupertas non vigeat, & Charitas, ac paterna prouidentia ædificiorum causa deficiat. Primò loco fratres sustententur. Et Secundò Domus extruantur. Extruantur autèm domus pauperum, non palatia Imperatorum; Religiosè enim *Hugo.* Hugo de claustr. lib. 2. cap. 4. *Ædificia fratrum non superflua sint, sed humilia, non voluptuosa, sed honesta. Vtile est saxum in structura, sed quid prodest in lapide cælatura? &c.* Religiosorum ædificia sint fortia, sint capacia, sint officinis necessarijs, & cellis instructa; Curiositates verò in ædificijs, & superfluos sumptus, non fundatores Religionum præceperunt; immò abominati sunt; sed astus Diaboli, & vanitas, & sæcularitas importarunt.

Tertium obstaculum est nimia cura, quam aliqui Prælati collocant in sacris templi vasis, & ornamentis, ac alijs paramentis emendis; Non aduertentes, congruam sustentationem subditorum esse præceptam; Hæc autem pretiosissima ornamenta esse sub consilio relicta, nec licere pro operibus supererogationis præcepta relinquere; fulgeant quippe sacra templa auro, & diuitijs, at ita fulgeant, vt pauperes Christi non algeant, vt serui Dei non esuriant, & sitiant. Cathedrales Ecclesiæ fulgeant, & splendeant, vt matres aliarum Ecclesiarum in quaquè Prouincia. At Religiosorum Ecclesiæ fulgeant, & splendeant vt filiæ; Non enim Deus, qui summè à nobis colendus est, eumdem ornatum in omnibus locis exigit; Templa itaque Christi, viua scilicèt Religiosorum corpora, priùs reficiantur, & vestiantur, & posteà templa, seruatis modestiæ limitibus, exornentur. Vndè Clemens V. in Clement. exiui, de verborum signific. §. rursus, versiculo quamuis, ait, *Quamuis etiam paramenta, & vasa Ecclesiastica ad honorem diuini nominis ordinentur, propter quem fecit omnia ipse Deus, tamen quia absconditorum est cognitor, & ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum, nec per illa sibi vult seruiri, quæ suorum seruitorum conditioni, & statui dissonarent. Propter quod sufficere debent eis vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia in numero, & in magnitudine sufficientia competenter, superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quæcumque curiositas in his, seu alijs quibuscumque; non potest ipsorum professioni, vel statui conuenire*, & Ludouicus Granatensis sic de oratione, secunda parte, agens de octauo impedimento deuotionis, § 8. de vitio curiositatis sic ait, translatus ex Thoma à IESV parte quarta, *Ludouicus Granatensis* cap. 7. *Idcircò quia perspicit Dæmon, quam graue sit id impedimentum. si non ipsi verò conatur (vt docet quidam, inquit) quoscumquè cuiusuis conditionis hoc vitio inuoluere, extimulando eos ad exquirenda pretiosa, & elaborata ornamenta, quibus templa, & monasteria sua condecorent, idquè sub prætextu pietatis, ac deuotionis, persuadendo eis, seruis Dei nihil non deberi. Quodes è expediat ipsorum vsui superba construi ædificia. & cubilia, quò ea lubentèr inhabitent.* Et Hieron. in regula Monachorum, cap. de paupertate ait, *Neque aliquis mihi opponat diues in Iudæa templum, mensam, lucernam, thuribula, scyphos, & alia ex auro fabricata, tùc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant & sanguis pecorũ erat redemptio peccatorũ. Quanquam hæc omnia præcesserunt in figura. Nunc verò cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicauerit, cogitemus crucem, & delitias lutũ putabimus.*

Quartũ obstaculũ est quorumdã Prælatorũ ingeniũ durũ, & immisericors, qui cũ ipsi robusti sint omnes sua duritie metiũtur, nesciũt infirmis cõpati, nec delicatorũ misereri. His nihil aliud est dicendum, nisi quòd Prælati esse discant: & se patres aliorum cognoscant, & diuina Iudicia formident; Nàm solet Deus duris duros Prælatos mittere, qui eos tempore senectutis, & necessitatis immisericorditer tractent, & in suis ægritudinibus tribulent: Audiant Bonauenturã *Bonau.*

de sex

de sex alijs setaph. cap.4. *Bonus Prælatus agnoscit se fratrum suorum patrem, non Dominum, exhibet se eis Medicum, non Tyrannum; nec reputat eos vt iumenta sua, vel seruos emptionis, sed vt filios hæreditatis supernæ consortes. Facit eis sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret, sed fortes, & sani non sentiunt, quæ sentit æger, ideo nesciunt ei compati, sicut autèm postea, cum dolebunt.* Hæc Bonauentura.

Quintum obstaculum addimus, quod in multis Religionibus est frequentissimum, ardentissimum scilicet desiderium, & auidissima cupiditas noua Monasteria ædificandi. Acutissimus astus Diaboli. Aiunt enim Prælati, se hoc facere ad Religionem ampliandam, ad quod ex officio tenentur. Et vt transeuntibus fratribus hospitium sit in qualibet Ciuitate, & pago. Sed latet anguis in herba. Cum enim in quam plurimis pagulis, in quibus isti conuentus sumuntur, vigeat in octauo gradu paupertas, & ità, vt vix sibi ipsis coloni die, noctuque laborantes sufficiant, nequaquàm possunt commode Religiosos ibi commorantes sustentare. Vndè coguntur ij ibi in tàm paruo numero habitare, vt moraliter loquendo, sit impossibile, vt vitam, & disciplinam regularem obseruent: vel coguntur ita ostiatim mendicare, vt potiùs continui cursores, & eleemosynarum quæstores sint nuncupandi, quàm Religiosi; & potiùs videantur ibi stare ad victum sibi quærendum, quam ad Deo seruiendum. Indè Religiosorum vilipendium. Vnde Bona-
Bonau. uentura tom. 1 opusc. epist. ad Prouinciales sui ord. pag. 487. *Frequentia discursus, ait, & importunitas quæstus, viles nos efficiunt, & graues.* Et in expositione regulæ S. Francisci, q.6. art. *Quando nimis vrgemus homines ad dandum, perdunt deuotionem prius ad nos habitam, quod nec de prædicatione, neque exemplis, nec alijs, quæ facimus ædificantur; Vndè cum vident nos accedere, terrentur, & timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod graue sit eis dare, & erubescunt negare, & si dederint non libenter, minus merentur, & sic rebus, & deuotionibus priuantur.* Indè sibi quisque quærit peculium, vt possit suis necessitatibus subuenire, si quandò contigerit, eum ad talia loca inhabitanda mitti. Ad illud autèm, quod dicunt, se hos Conuentus sumere pro hospitijs. Dico, quòd incidit in Syllam, cupiens vitare Charybdim. Et quòd ex duobus malis, id quod est minus, semper est eligendum, & ego puto minus malum per vnam noctem pernoctare in caupona; seu etiam in alia deuotorum domo, quam permittere, vt duo, vel tres, aùt quatuor fratres habitent in istis tugurijs, absque disciplina, absque timore, absque obedientia. Vbi enim sunt tantùm duo, vel tres, vnusquisque facit, quæ sibi placita sunt. Indè scandala, relaxationes paupertatis, & aliorum votorum; & taliter assueti, si deindè reducantur ad Conuentus, in quibus vigeat regularis disciplina, iàm fracto iugo, ruptis vinculis, eis subijci ampliùs non possunt: Quod malum si considerarent, & ponderarent Prælati, equidem tot tuguria, vel relinquerent, vel non susciperent. Inquiunt etiam, isti Conuentus erunt aliquandò boni licèt nunc non ità. Erunt boni quandò Religio erit mala, & relaxata. Replicant, sumimus vt proximos adiuuemus. At nescio, quæ charitas, proximum adiuuare cum propriæ salutis dispendio. *Reddite*, inquiet Dominus in die, illa *Rationem villicationis vestræ, vestræ*, inquam, non proximi vestri. Adiuuare proximum tenemur post nos ipsos. Non antè nos. Quare sanctissimum fuit illud decretum sanctissimi Domini Papæ Clementis VIII. Pauli V. & Gregorij XV. quod non reciperentur Conuentus; in quibus commodè duodecim fratres sustentari non possent. Et vtinam fuisset additum, vt illa Monasteria iam recepta, in quibus dictus numerus non potest sustentari, vel non est saltem probabilissima spes, quòd de breui poterit, dimitterentur.

Tandèm hic noto, quod prius notauit Gu- *Guliel.*
lielmus to sum. vir. & vit. tom. 2. §. ante penul. contrà nimietatem præceptorum, cap. 38. Tria sunt, quæ solent Religionem destruere. *Præceptorum nimietas. Particularium singularitas. Amor temporalium.* Eccè singularitas, & amor temporalium, quæ ex peculijs; peculia autèm ex hic dictis.

§. III. *Quæ Licentia Prælati requiratur, Ad hoc vt Religiosus possit aliquid quoquomodo distrahere.*



OTO primò. Quia Religiosus habens de licentia Prælati peculium, non potest sinè Prælati licentia accipere aliquid, donare, aùt commutare, vel distrahere, vt probat D.Thom. 2.2.q.32.art.8. *D.Thom.*
ad primum. Nauarr. comm. 2. de regul. nu. 8. *Nauarr.*
versu ad cuius notabilis, & alij communiter. Ideò videndum est, quæ licentia requiratur, & sit sufficiens, ad hoc vt Religiosus accipiat aliquid, donet, vel quoquo modo distrahat. Licentia autèm est duplex. Expressa, & tacita. Expressa est illa, quæ expressè, verbo, seù voce, vel scripto conceditur. Tacita, quæ & præsumpta dicitur à D. Thom. 2. 2. q.32. art. 8. ad *D.Thom.*
primum, seù interpretatiua ab alijs, est illa, quæ non habetur quidem expressè, præsumitur tamen, quòd si peteretur, concederetur. Quæ licentia adhuc est duplex primo Generalis, quæ tribuitur in Generali omnibus; secundò specialis, quæ conceditur alicui in particulari.

Note secundò, quòd ad hoc vt Religiosus possit præsumere, se habere Prælati licentiam tacitam, non est necesse, vt intelligat, quòd Prælatus non ægreferet, quod facit, sed satis est, vt intelligat, quod si petijsset licentiam, expressè illam sibi concessisset. Et ratio est, quia displicentia Prælati potest prouenire aliquandò, non tantùm ex re accepta, expensa, vel retenta, quàm tùm ex modo illam accipiendi, expendendi, aùt retinendi clandestinè, & sic non accipit, expendit, aùt retinet inuito Prælato, sed eo non videre, & potiùs præ verecundia, vel alio respectu id facit, quàm cõtrà Prælati voluntatẽ formalẽ. Est doctrina Caiet. in sum. verbo furtum, & 2.2.q.66 *Caiet.*
art.3. quam sequitur, & confirmat Nauar. com.2. *Nauarrus*
de regul. num. 20. Graffius 1. par. decis. lib. 3. *Graffius.*
cap.5. nu.54. Rodriquez tom.3. quæst. regul. q.29. *Rodriq.*
art.11. Mir. tom. 1. Manualis, q.28. art.16. Quòd *Mirande.*
autèm hæc licentia tacita sit satis ad excusandũ Religiosum, cum ea operantẽ, à mortali, docent Præfati Doctores cũ D.Tho. loc. cit. nota 6. præ-

Beia. ced. quibus adde Beiã quarta parte casuum, casu 32. versu quòd si adhuc inquiras. Et probant, quia eadem est vis taciti, & expressi, vt dicitur cap. 2. de rescriptis. Diffuse id probat etiam *Sanchez.* Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 19. num. 4. Nota *à Sorbo. Barthol. à S. Fausto Lessius.* etiam, quòd sufficit licentia Generalis, vt à Sorbo in comp. verbo dare; & Barthol. a S. Faust. de vitio propr. q. 32. & Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 80.

Noto tertiò, An sufficiat ad hanc licentiam præsumptam Superioris taciturnitas, videntis Religiosum aliquid suscipere, vel expendere, *Sanchez.* & non contradicentis. Aliqui negant apud Sanchez loco cit. nu. 10. Alij tamen affirmant apud eumdem, num. 11. qui conciliantur ab ipso n. 12. Nam si taciturnitas est solùm permissiua, non excusat Religiosum, & sic vera est prima sententia; Nàm multa fieri permittuntur, quæ tamẽ peccata sunt. Si autem permissio sit approbatiua, excusat Religiosum à culpa, & sic vera est secunda sententia. *Nauarrus Rodriq. Beia.* Quod priùs dixerat Nauarrus comm. 2. de regul. num. 12. & Rodriquez loco cit. q. 29. art. 11. & Beia quarta parte casuum, casu 32. versu quòd si adhuc. Tunc autèm est taciturnitas permissiua tantùm, quandò Superior videt Religiosum rem accipere, vel distrahere, & tacet verecundia, aùt timore, seù alio respectu; quia vir pacificus est, & subditus rixosus, & colericus. Secùs autèm, quandò Superior videt, & tacet motus ex nullo dictorum impedimentorũ, immò solitus in his similibus occasionibus clamare, & redarguere, & non reclamat, nec redarguit, tunc censetur taciturnitas approbatiua. Itá *Sanchez.* ferè Sanchez loco cit. num. 12.

Noto quartò, Licentia ad aliquid expendendum, donandum, seù accipiendum debet esse voluntaria, non precibus importunis à Superiore legitimo concessa ad hoc vt subditum excuset, nec vi, dolo, aùt metu extorta; Nàm tunc subditum non excusat a violatione voti paupertatis, *Sanchez.* vt pluribus probat Sanchez loc. cit. n. 16. 17. 18. Debet autèm esse cõcessa ex iusta causa, alioquin non excusat, vt Sanchez loc. cit. n. 19. Quis autem sit legitimus Superior, qui hanc facultatẽ potest concedere, censet Sanchez, cum alijs, quos citat loco cit. num. 39. Quod potest etiam concedere Superior immediatus Conuẽtus, intellige modo Prælatus Prouincialis, vel Generalis non adsit, in nostro ordine præsertim. Nàm tunc ab eo talis licẽtia esset obtinẽda. Quod intelligitur etiã quo ad fratres hospites, saltem in ijs Religionibus, in quibus fratres hospites subduntur illis Superioribus, in quorum Conuentibus sunt hospites, vt in nostro ordine Minimorum per decretum Capituli Valen. quarti, num. 47.

§. IV. *Quomodò Religiosus possit aliquid accipere.*



DICO primò Religiosus aliquid notabilis quantitatis à quouis accipiens, absque Superioris licentia tacita, vel expressa, animo illud occultandi Prælato, facit contrà votum paupertatis. *Rodriq. Miranda.* Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 29. art. 10. conclus. 6. Miranda tom. 1. Manual. q. 28, art. 16. Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 1. pag. mihi 84. Sanchez 7. in decalog. cap. 19. num. 45. *Ledesma. Sanchez.*

Probatur, quia se gerit hoc casu tamquàm Dominus, & habetur expresse in cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach. vbi dicitur. *Si cuiquam aliquid fuerit specialiter destinatum, non præsumas illud accipere, sed Abbati, vel Priori illud assignetur.* Dixi notabilis quantitatis, quia si recipiatur aliquid paruum, mortale non erit. Dixi animo illud occultandi Prælato, quia si habet animum illud in manus Prælati præsentandi statim, peccatum non erit; nisi forsan per peculiarem aliquam constitutionem in illa Religione cautum esset per obedientiæ præceptũ, ne quidquam reciperetur absque Prælati licentia speciali, & expressa.

Possunt tamen Religiosi absque aliqua Prælati licentia aliqua comestibilia, seù medicinas, aùt vestes accipere, vt suæ necessitati consulant, dato quòd Superior huic necessitati propositæ prospicere renuerit. Itá Rodriquez tom. 3. q. *Rodriq.* regul. q. 29. art. 10. col. ante penult. versu aduertere, & in sum. par. 2. cap. 31. versu Lo vndecimo digo. Saytus in claui reg. lib. 9. cap. 16. *Saytus.* num. 20. Val. tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 3. col. 2. *Valent.* corol. 4. Barthol. à S. Fausto tract. de vitio *Barthol. à S. Fausto* propr. q. 10. num. 31. Sanchez loco cit. num. 54. *Sanchez.* Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 4. *Ledesma.* conclus. 3. dub. 5. pag. 94. versu Toda via queda. Ratio est, quia Superior dare tenetur huiusmodi necessaria quò ad victum, & vestitum suis subditis. Quòd si denegauerit, iniustè denegat; Vndè Subditus potest sibi aliundè prouidere. Et nota, quòd subditus potest accipere hæc comestibilia, &c. Aùt pecunias, quibus hæc emantur ad suis necessitatibus subuentendum, non solùm ab extraneis; sed etiã ex proprijs Conuentus redditibus, quandò ad id ij se extenderent, malitiosè tamẽ denegaret Superior, vt sibi latiùs, & abundantiùs prouideret. Si autèm bona Conuẽtus ad talibus necessitatibus subueniendũ non se extenderent, non liceret tunc Religioso, ex communi penu sibi prouidere absquè proprietatis vitio; quia tunc non militat dicta ratio, & Superior iustè denegat. Et communis penuria ab omnibus toleranda.

Nequè facit contrà votum paupertatis Religiosus, cui volens amicus donare aliquid, rogat eum, vt det tali consanguineo; non intendens tamen illud, quod donatur, acceptare, quia si acceptat, deindè rogat, vt det, cum per talem acceptationem iàm Monasterium ius ad illud acquisierit, non est ampliùs in potestate Religiosi illud alienare, quod si alienat, peccat peccato proprietatis, vt ait Sanchez loco cit. num. 74. *Sanchez.* Nec obstat lex 2. ff. de calumniatoribus, vbi dicitur. *Idem est sinè tu ipse accipias, sinè per alium dari iubeas.* Quia loquitur de ijs, quæ iam acceptata sunt. Verum quidem est, quòd peccabit forsan talis Religiosus venialiter contrà charitatem, suam Religionem priuans dicto emolumento. Si non amore puro proximi indigentis, sed amore sanguinis tantummodò id suaserit, vt Sanchez num. 75. *Sanchez.*

Dico secundò, peccat Religiosus contra paupertatis votum, quandò rem cum Superioris licentia acceptam occultat, ne Superior idem, vel alius in visitatione cel-

larum

Antonin. Sylu. Armilla. Passarell. Rodriq. Ledesma. Sanchez.

larum auferat. Antoninus 3. parte, tit. 16. cap. 1. §. 11. notab. 1. Sylu. verbo Religio, 6. q. 7. dicto p. Armilla verbo Religio, num. 27. Passarellus in notab. priuil. Minim. notab. 43. tit. de propr. abdic. in principio, versu Verùm quando. Rodriquez secunda parte sum cap. 31. num. 3. versu Lo quinto digo. Ledesma loco cit. conclus. 3. dub. 1. pag. 85. versu digolo primiero. Sanchez loc. cit. n. 60. Qui quamplures citat. Probatur, quia sic occultans, vult contrà Superioris licentiam rem illam ablaturi, si conscius esset, possidere. Quod directè est contrà proprietatem: *Proprium enim est quicquid celatur Abbati, vel tenetur contrà voluntatem Prælati*, vt Antoninus ait loco cit.

Antonin.

Intelligitur tamen conclusio, quandò Religiosus occultat timens, ne ea expolietur à Prælato; Nàm si non timet ea spoliari, sed occultat præ verecundia, vel ne reprehédatur à Prælato, quòd ex sola licentia tacita eã receperit; paratus tamẽ eam Prælato tradere, & minimè retinere quandò intelliget, eum minimè concessurum, non peccat mortaliter, vt Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 19. art. 10. conclus. 5. & Sanchez loco cit. num. 61. Qui addit, nequè etiam peccare mortaliter; quandò occultat, ad occultandum peccatum proprietatis, quod commisit in receptione talis rei, cum proposito tamen illã dimittendi, vel ad retinendam licentiam obtinendi, cum primùm ei data fuerit opportunitas.

Rodriq. Sanchez.

Ex quibus colligitur, quòd Religiosus non paratus ad dimittendam rem ex licentia Superioris concessam, volente superiore auferre, est reus voti paupertatis. Ità Passarellus loc. cit. & Sanchez n. 62. Qui addit, idem esse dicendũ, si sit quidem paratus dimittere, sed fundẽdo querelas, & murmurando, ità vt Superior non audeat; quia tunc ea licentia est metu extorta.

Passarell. Sanchez.

§. V. *Vtrùm Religiosus possit commodare, mutuare, emere, expendere, & commutare.*

DICO primò, si Religiosus, mutuo, vel cõmodato quidquã, etiam ex ijs, quæ sibi sunt cõcessa dat absquè licentia tacita vel expressa Prælati, peccat cõtrà votum paupertatis, ità Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. nu. 79. vers. 5. Sanchez 7. in decalog. cap. 19. num. 65. Quia vsuarius non potest alteri vsum rei sibi permissæ concedere, vt habetur instit. de vsu, & habit. §. 1 & 2. In rebus tamen paruis, & crebriùs occurrentibus censetur esse licentia tacita: sicùt etiam cẽsetur esse licentia tacita: quãdò res, quæ mutuo, vel cõmodato datur, datur personæ, de qua certum est, quòd eam restituet, vt notat Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 6. pag. 97. & Sanchez loco cit. Et hoc siuè sint res, quæ vsu non consumuntur, vt libri, imagines, & id genus alia; quia tunc non transfertur dominium. In pecunia autèm videtur maior difficultas, sed idẽ Ledesma loc. cit. digolo 2. putat hoc etiam licere, quandò mutuãs est certus de restitutione; quia licèt transferatur dominium, recipiens tamen remanet restitutioni obnoxius.

Lessius. Sanchez. Ledesma. Ledesma.

Quæ sũt vera, siuè cõmodẽtur, vel mutuẽtur res intrà vel extra Monasteriũ. Dixi, si est certus de restitutione nã si nõ est certus, peccat cõtra votũ paupertatis. Hic vnum aduerto, multùm debere esse cautos Religiosos in mutuãda pecunia, præsertim sæcularibus. Nam frequenter, qui mutuat, perdit & pecuniã, & amicũ; sunt enim homines tàm affecti pecuniæ, vt ea semel sibi incorporatam, vix adduci possint, vt restituat. Vndè sanctũ cõsilium esset nunquam sæcularibus, saltem pecuniam mutuare, quòd maximè sapit Religiosam paupertatem.

Dico secũdò, Religiosus nõ potest emere, neq; vendere, nec cõmutare quidquã absq; Superioris tacita, vel expressa licẽtia. Ita Barthol à S. Fausto tract. de vitio propr. q. 41. num. 4. Nauarrus comm. 1. de regul. num. 13. Rodriq. in sum. parte secunda, cap. 31. conclus. 3. d. 7. Lopez secunda parte instruct. cap. 6. q. 1. Sanchez loco cit. num. 67. Probatur, quia exercet actum dominij. Limitatur tamen conclusio 1. Si quis emat, non eo animo vt sibi applicet, & acquirat empta, sed vt appropriet, & acquirat Monasterio. Sibi autem simplicem, & purum vsum; Et non continuum, sed quousquè Superiori placebit; Nàm tunc non erit reus voti paupertatis, vt Nauar. loco cit. Limitatur 2. quò ad commutationem; nàm quandò commutatur aliquid, V. G. libri pro libris, etiam cum sæcularibus, & commutatio cedit in vtilitatem Conuentus, commutans non est reus voti paupertatis, Rodriquez, & Lopez locis cit. Nam tunc non censetur Superior notabiliter inuitus, & ea commutatio non habet propriam rationem distractionis, aùt consumptionis. Si autẽm Superior intelligeretur notabiliter inuitus, vt verbi gratia, si Religiosus commutaret librum maximæ æstimationis, vel propter doctrinam, vel propter raritatem, etiamsi commutaret in alios libros, multò plus valentes; peccaret peccato proprietatis.

Barthol. à S. Fausto. Nauarr. Rodriq. Lopez. Sanchez.

§. VI. *Vtrùm Religiosus possit aliquid donare absquè Prælati licentia.*

DICENDVM est, Religiosum non posse aliquid notabilis quãtitatis donare, etiam ex ijs, quæ sibi sunt ad vsum concessa, tàm intrà, quàm extrà Monasterium absquè Prælati licentia tacita, vel expressa, & contrà faciens mortaliter peccat contrà votum paupertatis. Ità D. Antoninus 3. parte, tit. 16. cap. 1. §. 11. notab. 2. & 4. Sylu. verbo Religio, 6. q. 7. d. 2. Passarellus in cõp. priuil. Minim. post cap. 43. tit. de propr. abdic. versu si verò Religiosus. Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 19. art. 10. conclus. 3. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 79. versu quinto, Sanchez 7. in decalog. cap. 19. num. 64. Bartholom. à S. Fausto de vitio propr. q. 41. Bela quarta parte casuum, casu 32. versu quod autèm spectas.

D. Anton. Sylu. Passarell. Rodriq. Lessius. Sanchez. Barthol. à S. Fausto. Bela.

Probatur, quia vsurpat rem tamquàm propriam, quandò eam vsurpat independenter à voluntate Prælati, & sic se gerit tamquàm Dominus. Adde, quòd vsuarius potest frui re ad vsum sibi concessa, non tamen alteri dare, vt dictũ est suprà; & Religiosus est simplex vsuarius facti.

Ledesma. Notat autem Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 6. pag. 95. versu En esta difficultad. Quòd trium bonorum genera potest subditus de Prælati licentia possidere, primum est pecunia: secundum res ad ornatum cellæ, & propriæ personæ: tertium rerum aliquarum comestibilium, vt suor bellaria, conseruæ, & alia id genus. Pecuniam nec intra, nec extra Religionem potest distrahere to notabili quantitate absque Prælati licentia. Notabilem autem quantitatem quò ad sæculares, & Religiosos alterius Religionis, dicit esse eam, quæ sublata inuito Domino esset pecca si mortale in materia furti. Quò ad Religiosos vero eiusdem Religionis, ait non esse materiã notabilẽ duodecim regalia, quia hic non transfertur dominiũ, sed solùm vsus, & superior potest optimè disponere de his in manu recipientis, sicut poterat in manu dantis. Circa secundum genus rerũ, ait similiter, esse mortale contra paupertatem donare aliquid sæculari, vel Religioso alterius Religionis, quod ablatum inuito domino esset mortale in materia furti. Religioso autem eiusdem Religionis potest liberiori manu donare, verbi gratia tunicam, vel librum valentem duodecim regalia. Quo ad tertium vero genus bonorum habitum de licentia Prælati, potest liberiori manu cum sæculari, & regulari alterius Religionis dispensare, & largissimè cum Religiosis sui ordinis, etiamsi res illæ comestibiles sint magni pretij, quia in istis semper præsumitur licentia Prælati. Hæc in summa habet Ledesma loco cit. toto illo dub. 6. quæ mihi videntur satis rationi conformia.

Ledesma.

Llamas. Quam doctrinam probat Llamas 3. p. method. cap. 9. §. 11. putans posse sibi inuicem donare, & recipere religiosos eiusdem Conuentus, & Prouinciæ libros, & res cuiuscũq; pretij, quia quicquid acquiritur semper religioni acquiritur, & nulli fit iniuria, nisi Prælato, qui nisi per obedientiam prohibuerit, vel nisi non fuerit contemptus erit solum venialis. Ita etiam Fagund. in 2. præcep. Eccles. lib. 8. cap. 6. à nu 5.

Fagund.

Dico secundò, Religiosus habẽs peculium de licẽtia Prælati, ex illo, vel aliis, quæ sua industria acquirit, potest dare aliquid suis cõsanguineis pauperibus, vsque ad summã decẽ ducatorũ, vel etiam plurium iuxtà eorũ necessitatem, ar bitrio prudentis pensandam, vna, & pluribus vicibus in anno. Ita Beia 4. p. casuum, casu 32. col. 3. Vega 1. p. sum. cap. 86 casu 30. Rodriquez tom. 2. summ. cap. 32. conclus. 3. d. 9. Sanchez loco cit. num. 42.

Beia. Vega. Rodriq. Sanchez.

Probatur, quia habens peculium iuste concessum, potest expendere illud in omnes eos vsus, qui rectæ rationi non aduersantur; sed hic usus rectè rationi aduersatur; ergò. Pluribus id probat Beia.

Ac huic conclusioni videtur obstare constitutio Clementis VIII. edita anno 1594. die 2. Iulij quæ incipit Religiosæ Cõgregationes, quam refert Quaranta in sum. bull. verbo munerum largitio: quam cõstitutionem ex professo explicat à Sorbo in compend. priuil. mendic. verbo dare, Io: Valerius in differ. iur. verbo Munera, Paulinus Lucensis to. 4. q. regul. in fine. Meminit etiã de ea Rodriq. tom. 2. q. regul. q. 47. art. 3. Azor tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 12. q. 4. Bartholomæus à S. Fausto loco cit. q. 23. num. 11. Sosa tract. suor. oper. Io: Cruz lib. 1. de stat. relig. cap 3. dub. 3. sub conclus. 3. De hac constitutione dicit Sanchez loco cit. num. 41. & num. 100. & 105. Quòd in partibus Hispaniarum supplicatum est Pontifici, & non est recepta, sed statur iuri communi. In Italia etiam eam video in desuetudinẽ abire. Sed quomodocumque sit, non aduersatur nostræ conclusioni, vt tenet expressè Beia, Valerius à Sorbo; & videtur etiam innui in dicta constit. §. 10. ibi *nisi pro veris Christi pauperum indigentijs, habita necessitatis ratione, & seruato ordine charitatis*. Ordo autem charitatis postulat, vt primo nostris, deinde alijs subueniamus. Ec sic hanc bullam explicat à Sorbo loco cit. in 5. casu versu, & sic Religiosi, pag. mihi 196. Et verè intentio Pontificis fuit solùm obuiare abusibus, qui inter religiosos vigebant. At subuenire parentibus pauperibus, non est abusus, sed opus maximæ charitatis.

Quaranta. à Sorbo. Io. Valer. Paul. Luc. Rodriq. Azor. Barthol. à S. Fausto. Sosa. Cruz. Sanchez.

à Sorbo.

Rodriquez, & à S. Fausto locis cit. & latè Cenedus de pauper. dub. 17. dicunt per istam constitutionem non prohiberi donationes remuneratorias, quæ sunt de iure naturali. Vndè post eam possunt etiam Religiosi aliquid donare ex tra ordinem, in remunerationem beneficiorum acceptorum de licentia Prælati, quas donationes admittit etiam Paulinus loco cit. q. vltima, casu 7. & à Sorbo. Qui addit, quòd istis donationibus non obstat dicta bulla, cum dicit *Vt nec ad beneficiorum receptorum memoriam, gratique animi testificationem quidquam donetur*, quia hoc fieri prohibetur solummodò suis Superioribus. Generalibus, Prouincialibus, Protectoribus, eo fine, quia procurauerunt, vel procurent officia in ordine. Quæ autem sit donatio remuneratoria, & quæ conditiones requirat, docet Cenedus loco cit. à num. 6.

Rodriq. à S. Fausto Cenedus. Paulinus. à Sorbo. Cenedus.

Neque prohibentur per istam constitutionem donationes ad redimendam propriam vexationem, vt ait à S. Fausto loco cit. fine, vt cum quis dat aliquid aduocato, ad hoc vt lites habeant bonum finem. Quia id naturalis ratio dictat. Multos alios casus, in quibus licitum est donare, nõ obstante dicta bulla, possunt videri apud prælatos doctores, eam ex professo explicantes.

à S. Fausto

§. VII. Etiàm Religiosus possit exponere aliquid iacturæ ludendo.



DICO primo. Certum est apud omnes, Religiosum ludentem absque Prælati tacita, vel expressa licentia peccare contrà votũ paupertatis. Ità Sanchez 7. in decalog. cap. 19. num. 76.

Sanchez.

Probatur, quia ludo pecuniam exponere est actus dominij.

Dico secundò, ex tacita, aut expressa Superioris licẽtia, potest religiosus aliquid modicũ quã ritatis ludere, gratis honestæ recreationis. Ità Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 9. versu Sieguese lo 2. pag. 107. Nauarrus in summ. cap. 20. num. 12. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. dub. 8. de acquisit. per ludũ, versu Tertiò obseruandũ, Sanchez loco cit. n. 78.

Ledesma. Nauarrus. Sanchez.

Probatur, quia hic nullus interuenit actus dominij, & sicut filiusfamilias habet auctoritatem ludendi in modica quantitate iuxtà facultatem patris.

patria. Ità Religiosus iuxtà suam qualitatem, & paupertatem. Vnde sequitur, quòd quando Religiosus vadit parentes visum in suam patriā, potest recreationis causa aliquid ludere; & similiter quando degit extra Monasterium ex Prælati licentia, & ibi aliter ex bonis monasterij; quia ad hæc habet Prælati præsumptam licentiam; atque ita docent omnes citati.

Dico tertiò, Religiosum habentem generalem licentiam à Prælato expendendi in quoscūque vsus peculium sibi commissum, non potest immoderatam quantitatē pecuniæ ludere absq; peccato mortali. Ità Sayrus in claui reg. lib. 11. cap. 12. n. 16. Rodriq. in sum cap. 189. tom. 1. conclus. 4. & to. 2. quæst. regul. q. 37. art. 3. Lopez secunda parte instruct. cap. 33. q. 5. fine, Anglea in floribus 2. parte, q. de ludo, dub. 1. propos. 4. pag. 168. Sanchez loco cit. n. 81.

Sayrus. Rodriq. Lopez. Angles. Sanchez.

Probatur, quia *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, vt dicitur in regula, *In Generali*, quæ est 81 de regul. iur. in 6. Non est autem verisimile, Prælatum in generali illa concessione, voluisse dare subdito licentiam in ludos immoderatam pecuniæ quantitatem expendendi.

Dico quartò, Prælatum non posse facultatem concedere suo Religioso, vt immoderatam pecuniæ quantitatem ludat, Ità Ledesma secunda parte sum. tract. 31. cap. 2. conclus. 10. versu, Lo que tocca, pag. 1058 & de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 9. versu Siguelos, pag. 106. Sanchez loco cit. nu. 80.

Ledesma. Sanchez.

Probatur, quia Prælatus non potest dare licentiam expendendi pecuniam, nisi in vsus vtiles, honestos, & necessarios; cum non sit Dominus, sed tantùm administrator.

Ex quo sequitur primò, quòd lucrans immoderatam quantitatem à Religioso, etiam habente ad id licentiam à suo Prælato, tenetur eam restituere Monasterio. Docent doctores cit. 3. & 4. conclus. Quia qui lucratur aliquid à non habente dominium rei lucratæ, tenetur restituere verò Domino, vt docet Rodriquez cum communi sententia, tom. 2. quæst. regul. q. 38. art. 2.

Rodriq.

Secundò sequitur, non posse Religiosum lucrari à collusore immoderatam pecuniæ quantitatem, quòd si lucretur, eam tenetur restituere illi, à quo lucratus est. Ità docent Sayrus, & Angles locis cit. conclu. 2. Quia ludus est colludentium contractus, qui debet esse omnibus æqualis. Vndè si vnus non potest perdere, neque etiam debet posse lucrari. Videatur tamen circa hoc Sanchez loco cit. à num. 83.

Sayrus. Angles. Sanchez.

Sequitur tertiò, posse etiam Prælatum modicam aliquam quantitatem honestæ recreationis causa ludo exponere. Ità Sanchez loco cit. num. 78. Quia si hoc potest concedere alijs, debet & posse concedere sibi ipsi.

Sanchez.

Quæres primò, quæ sit modica quantitas, quam Religiosus potest distrahere in ludos honestos recreationis causa. Nauarrus, & alij cit. in secunda conclus. docent esse quatuor, aùt quinque ducatos quotannis. Sed melius relinquitur arbitrio prudentis, considerantis Religionem ludentis, quantitatem peculij concessi, personam, & dignitatem.

Nauarr.

Quæres secundo, qui sint ludi prohibiti. Respondeo, quod sunt ludus aleatum, & taxillorū, vt patet ex cap. Episcopus, d. 35. & alibi. Per ludum aleatum intelliguntur omnes ludi fortuiti idest in quibus tra permittitur casui, & fortunę vt habet Nauarrus in sum. cap. 20. n. 6. Val. to. 3. disp. 5. q. 6. par. 5. dub. 8. versu, Ratione autem prohibitionis Vbi notandum, quòd huiusmodi ludi non intelliguntur prohibiti, si instituantur principaliter propter recreationem, vt notat Val. loco cit. versu vbi duo. Vndè possunt etiam Religiosi chartis lusorijs sine vlla culpa etiam veniali ob honestam causam ludere: puta ad excitandum, vel recreandum socium, vel se ipsos, modò non adsit scandalum, nec præceptum Religionis in contrarium. Ità Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 38. art. 1. fine.

Nauarr. Valent. Valent. Rodriq.

§. VIII. *Vtrùm Religiosus possit ex peculio sibi concesso aliquid in eleemosynam erogare.*

DICO primò, Prælati Religionum possunt, & debent facere eleemosynas de superfluis Conuentus bonis: immò etiam si superflua non sint, possunt arbitrio prudentis competentes, & moderatas. Ità Vasquez opusc. de eleemosyna, cap. 4. nu. 1. Molina tom. 2. de iustitia, disp. 276. statim in principio. Rodriquez secunda parte sum. cap. 32. conclus. 2. d. 8. Graff. 1. parte decis. lib. 3. cap. 5. nu. 63. Sanchez lib. 7. in decal. cap. 19. num. 9. Probatur, quia cum habeant legitimam administrationem bonorum Conuentus, possunt ea in eos vsus licitos distrahere, quos legitima eorum administratio postulat. Diuersimodè tamen; vt notat Vasquez, nàm si habeant generalem administrationem, liberè possunt eleemosynas facere. Si verò non habeant generalem administrationem, sed sint inferiores, tum debent eleemosynas eas facere, quæ sibi à supremo Superiore fuerint permissæ. Vndè colligitur, quòd Prouincialis potest liberiùs eleemosynas facere, quam Corrector Conuentus.

Vasquez. Molina. Rodriq. Graff. Sanchez.

Dico secundò, Procuratores Conuentus non possunt facere nisi eas eleemosynas, & eas donationes, quæ sibi fuerint à Superioribus commissæ. Ità D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad primum, Tabiena verbo eleemosyna, nu. 9. Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 57. ar. 2. Sanchez loco cit. nu. 92. Miranda tom. 1. Manualis, q. 18. art. 21. conclus. 2. Probatur, quià (vt ait D. Thom.) *Monachus nihil habet proprium, & nemo potest dare quod non habet*. Vnde sequitur, eos peccare mortaliter contrà paupertatis votū, si in alios vsus, præter deputatos à Superiore quamuis licitè sint, & communitati deseruiant, bona Conuentus expendant, absque expressa, vel præsumpta Superioris voluntate; quià exercent actum dominij, excedúntque metas sibi commissæ administrationis. Ità Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 29. art. 10. conclus. 1. Non putarem autem, Procuratorem peccare mortaliter, qui aliquid necessarium, verbi gratia par caligarum, aut femorallum largiretur alicui Religioso, ijs indigenti, cui Prælatus Conuentus, necessitate audita, iniustè denegauit. Quià eo casu

D. Thom. Tabiena. Rodriq. Sanchez. Miranda. Rodriq.

casu suppleret Prælati defectum, & censeretur ibi à supremo Prælato dari talis rationabilis licentia: possunt tamen Procuratores eas eleemosynas, & donationes facere, quas facere, consueuerunt alij eiusdem ordinis Procuratores; quia Superior committens officium, censetur eo ipso committere consueta exercere per procuratores, vt aduertit Sanchez loco cit. num. 94.

Sanchez.

Dico tertiò, Religiosus subditus nullam potest eleemosynam facere, nisi de licentia, tacita vel expressa Superioris. Ità D. Thom. loco cit. Antoninus 3. parte, tit. 16. cap. 1. notab. 4. Graffius, Vasquez locis cit. & alij communiter. Probatur, quia nec dominium, nec vllam bonorum administrationem habet. Quod si faciat, reus est voti paupertatis, & mortaliter peccat, quia se gerit tamquam dominus.

D. Thom. Antonin. Graff. Vasquez.

Multi tamen casus excipiuntur à Doctoribus, quibus licitum est religiosis eleemosynam facere absque expressa licentia Prælati, quià præsupponitur tacita. Primus est, cum pauper extrema necessitate laborat; etiamsi superior licentiam deneget. Quia in necessitate omnia sunt communia. Ità D. Tho. 2. 2. q. 32. art. 8. ad primum, Nauarrus in sum. cap. 17. num. 105. Rodriquez to. secundo q. regul. q. 57. ar. 2. Tabiena verbo eleemosyna, num. 8.

D. Thom. Nauarr. Rodriq. Tab.

Secundus casus est, quandò necessitas est magna, & ad Superiorem non potest haberi recursus. Ità Rodriquez, Nauarrus, Tab. locis citatis, Sylu. verbo eleemosyna, q. 5. num. 7. d. primo, Sanchez loc. cit. num. 97. quià tunc adest tacitus Superioris consensus.

Syl. Sanchez.

Tertius. Quandò Religiosus ex legitima Superioris licentia extrà Monasteriũ versatur, causa vacandi litteris, aût peregrinationis vel alterius negotij peragendi. Ità Armilla verbo eleemosyna, num. 5. Angelus nu. 9. Sylu. loc. cit. Sanchez nu. 98. infinitos alios citans; quia tunc censetur tacitus Superioris consensus, vt ex his, quæ sibi ad victum dantur à Monasterio, vel aliunde eleemosynas aliquas moderatas elargiatur. Moderatæ autem eleemosynæ censentur, quas alij scholares, aut peregrini honesti eiusdem conditionis solent erogare, vt Sylu. verbo Donatio 1. q. 1. nu. 3. d. 5. Tabiena verbo Donatio 1. nu 7. Angelus eodem, nu. 9.

Armilla. Angelus. Sy. Sanchez.

Sylu. Tab. Angelus.

Quartus. Quandò res, quæ in eleemosynam erogantur, sunt parui momenti, & quæ communiter solent dari pauperibus ostiatim mendicantibus. Rodriquez tom. 2. summ. cap. 32. conclus. 2. d. 8. Graffius prima parte decis. lib. 3. cap. 5. nn. 62. quià præsumitur, tacitus Superioris consensus; secùs autèm si non præsumatur, quià Ianitor talem curam habet accedentibus eleemosynam faciendi: Vndè non licet fratribus in particulari dare pauperibus frustum panis; & quià non præsumitur consensus Prælati, cum hæc cura Ianitori sit demandata. & quia hoc in damnum graue communitatis redundaret, si singuli fratres darent frustum panis, vel quotidie, vel bis, aut ter in hebdomada.

Rodrig. Graff.

Quintus Casus est, quando Religiosus habet peculium de licentia sui Prælati, potest ex eo aliquas moderatas, & suo statui conuenientes eleemosynas facere. Ità Molina tom. 2. de Iust. disp. 276. col. antepenul. versu Religiosus in Conuentu.

Molina.

§. IX. *Soluuntur alia Difficultates in eadem materia.*



Quæres primò. Ad quid teneatur qui accepit à Religioso aliquid absque legitima superioris licentia explicita, aut tacita.

Respondeo si mala fide accepit, tenetur restituere id, quod accepit, Monasterio illius, à quo accepit. Si autem bona fide, & res extat, eam tenetur restituere; si verò non extat, tenetur restituere, id in quo factus est ditior. Ità Corduba in sum. q. 109. Rodriquez tom. 2. sum. cap. 32. conclus. 2. d. 13. Sayrus in Claui reg. lib. 9. cap. 16. num. 21. Ledesma de statu religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 9. pag. 103. Vega parte secunda sum. cap. 86. casu 35. notab. 3. à S. Fausto de vitio propr. q. 42. Sanchez 7. in decal. cap. 19. nu. 108.

Corduba. Rodrig. Sayrus. Ledesma. Vega. à S. Fausto. Sanchez.

Sed quid facere debet Religiosus, quandò, qui rem dono ab ipso accepit, nollet eam restituere.

Respondeo, si ea donatio fuit facta ex bonis Monasterij, tenetur Religiosus ille inducere eum, cui dedit, vt restituat ipsi Monasterio, quòd si nolit, & habeat Religiosus ille redditus aliquos ex debita licentia, tenebitur ex his Monasterio restituere, subtrahendo sibi de ijs, quæ in honestos vsus impedire poterat, & res restituendo. Ità Nauarrus de redditibus Eccl. q. 2. monitu 10. & q. 3. monitu 34. Rodriquez, Sayrus, Vega, & à S. Fausto loc. cit. Sanchez etiam citatus, num. 112. qui addit, quòd quandò dicitur, teneri Religiosum inducere eum, cui dedit, vt restituat Monasterio, debere intelligi, si est spes proficiendi, atque id potest Religiosus absquè suæ famæ nota, seù alio graui detrimento. Quod vltimum adnotarunt etiàm Corduba, & Ledesma. Si autem id, quod donauit Religiosus est ex peculio sibi legitimè concesso, & est in magna quantitate, dico quòd adhùc peccauit contra votum paupertatis, vtendo illo peculio in vsus non sibi concessos tamquam Dominus, & tenentur, tam qui accepit, quam qui dedit restituere modo prædicto. Et Ratio est, quià licèt illud peculium esset ei concessum, habebat tamen semper Prælatus ius licentiam reuocandi, & vsum illius in vtilitatem Monasterij cõuertendi, & si fuisset mortuus ille Religiosus habebat ius Religio ad omnia bona ab eo relicta, quibus iuribus priuata est per illam donationem; ergò, cum notabiliter sit læsa iustitia, debet per restitutionem resarciri; atque ita tenet Ledesma loco cit. pag. 104. versu Digo lo tercero.

Nauar. Rodrig. Sayrus. Vega. à S. Fausti Sanchez.

Corduba. Ledesma.

Ledesma

Quæres secundò, An Religiosus recipiens, retinens, aut expendens aliquam non notabilem, seù paruam quantitatem mortaliter peccet.

Respondeo, quod non. Ità Rodriquez tom. 3. quæst. regul. q. 19. ar. 10. conclus. 8. Vega secunda parte sum. cap. 86. casu 35. notab. 6. Graffius 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. nu. 49. Nauarrus lib. 3. consil. de statu Monach. consil. 3. num. 14. Molina disp. 687. Miranda tom. 1. Manual. quæst. 28. art. 17. conclus. 2. Rebellus de oblig. Iust. p. 1. lib. 3. q. 15. sect. 3. num. 22. Ledesma de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 8. pag. 100. Sanchez 7. in decal. cap. 20. nu. 2. à S. Fausto

Rodrig. Vega. Graffius. Nauar. Molina. Miranda. Rebellus. Ledesma. Sanchez.

à S. Fausto de vitio propr. q. 43. Probatur, quià lex religiosorum non debet esse fortior, quàm lex Dei, sed huius transgressionem mortalem excusat exiguitas materiæ, vt D. Thom. ait, 2. 2. q. 59. art. 4. ad secundum, & q. 66. ar. 6. ad 3.

D. Thom.

Si quæras, quæ sit illa quantitas, quæ sublata, recepta, aut retenta absquè licentia Prælati facit Religiosum mortaliter peccare.

Respondeo, eam esse, quæ est necessaria, & sufficit ad constituendam materiam mortalem furti in hominibus sæcularibus. Quià hoc peccatum se habet instar furti; Sicut enim in furto res vsurpatur inuito Domino. Ità & hic. Ità docent omnes doctores citati. Nauarrus num. 18. Sanchez nu. 3.

Nauarr. Sanchez.

Quæ autem sit quantitas, quæ sublata constitúit furtum mortale, disputant inter se Doctores in materia furti. Hic non discutio. Videatur Quaranta in sum. bull. verbo casus, circà votum paupertatis, nu. 9. Vega loco cit. Molina disp. 685. Sanchez loco cit. num. 3. In Religionibus tria, aut quatuor regalia recipere, aut retinere, nec esse paratum reddere Superiori poscenti, putarem, non esse culpam mortalem. Atque ita docent Ledesma, Sanchez, Vega.

Quarant. Vega. Molina. Sanchez.

Quæres 3. An peccatum proprietatis in Religioso habeat duplicem maliriam, alteram furti, alteram sacrilegij contrà votum.

Respondeo, habere duplicem. Ità Ledesma loco cit. versu Digo lo primero, Sanchez loco cit. nu. 7. Corduba in sum. q. 109. Sayrus in claui reg. lib. 9. cap. 16 num. 21. Vasquez p. 2 disp. 99. cap. 4. nu. 10 Furti quidem, quia contra Domini voluntatem, qui est Monasterium, rem vsurpat; Proprietatis verò, quià operatur vt verus Dominus independēter à quocumque.

Ledesma Sanchez. Corduba. Sayrus. Vasquez.

Addit verò Vasquez loco cit. & disp. 98. cap. 3. nu. 7. secutus Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 5. §. sciendum 2. Idem esse dicendum de peccato contra votum obedientiæ, ait enim, eum, qui vouit obedientiam in Religione, dupliciter peccare; Cum transgreditur mandatum Superioris, tum ratione præcepti, tùm ratione voti. Sed meritò impugnatur à Soto lib. 7. de iust. q. 1. art. 3. in solut. ad primum fine, & Ledesma parte secunda sum. tract. 10. cap. 5. quià nullo alio modo debeo obedientiam Prælato, nisi ratione voti. Non enim voueo obedientiam Prælato sed voueo Deo, quòd ero obediens Prælato.

Vasquez. Caiet.

Quæres 4. An peccet mortaliter Religiosus consanguineorum, vel aliorum sæcularium diuitias dispensans, resque eorum negotians, & tractans absquè Prælati licentia.

Respondeo, meo videri peccare mortaliter, & Probatur tum ex D. Paulo 2. ad Timoth. 2. vbi ait, *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit* seù *Qui ipsum elegit*, vt legitur ex Syriaco. Tum quià pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Tùm quia hoc faciens assimilatur Vlyssi, qui cum difficillimè è manibus illius Gigantis fuisset egressus, retrò tamen redijt ad pileum in spelunca relictum reassumendum. Tùm quia indecens omninò est, quod Religiosus res diuinas, & cælestes quotidie tractans, hisce se caducis, & terrenis immisceat. Tùm quia exponit se multis periculis, præsertim applicandi animum diuitijs, cum pecunias tractet, & tangat contrà votum paupertatis. *Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Tùm quia hæc tractatio non est nisi in contemptum, & particularis Religiosi, & Religionis ipsius. Suspiciunt enim, & venerantur sęculares Religiosos tamquam res supra humanas, & quasi diuinas: & meritó, nam & tamquam tales respexit Apostolos Religiosorum capita, & Religionum primos institutores Christus Dominus, cum post illam interrogationem Matthæi 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Subiunxit, *Vos autem*, qui supra humani, & quasi cælestiales estis, *Quem me esse dicitis?* At cum vident, illos hisce se immiscere rebus mundanis, hi, inquiunt, similes nobis facti sunt. Hinc Religiosorum contemptus, hinc vilipendia, hinc parui æstimationes, hinc murmurationes de illis, hinc scādala, hinc Religionum relaxationes, hinc illarum euersiones. Tùm quia id prohibetur expressè in iure, cap. Multa, cap. Sacerdotibus ne Clerici, vel Monachi, & cap. Credo, & cap. Cyprianus 21. quæst. 3. Tùm deniquè quià omnes ferè institutores in suis regulis id suis Religiosis vetuerunt. Strictissimè noster S. Pater Franciscus in Correctorio, num. 46. etiam pro negotijs ad Conuentum ipsum pertinentibus, quanto magis pro extraneorum. Hęc contemplentur suarum Religionum amatores, & recordentur se illius esse deditos famulatui, qui socium in amore, & famulatu respuit; quique maximè zelotipia laborat, quique de hoc protestatur, dicens. *Non potestis Deo seruire, & mammonæ*, & alibi, *Coangustatum est stratum, & pallium breue vtrumque operire non potest*. Et verecundentur veri, & æterni Dei, post habitis, negotijs temporanei Domini negotia peragere, Proh pudor, seruiens Regi non erubuscet, eo relicto, Sutori illius inseruire? Eia fratres, eià *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*. Hæc dixisse volui pro aliquibus Religiosis, qui *Obsequium se arbitrantur præstare Deo*, Sed præstant Diabolo, cum alicui personæ nobili, seu in dignitate constitutæ obsequuntur. Non aduertentes miseri, in hoc se ostendere, & animi, & corporis sui vilitatem. Non nego tamen, quin possint Religiosi consilijs amicos, & parentes iuuare, & etiā aliquandò apud amicos, & deuotos, fauoribus. Nequè quòd si illis à deuotis Conuentus dentur dispensandæ aliquæ elemosynæ, illas dispensare non possint absquè culpa mortali (nisi speciale obstet Religionis præceptum) etiam sinè licentia Prælati, sed damno officium institoris, & Procuratoris facere pro hominibus, secularibus, & ire quotidie per Ciuitates, per domos, collectum pecunias pauperibus erogandas. Gignuntur enim suspiciones, fiunt iudicia. Faciant hoc genus charitatis Parrochi, & alij, ad quos incumbit. Vacent Religiosi Choro, & cellæ, & soli Deo, cui se dedicauerunt, inseruiant. Videatur pro hoc quæsito Ledesma de statu religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 12. qui licet non determinet, Religiosum his se immiscentem peccare mortaliter contrà paupertatem, non videtur tamen omninò negare, peccare mortaliter contra alias virtutes, vt videri potest pag. 111. versu Digo lo quarto.

D. Paul. 2. ad Timoth. 2. *Matth. 16.* *Ledesma.*

Quæres 5. An Religiosus habens multa, de quibus constat, quòd sint superflua, de Superioris licentia; paratus tamen omnia in manus Su-

perloris resignare, cum fuerit requisitus, nec de illis disponere absque Prælati licentia, sit in statu peccati mortalis contra votum paupertatis.

Respondeo. Conuenit inter omnes, quod tam Superior concedens, quam subditus retinens, peccat mortaliter; Prælatus quidem, quia potestate abutitur, peccat peccato infidelitatis, qua obligatur ad curandum pro posse, vt seruetur in Religione æqualitas; subditus autem peccat peccato auaritiæ plura retinens, quàm sibi, & vsui suo necessaria sint. Ità Antoninus tertia parte, tit. 16. cap. 1. §. 11. notab. 7. Sylu. verbo Religio 6. q. 7. d. 4. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub 9. num. 79. versu Vndecimo. Graff. 1. p. decil. lib. 3. cap. 5. nu. 61. Ledesma loco cit. dub. 11. pag. 109. Miranda cit. ar. 15. Et vtrumque peccare mortaliter declarauit sacra congregatio Cardinalium, vt refert Quaranta in sum. bull. verbo Casus declar. 2. pag. mihi 195. Quòd autem hoc peccatum non sit proprietatis, probatur, quià proprium solum est, vt sæpius diximus, quod celatur Abbati, & quod retinetur contra voluntatem illius.

Anton. Sylu. Lessius. Graffius. Ledesma. Miranda. Quaranta

Vndè sequitur primò, quod Religiosus, qui retinet in suo cubiculo arma, scopletas, lanceas, enses, monilia, inaures aureas, vestes sericas, &c. quæ nec necessaria sunt, nec statui Religioso conuenientia, peccat mortaliter; etiamsi retineat de licentia Superioris, quia nec hic talem licentiam date potest: Immò & ipse mortaliter peccat. Ità Barthol. à S. Faustio loc. cit. q. 19. num. 2. Licet affirmet, hoc peccatum esse contra votum paupertatis. Non putarem tamen, eum Religiosum peccare mortaliter, qui talia retineret in depositum ad bonum finem per aliquod breue tempus de licentia Prælati, ad instantiam alicuius deuoti ordinis. Nec similiter putarem, peccare mortaliter Religiosum, qui haberet multa superflua, non quò ad statum Religiosum, sed quò ad persona propriam de licentia Prælati; paratum ad illius nutum omnia relinquere, verbi gratia, si haberet tres habitus, cum duo sint satis; Decem camisias, cum quatuor, aut quinque essent illi sufficientes, & similia. Præsertim si, consumptis necessarijs, non haberet vndè de alijs sibi prouideret. Quod tamen etiam est limitandum, nisi alij, aut aliquis aliorum Religiosorum necessariò aliqua istarum rerum indigeret; nam tunc teneretur confratri suo de his, quæ sibi superflua sunt, prouidere. Attendenda tamen in his semper est qualitas personæ, & Religionis vsus, vt dixi supra §. primo, coroll. 9.

à S. Fau.

Sequitur secundò. Quòd Religiosus de licentia Prælati viens rebus Monasterij ità abundãter, vt alij ea de causa egeant grauiter peccat, quia fit alijs iniuria, cum bona communitatis pro Indigentibus communia sint, & tantus potest esse excessus, & luxus, vt culpa sit mortalis, tam in dispensato, quàm in dispensante; Congruum enim non est, *vt alius esuriat, alius ebrius sit*, vt ait Apostolus, sed tenetur Prælatus fideliter, & rationabiliter dispensare, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12. ad secundum, ex D. Paulo 2. ad Corint. 10. Aliàquin non dispensator fidelis sed dispensator crudelis efficietur. Ità Rodriquez tom. 2. summ. cap. 32. conclusione secunda, dist. 10.

D. Thom. D. Paul. 2. Cor. 8. Rodriq.

Quæres 6. Quam curam, & diligentiam debeat adhibere Religiosus in conseruandis rebus sibi ad vsum concessis.

Respondeo, debere adhibere eam curam, quam tenetur adhibere vsuarius, qui precario vtitur, vnde tenetur vitare culpam latam; hanc enim tenetur vitare omnis, qui aliquid precario accepit. Quarè sicut si rem dolo destrueret, aut deteriorẽ redderet peccaret cõtrà votũ. Ità si res eius culpa perit, aut fit deterior, reus est voti paupertatis. Adde, quòd si res sit in eius commodum, tenetur etiam ex culpa leui, sicut in commodato, quod in vtilitatem commodantis, & cõmodatarij præbetur. Licet hoc non ità seuerè in Religionibus sit interpretandum. Ità Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 79. versu Decimo, quem sequuntur Sanchez 7. in decal. cap. 19. nu. vlt. à S. Faustio de vitio propr. q. 10. nu. 18.

Lessius. Sanchez. à S. Faust.

Quæres 7. Qua pœna puniantur proprietarij.

Respondeo, quòd habens proprium stricto modo, pro vt dicit verum dominium, & proprietatem, vltrà peccatum mortale, nisi illud antè mortem renunciet, non debet sepeliri in sacro, sed in sterquilinio, simul cum pecunia illi inuenta. Ità habetur cap. Monachi, de statu Monach. Et si iam fuerit sepultus in sacro, exhumari debet (si sine magno scandalo id fieri potest) & sepeliri in sterquilinio. Habetur cap. super quodam, eodem tit. vbi noto duo, primùm quòd satis est, vt aliqua pars pecuniæ sepeliatur cum illo, vt notat Ioannes Andreas cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach. nu. 4. vt quid enim perditio hæc.

Io. Andreas.

Secundum quòd debet esse certum, eum mortuum fuisse proprietarium, eo scilicet modo, quo sciri debet: nimirum quòd interrogatus à Superiore tempore mortis, an haberet aliquod peculium, responderit, non habere, vt notatur in cap. Super quodam; Nàm si decederet aliquis ex subitanea, & improuisa morte, qui relinqueret aliquod peculium, quod non potuisset reuelare, non per hoc iudicandus esset proprietarius; etiamsi nullus ex Superioribus illius temporis haberet notitiã de tali peculio. Quià iudicari poterit, eum habuisse licentiam retinendi tale peculium à Generali, vel ab aliquo alio Superiori temporibus præteritis; Nàm diximus suprà, Quandò legatum est vnum, etiamsi soluendum sit in differentibus temporibus, sufficere primam licentiam Superioris; Vnde quandò relinquitur aditus conijciendi de mortuo, quòd non decesserit in proprietate, non est illi talis rigorosa, & terribilis pœna infligenda. Quòd innuit Glossa in cap. Monachi, verbo Sepulturam, dicens, id esse intelligendum, quandò constat decessisse in peccato mortali; sed cum dubitatur non constat, & dubitatur cum non est ità clarum, eum decessisse. Attenta semper vita antè acta defuncti; Nàm qui benè viuit, communiter benè moritur; & è contra qui malè viuit, malè moritur. Vndè meritò irridetur à scriptura scelestus Balaam, qui cum scelestam vitã duxisset, petebat mori morte iustorũ.

Glossa.

Secunda pœna est priuatio vocis actiuæ, & passiuæ per biennium. Ità habetur in Trid. sess. 25. cap. 2. fine, de regul. Quæ pœna non incurritur ipso facto, sed expectatur iudicis sententia, vt probatur ex ijs verbis Concilij, *Deprehensus, aut conuictus fuerit*. Et nota, quòd istas pœnas non incurrent dantes aliquid fine,

Trid.

ſinè, aut contra Superioris licentiam. Quamuis hi peccent in votum paupertatis. Quia ſolùm ſunt infl.ctæ contra retinentes. Vt benè aduertit Sanchez 7. in decal. cap. 30. nu. 11. & 13. *Sanchez.*

§. X. *Vtrùm ſcribere, vel recipere litteras abſquè ſuperioris licentia ſit contra paupertatis votum.*

Dico primo Dare, aut recipere litteras abſquè Superioris licentia eſt peccatum contra votum paupertatis. Ità Nauarrus comm. 2. de regul. num. 13. & lib. 3. conſil. de ſtatu Monach. conſil. 3. à nu. 43. Graffius 1. par. deciſ. lib. 3. cap. 5. num 64. Bartholum à S. Fauſto de vitio propr. q. 35. Sentit etiam Ioannes Andreas cap. Cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach. n. 4. *Nauarr. Graff. à S. Fauſto Io. Andr.*

Probatur primò ex cap. Non dicatis, 12. q. 1. vbi dicitur, *Quicumque in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo: vel quodlibet munus accipiat*: Vbi, vt patet, æquiparatur litterarum receptio Munerum receptioni.

Secundò Probatur, Quia ſcribens litteras vtitur illa papyro tamquam propria, & ſi characteres ſint aurati, vel miniati, ità vt littera ſit valoris ſufficientis ad conſtituendum mortale in materia furti, erit mortale; Sin autem paruı ſit valoris, erit veniale. Quià parua lucrans, licet excuſetur à mortali, non excuſatur tamen à veniali, vt D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad tertium, vbi Caietanus Similitèr dic de recipiente. Si enim litteræ receptæ ſint auratæ, miniatæ, & valoris conſtituentis mortale in materia furti, erit mortale, eas recipere abſquè Prælati, tacita vel expreſſa licentia; quia ſibi appropriat aliquid magni valoris ſi parui valoris, erit veniale. Si autem litteræ tàm receptæ, quam datæ ſint nullius æſtimationis, nullum erit peccatum proprietatis cum non ſit diſpenſatio, vel appropriatio rei pecunia æſtimabilis, vt Nauarrus conſil 3. cit. de ſtatu Monach. nu. 45. à S. Fauſto, nu. 2. loc. cit. Videri poteſt circà hanc concluſionem Sanchez lib. 7. in decal. cap. 19. nu. 47. *D. Thom. Caiet. Nauarr. à S. Fauſto Sanchez.*

Intelligenda eſt tamen concluſ. vt ait Nauar, com. 2. cit. verſu Aduertendum item. Graff & à S. Fauſto loco cit. de litteris, quæ dantur, vel accipiuntur contra vtilitatem, vel honeſtatem Monaſterij, vel contrà ſalutem ſpiritualem, vel corporalem ſingulorum regularium, & de alijs litteris quæ continent inutilia, & impertinentia prædictis Non autem de litteris neceſſarijs, vel vtilibus, quas iuſtè ſecundùm iura poſſunt ipſi dare, vel accipere, vt notauit etiam Archidiaconus cap. Non dicatis, 12. q. 1. nu. 3. Litteræ autem, quæ ſecundum iura poſſunt ſcribere, ſunt illæ, quibus Regularis conſtituit Procuratorem contra Prælatum, vel, denunciat eius delicta: vel ſi acciperet litteras impetratas à Papa, vel ab alio Superiore ſuper huiuſmodi rebus. Quo etiam pacto intelligendum noſtrum Correctorium num. 100. & ſtatutum capituli Val. 5. num. 21. verſu Sextum. Vbi cauetur. *Ne quis det, vel accipiat litteras, quin prius correctori locali oſtendantur.* *Nauarr. Graff à S. Fauſto Archid.*

Vndè colligitur. Quòd ſub quacunmque forma verborum præcipiat Prouincialis, ne tui Religioſi ad aliquem dent litteras, neque recipiant. Poſſunt tamen ſcribere ad Patrem Generalem, illiuſque litteras recipere. *Inferior enim ſuprà Superiorem nullam habet authoritatem*, vt dicitur cap. Si ſe 101, d. 21. Clem. Ne Romani, de elect. Et cap. Cum inferior, de maioritate, & obedientia.

Dico ſecundo, ſi Prælatus præcipiat, ne quis ſcribat, aut recipiat litteras ſub præcepto obligante ad mortale, qui illi contrafacit, peccat omninò mortaliter contra obedientiam. Eſt certa apud omnes, & habet Nauarrus lib. 3. conſil. de ſtatu Monach. conſil. 3. nu. 45. Probatur quià ſubditus tenetur obedire ſuo Prælato iuſta præcipienti, vt ſuprà diximus: atque ità vna actio ſcribendi poterit eſſe contra duo vota, Paupertatem, quatenus vtitur papyro tamquam propria, & contrà Obedientiam propter Superioris præceptum. *Nauar.*

Dico tertiò, Si prælatus præcipiat ſub merito Sanctæ Obedientiæ, & pœna excommunicationis ipſo facto, ne quis ſcribat ad moniales verbi gratia, Si aliquis ſcribat, ſed litteræ non perueniant ad dictas Moniales, non incurriet dictam excommunicationem. Ità in terminis Nauarrus lib. 5. conſil. de ſentent. excomm. conſil 19. nu. 2. Rodriquez tom. 2. quæſt. regul. q. 56. art. 2. verſu Circa prædictas. Coninch de cenſur. diſp. 13. dub. 8. num. 76 *Nauar. Rodrig. Coninch.*

Probat Nauarrus, quià verba ſunt intelligenda cum effectu etiam extrinſeco, quem intendit legiſlator, vel alius diſponens, de cuius mente expreſſè, vel tacitè conſtat, conſtat autem, ſaltem tacitè, ſeù potius præſumitur, Prælatum, propter fines à ſe intentos, noluiſſe finaliter, & principaliter prohibere, ſcribere litteras ad Moniales, ſed voluiſſe prohibere cum peruentione formali, & actuali. Quià miſſio litterarum, niſi perueniant, nihil poteſt nocere: & ad præcauendum nocumentum intendiſſe cenſendus eſt principaliter Prælatus. *Nauarr.*

Quod idem dicendum eſt de eo Religioſo, qui litteras fauorabiles Principum ad obtinendas dignitates in ordine, impetraſſet, (Si contra tales impetrantes lata eſſet excômunicatio, vt in ordine Prædicatorum, Minorum, & aliorum, vt referunt Nauarrus loco cit. conſil. 20. & Rodriquez) Deindè pœnitentia ductus, vel alio motiuo, nollet eas reddendas mittere: vel ſi mitteret, eſſent interceptæ vel perderentur propter eamdem rationem. Ad quod facit etiā cap. Hæc autem verba, de pœnit. d. 1. Neque obſtat, quòd ipſe fecit quantum potuit (Si litteras præſertim miſit) Nàm licet intentio efficax non excuſet apùd Deum, vt certè non excuſat his duobus caſibus, quin impetrantes, vel ſcribentes peccauerint; apùd Eccleſiam tamen voluntas ſinè effectu non punitur, vt habet Marginalis, eod. cap. Hæc autem verba. Et patet etiam in attentante percutere clericum, & faciente quantum in ſe eſt, vt percutiat; Si enim non ſequatur effectus non incurrit excommunicationem cap. Si quis ſuadente. Quandò autem ſola attentatio delicti puniatur, docet Gloſſ in cap. Si quia tam fœminam, de pœnit. d. prima. *Gloſſa.*

§ XI. *An in Religione Minimorum vetitum sit fratribus litteras fauorabiles ad obtinendas dignitates in Ordine, Procurare, & Impetrare.*



MVLTIS Capitulis Generalibus cautum erat, ne fratres fauores extrà ordinem impetrarent, qui perfectæ obedientiæ, quam sunt professi, repugnare viderentur; Nouissimè sanctissimus in Christo Pater Paulus V. per suum motum proprium emanatum Anno 1619. die 6. Septembris, huic iàm grassanti ambitionis morbo reparauit hoc pacto.

Admonemur pastoralis officij nostri debito diligentius prospicere, ne Religiosi, qui regularem vitam professi, sæculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus. Quo circà motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolica potestatis plenitudine dilectis filijs Correctori Generali, ac Prouincialibus, & reliquis ordinis fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Prælatis, nunc, & pro tempore existentibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumquè personarum, tàm laicarum, quàm Ecclesiasticarum extrà dictum ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumquè seculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuiuis dicti ordinis Religioso vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, & Prælaturas eiusdem Ordinis concedere audeant. Quinimmò dicti Ordinis Fratres, ac Religiosos, qui contrà decreta, hac via, & his medijs per conquisitos fauores, & suffragia aliquid sibi procurauerint, ad talia, & similia, ac etiam maiora in eodem ordine consequenda perpetuò inhabiles declaramus. Insuper dictis Religiosis, & fratribus eiusdem ordinis quibuscumque sub eisdem pœnis præcipimus, & expressè interdicimus, vt non solum in præmissis omnibus, fauores huiusmodi minimè procurare, sed nec etiam spontè oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere. Et similiter ne ad hunc effectum, munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant, Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisque contrarijs quibuscumque, aut si ordini, & fratribus prædictis, communiter, aut diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium litterarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ex sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides vbiquè adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris, die 6. Septembris, Anno 1619. Pontificatus nostri Anno XV. S. Cardinalis S. Susannæ.

Circa hunc motum proprium. Noto primò, quòd Pontifex fecit hoc decretum motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad denotandam perpetuitatem huius constitutionis, & ne quid vmquam posset contra eam reclamari. Tria autem hæc vocabula idem valent, vt ait Abbas cap. Ad hæc sumus, de rescriptis, num. 8. & cap. Ea, quæ, de sentent. & re iudic. nu. 2. 3. 7. & Graff. tom. 1. consil. lib. 1. de off. deleg. consil. 2. nu. 1. & nihil aliud sibi volunt illæ clausulæ, nisi quòd tunc Papa operatur, non secundùm potestatem ordinariam, sed secundum absolutã, & tamquàm absolutus Dominus, dispositioni legum communium non se subijciens, vt habetur cap. Si motu proprio, & cap. Si pluribus, de præb. & dignit. in 6. Tres autem operatur effectus motus proprius suprà communẽ, & ordinarium modum concedendi, vel statuendi aliquid. Primo facit rem factam, vel confirmatam maioris auctoritatis. Secundo Si res est minùs valida reddit eam validam. Tertio Nullus inferior potest de validitate illius rei ampliùs cognoscere, vt habet Gloss. in cap. Quià diuersitatem, de concess. præb. & Abbas in cap. Ea, quæ, de sentent. & re iudic. *Graffing.* *Glossa.* *Abbas.*

Noto 2. circa illa verba, *Vllam gratiam concedere*, Quòd illa particula, *Vlla*, non est ità vniuersalis, vt excludat omnem, & quamcumque gratiam; Ità vt Religionum Prælati nullam omninò gratiam possint suis Religiosis concedere ad instantiam deuotorum ordinis, sed quòd nullam possint concedere pertinentem, vel ad remissionem alicuius pœnæ, vel ad gradus, & dignitates obtinendas; cæteras autem gratias, verbi gratia transferre fratres de vno in alium Conuentum; præbere eos in socios alicuius deuoti ordinis ad aliquam peregrinationem, &c. Possunt vtiquè Religionum Prælati ad præfatorum instantiam, & requisitionem concedere. Vniuersalis enim ille per particulares subsequentes coarctatur. Nam *generi per speciem derogatur*, vt dicitur cap. Pastoralis, de rescriptis, & habetur in regula generi, quæ est 24. de regul. iur. in 6. Quod etiam notauit in simili Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 26. art. 4. ad primum argum. contrar. in fine Et Panor. in cap. Venerabilis de iudic. num. 6 & habetur in leg. cum Pater §. Dulcissimis ff. de lega. 2. *Rodriq.* *Panor.*

Noto 3. quòd appellatione dignitatum veniunt Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, Vicariatus ordinarius alicuius Conuentus, qui Correctorem sustinere non potest, Visitator alicuius Prouinciæ seù regni, & aliæ, si quæ id genus dignitates sint, quæ cum honore, & superioritate sint coniunctæ. Ità Declarauit Sixtus V. in sua constit. declaratoria bull. contrà illegitimos, §. Quoniàm verò, quæ incipit. Ad Romanum, quam refert Quaranta in sum. Bull. verbo Monasteria, & Conuentus regularium. Nomine honorum, veniunt Definitores, Collegæ Prouincialis, & Generalis, Discreti ad Capitulum Prouinciale, Commissi ad Capitulum Generale (quos tamen Commissos, ait Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 13. ar. 9. com-

comprehendi sub nomine dignitatis in ordine Minorum, quia habent aliqualem iurisdictionē, cum debeant esse Patres Prouinciæ. Quod tamen fallit in ordine nostro) & si qui sint alij honores personatum dicentes, absquè actuali, & ordinaria iurisdictione. Ità colligitur ex Rodriquez loco cit. art. 18. 19. Et ex lege 14. ff. de mun. & hon. Nomine gradus veniunt Lectores, Confessores, Prædicatores, Regentes studiorum. Ità idem Syxtus V. in eadem constit. §. Ab officijs autèm. Nomine officij veniunt Sacrista, Procurator Conuentus, Subprior in ijs Religionibus, in quibus est in vsu, Vicarius Conuentus in absentia Patris Correctoris. Ità Paulinus tom. 4. q. regul. in explicatione bullæ de largit, mun. par. 4. quæsito 1.

Paulinus.

Noto quartò, Circa illa verba, *Extra ordinē existentium*, quòd Prælati concedentes aliquas gratias etiam pertinentes ad remissionem alicuius pœnæ, vel ad obtinendas aliquas dignitates ad instantiam aliquorum patrum dicti ordinis, non incurrunt pœnas positas in hac extrauaganti; Nec fratres procurantes aliquas litteras fauorabiles à Patribus dicti ordinis apùd Generalem, vel Prouincialem dictas easdē pœnas incurrūt; Quia solùm loquitur extrauagans de impetrantibus fauorem à personis extrà dictum ordinem.

An autèm eiusdem ordinis fratres Procurantes officia pro alijs fratribus, incurrant pœnas positas in constitutionibus Clementis VIII. confirmatas à Paulo V. in decretis generalibus num. 35. publicatas, & acceptatas in Capitulo Generali Genuæ 6. sequentis tenoris.

Vt Omnis officiorum ambitus occasio præcidatur, caueant omnes à directa, seù indirecta vocum, seù suffragiorum procuratione, tàm pro se ipsis, quàm pro alijs, tùm in Capitulis locorum, tùm in ceteris, præsertim Generalibus Capitulis, aùt Congregationibus, seu alibi. Quicumque secùs fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contrà huiusmodi ambientes, & practicantes inflictas (quas in suo robore permanere volumus) in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo dispensari à nemine valeant, nisi à nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate etiam culparum grauiùs plecti possint. Porrò supradictas omnes pœnas, & ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus. Has pœnas vide apud Rodriq. & Nauar. locis hic infra citandis.

Rodriq. Nauarr.

Dico primò, quòd incurrunt procurantes cum effectu, & electione secuta. Per ea, quæ habentur in iure cap. Perpetuo, de elect. in 6. vbi Glossa verbo Perpetuo, Ioannes Andreas nu. 2. ponit hanc regulam. *Pœnam, quæ ipso iure delinquenti infligitur, non incurrit is, qui cogitauit, & aliquid egit, sed non perfectè, etiamsi per ipsum non steterit.* Quod etiam declarauit dictus Io: Andreas in regul In pœnis, de regulis iuris in 6. Habet etiam Nauarrus lib. 5. consil. de sentent. excomm. consil. 20. num. 3.

Glossa. Io. Andr. Nauarrus

Dico secundò, quòd procurare, vt dentur alicui dignitates, qui eas meretur in bonum finem, & per bonas artes, vt bono communi consulatur, & indigni excludantur, non est prohibitum hac constitutione, vt satis per se patet; sed est prohibitum procurare, vt dentur dignitates indignis, seù ad malum finem, vel per malas artes, per ea quæ habent Nauarr. loco cit. num. 6. & Rodriquez tom. 3. quæst. regul. quæst. 56. art. 1.

Nauarr. Rodriq.

Dico tertiò, quòd priuatio vocis actiuæ, & passiuè non obligat in conscientia, nec incurritur, nisi post sententiam Iudicis declaratoriam, etiamsi dicatur in statuto, quòd incurratur eo ipso, vel ipso facto; Nàm illud, ipso facto, seù eo ipso, vt in nostro statuto, intelligitur eo ipso, quòd Iudex sententiam protulerit. Ità tenet Sotus lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 6. in responsione ad quartum fine, Rodriquez loc. cit fine. *Et idem est, etiamsi dicatur eo ipso, ac sinè alia declaratione.* Nàm isti termini, eo ipso, ac sinè alia declaratione sunt idem, vt ait Corduba in quæst. Theol. quæst. 36. ad sextum argum. contrà 3. opin. pag. mihi 291. versu Respondeo ad sextum. Nàm declaratio non cadit super pœnam, quæ incurritur ipso facto, & absquè alia declaratione, sed super delictum: debet enim probari coràm Iudice, tale delictum à tali fuisse commissum, quo probato statim eo ipso incurrit pœnam priuationis. Atquè ità videmus in praxi obseruari, & practicari; non enim qui incidunt in tales pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & officiorum, statim renunciant officia, & abstinēt se à dandis suffragijs. Et *Consuetudo est optima legum interpres*, vt habetur cap. Cum dilectus, de consuetud. Quæ si est legitimè præscripta, derogat legem humanam, & valet pro lege, vt doctores d. cap. & cap. Cum consuetudinis, & cap. Finali, eodem tit. Adde, quòd si quis relinqueret officia, vel desisteret à dandis suffragijs, se ipsum infamaret manifestando, se aliquod delictum commisisse, proptèr quòd existat talibus priuatus. Et præceptum de tuenda fama est naturale. Vide à Sorbo in comp. verbo. Ingredi monasteria, pagella 7. fol. mihi 365. & Sanchez lib 2. in decal. cap. 22. n. 19. 20. & cap. 39. n. vlt. & lib. 6. cap. 15. num 65. & cap. 17. num. 39.

Sotus. Rodriq. Corduba. Sanchez.

§. XII. *De Scribentibus litteras in occulto contrà aliquem ad suum Superiorem.*

DICO primò scribere litteras ad Prælatum sinè nomine, continentes delicta occulta contrà, vel Superiorem, vel particularem fratrem, est ex suo genere mortale peccatum; quia reuelare crimen occultum fratris mortale est. Nisi forsan hoc quispiam faceret ex charitate, non ex odio, aùt maleuolentia, vltionem, & punitionem non quærens, sed solummodò correctionem, & emendationem, quam per fraternam correctionem obtenturum non sperat: nec nomē explicans, quia si fortè perueniat ad aures illius, contrà quem scripsit, redderet illum sibi perpetuum inimicum. Facilè enim omnes in errores labimur, sed difficilè patimur, non solùm castigationes, correctiones, & reprehensiones, sed nequè etiàm pati possumus cognosci nostros errores. Hoc inquam, modo non peccabit scribens, etiam sinè nomine, quia solum correctionem intendit; Si autèm ex odio scribat, & imputet falsa, clarum est, quòd mortaliter peccabit.

Dico ſecundò, non poſſunt Prælati ex huiuſmodi litteris ad inquiſitionem delictorum, quæ continent, procedere. Cum non ſit illi Scripturæ adhibenda fides. Ità Rodriquez tom. 2. q. regul. q. 6. art. 10. Panor. in cap. Inquiſitionis, de accuſ. §. *tertiæ dubitationis*. Vide Bonac. diſp. 1. de reſtit. quæſt. 4. punct. 9. prop. 1. num. 5. num. 4. Probatur ex d. cap. Inquiſitionis, vbi dicitur, *Nec ad poſitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum eſt ad inquiſitionem ſuper contentis ibidem criminibus faciendam.* Et Ratio eſt, quia huiuſmodi litteræ minimè afferunt infamiam, vt ait Panor. loc. cit. & Rodriquez. Quod probant ex cap. finali, de accuſat. Immò addit Gloſſa dicto cap. Inquiſitionis, §. 3. verbo in occulto, tales ſcribentes eſſe à Prælato caſtigandos, poſt diligentem inquiſitionem repertos, vt habet etiam Rodriquez loco cit.

Rodriq. *Panorm.* *Bonac.* *Gloſſa.* *Rodriq.*

Dico tertiò, ſcribens litteras ad ſuum Prælatum ſubſcriptas, & ſigillatas, continentes delicta alicuius confratris, ſeu etiam Prælati inferioris. Si non faciat animo iniuriandi, & infamandi, ſed ſolum animo informandi Prælatum de vita illius, contrà quem ſcribit, & ad hoc vt paſtor cognoſcat oues ſuas, & emendet, corrigat, & caſtiget, ſi facta illi confratri, vel etiam Prælato fraterna correctione, non profuit, vel non profuturum ſperauit, non peccat mortaliter. Quia ille procedit, ordine charitatis ſeruato. Si autem animo iniuriandi, & infamandi. Iam patet, quòd mortaliter peccat odio proximi. Vndè colligitur; quòd ij, qui conueniunt in vnum ſcribere ad ſuum Prælatum contrà aliquem inferiorem Prælatum, vel aliquos alios fratres, mixtim falſa, & vera crimina congerentes, vel vera notabiliter augentes animo directo nocendi, etiam factis ſuis ſubſcriptionibus, mortaliter peccant, & famam reſtituere tenentur, quò ad falſa crimina imputata: & etiam quò ad vera, ſi erant fortè ſecreta, eo modo, quo dicunt ſummiſtæ, famam, eſſe reſtituendam.

Et nota, quòd per litteras huiuſmodi ſecreto ſubſcriptas non poſſunt Superiores quidquam iudicare, nec de veritate huiuſmodi litterarum debent inquirere à conſpiratoribus maximè ſubſcriptis: etiam quòd verum dixiſſent, vt habet Gloſſa cap. exhibita, de iudicijs, verbo conſpirationem, quia quaſi inimici, & ex odio hoc feciſſe præſumuntur; Vndè ſunt repellendi à teſtificando. Nec ſufficit, quòd ſit facta reconciliatio, ſi ſit recens, quia *Inimico de recenti reconciliato non eſt credendum*, vt habetur cap. accuſatores 3. quæſt. 5. & dicit Panorm. cap. cum oporteat, de accuſ. num. 5. Notat etiam Paſſarellus in Scholijs ex Barchinonenſi, nu. 20. de ſcribentibus litteras falſas.

Gloſſa. *Panorm.* *Paſſarell.*



§. XIII. De aperientibus Litteras alienas.



DICO primò aperiens litteras obſeratas, vel alienas ſcripturas animo nocendi, vel cum graui detrimento aliorum, quæ in ſecreto aſſeruabantur, peccat mortaliter. Ità Rodriquez tom. 2. q. regul. q. 36. art. 2. Graffius 1. par. deciſ. lib. 2. cap. 135. num. 31. Azor tom. 3. inſtit. moral. lib. 13. cap. 31. dub. vlt. Nauarrus in Manuali, cap. 18. num. 53. Sylu. verbo Falſarius, quæſt. 1. Vega par. 1. ſum. cap. 96. caſu 3. Reginaldus in praxi, lib. 24. num. 119. Probatur, quia animus nocendi proximo in re graui mortale eſt. Vide Menoch. lib. 2. de arbitr. caſ. 538.

Rodriq. *Graffius.* *Azor.* *Nauarrus* *Sylu.* *Vega.* *Reginal.* *Menoch.*

Dico ſecundò, qui aperit litteras alienas, vt eas oſtendat aduerſario mittentis, incidit in pœnam falſi, & peccat mortaliter. Ità Sylu. Rodriquez, Diaz in ſua practica, cap. 106. Abbas in cap. Cum olim, el 1. de off. & pot. Iud. deleg. num. 5, ex Bartholo, quem citant.

Sylu. *Rodriq.* *Diaz.* *Abbas.* *Barthol.*

Ex quo ſequitur, quòd Procuratores, & Aduocati, qui iura partis oſtendunt aduerſario, poſſunt puniri pœna falſi, vt benè Panor. loco cit. Et à ſimili dico, quòd eadem pœna falſi poſſunt puniri ſecretarij, vel ſcriptores, vel collegæ Prælatorum, qui in viſitationibus generalibus, & Prouincialibus oſtendunt depoſitiones fratrum illis, contra quos ſunt factæ, & deponentium nomina notificant, quod eſt valdè notandum. Pœna autem falſi in Clerico eſt iudicis arbitraria, penſata delicti grauitate, vt habet Diaz loco cit.

Panor. *Diaz.*

Incidit item in pœnam falſi, ſecundùm eumdem Bartholum relatum à Rodriquez loco cit. Qui non reſtituit litteras ei, cui reddere mandatum ſuſcepit, ſed alteri pandit, licèt non aduerſario mittentis, & mortaliter peccat contrà fidem promiſſam.

Item qui litteras alicuius aperiret, & diuulgaret ad alterius iniuriam, mortaliter peccaret, & teneretur ratione iniuriarū, vt tenuit Gonſaluus de Villadiego relatus à Rodriquez loco cit, ſubdens, quòd non dicitur litteras aperire, qui clauſuram earum detrahit, ſi aliter eas non aperiat, nec legat, quod etiam docet additionator Panorm, loco cit. littera B.

Gonſaluus de Villadiego. *Rodriq.*

Item qui litteras alteri deſtinatas lacerat, & comburit, quaſi crimine falſi poteſt puniri. Abbas relatus à Rodriquez loco cit. Additionator Abbatis loco cit.

Abbas.

Dico tertiò, non peccat mortaliter, qui aperit litteras, ex quibus ſibi, vel alteri timet periculū alicuius damni notabilis in vita temporali, vel ſpirituali. Ità Nauar. in ſum cap. 18. nu. 53. verſu adde his illud. Azor tom. 3. lib. cap. dub. vltimo. Rodriquez tom. 2. q. regul. q. 36. art. 4. Reginal. in praxi, lib. 24. num. 180. verſu Priuatus etiam.

Nauarrus *Azor.* *Rodriq.* *Reginal.*

Probatur, quia cōcurrētibus duobus præceptis naturalibus in aliquo caſu contraria dictātibus, ſtandū eſt illi, quod fortius eſt; fortius autē eſt illud de eruendo ſe, vel alio à ſpirituali, vel tēporali morte, quā præceptū de ſeruando ſecreto, vt cōſtat. Quia ſicùt bona famę, bonis fortunæ præſtāt; ità bona famæ à corporis excellūtur bonis. Ità Nauar. de pœnit. d. 6. cap. pen. §. Sacer. n. 25. & expreſſè habetur cap. duo mala, d. 13. vbi dicitur,

Nauar.

quòd de duobus malis, minus semper est eligendum, quando vtroque præcaueri non possunt, sed necessitas compellit ex his vnum perpetrare.

Dico tertiò, qui aperit litteras inaduertenter, putans esse suas, vel ob solam curiositatem sine vlla intentione nocendi notabiliter; sed tantùm sciendi noua, vel quo rideat phrasim barbaram, vel eleganti delectetur compositura, venialiter tantùm peccat, nullatenùs aperturus, si præuideret, inde damnum aliquod notabile alicui obuenturum. Ità Nauarrus loco proximè citato num. 20. Reginaldus loco. cit. num. 119. Grassius 1. p. decis. lib. 2. cap. 136. num. 33. Azor loco cit. Probatur, quia hic non fit grauis iniuria, nec graue damnum proximo.

Nauarrus. Reginal. Grassius. Azor.

Dico quartò, Neque etiam venialiter peccare, qui aperit litteras ex consensu tacito, vel expresso mittentis, vel eius, cui mittuntur. Nec qui litteras amicorum aperit, ne negotia patiantur iacturam, neque etiam peccant Prælatus, Pater, aut maritus aperientes litteras subditorum, vxoris, vel filiorum sub illius potestate degentium. Ità Nauarrus loco cit. num. 16. 17. 19. Grassius num. 34. Reginaldus num. 120. & Azor etiā cit.

Nauarrus. Grassius. Reginal. Azor.

Probatur, quia in his casibus adest consensus rationabiliter præsumptus Domini litterarum.

CAP. III.
Quàm Deceat Religiosum esse Paupertatis Amatorem.



VISIS, quæ, salua paupertate, licent, vel non licent Religiosis, restant videnda ea, quæ ad perfectioris paupertatis amorem subditum nostrum possunt accendere, & inflammare, quorum pauca de more solùm afferam; qui enim plura desiderabit, poterit adire Cyprianum serm. 6. de orat. dominica, Basil. ser. 2. in psal. 14. Chrysost. homil. in psal. 40. exponēs illa verba, *Beatus, qui intelligit super egenū, & pauperē*, & orat. de diuitijs, & paup. & orat. de auar. Ambros. In examerō, lib. 6. cap. 8 August. de verbis Apostoli, ser. 29. & ser. 7. de tempore, Leonem ser. 4. de quadrag. Climacum gradu 16. Cassianum lib. 7. de spir. phylargiriæ, à capit. 6. Iustinianum in Ligno vitæ, de virtut. paupertat. per multa cap. Alphonsum Tostatum in ep. D. Hieronymi ad Paulinum, cap. 8. quæ habetur tom. 1. oper. Tostati, & cap. 5. in Matth. super illa verba. *Beati pauperes spiritu*; Franciscum Labatam tom. 1. & 2. appar. concion. & in locis communibus semper, verbo Paupertas. Aluarez tom. 2. de vit. spirit. lib. 5. par. 1. Alphonsum Rodriquez par. 3. tract. 3. Thomam Kempis opusc. de tribus tabernaculis, cap. 1. Platum de bono status Religiosi, lib. 2. cap. 3. Bonau. to. 1. opusc. tract. de paupert. Christi. Ioannem Carthagenam tom. 1. lib. 3. homil. 11. Blosium in Speculo Monach. pag. 851. & 855. Antonium de Guouara in orat. relig. cap. 47. Guglielmum Peraldū tom. 1. sum. virt. & vit. tract. de beatitud. par. 5. de paupert. Thomam Cantipratanum lib. 2. apum, cap. 10. nu. 12. Bernardinum Rosignolium de discipl. Christianæ perfect. lib. 5. cap. 2. Busæum in panario. verbo Impatientia in paupertate. Laurentium de Portel exhortat. 7. Ioannem Mauburnum in suo Roseto subdiuisione tituli secundi, cap. 1. per multa membra.

Cyprian. Basil. Chrysost. Ambros. August. Leo. Climacum. Cassianū. Iustin. Tostati. Francis. Labata. Aluarez. Rodriq. Thom. Kempis. Platus. Bonau. Io: Carth. Blosius. Antonius deGueuar. Gulielm. Perald. Thom. Cantip. Bernard. Rosign. Busæus. Laurent. de Portel. Ioannes. Mauburn.

Hic tantùm tria videbimus; Motiua, seu incitamenta ad paupertatem amplectendam, effectus, & signa.

Motiua. Vrgentissimum incitamentum ad paupertatem sectandam est Dominus noster IESVS Christus, qui nihil visus, est, in terris degens, magis diligere, quàm paupertatem; Atque ità dilexit, vt ab incunabulis, & cum lacte materno illam suxisse videatur. Illum enim nascentem non purpureis ornamentis, sed pannis inuoluit Mater MARIA; *Et pannis eum inuoluit*, dicitur Lucæ 2. Cuius cunabula fuerunt præsepium, *Et posuit eum in præsepio*, vbi frigore dolens, & nuditate, ac præsepij duritie afflictus in fæno recumbere dignatus est, vt cantat Ecclesiæ hymnus. *Fæno iacere pertulit, præsepe non abhorruit, & qui diues erat, factus est pro nobis egenus*, 2. Corinth. 8. & ita egenus, *vt non haberet vbi reclinaret caput* Matth. 8. quam paupertatem docuit suos Apostolos dicens Lucæ 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas*: eamque ita obseruauerunt, vt vnus illorum diceat 2. Corinth. 4 *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus*, & cap. 11. *In fame, & siti, in frigore, & nuditate*; & Petrus act. 3. *Aurum, & argentum non est mihi*. O sancta paupertas, quæ tam chara meo Christo fuisti, vt non tantùm natus solùm toi fuerit toto corde amplexus, sed nec ad horam toto vitæ suæ spatio de principali sui pectoris te passus sit auelli; Immò, & in ipso mortis tempore charissima illi fuisti, nàm moriens sindonem, qua tegeretur, non habuit, nisi quam vir quidam nobilis misericordia motus obtulit ad ipsum sepeliendum.

Lucæ 2. 2. Cor. 8. Matth. 8. Luc. 9. Corint. 4. Act. 3.

Audiamus Patres. Chrysostomus homil. de auar. *Paupertas, ait, est tutum Asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, delicia periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, philosophiæ parens, frænum intemperanti, supplicij sublatio, radix modestiæ.* Et homil. vlt. in Matt. Paupertas, ait, *regia est, non subiecta furibus, sed benè munita, portus tranquillus, palestra, & gymnasium sapientiæ*, Et serm. 18. epist. ad Hæbreos. *Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & eam alacriter suscipit.*

Chrysost.

Ambrosius in examerone, lib. 6. cap. 8. *Beata est*, ait, *Si bona sua nouerit cum veritate paupertas, & omnibus præferenda thesauris, quia melius est exiguum cum Dei timore, quàm thesauri magni sine timore eius.* Et explicans illud 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*, ait, *vt rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, sic harum ablegatio generatrix est, nutrixque omnium virtutum.*

Ambros.

Augustinus serm. 29. de verbis Apostoli relatus à Busæo loco cit. *Felicitas*, inquit, *Magna Christianorum, quibus datum est, vt paupertate faciant pretium regni Cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inueniri. Vis nosse, quàm locuples sit? Cælum emit.*

August. Busæus.

Sanctus Leo ser. 4. de quadrag. *Semper diues est Christiana paupertas, quia plus est, quod habet, quàm quod non habet. Nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum domino omnia possidere.*

S. Leo 4.

Nazianz. In apologia. *Sed paupertatem*, inquit, *& inopiam exprobabunt. At ista sunt diuitiæ meæ, hæc me non solùm gloriantem, sed & arrogantē facit.*

Nazianz.

Bonau. Bonauentura tom. 2. opusc. in diet. salut. tit. 4. diet. 4. cap. 3. *Paupertas*, ait, *est summè Christo copulata, bonis summè cumulata, & Cœlis summè coæquata.*

Bernard. Bernardus serm. 14. de aduentu. *Paupertas*, inquit, *est penna magna, qua in cœlum volatur.*

Climac. Climacus gradu 16. *Nudus Monachus, mundi potius est Dominus*, alludit ad illud 2. Corinth. 5. *Nihil habentes, & omnia possidentes.*

Tho. Kemp. Kempis de tribus tabernaculis, cap. 1. num 5. *Beatissima paupertas, quæ specialem apud Deum obtinet sanctitatis locum*, & num. 14. *O sancta, & laudabilis paupertas, quibus te laudibus efferam? Quomodò te appellabo? Quibus modis te amicis meis recommendabo?*

Seneca. Sed, & Gentilem Senecam auscultemus, ep. 18 *Nemo*, ait, *alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit*; & ep. 2. *Cui cum paupertate benè conuenit, diues est*, & ep. 20. *Magnus est ille, qui in diuitijs pauper est, sed securior, qui caret diuitijs*, & ep. 17. *Si vis vacare animo, vt pauper sis oportet, aut pauperi similis.* Et lib. 2. controuers. controuers. 1. *O paupertatis quàm ignotum bonum.*

B. Lauren. Iustin. Aluarez. Effectus describuntur à B. Laurentio Iustiniano in ligno vitæ, tract. de paupertate, cap. 2. quos latè prosequitur. Aluarez per multa capita.

Primò, Hominem reddit expeditum; quod proprium peregrinorum est, sicut nos sumus in hac vita; Vndè qui citò capit in hac vita ad perfectionem pertingere, & post hanc ad gloriam, diuitiarum onera deponat.

Secundò, facit sectatorem, Iudicem duodecim tribuum Israel. In præmium enim bonæ ergà eum voluntatis, hac prærogatiua donauit

Matth. 19. suos pauperes IESVS, Matthæi 19.

Tertiò, trahit sectatorem ad Deum per diuinæ

Psal. 73. maiestatis laudes, iuxta illud psalmi 73. *Pauper, & inops laudabunt nomen tuum.*

Quartò, Animum quietum reddit, magna quippè tranquillitas cordis est habere nihil concupiscentiæ temporalis.

Quintò, Adulantes expellit à se; Nàm adulatorum mos est, aures adulati mulcere, & quousque facultates suppetunt, applaudere.

Sextò, verum demonstrat amicum, qui in necessitate cognoscitur; discedunt enim ines, qui non te, sed tua sequebantur, iuxtà illud Prouerb. 19. *Fratres hominis pauperis oderunt eum. Insuper, & amici procul recesserunt ab eo.*

Septimò, Cupiditates edomat, & vincit, non enim potest, nisi voluntaria paupertate restringi cupiditas.

Octauò, Donis spiritualibus amplectentem se, ditem facit. Qui enim dimisit terrena propter Deum, spiritualia recipit.

Nonò, facit sequentem Imitatorem Christi, qui eam docuit verbo, & exemplo.

Decimò, Tribuit sectatori regnum Cœlorum.

Matth. 5. Matth. 5. *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Cœlorum.* Aliæ beatitudines acquirendum proponunt; consolabuntur; Filij Dei vocabuntur; misericordiam consequentur: possidebunt terram, sed paupertas statim acquirit Cœlorum regnum. Ac si diceret Saluator, Lætamini pauperes mei; quia iam regnum Dei possidetis. Iàm illius per voluntariam paupertatem Domini facti estis. O Gloriosa paupertas, ò paupertas diues, ò paupertas omni auro pretiosior, & quænã gemma tibi potest comparari? Quis valor? Quæ pecunia? Tu sola potes regnum Dei inæstimabile emere; Quod pretium non habet, te sola comparatur? Quis te non amabit? Te non desiderabit? Te non amplectetur? Te non stringet? Nec dimittet, donec Dominus per æternam gloriam benedixerit ei.

Miseri Religiosi illi, qui tantum bonum spernunt propter nihil? ad quid lætantur in nihili. Pauper est, qui nihil habet, nec desiderat. Qui desiderat diues est, *Paupertas quippè in inopia mentis est, non in quantitate possessionis*, vt ait Gre-

Gregor. Cassianus. gorius lib. 2. in Ezechielem, homil. 18. & Cassianus lib. 7. initit. cap. 21. fine. *Non solùm pecuniarum est cauenda possessio, verùm etiam voluntas ipsa ab animo penitùs extruenda. Non enim tàm effectus phylargiriæ vitandus est, quàm affectus ipsius radicitus amputandus. Nihil enim proderit pecunias non habere, si voluntas in nobis fuerit possidẽdi.*

Indicia veræ paupertatis hæc ferè sunt. Primo necessarijs tantummodò esse contentum.

D. Paulus. August. Quæ autèm sint necessaria, docet D. Paulus 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Vndè Augustinus ser. 205. de tempore, huius loci occasione pauperes solatur hoc pacto. *Communem*. Inquiens, *habetis cum diuitibus mundum, non communem habetis cum diuitibus domum, sed commune habetis Cœlum, communem lucem. Quod sufficit quærite, plus nolite, cætera grauant, non subleuant, onerant, non honorant, habentes igitur alimenta, &c.*

Bernard. Egregiè etiam Bernardus epist. 2. ad Fulconem circa finem. *Conceditur tibi vt si benè deseruis, de altario viuas, non vt de altario viuas, non vt de altario luxurieris, & de altario superbias, vt inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaque pellicia à collo, & manibus ornatu purpureo diuersificata. Denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altaris retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

Sed quæ alimenta, inquies, & quæ vestimenta

Eccl. 29. necessaria sunt, & sufficientia? Habetur id Ecclesiastici 29. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Itaque quatuor hic indicantur esse necessaria naturæ. Panis, & aqua quò ad victũ, vestitum vnũ scilicèt, nõ plura, & domus vna, vna scilicèt cella.

Seneca. Quò ad victum, Panem, & aquam esse necessaria, & sufficientia naturæ, docuit etiam Seneca epist. 78. *Aqua, & panis naturæ satisfaciunt.*

Genes. 28. Et Sãctus Patriarcha Iacob. Gen. 28. *Si dederit*, aiebat, *Mihi Dominus panem ad vescendum*; Sed ad hoc nõ te adstringo, nàm iàm humana imbecillitas ordinariè non sustinet, vt solo pane, & aqua viuas: sed benè, vt communibus vtaris ferculis.

At opus est mihi, inquit aliquis, lautioribus, & abundantioribus ferculis vesci; quia nobilis; quia infirmus sũ; & ea volo comedere, quia viros multos spirituales, & perfectos ea comedisse lego.

Lepida excusatio, qua se tegit quis, & laxitas in viuendo defendit. Nobilis es, fateor, sed familiam nobilẽ, & diuitias sæculi contẽpsisti, non vt more nobiliũ, sed vt more Religiosorũ viueres, & nõ pœnas peccatorũ; sed præmia sanctorũ cõparares; Quare ergò resumis, quæ propter Deum deseruisti? Eadẽ profectò ratione, qua nobilis es posses ex serico habitum Religiosũ gestare, & te, vt anteà, auro, & gemmis ornare, purpurea, & bisso operire. Quòd si hæc à statu Religioso discrepant, quarè illi cibi delicati conueniunt.

Infir-

Infirmus es, in communi loco Infirmorum mane, in lecto decumbe: At non est, inquis, tàm grauis infirmitas, quæ me ab aliorum conuictu repellat. Quare igitur tuas imaginationes non reijcis? aut si imaginationes non sunt, quare modicam inualetudinem non dissimulas? Quare Religiosam obseruantiam tuæ commoditati non præfers? Sed ais, imbecillitas crescet, & ex parua magna fiet, si non ei ciborum lautitia mederetis. Sensus oblectamenta hæc sunt. Astus Diaboli, blandimenta carnis. Communitatis fercula ordinaria his leuioribus, & momentaneis morbiculis non nocent, vt quotidiana probat experientia.

Viros perfectos comedisse scio. Sed occultas infirmitates ignoras, quod intrinsecus latet, te fugit: *Nolite*, inquit scriptura, *secundum faciem iudicare*, & quarè credis? quia facies non est infallibile signum sanitatis, vel infirmitatis: Nàm alios videbis semper squallidos, & macilentos, quales requirebat Abbas Elias, vt dicitur in vitis patrum, quandò dicebat. *Pallor, & macies cum humilitate ornamentum Monachi*. Sanos tamen, & robustos, alios è contra rubicundos, & russos, debiles, tamen, infirmos, diuersitatis causam à medicis quære. Si aliqua angaris occulta infirmitate, de medici consilio, & Superioris iussione comede, & tibi proficiat, omnia, quæ tali infirmitati contraria non sunt: quæque ad eam abigendam faciunt. Videatur pro his Aluarez tom. 2. de vita spirituali lib. 1. par. 2. cap. 3. *Aluarez.*

Quo ad vestimentũ, vestimẽtũ inquit sapiẽs in singulari, non vestimenta. Plura superflua. Et nota, quòd D. Paulus dicit. *Et quibus tegamur*, ad innuendum, quòd vestimenta Religiosorum potiùs tegumenta debent esse, quàm vestimenta; simplicia scilicèt, Religiosa, sanctitatem, & Religionem spirantia. Ad tegendum corpus, non ad illud ornandum, ad humilitatem, non ad venustatem, ad deuotionem, non ad superbiam, ad commoditatem, non ad curiositatem, ad reparandum frigus, & nuditatem, non ad captandũ ambitionis ventum. Ad quod facit id, quod deuotissimus Blosius habet in speculo Monach. pag. 852. Quem locum non grauabor hic adducere, nam dignus est, vt ab omnibus legatur, & relegatur. *In vestitu*, ait, *& in victu sobrius esto; Quicquid Monastica simplicitati contrarium est, id protinus reijce, conspue, & detestare: Neque vanissimos quosdam, infelicissimosque fratres imitatus fueris, quos sui status pudet, & suæ iniquitatis non pudet. Si quando egredi, vel ad conspectum sæcularium venire debuerint, videas eos ad inepta, curiosaquè promere, tales, & tales vestes, sic & sic aptatas tunicas induere velle. Amictum cum Regulari mandato, & patrum ordinationibus, conuenientem gestare erubescunt. Dumq; non vt humiles Monachi, sed vt delicati, venustiquè aulici prodeunt prodigiosa spectacula, prudentes quidèm homines ad mœrorem, & indignationem, Diabolum verò ad risum, & cachinnos prouocant; euidenter hac absurditate declarantes quales intus sint, nempe superbi, molles, & vanagloria pleni. O Monachos, à vera Religione nimis alienos. O Monachos non Monachos; ò Monachos Dæmoniacos. Hoccine est, quod Deo promiserunt, quandò per sacratissimum paupertatis votum, mundo, omnibusq; eius pompis, & vanitatibus solemniter renunciauerunt? Hoccine est, quod Rex* *Blosius.*

Regum verbo docuit? Hoccine est, quod exemplo monstrauit, quando panniculis vilibus præsepe habuit pro cunabulis? Quandò item veste alba, & chlamyde purpurea in opprobrium vestitus fuit? Hoccine est sequi IESVM? Hoccine est inhærere vestigijs IESV? O confusionem intolerabilem, ò insaniam extremam. Hæc diuinè Blosius.

Quibus hæc pauca addo. Videbis quandòque Religiosos, ad Minimos loquor, gestantes habitus nitidos, tinctos, sub prælo plicatos, ex panno magni pretij, se ipsos aspicientes à planta pedis ad verticem capitis, oculos semper gyrantes, & regyrantes, gaudentes ab alijs videri, passu graui incedentes, inde se graues, & magnum quid esse existimantes. O vanitas vanitatum, ò vanitas intolerabilis, ò Religionis dedecus, ò Religiosorum improperium, ò detestabilis insania. Hoccinè est minime, quod te docuit Sanctus Pater Franciscus? Hoccinè est, quod tibi mandatur in regula, vt *Ex panno vili, & abiecto absque tinctura contexto*, vestiaris? Hæc fides, quam dedisti in professione, te regulam seruaturum? O infidelis homo, hoc pacto seruas promissa? An nescis, fidem esse dictorum, factorumque constantiam, & veritatem? Sed scito, quòd frangenti fidem, fides non seruabitur. O Prælati, ò Pastores, quid facitis, & cur tàm oscitanter Religionis curam geritis? Quarè conniuetis? Quarè non aspicitis has Religionum destructiones, fratrum ruinas? Forsan paruas istas res existimatis, & ideò non curatis? O quàm allucinamini, ò quàm fallimini. A paruis, ab istis incipiunt Religionum relaxationes. An nescitis, quòd qui minima spernit, paulatim defluit? An nescitis animas istorum Religiosorum de manu vestra esse requirendas. Verè verum est illud, *Non est malum in Religione, quod non faciat Prælatus*; Nam, vt dicitur Ecclesiastici 10. *Secundum Iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est Ciuitatis, tales & habitantes in ea.* *Ecclesi. 10.* Heù, heù, minime considera nomen tuum, vide fundatorem tuum, aspice habitum tuum, & cognosces, omnia tibi humilitatem protestari. Quid minus minimo? Et tu in minimo videri vis maximus? Quid humilius humillimo fundatore tuo? Et tu per viam superbiæ eum vis insequi? Quid terra, ex cuius colore habitum gestas, infimius? Et tu sublimior omnibus vis apparere? Similis mihi videris quibusdam dementibus, quos quandoquè vidi in dementium Xenodochijs. Nudos ibi aspiciebam aliquos frigore, & fame penè mortuos, catenis vt bestias vinctos. Ex alia autèm parte audiebam aliquos eorum reges se profiteri, parantes exercitus, viceregES instituentes, memorialia signantes, Marchionatus, Ducatusque dispensantes. Alios se Papas, bullas expedientes, supplicationes signantes, Cardinalatus, & Episcopatus conferentes. Et alios alijs huiusmodi insanijs esse continuè implicatos. O Deus bone, vis appellari minimus, minimum profiteris, minimum te esse gloriaris, quadragesimalem vitam, & hanc arduam obseruas, sub iugo continuæ obedientiæ viuis, & his nugatorijs vanitatibus vinci te permittis? Certè Alexander Magnus ille Macedo, si te vt Abdolominum contemplaretur, illa eadem, quæ ipsi, negatione sublata, tibi loqueretur;

Corporis habitus famæ generis repugnat, vt est apud *Curtius*. Curtium lib. 4. in principio. Heu heu frater mi considera statum tuum, vide Religionem tuam, aspice institutorem tuum. Scialque, *Non esse ornamentum virile concinnitatem*, vt aiebat *Seneca* Seneca epist. 115. Et nota illud *Eccl.19.* Ecclesiastici 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Et *Bonau.* Bonauentura in speculo disciplinæ, 1. parte principali, particula 3. cap. 8. *Mollia, ait, vestimenta, animi mollitiem indicant, Nam molles mollia quærunt.* Denique considera *Clementis Alexand.* ynam Clementis Alexandrini sententiam lib. 2. pedagogi, cap. 10. circa finem. *Reijcienda sunt vestimenti tinctura, ipsa enim ab vsu, & à veritate longe sunt remotæ, præter id, quod ex eis morum reperitur reprehensio. Neque enim est earum vsus vtilis, nam nec ad frigus propulsandum est aptus, nec ad tegumentum habet aliquid amplius, quàm aliæ vestes, nisi solum vituperium. Coloris autem delectans suauitas, male habet auides, eos ad stultam impellens lippitudinem.*

Quò ad cellam. Vnam, non duas, non tres, dicit esse necessariam sapiens, saltem fratribus subditis, nàm fortè Prælatis duæ erunt necessariæ, yna ad orandum, & dormiendum, altera ad negotia Religionis tractanda. Vna itaque cella sit, eaque simplicitatem oleat religiosam. Qui plures cellas habet, pluribus eget ad eas ornàdas, imaginibus, capsis, sedilibus, scrinijs, &c. quæ potiùs ornamenta sunt domorum principum, & potentatuum mundanorum, quàm pauperum Religiosorum, & Deo seruientium. Tepidorum hæc sunt, immò frigidorum Religiosorum, Deum suum non amantium, neq; colentium; Nàm conuincitur Deum non amare, qui amat ea, quæ ipsum scit velle Odisse. Linque, linque frater mi hæc idola tua, linque superflua, esto necessarijs contentus, necessarijs, inquam, quibus deuoti, & obseruantes Religiosi tui ordinis vtuntur, non simpliciter.

Secundum Indicium veræ paupertatis est de denegatis necessarijs non conqueri, immò propter illorum denegationem gaudere, exemplo *Matt. 8.* Saluatoris nostri Dei, de quo dicitur Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Certè non potest vlteriùs indigentia progredi. Cuinam in terra constituto, licèt pauperrimo, licèt ab omnibus derelicto defuit aliquandò lapis, in quo Caput ad quietem apponeret? Hanc veri pauperes Christi necessariorum etiam indigentiam cum suo Christo lætanter, & alacriter amplectuntur, & semper suo Christo sibi ditiores videntur, cum reclinandi caput locus illis nequaquam desit. Sed proh pudor, multi de solo paupertatis nomine gloriantur. De quibus ait Bernardus ser. 4. de adu. *Multi pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.* *Bernard.* Practicè itaque, non tantùm speculatiuè paupertatem amemus, qui paupertatis votum professi sumus, & dùm pauperes volumus hominibus videri, tales Deo apparere studeamus.

Tandem hoc accipe in laudem paupertatis alphabetum.

Angelis, & hominibus venerabilis. Kempis de tribus taber. cap. 1. nu. 14. *Kempis.*

Basis Euangelicæ perfectionis, Matth. 19. *Matth. 19.*

Callistis fomentum. Aluarez tom. 2. de vit. spirit. lib. 5. in proœmio. *Aluarez.*

Decor vestimentorum. Bonauentura in dietis salutis, tit. 4. dieta 4. cap. 3. *Bonauen.*

Ædificij spiritualis primarium fundamentum. Bonauent. in reg. Nouit. cap. 14. *Bonau.*

Foramen acus, per quod gibbosus Camelus non transit. Matth. 19. *Matth. 19.*

Gymnasium Sapientiæ Chrysost. homil. vlt. in Matth. *Chrysost.*

Humilitatis Custodia. Gregorius relatus à Kempis de tribus taber. cap. 1. num. 14. *Gregorius*

Iudiciariæ potestatis magnificum præmium. Matthæi 19. *Matth. 19.*

Lilium redolens. Iustinianus in ligno vit. cap. 4. *Iustinian.*

Margarita nitens. Iustinianus ibidem. *Iustinian.*

Nutrix virtutum. Ambrosius explicans illud ad Rom. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* *Ambros.*

Orationis incitamentum.

Portus tranquillus. Chrysost. homil. vlt. in Matth. *Chrysost.*

Quies mentis. Bonau. in diet. sal. tit. 4. diet. 4. cap. 3. *Bonauen.*

Religionis Murus; Sic eam vocabat Sanctissimus ille Pater Ignatius Soc. IESV Illustriss. fundator, vt refert. Alphonsus Rodriquez p. 3. tract. 3. cap. 1. *D. Ignatius Soc. IESV* *Alphons. Rodriq.*

Seminarium omnium virtutum. Theophylactus ad illud Lucæ 18. *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* *Theophil.*

Tutum Asylum. Chrysost. homil. de auaritia. *Chrysost.*

Via ad perfectionem. D. Thom. opusc. 18. cap. 7. *D. Thom.*

Christi imitatrix. Lucæ 2. *Luc. 2.*



QVÆ-

QVAESTIO III.

DE VOTO RELIGIOSAE CASTITATIS.


E voto Religiosæ castitatis sciendum est, quod non solùm contrà ipsum peccat Religiosus per obscænos congressus, sed per tactus, conspectus, affectus, & desideria, de quibus omnibus videnda sunt ea, quæ dicuntur in materia luxuriæ. In specie de his, quæ circà hoc votum disputantur, hic nihil ago. Videri possunt Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 10. Ledesma de statu regliosi. in communi cap. 4. conclus. 4. & 5. per multa. Miranda tom. 1. manual. q. 27. Val. tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 4. versu Quòd autèm attinet, Azor lib. 12. instit. moral. cap. 12. q. 9.

Antonin. Ledesma. Miranda. Val. Azor.

CAP. I.

Quid sit Religiosa Castitas.

D. Thom. Climac. Iustin. Aluarez.


RO hoc capite videri potest D. Thom. 2. 2. quæst. 151. ar. 1. ad 1. Climacus gradu 15. B. Laur. Iustin. in ligno vitæ, tract. de continent. cap. 1. Aluarez tom. 2. de vit. spirit. lib. 5. par. 2. cap. 1.

Castitas, vt ait Climacus loco citato, *Est incorporeæ naturæ familiaritas, Castitas est Christi iucundum diuersorium, terrestrisque Clypeus cordis; Castitas est excessiua naturæ abnegatio, mortalisque, atque corruptibilis re vera ad incorpoream, spiritualemque substantiam contentio, Castus ille est, qui amorem amore exclusit, ignemque igne corporis extinxit.*

Castitas est virtus, vt D. Tom. loco cit. *Qua homo secundum iudicium rationis, & electionem voluntatis moderatè vtitur corporis membris.*

Castitas, vt B. Laur. loc. cit. *Est amor Deo se se integrum, incorruptumque seruans, seis est per edomitas vitiorum furias munda, & honesta corporis habitudo.*

Sanctus Ephræm Syrus, vt refert Aluarez loc. cit. loquens de castitate, ait. *O castitas, cui abominationis sunt delitiæ, venustas corporis, & ornatus vestium. O castitas dapibus, atque epulis ebrietatique inimica. O castitas oculorum frænum, quæ è tenebris ad lucem totum corpus transfert. O castitas, quæ carnè castigas, & in seruitutem redigis, ac cælestia velocissimè penetras. O castitas mater dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio. O castitas, quæ Mundo es corde, ac dulci gustu re hilarique aspectu. O castitas, quæ homines Angelis similes reddis. O castitas, quæ Dei amicum isd exaltasti in patria æterna, vt ros, qui emerant ipsum redimeret. O castitas donum Dei, benignitatis, disciplinæ, cognitionis, atque scientiæ plena. O Castitas portus tranquillus in summa pace ac securitate constitutus. O castitas cælestis prudentia, & sancta prædicatio. O castitas, quæ cor possidentis te lætificas, & animas ad Cælestes alias adiungis.* &c. quæ ibi refert Aluarez.

Quòd hæc castitas sit necessaria ad statum Religionis, docet D. Th. 2. 2. q. 186. ar. 4. quem sequuntur omnes. Et habetur cap. Cum. ad monasterium, de statu monach. Quòd verò debeat cadere sub voto, docet idem D. Th. loco cit. art. 6.

D. Thom.

CAP. II.

De medijs ad acquirendam, & conseruandam Castitatem.


RO hoc capite vide B. Laurentium Iustin. in ligno vitæ, tract. de continentia, cap. 5. Aluarez de vita spirit. tom. 2. lib. 5. parte 2. cap. 14. Busæum in panario, verbo Luxuria. Rosignolium de discipl. Christ. perfect. lib. 2. cap. 15. Peraldum in summa virtutum, & vit. tom. 2. tract. de Luxur. parte 4. cap. 1. Viualdum de monte regali, de veritate contrit. tract. de Luxur. fol. 83. Th. Kempis ser. 5. ad fratres, Antonium de Gueuara in orat. Religios. cap. 51. Blosium in Canone vitæ spirit. cap. 30. Cassianum lib. 6. instit. per multa, præsertim cap. 13. & 23. Climacum gradu 15. in medio. Alphonsum Rodriquez parte 3. tract. 4. à cap. 6. Cauassium lib. 3. cap. 4. de perfecta prudentia.

Iustin. Aluarez. Busæum. Rosignol. Peraldus. Vivald. de monte regali. Kempis. Antonin. de Gueuara. Blosius. Cassian. Climac. Alpho. Rodriq. Cauass. Hieron.

Tanta est huius morbi sanandi difficultas, vt efficacissimis antidotis etiam adhibitis, vix possit obtineri victoria. Vndè Hieronym. ad Eustochium de custodia virginitat. de se ipso loquens, ait. *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardori-*

uideribus horridum Monachis præstat habitaculum. Putabam me Romanis interesse delicijs, sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidiè lachrimæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantum socius, & ferarum, sæpissimè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat. In frigido corpore, & antè hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant; Et Sanctus Augustinus in lib. de honestate mulierum, cap. 2. *Inter omnia certamina Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria. Grauem namquè fortita est castitas inimicum, cui quotidiè resistitur, & semper timetur.* Et Salomon 3. Regum 7. Duas statuit in portico templi columnas, super quibus duo constituit lilia. Quo loco dubitat Origenes, dicens, Quare pro tam leui pondere tam graue sustentaculum? Et respondet, quòd lilium significat puritatem, ad quam conseruandam, sustentaculum columnæ requiritur. Et istarum columnarum nomina sunt Iachin, & Booz. Quæ duo verba, ait Origenes, significant fortiter macerans; ad innuendum, quòd ad acquirendam, & conseruandam castitatem requiritur fortis carnis maceratio.

August. — 3. Reg. 7. — Origen.

Aliqua itàque hic afferemus remedia, quibus possit tam Pancraticus hostis nisi planè vinci, saltem grauiter retundi. Climacus loco cit. de istis remedijs tractans, ait. *Quo in tempore summum nobis præstabit adiutorium cilitium, & cinis, totisque noctibus statio immobilis, panis desiderium: ardens lingua, modicèque irrorata: sepulchrorum habitatio; atque antè omnia humilitas cordis: & si fieri potest, pater spiritualis, aut frater sollicitus, cautusque sensu ad auxilium adhibeatur.* Vbi si benè aduertis, Quinque proponit media ad castitatem conseruandam.

Climac.

Primum Remedium Est afflictio corporis, quæ fit per gestationem cilicij, aspersionem cineris, immobilem stationem, & panis subtractionem. Vnde Apostolus 1. Corinth. 9. aiebat, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Et Ambros. lib. 1. de pœn. cap. 14. *Libido grauis ignis est, & ideò non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Et Hierony. ad Furiam ep. 10. de viduit. seru. *Ardentes Diaboli sagittæ ieiuniorum, & vigiliarum rigore restinguendæ sunt.* Et lib. 1. contra Iouinianum. *Esus carnium, ventrisque saturitas seminarium libidinis est.* Et Bern. ser. 66. in Cantica, de se ipso ait. *Abstinebo à vino quia in vino Luxuria est, aut si infirmus sum, modico vtar: Abstinebo à carnibus, ne dum nimis nutrio carnem, simul & carnis nutriam vitia: Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne, onerato ventre, stare ad orandum tædeat; Sed nè simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distensio ventris vsque ad titillationem pertingat libidinis.* Et Kempis loco cit. n. 4. *Valet maximè ad castimoniæ decus promouendum sobrietatis virtus, quæ delicatiores vespris cibos, & potum effluentem resecat. Vigilijs sacris, atque ieiunijs comprimere carnis lasciuiam suadet.*

1. Cor. 9. — Ambros. — Hieron. — Bernar. — Kempis

Potissimum autem à vino abstinendum; Nàm *Luxuriosa res vinum*, dicitur Prou. 20. & Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino in quo est Luxuria.* Et Hieronymus ad Furiam. *Non Æthnei ignes, non vulcana tellus, non Vesuuius, aut Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* & Paulò infra. *Aiunt medici, qui humanorum corporum scripsere naturas, præcipuequè Galenus, Puerorum, & iuuenum, ac perfectæ ætatis virorum, mulierumquè corpora insito calore feruere: & noxios esse his ætatibus cibos, qui calorem augeant. Sanitatiquè conducere frigida quæquè in esu, & potu sumere.* & Ambrosius lib. 1. de viduitate. *Esto casta primum à vino, vt possis esse casta ab adulterio.* Hoc remedio vsi sunt Patres. Benedictus se nudum in vrticas, & vepres abijciens, teste Gregorio lib. 2. dialog. cap. 2. Bernardus desiliens in lacũ præ frigida hyeme, teste Surio in eius vita lib. 1. cap. 3. & 4. Franciscus in foueam glacie plenam se plerumquè mergens, teste Bonauentura in eius vita, cap. 5. Et Franciscus à Paula concupiscentiæ fomitem sola comestione panis, & aquæ vsquè ad extremum vitæ terminum domuit. Et in vitis Patrum lib. 5. libello de fornic. nu. 31. dixit quidam senior *Numquam sollicitatus sum à fornicatione; quia ex quo factus sum Monachus non sum satiatus pane, neque aqua, neque somno. Et appetitus horum, quibus pascimur, crucians me, non permittebat sentire fornicationis stimulos.*

Prou. 20. — Ephes. 5. — Hieron. — Galenus. — Ambros. — Greg. — Surius. — Bonau. — In vita Patrum

Secundum remedium, Ex Climaco est. *Ardens lingua, modicèque irrorata.* Per quòd intelligo ardens, & constans desiderium, seù voluntatem non consentiendi tentationi; seù desiderium castitatem adipiscendi. Quòd enim per linguam intelligatur affectus, seù voluntas, habet Ricardus in 4. d. vlt. circà textum, & sic explicat illud Lucæ 16. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam.* Diues enim ille non affligebatur in lingua corporali, qua carebat, sed in anima. De quo desiderio loquitur Augustinus lib. 10. confess. cap. 30. *Numquid*, inquiens, *Non potens est manus tua Deus omnipotens sanare omnes languores animæ meæ? Atque abundantiore gratia tua lasciuos motus etiam mei corporis extinguere? Augebis Domine magis, magisque munera tua in me, vt anima mea sequatur me ad te, concupiscentiæ visco expedita, vt non sit rebellis sibi.*

Ricardus. — August.

Quòd desiderium operatur, vt titillare incipientibus cogitationibus libidinis, illicò resistamus. De qua subita resistentia ait Cyprianus in ser. de ieiunio. *Diaboli primis tentationibus obuiandum, nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur.* Et Hieronymus in cap. 9. Ecclesiastes. *Diabolus ait, Serpens lubricus est, cuius capiti, hoc est primæ suggestioni, si non resistatur, non est dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur.* Et in ep. ad Eustochium. *Nolo, sinas cogitationem libidinis crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice: Nequitia, ne zizania serpat, elidatur in semine.*

Operatur etiàm hoc desiderium, vt non solum prauis cogitationibus statim resistamus, sed etiam vt in bonis, & sanctis cogitationibus

occu-

occupemur. Nam cum humana mens semper habeat aliquid cogitare, nec queat quiescere vmquam: Cum desiderio extitit imbuta castitatē seruandi, semper in cœlestibus meditandis commoratur; Fitque ex hoc, vt locum occupatum reperientes lasciuæ cogitationes, vel non accedant, vel accedentes, illicò, opere infecto, recedant. Quod notauit Cassianus collat. 12. cap. 5. Dicens, *Nullatenus valet viuacitas mentis, absq; alicuius desidrij, vel timoris, gaudij, vel mæroris affectione subsistere, nisi hæc eadem in bonam partem fuerint immutata, & id circò si carnales concupiscentias de cordibus nostris desideramus extrudere, spiritales in earum locis plantemus protinus voluntates, vt his noster animus semper innexus, & habeat quibus ingiter immoretur, & illecebras præsentium, ac temporalium respuat gaudiorum.* Et Gregor. lib. 5. in 1. Regum, cap. 14. *Vitare*, inquit, *Turpes cogitationes non præualet, qui honestas in se non habet; Quia enim semper cogitamus exquirenda sunt nobis bona, ne mala cogitemus.*

Cassian. *Gregorius*

Tertium Remedium ex Climaco est *Sepulcrorum habitatio*. Per quod intelligo frequentem mortis, & aliorum Nouissimorum considerationem. Vndè Gregorius 16. moral. cap. 31. *Nihil*, ait, *Sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum iuuat, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum penset.* Quod etiam repetit Iustinianus in ligno vitæ, de continentia, cap. 2. & Isidorus de summo bono. *Quandò*, inquit, *Impulsu Dæmonum mēs ad delectationem fornicationis impellitur, diuini Iudicij metus, & æterni tormenta incendij antè oculos proponantur. Quia nimirum omnis pœna grauioris supplicij formidine superatur. Sicut enim clauus clauum expellit: Ità sæpè recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ.*

Gregor. *Iustinian.* *Isidorus.*

Quę fuit expressa sententia Sancti Regis Iosiæ, de quo dicitur 4. Regum 23. *Quòd contriuit statuas, & succidit lucos: repleuitque loca eorum ossibus mortuorum.* Ac si diceret Sanctus Rex. Qui idolum lasciuiæ ex suo corde vult succidere, repleat illud omnino frequenti mortis consideratione. Et in Deutheronomio, cap. vlt. dicitur, *Quod mortuus est Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle Moab contrà Phogor sed quarè Deus*, ait Procopius illo loco, *Tanta diligentia circumscripsit locum vbi sepultus est seruus suus Moyses. vt in posterum idola frænaret, atque cohiberet*, Respondet; Quià ibi adorabatur Idolum lasciuiæ. & Ecclesiastici 7. dicitur. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Regum 23 *Deuth.* *Procopius*

Descendant itaquè in Infernum viuentes, ibiq; infinitos his vitijs immersos, intensissimo illo igne adustos contemplentur, & sine dubio æstuatio luxuriæ procùl recedet à memoria eorum. Considerent talibus afflicti tentationibus quantùm sint amissuri boni, patriam nimirùm cœlestem; & quantum mali, æternam nimirum ignis infernalis pœnam incursuri, si assentiantur; & sinè dubio suggerentem Diabolum in fugam conuertent. Considerent fœtorem, & putredinem, quæ ex corporibus tam in extremum amatis, expirata anima, scaturient, & sine dubio se ipsos, talia meditantes, abominabuntur. Narrat Thomas Cantipratanus lib. 2. apum, cap. 30. nu. 31. *Vidisse se virum Magistrum Guidonem presbyterum beguinarum in Niuella: De quo certissimè ferebatur, quòd cum in Senegio oppido Hānoniæ scholas regeret adolescens, incautè semel fœminam contemplatus, per annos tres, etiam ipsa mortua, in tantum tentatus est, vt, excepto eo, quod vigilans sustinebat, omni nocte in somnis crederet eam esse præsentem. Sentiens ergo circà se diabolum non cessare, de nocte tiam tumulum mulieris mortuæ aperuit, naresque, & faciem in cæno putrefacti corporis tamdiù tenuit, vt pene fœtore nimio suffocatus, quasi mortuus caderet resupinus. Quæ res in tantum valuit sancto viro, vt nullum posteà stimulum in carne sentiret.*

Th. Cantipratanus

Quartum Remedium *est humilitas cordis*, Qua à Deo omnium bonorum largitore petatur auxilium, & gratia ad resistendum moribus carnis, & in accepta castitatis gratia perseuerandi. Vndè Cassianus, lib. 6. Instit. cap. 1. *Nec solum sufficit*, ait, *Corporale ieiunium ad conquirendam, vel possidendam perfectæ castimoniæ puritatem, nisi præcesserit contritio Spiritus, & oratio contra hunc immundissimum spiritum perseuerans; Deindè continuata meditatio scripturarum, huicque fuerit scientia spiritualis adiuncta: labor etiā, opusque manuum instabiles cordis peruagationes coercens ac reuocans; & ante omnia fundata fuerit humilitas vera, sinè qua nullius penitus vitij poterit triumphus acquiri.* Et Gregorius lib. 5. in p. Regum, cap. 14. *Si mens*, inquit, *Deo subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando, ac præminendo non premit.* Et Thom. kempis ser. 5. ad fratres, num. 5. *Hic*, ait, *Non pugnatur armis, aut ferro, sed patientia, oratione, & humilitate; Nam ita subiugatur facilius omnis motus libidinis, donum enim Dei est, & misericordia in electis illius, posse corruptibilis carnis concupiscentiam compescere: Ignem quoquè in sinu proprio ferre, nec tamen præualere aduersùs mentem.*

Cassian. *Greg.* *Kempis.*

Quintum Remediū, ex Climaco est. *cautus, & sollicitus Pater spiritualis*, Qui solet multū prodesse; tùm ad astus Dæmonis, aperiendos; tùm ad remedia adhibenda; tùm ad animum aliò transferendū; Fixæ enim cogitationes tamdiù aliquandò insistunt quo vincant, & frangant, & frangunt ordinario, si medico spirituali non aperiantur. Quod docuit Cassianus coll. 2 cap. 10. *Non solùm, quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reseruentur examini, vt nihil quis suo iudicio credens, illorum per omnia definitionibus acquiscat, & quid bonum, vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat: Quæ institutio non solùm per veram discretionis viam Iuuenem recto tramite docebit incedere, verum etiam à cunctis fraudibus, & insidijs inimici seruabit illæsum. Nullatenus enim decipi poterit quisque, si non suo iudicio, sed maiorum viuat exemplo; Nec valebit ignorationi eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes in corde nascentes, perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum, vel reprobat, vel admittit. Illicò namque, vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit. Et antequam discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus, velut è tenebroso, ac subterraneo specu confessionis virtute protractus ad lucem, & traductus quodammodò, ac dehonestatus abscedit.*

Cassian.

Sextum Remedium, est custodia sensuum, maximè visus, tactus, & auditus.

Quo ad visum. Isidorus lib. 2. de summo bono, cap. 39. ait, Quod *Oculus est principium fornicationis:* Et rectè quidem. Ex scriptura

Isidorus.

Gen. 6. Namquè patet euidentèr. Genesis 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, &c.* Et cap. 34. *Cum vidisset Sichem Dinam filiam Liæ adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa.* Et cap. 38. *Cum vidisset Iudas Thamar, suspicatus est, quod esset meretrix, ingrediensque ad eam, ait, Dimitte me, vt coeam tecum.* Et cap. 39. *iniecit vxor Putiphar oculos in Ioseph, & ait dormi mecum.* 2. Reg. 11. Iudit 10. Daniel 13. Regum. 11. *Vidit Dauid mulierem se lauantem, & dormiuit cum ea.* Et Iudith. 10. *Captus est in oculis Iudith Holofernes.* Et Danielis 13. *Videbant Susannam senes quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius.* Prou. 23. Quare sapiens Prou. 23. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.* Eccles. 9. Et Ecclesiastici 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt; Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Et cap. 25. *Ne respicias mulieris speciem, & non concupisces mulierem in specie.* Osee 2. Matth. 5. Et Oseæ 2. *Auferat fornicationes suas à facie sua.* Et Christus Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Petri 2. Et 2. Petri 2. dicitur de quibusdam, *Quod habebant oculos plenos adulterijs.* August. Vndè Augustinus in libello de honestate mulierum, ait, *Quomodò si aliquis carbones apprehenderit, si citò eos proiecerit, nihil ei nocebunt; Si verò diutiùs eos tenere voluerit, sinè vulnere abire non poterit. Ita ille qui ad concupiscendum oculorum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suscipiens; moras in corde suo habere, morari in corde suo liberè permiserit, excutere à se sinè animæ plaga non poterit. Ideo iugiter clamemus ad Dominum cum Propheta. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Hieron. Et Hieronymus ad Rusticum Monachum. *Matrem tuam*, inquit, *ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus, Ancillas, quæ tibi in obsequio sunt, scias esse in insidijs: Quid quantum vilior earum conditio est, tantò facilior ruina est.* Et in lege Si quis in seruitutem, de adulter. determinatur à Saluio, *Vt adultero eruatur oculus*, tamquàm adulterij fons, & origo.

Matth. Climac. Quò ad tactum, Ait Christus Matth. 5. *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam.* Et Climacus gradu 15. *Fit* inquit, *Nonnumquam vt ex solo tactu corpus inquinetur; Nihil quippè sensu isto grauius, nihil periculosius. Admoneat te is, qui matris manui palliũ circumdedit, ab ijsque, quæ vel naturalia, vel præter naturã sunt à proprio, atque alieno corpore comprime manum.* D. Thom. Et D. Th. 2. 2. q. 154. art. 4. docet, *Quòd tactus est actui venereo cognatus, & stimulus, & quod modico interuallo separantur ab inuicem.* T. Cãtip. Et Thomas Cantipratanus lib. 2. apum, cap. 30. nu. 54. *Testor*, ait, *Deum, spem communem omnium bonorum, quamplures me in confessionibus audiuisse, quæ magis contrectationum occasione contrà pudicitiam peccauerunt, quàm si decem pueros de proprijs fratribus grauissent.*

Quo ad auditum. Hic sensus maximè custodiendus est, non solum ab auditione rerum turpium, & obscœnarum, sed etiam ab earumdem lectione; Nam cum hic sensus ianua sit intellectus, Tostatus. vt Tostatus ait in ep. diui Hieronymi ad Paulinum, cap. 2. Quæ habetur tom. 1. operum Tostati; quandò res turpes per auditum transeunt, indè ad intellectum transmittuntur, qui species conseruans, & meditans, easque voluntati præsentans, hæc continuo labore lassata, & victa quandoque succumbit. Kempis. Vnde Kempis ser. 5. ad fratres, num. 2. ait. *Grandis quædam custodia ad conseruationem, perseuerantiamque castitatis est vtique instituenda deuotis, ne videlicèt loqui, audire, legere, aut talia intueri velit affectia carnis; Vndè postea generari queat aliqua occasio tentationis.* Et Paulo infra. *Foris per sensus hauritur, Vndè mens casta deturpari, & delectationum sordidarum veneno ad mortem nonnumquàm solet infici.* D. Paul. Et D. Paulus 1. Corinth. 15. ad id adducit versum illum Menandri. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Tertull. Et Tertullianus lib. 2. ad vxorem, cap. 3. *Bonos corrumpunt mores confabulationes pessimæ.* Hieron. Et Hieronymus ad Eustochium. *Eas autem*, inquit, *virgines, & viduas, quæ ociosæ, & curiosæ domos circumeunt matronarum, quæ, rubore frontis abstricto, parasitos vincunt mimorum, quasi quasdam pestes abijce. Corrumpunt enim bonos mores confabulationes pessimæ* Isidorus. Vinaldus de Monte regali. Isidorus relatus à Viualdo de monte regali loco cit. remed. 2. *Vanus sermo citò polluit mentem, & facilè agitur, quod libenter auditur.* Petri 2. Vnde de iusto Loth dicitur 2. Petri 2. *Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit: aspectu enim, & auditu, iustus erat;* Quià nimirum nec audire, Eccles. 28. nec videre poterat res turpes, & Eccles. 28. dicitur, *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire;* Quis autem inter linguas nequam non reponat impudicas? Ab huiusmodi itaque turpibus confabulationibus cohibendus auditus, ne mentem deindè inquietet, & inquinet.

Cohibenda etiam lingua à verbis turpibus, & immundis iuxtà eamdem Apostoli sententiam, *Corrumpunt bonos mores*, &c. Quæ licet adducatur ab Apostolo illo loco ad hortandos Corinthios, ne stultorum verbis, & blandiloquentia à recto tramite abduci patiantur; Intelligitur tamen etiam de colloquentibus inter se. Atq; ità tangit non solùm audientes turpia, sed etiam loquentes. Et verè inter audire, & loqui quò ad culpam nullam facio differentiam. Bernar. Nam, vt dixi suprà, Malæ aures faciunt malas linguas; Vndè Bernar. de ord. vitæ. *Quem delectat audire: alterum loqui prouocat.* In quo decipiuntur multi putantes, cum solùm auditores sint, & non locutores, innocentes se esse. Ephes. 5. Cohibenda itaque lingua ab impuris; Vnde & ipse Apostolus ad Ephes. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpiloquium.* Hugo. Et Hugo relatus a Monte regali loco cit. ait in lib. de anima. *Vanus sermo vanæ conscientiæ est Index mores hominis lingua pandit; Qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur; Quoniàm ex abundantia cordis os loquitur;* Matth. 12. Hieron. vt dicitur Matth. 12. & D. Hieronymus ad filiũ Mauririj ait. *Lapis emissus sermo prolatus. Quapropter diù antequam proferatur, cogitandus est. Cum enim verbum sit nuncius cordis: sicut bonus homo de bono thesauro cordis sui profert ea, quæ bona sunt: Ita malus de malo thesauro cordis profert mala.* August. Et August. serm. 215. de tempore. *Videte fratres si iustum est, vt ex ore Christianorũ, vbi corpus Christi ingreditur, luxuriosũ canticum, quasi venenũ Diaboli proferatur.* D. Thom. Et D. Th. 2. 2. q. 153. ar. 5. ad 4. ait, *Quia ex abundãtia cordis os loquitur Luxuriosi,*

quorũ cor est turpibus concupiscentijs plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. Et quia luxuria inconsiderationem, & præcipitationem causat, consequens est, quod faciat prorumpere in verba leuiter, & inconsiderate dicta, quæ dicuntur scurrilia. Et quia luxuriosus delectationem quærit, verba sua ad delectationem ordinat, & sic prorumpit in verba ludrica. Et quia luxuria cæcitatem mentis causat, ideò luxuriosus prorumpit in stultiloquia, præferendo suis verbis delectationes, quas appetit, quibuscumque alijs rebus, Hæc D. Thomas,
Aristot.
& Aristoteles 7. polit. cap. vlt. Omnis, inquit, Obscœnitas verborum exterminanda est de ciuitate, ex turpiter enim loquendi licentia sequitur, & turpiter facere.
D. Thom.
Ad quem locum ait D. Tho. Sæpè enim dicendo aliquid turpe agibile: sæpius meditatur de eodem, & frequenti meditatione ad ipso sequitur inclinatio maior ad ipsum faciendum.
Solon.
Et est notũ dictũ Solonis. Qualis oratio, talis vita.

Custodiendi itaque sensus. De qua custodia
August.
in generali ait August. lib. 50. homiliarum, homil. 35. Si virginitatem animæ integram seruare desideras, quantum potes obserua blandimenta draconis, ne fortè si incautus fueris, quinque sensus, qui in te sunt, quasi quinque virgines permittas à serpente corrumpi. Quicquid enim pulchrescit visu, quicquid dulcescit gustu, quicquid blanditur auditu, quicquid lenocinatur odoratu, quicquid mollescit attactu. In his omnibus si incauti fuerimus, subrepentibus concupiscentijs malis, animæ virginitatem corrumpi permittimus. Et impletur illud, quod per Prophetam dictum est Ierem. 9. Intrauit mors per fenestras vestras.
Ierem. 9.
Ambros.
Et Ambrosius lib. 2. de Abraham, cap. 11. Visus, & auditus, & odoratus, et gustus, et tactus, at vocis ipsius quæritur quædam ca[p]tiones; Quid & visus procacior habet crimen, & ideo scriptum est, Noli intendere fallaci mulieri
Prou. 5.
Prou. 5. Neque capiaris oculis eius, neque arripiaris palpebris. Et in ipso auditu crimen est; Si seducat meretrix, & multe blandimento sermonis, & laqueis labiorum suorum te alliget. Et in ipso tactu crimen est; Ideòque tibi dicitur. Ne mulceas fueris ad alienam, neque contineueris amplexibus non tuam. Et in voce culpa est; Laqueus enim fortissimus est homini sua labia, & abducitur à labijs oris sui. Et mel ipsum noli multum edere, ne vomas. Oportet ergò, ut omnium sensuum actus sit moderatio, ne aut impetus in vitium trahat, aut nimietas lædat, aut mora offensionis fit. Hæc Ambrosius.
Hieron.
Et Hieronymus lib. 2. contrà Iouinianum, cap. 7. Per quinque sensus; quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est, non potest antè metropolis, & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus.
Seneca.
Et Seneca relatus à Tho. Cantipratano, lib. 2. apum, cap. 30. n. 34.: Si continens es, & animi, & corporis tui per singulos motus obserua, ne indecori sint. Nec ideò contemnas, quid latens, nam nihil differt, si nemo videat, cum illos ipse videas. Si oculus concupiscit, auerte: si aures hæserint, fuge: si arserit lingua, restringe: si tactum manus allexeris, retrahe: si curiosus odor irrepserit, nares contorque.

Septimum Remedium est fuga. Quamuis omne Peccatum sit fugiendum, iuxtà illud Ec-
Eccles. 10.
clesiastici 10. Quasi à facie colubri fuge peccatum.
D. Thom.
Nihilominùs, ait D. Tho. 2. 2. q. 35. art. 1. ad quartum, Quòd Impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo, quandoque resistendo. Si enim cogitatio perseuerans tollit Incentiuũ peccati, tunc debemus vincere peccatum resistendo, sicut accidit in omnibus ferè peccatis, præter luxuriam. Si autem continua cogitatio auget incentiuum peccati, tunc debemus illud vincere fugiendo, sicut est de peccato luxuriæ.
Corint. 6.
Et ideò Paulus 1. ad Corinth. 6. signanter dicit. Fugite fornicationem.
D. Thom.
Super quẽ locum ait D. Th. 1. Corinth. 6. lect. 3. Notandum, quod cætera vitia vincuntur resistendo; quia quanto magis homo particularia considerat, & tractat, tantò minus in eis inuenit vnde delectetur, sed magis anxietur, sed vitium fornicationis non vincitur resistendo: quia, quantò magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur, sed vincitur fugiendo, idest totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones.
August.
Et Augustinus lib. de honest. mulier. cap. 2. Quòd libidinem fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus euidenter ostendit, qui cum omnibus vitijs prædicauerit resistendum, dum contrà libidinem loqueretur, non dixit Resistite, sed fugite fornicationem; Et paucis interpositis, ait. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.
Ambros.
Et Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 14. Transeamus, ait, Nos ignem libidinis, quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum fecerat, vt iam non timeret sibi, sed dicit nobis; Fugite fornicationem. Fugiamus ergo tamquàm sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur. Nos met ipsos ergo videamus diligenter, ne dum illam fugimus nobiscum eam portemus; volumus enim plerumque fugere, sed si non penitùs excutimus animo, tollimus eam magis, quàm relinquimus.
Chrysost.
Et Chrysost. isto loco Pauli, Fugite, inquit, Fornicationem, non dixit, ait Chrysostomus. Abstinete à fornicatione, sed fugite, hoc est studium ponite, vt à malo liberemini.
Theodor.
Et Theodoretus, non dixit Apostolus. Odio habete, & auersamini, sed fugite; sciens, quàm sit acre, & vehemens hoc peccatum: ei enim fugiendo repugnandum est.
Theophyl.
Et Theophylactus. Fugite fornicationem, ait, Haud secus quam insectatricem aliquam, quæ semper nos vrgeat, fugiendam hortatur libidinem, suadetque vt ab ea enixe abstineamus. Nihil enim nos adeò insectatur, quam carnis concupiscentia.
Dionys. Carthus.
Dionysius Carthus. Fugite fornicationem, idest omnem illicitum concubitum. Quædam peccata in se quamdam pœnam, & amaritudinem habent, vt Ira, Inuidia, & ista meliùs superantur luctando, & resistendo; Nàm quantò diligentius, & particulariùs considerantur, tantò plus displicent, sicque faciliùs repelluntur. Alia autem peccata quamdam delectationem includunt, vt Gula, Luxuria, quæ meliùs vincuntur fugiendo, quam colluctando. Quò enim particulariùs, diligentiùsque pensantur, & reuoluuntur, eò appetitus magis prouocatur. Vitanda ergo sunt fomenta, occasiones, & causæ luxuriæ.
Caietan.
Caietanus Significanter, ait, dixit Fugite fornicationem. tamquàm insequentem, & serpentem, in non fugientes. Cum reliquis enim vitijs congressus haberi potest rationibus pugnando; cum vitijs autem carnalibus non est pugnandum, quoniam serpunt in cogitantes etiam contrà illa, sed victoria per fugam habetur: fugiendo scilicet etiam cogitationes omnes talis generis.
Thom. Kempis.
Thomas Kempis serm. 5. ad fratres num. 6. Vt certior sit inquit, Hæc victoria, fuga est assumenda. Fugiendo itaque vincitur libidinis tentatio, fugiendo scilicèt fœminas, obiecta, occasiones libidinis, otia, crapulas,

diuertendo

diuertendo oculos, & mentem, vt alia videat, & cogitet.

Octauum Remedium est fuga conuersationis mulierum. Quid sit mulier egregiè Sanctus Ephræm, vt refert Aluarez, tom. 2. de vit. Spirituali, lib. 5. parte secunda, cap. 14. num. 6. *Quid*, inquit, *Est mulier? Laqueus comptus, & homines in voluptates illiciens quæ splendida quidem facie, & excelso collo, oculis annuit, & genis arridet: Lingua verò dulciter canens, voce alios decipit. & sermone pellicit, vestes trahens, & pedibus ludens; forma placens, & corpore fornicationem exercens fallisque occidens. Multos enim vulneratos, ait Paræmiastes, deiecit, & innumerabiles occidit. Quòcircà, & propter speciem, inquit, mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit. Quid est mulier? Naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, & malitiæ, mortifera conuersatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitiũ, cordis spiculum, iuuenum perditio, sceptrum inferni, concupiscentia præceps. Quid est mulier? Causa Diaboli, requies serpentis, Diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus; eorum, qui saluantur offensio, malitia incurabilis, diurna confabulatio, hospitium facinorum, & officina Dæmonum. Quid est mulier? Amor flagitiosus; bestia impudens, incontinentissimus impetus, effrænatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, Dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis concupiscentiæ nequitiæ, & æterni supplicij conciliatrix. Quid est mulier? Prudentia terrena, viri socordia, concubens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diuersorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors; vt non immeritò dictũ sit à sapiẽte, Breuis omnis malitia super malitiã mulieris; Quòd si tu ab huiusmodi cupis affectione, belluaq; refugere, audi quid Præmiastes dicat. Oculi tui recta videãt, et palpebra tua præcedant gressus tuos, & non concupiscat pulchritudinem mulieris cor tuũ, ne capiaris nutibus illius: mulier enim viri pretiosam animam capit:* Hæc Sanctus Ephræm. Paulo aliter depingit mulieris propria S. Anastasius Nicenus, vt refert Cornelius à lapide in ep. 1. ad Timoth. cap. 3. nu. 112.

S. Ephrem. Aluarez.

S. Anast. Nicenus. Cornel. à Lapid.

D. Hieronymus in ep. ad Oceanum de vita cleric. vt refert Viualdus à monte regali loco citato, remed. 7. *Mulier*, ait, *Ianua Diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocinumque genus est fœmina. Cum proximat stipula, incendit ignem, flammigero igne percutit conscientiam fœmina pariter habitans, exuritque fundamenta montium. Ego id dico, si cum viris fœminæ habitent, viscata non deerunt Diabolo, ex eis aucupatum est ab initio peccatum. Ferreas mentes libido domat, si alligauerit quis ignem in sinu suo, nonnè vestimenta eius comburentur? Aut si quis ambulauerit super carbones ignis, nonnè comburet pedes suos? Mihi crede non potest toto corde cum Domino habitare, qui fœminarum accessibus copulatur.*

D. Hieron. Viualdus de Monte regali.

D. Antoninus 3. parte, tit. 1. cap. 25. Per integrum alphabetum fœminarum vitia describit, & declarat. alphabetum est huiusmodi. *Est mulier Auidum animal. Bestiale barathrũ. Concupiscentia carnis. Damnosum dueliũ. Æstuans æstus. Falsa fides. Garrulum guttur. Hostis armata. Inuidiosus ignis. Kalumniarum chaos. Lepida lues. Monstruosum mendacium. Naufragij nutrix. Opifex odij. Prima peccatrix. Quietis quassatio. Ruina Regnorum. Silua Superbiæ. Truculenta Tyrannis. Vanitas vanitatum. Xantia Xersis. Ymago idolorum. Zelus zelotipus.* Declarationem vidè apud ipsum.

D. Anton.

Petrus Chrysologus serm. 47. de resurrect. postquàm multa dixerit de Mulieribus, ait, *Quòd mulier est origo lamenti.* Et Nazianzenus orat. in vita Athanasij. *Mulier est*, inquit *Calamitatis cumulus.* Et Prouerb. 5. Introducitur Iuuenis mulieribus deditus qui calamitates suas deplorans ait. *Penè fui in omni malo.* Vndè rectè Menander, *Vbi est mulier, ibi necessariè sunt omnia mala.* In prato spirituali, cap. 217. dixit quidam senior. *Filioli sal ex aqua est, & si appropinquauerit aquæ, continuò soluitur, & deficit. Et Monachus similiter ex muliere est. Itaque si appropinquat mulieri, soluitur & ipse, atque in id desinit, vt iam Monachus non sit.* Et in vitis patrum legitur de Abbate Arsenio; quòd rogatus à quadam muliere, vt eius memoriam faceret in suis orationibus Respondit ei. *Quinimmò Deum rogo, vt tui memoriam auferat à corde meo.*

Petrus Chrysolog. Nazianz. Prou. 5. Menander.

Cyprianus in lib. de singularitate, siuè de solitaria, & à fœminis semota vita. *Lubrica*, inquit *Spes est, quæ inter fomenta peccati saluari se sperat: Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare: impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere.* Et infrà. *Ipsi nos fallimus, quotiès credimus, inter masculos, & fœminas castitatem immobilem custodiri. Difficilè quis venenum bibet, & viuet: verendum est dormienti in ripa, ne cadat; cũ dicat Apostolus 1. Corinth. 10. Qui se putat stare, videat ne cadat.* Et infrà. *De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam. Quam Salomon sic comparat dicens. De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.*

Cyprian. Corint. 10. Salomon.

Augustinus in libello de honestate mulierum ait. *Sinè vlla dubitatione qui familiaritatem mulierum non vult fugere, citò labitur in ruinam.* Et iterùm in eodem libello. *Qui cum mulieribus habitantes putant se castitatis obtinere triumphum, ignorant se apud Deum dupliciter reos existere: Dum se ipsos in periculum mittunt, & alijs exemplum peruersæ familiaritatis ostendunt.* Cuius dicti fuit tam executor eximius teste Possidonio in eius vita, cap. 26. vt fœminarum nullam domum suam ingredi passus sit, ne germanam quidèm sororem, nec patrui, aut fratris filiam. Quià dicebat, Licet de sorore, & neptibus secum commorantibus nulla posset nasci mala suspicio; tamen quoniam illæ personæ sinè alijs necessarijs, secumque manentibus fœminis esse non possent; & quòd ad eas etiam aliæ à foris intrarent, de ijs posse offendiculum, aut scandalum infirmioribus nasci. *Ob hoc ergò dicebat*, ait Possidonius, *Numquam debere fœminas cum seruis Dei etiam castissimis in vna manere domo:* Et si fortè ab aliquibus fœminis vt videretur, & salutaretur, rogabatur numquam sinè clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis vmquam est locutus, nisi secretorũ aliquid interesset. Et de sancto Patre nostro Francisco de Paula dicitur in eius vita, quod si quando colloquendũ ei esset cum aliqua muliere, numquàm oculos è terra eleuabat, vt illã aspiceret.

August. Possido.

Ex his

Ex his puto satis patere, quàm periculosum sit castitatis amatori mulierum colloquia, & consortia sectari, quantumuis sanctæ mulieres sint, quantumuis deuotæ, quantumuis virginitatis amatrices. *D. Bonau.* Vndè D. Bonauentura de interiori homine, par. 1. cap. 39. *Si meum, inquit, Consilium non spernis, consulo, quòd numquam cum aliqua muliere contrahas singularem familiaritatem, etiamsi Religiosa sit, & sancta. Quia, excepto periculo carnalis tentationis, quæ ex tali familiaritate semper incurritur, dum non timetur malum, quod sub specie boni latet: excepta etiam macula infamiæ, & suspicionis, quam alij ob hoc sæpè concipiunt, magnam generat inquietem cordi talis priuata affectio; dum semper illi cupis ostendere dilectionem, quam habes ad eam; & hoc sibi notum fieri desideras, & cum aliquando non fit dolus, & times quod indignetur illa, & quod affectus eius tepescat, & quod minùs oret pro te.* Immo addo quòd quò magis mulieres continentes, & deuotæ sunt, eò magis est vitanda earum conuersatio: Quia cum acriùs tententur à Dæmone, faciliùs consentiunt obiecto præsenti. At quandòque, inquis non possumus colloquia mulierum vitare, vel consolationis gratia, vel deuotionis, &c. Sed tunc remedium dedit Augustinus. Id ne facias sinè testibus, sinè arbitris videntibus saltèm, si non audientibus. Quod noster Sanctus Pater expressè iussit in Correctorio, num. 83. *Carthag.* Tandèm pro hoc remedio videatur Carthagena lib. 15. homil. 3. tom. 4. vbi per 13. paragraphos explicat luculenter malam fœminarum naturam: Et quàm sit periculosa, & nociua earum conuersatio, §. 10.

Nonum Remedium est fuga ocij. Ocium enim, desidia, torpor, & quies nimia occasiones sunt malarum cogitationum, tentationum, *Hieronym.* ac omnium peccatorum. Vndè Hieronymus ad Eustochium ait. *Omnium vitiorum mater est ociositas.* *Eccles. 33.* Et Ecclesiastici 33. dicitur. *Ociositas multam docuit malitiam.* Quarè Christus sedere (quod ociositatem dicit) cupientes Apostolos *Matth. 20.* Iacobum, & Ioannem, illis verbis Matth. 20. *Matth. 25.* grauiter reprehendit, *Nescitis quid petatis.* Et Matth. 25. *Qui talentum receptum ad negotiandum foderat in terra, seruus malus, & piger vocatus est.* *D. Bened.* Sanctus Benedictus in sua regula, cap. 48. *Ociositatem, ait, Esse animæ inimicam.* Quod caput *Turrecrem.* explicans Turrecremata, decem mala numerat, *Rabisius.* quæ nascuntur ex ocio. Apùd Rabisium legitur epist. verbo Ocium. Solitos Athenienses ociosos absq; alia informatione morte mulctare. Cum rogaretur Cleomenes apùd Plutarchum, cur Lacedemonij cum Arginos sæpè vincerent, eos non delerent? Respondit. *Nolumus, vt habemus, qui iuuenes nostros exerceant, sunt enim ipsi eorum cos, qui ipsorum virtutem acuant, ne ocio eneruentur, & in vitia, ac mollitiem diffluant.*

Ezech. 16. Quò circà Ezechiel. 16. exponens causas peccati Sodomorum ait. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & ocium ipsius.* *Prou. 1.* Et Prouerb. 1. dicitur, *Prosperitas Impiorum perdet eos,* Vbi alij vertunt, *Pax, sinè quies insanorum perdet eos.*

Ouidius. Et Ouidius.

Ocia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptaque iacent, & sinè luce faces.

Et Rursum.

Quæritur, Aegysthus quarè sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

S. Greg. Et Sanctus Gregorius lib. 6. in primum Regum cap. 1. *inter opera, & labores spirituales contra stimulos carnis fortes sumus: sed si quasi fessi à solita conuersationis vigore torpescimus, vel remittimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus, Israelem vincunt.* *August.* Augustinus lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 36. *Per desidiam, inquit, Accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè pasci, per hanc suffocamur preciose vestiri, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur. Numquàm quis Ciuis Cælorum erit, si ociositatem amauerit.* *Cassianus.* Et Cassianus lib. 10. instit. cap. 23. *Hæc, inquit, Apud AEgyptum ab antiquis patribus sancita est sententia, operantem Monachum dæmone vno pulsari: ociosum vero innumeris spiritibus deuastari;* *Bernard.* Et Bernardus lib. 2. de consider. ad Eugenium fine. *Si rectè sapiens hortatur, sapientiam scribi in ocio, cauendum & in ocio ocium est; Fugienda proindè ociositas mater nugarum, nouerca virtutum. Inter sæculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemia; Interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ numquàm.*

Cassianus. Tandem de claustralium ocio quamplura Cassianus loco cit. cap. 6. Inter quæ hæc ait. *Cum ocium miserabilem obsederit claustralium mentem, horrorem loci, fastidium cellæ, fratrum quoque, qui cum eo, vel eminus commorantur, tamquàm negligentium, ac minus spiritualium aspernationem gignit, atque contemptum. Ad omne quoque opus, quod intra septa sui cubilis est, facit desidem, & inertem. Non enim in cella residere, nec operam sinit impendere lectioni, nihilque se proficere, tanto tempore in eadem commorantem crebrius ingemiscit.* *Instin.* Et Iustinianus de discipl. Monasticæ conuers. cap. 14. *O ingrate piger, ait, An ignoras, quòd agrorum cultores, artifices, machanici terræ negociatores, populorum Iudices, Prouinciarum duces, gentium reges, omneque genus humanum vtriusque sexus, & cuiuscumque conditionis, si prudenter attendis, ad tuum sunt quoquomodo deputati obsequium, quare hæc considerare negligis? Cur illis laborantibus, & tibi ministrantibus, tu dies tuos inutiliter transis? vt quid manum sub axilla tenens, maximam tuæ vitæ partem ociosè consumis. Proh pudor quotidie sedes per monasterij claustra, per angulos domus vaniloquia tractando, scurrilia sectando, & inutilia, atque pernitiosa cogitando. Discurris hùc, illùc nunc clamitando, nunc ridendo, nunc curiosa, nunc ociosa peragendo: Non aduertis ò miser, quòd inertia tua, & infructuosa conuersatio scandalum generat fratribus tuis pro te laborantibus, &c.* Quæ ibi habet Iustinianus. Et de B. P. Nostro Francisco canit Ecclesia. *Numquàm à laboribus cessabat, nisi cum orationi, diuinisque rebus intendebat.*

Decimum Remedium est custodia cellæ, non ad quietem, sed ad laborem, non ad ocium, sed ad occupationem, non ad somnum, sed ad vigilias, ad legendum, scribendum, iàm scripta corrigendum, orandum, psallendum, meditandum cœlestia contemplandum, peccata propria, & populi plangendum.

R O quàm

O quàm benè fugit occasiones libidinis, qui moratur in cella, quàm est securus à Diaboli altibus, qui in cella semper aliquid operatur, quàm benè custodit sensus cunctos cellæ custos. Vndè Bernardus, in epist. ad fratres de monte Dei. *Monachus moriens, aut vix, aut unquàm à cella in Infernum descendit, quia vix vnquàm aliquis, nisi cœlo prædestinatus, in ea vsq; ad mortem perstitit.* Et serm. 40. in Cantic. *Sede solitarius vt turtur, nihil tibi, & turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiam ipsum obliuiscere populum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.*

Bernard.

Basilius.

Mira de cella Basilius de laudibus eremi. *O cella spiritualis prorsus habitaculum. Namque de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in diuina Charitate feruentes: Tu odiosæ linguæ frænum, tu luxuriosis renibus castitatis adhibes cingulum: Tu facis vt leues quique ad grauitatem redeant, vt iocosi scurrilitatibus parcant, vt vaniloqui, & procaces se sub districta silentij censura castigent. Tu ieiuniorum, ac vigiliarum nutrix: Tu patientiæ, & pacis perfectissima custos: Tu purissimæ simplicitatis magistra, ac omninò fraudolentæ duplicitatis ignara. Tu facis vt vagos quosq; Christi catena coerceas, vt indisciplinati moribus à sua se prauitate compescant. Tu nosti homines ad perfectionis culmen euehere, atq; ad consumatæ sanctitatis fastigium sublimare. Tu facis vt homo sit integer, atque rotundus, ac nulla à semetipso morum inæqualitate diuersus. Tu etiam facis lapidem quadrum, construenda videlicèt cœlestis Hierusalem mœnibus aptum, qui nimirum, non ex morum leuitate se versatilem præbeat, sed fixus semper in sanctæ Religionis grauitate consistat. Tu homines à semetipsis extraneos reddis, & priùs vasa vitiorum reflorere virtutibus facis. Tu nigra, sed formosa sicùt tabernaculum Cedar, sicùt pelles Salomonis. Tu lauacrum tonsarum. Tu Piscina in Hesebon. Oculi tui sicùt columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident iuxtà fluenta plenissima. Tu namque es speculum animarum, cuius contemplatione se mens humana perspicaciter intuens, quod minus est, impleat; quod superfluum, reprimat, quod obliquum est, dirigat, quod deforme, componat. Tu nuptialis es thalamus, in quo Sancti Spiritus annulus tribuitur, & cœlesti sponso felix anima fœderatur. Rectè diligunt te: Et qui fugiunt te, veritatis luce priuati, quo gressus ponere debeant, non agnoscunt.* Hucùsque Basilius.

Tho. Kem. Thomas Kempis opusc. 10. exercit. spirit. cap. 4. *Custodi diligenter cellam tuam, & custodiet te. Tutior locus non est serue Dei in hoc Mundo, quàm latere in secreto, vbi patrem ores libera mente, ostio cubiculi clauso. Periculosus semper exitus cellæ, mansio eius quies deuotissimæ vitæ. Qui assuescit cellam suam incolere, citò pacem cordis hauriet, & tutabitur à periculis maximis, & multis. Solitudo deuotionis est mater, turba verò conturbat.* Et Paulò infrà. *Ad cauendum ergò laqueos apertos, vel occultos, libentius sis intùs, quàm foris. Rediens itaque ad cellam, velut ad tranquillitatis portum, fige in ea stabilitatis ancoram, per orationem feruentem, & lectionem deuotam. Non patitur cella, tepidum, & otiosum in se diù morari. Flecte statim genua, vel caput inclina antè crucifixum, & saluta præcipuè IESV Matrem MARIAM Dominam nostram. Dicito attentè, & replica sæpè hunc versum: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Domine bonum est nos hic esse, super omnia desiderabilia terræ, locus enim iste Sanctus est. Quamdiu ergo spiritus tuos rexerit artus, sit cella requietionis tua domus, ac tumulus, donec tibi aperiatur Paradisus cœlestis. Est enim via breuis de cella ad cœlum, si in ea cœlicam duxeris vitam.*

Beatus Laurentius Iustinianus de vita solit. cap. 11. tit. Quid sit spiritualis solitudo. *Nemo, ait, ad plenum narrare sufficit cellæ præconia, quanta veniant bona, quantaque per illam amoueantur incommoda. Est namque cella sponsi reclinatorium, virtutum custos, tranquillitatis portus, additamentum pacis, medela vitiorum, contemplationis locus, tabernaculum fœderis, nuptialis thalamus, hortus irriguus, Paradisus deliciarum, cœli ianua, schola scientiæ, conscientiæ cathedra, magistra silentij, spiritualis scala vsque ad polorum alta pertingens. In ea si quis absque corpore persistit, fugit lites, nescit odia, detractioni non vacat, temeraria iudicia minimè facit, abhorret otium, nec veretur moriam.* Iustinian.

Eia nunc, sequitur Iustinianus, *Christi milites, qui vosmet Deo vouistis, & pro amore cœlestium eremi vastam solitudinem, atque deserti antra* (vel certè secreta cœnobiorum, aut domorum Religiosorum) *incolitis, vt solitariæ vitæ perfectionem apprehendere valeatis. Cellulæ habitationem diligite; illam tenete, illam amplectimini, de ea, nisi vrgente necessitate rationabili, seù corporis impellente infirmitate, vel fraterna suadente charitate, exire nolite. In ea sint vestræ spirituales deliciæ, atque interna solatia. Ad ipsam, si contingat vos egredi, reuertimini quam citius, ne detrimentum aliquod patiamini, moram protelando ad publicum.* Hæc, & alia multa B. Laurentius in laudem cellæ.

Sanctus Dorotheus serm. 16. ad quosdam Monachos celliotas, seù cellam frequentantes, in quo docet, quid facere debeat Monachus in cella, & ad quid debeat illa egredi. Inter alia habet. *Cella attollit, ac sursùm cirnat.* Quod autem detrimentum incurrat discedens ex cella, docet Cassianus collat. 6. cap. 15. *perdit scilicet omnia bona, quæ acquirit in cella morando.* S. Doroth.

Cassianus.

Et Seneca hanc recollectionem à sæcularium negotiorum strepitu multum etiam comendat. *Bonam spem de te concipio, quod non discurras.* Epist. 2. *Vt animum possis continere, corporis tibi fugam siste.* Epist. 71. *Nihil æquè prodest, quàm quiescere, & minimè cum alijs loqui, secum plurimum,* Epist. 107. Tandem deuotus cellæ cultor hos versiculos in cella sua reponat, assidueq; contempletur, & impleat. Seneca.

Cella tibi quasi cœlum sit, quæ cœlica cernas.
Hic legis, hic oras, meditaris, hic crimina plangis.
Pax est in cella, foris autem plurima bella.

XI. Remedium. Si aditum fortè turpibus cogitationibus incursia dederis, & periculum sit consensus, clama magno affectu ad Dominum, more eorum, qui orta tempestate, in discrimine sunt naufragij, ac breuia, efficaciaque sacræ scripturæ eloquia vsurpa. *Vt Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. IESV fili Dauid miserere mei. Per signū crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. Eripe me Domine à spiritu maiori à stimulo iniquo eripe me. Domine saluū fac seruum tuum Deus meus sperantem in te. Sanctus Deus,*

Sanctusq;

Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere mei Domine salua me: quia perire periclitor. Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum coràm te. *D. Hieron.* Quo remedio vsus est D. Hieronymus ad Eustochium. *Non soluatur,* inquiens, *fascia pectoralis, sed statim vt libido titillauerit sensum: aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem. Dominus auxiliator meus non timebo quid faciat mihi caro. Cum paululum interior homo inter vitia, atque virtutes cœperit fluctuare, dicito. Quarè tristis es anima mea, quarè conturbas me? Spera in Domino, quia confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Sic clamabat *August.* Augustinus 10. confess. cap. 29. *O amor, qui semper ardes, & numquàm extingueris, charitas Deus meus accende me; Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.*

XII. Remedium. Tandèm recurre ad passionem Domini Nostri IESV CHRISTI. Ingredere in foramina illa Petræ in cauernam maceriæ, in illam aperturam lateris. Strictè amplectere Christum tuum, & dicito ei: Tenebo, tenebo te Domine, nec dimittam, nisi benedixeris mihi, & fornicationis spiritum à me repuleris. Et securus sinè dubio eris ab omnibus carnis *August.* tentationibus. Quo remedio vtebatur Augustinus in Manuali, cap. 22. *Cum me,* ait, *pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filij Dei extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inueni tàm efficax remedium, quàm vulnera Christi, in illis* *Origenes.* *dormio securus, & requiesco intrepidus.* Et Origenes, vt refertur, in Epist. ad Rom. *Certum, & exploratum est,* ait, *Quod cum anima continuo Passionem Christi meditatur, in ea peccatum conregnare Non potest; est enim tanta vis crucis, & Passionis Christi, vt si antè oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur: Ità vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis respiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare nos possit inuidia, sed continuò ad eius præsentiam totus ille, quem suprà enumerauimus, peccati, & carnis fugatur exercitus.* *Bern.* Et Ber. in formula honest. vit. *Deus meus,* inquit, *Pendes in patibulo: Et ego voluptati operam dabo?* Immò hoc remedium nobis *Petrus. Epist. 1.* reliquit Petrus in sua 1. Epist. cap. 4. dicens. *Christo igitur in carne passo, vos eadem cogitatione armamini.*

Maximo etiam nobis erit adiutorio recurrere ad B. Virginem in istis necessitatibus, & dicere. *Post partum virgo inuiolata permansisti, Dei genitrix intercede pro nobis. Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac, & castos.* Et ad Sanctos, quos particularis deuotione veneramur. Nos Minimi ad Sanctum Patrem nostrum Franciscum de Paula illis verbis. *O bone Pastor Francisce, Virginitatis alumne. Tu puritatis amator, castitatis es prædicator. Tu consolamen es miserorum, recordare pupillorum, nec obliuiscaris tuorum salutis deuotorum.*

❧

CAP. III.

Quàm decet Religiosum esse Castitatis amatorem.



HIC tria tantum videbimus. Motiua, seù incitamenta ad castitatem, effectus, & signa. Et breuiter. Qui plura desiderabis, poteris adire D. Prosperum lib. 1. cap. 9. de vocat. gent. Ambrosius. lib. 2. de virginit. Cassianum, lib. 6. instit. & coll. 12. Cyprianum de bono pudic. Tertull. lib. de pudic. Sanctum Ephræm serm. de cast. Nazianzenum de pauperum amore. Lactantium Firmianum lib. 6. cap. 23. de vero cultu. Agena de castitate virginali. Bernardum epist. 42. Chrysostomum de virginit. cap. 79. Basilium in lib. de virginit. Gregorium, lib. 6. in 1. Regum, cap. 1. Kempis serm. 4. ad fratres. Climacum gradu 15. Pratum de bono status Religiosi, lib. 1. cap. 4. Busæum in viridario, verbo Castitas, Rosignolium de discipl. Christianæ perfect. lib. 2. cap. 14. 15. & lib. 4. cap. 35. B. Laurentium Iustinianum in ligno vitæ, tract. de viri. continent. Bonauenturam tom. 2. opusc. in dietis salutis. tit. 4. dieta 4. cap. 4. Aluarez de vit. spirit. tom. 2. lib. 5. par. 2. per totum. Labatam in appar. concion. tom. 1. & 2. & in locis communibus, semper verbo Castitatis, & verbo Virginitas; Alphonsum Rodriquez par. 3. tract. 4. Peraldum in sum. virt. & vit. tom. 1. tract. de temperantia, præsertim cap. 13. Antonium de Gueuara in orat. in relig. cap. 50. 51. Cantipratanum lib. 2. apum, cap. 3. Blosium in Canone vitæ spirit. cap. 30. Carthagenam, lib. 15. homil. 2. §. 7. tom. 4. Librum 5. de vitis patrum, libello de fornicatione. Laurentium de Portel extortas. 8.

D. Prosp. Ambros. Cassian. Cyprian. Tertull. S. Ephrem Nazianz. Lactantiu Firmian. Bernard. Chrysost. Basilius. Gregor. Kempis. Climacus. Pratus, Busaus. Rosignol. Iustin. Bonau. Aluarez. Labata. Alphons. Rodriq. Peraldus. Antonius de Gueu. Cantipr. Blosius. Carthag. Laur. de Portel.

Incitamenta. Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Sapientiæ 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim gloria illius.* Et de casta Iudith dicitur suo lib. cap. 15. *Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideò manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Et 1. Petri 1. *Succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, & perfecti, sperate in eam, quæ vobis offertur gratiam in reuelatione IESV CHRISTI.* Ambrosius lib. 2. de virginit. *Quis,* inquit, *Humano eam posset ingenio comprehendere, quàm nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod suprà vsum naturæ sit? è Cælo accersiuit, quod imitaretur in terris, nec immeritò viuendi sibi vsum quæsiuit è Cælo, quæ sponsum sibi inuenit in Cælo: Hæc nubes, aerea, Angelos, syderaque transgrediens, verbum Dei in ipso sinu patris inuenit, & toto hausit pectore.* *Eccles. 26. Sap. 4. Petri 1. Ambros.*

Cyprian. Cyprianus de hab. vir. *Virgines alloquens,* ait, *Quod futuri sumus, vos iam esse cœpistis, vos resurrectionis gloriam in hoc seculo iam tenetis, per sæculum sinè sæculi cogitatione transitis: cum castæ perseueratis, ac virgines Angelis Dei estis æquales.* Et de bono pudic. *Pudicitia,* ait, *Est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons Castitatis, pax domus, concordia capitis. Pudicitia sollicita non est, cui placeat, nisi sibi. Pudicitia semper verecunda,*

dùm innocentiæ mater est. Pudicitia semper ornatur suo pudore, benè sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa, & beatos efficiens, apud quoscumque habitare dignatur.

Nazianz. Nazianzenus de amore pauperum. *Præclara est castimonia, & virginitas, fidem arroga Paulo de his leges instituenti* (1. Corinth. 7.) *Ac matrimonij, & virginitatis causam iustè, incorruptèque disceptanti. Ipsique etiam IESV ex virgine nascenti, vt & procreationem honore afficiat, & virginitatem honore præferat.* *1. Cor. 7.*

Basilius. Basilius de Virginit. inquit, *Hi profectò, qui continentiam seruant. Angeli sunt, qui viuentes in carne corruptibili, mortalium vitam illustrandam tuentur.* Et ibi, *Magnum,* ait, *Quiddam re vera, ac præclarum est virginitas, quæ vt omnia vno verbo complectar, hominem incorruptibili Deo simillimum facit.*

Lactantius Firmian. Lactantius Firmianus lib. 6. cap. 23. de vero cultu, agens de castitate virginali, ait *Quod continentiæ genus, quasi fastigium est, omniumque consummatio virtutum.*

August. Augustinus lib. 2. de Ciuit. Dei, cap. 26. *Tanta vis est probitatis, & castitatis, vt omnis, vel penè omnis eius laude moueatur humana natura.*

Bernard. Bernardus epist. 42. *Quid Castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine: de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit. Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est Castitas, quæ in hoc mortalitatis, & loco, & tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat.*

Cassianus. Cassianus lib. 6. Instit. cap. 6. *Quodammodò exire de carne est, in corpore commorantem, & vltrà naturam est, fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire; & ideo impossibile est, hominem suis (vt ita dixerim) pennis ad tàm præcelsum, cælesteque præmium subuolare, nisi cum gratia Domini, de terra cæno munere castitatis eduxerit: nulla etenim virtute tàm propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conuersationis æquantur, quàm meritò, & gratia Castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundum Apostolum* (ad Philipp. 3.) *Municipatum in Cælis: quod deposita corruptela carnali habituros promittitur in futurum* (Matth. 22.) *Hic iam in carne fragili possidentes.* *Philip. 3.* *Matth. 22.*

Climacus. Climacus gradu 15. *Castitas hominem Deo maximè familiarem, & quantùm possibile est homini similem facit. Mater quidem dulcedinis terra perfusa rore, castitatis autem mater est quies obedientia coniuncta.*

Iustinian. B. Laurentius Iustinianus in ligno vitæ, tract. de continentia. cap. 2. fine. *Continentia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus omnis religionis, Minoratio criminum, multiplicatio meritorum. Creatoris omnium Dei amica. Soror Angelorum, victoria libidinum, schola virtutum, & possessio omnium bonorum; quam qui possidebit, habebit pacem in conscientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in anima, securitatem in morte, & partem in æternitate.*

Kempis serm. 4. ad fratres. *Quàm splendida, & speciosa facta es o beata Castitas, vt digna videaris ad agni immaculati nuptias; Hæc est formosa columba, ac singularis amica creatoris omnium, quæ contemnit consortia mortalium, detestatur omnem carnis saniem; & ad cælestem properat amatorem.* Et paucis interpositis. *Nihil sic hominem super propriam fragilitatem eleuat, sicut virtus Castitatis, quæ Cælis etiam vim infert. Dum enim quis seruat per gratiam in terris, quod per naturam Angelici spiritus in Cælis, nonne vim infert Cælestibus?* *Kempis.*

Effectus Castitatis. Primo reddit hominem similem Angelis, vt diximus, & docuit Christus Matth. 22. cum dixit. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei,* Innuens, quod qui castè viuunt, Angelis assimilantur. *Matth. 22.*

Secundò, Homini suum honorem custodit; Honor enim hominis est libertas voluntatis; quæ libertas non reperitur in brutis, neque in ijs, qui secundùm desideria carnis viuunt. Vnde Dauid Psal. 48. *Homo cum in honore esset,* Idest quandò in sua erat potestate, & sui iuris, vt suis dominaretur passionibus, *Non intellexit* Idest nesciuit se in eo statu conseruare, sed factus est præda passionibus, & ab ijs in seruitutem redactus, per quod factus est similis alijs irrationabilibus brutis, libertate carentibus. Vndè meritò, qui hac pollet castitatis virtute, ingenitum dicitur sibi conseruare honorem.

Tertiò reddit hominem Deo familiarem, Continens enim, & castus nihil præter Deum amat, nec cor suum diuidit sicùt impurus, & incontinens; Neq; enim possibile est seruire Deo, & Mammonæ. Et cor in duas partes diuisum, nullum respicit perfectè; *Coangustatum enim est stratum, & pallium breue vtrumque operire non potest.* Esaiæ 28. Verè enim ait Augustinus, *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quòd non propter te amat.* *Esaiæ 28.* *August.*

Quartò, ad contemplationẽ Dei præparat; Carnalis namquè homo, quæ carnis sunt semper cõsiderat; A carne autèm abstractus, quæ Dei sunt contemplatur, ijs carnalibus resectis, quæ incontinẽtiæ, & impuritatis sũt maximũ fomentũ.

Quintò, à deceptione hostis familiaris custodit, scilicet carnis nostræ de peccato natæ, in peccato nutritæ, nimis ipsa origine corruptæ, sed ampliùs ipsa consuetudine vitiatæ, de qua tunc triumphamus, cùm per continẽtiam eã sub abstinentiæ disciplina coarctamus. Hæc fere ex B. Laurentio Iustin. in ligno vitæ, tract. de continentia, cap. 2. *Iustin.*

Indicia castitatis sunt. Primum, Cum homo gratia Dei, & abnegationis virtute eò peruenit, vt si experitur carnis stimulos, eos sinè sua culpa patiatur.

Secundum est præuentio prauæ cogitationis, aut subita, & facilis eiusdem victoria, cum se ingerit in animo.

Tertium, diminutio concupiscentiæ. Quamuis enim hæc non omninò tollatur, virtute tamen, & frequenti abnegationis vsu frangitur. Plura videri possunt circà indicia apud Cassianum coll. 12. cap. 7. & lib. 6. instit. cap. 10. 20. 21. 22. Cautè tamen legendus. Nam videtur docere, concupiscentiam posse omninò consumi, & motus carnis omninò tolli, contrà Doctrinam Sanctorum Patrum, Gregorij lib. 5. in 1. Regum, cap. 11. *Cassianus.* *Gregorius.*

cap. 11. vbi ait. *Non quidem potest tolli carni, quod lex carnis membra non moueat; sed tamen potest tolli carni violentia motionis, vt relinquatur ei motus; sed eidem motui omnis delectationis obscænitas auferatur, & simplex ille motus fit, in quo aliqua libidinis turpitudo non fit.* Augustinus lib. cõtra Iulian. cap. 5. & 8. lib. 2. circa fio. *Concupiscentiam*, ait, *Quis ambigat, posse minui, non posse consumi?* Ad quod facit etiam quod ait Apostolus ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Captiuantem me, non voluntatis contentione, vt aliqui volunt, sed commotione, vt Augustinus 8. confess. cap. 11. idest vt captiuus reddar, & subijciar legi peccati, idest concupiscentiæ, quæ lex peccati dicitur; quia est fomes ad peccatum sollicitans. Ità vt etiam inuitus, & reluctans vitiosas eius inclinationes, dictamina, & impulsus sentire cogar, & eius laqueos, & motus euadere non possim. De quo Pauli loco Hieronymus ad Eustochium de custod. virginit. hoc pacto scribit. *Si Apostolus vas electionis, & separatus in Euangelium Christi carnis aculeos, & incentiua vitiorum reprimit, & castigat corpus suum, & seruituti subijcit, ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur; & tamen videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se in legem duci peccati: Si post nuditatem, ieiunia, fames, carcerem, flagella, supplicia in semetipsum reuersus exclamat. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Tu te putas securam esse debere?* Tandem accipiat verus castitatis amator in eius laudem hoc Alphabetum.

August.

Ad Rom. 7.

August.

Hieron.

Angelis est simillima. Matth. 22. *Matth. 22.*

Beatificatio hominum. Climacus grad. 15. Paulò post principium. *Climac.*

Columba formosa. Kempis serm. 4. ad fratres, num. 4. *Kempis.* *Climac.*

Dei similitudinem præferens. Climacus ibidem.

Epulis, & ebrietatibus inimica. S. Ephræm Syrus apud Aluarez, loco citando, cap. 1. *S. Ephrem.*

Filia cœlestis Hierusalem. Kempis ibidem. *Kempis.*

Gloria sequacium. Aluarez de vit. spirit. tom. 2. lib. 5. par. 2. cap. 3. excell. 4. *Aluarez.*

Habitaculum Spiritus Sancti. S. Ephræm ibidem. *S. Ephrem.*

Iustorum illuminatrix. S. Ephræm ibidem. *S. Ephrem.*

Longæuitas vitæ. Chrysost. hom. 23. in primum ad Corinth. *Chrysost.*

Monile pretiosissimum de cœlo delatum. Platus lib. 2. de bono statu religios. cap. 5. *Platus.*

Noe securissimum refugium. Colligitur ex Gen. cap. 7. *Gen. cap. 7*

Odor nimium fragrans. Kempis cit. *Kempis.*

Palma victoriosa. Kempis ibidem num. 1. *Kempis.*

Quies, & tranquillitas mentis. Hugo lib. de nupt. car. cap. 1. *Hugo.*

Rosa suauissima. S. Ephræm cit. *S. Ephrem.*

Stupor Naturæ. Kempis cit. num. 6. *Kempis.*

Tribulationum expers. Aluarez cit. excell. 6. *Aluarez.*


Virtus pulcherrima. Aluarez excell. 7. *Aluarez.*

Christo dilecta. Sic canit Ecclesia de Ioanne. *Diligebat enim eum IESVS, quoniam speciali prærogatiua castitatis fulgebat.*



QVAESTIO IV.

DE VOTO VITÆ QVADRAGESIMALIS.





ITAM Quadragesimalem, quam vouemus nos Minimi esse omninò vitam Apostolicam, eamque Christum, & Apostolos ità seruasse, vt neque ipse, neque Apostoli ad tale munus assumpti, carnes, neque lacticinia vmquàm comederint, docet doctè pariter, & luculenter P. Frater Vincentius à Cosentia nostri Ordinis Minimorum doctissimus Theologus, in libro, quem scripsit de abstinentia carnium. *Vincent. à Cosent.* Nos hic solùm aliquas quæstiones enucleare studebimus circà ipsum votum, pro vt à nobis emittitur. De quo neminem hucusquè tractantem vidi: Vndè veniam merebor, Si quid fortè minùs congruum, minusque rectè dictum irrepserit.

CAP. I.

Vtrùm votum vitæ Quadragesimalis sit essentiale Religioni Minimorum.



OTO Primò, quòd in Ordine nostro Minimorum sit solemne votum vitæ Quadragesimalis tẽpore professionis, vt patet ex ipsa professionis forma, de qua suprà q.1. cap.5. notab 1. Quod quidem Votum emittunt omnes, & obligat ad abstinendum ab omnibus ijs, à quibus abstinetur cõmuniter in Quadragesima; Nimirũ carnibus, & lacticinijs, ouis, caseo, butyro, ex ijsque congestis. Et obligat tùm intrà, tùm extrà Conuentũ, tù in Refectorio, tùm extrà illud; Tùm in itinere, tùm extrà illud. Tandèm est velùt pręceptum negatiuũ, quod obligat semper, & ad semper, casu tantummodò infirmitatis excluso. Et habet omnes cõditiones requisitas ad votum solemne. Quia scilicèt publicè emittitur coràm testibus, sub certa forma præscripta in ipsa regula approbata, & est perpetuũ tàm ex parte vouentis, quàm ex parte admittentis. Quę docet Vasquez requiri ad voti solmnitatem 1.2. disp.165. cap.8. n.87. Et specialiter nostrum quartum votum esse solemne docet Azor to.1. Instit. moralium lib.12. cap.6. q.9. Et citat Palatium in 4. d.38 disp. 2. *Vasquez.*

Notandum Secũdò, in aliquibus alijs Religionibus emitti etiam quartũ solemne votũ ipsis peculiare, vt in Religione B. MARIÆ de Mercede emittitur quartum votũ vacandi redẽptioni captiuorum. Et in societate IESV fit expressè votum sũmo Pontifici proficiendi finè excusatione; non petito viatico, quocumque gentiũ eius sanctitas dixerit, inter fideles, & infideles, ad res, quæ ad diuinum cultũ, & Religionis Christianæ bonum spectãt. De quo voto, & quomodo in eo includatur specialis obligatio præ cæteris fidelibus, & Religiosis erga summum Pontificem, latè differit Sanchez lib.6. in decal. cap.18. à n.1. vsquè ad 7. *Sanchez.*

Notandum tertiò, Quòd inter hæc vota solemnia specialia aliarum Religionum, & nostrum est maxima differentia, vt doctè docet Doctus P. F. Lucas de Montoya nostri Ordinis Minimorum, lib.1. Chron. cap.13. §.8. versu Los Padres de la Compagnia. Nàm licèt ista vota redimendi captiuos, & infideles conuertendi, si considerentur respectu sui sint maximæ pietatis, & perfectionis, si tamen considerentur respectu Religionis, cuius finis, est perfectionem consequi, vel saltèm ad eam velociori, & securiori passu currere, nemo non videt, quàm meliùs cõducat nostrum votum ad talem perfectionem, quàm illa. Primo namque essentia Religionis in communi consistit in tribus votis, paupertatis, castitatis, & obedientię, per quæ contendunt omnes Religiosi ad perfectionẽ, ergò illud quartum votum, quod magis conducet ad obseruantiam istorum trium, erit in ordine ad perfectionem Religionis magis excellens, quàm alia, quę licèt dicant maximum supererogationis opus; nihil tamen, vel parùm conducunt ad obseruantiam votorum essentialium, pro vt docet D. Tho. 2.2. q.188. art.6. ad 3. Et Val. to.3. disp. vlt. q. vlt. par. vlt. versu Ex parte verò. Cum ergò votum Quadragesimalis vitæ sit medium magis proportionatum ad obseruanda prædicta tria vota, vt per se patet, & habet D. Tho. loco cit. & patebit ex dicendis hac quæst. Clarum est, quòd ex hac parte erit medium magis proportionatum ad perfectionem Religionis consequendam. Secundo, quia quartum votum aliarum Religionum est conditionatum, non enim obligat, *Montoya. D. Thom. Val. D. Thom.*

ligat,

ligat, nisi ad habendam illam animi præparationem, executioni mandandam, semper, & quandò aderit Superioris præceptum; Vndè quamplurimi decedunt è viuis, qui numquàm quartum votum impleuere. At votum vitæ Quadragesimalis est votum absolutum; Quia statim perfectè obligat ad obseruantiam sui, per ea, quæ tradit Sanchez lib. 5. in decalog. cap. 1. num. 30. *Sanchez.*

Notandum quartò. Quòd dupliciter potest dici, aliquid esse essentiale Religioni. Primo Religioni in communi, vt sunt tria vota, quæ dicuntur esse essentialia omnibus Religionibus, & sinè quibus Religio consistere non potest. Secundo dicitur aliquid essentiale alicui Religioni in particulari, vt verbi gratia votum vitæ Quadragesimalis Religioni Minimorum, clausura perpetua Monialibus Sanctæ Claræ, &c. De quo duplici essentiali loquitur Trid. sess. 25. cap. 1. de regul. hoc pacto. *Præcipit Sancta Synodus, vt omnes Regulares, tàm viri, quàm mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque inprimis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & Castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruent.* De quo duplici essentiali videri potest Rodriq. tom. 1. quæst. regul. q. 26. art. 1. versu sed pro maiori. Miranda tom. 2. Manualia, q. 6. art. 6. versu prima dicitur essentialis. *Trid.* *Rodriq.* *Miranda.*

Dicendum est, votum vitæ Quadragesimalis esse essentiale Religioni Minimorum, ità vt, eo sublato, Religio Minimorum desineret esse Minimorum Religio, pro vt instituta est à Beatissimo Patre nostro Francisco de Paula. Est sententia Passarelli in notab. priuil. notab. 25. versu in secundo genere, Montoyæ in chronicis Minimorum, lib. 1. cap. 11. §. 7. pag. 271. Vigligæ in vita S. Francisci de Paula, Bonac. tom. 1. de clausur. q. 2. par. 12. §. 3. num. 4 Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 17. nu. 8. Quam etiam tenetur defendere Rodriquez, quatenùs ait to. 1. quæst. regul. q. 26 art. 4. Paulò antè respons. ad argum. contr. *Quòd si Romanus Pontifex moniali sanctæ Claræ clausuram remitteret, quam Moniales huius instituti solemniter profitentur, esset procul dubio Monialis, non tamen instituti sanctæ Claræ, quia esset sublatum aliquid illi Religioni essentiale.* *Passarell.* *Montoya.* *Bonac.* *Suar.* *Rodriq.*

Probatur primò, Quia illud est essentiale Religioni, sinè quo Religio consistere non potest, sed sine voto vitæ Quadragesimalis non consistit Minimorum Religio, instituta à Sancto Frãcisco de Paula; ergo votum vitæ Quadragesimalis est Ordini nostro in particulari essentiale: sicut alia vota omnibus Religionibus in communi. Maior est certa; Minor patet, quia S. P. Franciscus suam Religionem instituit sub hoc voto, vt habetur in lectionibus, quæ leguntur in Breuiario reformato in Festo huius Sancti, lect. 2. fine, his verbis. *Quam consuetudinem, vt Fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adstrinxit.* Et Leo X. in bulla eius canonizationis dicit. *Quòd mandauit, vt sub obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quadragesimalisque vitæ sacris votis perseueranter viuere profiterentur.* Et patet ex ipsa regula. Ergo, eo remoto, necessario etiam remouetur ipsa Religio, ab ipso instituta. Et eam docet Rodriquez loco cit. à simili de Religione S. Claræ, & Montoya de Religione nostra in chronicis, lib. 1. cap. 13. §. 7. in fine. *Rodriq.* *Montoya.*

Secundò probatur, quia decipiens aliquem ad finem eum pertrahendi ad Religionem circà Religioni non essentialia, licet proximè illis accedentia, peccat quidem, sed deceptio illa non reddit votum professionis nullum, vt docet Ledesma de statu Religiosorum in communi, cap. 5. conclus. 8. versu digo lo quarto, pag. 219 & dixi supra q. 1. cap. 19. conclus. 4 notab. 3. Secùs autem si deceptio esset circa essentialia, vt docent Sayrus in claui reg. lib. 6 cap. 9. num. 4 Et Ledesma loco cit. & dixi etiam supra loco cit. Sed neminem dicturum puto, deceptum circà vitam Quadragesimalem, ità vt credat, in Ordine Minimorum eam non obseruari, teneri ad illud votum obseruandum? Et Ratio est, quia deceptio illa causat inuoluntarium, quòd omninò requiritur ad votum, vt docet Sotus lib. 6. de iust. quæst. 1. art. 2. circà medium. Ergo signum est, votum vitæ Quadragesimalis esse Religioni nostræ essentiale; quia deceptio circà ipsum reddit professionem omninò nullam. *Ledesma* *Sayrus.* *Ledesma.* *Sotus.*

Tertiò Probatur, quia illud est essentiale Religioni, quod ad obseruantiam trium votorum valde conducit, & moraliter dicitur ad illorum obseruationem necessarium, vt habet Reginaldus in praxi, lib. 18. num. 396. Sed ad obseruantiam illorum trium votorum maximè conducit, immò moraliter loquendo, est necessaria carnis maceratio, quæ maximè fit per ciborum substractationem, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. ad tertium, & opusc. 18, cap. 9. Et patet, quia caro macerata huiusmodi abstinentia faciliùs domatur per obedientiam, non insolescit per libidinem, & nihil ducit sæculi diuitias per paupertatem. Et talis est sensus communis Ecclesiæ in obseruantia Quadragesimali. Ad quod respicientes sancti Patres Religionum institutores, Omnes prohibuerunt in suis Regulis licèt non sub voto (hanc lauream reseruantes Patri nostro Francisco) carnis comestionem, vt probant Pater Vincentius in cit. libello de abstinentia carnium, & Montoya lib. 1. suorum Chronicorum, cap. 13 §. 3. & 4. discurrendo per omnes Religiones in sua primæua institutione. *Reginal.* *D. Tho.* *P. Vinc.* *Montoya.*

Quartò probatur ex Trid. sess. 25. de regul. cap. 1. vbi, vt diximus, ait, quòd præter essentialia Religioni in communi, potest etiam esse aliud essentiale Religioni in particulari, quod in Religione nostra est votum vitæ Quadragesimalis. *Trid.*

Quintò Probatur. Nàm ea, quæ non sunt alicui Religioni essentialia, possunt consuetudine abrogari, vt probant Nauarrus in sum. cap. 12. num. 50. Lopez 1. par. instruct. cap. 45. col. 2. versu non excusatur, Rodriquez tom. 2. summ. cap. 95. num. vlt. Sanchez lib. 6. in decal. cap. 2; num. 26. Azor tom. 1. Instit. moral. lib. 13. cap. 11. quæst. 15. Sed contrà vota nulla potest consuetudo introduci, vt docent præfati Doctores, præsertim Azor; Ergò signum est, quòd votum vitæ Quadragesimalis est nostræ Religioni essentiale, quia contrà illud non valet consuetudo introduci. *Nauar.* *Lopez.* *Reginal.* *Sanchez.* *Azor.*

Sextò

Sexto Probatur specialiter ex regula nostra, in qua semper votum vitæ Quadragesimalis æquiparatur alijs tribus votis, tùm quò ad culpam, tùm quò ad pœnam, tum quò ad meritum, vt videre est in regula, nu. 1. correct. nu. 18. & nu. 86. & nu. 107. & nu. 111.

Tandem hoc quartum Religionis nostræ votum est quartus clauus, quo cruci affixus est est Christus Dominus, vt ait Montoya loco cit. *Montoya.* §. 4. Pro quo nota, quòd licet aliqui tradant, tres tantum fuisse clauos, quibus Christus Dominus in crucem affixus est; Communior tamen opinio est, fuisse quatuor, quam tenet Bel- *Bellarm.* larminus præfat. in opusc. de septem verbis Domini, pro qua citat etiam Iustinum, Irenæum, & Gregorium Turonensem. In hanc partem inclinat Gretserius tom. 1. de cruce, lib. *Gretser.* 3. cap. 20. Qui rem ex professo tractat, & multos pro hac opinione adducit. Videtur etiam inclinare Lipsius, licet non discutiat lib. *Lipsius.* 2. de cruce, cap. 9.

Religio itaque crux est, in qua se crucifigunt Religiosi. Quatuor claui sunt quatuor vota. Primus clauus est abnegatio propriæ voluntatis, per obedientiam. Secundus abiectio rerum temporalium, per paupertatem. Tertius priuatio dulcedinum carnalium, per castitatem. Quartus mortificatio omnium membrorum, & appetituum, per Quadragesimalem abstinentiam. Dicuntur autèm claui, quià carnem crucifigunt, quæ in malum inclinata, nisi hoc pacto esset crucifixa, in vitia omnia proflueret. Quare Paulus ad Galatas 5. *Qui sunt,* *Galat. 5.* loquit, *Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*, Idest non tantum vitia, & concupiscentias, sed & ipsam carnem corruptam, quasi fomitem concupiscentiarum castigant, & crucifigunt per ieiunia, cilicia, mortificationes propriæ voluntatis, abiectiones terrenarum rerum, &c. Vndè Kempis parte 3. *Kempis.* serm. ad nouit serm. 1. nu. 1. *Horret*, inquit, *Humana fragilitas pati paupertatem, abiectionem, vilitatem, esuriem, laborem, dolorem, angustiam, derisionem, quæ sæpè contingunt, & hominem grauant, & conturbant, Sed hæc omnia simul iuncta, à Deo nobis dispensatiuè transmissa salutarem fabricant crucem, per multiplicem pœnam, & veris cruciferis, crucem suam tollentibus, aperiunt cælestis regni portam, certantibus preparant vitæ palmam, & vincentibus dant æternæ gloriæ coronam.* Et nu. 8: *O Religiose Monache, & sectator arctioris vitæ, noli ab assumpta cruce in ordine recedere, Sed sustine, & porta crucem vsque ad mortem, et inuenies æternam requiem, cælestem gloriam, & honorem.*

CAP. II.

Vtrùm ex Religione Minimorum ad Episcopatum assumptus teneatur ad obseruantiam vitæ Quadragesimalis.



RO hoc capite videri potest Montoya in chronicis Minim. cap. 13. §. 9. versu Ouraduda se offresce, Ledes. parte 2. sum. cap. 3. de statu Episcop. conclus. 25. d. 2. fine, pag. mihi 75. Vasquez 1. 2. disp. 165. cap. 8. num. 89. fine. Sanchez lib. 6. in decal. cap. 6. num. 15. Qui dicit, se neminem de hoc disputantem inuenisse, præter Vasquez loco cit. *Montoya. Ledesma. Vasquez. Sanchez.*

Dicendum est, ex Religione Minimorum assumptum ad Episcopatum, teneri ad obseruantiam vitæ Quadragesimalis. Ità omnes doctores citati, præter Sanchez; Et eum secutus Fagund. in 4. præcep. eccles. lib. 1. cap. 6. num. 6. versu Dubium. Et prætereà Caiet. 2. 2. q. 185. art. 8. dub. 2. & tom. 1. opusc. tract. 25. de oblig. & obser. præcept. quæst. 2. Sotus lib. vlt. de iust. q. vlt. ar. vlt. col. 7. versu Sed contra. Vasquez in opusc. de redditibus, cap. 3. dub. 1. nu. 2. & 3. Val. tom. 3. disp. 10. q. 3. p. 8. fine, quatenus dicunt, Episcopum non teneri ad regulares obseruantias ex præcepto, & vi coactiua; secùs autem esse de votis; Quià hæc expressè vouit. Hanc sententiam, dicit Montoya, tenuisse doctissimum Ludouicum Montesinum Cathedraticum primæ in vniuersitate Complutensi. *Caietan. Sotus. Vasquez. Valent.*

Probatur primo, Quià tenetur obseruare Religionis essentialia, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. ad 4. & q. 185. ar. 8. & dixi suprà q. 1. cap. 10. §. vn. Sed probatum est, quòd votum vitæ Quadragesimalis est essentiale Ordini nostro. Ergò ad illud obseruandum tenetur Minimus factus Episcopus. *D. Thom.*

Secundo Probatur, Quià tenetur obseruare omnes illas obseruantias suæ regulæ, quæ statum Episcopalem non impediunt, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. Non enim oportet, Episcopos ad eam dignitatem euectos, delicatiorem vitam degere, quàm in Religione, nisi quatenus opus fuerit ad onera muneris sui subeunda. Sed obseruatio vitæ Quadragesimalis statum Episcopalem non impedit. Primo quidem, quia experientia comprobatum est, multos ex nostris Episcopis munus Episcopale diligenter, & assiduè exercuisse cum obseruantia vitæ Quadragesimalis. De qua experientia testatur Montoya loco cit. Et Generalis ordinis, qui est in continuo motu Religionem visitando, vitam Quadragesimalem obseruat. Secundo, quià possunt Episcopi commodiùs obseruare vitam Quadragesimalem; Cum enim habeant redditus ad sufficientiam, & quandoquè ad superabundantiam sui status, possunt abundantiùs, & lautiùs cibis Quadragesimalibus vesci. Tertio non video quare non debeant hoc votum Episcopi obseruare, Cum nullo modo statum Episcopalem valeat impedire. Si enim contigerit aliquando infirmari, poterunt cum consilio medici cibis paschalibus vesci, supplendo per se ipsos auctoritatem Superioris. *D. Thom. Montoya.*

Tertio Probatur, quià Status Episcopalis

est maioris perfectionis, quam sit status Religionis; Ergo maiorem requirit custodiam, vt docet D. Thom. loco cit. Ergò si in Religione obseruabat vitam Quadragesimalem ad custodiam aliarum virtutum; multò magis debet eam obseruare, cum est in statu perfectiori, nam ab eo, qui plùs accepit plùs erit exigendum.

Quarto si Episcopus dum erat in Religione vouisset recitare quotidie verbi gratia officiũ B. Mariæ Virginis, factus Episcopus ad illud recitandum tenetur; quià id nihil obstat statui Episcopali; Ergò multò magis tenetur ad obseruandum votum solemne vitæ Quadragesimalis, quod maiorem quamd. obligationem inducit: etiam quo ad Deum ratione perpetuitatis, & maioris solemnitatis, quam votum simplex, vt colligitur ex Tostato cap. 30. Num. q. 59. & patet in voto simplici, & solemni castitatis. *Tostatus*

Si dicatur, quòd qui ab inferiori ad superiorem gradum ascendit, non videtur teneri ad ea, quæ sunt inferioris gradus; sicut Religiosus non tenetur ad obseruantiam eorum votorum, quæ in sæculo fecit, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 12. ad primum, sed Religiosus, qui assumitur ad Episcopatum, ascendit ad aliquid maius; Ergò videtur, quòd non teneatur factus Episcopus obseruare ea, quæ fecit, dum erat Religiosus. *D. Thom.*

Respondeo; Hoc argumentum proponitur a D. Tho. 2. 2. q. 185. art. 8. Cui & ipse respondet ad secundum. Quòd vota sæcularis se habent ad vota Religionis, sicut particulare ad vniuersale, quià illa sunt quorumdã particulariũ operum, & homo per votum Religionis totum se Deo deputat, vt ipse D. Thom. dixerat q. 88. art. 12. ad primum. Vndè cum particulare in vniuersali includatur, non est mirum, quòd per votum Religionis cessent omnia alia vota in sæculo facta. At vota Religionis, seù in Religione facta, se habent ad Pontificalem dignitatem sicut dispositio ad perfectionẽ. Vndè non cessant, Põtificali adueniente dignitate. Quià dispositio adhùc est necessaria, perfectione obtenta. *D. Thom.* *D. Thom.*

Quinto Probatur, quià est votum solemne, de cuius ratione diximus esse perpetuitatem.

Sexto, Quià frater Minimus factus Episcopus non desinit esse frater Minimus; Vndè non debet desinere obseruare ea, quæ sunt de essentia talis status.

Septimo Probatur, ex cap. Carnem, de consecr. d. 5. vbi Glossa verbo Violauerit, ait Monachum factum Episcopum teneri ad abstinentiam carnium, quod multò magis diceret de fratre Minimo.

Sed contrà hanc nostram doctrinam obijcis Sanchez 1. Huiusmodi votum vitæ Quadragesimalis cessare in Episcopis, & suspendi; quià emittitur vt annexum, & accessorium professioni Monasticæ, à qua liber manet Episcopus per caput Statutum. 18. q. 1. *Sanchez.*

Secundò, Ordinatur hoc votum ad faciliorem communitatis Religiosæ perfectionem, & ordinem; Ergò tamdiù censetur obligare, quamdiù professus est de eius corpore.

Tertiò, quià votum tunc desinit obligare, quando est facta ità notabilis mutatio materiæ, vt reddatur notabiliter difficilior, & quæ à principio præuisa retraheret à voti emissione. Propter quas rationes eximit etiam electum ab ordine ab hoc onere vitam Quadragesimalem seruandi.

Ad primum respondeo, Monachum factum Episcopum dici exemptum a Regula professionis Monasticæ, idest ab obedientia Abbatis, à ieiunijs, vigilijs, silentio, modo cantandi. &c. vt habet Glossa dicto cap. Statutum, verbo Absoluit: Non tamen absoluitur à voto professionis Monasticæ; Vnde caute puto dictum in illo cap. Statutum (Regula) non voto. Nam si dixisset, Voto, intelligendum esset, Monachum factum Episcopum esse etiam absolutum ab obseruatione votorum, quod tamen nemo dicit. Nec est omnino absolutus a regula professionis Monasticæ; Nàm tenetur deferre habitum suæ Religionis, vt est communis opinio; Nec potest carnes comedere, si erat Monachus secundùm aliquos, inter quos Archidiaconus dicto cap. Statutum, num. 2. Qui multò magis dicerent, si esset Minimus. Deindè dico, quòd votum vitæ Quadragesimalis non est accessorium nostræ regulæ, sed est principaliter intentum, & essentiale, vt dictum est. Tertio dico, dato quòd esset accessorium, est tamen accessorium ad conseruandum, & custodiendum principale. Sicùt dos est quid accessorium matrimonio, pro illius oneribus sufferendis; Vnde tunc valet illa regula, quæ est 42. de regulis iur. in 6. *Accessorium sequitur naturam principalis.* Et sic cum remaneat obligatus ad principale nimirù tria vota, remanebit etiam obligatus ad accessorium, nimirum quartum vitæ Quadragesimalis. *Glossa.* *Archid.*

Ad secundum dico, quòd hoc votum ordinatur ad conseruationem, & custodiam aliorum votorum; Vndè cum ad alia obligatus remaneat, remanebit etiam obligatus ad hoc. Ad tertium respondeo. Quo ad Episcopum, materiam non esse redditam, neque impossibilem, vt constat, neque difficilem: Immò faciliorem, cum possit lautius, & abundantius cibis quadragesimalibus vesci. Quo ad electum, Licet videatur aliquantulum immutata, non tamen ità, vt votum irritum reddat, Cum commodè etiam in sæculo, Licet minùs commodè, quam in Religione, possit hoc votum seruari, quam incommoditatem debet patienter ferrè electus propter peccata sua, considerando, quòd in pœnam, non in præmium est à Religione electus. Et Præterea non debet electus ex sua culpa reportare commodum, quod maximum esset, Si illum absolueremus ab obseruantia voti Quadragesimalis vitæ. Et in specie de electo id tenet Bonac. to. 1. clau. q. 2. p. 12. §. 3. n. 4. pag. 640. *Bonac.*



Caput

C A P. III.

Vtrùm Frater Minimus ad infirmitates præcauendas, possit aliquo anni tempore se purgare, & durante purgatione cibis paschalibus vesci.



IDETVR, quòd non possint fratres Minimi tali purgatione vti. Primo quià per illorum regulam cap. 6. num. 26. tenentur abilloe. reà carnibus, &c. Toto tempore vitæ suæ excepto tempore infirmitatis; Ergò pro hoc solum statu illis conceditur comestio carnium; Non autem pro illo statu infirmitatis præcauendo.

Secundo, quià in nostris statutis capitulo Barchinonensi 1. num. 19. habetur statutum sequentia tenoris; *Ad conseruationem vitæ nostræ Quadragesimalis, per quam à cæteris Religionibus distinguimur, declaramt patres, non licere fratribus nostri Ordinis ad præcauendam futuram infirmitatem se purgare, cum iure nostro caueatur, non nisi tempore infirmitatis cibis paschalibus vesci.*

Tertio, quià per istas purgationes de consilio medicorum factas uidentur magis confidere Medicis, quàm Deo; Quod tamen in Aza Rege Iuda reprehenditur 2. Paralip. 16.

2. Par. 16. Quarto, Quia Medicus, & medicamenta non adhibentur nisi tempore infirmitatis, ut colligitur ex cap. 38. Ecclesiastici, ubi dicitur, Quòd *Medicus honorandus est propter necessitates*, Quia, scilicèt *Mitigabit dolores*, &c. Ergò antè hoc tempus, præsertim à fratribus Minimis adhibendus non est. Ad hocut uotum nitæ Quadragesimalis, regulæ ipsorum splendorem frangant. His tamen non obstantibus.

Ecclesiast. cap. 38.

Dicendum est, posse fratres Minimos ad infirmitates præcauendas se purgare. Quod vt probem, Noto primo ex Galeno lib. de arte parua. Quòd corpus humanū potest tripliciter considerari, vel vt simpliciter sanū, vel vt simpliciter ægrum, vel vt neutrū. Simpliciter sanū illud dicitur ab eodem Galeno in lib. Methodi medendi, quod proprias, ac naturales operationes rectè agit. Simpliciter ægrum, quod eas imperfectas; contrariorum enim eadem debet esse disciplina. Neutrum dicitur, quod participat naturam vtriusque extremi: Nimirùm quod neque omninò perfectas neque omninò imperfectas agit operationes.

Galenus.

Noto Secundo, Nos hic non loqui de corpore simpliciter sano; quià clarum est, quòd non potest pascalibus vesci per regulam nostram Minimorum. Neque de simpliciter ægro; quià etiam patet, quòd vesci ijs potest per eamdem met regulam. Tota ergò difficultas remanet de corpore neutro.

Et dico, quod hoc corpus neutrum debet appellari potius infirmum, quàm sanum; Immò addo, esse omninò infirmum. Et probo primo, Quià à statu salutis recedit, & facili negotio potest in simpliciter ægrum labi, ad quod præcauendum coguntur Medici aliquandò medicamenta adhibere: Secundo *cum bonum sit ex integra causa*, vt dicunt Theologi, hoc corpus non potest dici sanum, cum non sit omninò tale, *Et malum sit ex singulis defectibus*, vt dicunt Ijdem; Cum hoc corpus defectum aliquem patiatur, necessariò dicendum est, illud esse potiùs infirmum, quàm sanum: Immò infirmum, licet non simpliciter tale Tertio, quià, vt dicitur etiam apud philosophos, *Quod parum abest, adesse videtur*, Sed hoc corpus parùm abest à corpore simpliciter ægro, quià facilè potest in illud transire; Ergò debet dici ægrum potiùs, quàm sanum. Quarto, quià licet si luscus, & strabo non sint de facto orbi, vel cæci; tamen nemo dicet, eos potiùs esse dicendos videntes, quà orbos, vel cæcos, sed potius è cōtra quia facilius in orbitatem, vel cæcitatem lapsuri sunt, quā claram visionem recuperaturi. His positis.

Probatur primo conclusio. Corpus hoc neutrum infirmum est, vt probaui: Sed infirmi in regula Minimorum sunt consilio Medici curandi, & cibis paschalibus alendi; Ergò corpora hæc purgari possunt, & paschalibus nutriri.

Secundo Prudentis est obstare principijs, ne indeterius eatur; Ergò principijs infirmitatis obstandum, per præcepta medica, ne morbus insolescat, & serpat. Sed hoc non fit ordinatè, nisi per medicamina purgantia; Ergò hæc necesse est aliquandò applicare. Ex quo viterius sequitur, quod cum per hæc vires maximè labefactentur, vt communiter traditur medicorum schola; debent hæc per eam victus rationem reparari, quæ ad hoc valeat, & conducat. Sed hæc est, quæ conceditur carnibus, & lacticinijs vesci; Ergò hæc adhibenda est.

Tertio probatur ex illo Ecclesiastici 18. *Antè languorem adhibe medicinam*, Idest præcaue quantùm potes infirmitatem. Et verè quis negetse, posse faciliùs curari, & reparari, quod marcescere incipit, quàm quod iam marcidum est à Quis prudens potens præcauere ruinam, non præcaueat?

Eccl. 18.

Si quæras, vtrùm Medicus absque eo medicamina adhibeat, possit cum Fratre Minimo dispensare, vt carnes comedat.

Respondeo, Optimè posse. Ratio est, quià aliquando infirmi curantur faciliùs rectà victus ratione, quàm præsidijs ex herbarum succis petitis, vel alijs simplicibus, seu mixtis. Vndè est tritum apud medicos illud Hippocratis. *Aliquandò nihil agere in infirmis, est optima medela.* Et per illud (nihil agere) intelligunt communiter medici (vt mihi retulerunt) nullum exhibere præsidium. Adde, quòd nobis carnes conceduntur pro medicina, ad vires fractas restaurandas, & malos humores pellendos. Quod potest confirmari ex nostra regula in correct. num. 56. vbi præcipitur, Quòd *Qui sunt diutino languore vexati permittantur per aliquot menses carnes, & lacticinia commedere*. Ex quò etiam potest confirmari nostra conclusio. Nàm si per regulam nostram languidi cum Medici consilio debent permitti per aliquot menses carnes comedere; Ergò multò magis permitti debet purgatio, eaque durante carnium comestio illis, qui indigent ad infirmitates præcauendas.

Ad primum ergò in contrarium patet ex dictis. Qui enim egent purgatione ad infirmitatem præcauendam, infirmi sunt, & ideò licitè possunt per regulam carnes comedere.

Ad secundum Respondeo primo, meo videri illud statutum esse cōtrà benignitatem regulæ, quæ neminem ad peccatum obligat pro quacumque transgressione, exceptis transgressionibus

votorum

votorum, vt dicitur in fine correct. num. 116. contrà benignitatem regulæ, quæ *Præcipit charitatiuè, & benignè in cunctis oneribus ordinis supportari continuo languore cælitus visitatos.* Regula num. 38. contrà benignitatem regulæ. *Quæ mitis, & sancta dicitur*; Regula num. vlt. & vt talis fuit à sanctis Pontificibus approbata: contrà benignitatem regulæ, quę *infirmis per obedientiam præcipit sollicitè, & diligentius subueniri*, Regula num. 56. Quæ enim esset hęc sanctitas, & mansuetudo si ad infirmitatem pręcauendā, quam per consilium medici, & per experimentum aliàs non semel probatam, certo incurram, purgationem adhibere non potero?

Si vrgeas, esse quidem languidos in cunctis oneribus ordinis supportandos, & illis esse subueniendum, sed de cibis Quadragesimalibus in infirmaria claustrali, non autem de cibis paschalibus.

Respondeo, Infirmos in principio infirmitatis esse deducendos ad infirmariam claustralem, & abundantiùs, quam cæteros de cibis Quadragesimalibus refocillādos; Non enim pro quolibet dolore capitis, vel ventris, pedum, aut stomachi, est quis statim dispensandus super Quadragesimali vita. *Sed si talis infirmitas fit examinata* vt dicitur in regula num. 56. (idest si refocillatus ęgrotus per aliquot dies cibis Quadragesimalibus (*Inualuerit*,) idest melius non se habuerit, sed ibit in deterius) tunc *Debet ad infirmariam exteriorem deduci*, Et ibi paschalibus vesci. Quę omnia vera sunt secundùm regulam. At hic sumus in dispari casu. Qui enim eget ità purgatione, vt alioquin secundū artem medicam sit aliquam grauem infirmitatem incursurus, tàm est infirmus, vt diximus; Et moraliter certus, quod nisi purgationem adhibear, periclitabitur salute. Regula autem loquitur de ijs ęgritudinibus, in quas quis ex improuiso incurrit, & ex sano fit repentè ęgrotus per aliquam febrim, &c. Quæ febris cum possit esse ephimera, & accidentalis, sicut etiam alij dolores capitis, ventris, &c. Expectate, sit Bonus Pastor, & videte, an ista febris, & dolores continuent. Quòd si continuauerint, ad infirmariam exteriorem deducatur infirmus: Si cessauerint, iàm infirmus sanatus est, & paschalibus non indiget. Quæ omnia diuinitùs dictata sunt; Non enim est frangendum votum pro quolibet dolore. Et sic obseruatur in praxi à Dominis medicis nostræ Religionis, vt prius infirmitatem examinent, an sit grauis, an longa, an periculosa; an verò leuis, accidentalis, & sinè periculo, & iuxtà artē suā se gerant, pro ut meliùs iudicant expedire.

Secundo Respondeo ad argumentū principale. Illud statutum numquam fuisse à Religione acceptatum; Et si aliquandò inie, iàm non est ampliùs in vsu; Vndè per consuetudinem in contrarium censetur abrogatum: Quæ consuetudo excusat non solùm ab obligatione statutorum, sed etiam ab obligatione ipsius regulæ (intellige quò ad accidentalia) vt probat Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 69. ar. 8.

Rodriq. Tertio Respondeo, Patres illius capituli zelantes votum vitæ Quadragesimalis, ad abusus tollendos, illud statutum fecisse. Potest enim esse, quòd haberent notitiam aliquorū, qui gula potiùs carnium, quam necessitate sanitatis subornarent medicos, vel grauedines fingerent, ad hoc vt purgarentur, vt hac occasione possent paschalibus vesci. Ad quos abusus tollendos, & saluti animarum gulosorum consulendum, tale decretum fecerunt. Et hoc pacto est Sanctissimum, & in maxima oseruantia.

Ad tertium Respondeo cum Tostato 2. Paralip. cap. 16. q. 37. Quòd ægritudines duobus modis infliguntur, vel à Deo, vel à causis naturalibus; Si infligantur à Deo, tunc non est fidendum arti Medicorum; Si proueniant ex causis naturalibus, & sunt ijs, quæ per artem medicam curari possunt, tunc fidendum est arti Medicorum; nòn ita quidem infallibiliter, quin à Deo possit impediri effectus rerum naturaliū. Asa reprehenditur, quia eum illius infirmitas esset à Deo in pęnā carcerationis illius Prophetę, de quo ibi, Non quæsiuit Dominū, sed confisus est operi medicorum. In casu nostro, qui purgationem accipit, non fidit infallibiliter Medico; ità vt putet, Deum non pòsse impedire effectum illarum rerum naturalium, quas medicus exhibet ad purgationem. Sed obseruat præceptum Domini, Ecclesiastici 38. *Honora medicum propter necessitatem, Etenim illum creauit Dominus: Et scit à Deo esse omnem medelam: Sed quid Altissimus creauit de terra medicamenta, quæ vir prudens abhorrere non debet*; Ideò illis vtitur ad conseruandam propriam vitam. Dico igitur breuitèr, quod purgationem recipiens, confidit primario sanitatem obtinere à Deo; Secundariò à virtute rerum naturalium per Medicum, tamquàm sanitatis ministrum, & artificem aplicatarum: iuxtà illud Hippocratis in aphorismis. *Natura omnium operatrix: Medicus verò minister.* Tostatus. Eccles. 38. Hippocr.

Ad quartum respondeo honorandum esse medicum tempore sanitatis, vt cum superuenerit ægritudo, promptus sit ad eam depellēdam; Medicina enim est scientia, qua cognoscimus habitudines corporum humanorum, ægrotorū, & sanorum, & neutrorum, & virtutes rerum naturalium ad eas applicandas, vel remouendas. Sed in casu posito cognoscit Medicus, corpus illud neutrum esse purgandum, Ergò tunc illius est maxima necessitas.

CAP. IV.

An abstinentia Quadragesimalis abbreuiet vitam.



DICENDVM est absolutè, & simpliciter loquendo, cibaria Quadragesimalia vitam non abbreuiare.

Probatur primo ratione Medicorum. Ideò ingeruntur cibaria, vt calore naturali cōcocta in alitī naturam cōuertantur; Corpora enim continua euaporatione resoluuntur, Vndè indigent cibarijs pro restauratione deperditi, Sed hoc deperditum optimè potest restaurari per cibos Quadragesimales, vt corpora sint debilia, vel robusta. Nàm calor naturalis restauratur per vinum temperatè sumptum. Et humidum radicale per ista cibaria Quadragesimalia, quod ità in facto esse probat experientia.

Quod

O quàm benè fugit occasiones libidinis, qui moratur in cella, quàm est securus à Diaboli assultibus, qui in cella semper aliquid operatur, quam benè custodit sensus cunctos cæliæ cultos. Vndè

Bernard.

Bernardus, 10 epist. ad fratres de monte Dei. *Monachus moriens, aut vix, aut nunquàm à cella in Infernum descendit, quia vix vnquàm aliquis, nisi cælo prædestinatus, in ea vsq; ad mortem persistit.* Et serm. 40. in Cantic. *Sede solitarius vt turtur, nihil tibi, & turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiam ipsum obliuiscere populum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.*

Basilius.

Mira de cella Basilius de laudibus eremi. *O cella spiritualis prorsùs habitaculum. Namque de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in diuina Charitate feruentes: Tu odiosæ linguæ frænum, tu luxuriosis renibus castitatis adhibes cingulum: Tu facis vt leues quique ad grauitatem redeant, vt iocosi scurrilitatibus parcant, vt vaniloqui, & peruasores se sub districta silentij censura castigent. Tu ieiuniorum, ac vigiliarum nutrix: Tu patientiæ, & pacis perfectissima custos: Tu purissima simplicitatis magistra, ac omninò fraudolentæ duplicitatis ignara. Tu facis vt vagos quosq; Christi statione coerceas, vt indisciplinati moribus à sua se prauitate compescant. Tu nosti homines ad perfectionis culmen euehere, atq; ad consumatæ sanctitatis fastigium sublimare. Tu facis vt homo sit integer, atque rotundus, at nulla à semetipso morum inæqualitate diuersus. Tu etiam facis lapidem quadrum, construendæ videlicèt cælestis Hierusalem mænibus aptum, qui nimirum, non ex morum leuitate se versatilem præbeat, sed fixus semper in sanctæ Religionis grauitate consistat. Tu homines à semetipsis extraneos reddis, & prius vasa vitiorum reflorere virtutibus facis. Tu nigra, sed formosa sicut tabernaculum Cedar, sicut pelles Salomonis. Tu Lauacrum tonsarum, Tu Piscina in Hesebon. Oculi tui sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxtà fluenta plenissima. Tu namque es speculum animarum, cuius contemplatione se mens humana perspicaciter intuens, quod minus est, impleat; quod superfluum, reprimat, quod obliquum est, dirigat, quod deforme, componat. Tu nuptialis es thalamus, in qua Sancti Spiritus annulus tribuitur, & cælesti sponsa felix anima fæderatur. Recti diligunt te: Et qui fugiunt te, veritatis luce priuati, quo gressus ponere debeant, non agnoscunt.* Hucùsque Basilius.

Tho. Kem.

Thomas Kempis opusc. 10. exercit. spirit. cap. 4. *Custodi diligenter cellam tuam, & custodies te. Tutior locus non est seruo Dei in hoc Mundo, quàm latere in secreto, vbi patrem ores libera mente, ostio cubiculi clauso. Periculosus semper exitus cellæ, mansio eius quies deuotissima vitæ. Qui assuescis cellam suam incolere, citò pacem cordis hauries, & tutabitur à periculis maximis, & multis. Solitudo deuotionis est mater, turba verò conturbat.* Et Paulò infrà. *Ad cauendum ergò laqueos apertos, vel occultos, libentius sis intùs, quàm foris. Rediens itaque ad cellam, velut ad tranquillitatis portum, fige in ea stabilitatis ancoram, per orationem feruentem, & lectionem deuotam. Non patitur cella, tepidum, & otiosum in se diù morari. Flecte statim genua, vel caput inclina antè crucifixum, & saluta præcipuè IESV Matrem MARIAM Dominam nostram. Dicito attentè, & replica sæpè hunc versum: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Domine bonum est nos hic esse, super omnia desiderabilia terræ, locus enim iste Sanctus est. Quamdiu ergo spiritus tuos rexerit artus, sit cella requietionis tua domus, ac tumulus, donec tibi aperiatur Paradisus cælestis. Est enim via breuis de cella ad cælum, si in ea cælicam duxeris vitam.*

Instinian.

Beatus Laurentius Iustinianus de vita solit. cap. 12. tit. Quid sit spiritualis solitudo. *Nemo*, ait, *ad plenum narrare sufficit cellæ præconia, quanta veniant bona, quantaque per illam amoueantur incommoda. Est namquè cella sponsi reclinatorium, virtutum custos, tranquillitatis portus, additamentum pacis, medela vitiorum, contemplationis locus, tabernaculum fœderis, nuptialis thalamus, portus irriguus, Paradisus deliciarum, cæli ianua, schola scientiæ, conscientiæ cathedra, magistra silentij, spiritualis scala vsque ad polorum alta pertingens. In ea si quis absque corpore persistit, fugit lites, nescit odia, detractioni non vacat, temeraria iudicia minimè facit, abhorret otium, nec veretur mortem.*

Eia nunc, sequitur Iustinianus, *Christi milites, qui vosmet Deo vouistis, & pro amore cælestium eremi castam solitudinem, atque deserti antra* (vel certè secreta cœnobiorum, aut domorum Religiosorum) *incolitis, vt solitariæ vitæ perfectionem apprehendere valeatis. Cellulæ habitationem diligite; illam sentite, illam amplectimini, de ea, nisi vrgente necessitate rationabili, seù corporis impellente infirmitate, vel fraterna suadente charitate, exire nolite. In ea sint vestræ spirituales deliciæ, atque interna solatia. Ad ipsam, si contingat vos egredi, reuertimini quam citiùs, ne detrimentum aliquod patiamini, moram protelando ad publicum.* Hæc, & alia multa B. Laurentius in laudem cellæ.

S. Doroth.

Sanctus Dorotheus serm. 16. ad quosdam Monachos celliotas, seù cellam frequentantes, in quo docet, quid facere debeat Monachus in cella, & ad quid debeat illa egredi. Inter alia habet. *Cella attollit, ac sursùm eleuat.* Quod autem detrimentum incurrat discedens ex cella, docet Cassianus collat. 6. cap. 15. *perdit scilicet omnia bona, quæ acquirit in cella morando.*

Cassianus.

Seneca.

Et Seneca hanc recollectionem à sæcularium negotiorum strepitu multum etiam comendat. *Bonam spem de te concipio, quod non discurras.* Epist. 2. *Vt animum possis continere, corporis tibi fugam fistito.* Epist. 71. *Nihil æquè proderit, quàm quiescere, & minimè cum alijs loqui, secum plurimum*, Epist. 107. Tandem deuotus cellæ cultor hos versiculos in cella sua reponat, assiduèq; contempletur, & impleat.

Cella tibi quasi cælum sit, quia cælica cernas.
Hic legis, hic oras, meditaris, hic crimina plangis.
Pax est in cella, foris autem plurima bella.

XI. Remedium. Si aditum fortè turpibus cogitationibus incuria dederis, & periculum sit consensus, clama magno affectu ad Dominum, more eorum, qui orta tempestate, in discrimine sunt naufragij, ac breuia, efficaciaque sacræ scripturæ eloquia vsurpa. *Vt Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. IESV fili Dauid miserere mei. Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. Eripe me Domine à spiritu malo: à stimulo iniquo eripe me. Domine saluum fac seruum tuum: Deus meus sperantem in te. Sanctus Deus,*

Sanctus

Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere mei: Domine salua me: quia perire periclitor. Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum coram te. *D.Hieron.* Quo remedio usus est D. Hieronymus ad Eustochium. *Non soluatur,* inquit, *fascia pectoralis, sed statim ut libido titillauerit sensum: aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem. Dominus auxiliator meus non timebo quid faciat mihi caro. Cum paululum interior homo inter vitia, atque virtutes coeperit fluctuare, dicito. Quare tristis es anima mea, quare conturbas me? Spera in Domino, quia confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Sic clamabat *August.* Augustinus 10. confess. cap. 29. *O amor, qui semper ardes, & numquam extingueris, charitas Deus meus accende me; Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.*

XII. Remedium. Tandem recurre ad passionem Domini Nostri IESV CHRISTI. Ingredere in foramina illa Petrae in cauernam maceriae, in illam aperturam lateris. Strictè amplectere Christum tuum, & dicito ei: Tenebo, tenebo te Domine, nec dimittam, nisi benedixeris mihi, & fornicationis spiritum à me repuleris. Et securus sine dubio eris ab omnibus carnis *August.* tentationibus. Quo remedio utebatur Augustinus in Manuali, cap. 22. *Cum me,* ait, *pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiae Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filij Dei extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi, in illis* *Origenes.* *dormio securus, & requiesco intrepidus.* Et Origenes, ut refertur, in Epist. ad Rom. *Certum, & exploratum est,* ait, *Quod cum anima continuo Passionem Christi meditatur, in ea peccatum conregnare Non potest; est enim tanta vis crucis, & Passionis Christi, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur: Ita ut in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis respiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare nos possit inuidia, sed continuò ad eius praesentiam totus ille, quem suprà enumerauimus, peccati, & carnis fugatur exercitus.* *Bern.* Et Ber. in formula honest. vit. *Deus meus,* inquit, *Pendet in patibulo: Et ego voluptati operam dabo?* Immò hoc remedium nobis *Petrus. Epist. 1.* reliquit Petrus in sua 1. Epist. cap. 4. dicens. *Christo igitur in carne passo, vos eadem cogitatione armamini.*

Maximo etiam nobis erit adiutorio recurrere ad B. Virginem in istis necessitatibus, & dicere. *Post partum virgo inuiolata permansisti, Dei genitrix intercede pro nobis. Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac, & castos.* Et ad Sanctos, quos particularis deuotione veneramur. Nos Minimi ad Sanctum Patrem nostrum Franciscum de Paula illis verbis. *O bone Pastor Francisce, Virginitatis alumne. Tu pudicitiae amator, castitatis es praedicator. Tu consolamen es miserorum, recordare pupillorum, nec oblitus sis tuorum salutis deuotorum.*



CAP. III.

Quàm decet Religiosum esse Castitatis amatorem.



HIC tria tantum videbimus. Motiua, seu incitamenta ad castitatem, effectus, & signa. Et breuiter. Qui plura desiderabit, poterit adire D. Prosperum lib. 1. cap. 9. de vocat. gent. Ambros. lib. 2. de virginit. Cassianum, lib. 6. instit. & coll. 10. Cyprianum de bono pudic. Tertull. lib. de pudic. Sanctum Ephraem serm. de cast. Nazianzenum de pauperum amore. Lactantium Firmianum lib. 6. cap. 23. de vero cultu. Agene de castitate virginali. Bernardum epist. 42. Chrysostomum de virginit. cap. 79. Basilium in lib. de virginit. Gregorium, lib. 6. in 1. Regum, cap. 1. Kempis serm. 4. ad fratres. Climacum gradu 15. Pratum de bono statu Religiosi, lib. 1. cap. 4. Busaeum in viridario, verbo Castitas, Rosignolium de discipl. Christianae perfect. lib. 2. cap. 14. 15. & lib. 4. cap. 35. B. Laurentium Iustinianum in ligno vitae, tract. de virt. continent. Bonauenturam tom. 2. opusc. in dietis salutis. tit. 4. dieta 4. cap. 4. Aluarez de vit. spirit. tom. 1. lib. 5. par. 1. per totum. Iabatam in appar. concion. tom. 1. & 2. & in locis communibus, semper verbo Castitatis, & verbo Virginitas; Alphonsum Rodriquez par. 3. tract. 4. Peraldum in sum. virt. & vit. tom. 1. tract. de temperantia, praesertim cap. 13. Antonium de Gueuara in orat. in relig. cap. 50. 51. Cantipratanum lib. 2. apum, cap. 30. Blosium in Canone vitae spirit. cap. 30. Carthagenam, lib. 15. homil. 1. §. 7. tom. 4. Librum 5. de vitis patrum, libello de fornicatione. Laurentium de Portel exhortat. 8.

D. Prosp. Ambros. Cassian. Cyprian. Tertull. S. Ephrem Nazianz. Lactantiũ Firmian. Bernard. Chrysost. Basilius. Gregor. Kempis. Climacus. Pratus, Busaeus. Rosignol. Iustin. Laurentius. Aluarez. Iabata. Alphons. Rodrig. Peraldus. Antonius de Gueu. Cantipr. Blosius. Carthag. Laur. de Portel.

Incitamenta. Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animae.* Sapientiae 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim gloria illius.* Et de casta Iudith dicitur suo lib. cap. 15. *Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideò manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in aeternum.* Et 1. Petri 1. *Succincti lumbos mentis vestrae, sobrij, & perfecti, sperate in eam, quae vobis offertur gratiam in reuelatione IESV CHRISTI.* Ambrosius lib. 1. de virginit. *Quis,* inquit, *Humano eam posset ingenio comprehendere, quàm nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod suprà usum naturae sit? è Caelo accersiuit, quod imitaretur in terris, nec immeritò viuendi sibi usum quaesiuit è Caelo, quae sponsum sibi inuenit in Caelo: Haec nubes, aera, Angelos, syderaque transgrediens, verbum Dei in ipso sinu patris inuenit, & toto hausit pectore.*

Eccles. 26. Sap. 4. Petri 1. Ambros.

Cyprian. Cyprianus de hab. vir. *Virgines alloquens,* ait, *Quod futuri sumus, vos iam esse coepistis, vos resurrectionis gloriam in hoc seculo iam tenetis, per saeculum sinè saeculi cogitatione transitis: cum castae perseueratis, ac virgines Angelis Dei estis aequales.* Et de bono pudic. *Pudicitia,* ait, *Est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons Castitatis, pax domus, concordiae caput. Pudicitia sollicita non est, cui placeat, nisi sibi. Pudicitia semper verecunda,*

dùm innocentiæ mater est. Pudicitia semper ornatur suo pudore, benè sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa, & beatos efficiens, apud quoscumque habitare dignatur.

Nazianz. Nazianzenus de amore pauperum. *Præclara est castimonia, & virginitas, fidem arroga Paulo de his leges instituenti* (1. Corinth. 7.) *Ac matrimonij, & virginitatis causam iuste, incorruptèque disceptanti.* 1. Cor. 7. *Ipsique etiam IESV ex virgine nascenti, vt & procreationem honore afficiat, & virginitatem honore præferat.*

Basilius. Basilius de virginit. inquit, *Hi profectò, qui continentiam seruant. Angeli sunt, qui viventes in carne corruptibili, mortalium vitam illustrando tuentur.* Et ibi, *Magnum*, ait, *Quiddam re vera, ac præclarum est virginitas, quæ vt omnia vno verbo complectar, hominem incorruptibili Deo simillimum facit.*

Lactantius Firmian. Lactantius Firmianus lib. 6. cap. 23. de vero cultu, agens de castitate virginali, ait *Quòd continentiæ genus, quasi fastigium est, omniumque consummatio virtutum.*

Augus. Augustinus lib. 2. de Ciuit. Dei, cap. 26. *Tanta vis est probitatis, & castitatis, vt omnis, vel penè omnis eius laude moueatur humana natura.*

Bernard. Bernardus epist. 42. *Quid Castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine: de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit. Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est Castitas, quæ in hoc mortalitatis, & loco, & tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat.*

Cassianus. Cassianus lib. 6. Instit. cap. 6. *Quodammodò exire de carne est, in corpore commorantem, & vltra naturam est, fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire; & ideò impossibile est, hominem suis (vt ita dixerim) pennis ad tàm præcelsum, cælesteque præmium subuolare, nisi eum gratia Domini, de terræ cœno munere castitatis eduxerit: nulla etenim virtute tàm propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conuersationis æquantur, quàm meritò, & gratia Castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundùm*

Philip. 2. *Apostolum* (ad Philipp. 2.) *Municipatum in Cælis: quod deposita corruptela carnali habituros pro-*

Matth. 22. *mittitur in futurum* (Matth. 22.) *Hic iam in carne fragili possidentes.*

Climacus. Climacus gradu 15. *Castitas hominem Deo maximè familiarem, & quantùm possibile est homini similem facit. Mater quidèm dulcedinis terra perfusa rore, castitatis autèm mater est quies obedientiæ coniuncta.*

Iustinian. B. Laurentius Iustinianus in ligno vitæ, tract. de continentia. cap. 2. fine. *Continentia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus omnis regionis, Minoratio criminum, multiplicatio meritorum. Creatoris omnium Dei amica. Soror Angelorum, victoria libidinum, schola virtutum, & possessio omnium bonorum; quam qui possidebit, habebit pacem in conscientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in anima, securitatem in morte, & partem in æternitate.*

Kempis. Kempis serm. 4. ad fratres. *Quàm splendida, & speciosa facta es o beata Castitas, vt digna videaris ad agni intromitti nuptias; Hæc est formosa columba, ac singularis amica Creatoris omnium, quæ contemnit consortia mortalium, detestatur omnem carnis saniem; & ad cælestem properat amatorem.* Et paucis interpositis. *Nihil sic hominem super propriam fragilitatem eleuat, sicut virtus Castitatis, quæ Cælis etiam vim infert. Dum enim quis seruat per gratiam in terris, quod per naturam Angelici spiritus in Cælis, non ne vim infert Cælestibus?*

Effectus Castitatis. Primo reddit hominem similem Angelis, vt diximus, & docuit Christus Matth. 22. cum dixit. *In resurrectione neque* Matth. 22. *nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*, Innuens, quod qui castè viuunt, Angelis assimillantur.

Secundò, Homini suum honorem custodit; Honor enim hominis est libertas voluntatis; quæ libertas non reperitur in brutis, neque in ijs, qui secundùm desideria carnis viuunt. Vnde Dauid Psal. 48. *Homo cum in honore esset*, idest quandò in sua erat potestate, & sui iuris, vt suis dominaretur passionibus, *Non intellexit* Idest nesciuit se in eo statu conseruare, sed factus est præda passionibus, & ab ijs in seruitutem redactus, per quod factus est similis alijs irrationabilibus brutis, libertate carentibus. Vndè meritò, qui hac pollet castitatis virtute, ingenitum dicitur sibi conseruare honorem.

Tertiò reddit hominem Deo familiarem, Continens enim, & castus nihil præter Deum amat, nec cor suum diuidit sicùt impurus, & incontinens; Neq; enim possibile est seruire Deo, & Mammonæ. Et cor in duas partes diuisum, nullum respicit perfectè; *Coangustatum enim est stratum, & pallium breue vtrumque operire non potest.* Esaiæ 28. Verè enim ait Augustinus, *Minus te* Esaiæ 28. Augus. *amat, qui tecum aliquid amat, quòd non propter te amat.*

Quartò, ad contemplationē Dei præparat; Carnalis namquè homo, quæ carnis sunt semper cōsiderat; A carne autèm abstractus, quæ Dei sunt contemplatur, ijs carnalibus rejectis, quæ incontinētiæ, & impuritatis sūt maximū fomentū.

Quintò, à deceptione hostis familiaris custodit, scilicet carnis nostræ de peccato natæ, in peccato nutritæ, nimis ipsa origine corruptæ, sed ampliùs ipsa consuetudine vitiatæ, de qua tunc triumphamus, cùm per continētiam eā sub abstinentiæ disciplina coarctamus. Hæc fere ex B. Laurentio Iustin. in ligno vitæ, tract. de conti- Iustin. nentia, cap. 2.

Indicia castitatis sunt. Primum, Cum homo gratia Dei, & abnegationis virtute eò peruenit, vt si experitur carnis stimulos, eos sinè sua culpa patiatur.

Secundum est præuentio prauæ cogitationis, aùt subita, & facilis eiusdem victoria, cum se ingerit in animo.

Tertium, diminutio concupiscentiæ. Quamuis enim hæc non omninò tollatur, virtute tamen, & frequenti abnegationis vsu frangitur. Plura videri possunt circà indicia apùd Cassianum Cassianus. coll. 12. cap. 7. & lib. 6. instit. cap. 10. 20. 21. 22. Cautè tamen legendus. Nam videtur docere, concupiscentiam posse omninò consumi, & motus carnis omninò tolli, contrà Doctrinam Sanctorum Patrum, Gregorij lib. 5. in 1. Regum, Gregor. cap. 11.

cap. 15. vbi ait. *Non quidem potest tolli carni, quod lex carnis mouea non moueat; sed tamen potest tolli carni violentia motionis, vt relinquatur ei motus; sed eidem motui omnis delectationis obscænitas auferatur, & simplex ille motus fit, in quo aliqua libidinis turpitudo non sit.* Augusti.lib cōtra Iulian.cap.5.& 8.libr.circa fin. *Concupiscentiam*, ait, *Quis ambigat, posse minui, non posse consumi?* Ad quod facit etiam quod ait Apostolus ad Rom 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis:* Captiuantem me, non voluntatis consensione, vt aliqui volunt, sed commotione, vt Augustinus 8 confess. cap. 11. idest vt captiuus reddar, & subijciar legi peccati, idest concupiscentiæ, quæ lex peccati dicitur; quia est fomes ad peccatum sollicitans. Ita vt etiam inuitus, & reluctans vitiosas eius inclinationes, dictamina, & impulsus sentire cogar, & eius laqueos, & motus euadere non possim. De quo Pauli loco Hieronymus ad Eustochium de custod. virginit. hoc pacto scribit. *Si Apostolus vas electionis, & separatus in Euagelium Christi carnis aculeos, & incentiua vitiorum reprimit, & castigat corpus suum, & seruituti subijcit, ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur; & tamen videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se in legem duci peccati: Si post nuditatem, ieiunia, fames, carcerem, flagella, supplicia in semetipsum reuersus exclamat. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Tu te putas securam esse debere?* Tandem accipiat verus castitatis amator in eius laudem hoc Alphabetum.

August. *August.* *Ad Rom.7.* *Hieron.*

Angelis est simillima. Matth. 22. *Matth.22.*

Beatificatio hominum. Climacus gradu 15, Paulò post principium. *Climac.*

Columba formosa. Kempis serm. 4. ad fratres, num.4. *Kempis.*

Dei similitudinem præferens. Climacus ibidem. *Climac.*

Epulis, & ebrietatibus inimica. S. Ephræm Syrus apud Aluarez, loco citando, cap.1. *S.Ephrem.*

Filia cœlestis Hierusalem. Kempis ibidem. *Kempis.*

Gloria sequacium. Aluarez de vit. spirit. tom. 2. lib 5. par. 2. cap.3. excell 4. *Aluarez.*

Habitaculum Spiritus Sancti. S. Ephræm ibidem. *S.Ephrem.*

Iustorum illuminatrix. S. Ephræm ibidem. *S.Ephrem.*

Longæuitas vitæ. Chrysost. hom. 23. in primum ad Corinth. *Chrysost.*

Monile pretiosissimum de cœlo delatum. Platus lib. 2, de bono statu religiof. cap. 5. *Platus.*

Noe securissimum refugium. Colligitur ex Gen. cap. 7. *Gen.cap.7*

Odor nimium fragrans. Kempis cit. *Kempis.*

Palma victoriosa. Kempis ibidem num.1. *Kempis.*

Quies, & tranquillitas mentis. Hugo lib. de nupt. car. cap.1. *Hugo.*

Rosa suauissima. S. Ephræm cit. *S.Ephrem.*

Stupor Naturæ. Kempis cit. num.6. *Kempis.*


Tribulationum expers. Aluarez cit, excell. 6. *Aluarez.*

Virtus pulcherrima. Aluarez excell. 7. *Aluarez.*

Christo dilecta. Sic canit Ecclesia de Ioanne. *Diligebat enim eum IESVS, quoniam speciali prærogatiua castitatis fulgebat.*



QVAESTIO IV.
DE VOTO VITÆ QVADRAGESIMALIS.





ITAM Quadragesimalem, quam vouemus nos Minimi esse omninò vitam Apostolicam, eamque Christum, & Apostolos ità seruasse, vt neque ipse, neque Apostoli ad tale munus assumpti, carnes, neque lacticinia vmquàm comederint, docet doctè pariter, & luculenter P. Frater Vincentius à Cosentia nostri Ordinis Minimorum doctissimus Theologus, in libro, quem scripsit de abstinentia carnium. *Vincent. à Cosent.* Nos hic solùm aliquas quæstiones enucleare studebimus circà ipsum votum, pro vt à nobis emittitur. De quo neminem hucusquè tractantem vidi: Vndè veniam merebor, Si quid fortè minùs congruum, minusque rectè dictum irrepserit.

CAP. I.
Vtrùm votum vitæ Quadragesimalis sit essentiale Religioni Minimorum.



OTO Primò, quòd in Ordine nostro Minimorum sit solemne votum vitæ Quadragesimalis tẽpore professionis, vt patet ex ipsa professionis forma, de qua suprà q.1. cap.5. notab 1. Quod quidem votum emittunt omnes, & obligat ad abstinendum ab omnibus ijs, à quibus abstinetur cõmuniter in Quadragesima; Nimirũ carnibus, & lacticinijs, ouis, caseo, butyro, ex ijsque congestis. Et obligat tùm intrà, tùm extrà Conuentũ, tù in Refectorio, tùm extrà illud; Tùm in itinere, tùm extrà illud. Tandèm est veluti preceptum negatiuũ, quod obligat semper, & ad semper, casu tantummodò infirmitatis excluso. Et habet omnes cõditiones requisitas ad votum solemne. Quia scilicèt publicè emittitur coràm testibus, sub certa forma præscripta in ipsa regula approbata, & est perpetuũ tàm ex parte vouentis, quàm ex parte admittentis. Quę docet Vasquez requiri ad voti solmnitatem 1.2. disp.165. cap.8. n.87. *Vasquez.* Et specialiter nostrum quartum votum esse solemne docet Azor to.1. instit. moralium lib.12. cap.6. q.9. Et citat Palatium in 4. d.38 disp. 2.

Notandum Secũdò, In aliquibus alijs Religionibus emitti etiam quartũ solemne votũ ipsis peculiare, vt in Religione B. MARIÆ de Mercede emittitur quartum votũ vacandi redẽptioni captiuorum. Et in societate IESV fit expresse votum sũmo Pontifici proficiendi sinè excusatione; non petito viatico, quocumque gentiũ eius sanctitas dixerit, inter fideles, & infideles, ad res, quæ ad diuinum cultũ, & Religionis Christianæ bonum spectat. De quo voto, & quomodo in eo includatur specialis obligatio præ cæteris fidelibus, & Religiosis erga summum Pontificem, latè differit Sanchez lib.6. in decal. cap.18. à n.1. vsquè ad 7. *Sanchez.*

Notandum tertiò, Quòd inter hæc vota solemnia specialia aliarum Religionum, & nostrum est maxima differentia, vt doctè docet Doctus P. F. Lucas de Montoya nostri Ordinis Minimorum, lib.1. Chron. cap.13. §.8. versu Los Padres de la Compagnia. *Montoya.* Nàm licèt ista vota redimendi captiuos, & infideles conuertendi, si considerentur respectu sui sint maximæ pietatis, & perfectionis, si tamen considerentur respectu Religionis, cuius finis, est perfectionem consequi, vel saltèm ad eam velociori, & securiori passu currere, nemo non videt, quàm meliùs cõducat nostrum votum ad talem perfectionem, quàm illa. Primo namque essentia Religionis in communi consistit in tribus votis, paupertatis, castitatis, & obedientię, per quæ contendunt omnes Religiosi ad perfectionẽ, ergò illud quartum votum, quod magis conducet ad obseruantiam istorum trium, erit in ordine ad perfectionem Religionis magis excellens, quàm alia, quę licèt dicant maximum supererogationis opus; nihil tamen, vel parùm conducunt ad obseruantiam votorum essentialium, pro vt docet D. Tho. 2.2. q.188. art.6. ad 3. *D. Thom.* Et Val. to.3. disp. vlt. q. vlt. par. vlt. versu Ex parte verò. *Val.* Cum ergò votum Quadragesimalis vitæ sit medium magis proportionatum ad obseruanda prædicta tria vota, vt per se patet, & habet D. Tho. loco cit. *D. Thom.* & patebit ex dicendis hac quæst. Clarum est, quòd ex hac parte erit medium magis proportionatum ad perfectionem Religionis consequendam. Secundo, quia quartum votum aliarum Religionum est conditionatum, non enim obligat,

ligat, nisi ad habendam illam animi præparationem, executioni mandandam, semper, & quandò aderit Superioris præceptum; Vndè quamplurimi decedunt è viuis, qui numquàm quartum votum impleuere. At votum vitæ Quadragesimalis est votum absolutum; Quia itatim perfectè obligat ad obseruantiam sui, per ea, quæ tradit Sanchez lib. 5. in decalog. cap. 8. num. 30. *Sanchez.*

Notandum quartò. Quòd dupliciter potest dici, aliquid esse essentiale Religioni. Primò Religioni in communi, vt sunt tria vota, quæ dicuntur esse essentialia omnibus Religionibus, & sinè quibus Religio consistere non potest. Secundò dicitur aliquid essentiale alicui Religioni in particulari, vt verbi gratia votum vitæ Quadragesimalis Religioni Minimorum, clausura perpetua Monialibus Sanctæ Claræ, &c. De quo duplici essentiali loquitur Trid. sess. 25. cap. 1. de regul. hoc pacto. *Præcipit Sancta Synodus, vt omnes Regulares, tàm viri, quàm mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque inprimis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & Castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiue essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruent.* *Trid.* De quo duplici essentiali videri potest Rodriq. tom. 1. quæst. regul. q. 26. art. 1. versu sed pro maiori. Miranda tom. 2. Manualis, q. 6. art. 6. versu prima dicitur essentialis. *Rodriq.* *Miranda.*

Dicendum est, votum vitæ Quadragesimalis esse essentiale Religioni Minimorum, ità vt, eo sublato, Religio Minimorum desineret esse Minimorum Religio, pro vt instituta est à Beatissimo Patre nostro Francisco de Paula. Est sententia Passarelli in notab. priuil. notab. 25. versu in secundo genere, Montoyæ in chronicis Minimorum, lib. 1. cap. 11. §. 7. pag. 271. Vigligæ in vita S. Francisci de Paula, Bonac. tom 1. de clausur. q. 2. par. 12. §. 3. num. 4 Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 17. nu. 8. Quam etiam tenetur defendere Rodriquez, quatenùs ait to. 1. quæst. regul. q. 26 art. 4. Paulò antè respons. ad argum. contr. *Quòd si Romanus Pontifex moniali sanctæ Claræ clausuram remitteret, quam Moniales huius instituti solemniter profitentur, esset procul dubio Monialis, non tamen instituti sanctæ Claræ, quia esset sublatum aliquid illi Religioni essentiale.* *Passarell.* *Montoya.* *Bonac.* *Suar.* *Rodriq.*

Probatur primò, Quia illud est essentiale Religioni, sinè quo Religio consistere non potest, sed sine voto vitæ Quadragesimalis non consistit Minimorum Religio, instituta à Sancto Frãcisco de Paula; ergo votum vitæ Quadragesimalis est Ordini nostro in particulari essentiale: sicut alia vota omnibus Religionibus in communi. Maior est certa; Minor patet, quia S. P. Franciscus suam Religionem instituit sub hoc voto, vt habetur in lectionibus, quæ leguntur in Breuiario reformato in Festo huius Sancti, lect. 2. fine, his verbis. *Quam consuetudinem, vt Fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adstrinxit.* Et Leo X. in bulla eius canonizationis dicit. *Quòd mandauit, vt sub obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quadragesimalisque vitæ sacris votis perseueranter viuere profiterentur,* Et patet ex ipsa regula. Ergo, eo remoto, necessario etiam remouetur ipsa Religio, ab ipso instituta. Et eam docet Rodriquez loco cit. à simili de Religione S. Claræ, & Montoya de Religione nostra in chronicis, lib. 1. cap. 13. §. 7. in fine. *Rodriq.* *Montoya.*

Secundò probatur, quia decipiens aliquem ad finem eum pertrahendi ad Religionem circà Religioni non essentialia, licet proximè illis accedentia, peccat quidem, sed deceptio illa non reddit votum professionis nullum, vt docet Ledesma de statu Religiosorum in communi, cap. 5. conclus. 8. versu digo lo quarto, pag. 219 & diximus supra q. 1. cap. 29. conclus. 4 notab. 3. Secùs autem si deceptio esset circa essentialia, vt docent Sayrus in claui reg. lib. 6 cap 9. num. 4 Et Ledesma loco cit. & dixi etiam supra loco cit. Sed neminem dicturum puto, deceptum circà vitam Quadragesimalem, ità vt credat, in Ordine Minimorum eam non obseruari, teneri ad illud votum obseruandum? Et Ratio est, quia deceptio illa causat inuoluntarium, quòd omninò requiritur ad votum, vt docet Sotus lib. 6. de iust. quæst. 1, art. 2. circà medium. Ergo signum est, votum vitæ Quadragesimalis esse Religioni nostræ essentiale; quia deceptio circà ipsum reddit professionem omninò nullam. *Ledesma* *Sayrus.* *Ledesma.* *Sotus.*

Tertiò Probatur, quia illud est essentiale Religioni, quod ad obseruantiam trium votorum valde conducit, & moraliter dicitur ad illorum obseruationem necessarium, vt habet Reginaldus in praxi, lib. 18. num. 396. Sed ad obseruantiam illorum trium votorum maximè conducit, immò moraliter loquendo, est necessaria carnis maceratio, quæ maximè fit per ciborum substractationem, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. ad tertium, & opusc. 18. cap. 9. Et patet, quia caro macerata huiusmodi abstinentia faciliùs domatur per obedientiam, non insolescit per libidinem, & nihil ducit sæculi diuitias per paupertatem. Et talis est sensus communis Ecclesiæ in obseruantia Quadragesimali. Ad quod respicientes sancti Patres Religionum institutores, Omnes prohibuerunt in suis Regulis licèt non sub voto (hanc lauream reseruantes Patri nostro Francisco) carnis comestionem, vt probant Pater Vincentius in cit. libello de abstinentia carnium, & Montoya lib. 1. suorum Chronicorum, cap. 23 §. 3. & 4. discurrendo per omnes Religiones in sua primæua institutione. *Reginal.* *D. Tho.* *P. Vinc.* *Montoya.*

Quartò probatur ex Trid. sess 25. de regul. cap. 1. vbi, vt diximus, ait, quòd præter essentialia Religioni in communi, potest etiam esse aliud essentiale Religioni in particulari, quod in Religione nostra est votum vitæ Quadragesimalis. *Trid.*

Quintò Probatur. Nàm ea, quæ non sunt alicui Religioni essentialia, possunt consuetudine abrogari, vt probant Nauarrus in sum. cap. 12. num. 50. Lopez 1. par. instruct. cap. 45. col. 2. versu non excusatur, Rodriquez tom. 1. summ. cap. 95. num. vlt. Sanchez lib. 6. in decal. cap. 2. num. 26. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 11. quæst. 15. Sed contrà vota nulla potest consuetudo introduci, vt docent præfati Doctores, præsertim Azor; Ergò signum est, quòd votum vitæ Quadragesimalis est nostræ Religioni essentiale, quia contrà illud non valet consuetudo introduci. *Nauar.* *Lopez.* *Reginal.* *Sanchez.* *Azor.*

Sextò

Sexto Probatur specialiter ex regula nostra, in qua semper votum vitæ Quadragesimalis æquiparatur alijs tribus votis, tùm quò ad culpam, tùm quò ad pœnam, tum quò ad meritum, vt videre est in regula, nu. 1. correct. nu. 18. & nu. 86. & nu. 107. & nu. 111.

Tandem hoc quartum Religionis nostræ votum est quartus clauus, quo cruci affixus est est Christus Dominus, vt ait Montoya loco cit. §. 4. *Montoya.* Pro quo nota, quòd licet aliqui tradant, tres tantum fuisse clauos, quibus Christus Dominus in crucem affixus est; Communior tamen opinio est, fuisse quatuor, quam tenet Bellarminus *Bellarm.* præfat. in opusc. de septem verbis Domini, pro qua citat etiam Iustinum, Irenæum, & Gregorium Turonensem. In hanc partem inclinat Gretserius *Gretser.* tom. 1. de cruce, lib. 1. cap. 20. Qui rem ex professo tractat, & multos pro hac opinione adducit. Videtur etiam inclinare Lipsius *Lipsius.*, licet non discutiat lib. 2. de cruce, cap. 9.

Religio itaque crux est, in qua se crucifigunt Religiosi. Quatuor claui sunt quatuor vota. Primus clauus est abnegatio propriæ voluntatis, per obedientiam. Secundus abiectio rerum temporalium, per paupertatem. Tertius priuatio dulcedinum carnalium, per castitatem. Quartus mortificatio omnium membrorum, & appetituum, per Quadragesimalem abstinentiam. Dicuntur autem claui, quià carnem crucifigunt, quæ in malum inclinata, nisi hoc pacto esset crucifixa, in vitia omnia proflueret. Quare Paulus ad Galatas 5. *Galat. 5.* *Qui sunt*, inquit, *Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*, Idest non tantum vitia, & concupiscentias, sed & ipsam carnem corruptam, quasi fomitem concupiscentiarum castigant, & crucifigunt per ieiunia, cilicia, mortificationes propriæ voluntatis, abiectiones terrenarum rerum, &c. Vndè Kempis *Kempis.* parte 3. serm. ad nouit serm. 1. nu. 1. *Horret*, inquit, *Humana fragilitas pati paupertatem, abiectionem, vilitatem, esuriem, laborem, dolorem, anguSliam; derisionem, quæ sæpè contingunt, & hominem grauant, & conturbant, Sed hæc omnia simul iuncta, à Deo nobis dispensatiuè transmissa salutarem fabricant crucem, per multiplicem pænam, & veris cruciferis, crucem suam tollentibus, aperiunt cælestis regni portam, certantibus præparant vitæ palmam, & vincentibus dant æternæ gloriæ coronam* Et nu. 8: *O Religiose Monache, & sectator arctioris vitæ, noli ab assumpta cruce in ordine recedere. Sed sustine, & porta crucem vsque ad mortem, et inuenies æternam requiem, cælestem gloriam, & honorem.*

CAP. II.

Vtrùm ex Religione Minimorum ad Episcopatum assumptus teneatur ad obseruantiam vitæ Quadragesimalis.



PRO hoc capite videri potest Montoya *Montoya.* in chronicis Minim. cap. 13. §. 9. versu Otraduda se offresce, Ledes. *Ledesma.* parte 2. sum. cap. 3. de statu Episcop. conclus. 25. d. 2. fine, pag. mihi 75. Vasquez *Vasquez.* t. 2. disp. 165. cap. 8. num. 89. fine. Sanchez *Sanchez.* lib. 6. in decal. cap. 6. num. 15. Qui dicit, se neminem de hoc disputantem inuenisse, præter Vasquez loco cit.

Dicendum est, ex Religione Minimorum assumptum ad Episcopatum, teneri ad obseruantiam vitæ Quadragesimalis. Ità omnes doctores citati, præter Sanchez; Et eum sequutus Fagund. in 4. præcep. eccles. lib. 1. cap. 6. num. 6. versu Dubium. Et prætereà Caiet. *Caietan.* 2. 2. q. 185. art. 8. dub. 2. & tom. 1. opusc. tract. 25. de oblig. & obser. præcept. quæst. 2. Sotus *Sotus.* lib. vlt. de Iust. q. vlt. ar. vlt. col. 7. versu Sed contra. Vasquez *Vasquez.* in opusc. de redditibus, cap. 3. dub. 1. nu. 2. & 3. Val. *Valent.* tom. 3. disp. 10. q. 3. p. 8. fine, quatenus dicunt, Episcopum non teneri ad regulares obseruantias ex præcepto, & vi coactiua; secùs autem esse de votis; Quià hæc expressè vouit. Hanc sententiam, dicit Montoya, tenuisse doctissimum Ludouicum Montesinum Cathedraticum primæ in vniuersitate Complutensi.

Probatur primo, Quià tenetur obseruare Religionis essentialia, vt docet D. Thom. *D. Thom.* 2. 2. q. 88. art. 11. ad 4. & q. 185. ar. 8. & dixi suprà q. 1. cap. 10. §. vn. Sed probatum est, quòd votum vitæ Quadragesimalis est essentiale Ordini nostro. Ergò ad illud obseruandum tenetur Minimus factus Episcopus.

Secundo Probatur, Quià tenetur obseruare omnes illas obseruantias suæ regulæ, quæ statum Episcopalem non impediunt, vt docet D. Thom. *D. Thom.* 2. 2. q. 185. art. 8. Non enim oportet, Episcopos ad eam dignitatem euectos, delicatiorem vitam degere, quàm in Religione, nisi quatenus opus fuerit ad onera muneris sui subeunda. Sed obseruatio vitæ Quadragesimalis statum Episcopalem non impedit. Primo quidem, quia experientia comprobatum est, multos ex nostris Episcopis munus Episcopale diligenter, & assiduè exe cuisse cum obseruantia vitæ Quadragesimalis. De qua experientia testatur Montoya *Montoya.* loco cit. Et Generalis ordinis, qui est in continuo motu Religionem visitando, vitam Quadragesimalem obseruat. Secundo, quià possunt Episcopi commodiùs obseruare vitam Quadragesimalem; Cum enim habeant redditus ad sufficientiam, & quandoquè ad superabundantiam sui status, possunt abundantiùs, & lautiùs cibis Quadragesimalibus vesci. Tertio non video quare non debeant hoc votum Episcopi obseruare, Cum nullo modo statum Episcopalem valeat impedire. Si enim contigerit aliquando infirmari, poterunt cum consilio medici cibis paschalibus vesci, supplendo per se ipsos auctoritatem Superioris.

Tertio Probatur, quià Status Episcopalis

est maio-

est maioris perfectionis, quam sit status Religionis; Ergo maiorem requirit custodiam, vt docet D. Thom. loco cit. Ergò si in Religione obseruabat vitam Quadragesimalem ad custodiam aliarum virtutum; multo magis debet eam obseruare, cum est in statu perfectiori, nam ab eo, qui plùs accepit plùs erit exigendum.

Quarto si Episcopus dum erat in Religione vouisset recitare quotidie verbi gratia rosariũ B. Matris Virginis, factus Episcopus ad illud recitandum tenetur; quià id nihil obstat statui Episcopali; Ergò multò magis tenetur ad obseruandum votum solemne vitæ Quadragesimalis, quod maiorem quamda obligationem inducit: etiam quo ad Deum ratione perpetuitatis, & maioris solemnitatis, quam votum simplex, vt colligitur ex Tostato cap. 30. Num. q. 59. & patet in voto simplici, & solemni castitatis. *Tostatus*

Si dicatur, quòd qui ab inferiori ad superiorem gradum ascendit, non videtur teneri ad ea, quæ sunt inferioris gradus; sicut Religiosus non tenetur ad obseruantiam eorum votorum, quæ in sæculo fecit, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 12. ad primum, sed Religiosus, qui assumitur ad Episcopatum, ascendit ad aliquid maius; Ergò videtur, quòd non teneatur factus Episcopus obseruare ea, quæ fecit, dum erat Religiosus. *D. Thom.*

Respondeo; Hoc argumentum proponitur a D. Tho. 2. 2. q. 185. art. 8. Cui & ipse respondet ad secundum. Quòd vota sæcularis se habent ad vota Religionis, sicut particulare ad vniuersale, quià illa sunt quorumdã particulariũ operum, & homo per votum Religionis totum se Deo deputat, vt ipse D. Thom. dixerat q. 88. art. 12. ad primum. Vnde cum particulare in vniuersali includatur, non est mirum, quòd per votum Religionis cessent omnia alia vota in sæculo facta. At vota Religionis, seù in Religione facta, se habent ad Pontificalem dignitatem sicut dispositio ad perfectionẽ. Vndè non cessant, Põtificali adueniente dignitate. Quià dispositio adhùc est necessaria, perfectione obtenta. *D. Tom.* *D. Thom.*

Quinto Probatur, quià est votum solemne, de cuius ratione diximus esse perpetuitatem.

Sexto, Quià frater Minimus factus Episcopus non desinit esse frater Minimus; Vndè non debet desinere obseruare ea, quæ sunt de essentia talis status.

Septimo Probatur, ex cap. Carnem, de consecr. d. 5. vbi Glossa verbo Violauerit, ait Monachum factum Episcopum teneri ad abstinentiam carnium, quod multò magis diceret de fratre Minimo.

Sed contrà hanc nostram doctrinam obijcit Sanchez 1. Huiusmodi votum vitæ Quadragesimalis cessare in Episcopis, & suspendi; quià emittitur vt annexum, & accessorium professioni Monastichæ, à qua liber manet Episcopus per caput Statutum. 18. q. 1. *Sanchez.*

Secundò, Ordinatur hoc votum ad faciliorem communitatis Religiosæ perfectionem, & ordinem; Ergò tamdiù censetur obligare, quamdiù professus est de eius corpore.

Tertiò, quià votum tunc desinit obligare, quando est facta ità notabilis mutatio materiæ, vt reddatur notabiliter difficilior, & quæ à principio præuisa retraheret à voti emissione, Propter quas rationes eximit etiam electum ab ordine ab hoc onere vitam Quadragesimalem seruandi.

Ad primum respondeo, Monachum factum Episcopum dici exemptum a Regula professionis Monastichæ, idest ab obedientia Abbatis, à ieiunijs, vigilijs, silentio, modo cantandi. &c. vt habet Glossa dicto cap. Statutum, verbo Absoluit: Non tamen absoluitur à voto professionis Monastichæ; Vnde caute puto dictum in illo cap. Statutum (Regula) non voto. Nam si dixisset, Voto, intelligendum esset, Monachum factum Episcopum esse etiam absolutum ab obseruatione votorum, quod tamen nemo dicit. Nec est omnino absolutus a regula professionis Monastichæ; Nàm tenetur deferre habitum suæ Religionis, vt est communis opinio. Nec potest carnes comedere, si erat Monachus secundùm aliquos, inter quos Archidiaconus dicto cap. Statutum, num. 1. Qui multò magis dicerent, si esset Minimus. Deindè dico, quòd votum vitæ Quadragesimalis non est accessorium nostræ regulæ, sed est principaliter intentum, & essentiale, vt dictum est. Tertio dico, dato quòd esset accessorium, est tamen accessorium ad conseruandum, & custodiendum principale. Sicùt dos est quid accessorium matrimonio, pro illius oneribus sufferendis; Vnde tunc valet illa regula, quæ est 42. de regulis iur. in 6. *Accessorium sequitur naturam principalis*. Et sic cum remaneat obligatus ad principale nimirù tria vota, remanebit etiam obligatus ad accessorium, nimirum quartum vitæ Quadragesimalis. *Glossa.* *Archid.*

Ad secundum dico, quòd hoc votum ordinatur ad conseruationem, & custodiam aliorum votorum; Vndè cum ad alia obligatus remaneat, remanebit etiam obligatus ad hoc. Ad tertium respondeo. Quo ad Episcopum, materiam non esse redditam, neque impossibilem, vt constat, neque difficilem: Immò faciliorem, cum possit lautius, & abundantius cibis quadragesimalibus vesci. Quo ad electum, Licet videatur aliquantulum immutata, non tamen ità, vt votum irritum reddat, Cum commodè etiam in sæculo, Licet minùs commodè, quam in Religione, possit hoc votum seruari, quam incommoditatem debet patienter ferrè electus propter peccata sua, considerando, quòd in pœnam, non in præmium est à Religione electus. Et Præterea non debet electus ex sua culpa reportare commodum, quod maximum esset, Si illum absolueremus ab obseruantia voti Quadragesimalis vitæ. Et in specie de electo id tenet Bonac. to. 1. clau. q. 1. p. 12. §. 3. n. 4. pag. 640. *Bonac.*



Cap.

CAP. III.

Vtrùm Frater Minimus ad infirmitates præcauendas, possit aliquo anni tempore se purgare, & durante purgatione cibis paschalibus vesci.



IDETVR, quòd non possint fratres Minimi tali purgatione vti. Primo quià per illorum regulam cap. 6. num. 26. tenentur abstinere à carnibus, &c. Toto tempore vitæ suæ excepto tempore infirmitatis; Ergò pro hoc solum statu illis conceditur comestio carnium; Non autem pro illo statu infirmitatis præcauendo.

Secundo, quià in nostris statutis capitulo Barchinonensi 1. num. 19. habetur statutum sequentis tenoris; *Ad conseruationem vitæ nostræ Quadragesimalis, per quam à cæteris Religionibus distinguimur, declarant patres, non licere fratribus nostri Ordinis ad præcauendam futuram infirmitatem se purgare, cum iure nostro cauæatur, non nisi tempore infirmitatis cibis paschalibus vesci.*

Tertio, quià per illas purgationes de consilio medicorum factas uidentur magis confidere Medicis, quàm Deo; Quod tamen in Aza Rege Iuda reprehenditur 2. Paralip. 16.

2.Par.16.

Quarto, Quia Medicus, & medicamenta non adhibentur nisi tempore infirmitatis, ut colligitur ex cap. 38. Ecclesiastici, ubi dicitur, Quòd *Medicus honorandus est propter necessitates*, Quia scilicèt *Mitigabit dolores*, &c. Ergò antè hoc tempus, præsertim à fratribus Minimis adhibendus non est. Ad hoc ut uotum uitæ Quadragesimalis, regulæ ipsorum splendorem frangant. His tamen non obstantibus.

Ecclesiast. cap.38.

Dicendum est, posse fratres Minimos ad infirmitates præcauendas se purgare. Quod vt probem, Noto primo ex Galeno lib. de arte parua. Quòd corpus humanũ potest tripliciter considerari, vel vt simpliciter sanũ, vel vt simpliciter ægrum, vel vt neutrũ. Simpliciter sanũ illud dicitur ab eodem Galeno in lib. Methodi medendi, quod proprias, ac naturales operationes rectas agit. Simpliciter ægrum, quod eas imperfectas; contrariorum enim eadem debet esse disciplina. Neutrum dicitur, quod participat naturam vtriusque extremi: Nimirùm quod neque omninò perfectas neque omninò imperfectas agit operationes.

Galenus.

Noto Secundo, Nos hic non loqui de corpore simpliciter sano; quià clarum est, quòd non potest pascalibus vesci per regulam nostram Minimorum. Neque de simpliciter ægro; quià etiam patet, quòd vesci ijs potest per eamdemmet regulam. Tota ergò difficultas remanet de corpore neutro.

Et dico, quod hoc corpus neutrum debet appellari potius infirmum, quàm sanum; Immò addo, esse omninò infirmum. Et probo primo, Quià à statu salutis recedit, & facili negotio potest in simplicitèr ægrum labi, ad quod præcauendum coguntur Medici aliquandò medicamenta adhibere: Secundo *cum bonum sit ex integra causa*, vt dicunt Theologi, hoc corpus non potest dici sanum, cum non sit omninò tale, *Et malum sit ex singulis defectibus*, vt dicunt ijdem; Cum hoc corpus defectum aliquem patiatur, necessariò dicendum est, illud esse potiùs infirmum, quàm sanum: Immò infirmum, licet non simpliciter tale Tertio, quià, vt dicitur etiam apùd philosophos, *Quod parum abest, adesse videtur*, Sed hoc corpus parùm abest à corpore simpliciter ægro, quià facile potest in illud transire; Ergò debet dici ægrum potiùs, quàm sanum. Quarto, quià licet si luscus, & strabo non sint de facto orbi, vel cæci; tamen nemo dicet, eos potiùs esse dicendos videntes, quà orbos, vel cæcos, sed potius è cõtra, quia faciliùs in orbitatem, vel cæcitatem lapsuri sunt, quà claram visionem recuperaturi. His positis,

Probatur primo conclusio. Corpus hoc neutrum infirmum est, vt probaui; Sed infirmi in regula Minimorum sunt consilio Medici curandi, & cibis paschalibus alendi; Ergò corpora hæc purgari possunt, & paschalibus nutriri.

Secundo Prudentis est obstare principijs, ne indeterminetur; Ergò principijs infirmitatis obstandum, per præcepta medica, ne morbus insolescat, & serpat. Sed hoc non fit ordinariè, nisi per medicamina purgantia; Ergò hæc necesse est aliquandò applicare. Ex quo vlterius sequitur, quod cum per hæc vires maximè labefactentur, vt communiter tradit medicorum schola; debent hæc per eam victus rationem reparari, quæ ad hoc valeat, & conducat. Sed hæc est, quæ concedit carnibus, & lacticinijs vesci; Ergò hæc adhibenda est.

Tertio probatur ex illo Ecclesiastici 18. *Antè languorem adhibe medicinam*, Idest præcaue quantùm potes infirmitatem. Et verè quis negetl, posse faciliùs curari, & reparari, quod marcescere incipit, quàm quod iam marcidum est? Quis prudens potens præcauere ruinam, non præcaueat?

Eccles.18.

Si quæras, vtrùm Medicus absque eò medicamina adhibeat, possit cum Fratre Minimo dispensare, vt carnes comedat.

Respondeo, Optimè posse. Ratio est, quià aliquando infirmi curantur faciliùs recta victus ratione, quàm præsidijs ex herbarum succis petitis, vel alijs simplicibus, seu mixtis. Vndè est tritum apud medicos illud Hippocratis. *Aliquandò nihil agere in infirmis, est optima medela.* Et per illud (nihil agere) intelligunt communiter medici (vt mihi retulerunt) nullum exhibere præsidium. Adde, quòd nobis carnes conceduntur pro medicina, ad vires fractas restaurandas, & malos humores pellendos. Quod potest confirmari ex nostra regula in correct. num. 56. vbi præcipitur, Quòd *Qui sunt diutino languore vexati permittantur per aliquot menses carnes, & lacticinia commedere*. Ex quò etiam potest confirmari nostra conclusio. Nàm si per regulam nostram languidi cum Medici consilio debent permitti per aliquot menses carnes comedere; Ergò multò magis permitti debet purgatio, eaquo durante carnium comestio illis, qui indigent ad infirmitates præcauendas.

Ad primum ergò in contrarium patet ex dictis. Qui enim egent purgatione ad infirmitatem præcauendam, infirmi sunt, & ideò licitè possunt per regulam carnes comedere.

Ad secundum Respondeo primo, meo uideri illud statutum esse cõtrà benignitatem regulæ, quæ nemine ad peccatum obligat pro quacumque transgressione, exceptis transgressionibus

votorum

Votorum, vt dicitur in fine correct. num. 116. contrà benignitatem regulæ, quæ *Præcipit charitatiuè, & benignè in cunctis oneribus ordinis supportari continuo languore cælitus visitatos.* Regula num. 38. contra benignitatem reguiæ. *Quæ mitis, & sancta dicitur*; Regula num. vlt. & vt talis fuit à sanctis Pontificibus approbata: contrà benignitatem regulæ, quę *infirmis per obedientiam præcipit sollicitè, & diligenter subueniri*, Regula num. 86. Quæ enim esset hęc sanctitas, & mansuetudo si ad infirmitatem pręcauendā, quam per consilium medici, & per experimentum aliàs non semal probatam, certo incurram, purgationem adhibere non potero?

Si vrgeas, esse quidèm languidos in cunctis oneribus ordinis supportandos, & illis esse subueniendum, sed de cibis Quadragesimalibus in infirmaria claustrali, non autem de cibis paschalibus.

Respondeo, Infirmos in principio infirmitatis esse deducendos ad infirmariam claustralem, & abundantiùs, quam cæteros de cibis Quadragesimalibus resocillādos; Non enim pro quolibet dolore capitis, vel ventris, pedum, aut stomachi, est quis statim dispensandus super Quadragesimali vita. *Sed si talis infirmitas sic examinata* vt dicitur in regula num. 86. (idest si resocillatus ęgrotus per aliquot dies cibis Quadragesimalibus (*Inualuerit*), idest melius non se habuerit, sed ibit in deterius) tunc *Debet ad infirmariam exteriorem deduci*, Et ibi paschalibus vesci. Quę omnia vera sunt secundùm regulam. At hic sumus in dispari casu. Qui enim eget ità purgatione, vt alioquio secundū artem medicam sit aliquam grauem infirmitatem incursurus, iàm est infirmus, vt diximus; Et moraliter certus, quod nisi purgationem adhibeat, periclitabitur salute. Regula autem loquitur de ijs ęgritudinibus, in quas quis ex improuiso incurrit, & ex sano sit repentè ęgrotus per aliquam febrim, &c. Quæ febris cum possit esse ephimera, & accidentalis, sicut etiam alij dolores capitis, ventris, &c. Expectate, ait Bonus Pastor, & videte, an ista febris, & dolores continuent. Quòd si continuauerint, ad infirmariam exteriorem deducatur infirmus: Si cessauerint, iàm infirmus sanatus est, & paschalibus non indiget. Quæ omnia diuinitùs dictata sunt; Non enim est frangendum votum pro quolibet dolore. Et sic obseruatur in praxi à Dominis medicis nostræ Religionis, vt prius infirmitatem examinent, an sit grauis, an longa, an periculosa; an verò leuis, accidentalis, & finè periculo, & iuxtà artē suā se gerant, pro ut meliùs iudicant expedire.

Secundo Respondeo ad argumentū principale. Illud statutum numquam fuisse à Religione acceptatum; Et si aliquandò fuit, iàm non est ampliùs in vsu; Vndè per consuetudinem in contrarium censetur abrogatum: Quæ consuetudo excusat non solùm ab obligatione statutorum, sed etiam ab obligatione ipsius regulæ (intellige quò ad accidentalia) vt probat Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 69. ar. 2. Rodrig.

Tertio Respondeo, Patres illius capituli zelantes votum vitæ Quadragesimális, ad abusus tollendos, illud statutum fecisse. Potest enim esse, quòd haberent notitiam aliquorū, qui gula potiùs carnium, quam necessitate sanitatis subornarent medicos, vel grauedines fingerent, ad hoc vt purgarentur, vt hac occasione possent paschalibus vesci. Ad quos abusus tollendos, & saluti animarum guloiorum consulendum, tale decretum fecerunt. Et hoc facto est Sanctissimum, & in maxima obseruantia.

Ad tertium Respondeo cum Tostato. Paralip. cap. 16. q. 37. Quòd ægritudines duobus modis infliguntur, vel a Deo, vel à causis naturalibus; Si infligantur à Deo, tunc non est fidendum arti Medicorum; Si proueniant ex causis naturalibus, & sunt ijs, quæ per artem medicam curari possunt, tunc fidendum est arti Medicorum; nòn ita quidem infalibiliter, quin à Deo possit impediri effectus rerum naturaliū. Aza reprehenditur, quia cum illius infirmitas esset à Deo in pęnā carcerationis illius Prophetę, de quo ibi, Non quæsiuit Dominū, sed confisus est operi medicorum. In casu nostro, qui purgationem accipit, non fidit infallibiliter Medico; ità vt putet, Deum non pòsse impedire effectum illorum rerum naturalium, quas medicus exhibet ad purgationem. Sed obseruat præceptum Domini, Ecclesiastici 38. *Honora medicum propter necessitatem, Etenim illum creauit Dominus: Et scit à Deo esse omnem medelam: Sed quià Altissimus creauit de terra medicamenta, quæ vir prudens abhorrere non debet*; Ideò illis vtitur ad conseruandam propriam vitam. Dico igitur breuiter, quod purgationem recipiens, confidit primario sanitatem obtinere à Deo; Secundariò à virtute rerum naturalium per Medicum, tamquàm sanitatis ministrum, & artificem aplicatarum: iuxtà illud Hippocratis in aphorismis. *Natura omnium operatrix: Medicus verò minister.* Tostatus Eccles. 38. Hippocr.

Ad quartum respondeo honorandum esse medicum tempore sanitatis, vt cum superuenerit ægritudo, promptus sit ad eam depellēdam; Medicina enim est scientia, qua cognoscimus habitudines corporum humanorum, ægrotorū, & sanorum, & neutrorum, & virtutes rerum naturalium ad eas aplicandas, vel remouendas, Sed in casu posito cognoscit Medicus, corpus illud neutrum esse purgandum, Ergò tunc illius est maxima necessitas.

CAP. IV.

An abstinentia Quadragesimalis abbreuiet vitam.



DICENDVM est absolutè, & simpliciter loquendo, cibaria Quadragesimalia vitam non abbreuiare.

Probatur primo ratione Medicorum. Ideò ingeruntur cibaria, vt calore naturali cōcocta in aliti naturam cōuertantur; Corpora enim continua euaporatione resoluuntur, Vndè indigent cibarijs pro restauratione deperditi. Sed hoc deperditum optimè potest restaurari per cibos Quadragesimales, vt corpora sint debilia, vel robusta. Nàm calor naturalis restauratur per vinum temperatè sumptum. Et humidum radicale per ista cibaria Quadragesimalia, quod ità in facto esse probat experientia.

Quod

Quod dicunt Medici, debilibus corporibus per comestionem cibariorum Quadragesimaliũ vitam abbreuiari, quia illa cibaria difficulter concoquuntur, & parùm nutriunt. Robustis verò, & validis per illorum cibariorum comestionem non abbreuiari. Non placet. Primò, quià non omnia cibaria Quadragesimalia difficulter concoquuntur: Non enim semper vescimur leguminibus, sed crebrius herbis, & oleribus, piscibus, & alijs, quæ sunt facillimæ digestionis, & concoctionis; Vndè debilioribus sunt aptiora. Nam debilis eorum calor naturalis faciliùs ea concoquit, & quasi intrà spheram suæ actiuitatis in ea agit. Secundo, Quòd cibaria Quadragesimalia parũ nutriant, maximè congruit illis, qui debilioris sunt complexionis; minoris enim nutrimenti indigent, quam robustiores; Nec possunt tàm parum nutrire, quin illorum naturæ plene satisfaciant, cum præsertim natura sit paruo contenta.

Secundo Probatur experientia, quæ est rerum magistra, & contra quam non valent Medicorum speculationes, & subtilitates. Qua experientia constat, millia millium hominum Religiosorum, qui in vita Quadragesimali vixerunt, ad vltimam vsque senectam protraxisse vitam. Quod probo dupliciter. Primo in communi deinde in particulari.

In communi. Constat tùm ex illis antiquis eremi cultoribus, qui ad summam senectutem perueniebant in abstinentia plùs quam Quadragesimali. Pane enim, & aqua alij; alij paruis adiectis herbis vitam ducebant. Testis sit Cassianus collat. 2. cap. 19. *Super hac re*, inquit (idest comestione) *Inter maiores nostros frequenter nouimus, habitum fuisse tractatum; Nam discutientes continentiae diuersorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam iugiter exigebant. Præposuere cunctis illis refectionem solius sicci panis. Cuius æquissimum modum in duobus paxamacijs statuerunt. Quos paruulos panes vix vnius libræ pondus habere certissimum est.* Tùm ex nostra Religione Minimorum, in qua in austera, eaque miserrima Quadragesimali obseruantia quam plurimi ad vltimam perueniunt ætatem; Nàm octoagenarios, & nonagenarios multos scimus, septuagenarios quamplurimos. Tùm etiam ex Religione Carthusiensium, in qua licet ouis vescantur, caseo, & lacte; nullo vmquàm tamen tempore carnibus vesci licitum est, & tamen multos vsque ad extremam senectam videmus peruenire. Tùm ex Religionibus Monachorum, & alijs, in quibus licet tam stricte non obseruetur Quadragesimalis asperitas, obseruatur tamen abstinentia carnium, & nihilominus eas videmus quasi infinitos alere seniores: Et tot quot non reperiuntur sæculares in vna populata vrbe, Hoc tribuunt Medici abstinentiæ Veneris: Quod, & ego confirmo. Et propterea dico non egere Religiosos cibis tàm substantialibus. Constare etiàm hoc potest ex eo quod videmus in familijs virorum illustrium paucissimos esse, qui ad senectutem perueniant, & patrimonia adiri à filijs iàm indè à pueritia plerumque, ne dicam ab infantia; Quià parentes in ipso ætatis flore excedunt è vita, etiamsi incredibilem rationem habeant valetudinis, & conquisitis epulis vescantur, & corporis delicias persequantur. Constare etiam potest ex eo, quòd multos rusticos videmus, quibus vix vmquam rugientem contingit pane, & aqua satiare ventrem, robuste, & iucunde dies suos ad vltimam vsque senectam protelare.

Cassianus.

In particulari. Id etiam patet. Nàm primus eremi cultor Paulus cum quindecim esset annorum, relicta locupleti, & pingui hæreditate, desertum petijt: Cuius deliciæ fuerunt ab initio palmæ fructus, & sine panis, & aqua. Et tamen vixit centum, & tredecim annos. Ità testatur Hieronymus in eius vita. *Hieron.*

Diuus Antonius natus annorum decem, & octo, desertum petijt, vbi vixit centum, & viginti annos, & ieiunium ità coluit, vt salem tantummodò ad panem adhiberet, & sitim extingueret aqua. Testis est Athanasius in eius vita. *Athanas.*

Diuus Hilarion natus annorum quindecim, desertũ petijt, vbi vixit vsque ad annum octoagesimum, nihil aliud comedens, quàm paucas ficus, & succos herbarum. Testatur Hieronymus in eius vita. *Hieron.*

Simeon Stylites octoaginta annos perpetuò, noctu, diuque sub Dio stetit in columna, vix cibum, vix somnum capiens. Testis est Theodoretus in illius vita. *Theodo.*

Onophrius annos Septuaginta in deserto vixit, solo pane, dactilis, & aqua pastus, vt est in eius vita, lib. 1. vit. patrum. *Vit. patr.*

Hieronymus, qui tanta abstinentia floruit, vt de se ipso dicat ep. 22. ad Eustochium. *De cibis verò, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit*, Ad summam tamen peruenit senectutem, vt dicitur in in illius vita. *Hieron.*

Pachomius, qui puer seniori Palæmoni instruendi se præbuit, vitam in pane, & sale ad magistri exemplum ductam protraxit ad vltimam vsque senectutem. Quamplurimi alij, qui vitam asperrimam ad vltimam senectam produxerunt, possunt videri in vitis patrum: & in prato spirituali; Quod tamquam floridissimũ pratum actionibus illorum antiquorum seniorum est refertum; quorum plurimos refert Lessius conf. de vera ratione valetud. conseru. n. 35. *Lessius.*

Ex mea Religione adduco etiam aliquos. Et primus sit S. P. Franciscus, qui à pueritia in vita Quadragesimali, & continuo ieiunio, vt plurimũ solo pane, & aqua sustentatus vixit ãnos 91.

P. F. Bernardinus à Cropulato Confessor predicti S. Francisci per easdem semitas gradiens, vixit annos 90.

P. F. Paulus à Paterno socius prædicti nostri Patris in transeundo pharo Messanensi, per easdem semitas eum sequens, ad vltimam vsque peruenit senectutem.

P. F. Antonius Risoleus vixit septuaginta annos in Religione, absque iis quos ad Religionem portauit, nihil aliud vmquàm comedens, quàm panem, & aquam, herbas, & herbarum radices

P. F. Hieronymus de Malulto quotidiè ieiunans, vixit annos 70. in Religione, absque ijs, quos ad Religionem portauit.

P. F. Hernandus Morenus vixit in Religione sub austeritate vitæ Quadragesimalis annos septuaginta sex, vltrà eos, quos ad Religionem tulit,

P.F.

P. F. Ioannes de Sancta MARIA in continua pœnitentia, & austerissima vita Quadragesimali, ad summam peruenit senectutem.

P. F. Ioseph Thalier in austerissima vita Quadragesimali, vitã vsq; ad ætaté decreptã produxit.

Et in hoc nostro Genuensi Conuentu P. F. Antonius Stagnarius octoagesimum peregit annum in Religione, & vsque ad centesimum nonum suæ ætatis vitam produxit. Et ita austerus vitæ Quadragesimalis obseruator, vt in vltimo suæ vitæ termino, quandò ex obedientia carnes iubebatur comedere, iunioribus clericis, illi continuò adstantibus suaderet, eosque obnixè rogaret, vt sibi furtim pisciculos aliquos comedendos deportarent. Nàm carnes, vt alebat, nauseabat. Tantùm potest assuefactio. Hæc pauca ad nostram experientiam comprobadam satis esse mihi visum est. Qui plura desiderabit adeat

Montoyã. Montoyam in chronicis Minim. lib. 4. & nostros Conuentus, & videbit quantos nutriat seniores Quadragesimalis abstinentia.

Gentiles quoque similem abstinentiam, exitu

Xenoph. tamen diuerso, sectantes audiamus. Tradit Xenophon, antiquos Persas ad panem nihil nisi

Chæredem. Stoicus. Nasturtium adhibere solitos; Chęredemus Stoicus tradit, priscos Ægipti Sacerdotes, carne, vino, ouis, & lacte semper abstinuisse, ita refert

à Lapide. à Lapide cap. 9. in Genes. versu 21. & cap. 1. in Danielem, versu 17. Vbi addit, apùd Persas tria fuisse magorum genera, quorum primum (qui maximè sapientes, & eloquentes existimabantur) præter farinam, & olera nihil edebat. Et Gymnosophistas Indorum foliis arborum pomis oriza, & farina viuere.

D. Hieron. D. Hieronymus lib 8. contrà Iouinianum ait. *Mirandum est, quòd Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos repleuit oleribus, & pomis: & vilibus cibis dicit esse viuendum. Quia carnes, & exquisitæ epulæ ingenti cura, & miseria præparantur, maioremque pœnam habeant in inquirendo; quam voluptatem in abutendo, corpora autem nostra cibo tantùm, & potu indigere.*

Seneca. Et Seneca epist. 108. Scribit, *Se animalibus, & esu carnium abstinere ob rationes, & exemplum Sextij.* Cuius rationes erant, prima. Quòd *Satis alimentorum sit citrà sanguinem, & crudelitatis consuetudo fiat, vbi in voluptatem adducitur laceratio. Secunda, quod contrahenda sit materia luxuriæ. Tertia; quod valetudini contraria sint alimenta varia, & nostris aliena corporibus. Quarta, quod carnes sint alimenta leonum, & vulturum.* Hęc & similia de illis antiquis gentilibus.

Neminem tamen puto arbitraturum, eos credidisse sibi tali abstinentia vitam abbreuiatam iri; neminemque inficiaturum existimo, multos eorum ad vltimam vsque senectam deuenisse

Seneca. Saltem Seneca se ipsum loco cit. Senem nominat, qui tamen violenta morte interijt.

Tandèm noto pro conclusione. Ex scriptura

Ecclesi. 37. Daniel. 1. Eccl. 37. *Qui abstinens est, adiiciet vitam* Et Danielis 1. *Apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio;* Et tamen leguminibus solis vescebãtur, & aqua. Ad quem locum ita scribit Cornelius à

Cornelius à Lapide. Lapide in suis comm. super Danielem. *Hæc sanitas, pinguedo, & decor, non tàm naturalis, quàm supernaturalis fuit: tùm quia legumina, & aqua saniores quidem facere putarant, sed non pinguiores: Tùm quia hoc fuit præmium abstinentiæ, eiusque vti, & castitatis meritò, diuinitùs sapientiam tantam sunt adepti, vti eiusdem meritò Iudith. cap. 10. Formositatem, Et Samson fortitudinem est adeptus, Iudic. 13. Naturaliter tamen hac quoque iuuit abstinentia. Vnde nota, sanitatem, & longæuitatem, non tàm ciborum copia, quàm temperantia procurari. hæc enim fouet, & nutrit humidum radicale, atque ac calorem natiualem, quem intemperantia obruit, & suffocat.* Ita à Lapide. Quid dicent nunc deliciarum amatores, carnium deuoratores, exquisitorum ciborum lectatores? Putabunt fortè ideò se & largiùs, & sanius victuros? Ex dictis patet eorum insipientia. Non timeat ergò deuota iuuentus vallum Religionis ingredi, armata clypeo vitæ Quadragesimalis, quo resistet fortiter, & alacriter tribus illis communibus humani generis hostibus, Mundo, Dæmoni, & Carni parabitque sibi rectam, & facilem ad Paradisum viam.

CAP. V.

Vtrùm Frater Minimus possit aliquando absquè licentia Superioris, & Medici, carnes, & lacticinia comedere.



LIQVI sunt casus, in quibus potest Frater Minimus carnes comedere absq; peccato, & Superioris, vel Medici licẽtia.

Et primus est positus in Capitulo Genuensi num. 33. vbi dicitur, quòd *In Conuentibus à Ciuitatibus, & Vrbibus remotis, cum facilis ad Medicum non possit haberi accessus, onerata Correctoris, & Seniorum conscientia, infirmitatis qualitate considerata, de prædictorum omnium consensu, & tenoris ordinarij Consilio, poterunt omnes prædicti, quo ad esum ciborum Paschalium, Medici absentiam supplere.*

Secundus casus est, quandò quis esset in itinere, & infirmaretur, vbi non esset Conuentus Religionis nostræ. Tunc enim, si haberet Socium, de eius licẽtia, & Cõsilio Medici posset comedere; Et si Medicus non adesset, deberet adire Chirurgum loci. Quòd si reperiretur in loco, vbi non esset neque Medicus, neque Chirurgus, neque haberet Socium, tunc petat Consilium, & licentiam à conscientia propria.

Tertius casus est, quandò quis esset in itinere, & non inueniret quidquam Quadragesimale, quod posset comedere, posset carnes, & quodcũque aliud Paschale comedere absq; vllo scrupulo peccati, vt Zanardus ait 1. par. sum. cap. 51. pag. 353. versu 3. causa. Pro hoc, & 2. casu faciunt. Primo id, quod dicitur cap. Consilium, de obseruat. ieiunij; Et in regula, quod non est licitum, de regul. iur. vbi dicitur. *Quòd non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

Secundò pia legislatoris, & legis mens, quæ non præsumitur in talibus casibus obligare voluisse; nimis enim dura, & acerba esset, neq; plena charitatis, neq; mitis, & sancta, vt de ea legislator dicit num. vlt. regulæ.

Tertiò facit cap. Carnem, de consecrat. dist. 5.

Quod licet à Gratiano non ponatur integrum, & *Gratian.* fit omissum illud, ad quod illud adduco, per extensum tamẽ ponitur à Turrecremata in regula *Turrecr.* Sancti Benedicti tract. 104. dub. 3. Quod sic habet

S *Carnem*

Carnem cuiquam Monacho nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia, non quod Creaturam Dei iudicemus indignam, sed quod carnis abstinentia vtilis, & apta Monachis astimetur; seruato tamen moderamine pietatis ergà ægrorum necessitudines: aut longè proficiscentium, vt ex volatilibus sustententur: Et longinquo itineri destinati, Et non habentes intellige, quò aliter sustententur, vt videtur intelligere dictus Turrecremata. Et licet inter Monachos S. Benedicti, & nos Minimos sit maxima differentia, quia ipsi non obligantur ad hanc abstinentiam per votum, neque mortaliter peccent comedendo, vt docet D. Thom. quodlib. 1. art. 20. tamen quandò agitur de necessitate, quæ nulli legi subijcitur; vt dicitur cap. Cōsilium, de obseru. ieiunij, sumus omnes pares.

Turrecre.

D. Thom.

Quartò facit præcitatum statutum Genuense, In similibus enim pari modo est procedendum. Si enim per nostras constitutiones in Conuentibus valdè distantibus à Ciuitatibus, datur licentia Correctori, & Senioribus dispensandi cum Consilio tonsoris super vita Quadragesimali, multò magis etiam datur in istis casibus, vbi neque Medicus haberi potest, neque Superior: Et vbi alij cibi, quàm Paschales non inueniuntur.

Sosomen.

Quintò facit quod habet Sosomenus lib. 1. historiar. cap. 11. de Magno illo Spiridione Trimitutensi in Cypro Episcopo, qui instante Quadragesima, diebus, quibus ipse cum suis ieiunia perageret, ad aduentum hospitis, cum nec panem, nec aliud, quam carnes suillas domi haberet, eas coqui iussit, hospitique apponi, ac de his ipse primo comedere cępit.

Ex quibus colligitur, quòd si tempore famis, vel belli non reperirent Fratres Minimi quod comederent, præter carnes, & alios cibos Paschales, quod possent eas licitè, & sinè scrupulo comedere; Immò ad tuendam vitam deberent, si nihil aliud penitùs haberent. Faciunt vlta dicta Panor. in cap. Consilium, num. 2. Et Graffius lib. de casibus reseru. cap. 10. num. 33. Quo tamen casu aduerterem, non debere eos Religiosos dictos cibos Paschales comedere in Refectorio, sed in Infirmaria. Dixi non debere; Nàm si comederent absque contemptu, non peccarent quidem mortaliter, sed incurrerent pœnam in Correctorio num. 53. taxatam.

Panorm.

Graffius.

Quartus casus est, quandò quis Frater Minimus detineretur à grassatoribus, vel ab alijs perdissimis hominibus, à quibus vesci Paschalibus iuberetur sub comminatione mortis, de facto secuturæ, si renueret comedere; Quo casu dico, quòd non solùm posset carnes comedere, sed etiam deberet ad saluandam vitam: modò talis carnium esus illi non iuberetur in contemptum Catholicæ fidei. Ità Panorm. in cap. Quod non est, de regul. iur. num. 2. Angles in floribus parte 2. q. de excomm. art. 3. difficult. 7. pag. 41. Antoninus par. 2. tit. 10. cap. 6. versu Secundus casus; Ioannes Medina cod. de ieiunio, q. 13. ad tertium, Graffius lib. 2. de casibus reseru. cap. 10. nu. 40. Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 10. à num. 1.

Panorm.

Angles.

Antonin.

Medina.

Graffius.

Suarez.

Probatur prima pars ex cap. consil. de obseruat. ieiunij, & Glossa in Regula, quod non est licitū, verbo AEgrotus. Et simpliciter verum est, non frangere votum, qui illud propter necessitatem non seruat, vt habet Panorm.

Glossa.

Secunda pars etiam probatur, quia alioquin esset quis sui ipsius homicida contra præceptum diuinum naturale, nec voti obseruatio esset tunc Deo accepta, qui vult vitam conseruari.

Tertia pars etiam probatur, quia in contemptum fidei potiùs est moriendum, quam aliquid attrectandum. & communis habet sensus Ecclesiæ, & dicunt præfati Doctores, præsertim Angles; pro hoc casu faciunt etiam, illi Doctores, qui dicunt, Carthusianum nequeuntem vitam saluare absque eo quod carnes comedat, comedere debere, etiam si voto ad id esset adstrictus, vt Ioannes Medina cod. de ieiunio, q. 13. ad quartum, & alij, quos citat Vasquez disp. 161. cap. 1. num. 1. 2.

Angles.

Io: Medina.

Vasquez.

CAP. VI.

Soluuntur aliqua difficultates in materia vitæ Quadragesimalis.



QVÆRES primo. An cum senibus, eo solum quòd senes sint, possit dispensari super Quadragesimali vita, ita vt liberè, & sinè scrupulo, cum ad ætatem senilem peruenerint, quæ iuxta Psalmographum psal. 89. est, cum peruentum est ad annos 70. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta Anni.* Vel ad summum in complexionibus potentioribus, seù validioribus, seu robustioribus ad annos octoaginta, vt dicitur eodem psalmo. *Si autèm in potentatibus octoaginta anni, ampliùs eorum labor, & dolor,* Videtur quòd sic; Nam tota vita senum est tantùm miserabilis non solùm exteriùs, sed etiam interiùs, vt digna sit omni compassione, & indulgentia. Nam quantùm ad corpus verum est illud Terentij. *Senectus ipsa morbus est.* Et asserunt etiam Ioannes Andreas in cap. Magnæ, de voto, nu. 6. vbi Panor. n. 8. & Augustinus lib. de Catechizandis rudibus 21. *Quisquis optat senectutem, quid sibi optat, nisi infirmitatem?* Et Aristoteles lib. 5. de generatione animalium, cap. 4. fine *Senectus naturalis,* Inquit, *Morbus est.* Et sect. 14. Problem. problem. 7. *Senectus,* inquit, *Quædam putredo est.*

Psal. 89.

Terent.

Io: And.

Panorm.

August.

Aristot.

Quantùm autèm ad animum, multa etiam reddunt senectutem miserabilem, de quibus Incognitus ad Psal. 89. versu. *Si autē in potentatibus.* Et quinque numerat. Primò quòd *Sunt increduli;* Sunt enim in multis experti, & sic cognoscunt homines in multis mentiri, & ideò difficulter credunt. Secundò *Sunt suspiciosi;* omnia enim, quæ vident, vt plurimum suspicantur in malum, & interpretantur in partem deteriorem; aliena enim facta è se ipsis metiuntur, vnde Cicero apùd Martinum de Roa lib. 6. singul. cap. 14. inquit, *Vt quisque bonus est, ità difficillimè alios esse improbos suspicatur & è contra.* Tertiò *Sunt pusillanimes,* Et timidi; Sicut enim in eis deficiunt humores, & vita, sic etiam deficit cor. Quartò *Sunt auari, & illiberales;* Quia propter eorum Infirmitates semper dubitant, ipsis aliquid deesse futurum, seù auaros dicamus, quia considerant, quanto labore bona illa, quæ possident, sint parta: vel quia non sperant, se aliquid vlterius acquisituros, Vndè iā acquisitā tenaciter custodiūt. Vt vt sit, Vitium commune omnium, est quòd

Incognitus.

Martinus de Roa.

Nimium ad rem in senecta attenti sumus, vt dicebat. Teren. Quinto. *sunt mala spei*; Nam omnia sibi deficere credunt, & non sperant nisi mala, nisi mortem; Vndè de futuris numquàm loquuntur in communi ceu, sed semper de præteritis. Propter hæc, & similia, quæ possunt dici de miseria illius ætatis, videtur, quòd posset cum eis dispensari in ordine nostro super Quadragesimali abstinentia.

Respondeo tamen, hanc quæstionem mouere Panormitanum loco cit. sed nihil resoluere. Vndè dico, in ordine nostro ratione senectutis præcisé, non posse cum aliquo dispensari ad comedendum carnes. Et ratio est, quia votum vitæ Quadragesimalis, est solemne, vt dixi, & de ratione solemnitatis voti est perpetuitas deindè votum non excludit, nisi casum infirmitatis. Vnde qui illud vouet, intendit se obligare omni tempore, illo casu solummodò excepto; Ergò intendit etiam se obligare ad illud obseruandum cum aliqua difficultate in senectute. Ita
Menoch. Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 60. num. 10.

Quandò autem dicitur, quòd senectus ipsa morbus est, intelligitur, quòd communiter, & ordinarié est morborum plena. Vnde tunc ratione morbi potest bené Minimus dispensari. Si autem esset senex nonagenarius, & vltrà, sanus tamen, quantum illa ætas pateretur, nonposset cum eo dispensari, vt Paschalibus vesceretur, quia esset contrà votum.

Vnum hic addo, seniores faciliùs obseruare vitam Quadragesimalem, quàm iuniores propter assuefactionem. Quòd experientia probamus, & tradit nobis Sanctorum patrum doctrina. Sic sanctum Dosithæum dilectum discipulum docuit Sanctus Dorotheus, vt dicitur in eius
Climacus vita Et Climacus gradu 14. alt. *Laxi, & molliti ventres capaciores fiunt, sin autem negliguntur, minùs capient. Qui ventrem ingurgitat, dilatauit intestina. Qui verò aduersùs hunc pugnat, contraxit, ac restrinxit illa: His autèm restrictis, nihil opus est pluribus cibis, Tuncque iam naturaliter ieiunantes efficimur*. Et de Sancto Carolo Borromæo dicitur, quòd duo docebat principia ad hoc propositum, Primum, *vt à paruis incipiendo, eaque sensim augendo semper proficias, & crescas*. Secundum, *vt in eo non languescas, sed constanter retineas, quod semel obtinuisti, & in eo pergas*. Quæ ità ipse practicauit, vt primo carne, deinde ouis, posteà lacte abstinens, tandem solo pane, & aqua contentus fuerit. Vndè patet, quòd seniores propter assuefactionem ad Quadragesimales cibos, faciliùs eos concoquunt, & digerunt; Nàm facti sunt quodammodo stomacho illorum naturales. Et si cupis scire, qua ætate
Menoch. quis dicendus sit senex, adi Menoch. lib. 2. de arbitr. casu 59.

Quæres secundò, an Prælato, seù Correctore indiscretè, vel propter auaritiam, vel propter duritiam, & immisericordiam, vel aliam inordinatam passionem, nolente dispensare cum aliquo Religioso infirmo, vt carnes comedat, afferente Medico, eum talibus indigere, possit hic cum sola Medici licentia Paschalibus vesci.

Respondeo, Superiorem non posse rationabiliter talem licentiam denegare; quia regula ipsa concedit; Vndè si neget, potest subditus tuta conscientia Paschalibus vesci. Nàm *licentia iure petita, si iniustè negetur, videtur ipso iure concessa*. Vt dictū est in Superioribus. Quàm regulà probat Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 13. n. 4. multos citans in *Henriq.* cōmento littera F. Quare neq; etiā possūt Correctores, neq; Prælati infirmos ab infirmaria expellere, vt habetur in Capitulo Genuensi 4. n. 14 vbi talis huius rei redditur ratio: *Sicut de Medici consilio, ac illius onerata conscientia dispensatur infirmus, carnes in Infirmaria comedere: ita de eiusdem Medici consilio, & ipsius pariter onerata conscientia, iidem infirmi ab Infirmaria exire debent*: Quæ ratio optima est. Et notent Correctores, quod tenentur infirmis etiam perpetuis dare omnia, quæ solent dari sanis, & multò plura, si illis indigeant V. G. annua vestimenta, caligas, & femoralia, &c. argument. cap. Primi, de Clerico ægrotante.

Quæres tertiò, An peccet mortaliter Frater minimus comedens carnes, & pisces in eodem prandio, vel cœna, dum est dispensatus super Quadragesima.

Respondeo, peccare omninò mortaliter. Ita Nauar. lib. 5. consil. de priuil. consil. 18. Sayrus *Nauarr.* lib. 3. decis. decis. 5. de obseruat. ieiun. Gras- *Sayrus.* sius 1. parte decis. lib. 2. cap. 37. num. 59. & lib. 2. *Grassius.* de casib. reseru. cap. 10. num. 50. Ratio est, quia ea præcisa ratione dispensatur Minimus super Quadragesima; Quia scilicèt non potest vesci Quadragesimalibus absque dispendio sanitatis, nec cum illorum comestione potest amissam sanitatem recuperare. Et si aliter quis dispensaretur, non valeret dispensatio, & tàm dispensans, quàm dispensatus mortaliter peccarent. Cuius veritatis est textus regulæ clarus num. 26. vbi dicitur. *Quòd ingrauescente infirmitate deducatur Infirmus ad Infirmariam exteriorem; & ibi iuxta ordinationem Medici, de Correctoris iussione vigilanter, & charitatiuè illi succurratur de quibuscumque cibarijs, pro sanitate celeriùs restauranda*, Et quòd hæc sit præcisa ratio dispēsandi, patet ex eadem regula eodem loco. Vbi dicitur, *Quòd quandò quis inciderit in infirmitatem; deducatur ad Infirmariam claustralem, & ibidem primitùs de cibis Quadragesimalibus illius infirmitati congruentioribus illi succurratur*. Vndè patet, quòd priùs debet tentari, an talis infirmus possit, cibis Quadragesimalibus vescens, sanari. Quòd si non possit, immò in deterius ire dignoscatur, quia apparet, tales cibos ei nocere, debet tunc duci ad vescendum Paschalibus in infirmaria. Manet ergò, quòd præcisa ratio dispensandi super Quadragesimali abstinentia cum Fratre Minimo, est quia non potest Quadragesimales cibos comedere absque sanitatis dispendio. Ergò si comedat tunc dictos Quadragesimales cibos, peccat mortaliter non solum contrà ius naturale, quo prohibemur edere nobis læsura, vt docet Nauarrus in Manuali, cap. 15. num. 13. sed *Nauarr.* etiam contra votum.

At inquis, scio Quadragesimales cibos, quos comedam mihi non læsuros; ergò comedere potero.

Respondeo, Tunc cessare rationem dispensationis; Quia si non sunt Quadragesimales cibi nocituri, non potest Paschalibus vesci, sed debes votum tuum obseruare, & Quadragesimales cibos comedere. Quòd si comedas tunc (idest quandò tibi non nocent Quadragesimales) Pascales, peccas contrà votum, quo prohiberis non comedere, nisi quandò necessitate vrgeris.

Ita vt, naturaliter loquendo sanitatem recuperare non possis, nisi mediantibus illis. Si replices nocebunt quidem, sed non notabiliter, tunc dico, quòd paruum nocumentum a mortali excusabit. Nisi sæpiùs repliceiur, nam tunc ex paruo fiet magnum, vel nisi in longum protrahas sanitatis recuperationem, nam tunc non poterit ampliùs dici paruum.

Quæ ratio non solùm militat in eodem prandio, vel cœna, vt docent præfati doctores, sed etiam in diuersis comestionibus. Atque ita credo, peccare omninò mortaliter fratrem Minimum comedentem non solùm in eadem refectione carnes, & pisces, sed etiam in vna carnes & in alia pisces: seù vno die pisces, alio carnes. Et hoc specialiter propter solemne votum, quod emisit vitæ continuæ Quadragesimalis, excepto infirmitatis tempore. Quod mihi persuadet dicta ratio. Contrarium tamen sentit Fagund. in 4. præcep. Eccles. lib. 1. cap. 1. nu. 18. & Trullench. in exposit. bull. cruc. lib. 1. §. 4. dub. 1. num. 3. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 10. Sanchez lib. 4. in decalog. cap. 11. num. 57. Henriq. lib. 7. cap. 30. num. 3.

Fagund. *Trullench.* *Azor.* *Sanchez.* *Henriq.*

Excusarem tamen ab hac regula continuè languidos, seù infirmitate incurabili laborantes, qui constringuntur semper Paschalibus vesci, qui que propter obseruationis regulæ amorem vellent aliquibus diebus in hebdomada communibus Quadragesimalibus vesci, etiā si scirent, eos potiùs sibi aliqualiter nocituros, quàm profuturos, pro quo facit Reginaldus in praxi, lib. 4. num. 171. Axor 1. par. lib. 7. cap. 10. q. 5.

Reginal. *Azor.*

Excusaretur etiam, qui comederet paruā quātitatem, vt docent præfati doctores; quia parua quantitas in omni materia excusat, saltem à mortali.

Quæres quartò, an frater Minimus dispensatus ad comedenda oua, possit comedere carnes, caseum, butyrum, lac, sanguinem.

Respondeo, Licentiatus ad comedenda oua, non potest comedere carnes. Tùm quia à diuersis non fit illatio, carnes autèm sunt specificè distinctè ab ouis, vt patet, & habet Beia, 1. parte casuum, casu 3. pag. mihi 242. versu vndè illud. Tum quia cui concessum est minus, non censetur esse concessum maius. Tùm quia id habetur expressè in capite Presbyter, dist. 82. Tùm denique quia ita seruatur in praxi. Poterit quidem dispensatus ad oua, vesci caseo, lacte, butyro. Tùm quia ex lacticinijs isti solent oua aptari. Tum quia hæc omnia sunt eiusdem rationis. Ità Bartholomæus Medina in sua instruct. confess. cap 14. §. 10. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 7. cap. 10. q. 4. Reginaldus in praxi, lib. 4. nu. 170. Sanchez 8. de matrim. disp. 1. num. 39. Poterit etiam dispensatus ad oua, comedere sanguinem, Argumento dicti cap. Presbyter, dist. 82. Et habet Abulensis in cap. 6. Matthæi, quæst. 171. col. 2. Dispensatus autem ad carnes, poterit comedere oua, &c. *Nam cui licet id, quod est maius, licet etiam id, quod est minus*, per regulam *Cui licet*; quæ est 53. de regulis iuris in 6.

Beia. *Barthol.* *Medina.* *Azor.* *Reginald.* *Sanchez.*

Quæres quintò, An Frater Minimus comedens carnes in Infirmaria teneatur ieiunare.

Respondeo. Caiet. 2. 2. quæst. 147. art. 8. versu ad hoc dicitur. Azor loco cit. quæst. 3. Bartholomæus Medina loco cit. dicunt, quòd dispensatus ad comedendas carnes, non tenetur ad ieiunium. Quia abstinentia carnium est pars essentialis ieiunij. Ioannes Medina codice de ieiunio, quæst. 5. dub. 1. ad finem, Reginaldus in praxi, lib. 4. num. 168. dicunt, quòd tenetur ieiunare; *Quia cum alicui fideli ob causam aliquam permittitur in die Ieiunij ab Ecclesiastica regula in aliquo recedere, in tantum illi id permittitur, in quantum se extendit ipsius causæ indigentia*: Pro qua regula facit textus in cap. Cum dilecti, de dolo, & contumacia. Sed distinguendum puto. Vel qui licentiatur ad comedendas carnes, licentiatur propter languorem, ex incurabili infirmitate prouenientem, seù ad aliquam infirmitatem præcauendam, cui vsus ciborum Quadragesimalium est valdè nociuus; vt sunt verbi gratia. Hernia, Podraga Laborantes; Qui alioqui sunt stomacho sano, & robusto, & sic tenentur ieiunare: Vel licentiatur propter infirmitatem grauem, vel debilitatem stomachi impotentis eum cibum recipere, & digerere vnica comestione, qui esset necessarius ad vitæ sustentationem, & sic non tenetur. Quod tenet Angles in floribus, par. 1. quæstione de abstinentia à cibo art. 1. diff. 9. pag. 488. Et vniuersaliter censeo, præceptum debere obseruari in quantum potest. Cum præsertim partes illæ ieiunij integrales tantummodò sint.

Caietan. *Azor.* *Barthol.* *Medina.* *Io: Medina* *Reginal.* *Angles.*

Quæres sextò, An Religio Minimorum sit perpetuò ieiunantium institutum.

Respōdeo, ita esse; Quia cum pars principalior ieiunij sit abstinentia ciborum, licèt nos aliquandò, ideſt per quinque, aùt ad plus sex menses in anno, bis in die comedamus, tam tenuis est tamen nostra cęna, vt sit multorum ientaculo minor; non enim comedimus nisi aliquas herbas cum paruis pisciculis. Sed esto; quòd ex hac parte nostrum esset minùs perfectum ieiunium. Ieiunium tamen est; quia adest ibi principalior pars ieiunij qua deficiente, secundùm aliquos nullo modo ieiunium subsistere potest. Ità colligitur ex Axorio tom. 1. instit. moral. lib. 7. c. 15. q. 1. versu ex his omnibus colligimus. Ad quod citat caput quia dies, de consecr. dist. 5.

Azor.

Quæres septimò, quot peccata committat Frater Minimus, determinans, & firmiter statuens comedere sibi vnum caponem verbi gratia, non tamen totum vnica comestione, sed pluribus, medium nimirum mane, & medium vesperi.

Respondeo, tot peccata distincta numero committit, quot sunt comestiones numero distinctę. Itàque si illum comedat vnica comestione, vnum peccatum committit, si decem, decem. Et Ratio est. Tùm quia licèt alioqui vnus sit actus voluntatis, peccata tamen numero distinguuntur quādò res voluntati obiecta numero differt; Siuè vno simul voluntatis actu, siuè pluribus approbetur, & placeat. Tùm quia votum non comedendi carnes est negatiuum, quod obligat semper, & ad semper. Atque ita docent Antoninus secunda parte, tit. 11. cap. 2. §. 2. Et Beia secunda parte casuum, casu 3. pag. 244. versu colliges tertiò. Quod idem dic de eo, qui in principio Quadragesimæ firmiter statuisset toto illo tempore, ieiunium soluere. Tot enim peccata committeret, quot sunt Quadragesimalia ieiunia. Idem dic de eo Religioso, qui determinasset per totum annum officium diuinum omittere.

Antonin. *Beia.*

Et de

Et de eo, qui dormiens cum meretrice, determinasset à principio, se fœdo illo cibo pro posse satiare, eamque per tot, quot posset vices cognoscere. Ità in specie Azor tom. 1. instit. moral. lib. 7. cap. 10. quæst. 8. Ioannes Medina Codice de Ieiunio, quæst. 5. dub. 2.

Azor. Ioannes Medina.

Quæres octauo, An Frater Minimus licentiatus ad comedendas carnes, possit eas comedere in diebus Veneris, & Sabbathi; videtur enim quòd sic, quia solutus à maiori, censetur solutus à minori, Obligatio autèm voti est de iure diuino, Obligatio præcepti de iure positiuo.

Respondeo, Quandò eadem est vtrobiquè omninò ratio, verum est, quòd solutus à maiori, censetur solutus à minori. In casu autem nostro non est eadem omninò vtrobiquè ratio, Nàm, vt fateamur, quòd secundum doctrinam sit eadem omninò ratio, & quodammodò à priori, secundùm tamen communem existimationem, & à posteriori maior causa requiritur ad dispensandum super esu carnium in diebus Veneris, & Sabbathi, quam requiratur ad dispensandū super alijs diebus Quadragesimę. Nàm ad dispensandū super alijs diebus sufficit Medicis qualis qualis infirmitas, cui esus piscium sit nociuus. Ad dispensandum autèm diebus Veneris, & Sabbathi requiritur omninó grauis infirmitas. Vndè sæculares communiter, præsertim in istis nostris partibus, dispensati ad comedendas carnes in Quadragesima, eas non comedunt dictis diebus Veneris, & Sabbathi, & admodùm scandalosum esset, his diebus absquè graui euidenter infirmitate carnibus vesci. Cum diebus Veneris, & Sabbathi hic licitum sit comedere oua, caseum, butyrum, & lac. Quarè optimè potest obseruari præceptum Veneris, & Sabbati, non obseruato præcepto Quadragesimæ propter aliqualem infirmitatem. Et ita habet hic consuetudo, quæ vim legis habet, & est omninò seruanda, vt docet Abulensis in cap. 6. Matthæi, q. 171. Et habetur cap. Vtinam, dist. 76. Vndè peccaret omninò mortaliter Frater Minimus, qui absquè graui euidenter infirmitate, & asquè speciali Medici licentia (quæ semper, quandò est necessarium dictis diebus comedere carnes, specialiter adhibetur) carnes diebus Veneris, & Sabbathi comederet. Tùm propter consuetudinem. Tùm propter scandalum. Vndè Paulus 1. Corinth. 8. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo (carnem) in æternum.* Ad quem locum dicit Chrysostomus. *Hoc Magistri optimi est officium, suo exemplo docere, quæ præcipit. Et non dicit, siuè iustè, siuè iniustè, sed quomodocumquè. Et non dico, inquit Idolothytum, quod & propter, aliam causam prohibetur: Sed si quod licèt, & permittitur, scandalizat etiam, illo abstineo; Nequè vna, aut altera die sed toto vitæ tempore. Non enim manducabo, inquit carnes in æternum. Et non inquit, ne perdam fratrem, sed simpliciter vt non scandalizem. Etenim vltima amentia est, quæ Christo pretiosissima sunt, & talia, vt eorum gratia mortem obire non recusauerit, ità nos despicatissima arbitrari, vt esu propterea non abstineamus.*

Abulens.

Paulus 1. Corinth. 8.

Chrysost.

Quæres nono, An Frater Minimus possit saltem his diebus Veneris, & Sabbati comedere cibos coctos in iure carnis, quandò est licentiatus ad comedendas carnes.

Respondeo, non posse, nisi vrgenti graui infirmitate, & de Medici consilio speciali, vt dictum est de esu carnium. Quia ius carnium substantiam in se imbibit, & prohibitus comedere carnes, prohibitus est etiam comedere ipsarum ius. Vide Sanchez 4. in decalogum, cap. 11. num. 48.

Sanchez.

Quæres X. An Frater Minimus licentiatus ad comedendas carnes, possit eas comedere feria sexta, in qua caderet dies Natalis Domini.

Respondeo posse. Quia licèt caput vltimum de obseruatione ieiunij solùm eximat ab abstinentia carnium eo die. *Qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt astricti.* Qui tamen est dispensatus ad carnes; non est pro illo tunc vllo modo ligatus, ergò poterit comedere. Ità Sanchez lib. 4. in decalogum, cap. 11. num. 63. Armilla verbo Ieiunium, num. 13. Sa ibidem, num. 6. Bela 2. parte casuum, casu 3. pag. mihi 247. versu Respondetur.

Sanchez. Armilla. Sa. Bela.

Quæres XI. An Frater Minimus in prædicatione verbi Dei occupatus, neque dictum munus exequi valens absquè carnium comestione, debeat potiùs prædicationem omittere, quàm votum Quadragesimalis vitæ frangere, an è cōtra teneatur votum vitæ Quadragesimalis frangere & munus prædicationis continuare.

Respondeo distinguendo Primò. Vel prædicator voluntariè se ingerit, petens prædicandi licentiam, & locum sibi ad prædicandum procurans. Vel prædicare iubetur à Prælato. Secundò vel antequàm eat ad prædicandum, nouit se non posse tota Quadragesima prædicare absquè comestione carnium, vel non nouit. Qui voluntariè se ingerit, noscens suam impotentiam ad prædicandum absquè fractione voti, peccat omninò mortaliter; Quia cum id muneris ex officio non habeat, occasionem quærit non obseruandi voti. Et illud ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.* Intelligitur propriè, non de ijs, qui vadunt ad prædicandum cum licentia suorum Superiorum, Nàm sinè hac omninò mortale est tale munus exequi, vt dictum est; sed de ijs, qui per obedientiam tale munus exequi coguntur. Qui verò nouit talem impotentiam, & iussus a Prælato prædicare, ei eam manifestat, qua cognita, si Prælatus in sua iussione nihilominùs perduret, ductus rationabili causa, nimirùm propter bonum commune, quia scilicèt talis Pater est prædicator famosus, qui prædicat cum magno Spiritu, & multum solet in suis prædicationibus proficere, vel ad conuertendos hæreticos, vel ad conuertendos peccatores, forte prędicare tenebitur. Quia videtur illo casu, posse Prælatum declarare, votum non obligare, vt potè maioris boni impeditiuum, si præsertim alij Prædicatores non reperiantur, qui possint æquè benè, & velint, saluo voto, tale munus exequi. Qui autem inter prædicandum factus est impotens, verbi gratia media Quadragesima, ad continuandum suas prædicationes, vel nouerit priùs talem impotentiam, vel non nouerit, vel fuerit iussus, vel spontè se ingesserit, credo, quòd licèt peccauerit, si nouerit, & non fuerit iussus, tamen comedere poterit carnes cum Superioris licentia de consilio Medici; Ducor primo, Quia in isto casu iste est impotens ad exequendū munus assumptum, Vndè videtur quodammodò infir-

infirmus. Secundò, quia bonum commune id videtur suadere, præsertim si prædicet in loco, vbi non sit alius Prædicator, & multum profectum in animis audientium faciat; (Nam de quibusdam prædicatoribus, qui solùm prædicant, vt Prædicatores sint, & ad id se maximè voluntariè ingerunt, non dubito, quin mortaliter peccent, si votum non obseruent). Tertiò, Id videtur licitum ad vitandum scandalum; quia videntes populi, suum prædicatorem non infirmum, suas prædicationes non continuare, scandalizabuntur. Et ad vitandum scandalum multa permittuntur, quæ alias non permitterentur; vt dicitur Capite vt constitueretur, dist. 50. Et cap. Latores extrà, de Clerico excommunicato ministrante; Et docet Abulensis in cap. 6. Matthæi, q. 149. *Abulens.*

Tandem fateor, propter difficultates tactas in isto casu, multos ex nostris abstinuisse à prædicatione, dicentes, votum se fecisse vitæ Quadragesimalis, non prædicationis. Nec mihi, vt verum dicam, planè omninò satisfeci, & maluissem auditorem esse, quàm doctorem. Consului equidem peritos, iuxta caput de quibus, dist. 20. sed vere non videtur planè satisfactum dubio, attenta voti solemnis obligatione, & vnica sola causa remissionis. Satisfacient alij peritiores, cum præsertim facile sit inuentis addere. Cum hæc scripsissem, venit ad manus Festus 2. par. sui summarij, cap. 55. qui refert constitutionem sui Ordinis ad hoc propositum, quæ me valdè confirmauit in mea opinione. Et sic habet. *Festus.*

Vallesleti 1605. Ordinatur, vt prædicatores, qui tempore Quadragesimæ à carnibus abstinere non valent, eo tempore ad populum conciones non habeant, ne plus tanto scandalo offendant, quàm verbis adificent. Et tamen Prædicatores non obseruant sub voto abstinentiam à carnibus.

Quæres XII. An Religiosus Minimus, qui à multis annis solet bis in anno infirmari, & per consequens licentiari ad comedendas carnes, possit emere suo tempore aliquod obsonium Paschale, retinendum apùd aliquem amicum sæcularem, & comedendum tempore, quo Paschalibus licebit vesci, verbi gratia propter vtilitates, quas scit stomacho afferre caseum, ipsomet caseo testante his versibus.

Ignari Medici me dicunt esse nocinum,
Sed tamèn ignorant, quæ nocumenta feram,
Expertis reor esse ratum, quia commoditate,
Languenti stomacho caseus addit opem.
Caseus antè cibum confert, si desinat alnus,
Si constipetur terminet ille dapes.
Ad fundum stomachi dù sumpta cibaria trudit,
Vim digestiuam non minus ille iuuat.
Si stomachus languet, vel si minus appetit, illa
Fit gratus stomacho, conciliatque cibum.

Præsertim si habeat conditiones positas sequenti distichon.

Non Argus, Cygnus, nec Magdalena, Mathusel,
Non Abacuc, Lazarus, Caseus ille bonus.

Ordinat cuidam casearìo tempore Maij, vt viginti, aut triginta libras casei omni diligentia, & cura peracti, det cuidam, vt suo nomine apùd se retineat, vsquè dùm venerit tempus illum comedendi.

Respondeo, hoc non posse tuta conscientia fieri, etiamsi animum habeat non comedendi, nisi tempore licito. Primò, Hoc maximam gulositatem dicit, contra abstinentiam, quam profitemur. Secundò, quia hoc est ponere se in periculo proximo peccandi, licet enim caseus apùd Religiosum non sit, est tamen apùd amicum nomine suo, Tertiò, quia hoc videtur sibi Religiosus ille augurari infirmitatem, eamque, fodicante gula, semper expectabit. Quartò, quia hoc vix potest carere scandalo.

Quæres XIII. An liceat Fratri Minimo cum occulta licentia Medici, & Superioris carnes extrà Infirmariam comedere. Verbi gratia laborat aliquis occulta infirmitate, qua astringitur continuè, vel quasi continuè Paschalibus vesci, sed & quia vult aliquandò egredi domo; & quia nollet videri à Fratribus tàm sæpè Paschales comedere, & quia vellet etiam posse habere officia in Religione, impetrat à Medico, & Superiore licentiam occultè in sua cella, seù apùd aliquem amicum suum comedendi carnes.

Respondeo, Hoc nullo modo licere. Nàm non potest Frater Minimus comedere carnes extrà Infirmariam, vt patet ex cap. 6. Regulæ, n. 26. 27. 28. Nec Medico, nec Superiori licet darè licentiam comedendi extrà eam. Est etiam contrà Decretum Clementis VIII. de non egrediendo Conuentu tempore Infirmitatis. Et nulla æqua ratio suadet, id posse fieri; Nàm si verè indiget, non est cùr his puerilibus rationibus, & vanis detineatur. Illud autèm, quòd id fiat ad hoc, vt possint recipi officia, notat ambitionem, & est simùl peccatum velle recipere aliquod officium, quod nequit exequi, vt debet, pro quo specialiter.

Quæres XIV. An Frater Minimus continuè languidus, sit ineligibilis ad dignitates Ordinis.

Respondeo, Valetudinarios in nostro Ordine esse inhabiles ad dignitates. Ità statutū est in Capitulo Barchinonensi 1. nu. 19. *Valetudinarij autèm ibi dicuntur, qui ex consuetudine morbi, & imbecillitate naturæ coguntur singulis fermè annis plusquam sex menses in Infirmaria agere, vescētes carnibus, nec Choro interesse valentes horis matutinis, nec communitati se conformare.* Quod idem fuit statutum in Capitulo Genuensi 1. num. 33. & Bononiensi 1. num. 27. Et est maximè conforme Correctorio, nu. 65. Et videtur insinuari in decretis generalibus pro reformatione regularium, nu. 36. Vbi dicitur, *Ad officia, gradus, Et Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.* Congruit etiam iuri Canonico, cap. Cum inter Canonicos, de electione, vbi Panor. nu. 8. hæc habet. *Nota, quòd patiens morbum impedientem morbosum administrare dignitatem, est ineligibilis. Infirmitas enim impedit promouendum, si dubitatur de conualescentia. Non tamen repellis idem promotum, sed debet sibi dari coadiutor.* *Panorm.*

Ex quibus colligo duo. Primum, quòd si quis esset infirmus graui quantumuis infirmitate, non per hoc est ineligibilis, nisi omnind dubitetur de conualescentia, vel nisi dubitetur, quòd pro eo tempore non conualuerit, quo durat officium, ad quod est assumendus. Verbi gratia si laboret aliquis febri quartana, vel tertiana, quæ per annum, & plùa quandoquè durare solent, non potest hic in die Sancti Michaelis eligi in Correctorem;

poterit

poterit quidem eligi in Prouincialem, & collegam, quia non dubitatur, quin intra illud tempus debeat conualescere.

Colligo secundo, quod electus ad dignitatem, quantumuis infirmetur, & taliter, vt dubitetur de conualescentia, seu de facto videatur, quòd sit insanabilis, vt pote quia attractus, seu mancus, vel tabidus factus sit non per hoc tamē potest priuari, sed debet illi dari coadiutor. Iuxtà caput De rectoribus, de Clerico ægrotante.

Quæres XV. Vtrum cibaria Quadragesimalia noceant illis Religiosis Minimis, qui studijs incumbunt.

Respondeo, Licet possit videri alicui, hæc cibaria aliquatenùs nocere studiosis, tùm ratione difficilis digestionis, vnde natura valido calore indiget ad ea concoquenda, qui calor si diuertatur à ventriculo studiorum ergò, & trahatur ad caput, vt fieri necessariò debet, quià natura sempèr est intenta ad adiuuandas partes nobiliores, præsertim si indigeant, & intèr has nobilissima sit potentia intellectiua, quæ in studendo maximè laborat, generatur imperfectus chilus, & cum secunda concoctio nequeat emendare vitia primæ concoctionis, imperfectus quoquè sanguis gignetur, qui non valebit vires reficere, & quod, continuò in mortalium corpore deperditur, reparare. Tum ratione parui nutrimenti, vndè non poterunt gignere eos spiritus, qui pro labore studiorum requiruntur; Licet si, inquam, propter hæc possit alicui videri, ista cibaria studiosis nocere. Quià tamen non omnia cibaria, quibus vescimur, sunt difficilis concoctionis, herbæ enim; & pisces citò transeunt, & quià licèt essent difficilis digestionis, posset hoc incommodum, lato tempore intermedio, inter studendum, & comedendum reparari. Et quià Religiosi cum corporaliter non laborent, non indigeant valido nutrimento, ideò puto, quòd dicta cibaria notabiliter dictis studiosis non noceant. Addo, quòd Minimi sunt talibus cibarijs assueti, vndè natura illis ità reficitur, ac si alijs substantialioribus esset refecta. Quod Medicos negaturos non credo, Nam Galenus 8. Methodi dicit, *Consuetudo similem victum postulat*. Et ibidem *Consuetis gaudent natura*. Et Hippocrates 2. aphoris. 50 *Consueta, ait, Ex multo tempore, etiam si deteriora fuerint inconsuetis, minus molestare solent*. Vndè cibaria Quadragesimalia assuetis non solùm non officient, sed quam maximè proderunt, & magis quàm alia cibaria substantialiora, inconsueta tamen. Et quòd ità fit, experientia ipsa docet; Religio enim nostra doctissimos viros omni tempore aluit.

Galenus. *Hippocr.*



CAP. VII.

An vita Quadragesimalis iuuet ad domandas passiones libidinis.



IDETVR quòd non. Primò, quià in Quadragesima vtimur cibis salacibus, qui Venerem excitant secundùm Medicorum doctrinam. Et est tritum illud Oratij. *Salaces cibi Venerem citantes*. *Oratis.*

Secundo Vinum, ad quod in maiori quantitate bibendum incitant salacia. Res est luxuriosa, vt dicitur Prou. 20. & ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. *Prou. 20.* *Ephes. 5.*

Tertio, in vita Quadragesimali vtimur leguminibus, quæ etiam rem Veneream excitant ob generationem flatuum, vel spirituum, vt docet Plutarchus in quæstione Roman. quæst. 95. Qui addit *Propter hoc seruantes castimoniam, vsu leguminum fuisse interdictos*. Quibus tamen non obstantibus. *Plutarc.*

Dicendum est, vitam, & abstinentiam Quadragesimalem maximè iuuare ad passiones libidinis edomandas.

Probatur primo, ex communi sensu Ecclesiæ, quæ ad hoc Quadragesimalem abstinentiam colit, vt colligitur ex illo Gregorij epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum, & refertur cap. Deniq; d. 4. *Piscium esus ità Christianæ relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium*. Ac si dicat, Ideò Ecclesia prohibet tempore ieiuniorum maximè Quadragesimalium, carnem, & lacticinia, vt carnem, & carnis illecebras edomandas doceat: Esus autem Christiano viro conceditur piscium ad solatium infirmitatis humanæ. Super quod caput dicit Archidiac. *Carnes ieiunij tempore ideò prohibentur, quià propter adipem, & pinguedinem suam incendunt renes, & carnes appetitum intizant, non ita pisces*. Et D. Thomas 2. 2. q. 147. ar. 8. corpore, ait, *Ieiunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, quæ consistunt in cibis, & Venereis, & ideo illos cibos Ecclesia ieiunantibus interdixit, qui in comedendo maximè habent delectationem, & iterum maximè hominem ad Venerea prouocant. Huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium, & respirantium, & quæ ex eis procedunt, sicut lacticinia ex gressilibus, & oua ex auibus; Quià enim huiusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum: & sic ex eorum comestione plùs superfluit, vt vertatur in materiam seminis, cuius multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ, & ideò ab his cibis præcipuè ieiunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum*. Et Abulensis in cap. 6. Matthæi, q. 171. col. 1. *Ecclesia instituit ieiunium principaliter ad carnis vitia comprimenda, quià nihil est, quod magis conforter ad Venerea, quam vsus Carnium*. Et ista fuit causa quare omnibus Monachis interdicuntur carnes cap. Carnem, de Consec. d. 5. quià scilicèt debent cauere ab omni libidine, cum vouerint continentiam perpetuam. *Archid.* *D. Thom.* *Abulens.*

Secundo Probatur ex Apostolo ad Rom. 13. *Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs*. Ebrietates enim, & comessationes libidinis

Script. bidinis sunt certissima causa Et 1. Cor. 9. *Sic curro,* inquit, *Non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo,* Quasi dicat. Hanc mihi domandi carnem præscripsi viam, vt eam per abstinentiam castigarem, & domatis ieiunijs, & vigilijs, passionibus sensualibus, eam rationi subiectam redigo.

Gregor. Tertio Probatur ex Patribus, Gregorio 30. moral. cap. 26. *Muros Ierusalem coquorum princeps* (Nabuzardam) *Destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quod Paulus contra Ierusalem mœnia decertanti, vires coquorum Principi;* (Idest ventri) *Subtrahebat, cum diceret, castigo corpus meum, & servituti subijcio.* *August.* Augustino lib. 30. contra Faustum, cap. 5. ait. *Christiani, non Haretici, sed Catholici edomandi corporis causa, propter animam in orationibus amplius humiliandam; non quod illa esse immunda credant, non solum a carnibus, verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper sicut pauci* (Minimi) *Vel certis diebus, atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes.* *D. Thom.* D. Tho. 2. 2. q. 147. ar. primo. *Assumitur ieiunium ad carnis concupiscentias reprimendas. Vndè Apostolus dicit* *Corint. 6.* *2. Corinth. 6. ieiunijs, in castitate, quia per ieiunia castitas conservatur.*

Ad primum ergò respondeo. Verum quidèm esse; quòd salacia Venerem concitant; sed nos primo non semper vtimur salacibus, sed frequentiùs piscibus, herbis, & oleribus, salacibus tantummodò hyemis tempore, & propter defectũ pisciũ. Secundo quando ijs vtimur, non vtimur, nisi priùs benè dulcibus redditis aquas atque ità illa non comedimus, nisi priusquàm, quantùm potest fieri salem expuerint. Tertio dico, quòd dato, quòd salacibus vt talibus vteremur, non per hoc incitant ad luxuriam plusquàm carnes; tùm quià non tantam materiam luxuriæ, idest semen producunt: Tùm quià motus, quem causant, est repentinus, & furiosus, qui non habens radices, citò transit.

D. Thom. Ad secundum, & tertium respondeo, èx D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 8. ad primum, *Quod ad actum generationis tria concurrunt, scilicet calor, spiritus, & humor. Ad calorem quidem maximè cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus: ad spiritus autèm videntur cooperari inflativa, vt legumina. Sed ad, humorem maximè cooperatur vsus carnium, ex quibus multum de alimento generatur, Alteratio autem caloris, & multiplicatio spirituum citò transit, & ex alijs partibus corporis exhalatur, sed substantia humoris diù manet,* Nec potest aliter, quàm per actum emis- *Abulens.* sionis, vel resolutionis ad longum tempus purgari. Hæc ferè habet etiam Abulensis in cap. 6. Matth. q. 171. col. 3. Itaque vinum, & legumina accendunt quidèm ignem libidinis, sed tamquàm ignem paleæ. carnes autem accendunt ignem carbonum quercuum; Ad secundum autèm in particulari dico, quò salacia sitim quidem excitant; sed sitis extinguitur aqua, non vino.

Sed cur vinum, quod calorem accendit, non sit prohibitum tempore Quadragesimę, carnes autem sic. Respondeo Abulensis loc. cit. colum. 3. *Quia carnes magis nocent volenti continentiam servare, quàm vinum, etiamsi vinum generet plus de calore. Quia calor genitus per vinum nihil agit ad Venerea, nisi in quantum inflammat vasa seminaria, & loca vicina, & tunc fit titillatio magna: Et apparet differentia manifeste. Quia interdum qui calefactus vino incitatur parum ad Venerea, & interdum vehementissime; Quod non provenit nisi ex differentia multi, vel pauci seminis. Nam illi, qui per coitum se exinanierunt, etiamsi calefiant à vino, non incitantur ullo modo, vel valde remisse: Qui autem se diu continerunt, etiamsi parum calefiant a vino, ferocissime incitantur. Et est eis gravissimum abstinere. Non ergo provenit nisi ex seminis multitudine, quod cum fuerit calefactum pulsat ad exitum. Multo ergo peius est abundare in semine, quam calore.*

Sed adhuc obijcies. In maxima abstinentia maximè aliquandò viget luxuria, & quantò durius maceratur caro, tantò quandòque gliscit acerbiùs. Testis sit Hieronymus in ep. 22. ad Eustochium. Qui de seipso ait (vt etiam suprà retulimus q. 3. cap. 2. in principio) *Quòd in corpore frigido, & antè hominem suum iam carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant.* Ex quo sequi uidetur, quòd abstinentia per se parum faciat ad libidinis ardores extinguendos.

Respondeo primò, Quandòque Deum permittere, vt in foedidis cogitationibus relinquamur, ne per superbiam extollamur, Ità solebat dicere B. Antonius relatus à Ruffino lib. *Ruffin.* 3. vit. patrum, num. 128. & refertur etiàm lib. *Cassian.* 7. cap. 15. num. 1.

Secundò Respondeo, ex Cassiano collat. 22. cap. 3. *Hoc quandoquè provenire arte Dæmonis, vt eo tempore, quo magis puritatem amamus, & per hoc magis abstinemus, eò magis sordidis nos sentiamus cogitationibus stimulari; quandòque etiam nocturnè polllui ad nos in desperationem inducendum, & ad retrahendum à cœpto perfectionis itinere:*

Tertio potest id etiam euenire, præsertim in principio abstinentiæ. Non ex præsenti inedia, sed ex nimietate præteritæ saturitatis: vel etiam ex mente non rectè custodita, in sola corporis exterius castigatione posita fiducia.

Objicies etiam aliqui pisces sunt tantum delectabiles sicut carnes, & plus, vt Syluri, Gladij, Sciadei, Oratæ, Carpi, Truttæ, Lampretæ, &c. & etiam tantum nutriunt sicut carnes, ergò tam concitabunt Venerem, sicùt carnes.

Respondeo, Quòd dicti pisces sint delectabiles sicùt carnes, & plùs, verum est, & Ideò cibi sunt magnatorum, qui carnium saturi, carnes nauseant quandoque. Quod autem sint nutritivi sicùt carnes, falsum est. Nàm sunt naturaliter frigidi, vnde non gignitur ex eis tanta seminis abundantia, vt habet Archidiaconus in cap. *Archid.* Deniq; dist. 4. num. 4. & Abulens. In c. 6. Matt. q. 166. col. 2. ad 2. qu. 171. ad 3.

CAP. VIII.

An possint Fratres Minimi vescentes cibis Paschalibus in Infirmaria Conuentu Egredi.

IN nostra Religione est decretum sanctissimi in Christo patris Papæ Clementis VIII. editum anno 1596. cum multis alijs, quæ fuerunt missa ad Capitulum Generale, quod tunc Genuæ celebrabatur, quæ decreta coram Capitulo lecta, & publicata, ab omnibus fuero acceptata, & mandatum, vt ab omnibus obseruarentur, vt patet ex num. 2. dicti Capituli. In quo decreto præcipitur omnibus Religiosis illius Ordinis sub pœnis io ipso, vt durante tempore, quo in Infirmaria cibis Paschalibus vescuntur, non possint Conuentu egredi. Decretū autem sic habet.

Et quia quartum votum vitæ Quadragesimalis splendor est institutis, & Religionis Minimorum ideò ad tollendos abusus, & fraudes Fratrum parum zelantium sanctam obseruantiam, hæc retinenda est, & in integrum restituenda, quò deindè exactiùs, & diligentius ordines regulæ, & Correctorij obseruentur, hoc pacto videlicet. Quòd omnis Frater, qui iudicabitur à Medico debere comedere cibos Paschales, teneatur permanere in Infirmaria toto illo tempore, quo dictis cibis vescitur, absque eo quod vmquàm è Conuentu egrediatur: & absque eo quòd vmquàm comedat extra dictam Infirmariam, & hoc sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per tres annos subsequentes, à qua pœna habilitari non possit, nisi per specialem gratiam huius sanctæ sedis. Vide Sosam in explic. bullæ de donat. fundam 2, pag. 6.

Priusquam proferam quid circà hoc decretum sentiam, noto, quòd duplex est legis, seù statuti, aùt decreti Interpretatio. Vna generalis necessaria, & obligans ad sui obseruantiam: Sic interpretari Ius diuinum, & Canonicum pertinet ad Papam per cap. Venerabilem, qui filij sint legitimi; Ad quem etiam pertinet interpretari legem ciuilem, in quantū concernit clericos, cap. 1. de iur. calum. In quàntum verò concernit laicos, pertinet ad Imperatorem lege finali, Cod. de legibus. Altera Interpretatio est non necessaria, nec iuridica, aùt publica, sed priuata non obligans, & hac interpretatione possunt doctores omnes leges interpretari. Etiamsi Princeps dicat *Nemini licoat hanc nostram paginam aliter interpretari*; Nàm tunc solùm prohibet interpretationes friuolas, & quæ sunt planè contrà mentem ipsius: seù ex proprio capite, neque iuri, neque rationi innixas, vt docent Sa in aphorismis verbo Interpretatio, nu. 5. Barbossa in prologo suarum remiss. in Concilium alios adducens, Salas de legibus, dis. 21. sect. 2. Reginald. lib. 20. praxis num. 53. uersu, aduerte verò, Rodriq. tom. 1. quæst. regul q. 11. art. 5. Panor. in cap. Inter alia de sent. ex comm. num. 2. Quo pacto licèt prohibitum sit decreta Concilij Trid. interpretari; interpretantur tamen, & declarant quotidie Doctores; Vndè non erit temerarium hoc decretum Pontificis interpretari, seù declarare. Cum huic interpretationi standum non sit, nisi in quantum iuri, & rationi erit consentanea. Hoc posito.

Sa. Barbossa, Salas. Reginald, Rodriq. Panor.

Dico primo, quòd meo videri possunt Superiores ordinis Minimorū concedere facultatem ad tempus alicui Religioso infirmo de Medici consilio, vt proptèr sanitatem recuperandam possit extrà Conuentum degere, & inibi Paschalibus vesci, rationabili causa id suadente: scilicet, vel quià morbus est contagiosus, & timetur, ne serpat inter fratres, si cum illis commoretur ægrotus: vel quia Conuentus est multùm distans à Ciuitate, & non potest ita de facili haberi assistentia Medicorum, pro vt requirit infirmitas: vel quià Conuentus est pauperrimus, & non potest tali infirmitati necessaria subministrare.

Probatur primo quià hoc decretum solùm est factum ad tollendos abusus eorum, qui ventri, & abdomini facti, cum minimo dolore capitis grauabant infirmitatem, quousque licentiam vescendi Paschalibus extorsissent, qua extorta, per Ciuitatem continue cursitabant, & ad Conuentum deindè reuertentes, in Infirmaria Paschalibus vescebantur: & aliquandò etiam cum scandalo Religiosis in sæcularium domibus carnes comedebant. Quibus abusibus mederi voluit Pontifex isto statuto. Et quòd hæc fuerit mens illius, patet ex illis verbis proœmij, *Ad tolendos abusus, & fraudes*; Ex verbis enim proœmij colligitur mens statuētis, vt habet Panor. in cap. Aduersus, num. 3. de immunit. Ecclesiæ, & Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 12. art. 6. versu prima regula. Ratioque ipsa dictat, talem fuisse mentem Pontificis; Nàm credendū non est, clementissimū Clementem tàm contra clemētiam, & charitatem voluisse in casibus supradictis, in quibus nec abusus, nec scandala reperiuntur, ligare manus Superiorum, quin possent suis Religiosis talem facultatem concedere; & præcludere Religiosis infirmis (quibus omnis clementia, & charitas debetur) viam sanitatis recuperandæ. Quod dicendum esset, si statutum deberet intelligi, vt sonat, Ergò cū de mente Pontificis constet, etiamsi verba statuti sint contraria, curandum non est, vt dicitur in regula Finali, de regulis iur. in 6. vbi habetur, Quòd *Is committit in legem, qui verba legis cōplectens, cōtra legis nititur voluntatem.* Quod etiā habetur cap. Marcion, & Basylides, prima q. 1. vbi dicitur. *Nec putemus in verbis scripturarū esse Euangeliū, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* *Panorm.*

Secundo Probatur, quià talem constitutionem fecit Pontifex, *Vt indè exactè, & ad vnguē obseruarentur ordines Regulæ, & Correctorij*, ut dicitur eodem proœmio. At in Regula, cap. 6. nu. 25. hæc habentur. *Carnes igitur, & pinguedo, oua, butyrum, caseus, & quæuis lacticinia ex eisdem congesta, & producta quæcumque intùs, ac extrà (saluis modificationibus infrascriptis) omnibus, ac singulis fratribus ipsis, & oblatis, sint omninò, & irrefragabiliter interdicta.* Vbi notandum, quòd illud (*Intus, ac extrà*) Non appellat infirmos, sed sanos, & est positum ad differentiam Monachorum, qui in Refectorio non possunt quippè carnes commedere, possunt tamen alibi, Tùm in Conuentu, Tùm extrà illum. Quòd autem dicitur in eadem regula, num. 26. *Deducatur talis infirmus ad infirma-*

riam

ptum exterius intra Conuentus clausuram fiant. Et inibi, iuxta ordinationem dicti Medici, de corporis infirmo vigilanter, & charitatiuè illi succurratur. Ex quo videtur sequi, quòd tantùm possit infirmus in infirmaria Conuetus cibis Paschalibus vesci, vt sonat illud (*Inibi.*) Solùm significat quòd, (*Inibi*) Idem in infirmaria ipsa, non in Refectorio, non in hospitio, non in aliqua alia Conuentus officina, ne profanetur Connentus Paschalibus cibis; Non autem significat, quod extra Conuentum infirmi nequeant exire, & in sæcularium domibus vna ex dictis rationibus suadente, debitis obtentis licentijs, Paschalibus vesci. Neque etiam significat, quod infirmi vescentes Paschalibus in infirmaria, nequeant eo tempore Conuentum exire, *Consuetudo namque, quæ est optima legum interpres*, Vt dicitur cap. Cum dilectus, de consuetud. ita interpretata est locum illum regulæ. Antè enim hoc statutum Pontificis nullo scrupulo infirmi egrediebantur Conuentu; non vescebantur tamen extra illum Paschalibus, nisi eo modo, quo præscriptum est in Capitulo Paulæ, de quo modò.

Quarè in regula, neque in Correctorio, an infirmi possint Conuentum exire, nihil statuitur. Quid ergò sibi vult Pontifex, quando ait in dicto decreto, se illud facere, *Vt obseruentur ordines regulæ, & Correctorij?* Puto, quòd velit dicere, vt obseruentur ordinationes circa regulam, & Correctorium factæ in Capitulis generalibus. In quibus Capitulo Genuensi primo, num. 33. & Paulitano, nu. 45. *Prohibetur ægrotis in infirmaria carnes manducantibus, eo durante tempore, quo carnibus vescuntur, absque Medici consilio, & consensu, accausa euidentissima, extra Conuentu ire, & carnes, & lacticinia ibi comedere.* Et sic dicendū est, quod nihil aliud voluit Pontifex in illa sua ordinatione nisi renouare statuta istorū Capitulorum; Vndè etiam vritur illo verbo (*Renouetur*) Seu, vt dicitur in vulgari Idiomate, in quo sunt impressa illa statuta (*Si rinoui*) Nè scilicet ab infirmis extra Conuentum, absque euidentissima causa à Medico approbanda, comedantur Paschalia.

Et addo, quòd non potuit aliud voluisse. Quià cum prædicta acta Paulitana fuerint confirmata à Paulo III. die 17. Martij, 1526. per bullam, quæ habetur in nostris statutis post cæremonias, num 11. & in ijs detur licentia ægrotis, vt cum consensu Medici, & Sepetioris, vt supponitur, possint extra Conuentum ire, & carnes ibi comedere, per simplicem ordinationem Pontificis subsequentis absque vllis clausulis derogatorijs, nō videtur sublata talis facultas. Et Probatur, quià leges generales etiàm posteriores limitantur per leges particulares etiam priores, vt habetur in Auth. Offeratur, Cod. de lit. contest. Si in neutra earum legum de altera fiat mentio, vt docet Nauarrus lib. 3. consil. de regul. consil. 61. num. 3. Sic in casu nostro habemus duas leges, seù duo statuta ambo prohibentia egressum infirmis, & comestionem paschalium extrà Conuentū. Vnum prius, quod est Paulitanum confirmatum à Papa; Alterum posterius, quod est Clementis; & in neutro de altero fit mentio; ergò posterius limitandum est per prius, & iuxta illud intelligendum. Aduertendo semper, quod hoc vltimum statutum factum est ad renouationem priorum, & priora nulla sunt, nisi citata in capitulo Genuensi, & Paulitano, vt probatum est, Adde quod lex noua quantumuis generalis non corrigit casus speciales legis antiquæ, vt docet Glossa 5. in leg. 3. C. de silentiarijs lib. 12. Felin. in cap. sicut Romana, num. 3. & tu. de rescrip. Cassador. decis. 6. num. 11. super regul. Anton. Gabr. in tit. de legib. conclus. 1. nu. 1. & per totam Mandos. in reg. 11. q. 13. nu. 3. Puteus decis. 195. num. 1. & seq. lib. 1. Gutier. de iur. confir. par. 1. quæst. 40. num. 2. finè, Gonzal. ad reg. 8. cancell. §. 7. procemiali num. 75.

Dico secundo, tabe laborantes, melanchonicos, oppilatos, & continuè languidos posse, absque periculo incurrendi pœnam taxatam in dicto statuto, Conuentu egredi ad honestam animi relaxationem, etiàm quandò in Infirmaria vescuntur paschalibus posseque Superiores illis talem licentiam tribuere; immò tribuere debere.

Probatur primo, quià lex humana non obligat in casu necessitatis, vel maximæ difficultatis. vt patet ex cap. Quod non est licitum, de regul. iuris, & habet Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 20. num. 1. estque communis opinio. Sed in istis omnibus casibus adductis necessarium est, illos infirmos quandoque Conuentu egredi ad animi relaxationem, & corporis exercitationem, vt patet sensu, & docet omnis Medicorum schola. Et vt deindè reuertentes ad Connentum Paschalibus in Infirmaria vescantur. Ergò in istis casibus statutum illud non obligabit; Alloquin impium, & contrà charitatem esset. Nec est credibile, voluisse summum Pontificem cogere melanchonicos, tabidos oppilatos, & continuè languidos ad standum continuè in Conuentibus (qui quandòque domunculæ sunt angustissimæ,) durantibus illis infirmitatibus, quæ diuturnæ, immò perpetuæ de ordinario esse solent: voluisseque, his infirmitatibus afflictis aliam afflictionem adijcere, vt starent continuè domi sepulti, contrà dictum illud Iuris. *Afflictis non est affligendus* Voluisseque his infirmis negare ea remedia, quæ illis natura concessit: nimirùm corporis exercitium, & mentis exhilarationem, quæ per egressum Conuentus ad honestam deambulationem acquiruntur.

Secundo Probatur, quià vora non obligant tempore necessitatis, vt probatum est supra cap. 5. præsertim casu 4. Ergò nec hoc statutum potest illo tempore obligare; Ergò tales infirmi poterunt absque timore pœnæ illius statuti Conuentu egredi: Superioresque illis licentiam impartiri: immò debere; quià tenentur Prælati omni via, & modo licito suorum subditorum tùm corporis, tùm animæ salutem procurare.

Itaque assero, tùm in casibus primæ, tùm in casibus secundæ conclusionis posse Fratres Minimos Conuentu egredi, quandò in infirmaria vescuntur cibis Paschalibus, & deindè reuertētes ad Conuentū, iterū in dicta Infirmaria dictis cibis vesci, nec vmquàm contrarium nec sensisse potuisse sentire Pontificē, vt constat ex dictis. Vnum hic addo (*Conceptum namque formemus tenere quis poterit*) Benignam esse legem Dei, benignas

benignas leges Institutorum Religionum, benignas etiam leges summorum Pontificum: At hominum malignitas eas omnes reddit acerbas, & intolerabiles.

Dico tertio, Correctores, Prouinciales, Generales vescentes Paschalibus in Infirmaria possunt Conuentu egredi, etiamsi nulla subsit ex prædictis causis, modò tamen aliqua alia rationabilis, & euidens adsit, absque eo quòd pœnam dicto statuto appositam incurrant, cum Medici tamen Licentia.

Probatur Primò, quià statutum non loquitur de Superioribus: solùm enim dicit, quòd *Nullus Frater, quo tempore vescetur Paschalibus in Infirmaria, possit Conuentu egredi*. Nullam mentionem faciens de Superioribus. Sed in odiosis nomine Fratrum, seù Monachorum non venit Abbas, vt docet Glossa, cap. Finali, de Simonia, verbo Abbates vbi Panor. num. 2. & in Clem. Religiosus, de procur. num. eodem, Felinus dicto cap. Finali, de Simonia, num. 2. Armilla verbo Abbas, num. 11. Rodriquez tom. 3. q. regul. q. 51. ar. 11.

Glossa. Panorm. Felinus. Armilla. Rodriq.

Secundo Probatur, quia in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. excommunicantur omnes Religiosi accedentes ad studia litterarum absque licentia sui Prælati, data de Consilio sui Conuentus. In quo loco notant communiter Doctores, quòd Prælati accedentes sine licentia sui Superioris, & Conuentus ad dicta studia, licet si sint etiam ipsi Religiosi, & Fratres, non incurrant tamen dictam excommunicationem; Quià constitutio pœnalis potius restringenda est, quàm amplianda. Ita Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 133. Sayrus lib. 3. de censuris, cap. 34. num. 22. Angelus verbo Excommunicatio 7. casu 27. num. 4. Antoninus 3. parte, tit. 24. cap. 53. versu Itèm numquid. Suarez tom. 5. in tertiam partem, disp. 23. sect. 4. num. 38. Ergo idem etiam poterit dici in casu nostro.

Nauar. Sayrus. Angelus. Anton. Suarez.

Et forte potest etiam assignari aliqua ratio, quare hæc statuti pœna potiùs subditos, quàm Superiores afficiat: Nimirum quià cum Superioribus incumbat totû onus prouidendi Conuentus, & Religionis, necessitatibus, potest faciliùs accidere casus ità vigens, vt cum fuerint in Infirmaria Valetudinarij, debeant Conuentu egredi, quod non ità facilè accidere potest in Subdito; Nàm si nō potest vnus egredi, quià Infirmus, potest Superior alium mittere ad communes necessitates.

Sed contrà hanc conclusionem obijcies. Quià ista constitutio non est odiosa, sed fauorabilis, est enim in fauorem Religionis, & ad obseruantiam Regulæ conseruandam.

Vt Respondeam noto primò, Difficile admodū esse discutere, quæ lex fauorabilis sit, & quæ odiosa; Nàm nulla lex est, quę simpliciter fauorabilis non sit; Quià ad hoc vt lex iusta sit, & vera lex, debet esse communi bono vtilis, & necessaria; Atquè ità omnis lex fauorabilis est bono cōmuni. E contra verò nulla lex humana est, quæ odiosa dici non possit: solum enim lex dici potest odiosa, quatenus aliquod onus imponit. Hoc autèm modo omnis lex humana odiosa videri debet, quià addit nouum vinculum, vitrà vinculum diuinæ legis. Itaque variant multum inter se Doctores ad discernendum, quæ nam lex fauorabilis, quæ verò odiosa dicenda sit. Vt videre est apud Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 11. art. 6. regula 7. Suarez. lib. 5. de legibus, cap. 2.

Rodriq. Suarez.

Noto Secundò, quòd non implicat, vnam legem secundùm plures respectus esse fauorabilem, & odiosam, vt Suarez loco cit. num. 9. Mullesius tom. 1. sum. tract. 9. cap. 9. num. 19. Nam potest esse fauorabilis secundùm vnum respectum, nimirum quatenus bonum commune respicit, & odiosa secundum alium, nimirùm quatenus aliquam pœnam inducit. Et sic secundum vnam considerationem debebit ampliari, & secundùm aliam restringi: iuxtà Regulam Odia, quæ est 15. de regulis iuris in 6. vbi dicitur, *Odia restringi, fauores conuenit ampliari*.

Mulles.

Noto tertiò, quod communiter illæ leges æstimantur odiosæ. Primò lex pœnalis. Secundò lex, quæ tributum, seù aliud onus imponit. Tertiò lex, quæ factum irritat, quod prohibet directè, vel indirectè: Quartò lex, quæ exorbitat à iure antiquo, vel communi, aut illi derogat, vel illud limitat, aut corrigit; Ità Suarez loc. cit. nu. 15. Et Rodriquez loco etiam cit.

Suarez. Rodriq.

Ad argumentum itaquè Respondeo, quod istud decretum pœnale est, & per consequens odiosum, Vndè debet restringi; Cum in odiosis dixerimus nomine Monachi non venire Abbatem; Ità in hoc decreto, quod solùm imponit pœnam Fratribus, dicimus, quòd nomine Fratrum non veniunt Superiores. Rodriquez loco cit. affert aliud exemplum simile. Nimirum Cannonem Excommunicantem percussorem Clerici, qui licet respectu Actoris, idest Ecclesiæ fauorabilis sit, quià tamen reū punit, odiosus est. Sic istud decretum licet respectu totius Religionis in communi fauorabile sit, vtpotè in ductum ad regularem obseruantiam cōseruandam; Quià tamen transgressores punit, odiosum est.

Dico Quartò, Possunt Generales, & Prouinciales in aliquo casu particulari propter bonum commune tantum declarare aliquem Religiosum vescentem carnibus in Infirmaria posse Conuentu egredi absq; eo quòd incurrat dictam pœnam, Verbi gratia est aliquis Princeps de Religione benemeritus, seù fundator alicuius Conuentus, qui cum sit Infirmus, vult confiteri alicui Religioso suo Confessario ordinario, accersit illum, forte fortuna viuit hic in Infirmaria, & per hoc decretum non potest egredi; seù est aliquis damnatus ad mortem, qui non vult confiteri, nisi suo Confessario; qui tamen tunc temporis viuit in Infirmaria, nec potest per hoc statutum egredi. Dico, quòd in istis casibus, & alijs similibus potest Prælatus declarare, posse talem Religiosum ire ad confessiones istas audiendas, & reuerti ad vescendum Paschalibus in dicta Infirmaria, absque eo quòd incurrat talem pœnam.

Probatur primo auctoritate Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 11. art. 1. & 5. Et Salas de legibus, disp. 21. sect. 2. qui hanc conclusionem non obscurè asserunt, cum statuunt, posse etiam Prælatum inferiorem in casu aliquo iuridicè declarare rescriptum Superioris; Quià si in his rebus facilibus, & minutioribus semper recurrendum esset ad Superiorem, difficile esset introducere legum obseruantiam.

Rodriq. Salas.

Secundo,

Secundo, Quià his casibus nulla intercedit fraus, aut dolus, quibus solum intendit obuiare Papa.

Tertio, Quià illis casibus videtur præceptum caritatis obligare.

Quartò, Quià communitas alioquin detrimentum patietur, si denegetur illi Principi suus Confessarius.

Dices. Poterit talis Religiosus ire, seque communitati declarare, & functus suo munere adire iterum Medicum, & de Superioris iussione iterùm in Infirmaria Paschalibus vesci.

Sed hoc est aperire ianuam fraudibus, & deludere legem, contrà id, quod dicitur cap. Constitutus, de concess. præb. vbi habetur, *Quòd in fraudem legislatoris nihil est faciendum*. Vndè melius, & tolerabilius est, sic leges directè declarare, quam ità deludere. Et legislatores faciliùs primum, quàm secundum patiuntur.

Dico Quinto, Infirmos vescentes Paschalibus cibis in Infirmaria, posse egredi Conuentu sub cruce cum alijs Fratribus ad Processiones cõmunes: vel etiam sepeliendos mortuos.

Probatur. Quià vbi sunt Fratres, ibi est Conuentus, & vbi est maior pars, ibi est Capitulum, vt docet Glossa in capite cum inter Canonicos, de elect. verbo capituli. Vbi Panorm. num. 6. Et cap. Ex parte, de concess. præb. num. 3. *Glossa.*

CAP. IX.
De Laudibus Quadragesimalis abstinentiæ.



EliQVVM est, vt vitæ Quadragesimalis sectatores ad eam non solùm purè, & sincerè amandam adhortemur, sed in ea ad sobrietatem, & abstinentiam inflammemus; Licèt enim cibaria nostra non sint multum confortantia, non ideò tamen oportet ea sumere ad saturitatem. Nam hoc esset in abstinentia crapulam sectari, in sobrietate luxuriam, in Quadragesima saturitatem. Quod reprehendit Hieronymus in ep. ad Furiam, dicens. *Nonnulli vitam pudicam appetentes in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium putant, & leguminibus onerant stomachum; Quæ moderatè, parcèque innoxia sunt: & vt, quod sentio, loquar nihil sic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus, ructusque conuulsus*. & Cassianus lib. 5. Instit. cap. 5. *Non qualitas sola, sed etiam quantitas escarum aciem cordis obtundit, ac mẽte cum carne pariter impinguata, noxium vitiorum fomitem, ignemque succendit*. Itaquè in abstinentia Quadragesimali abstinentiantia seruanda est. Licèt non diffitear, posse plus aliquanto comedi istorum ciborum, pisciũ scilicèt, & herbarũ, qui minùs nutriunt, & citò trãseunt, quã paschaliũ, qui maioris nutrimẽti, & difficilioris cõcoctionis sunt, saltẽ assuetis. Leguminibus autèm parce vtendum, & quantùm solùm sat est ad sustentationem; quià satis nutriunt, & difficilè concoquuntur, & immoderatè sumpta libidinem accendunt. *Hieron.* *Cassian.*

Ad abstinentiam ergò in Quadragesimali vita, me, & reliquos commilitones meos adhortans, tria considerabo. Incitamenta effectus, & indicia, eaquè breuiter, Qui enim plura desiderabit, poterit adire Hieronimum lib. 2. aduersus Iouinianum, Basilium homilia de ieiunio. Chrysost. serm. de ieiunio, Ambrosium sermon. 34. B. Laur. Iustin. in Ligno vitæ, tract. de sobriet, Climacum gradu 14. Cassianum lib. 5. inst. Bonau. tom. 1. opusc. de gradibus virtutum, cap. 18. & tom. 2. in regul. nouit. cap. 6. Franciscũ Labatam in vtroque tom. appar. & in locis communibus semper, verbo Abstinentia. Rosignolium de discipl. christ. perfect. lib. 4. cap. 34. Ludouicum Blosium lib. 2. Collirij hæretic. cap. 17. Lessium in opusc. de vera ratione valetudinis conseruandæ, cui est annexũ aliud opusc. de eadem re Ludouici Cornari, Aluarez tom. 2. de vita spir. lib. 1. parte secunda, cap. 3. Busæum in viridario, verbo Ieiunium, & in panario, verbo Gula, Cauassium de perfecta prud. lib. 3. cap. 2. *Hieron. Basil. Chrysost. Ambros. B. Laur. Iustin. Climac. Cassian. Bonau. Francisc. Labata. Rosign. Blosius. Lessius. Aluarez. Busæus. Chauaß. D. Thom.*

Abstinentiam definit. D. Tho. 2. 2. q. 146. art. primo, *quod est virtus, qua homo à cibis abstinet, prout oportet pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate.*

Et D. Basilius in regulis fusius disputatis, q. 6. *Abstinentiam*, ait, *appellamus, non si quis se à cibo penitus abstineat, quando hoc violenta quadam vitæ dissolutio est, sed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis causa, pietatis ergò de industria sequimur. Quarum enim rerum voluptates ab ijs, qui ex libidine vitam degunt expeti solent, ab his nobis, qui ad veram pietatis culturam contendimus, est temperandum*. Quam abstinentiam ciborum Religioni esse necessariam, censuerunt omnes religionum Institutores, qui eam in suis regulis imperauerunt, vt dictum est suprà. *D. Basil.*

Motiua, seù incitamenta ad abstinentiam erunt loca scripturæ, & Patrum. Ecclesiastes 10. *Beata terra, cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam*. 2. Corinth. 6. *Exhibeamus nosmetipsos sicùt Dei ministros in multa patientia, ieiunijs*, & Lucæ 6. *Beati, qui nunc esuritis, quià saturabimini*, vbi paradisum promittit abstinentibus in præmium suæ abstinentiæ. *Eccles. 10. Corin. 6. Lucæ 6.*

Theophilus Alexandrin. lib. 3. paschali. *Qui ieiunant, conuersationem Angelicam imitantur in terris*. Ne mireris, quòd hic adducam loca, quæ potius laudes continent ieiunij, quam abstinentiæ Quadragesimalis. Nàm potior, & substantialior pars ieiunij est abstinentia ciborum paschalium, vndè non incongruè dixit quidam, vt dictum est supra *Religio Minimorum est perpetuum ieiunantium institutum*. *Theoph. Alex.*

Athanasius lib. de Virgin. *Ieiunium Angelorum cibus est, & qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est.* *Athanas.*

Ambrosius lib. de Helia, & ieiunio, cap. 2. *Meritò*, inquit, *Heliam dignum Cælo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cælestem vitam viuebat in corpore, & supernæ conuersationis vsum exhibebat in terris.* *Ambros.*

Bernardus serm. 4. de Quadrag. *Primùm quidem*, inquit, *fratres pro eo quod ab ipsis quoquè licitis abstinemus, ea nobis, quæ priùs illicita commisimus, condonantur.* *Bern.*

Basilius homil. 2. de laud. ieiun. *Angeli*, inquit, *sunt, qui in singulis Ecclesijs recensent ieiunantes.* *Basil.*

Chrysostomus serm. 1. de ieiunio. *Ieiunium*, *Chrysost.*

Inquit,

inquit, *diuinæ iræ furorem à nobis arcet, atque isd reprimit, vt cogat quodammodo Deum, sententiam iam in nocentes latam, mutare, vt probatur exemplo Acab 3. Regum 21.*

Reg.21. *Cyprian.* Cyprian. de ieiunio, & tentat. Christi. *Ieiunijs*, inquit, *vitiorum sentina siccatur, petulantiam arcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates.*

Hieron. Hieronymus relatus cap. Ne tales, de consecr. dist. 5. *Ne tales*, ait, *accipiamus cibos, quos aut difficulter, digerere, aut comesos, magno partos, & perditos labores doleamus, olerum, pomorum, ac leguminum, facilior apparatus est, & arte, impendijsq; coquorum non indiget: & sine cura sustentat humanum corpus, moderatoque sumptus (quia nec auidè deuoratur, quod irritamenta gulæ non habet) leniori digestione concoquitur; nemo enim vno, aut duobus cibis hisque vilibus vsque ad inflationem ventris oneratur: Quæ diuersitatem carnium, & saporum delectatione percipitur*, & Paulò infra. *Legimus*, ait, *quosdam morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, conualuisse.*

Climac. Climacus gradu 14. *Ieiunium*, ait, *est naturæ violentia, circumcisio suauitatis faucium, incentiuorum omnium abscissis, malarum cogitationum amputatio, insomniorum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animæ, mentis custodia, obcæcationis solutio, compunctionis ianua, suspirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occasio, obedientiæ custos, somni leuigatio, sanitas corporis, tranquillitatis auctor, peccatorum remissio, paradisi porta, & delicia.*

Iustin. B. Laur. Iustin. in ligno vitæ, tract. de sobriet. cap. 3. fine. *Præparat*, inquit, *abstinentia ad munditiam, cauet Dei offensam, vigilantiam seruat, ministerio Dei idoneum efficit, aufert Diabolo ingressum in hominem, concupiscenti carni contra spiritum victualia aufert, hominem custodit, & honorabilem reddit, atque à igneis tentationũ protegit.*

Kempis. Kempis opusc. de discipl. claustr. cap. 11. *Sobrius victus, & potus sanitas est animæ, & corporis.*

Cassian. Cass. lib. 5. instit. c. 5. de illis antiquis cœnobitis ait. *Quod agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam, vt etiam his, qui erant Religionis externæ, stupori esset tàm ardua conuersationis eorum professio*, & lib. 4. cap. 11. ait. *Apud illos fuisse summas delicias reputatas, herbam sale conditam, aqua dilutam comedere.*

Antonin. Effectus. De effectibus abstinentiæ multa elati Doctores, & Antoninus 4. par tit. 4. cap. 4. §. 1. Nos cum Iustiniano loco cit. vt de effectibus aliarum virtutum fecimus, enumerabimus.

Chrysost. Primus. Valet hæc virtus abstinentiæ ad corporis incolumitatem, *nihil enim*, ait Chrysost. relatus cap. Nihil, de consecr. dist. 5. *Sic iucundum est, sicùt cibus benè digestus, & decoctus, nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicùt moderata refectio. Sufficientia quippè cum nutrimento, & sospitatem simùl procreat, & voluptatem. Abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat*, & idem homil. de Iona Propheta. *Si diligenter, ait, scrutari volueris inuenies ieiunio corpora roborari validius, & si meum respuis sermonem, medicorum te doceat disciplina, qui parcitatem salutis nominant matrem. Nàm pedum dolores, capitis vertiginem, subitaneas mortes, & cætera, quibus febris, atq; languores corporis, comparantur ex luxurijs, atque voluptatibus, aiunt generari: & tam quam de fonte noxios, riuos ad corporũ læsionẽ, & ad animarum perturbationem commeare testatur.*

Secundus, Præparat ad iucunditatem spiritualẽ, nàm si à carne hoc, quod ei libet abscindimus, mox in spiritu hoc, quod delectat, inuenimus. Vndè Chrysost. ho. 1. in Gen. *Ieiuniũ*, inquit, *Chrysost.* *animæ nostræ est alimentũ, & sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita & ieiunium animã valentiorẽ efficit, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, vt summa contẽplari queat, voluptatibusq; omnibus, quæ in hoc mundo habentur, ipsa sit Superior.*

Tertius, Deum glorificat, si enim quod sumis ad refectionem corporis, & reparationem membrorum sumis, gratias agens ei, qui tibi de talibus prouidit, Deum glorificas.

Quartus, seruat homini rationis libertatem. Nàm, vt Leo Papa ait ser. 1. de ieiun. *De absti-* *D. Leo.* *nentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriaque consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentijs moritur, virtutibus spiritus renouatur, vbi autem est crapula, ratio sopitur; intellectus obtunditur, concilia deuiant, iudicia subuertuntur.*

Quintus Regit & temperatos, abstinens enim adagium seruat antiquum. *Bis ad linum, quàm semèl ad linguam.*

Sextus, contrà spirituales hostes nos vtiliter fouet, Vndè Sanctus Leo serm. 1. de Quadrag. *D. Leo.* ait, *Quod inter aduersitates multas, & prælia constitui, (est namquè vita nostra continua militia) si inimicos vincere cupimus, illecebram gulæ in nobis ipsis prius vincamus.* Et optime quippè, Nàm domita per abstinentiam carne, parum nobis nocere poterunt Dæmones; Media enim ea nos tentare solent, & Deus humiliter se, & discretè affligentibus propter ipsum libenter, fauet. Vndè abstinentes facilè Dæmonum astus superare consueuerunt. Propter quod dixit Christus Matt. 17. *Hoc genus*, Idest omne genus, *Dæ-* *Matth.* *moniorum non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio.*

Septimus, Ab igne luxuriæ protegit, vt dictũ est supra, cap. 6. Nàm potus, & cibus sunt alimẽta libidinis, sicùt ligna, & oleum sũt pabula ignis, si igni pabulum detrahas, tepescit, vel extinguitur. Sic si concupiscentiæ potum, & cibum detrahas, tepescit: *Et velle obsequio ventris spiritum fornicationis vincere, est velle oleo incendium extinguere*, Vt ait Climacus gradu 14. *Climacus.*

Octauus, Præterita delet, & facienda præca- *Augus.* uet delicta. Vndè Augustinus serm. 230. de tempore. *Ieiunium*, inquit, *Purgat animam, mentem sublenat, propriam carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.*

Nonus, cũ oratione iuncta abstinẽtia obtinet à Deo quicquid petit. Vndè Iudith. 4. legitur. *Sci-* *Iudith.4.* *tote quoniã exaudiet Dominus preces vestras, si manẽtes permanseritis in ieiunijs, & orationibus in conspectu Domini.*

Industria, Primũ est stabilis, & constãs viuẽdi regula, quæ numquam violetur, nisi charitas vrgeat, vel obedientia cogat. Quæ regula consistit in quatuor. Primo, quòd quis horam comedendi, vel indigentiæ non præueniat. Vndè Bo- *Bonau.* nauentura in speculo discip. 2. par. principali, cap. 1. ait. *Quæ rogo, Religio, quæ paupertas, si mox vt esuris, mox vt sitis, volito pares, satias appetitum, nec enim vsq; ad statutã horã scias cõpescere.*

Cassian. Et Cassianus lib. 5. instit. cap. 20. *Monachus hanc in primis sibi cautionem indicat, vt non potus, quidquam, non vsus vlla oblectatione deuictus ante stationem legitimam, communemque refectionis horam extrà mensam percipere sibimet prorsus indulgeat.*

Secundum, Quòd cibis communibus, & vitualibus vescatur, delicatos, & lautiùs præparatos non quærens. Vndè Bern. ser. 30. in cantica ad *Bernard.* alios loquens ait. *Quid hîc vos dicitis obseruatores ciborum, & morum neglectores? Hippocrates: & sequaces eius docent animas saluas facere in hoc Mundo. Christus, & eius discipuli perdere. Quemnam vos ex duobus sequi Magistrum eligitis? At manifestum se facit qui sic disputat. Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel stomacho nocet. Profectò vnusquisque quod à suo Magistro didicit, hoc in medium profert. Num in Euangelio legistis has differentias, aut in Prophetis, aut in litteris Apostolorum? Caro, & Sanguis pro certo reuelauit tibi hanc sapientiam, non spiritus patris. Est enim carnis hæc sapientia. Sed audi quid de ipsa nostri Medici sentiant. Sapientia, inquiunt, carnis mors est,* *Rom. 8.* *Item sapientia carnis inimica est Deo.* Ad Rom. 8. *Cassianus.* Et Cassianus lib. 5. instiut. cap. 23. *Quicquid, inquit, Extrà consuetudinem præsumitur, vsumque communem, vt vanæ gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum antiquissima Patrum traditio notauit.*

Tertiò quòd non comedat, nisi quantum exigitur ad sustentationem naturæ, & propriæ com *Chrysost.* plexionis habita ratione; Vndè Chrysostomus homil 55. ad populum ait. *Vis corpus alere, tolle superflua. Da quod satis est, & quantum concoqui potest: Ne aggraues ipsum; vt non submergas.*

Quartò quòd non comedat cum nimia voracitate, & anxietate, ac strepitu maxillarum, & dentium more porcorum, & canum. Vndè *Maxim.* Maximus Monachus ser. 27. ait. *In sapiendo cibo omnis celeritas absit; hoc enim caninum est, bestiamque magis, quam hominem decet.*

Ad quam reglam seruandam facit id, quod *Cassian.* refert Cassianus lib. 5. instit. cap. vlt. de Abbate Machario, qui solitus erat dicere. *Debere Monachum ieiuniis ità operam dare, vt centum annis in corpore commoraturum: Et ita motus animi refrænare, & iniuriarum obliuisci, tristitiasque respuere, dolores quoque, ac detrimenta contemnere, tamquam quotidie moriturum.* Quorum dictorum rationem reddens Cassianus ait. *In illo namque vtilis est, prudensque discretio æquali Monachum districtione faciens semper incedere, nec permittens sub occasione debilitati corporis de ardua ad perniciosissima prærupta deuoluì: In hoc verò magnanimitas salutaris, quæ valeat non solum, quæ videntur prospera Mundi præsentis despicere, verumetiam aduersis, tristibusque non frangi, & ea velut parua, nullaque contemnere: Illis habens ingitèr defixum suæ mentis intuitum: quo quotidie, singulisque momentis accersendum esse se credis.*

Dixi, nisi charitas vrgeat. *Quia aduentanti-* *Cassianus.* *bus fratribus*, vt idem Cassianus ait loco cit. cap. 03. *Magis humanitatis, ac dilectionis offerri debere virtutem, quàm continentiæ districtionem, & quotidiani propositi rigorem manifestari probabiliùs censuerunt. Nec quid voluntas, vtilitasque nostra, seu desiderij ardor exposcat attendere, sed quid aduenientis requies, vel infirmitas exigit præponere, & gratanter implere.* Et cap. 04. ait de illis antiquis Palestinæ Monachis, *Quòd aduentantibus hospitibus, indifferenter soluebant quotidiana ieiunia,* Super quo interrogatus quidam seniorum, respondit. *Ieiunium semper est mecum, vos autem continuò dimissurus; mecum ingiter tenere non possum. Et ieiunium quidem licèt vtile sit, ac ingiter necessarium, tamen voluntarij muneris est oblatio: Opus autem charitatis impleri exigit præcepti necessitas,* Matth. 10. Et adiunxit se- *Matt. 10.* nior, *Quia Suscipiens in vobis Christum, reficere eum debeo Deducens autem vos, humanitatem eius intuitu præbitam districtiori ieiunio, in memetipso potero compensare. Non enim possunt filij sponsi ieiunare, donec cum illis est sponsus.* Matth. 9. *Cum* *Matth. 9.* *autem discesserit, tunc illi ieiunabunt.* Et c. 25. Narrat idem Cassianus de quodam seniore. *Qui* *Cassian.* *vnico die ad aduentum Fratrum septies comederat, & adhuc esuriebat:*

Secundum Indicium est Numquàm ad mensam sine fame accedere, nisi obedientia cogat, nec fame planè depulsa ab ea recedere. Vndè Augustinus de conflictu virt. & vit. ait. *Sicut* *August.* *æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quis accedere.* Certum est autem, ægrum non nisi coactum naturæ reparandæ necessitate ad medicinam accedere; Sic abstinens non nisi vt naturæ satisfaciat debet accedere ad mensam. Quæ natura tali satisfactione non indiget, nisi quandò esurit, Et Bernardus in formula ho- *Bernard.* nest. vit. *Sicut ad crucem, ait, sic accedas ad cibum, idest numquàm voluptate, sed necessitate pascaris, & fames non sapor prouocet appetitum.* Et Galenus Medicorum magister de se ipso solitus *Galenus.* erat dicere, vt refert Chauassius lib. 3. de perfe- *Chauass.* cta prud, cap. 0. §. 2. *Numquã satur à mensa discessi, numquam sic me fudi in cibis, potumque, quin aliquod semper superfuerit edendi, bibendique desiderium. Ita factum, vt nullis exuberauerim superfluis humoribus, & præterea omni tempore fuerim ad animi functiones expeditissimus, nulla retardatus stomachi cruditate, nulla grauiore somnolentia,* Et vixit, vt ferunt, annos 140.

Dixi, nisi obedientia cogat. Nàm si Superior iubeat, etiam nòn esuriens, ad mensam debet accedere, quod in cœnobijs Religiosorum omni districtione seruatur. Ad sonitum enim campanulæ æquanimiter omnes Refectorium contendunt: nisi Superioris discreta dispensatio in casu particulari aliter iudicauerit esse faciẽdum. Et maximè decet regularem disciplinam, Tùm ad mutuã charitatem seruandam, tùm ad particularitates Religionũ ruinas, extirpandas: Tùm etiã ad sanitatem conseruandam; Fateor nãque vnũ, quod experientia didici, & ab alijs etiam senioribus audiui, *Nũquàm sanitati obesse, quod in Refectorio communiter comeditur;* Nàm ibi solùm necessarium tribuitur, nec cogitur quis totũ, quod illi apponitur, manducare, Duplex namquè est cibus, alter necessitatis, quo scilicèt necessitati naturæ satisfacimus, de quo Seneca epist. 17. *Fa-* *Seneca.* *cili est*, inquit, *pascere ventres benè institutos, paruo fames constat.* Alter concupiscentiæ, quo scilicèt vtuntur comedones ad satiandã cõcupiscẽtiam, quæ vix vmquàm satiari potest. De quo dicitur psal. 77. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, &* *Psal. 77.* *ira Dei ascendit super illos;* Propter cibos enim necessitatis nõ erãt puniẽdi à Deo: sed quia cibos amauerũt cõcupiscentiæ, ideò castigati sũt, ideoque etiã sepulchra illorũ, qui castigati fuerũt, sepulchra concupiscentiæ nuncupata sunt, Nu. 11. *Num. 11.* De quo vtroque cibo August. lib. 10. confess. ca. 31. *August.*

Quod

Quid saluti, & necessitati satis est, delectationi, & concupiscentiæ parum est. In Refectorio necessitatis, non concupiscentiæ cibi comedduntur.

Tertium Indicium. Non alia condimenta curare, magis quàm famem ipsam. *Fames enim est cibi condimentum maximum.* Vt referente Tullio lib. 5. tuscul. quæst. dicebat Socrates. Et de Antiphane refert Stobæus serm. 93. quod erat solitus dicere. *Famem omnia dulcia reddere, præter se ipsam.* Et Seneca epist. 120. *Nil contemnit esuriens.* Et D. Bernard. teste Bonau. in regul. nouit. cap. 6. tom. 2. opusc. aiebat, *Omne condimentum sal cum pane, & fame.* Vndè prouerbium. *Fame condita faba saccarum sapiunt;* Quod comprobatur ex illo Iob. cap. 6. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia spiritus cibi mei sunt,* Idest, vt exponit Lyranus, ea fercula, quæ tempore prosperitatis, non solùm comedere, sed nec tangere volebam in mensa mea, tempore necessitatis, & famis sapidissimi, & acceptissimi cibi sunt. Et sapiens prouerb. 27. *Anima saturata calcabit fauum. Et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.*

M. Tull. *Stobæus.* *Seneca.* *D. Bern.* *Bonau.* *Iob. cap. 6.* *Lyranus.* *Prou. 27.*

Quartum Indicium est non sollicitari cogitationibus cibi, & potus, & multò minùs de ijs miscere sermonem; Nàm comedonum, *Quorum Deus venter est,* Vt dicitur ad Philipp. 3. est nihil aliud cogitare, quàm de escis, & ventre, & de his semper sermones cedere, cum tractent fabrilia fabri. Abstinens autem nihil minùs cogitat, quam de escis. His autem tentationibus pulsatus inuocat Deum suum, & per contemplationem diuinorum mysteriorum ijs resistere seù potiùs ab eis fugere conatur; Vndè Cassianus lib. 5. instit. cap. 14. *Nequaquam ait, poterimus escarum præsentium spernere voluptates, nisi mens contemplationi diuinæ defixa, amore virtutum potiùs, & pulchritudine cælestium delectetur.*

Philip. 3. *Cassian.*

Tandem accipiat abstinentiæ cultor in eius laudem hoc alphabetum.

Ambros. Angelorum est vita. Ambros. lib. de Helia, & ieiun. cap. 3.

Cassianus. Basis, & fundamentum spiritualis certaminis, Cassianus lib. 5. instit. cap. 19.

Ambros. Cibus mentis. Ambrosius ibidem.

Chrysost. Decor senum. Corysost. hom. 2. in Genes.

Ambros. Excidium delictorum. Ambrosius ibidem.

Chrysost. Frænum oris. Chrysost. serm. 1. de ieiunio.

Actuum Apostol. Gratiæ diuinæ dispositio. Colligitur ex cap. 10. actuum Apostol. de Cornelio ieiunante.

Ambros. Humilitas mentis. Ambrosius de ieiunio, cap. 8.

Ambros. Imago cœlestis. Ambrosius, cap. 3.

Ambros. Lenitatis institutio. Ambros. ibid. cap. 8.

Chrysost. Magistra continentium. Chrysost. hom. 1. in Gen.

Ambros. Norma virtutis. Ambros. loco cit. cap. 8.

Basil. Orationis ala. Basilius hom. 1. de laudibus ieiun.

Ambros. Pudicitiæ disciplina. Ambros. loco cit.

Chrysost. Quies, & tranquillitas animarum. Chrysost. loco cit.

Ambros. Refectio animæ. Ambros. loco cit. cap. 3.

Ambros. Salutis Remedium. Ambros. ibid.

Tuta via ad Paradisum ducens.

Chrysost. Voluptatis mitigatio. Chrysost. ser. 1. de ieiun.

Matth. 4. Christo charissima. Matth. 4.

CAP. X.

Quomodo noster Subditos possit quietè, & tranquillè viuere in Religione.



INTER alia bona, quibus boni Religiosi fruuntur in Religione, non infimo loco est numeranda quies, & tranquillitas mentis; Ideò cum subditum Religiosum hucusquè pro nostro posse docuerimus ea, quæ potest, vel non potest, debet, vel non debet facere circa vota Religioni essentialia, operepretium duximus hic aggerere Caput hoc, quo eum doceamus, quomodo possit quietè, & pacificè in Religione viuere, cum ex quiete, & tranquillitate mentis putemus omnia bona, quæ peraguntur procedere, quam materiam eum non dedignaturum confidimus.

Tanti faciendum est bonum pacis, & tranquillitatis mentis, vt non sine verit aliqui antiquorum philosophorum in eo beatitudinem collocare; Dequè hoc acquirendo scripserint libellos. Plutarchus Charoneus, & Seneca, apùd quem libro de hac re, cap. 1. etiam Democritus, immò & de eadem re scripserint etiam Panetius Stoicus, & Hipparchus Pythagoricus, vt est apùd Lipsium ad librum Senecæ de tranquillitate, num. 75. Et quippè meritò, nàm quiete, & tranquillitate nihil dulcius, nihil amabilius, nihil desiderabilius potest, vt reor, in hac vita inueniri. Ratioque à priori ea esse videtur, quia cum infinitæ capacitatis sit humana mens, vndè non nisi in Deo inuenit satietatem, vt dicebat Psalmista Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua,* quandò tranquillitate, & quiete fruitur, videtur quodammodò satiata, & per consequens beata, ac quasi finem intentum nacta, illo statu contenta, semper æqualis, & constans, nullo metu superstitionis, vel alterius affectus perturbata, sed secundo cursu iens, sibiquè propitia, & sua hilaris aspiciens, nec hoc gaudium interrumpens, sed placido statu manens, nec attollens se vmquam, nec deprimens, lætabunda graditur, & gaudens. A posteriori etiam alia ratio potest assignari, quià vbi est pax, & tranquillitas mentis, ibi omne bonum solet esse, & abundantia virtutum omnium. Hinc Psalmista Psal. 121. *Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis,* & D. Paulus 1. ad Timoth. 2. Ex tranquillitate vitæ colligit obseruantiam pietatis, & castitatis; *Perturbatio enim, & inquietudo, nec pietatem seruat, nec castitatem,* vt ait Ambrosius ad illum locum Pauli, & Chrysostomus. *Enimverò pietate, ac castitate perfrui, nisi pax illa quæsita fuerit, fas omninò non est.* Quod graphicè descripsit Alciatus Emblem. 178.

Plutarch. *Charon.* *Seneca.* *Democr.* *Panet.* *Hippar.* *Lipsius.* *Psal. 16.* *Psal. 121.* *1. Timoth. 2.* *Ambros.* *Chrysost.* *Alciatus.*

Ad hanc autem mentis tranquillitatem assequendam plurima tradit Seneca loco cit. Ego tria puto necessaria. Primo habere conformitatem cum Deo. Secundò cum Proximo. Tertiò nobiscum. Quandò pars superior animæ est conformis, & obediens legi, & voluntati Dei tunc dicimur habere pacem cùm Deo; quandò nostram voluntatem cum voluntate proximi tenemus vnitam, & si quid ab eo nobis iniu-

Seneca.

riæ infertur, & damni, mansuetudine vincimus, atque orationibus afflictiones compensamus, tunc dicimur habere pacem cum proximo, & quando nostram sensualitatem subditam reddimus rationi, hancque dominari volumus, tunc pacem habemus nobiscum.

Ad has autem conformitates acquirendas hoc opus hic labor est. Acquiruntur autem per arma
2. Corin. 6. iustitię, vt D. Paulus docet 2. ad Corinth. 6. Arma autem iustitiæ actus sunt virtutum, vt idem D. Paulus ibi. Per exercitium, itaquè virtutum acquiritur hæc tranquillitas mentis, & præcipuè per humilitatem: non quę in sermone, & habitu ostendatur, sed quæ in corde, & mente resideat. Vndè Christus aiebat in Euangelio. *Discite a me,* qui quietem, & pacem optatis, *quia mitis sum, & humilis corde*, Sanctus Dorotheus
Doroth. serm. 1. *Qui veram,* ait, *cupis animæ suæ possidere quietem, humilitatem addiscas*, idest animi lenitatem; *consideretque, omnem in ea positam esse animi lætitiam, omnem gloriam, omnemquè quietem, vt in elatione, & superbia posita sunt omnia contraria.*

Iuuat etiam ad has conformitates adipiscendas mortificatio propriæ voluntatis, qua non optes res euenire, vt cupis, sed ita optes, & cu-
Doroth. pias, vt eueniunt. Vndè Dorotheus serm. 17. *Nequè optare velis, vt res ad tuum votum fiant, & vt ipse vis, sed ita ipse velis, vt res fiunt, & eue-*
Doroth. *niunt*, & serm. 19. refert idem Dorotheus sententiam cuiusdam Abbatis dicentis. *Qui propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem*; ex quo enim propriæ abrenunciauit voluntati, quicquid eueniet, quicquid denique fiet, requiescere eum facit, & procùl dubio reficit, ac refocillat eum, & sic semper propriam agere voluntatem comperitur; quoniam non vult, res fieri secundum propriam voluntatem, sed rebus ipsis, vt vt fiunt, atquè eueniunt suam ipsius accomodat voluntatem.

Prodest etiam ad has conformitates acquirendas custodia cellæ; sic enim vitantur lites, & contentiones, & multa alia, quæ mentem deindè inquietant, ac stimulant.

Adiuuat etiam multùm amicus vnus fidelis, & verus, qui cum omnia communicentur, quæ nobis accidunt, & cuius discamus consilijs adhærere; hoc enim pacto multùm exilaratur
Eccles. 6. mens, & desinit perturbari. Vndè Ecclesiastici 6. dicitur. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille*, & Paulò infrà. *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis,*
Doroth. & Dorotheus serm. 19. ait. *Ego cum mihi res aliqua contingit; libenter quidem cum proximo confulto, maloque eam iuxtà proximi sententiam fieri, quàm iuxtà meam propriam. Atquè ità fratris mei sententia, & opinioni concordo, etiamsi contraria fuerit; viuere enim iuxtà propriam sententiam, & sibi ipsi soli concordare, idem est, quod om-*
Seneca. *nibus discordare.* Et Seneca epist. 62. ait. *Nullius boni sine socio iucunda possessio est.*

Hæc quippè iuuant ad has conformitates, & mentis tranquillitatem acquirendam. At illa frui nequaquàm commodè, poteris, nisi pacem cum tuo Superiore habueris. Quod videtur
1. Tim. 2. colligi ex illo 1. ad Timoth. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* (in communi) *pro regibus* (in speciali) *& omnibus, qui in sublimitate sunt* (idest pro Prælatis) *vt quietam, & tranquillam vitam agamus.* Itaquè orandum pro Prælatis.

At quid orandum? vt sint nobis pacifici, atquè propitij, non nos inquietent, non nos turbent, atque persequantur, vt videtur exponere Claudius Guilliaudus illo loco Pauli. Sed ad quid. Claudius. Guilliau.
orandum? *vt quietã, & tranquillam vitam agamus* & quomodò hæc vita agenda est? In omni pietate, & castitate. Non est quęrenda pax, seù amicitia Prælati, vt nobis ad luxum, & iniuriam alijs inferendam sit occasio (quod multis plerumque accidit) sed vt in omni pietate, idest in omni genere pietatis, & officij ergà proximos, & castitate, idest, in omni genere sanctitatis ergà nos ipsos exerceamus, vt Theophylactus. Theophyl.

§. *Vnicus. Quomodo possit Religiosus gratiam, et amicitiam sui Prælati, ad quietè viuendum necessariam, aucupari.*

DABO hic quasdam regulas generales, quæ maximè proderunt Subdito ad acquirendã sui Prælati gratiam, qua mediante, poterit optata quiete, & tranquillitate perfrui.

I. Regula.

Honora, reuerere, cole Prælatum.

Ad hanc regulam possent esse satis quę diximus supra, quæst. 1. cap. 28. sed illis hæc addo. Exodi Exod. 20.
20. *Honora patrem tuum*: Patris autèm appellatio extenditur ad vniuersos Præsidentes, vt docent ibi expositores. Hinc etiam Senatores à Romulo creati pro consilio, & gubernatione Reipub. honoris gratia dicti sunt ab eo Patres, & filij eius patricij, vt est apùd Liuium lib. 10. Bo- Liuius.
nauent. de interiori homine, parte 1. cap. 3. *Ho-* Bonau.
nora Prælatos in corde tuo, non spernas, ne fortè Deum spernas, cuius, vicem gerunt. Ordinationes eorum, & constitutiones ne fastidias, quid non sine causa faciũt licet tu nescias omnes causas. Et Hugo apùd eum- Hugo.
dem Bonauen. in speculo discipl. 2. par. princip. partic. 1. cap. 3. *Superioribus,* inquit, *Obedientiam, timorem, obsequiũ, & venerationẽ exhibere debemus.*

II. Regula.

Pare illis alacriter, & hilariter, & noli ad præcepta dedignari neq; irasci

Kempis opusc. exercit. spirit. cap. 12. *Citò eris* Kempis.
in pace, qui citò se subijcit, & obedit. Et in fine ait. *Nemo tàm quietè viuit, Nemo tàm securè moritur, sicut verus obediens.* Et Seneca lib. 3. de ira, Seneca.
cap. 15. *Omnis indignatio in tormentum sui proficit, & imperia grauiora sentit, quo contumacius patitur. Sic laqueos fera, dùm iactat, adstringit. Sic aues viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illiniunt. Nullum est tàm arctum iugum, quod non minus lædat ducentem, quàm repugnantem.* Et Tacitus 1. Annalium. *Quanto quis* Tacitus.
erit (apùd Prælatum) *Obsequio promptior, tantò honoribus extollitur.*

III. Regula.

Caue, ne illis detrahas; neq; cũ quauis persona, quantumuis intima murmures; et noli illorũ actionũ censor fieri.

Exod. 22. Eccles. 10. — Exodi 22. *Dijs non detrahes, & principem populi tui non maledices.* Et Eccles. 10. *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia & aues Cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit sententiam.* Doroth. — Doroth. serm. 17. *Noli fieri actionum Superioris censor, & indagator, ac nimium sapiens expensor, & Iudex.* Climac. — Et Climacus gradu 4. *Instrutorem tuum penitius iudicare licet, etiamsi in illo modica aliqua delicta animaduerteris. Homo enim est, & suggerenti Dæmoni, vt Prælatum diiudices, aut de illo murmures respondendum est, o malignissime seductor, non ego ducem meum iudicandum suscepi, sed ille me. Non ego illius, sed ille meus Iudex est.* Kempis. — Kempis de discipl. claustr. cap. 4. *Caueat omnis bonus Subditus, ne Prælatum suum temerè iudicet, nec vias eius curiosè scrutetur, sed potiùs eius dicta & facta in melius interpretetur.* Bonau. — Bonau. de interiori homine, par. 1. cap. 3. *Habe*, ait, *Semper pacem cum Prælatis, non eis detrahas, nec libenter audias eis detrahentes, non ponderes excessus eorum, sed ignosce eis, quasi hominibus.* Et quippè sicùt magnum amorem gignit in Prælato reuerentia, & obedientia subditi, ità magnum odium murmuratio, & actionum indagatio. Seneca. Lipsius. — Vndè benè Seneca apùd Lipsium in notis ad lib. 3. politic. cap. 11. *Ante omnia*, ait, *Custodiam ori ponendam, nec sinendam linguam temerè euagari dentium septum, & labiorum propugnaculum, quibus à natura velut duplici vallo est circumdata.*

IV. Regula.

Ad eorum præsentiam ne loquaris absquè ipsorum licentia.

Eccles. 32. — Ecclesiast. 32. *Loqui in medio magnatorum non præsumas: Et vbi sunt senes, non multum loquaris. Antè grandinem præibit coruscatio, & antè verecundiam præibit gratia: & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Bonau. — Bonau. In speculo discipl. p. 1. principali, partic. 1. cap. 4. *Coràm Superiore, sinè eius assensu præhabito, nō loquātur.* Iubēte autē Prælato loqui, nihil dicas, Vndè multùm eruditus, multùmque Religiosus possis putari, nec eloquentiæ studeas; sed sermo tuus sit simplex, & potiùs rusticanus (Rem tamen attingens,) quàm Vrbanus. Bernard. — Quod monet Bernardus in speculo Monach.

V. Regula.

In Capitulis semper illorũ opinioni te conforma. Quòd si quid sit tibi contrà illorum opinionem propter Monasterij vtilitatem dicendum, modesta, & humili dubitatione condito.

D. Bened. — Sanctus Benedictus in sua Regula c. 3. Hoc præcipit suis Monachis dicens. *Si autem dent Fratres consilium, cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit esse, ei cuncti obediant.* Kempis. — Kēpis, de discipl. claustr. cap. 4. *Subditorum est humiliter acquiescere consilijs maiorum, & sinè recalcitratione obedire Prælatis. Qui hoc facit, Deo placet, & Prælato suo charus erit, qui pro eo rationem reddet.* Bernard. — Ber. In formula honestæ vitæ, tit. Eiusdem materiæ notabile documentũ. *Numquàm pertinaciter aliquid affirmes, & neges, sed sint tuæ affirmationes, & negationes dubitationis sale condita.* Blosius. — Et Blosius in speculo Monach. *Fac sēper adsit pudor, & pura intētio; & ità, & taliter dicas, quæ tibi occurrūt, vt delectent, quæ suadēda sunt,* Seneca. — Vt docet Seneca suasoria 1.

VI. Regula.

De quacumq; re tibi ab illis facta, etiam iniustè, siuè reprehensio sit, siuè castigatio, caue ne conqueraris, sed patienter ferre memento.

Seneca. — Seneca 2. de ira, cap. 33. *Superiorum iniuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt. Facient iterum, si se fecisse crediderint,* Tacitus. — & Tacitus in Agricola. *Proprium humani ingenij est odisse, quē læseris.*

VII. Regula.

In casu discordiæ Prælati cũ alijs Fratribus, tu Prælato sēper adhære.

Bonau. — Nã, & frater, & Prælatus est. Bonau. In speculo discip. p. 1. principali, partic. 1. c. 6. *Cũ ipso Prælato contēdere nefas est, & execrāda in Subdito irreuerentia turpitudo.* Seneca. — Seneca 2. de ira, c. 34. *Cũ pari contendere anceps est, cum Superiore furiosum, cum inferiore sordida.* Nec hoc casu tibi erit vtile neutralitatē sequi; Nām illicò in te Prælati odiũ concitabis. *Quis enim color, aut ratio cum tranquillis rebus ad clauum sederis* Lipsius. (Vt loquitur Lipsius lib. 6. polit. cap. 6.) *iis deseras, absolasque cum turbatis?* Vndè Salon apùd eundem Lipsiũ ibid. *Legem statuit, vt in casu ciuilis discordiæ, qui nō alterutri parti se se adiunxerit, sed solitarius, separatusque à cōmuni malo Ciuitatis secesserit, is domo, patria, fortunisq; omnib⁹ careat, exulq; extorrisq; sit.* Sin autē magnates aliqui inter se dissiderēt, tunc vtile putarē (vbi magna beneficia recepta aliter non suaderent) neutralitatem sequi; Nām neutralis neminem offendit, & per consequēs neminē habet inimicum, saltem apertum. Cicero. — Vnde Cicero lib. 10. Ad Atticũ, ep. 7. *Nihil*, ait, *Viro bono, & quieto magis conuenit quàm abesse à ciuilibus controuersijs;* Quæ autē mala apportet neutralitas, docet Io: Botherus in suo principe, discursu de neutral. Io: Bother. Lipsius. — Et Lipsius loc. cit.

VIII. Regula.

Si habet aduersùm te aliquid Prælatus tuus, fac vt citò eum placatum reddas, nec sinas morbũ ingrauescere, Nàm eò periculosior, quò diuturnior.

Antequàm autē sit placatus, caue tibi in omnibus, & per omnia, quomodò, & cum quibus loquaris.

Tacitus. Seneca. Tacitus 3. Ann. *Nec corporis quidem morbos veteres ac diù auctos, nisi per dura, & aspera coerceas, sic & animos corruptos.* Et Seneca 3. de ira, cap. 7 *Vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt: ità affectus animus Minimis offenditur, adeò vt quosdam salutatio, epistola, oratio, & interrogatio ad litem euocent: & Numquàm sinè querela agri tanguntur.*

IX. Regula.

Fuge tamquàm pestem disputationem cum Prælatis: Et abhorre velle te illis doctiorem videri.

Nàm semper sunt, & volunt esse Superiores. Ecclesiast. 7. *Penès regem noli videri sapiens.* Et Dorotheus ser. 20. *Caue dogmatizare cum Prælatis.* Et præsertim in publico. (Eccles. Doroth.)

X. Regula.

Nimiam Prælatorum familiaritatem deuita.

Nàm hæc sinè discordia aliqua vix vmquàm consistit Dorotheus ser. 10. *Nimiam Superiorum consuetudinem deuita; est enim laqueus quidam, qui desides, & vecordes in perditionem; & interitum adducit.* Et Kempis de fideli dispensatore, cap. 1. §. 25. *Sapienter facit, qui magnorum hominum notitiam, & Prælatorum familiaritatem deuitat.* (Doroth. Kempis.)

XI. Regula.

Hoc ad gratiam tui Prælati aucupandam tibi maximè proderit, si quandò contigerit tibi facere aliquid laude dignum: vel vltimam manum non apposueris, sed illud terminandum Prælato reliqueris; vel si non poteris non terminare, terminasse vsus fueris ope, & auxilio Prælati. Atquè ita totum id, quod laudem meretur, illi attribuas.

Sic fecit Ioab. 2. Regum 12. vbi dicitur. *Misitq; Ioab Nuncios ad Dauid dicens: Dimicaui aduersum Rabbat, & capienda est vrbs aquarum; nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside Ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Et Tacitus in Agricola. *Nec ad famam suam gestis exultet, sed ad auctorem, & ducem, vt minister fortunam referat.* Et AEmilius Probus apud Lipsium lib. 3. polit. cap. 11. *Hæc est conditio Regum* (Et omnium dominantium) *Vt casus tantùm aduersos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.* Itaquè Subditus quasi Luna omnis gloriæ suæ lumen Soli refundat. Et tandem optimum est Consilium viuere cum viuentibus, iuxtà adagium Hispanicū *Viuir con quien viue, que lo de mas es morir, y podrir las entrañas.* Et tene menti sequens Disticon. (Ioab. 2. Regum 12. Tacitus. Lipsius.)

Viue tibi, quantumque potes consortia vita
Quicquid agant alij sis memor ipse tui.

XII. Regula.

Caue tamen, ne contrà regulam tuam, vel contrà Deum, vt Prælato tuo morem geras, quidquam præstes.

Nàm charior tibi debet esse gratia Dei, quam Prælati. *Et obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Actorum 5. Et Ecclesiastici 4. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Pro hac regula possunt videri, quæ dixi suprà, q. 1, cap. 6. conclus. 1. (Actor. 5. Eccles. 4.)



Appendix ad supradicta.

POstremò noto aliqua. Primum multa me hoc opere dixisse, non quià ità sint, præsertim in Religione mea, In qua per Dei gratiam, & misericordiam nondùm adhùc relicta omninò est (licet, vt verum fatear, aliquanto refriguerit) prima illa Charitas, in qua à suo fundatore, charitatis vexillifero instituta est. Sed quià ità possint longo annorum decursu, spiritu veterascente, esse.

Bonau. Secundò. Noto ex Bonauentura de sex alis Seraphin. cap. 3. versùs finem. Quod in hoc differunt laudabiles Religiones, & iam dilapsæ, non quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impunè peccare sinatur, & pecandi aditus studiosè præcludantur, & incorrigibiles, & alios inficientes eliminentur, & boni adiuuentur, & diligantur, vt perseuerent, & in melius semper proficiant.,

Nam cum in Conuentu Angelorum antè confirmationem, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta sit prauitas, Quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogatiuam, quòd peccatum in eo non sit? Quià etsi plurimi per Dei gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes. *Vos mundi estis, sed non omnes*, ait Dominus (Ioan. 13.) Bonis enim quandiù sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint maioris occasio meriti, quibus compatiantur in malis suis, contra quos zelus eorum inardescat, quos corrigere laborent, quibus similes fieri pertimescant, qui eis sint tentationis materia, a quibus etiam persecutiones sustineant, & ex quorum consideratione confusi humilientur, quià tales non sunt, admoneantur gratiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur. Hæc & alia Bonauent. loc. cit. ex quibus patet, quam ingnorantes, & Margites sint, qui putant, in Religionibus omnibus nullum improbum reperiri, quem si videant, se signo crucis signant, quasi Religiosi expertes corporis, & materiæ essent, non tentationibus, non fragilitatibus subiecti. *Vnius itaque delictum, ità indiscretio non debet ad omnes, nec ad singulos retorqueri*. Vt ait Bonauentura in epistola ad magistrum innominatum, *Et qui aliter sapit, ipse suam insipientiam manifestat, quod nihil omninò sapit*, vt Bonauentura ibidem. Ioan. 13.

Noto tertiò circà illa verba posita suprà, cap. 21. §. 2. pag. 246. versu Respondet Corradus *Per modum eleemosynæ datæ intuitu incommoditatis, & laboris, quem patitur confessarius dicto ministerio assistens* Quod maxima controuersia est inter Doctores, an propter laborem necessario con unctum cum administratione Sacramenrorum possit accipi pretium. Multi enim dicunt, quòd sic. Adrianus quodlib. 9 art. 1. in resolut. littera O. Angelus verbo Simonia 2. num. 6. qui citat pro hac sententia Panormit. Ricardum. Innocentium. Hostiensem. Tenent etiam alij quos citat Suarez to. 1. de Religione, lib. 4. cap. 21. nu. 2. Contrarium sentiunt alij, quos citat Suarez loc. cit. nu. 5. alij distinguunt de labore antecedente Sacramenta, & de labore concomitante. Pro primo dicunt, quòd licet pretium accipere, quia est accidentarium. Pro secundo negant, quià est substantiale Sacramentis, hæc enim finè labore ministrari non possunt. Ità Sotus lib. 9. de iust. q. 6. artic. 1. versu An verò in mercedem. Vega secunda parte summæ, cap. 101 casu 41, Reginaldus in praxi, lib. 23. num. 130. Vide Suarez loco cit. quæ est probabilior opinio. Quandò ergò ego dico, quòd potest Confessarius accipere à pœnitente quicquid per modum eleemosynæ, datæ intuitu incommoditatis, & laboris, quem patitur

Adrian. Angelus. Suarez. Sotus. Vega. Reginal.

titur Confessarius dicto ministerio assistens, oblatum fuerit, ne suspiceris, me intendere probare primam opinionem, licet etiam ipsa probabilis sit propter tot Doctorum auctoritatem. Nam illa concedit, quòd potest etiam accipi pretium laboris coniuncti intrinsecè cum administratione Sacramenti, licet non pro ipso Sacramento; Ego autem non dico, quod possit accipi pro pretio, sed tantummodo per modum eleemosynæ, & gratitudinis. Cum enim videant pœnitentes suos confessarios (præsertim Regulares, qui non tenentur ex officio hoc Sacramentum ministrare) semper esse promptos, & paratos, ad illis aures præbendas: videant, eos relinquere sua studia, orationes, & alia exercitia spiritualia, vt eis hoc Sacramentum ministrent, non possunt non gratum habere id obsequium, atquè ità illis præbent quandoquè aliqua xenia, seù eulogia in grati animi significationem. Quo pacto nullus potest esse scrupulus simoniæ, non enim ea xenia dantur, nec accipiuntur pro absolutione, quod esset simoniacum cap. Ad aures, de simonia, sed solùm danrur ratione eleemosynæ, & gratitudinis, quod nec simoniam olet; Atque id in specie tenent Graffius lib. 2. de casibus reseru. cap. 11. præsertim, num. 27. & 36. Et summa corona Confessorum parte tertia, cap. 10. tract. de simonia, num. 15. Quæ addit, quòd potest Confessarius qui ad id non tenetur ex officio, potius velle in vno, quàm in alio loco Confessiones audire, vbi abbundantius dantur eleemosynæ. Seù potiùs audire hunc, quàm illum, quia ab illo plus sperat eleemosynæ. Cauendum tamen ab auaritia, quæ facillime se ingerit. Et etiam cauendum, ne quid requirat pro absolutione aliquorum casuum grauiorum, & reseruatorum. Facit etiam Panor. in cap. Suam de Simonia, num. 4. in cap. Ad Apostolicam, eod. tit. num. 3. facit etiam idem Caput Ad Apostolicam, vbi Glossa verbo Nituntur, quatenus dicitur, *quòd laudabilis consuetudo pia deuotione introducta circà Sacramentorum ministrationem seruanda est*. Quod etiam docet Aragon 2.2.q. 100. art. 3. in solut. ad tertium argumentum D. Thomæ, Vide Graffium, parte 1. decis. lib. 2. cap. 96. à num. 43. vsquè ad 47. Habetur id etiam in cap. Cum voluntate §. Prædicatores de sent. excom. vbi qui audit alicuius confessionem licite recipit aliquid à pænitente, etiamsi illud subiaceat restitutioni, vt notat etiam Panor. ibi num. 5.

Graffius. Summa cor. — Panorm. — Glossa. — Aragon. — Graff.

Noto 4. circà §. 1. cap. 21. positum suprà pag. 231. quòd Mendicantes habebant olim priuilegium absoluendi a casibus reseruatis Papæ, exceptis contentis in bulla Cœnæ. Nobis Minimis quidem concessum à Leone X. in bulla, quæ incipit Etsi cunctæ, data Romæ apud Sanctum Petrum, Anno 1518. Calend. Iulij. Et refertur in nostris priuilegijs pag. 124. Vbi, concessis magnis, & plenarijs Indulgentijs nostris Ecclesis, in certis, diebus anni ait, *Et vt Christi fideles ipsi Indulgentiarum huiusmodi participes commodiùs esse possint, Correctori domus pro tempore existenti, Confessores Religiosos dicti Ordinis: qui eosdem Christi fideles, ad eamdem Ecclesiam pro huiusmodi Indulgentijs consequendis, dictis singulis diebus Dominicis Quadragesimæ cuiuslibet anni, & à media Quadragesima vsq; ad octauam Pascha inclusiuè, etiam cuiuslibet anni diebus singulis accedentes, in eorum confessionibus audire: eorumque confessionibus diligenter auditis, eosdem à quibuscumque casibus, etiam Apostolicæ Sedi reseruatis (exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini) absoluere possint, & valeant. deputandi auctoritate Apostolica tenore præsentium de vberiori gratia licentiam, & facultatem etiam concedimus, pariterque indulgemus*. Quod priuilegium fuit confirmatū specialiter à Clemente VII. in bulla, quæ Incipit *Deuotionis augumentum*; data Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, anno 1532. die 22. Septembris, & habetur in nostris Priuilegijs pag. 177. Et etiam in specie fuit confirmatum à Paulo 3. in bulla, quæ incipit *Suprà Gregem Dominicum*,

data

data Romæ apud Sanctum Petrum anno 1539. Quarto Nonas Iunij, & habetur in nostris Priuilegijs pag. 187. Et successiuè deinde ab omnibus Pontificibus subsequentibus omnia nostra priuilegia confirmata sunt, vsque ad Vrbanum VIII. feliciter regnantem, quem diù nobis Deus pro Christiani populi consolatione, & suæ Ecclesiæ vtilitate dignetur per suam pijssimam misericordiam conseruare, ex cuius benignitate etiam priuilegiorum eorumdem confirmationem obtenturi speramus.

Paulus Tertius deindè anno Domini 1545. die tertia Iulij concessit amplius priuilegium Patribus societatis Iesu, quo gaudemus, & nos, & alij Mendicantes, communicationem habentes, relatum á Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 61. art. 5. Et Miranda tom. 1. Manualis q. 46. art. 5. his verbis, *Concessit cuilibet Sacerdoti societatis Iesu, qui ad onus confessionum sæcularium repertus idoneus, & per societatis præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, vt audire possit quorumcumque vtriusque sexus fidelium confessiones, ijsque diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis suis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, absoluere, & á quibusuis ex eisdem casibus resultantibus sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini.*

Deindè anno Domini 1601. die 9. Ianuarij sacra congregatio Cardinalium de mente felicis recordationis. Clementis Papæ Octaui omnia dicta priuilegia reuocauit. Sed cum dubia quædam circa prædictam reuocationem emersissent, eadem sacra congregatio de mente eiusdem Pontificis, declarando primum decretum, declarauit, quòd solum habeat locum in septem casibus, & dicta priuilegia solum in his septem casibus per dictum decretum derogatorium intelligantur reuocata. Atq; ita quod ab his septem vigore dictorũ priuilegiorum non possint confessarij priuilegium habentes absoluere, *Primus casus est. Vt non possint absoluere à casibus contentis in bulla Cœnæ Domini. Secundus. Vbi Immunitas Ecclesiæ est violata in terminis bullæ Gregorij 14. Tertius in violatione clausuræ Monialium ad malum finem. Quartus prouocantes, & pugnantes in duello Iuxtà decretum Concilij Trid. & Constit. Greg. 13. Quintus. Iniicientes manus violentas in clericos, ad terminos cap. Si quis suadente Diabolo 17. q. 4. Sextus Simoniam realem committentes, ac Simoniam confidentialem in beneficijs. Septimus. vt nec à casibus, quos locorum ordinarij sibi reseruarunt, aut in posterum reseruabunt. De quibus casibus tractat specialiter Graffius in tract. de casibus reseruatis lib. 1.*

Positis in 2. decreto dictis septẽ casibus, subiungit dicta sacra congregatio, *Ac prætereà declarat, eos quidem Sacerdotes tam sæculares, quam regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in supradicto decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxtà eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu ante idem decretum receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantum, & non alias absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis.* Dicta decreta congregationis referunt Naldus in verbo Casus in fine, & alij, quos citaui suprà pag. 234. *Naldus.*

Restat modò videre an prædicta nostra priuilegia fuerint reuocata ante prædictum decretum congregationis. Videtur enim, quòd sic.

Primo, quia sacra Congregatio Cardinalium de mente Gregorij XIII. anno Domini 1577. die 10. Septembris reuocauit omnia priuilegia, concessa Mendicantibus circa absolutionem casuum Episcopalium, de qua reuocatione meminit Chapeauille parte 1. de casibus reseruatis, cap. 4. difficult. 16. & eam ad verbum refert Confettius in suo summ. tit. 17. cap. 6. fine his verbis. *Chapeauilla. Confett.*

Responsio

Responsio Sacræ Congregationis Conc. Trid. quò ad facultatem Regularium absoluendi à casibus Episcopo reseruatis, olim Illust. Card. Borromeo tunc Archiepiscopo Mediolanen. facta.

Illustrs. & Reuerendissime Domine.

CVM à Sacra Congreg. Cardinalium, qui propositi sunt decretis Trid. Conc. interpretandis Illustriss. amplitudo tua quæsiuerit, an Regulares ex priuilegio à Sede Apost. impetrato, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, possint in casibus, quos sibi Episcopus reseruauerit, absoluere confitentes. Hac de re vbi congregatio accuratè egisset, deindè ad Sanctissimum D. N. retulisset sanctitas sua, etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliaue priuilegia Regularibus concessis, factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus, sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustrissimæ amplitudini tuæ perpetuam vitæ tranquillitatem, & incolumitatem largiatur. Romæ die 10. Septembris 1577.

Secundo, contrà nos Minimos obstat specialiter constitutio Pauli V. quæ incipit Romanus Pontifex, data Romæ Apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 23. Maij, anno Domini 1606. quam refert Quaranta verbo Indulgentiæ, in qua reuocat omnes Indulgentias Regularium, & nouas concedit: Ergò cum prædicta facultas nobis concessa absoluendi in prædictis diebus Indulgentiarum, nobis Minimis sit concessa occasione ipsarum Indulgentiarũ, vt patet ex citatis verbis, Reuocatis Indulgentijs, censebitur etiam reuocata dicta facultas.

Ad primum Respondeo, dictam declarationem solum loqui de casibus reseruatis Episcopis, vt patet, non autem de reseruatis Apostolicæ Sedi. Vnde sicut verum est, non posse Regulares absoluere à casibus reseruatis Episcopis, quod contendebant antea Doctores, vt videre est apud Syluestrum verbo Confessor secundo, q. 5. Gabrielem 4. in dist. 17. q. 2. art. 3. ità verum est, quod possunt nunc absoluere ab omnibus casibus reseruatis Papæ, exceptis dictis septem, & exceptis etiam ijs, in quorum reseruatione reuocantur omnia priuilegia absolutionem concedentia. Quod etiam notauit Toletus, lib. 1. cap. 41. num. 7. quandò scilicet derogatio cadit supra absolutionem, nam si cadat supra rem prohibitam in constitutione, absoluere etiam poterunt. Quod est valde notandum, quia eorum priuilegia, & vsu recepta erant, & non reuocata per illam declarationem Gregorij, vt patet, neque per aliam, quod sciam ante dictum decretum Clementis.

Syluest. Gabriel. Toletus.

Et Noto, quòd ad hoc vt priuilegiũ censeatur vsu receptum, non est necesse, quod sit in vsu apud omnes eo gaudẽtes. Sed satis est, quod sit in vsu apud aliquos doctiores, & peritiores. Vnde hoc priuilegium, licet ab aliquibus fratribus alicuius Conuentus, seu Prouinciæ, vel etiã Religionis non fuerit vsu receptum, quia illud ignorauerint. Non per hoc debet censeri non esse vsu receptum quò ad alios, neque etiam quò ad eosdem, quandò sciuerint, & vti voluerint. Tum quia hoc priuilegium est positum formaliter in expressa, & libera voluntate priuilegiatorum, vt patet ex illis verbis, *Possint*. Tùm quià ad hoc vt priuilegium, per non vsum censeatur ab rogatum, requiritur, vt non vtentes habeant scientiam illius, & voluntatem, non vtendi illo, vt Colligitur ex cap. Si de terra, de priuilegijs, & docet Beia 4. parte casuum, Beia 4.

casu

Panorm. casu 3. pag. 165. Vide Panormitanum in cap. Cum accessissent, de constitutionibus, num. 6, Et 1. p. consil. consil. 54. num. 3. & Portel in addit. ad dub. regul. verbo, priuilegium, num. 4. vbi affert priuilegium Eugenij IV. quo conceditur regularibus, vt eorum priuilegia per non vsum, neque per contrarium vsum, amittantur. Et Felinum ibidem per multa, præsertim num. 26. Felinus,

Ad secundum Respondeo, illam constitutionem solum loqui de Indulgentijs concessis Religiosis, non autem de concessis eorum Ecclesijs pro sæcularibus, atque ità declaratum est ad instantiam P. F. Hieronymi Durandi nostri Ordinis Zelosi (qui & fuit Religionis nostræ zelantissimus, & prudentissimus Generalis, omni memoria dignus, qui adhuc in sancta senectute viuit, viuatque diù sanus, & fœlix) à sacra Congregatione Cardinalium, vt patet ex litteris dictæ Congregationis, directis ad singulos Vicarios Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, &c. Et subscriptis ab Illustriss. Cardinali Gallo, Capite tunc dictæ Congregationis quarum litterarum mandauit fieri ad mei instantiam Reuerendissimus Vicarius Genuensis publicum, & autenticum transumptum tenoris sequentis.

IN Nomine Domini Amen. Nouerint vniuersi, & singuli, qualiter Reuerendiss. D. Fœlix Tamburellus I. V. D. Prothonotarius Apostolicus, Canonicus Ecclesiæ Maioris Illustriss. & Reuerendiss Domini, D. Dominici de Marinis Archiepiscopi Genuensis Vicarius Generalis habens, & suis in manibus tenens litteras Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Cardinalis Galli, datas Romæ die 21. Augusti. 1615. Reuerendissimo D. Vicario Archiepiscopali Genuæ Generali directas in folio papyri scriptas, vt moris est, sanas, & integras, non viciatas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsùs vitio, & suspicione carentes, illas exhibuit, & tradidit mihi Notario, & Cancellario infrascripto ad præsentium infrascriptorum testium, quarum quidem litterarum tenor talis est, videlicèt à tergo Al Molto Reuer. Signore, Il Vicario Generale di Genoua. *Intus verò;* Molto Reuerend. Signore, Perche i Padri di S. Francesco di Paola dubitando, se per la constitutione della Santità di Nostro Signore sopra le Indulgenze concesse nouamente alle persone Religiose con reuocatione delle antiche, vengono ancora reuocate le Indulgenze, concesse alle loro Chiese regolari, & à quelli, che le visitano, & ancorche la constitutione comprenda chiaramente solo le persone regolari, senza estendersi alle Chiese loro, tutta via la Sacra Congregatione per leuar ogni dubio, dichiara che le Indulgenze concesse à quelli, che visitano le Chiese de Regolari di detti Padri, non vengono comprese in detta constitutione, ma restano nella loro forza, è vigore. Però V. S. potra lassarle publicare in cotesta sua Città, e Diocesi, quando altro non osti, è Dio la prosperi. Di Roma li 21. d'Agosto 1615. Al piacer di V. S. Il Cardinale Gallo. *Qui quidem Reuerendissimus D. Fœlix Vicarius Archiepiscopalis Genuæ Generalis, visis prædictis litteris, quæ fuerunt, & sunt subscriptæ manu propria, & litteratura sibi plenè nota prædicti Illustriss. Domini D. Cardinalis Galli mandauit illas transumi, & exemplari, & in hanc publicam trasumpti formam redigi per me Notarium, & Cancell. infrascrip. & huiusmodi transumpto dari, & adhiberi illam, & eamdem fidem, quæ & qualis adhiberetur eisdemmet originalibus litteris, si in medio originaliter exhiberentur, & producerentur in Iudicio. & extrà, præmissisque omnibus, & singulis suam, & Curiæ Archiepiscopalis Genuæ, qua fungitur, authoritatem interposuit, & interponit pariter, & decretum Laudans. &c. De quibus omnibus, &c. Per me Iacobum Cuneum Notarium, & Cancellarium. Actum Genuæ in Palatio Archiepiscopali, anno à Natiuitate Domini Millesimo sexcentesimo decimo nono, Indictione secunda, secundum Genuæ Cursum, die Mercurij 11. Decembris in Vesperis, præsentibus D. Io. Andrea Castellatio Causidico, & Marino Matrutto quon. Francisci familiare præfat. R. D. Vicarij testibus ad præmissa vocatis, & rogatis.*

Iacobus Cuneus Notarius, & Curiæ
Archiepis. Genuæ Cancell.

Manet

Manet ergo, quod prædictum priuilegium absoluendi à casibus reseruatis Papæ, exceptis contentis in bulla Cœnæ, & contentis in secundo decreto Congregationis sub Clemente, non est reuocatum, & sic possunt eo vti dicti Fratres Minimi, & alij communicationem habentes, sicut poterant prius. Poterunt Itaque absoluere Religiosi ab excommunicatione incursa propter prouocationem ad duellum, si effectus secutus non fuerit. Quia duellum in secunda illa declaratione Congregationis sub Clemente est tantummodo reseruatum in terminis Conc. Trid. & Gregorij XIII. in quibus decretis excommunicantur solummodò duellantes, secuto effectu, vt dicunt omnes, præsertim Sanchez lib. 2. in decalogum, cap. 39. nu. 28. Et hoc specialiter docet Graffius lib. 1. de casibus reseruatis, cap. 7. num. 19. Naldus in summ. verbo Duellum, num. 6. fine: Bonacina de censuris, disp. 2. quæst. 6. parte 2. num. 15. fine. *Sanchez. Graffius. Naldus. Bonacina.*

Item poterunt absoluere mulieres introeuntes Monasteria, & claustra Monachorum sub prætextu cuiuscunque priuilegij (Seclusis Monasterijs Minimorum quò ad Reginas, & fundatrices) contra Bullam Pij V. quæ incipit, *Regularium personarum*, Quam refert Cherub. tom. 2. Bullarij in Pio V. const. eius 20. & etiam mulieres ingredientes Monasteria Monialium contra const. Gregorij XIII. quæ incipit, *Vbi gratia*, quam refert idem Cherubinus eodem loco in Gregorio XIII. Const. eius 28. *Cherub.*

Item poterunt absoluere eos, qui aliquid dederint, vel promiserint, seu acceperint pro obtinenda aliqua gratia, vel iustitia in Romana curia contra Const. Bonifacij VIII. quam refert Cherubinus tom. 1. bullarij in Bonifacio, Const. eius 1. folio 139. quam inouauit, & confirmauit Gregorius XIII. vt refert idem Cherubinus tom. 2. bullarij in Gregorio XIII. Const. eius 14. folio 391.

Item poterunt absoluere ab alijs censuris positis, & insertis in corpore iuris, vel in extrauagantibus, de quibus videri potest Toletus lib. 1. cap. 35. & cap. 36. & additione ad cap. 41. Sayrus lib. 3. de censuris, cap. 29. 30. 31. *Toletus. Sayrus.*

Hæc sunt Commilitones mei, quæ ad me ipsum priùs vosque instruendos hoc primo tomo occurrerunt. Quæ faxit Deus, vt ad laudem, & gloriam suam, B. M. semper Virginis, & Sanctiss. P. N. Francisci de Paula, honorem, & laudem, vestramque aliquam vtilitatem cedant: quod per misericordiam Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti spero. Amen.



FINIS.

ADM. R. P. F.

LAVRENTII DE PEYRINIS GENVENSIS

Ordinis Minimorum S. FRANCISCI DE PAVLA, in Prouincia Genuensi vice Generalis

Nec non Sanctissimæ Inquisitionis contra hæreticam prauitatem Vicarij.

RELIGIOSVS PRÆLATVS.



PLACENTIÆ,

Ex officina Typographica Io: Antonij Ardizzoni Impressoris Cameralis.

SVPERIORVM PERMISSV.

FACVLTAS
Reuerendiſs. P. Generalis.

F. FRANCISCVS à Longobardis, totius Ordinis Minimorum S. Frã-ciſci de Paula Minimus Corrector Generalis, R. P. F. Laurentio De Peyrinis, noſtri Ordinis in Prouincia Genuenſi Prouinciali, ſalutem in Domino.

Præſentium virtute concedimus tibi ſupradicto, vt typis mandare poſſis librum, qui dicitur Religioſus Prælatus, *poſtquam fuerit diligenter examinatus à P. F. Franciſco à Mineo, noſtri Ordinis Theologo. Obtenta priùs facultate ab ijs, ad quos pertinet. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ, in Conuentu SS. Trinitatis, die 10. Aprilis, 1630.*

F. Franciſcus à Longobardis Minimus Generalis.

APPROBATIO.

Iuſſis Reuerendiſs. P. F. Franciſci à Longobardis, S. T. P. totiuſq; noſtræ Minimitanæ Familiæ Generalis, vt fas eſt, morem gerens, ego infraſcriptus Frater ſedula attẽtione perlegi aureũ hoc Opus quod inſcribitur, Religioſus Prælatus, *ab adm. R. P. F. Laurentio De Peyrinis,* S. T. *præſertim Aſceticæ, & Iuris Canonici Eminentiſſimo Profeſſore, nec non ſuperioribus annis in hoc IESV MARIAE Collegio ſtudiorum Regente, nunc verò ad huius Prouinciæ clauum inſidente ineffabili prudentia, & animarum zelo, elucubratum. Et atteſtor, in eo nihil me inueniſſe, quod fidei catholicæ dogmatibus obuiet, vel bonis moribus aduerſetur. Quinimò omnia ſacram doctrinam redolent, ſummam eruditionem præſeferunt, eximiumq; ſanctitatis ſpirant feruorem. Quod enim indefeſſo ebibit ſtudio, hoc in Opus eructauit, & quod in regiminibus pluriès repetitis didicit, experientia magiſtrante, hoc calamo, & ſcripturæ mandauit. Et quod mirabilius eſt, ita graues, magniq; momenti doctrinas ſalibus aſperſit, ac lepida iucunditate condiuit, vt omnem protinùs leuet legentis faſtidium, & de eo dici poſſit vulgatum illud.*

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Quare iudico, vt in lucem prodeat, typiſq; imò æternitati committatur, ad communem omnium ſtudioſorum vtilitatem, & maximè Prælatorum, eorumq; omnium, quorum intereſt Regna, Reſpublicas, Communitates, & Familias gubernare. In quorum omnium fidem hæc ſubſcripſi in eodem Collegio IESV MARIAE, anno à Deiparæ partu 1630. Die prima Menſis Septembris.

Frater Franciſcus à Mineo S. T. P. & in IESV MARIÆ Collegio Studiorum Regens.

APPROBATIO.

Vt officij munus sine iniuriæ crimine, ad Reuerendiss. P. Petri Martyris Ricciardi De Aqua Nigra, sacræ Theologiæ Magistri, in totoq; Genuensium Dominio Generalis Inquisitoris, præscriptum exequar: qua potui, intellectus mei indagine attenta, Opus hoc, quòd Religiosus Prælatus *inscribitur, summo menti acumine à R. Adm. P. Laurentio De Peyrinis Genuensi, Minimorum Ordinis nunc, & olim in Prouincia Genuæ Prouinciali, Theologo eximio, necnon Iuris Canonici egregio Doctore, elaboratum, excellentissimum sanè Opus, omnibus numeris absolutum sum perscrutatus. Nihilq; quòd nostræ orthodoxæ fidei, rectæuè fidelium institutioni aduersaretur, inueni; immo omnia eruditione, & subtilitate, (quodq; magis est) admiranda claritate plena esse comperi. Quare pro communi omnium regiminum vtilitate dignissimum arbitror, praeloq; committendum iudico, vt Opus hoc, vtiq; mirabile, ingenioso, ac solerti viro dignum, in lucem prodeat. Datum Genuæ, in Conuentu SS. Annunciatæ, Die 27. Ianuarij Anno Domini* Incarnationis 1631.

F. Angelus Franciscus Cornilia Genuensis, Ordinis Minorum de Obseruantia, in Conuentu SS. Annunciatæ Genuæ sacræ Theologiæ generalis Lector, necnon librorum Reuisor.

Denuò Imprimatur.

Inquisitor Placentiæ.

Franciscus Saluaticus Vic. Gen.

Rosa Vidit.

EIVS

EIVSDEM R. P. F. FRANCISCI A Mineo in laudem Operis.

ANAGRAMMA.


LAVRENTIVS DE PEIRINIS
EN LENIIT PRAESIDIS AVRA.

LVCIFERI insidijs Protoplastum æquore culpæ *Genes. 3.*
Demersum, in portum transtulit AVRA Dei.
Arcana vt Daniel recludat somnia Regum, *Dan. 3.*
Edocet igniuomi fornicis AVRA leuis.
Vt Zelans vngat Reges, sacretq; Prophetas, *3. Reg. 19.*
Per tenuem sonitum leniter AVRA monet.
Rectam, qua terram Psaltes pertingere possit, *Psal. 143.*
Expetitur precibus Spiritus AVRA boni.
Eximiam nauem recturis, flante sub AVRA *Act. 2.*
Ipsemet admonitis Spiritus almus adest.
Numen adest AVRÆ, sed linguis insimul ardet, *Ibid.*
Rustica consumens, & noua corda creans. *Ezech. 36.*
Terret vt ignipotens præcordia Discipulorum,
Iucundum rorem leniter AVRA mouet;
Illustrat mentes radiantis luminis instar,
Nec minùs affectum purgat, amore replens.
Vtrumq; Auctoris celeberrima scripta imitantur,
Inde docendo mouent, hincq; mouendo docent.
Solue igitur Præsul solertis carbasa mentis;
Spirans EN LENIIT PRÆSIDIS AVRA leuis.



P. F. FRANCISCI MARIAE De Agrifolijs, Genuensis, Ord. Minim. Philosophiæ Lectoris in hoc IESV MARIÆ Collegio, in laudem Auctoris:

ANAGRAMMA.



LAVRENTIVS DE PEIRINIS
INDIT EN VIRES PRAESVLI.


AVREIS malis aditurus hortos
Consitos, donec remearet, ingens
Pondus Alcidę fabricę patentis.
Tradidit Atlas.
AEtheris summi nitidos iturus
Christus in campos, redeat quousq;
Præsulem mundi regimen minoris
Iussit obire.
Durior quisnam labor extet, anceps
Haud quidem. Magni subijsse corpus
Orbis est maius, tolerare quàm vas
Vertice paruum.
Grandior verùm, grauiorq; moles
Vrget hunc; primi leuior, minorq;
Gestat hic viuax, animo sed ille
Totsit inane.
Illius velox, variusq; motus
Auxit Oetæi scapulis laborem;
Sed magis raptim, variè magisq;
Se ciet ista.
Heu quot implexis Veneris, lucriuè;
Quotq; vel fastus tumidis, vel iræ
Motibus præceps, alijsuè gyrat
Innumerosis?
Hinc eam primus tulit irreflexo
Sarcinam collo, proprios sed ista
Comprimit nixus; miser atq; Præses
Inde labascit.
At modò ò felix nimiùm. Quis vllo
Vel metu lapsus trepidet, Cleantis
Plurima ad doctum vigilata lychnum
Dum, Pater, edis?

Artium

Artium summam calamo venustè
  Dumq; concinnas, animiq; gazas
  Pandis insignes, paueat quis istud
    Flectere pondus?
Non tot Antæus procer è parente:
  Ipsaue optato sitiens, nec imbre:
  Quot quit Antistes celebri hoc referre
    Codice vires.
Vasta neuè Og, Dan superata mirum
  Saxa, te robur tribuente, possit
  Cum geri moles, metuenda dorsis
    Et Superorum.
Haud parit baccas Sicyon tot; Hybla
  Nec fauos præstat; rutili nec ignes
  Tot micant cœlo, tua quot pyropis
    Scripta coruscant.
Nempè contextam graphicè corollam
  Præsidis sacro capiti coaptas,
  Qua gregem possit vigilans tueri,
    Ceu foret Argus.
Ecce iam pressis humeris leuamen:
  INDIT EN VIRES onus ad ferendum
  PRAESVLI Præsul Minimus, regendi
    Maximus arte.
Eia Rectores alacres? Vt instar
  Herculis tandem liceat perennes,
  Quos sua soter nece traxit Atla,
    Carpere fructus.



INDEX QVAESTIONVM, ET CAPITVM
DE RELIGIOSO PRÆLATO

Quæstio I. De regimine in communi.

Quæstio II. De his, quæ pertinent ad constituendum Prælatum in esse veri, & legitimi Prælati.

§ 2.

Quæstio III. De auctoritate Prælatorum regularium.

Quæstio IIII. De modo agendi Prælati cum subditis.

TOMVS

TOMVS SECVNDVS

DE IIS, QVAE AD BONVM PRAELATVM FORMANDVM SPECTANT.



QVAESTIO PRIMA DE REGIMINE IN COMMVNI.

CAPVT PRIMVM.

Vndè deriuarint Regimina; & de varijs Regiminum Formis.

Plato. Aristot. D.Thom. Polyb. Plutar. AEgid. Iauell. Marq. Mauclor. Contzen. Almain. Azor. Bellarm. Patricius. Lipsius. Rangol. Acciaiol. Segnus. Scainus. Buridan. Rodriquez. Cassanus. Antonin. P.Gregor. Suarez. Menoch.



1 PRO hoc capite videri potest Plato lib. 6. de Regno versùs finem, & 8. de republica in io princip. qui est 35. suor. oper. Arist. 8. Ethic. cap. 10. & 3. polit. cap. 5. D. Thomas opusc. 20. de regim. princ. cap. 1. Polyb. lib. 6. histor. à princip. Plutarch. in opusc. de vnius in Repub. domin. AEgid. de regim. Princip. lib. 3. p. 2. c. 2. Iauel. lib. 3. polit. tractatu 2. cap. 2. Marquez in suo Gubern. Christ. lib. 2. cap. 21. Maucler. de Monarch. tom. 1. lib. 1. par. 1. cap. 2. & lib. 4. cap. 6. Contzen 1. polit. à cap. 5. vsque ad 14. Almainus de auct. Ecclesiast. cap. 1. & tract. de potestate Ecclesiast. & laica quæst. 3. cap. 5. qui duo tractatus sunt inserti in fine primi tomi oper. Gersonis. Azor par. 2. lib. 11. cap. 1. quæst. 1. & 2. Bellar. tom. 1. controu. 3. de summ. Pontifi. lib. 1. cap. 1. Patricius de regno lib. 1. tit. 3. Lipsius lib. 2. polit. cap. 1. & 2. Archid. in cap. Ius autem naturale, dist. 1. num. 5. Rangol. 1. Regum, cap. 8. versu 5. tit. De multiplici genere, &c. Acciaiol. 8 ethic. cap. 10. Vbi Segnus, Scainus, Burid. Rodriq. tom. 3. quæst regul. quæst. 34. art. 1. Cassan. in catal. glor. mund. par. 11. consid. 55. & par. 5. consid. 1. Antonin. 3. par. tit. 3. cap. 2. statim in princip. & §. 2. Petrus Gregor de republ. lib. 1. cap. 2. & lib. 5. cap. 1. Suarez lib. 3. de leg. cap. 3. à num. 1. & cap. 4. num. 1. & 2. Menoch. instit. polit. lib. 1. cap. 2. & 4.

2 Noto primò, quòd ad imaginem, & similitudinem suam creauit Deus nobilissimum animal, quod hominem vocauit; quem inter cætera prærogatiua donauit rationis, qua vna quod sibi de alijs denegatum fuerat, optimè posset prouidere; quod enim natura animalibus cunctis cibum, tegumenta pilorum, defensionem, vt dentes, cornua, vngues, vel saltem velocitatem ad fugam communicauit; quod illis item naturaliter insitum est cognoscere, quæ sibi nocitura, vel profutura sint, hoc omne homini in communi sibiùm per vnam rationem reparandum institutum est. Ex quo fit, quòd licet homo in communi sit sibi sufficiens, cunctorumq; animalium præstantissimum, in particulari tamē, & indiuiduo nō est possibile, quod vnus homo ad omnia huiusmodi per suam rationem pertingat; vndè minus sibi sufficit, quàm quodlibet aliud, quamuis vilissimum animal. Oportet ergo, quod in societate viuat, vt sibi de necessarijs prouidere possit; quare Genes. 2. *Dixit Dominus Deus, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Adiutorium pro necessitatibus corporalibus, & spiritualibus; & adiutorium, quo vitam traduceret iucundiùs, & feliciùs. Et Ecclesiastes 4. *Meliùs est ergo duos esse simul, quàm vnum, habent enim emolumentum mutuæ societatis: & si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Et quoniam nec hoc eius auctori visum est sufficiens; multa enim animalia gregatim viuunt, vt grus, formica, apis, quæ tamen non sibi possunt inuicem communicare, eo modo, quo homini, multò plurium indigenti, necesse est; Ideò illum locutione donauit, per quam alter alteri intima cordis sensa propalaret. Concludit ergo bene ex his Arist. 1. polit. cap. 5. ad quem sequuntur D. Thoma loco cit. & AEgidius etiam cit. lib. 2. cap. 1. par. 1. quòd homo natura animal sociale est. Quòd si aliqui homines societatem fugiant, eos aut bestias, aut Deos esse; bestias quidem, quia ab humano modo deficiũt; quales sunt viri scelerati, qui non possunt societatem aliorum supportare, sicut Homerus de quodam dicit, quod erat sine tribu, quia non poterat cum alijs amicabiliter conuiuere; sine iure, quia non viuebat secundum legem; sine domo, quia vt fera extra homines habitabat: Deos verò, quia sibi ipsi cum Dei adiutorio sufficiunt; quales sunt viri contemplatiui. *Si igitur* ait D. Thom. loco

cit. *na-*

cit. *naturale est homini quòd in societate multorum viuat, necesse est in hominibus inesse, per quod multitudo regatur, multis enim existentibus hominibus, & vnoquoque, id quod est sibi congruum, prouidente, multitudo in diuersa dispergeretur, nisi esset aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens. Vnde Salomon prouerb. 11. inquit, vbi non est gubernator populus corruet.* Quis enim dubitat miserabili naufragio periclitaturam nauem, quæ industrio, ac perito moderatore, clauum pro subito vertente cunctaque suo arbitrio moderante careat? Vnde Baldus in lege Ex hoc iure ff. de iustit. & iur. num. 3. ait, quod cum naturale sit, quòd homines inter se discordent, vt dicitur in cap. Quia diuersitatem, de conc. præb. habent enim ex creatione motes diuersas, ex necessitate cogente, quia omnia indigent capite, nati sunt Reges. Et Seneca lib. 1. de clem. cap. 4. *Ille* (Rex) ait, *est vinculum, per quod Respublica cohæret. ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus, & præda, si mens illa imperij subtrahatur.*

Baldus.

Seneca.

3 Noto 2. quòd Aristot. 5. Ethic. cap. 7. distinguit ius in naturale, & legitimum, siue legale; & naturale dicit esse, *Quod vbique habet eamdem vim, & non quia vel ita videtur, vel minimè.* Idest habet virtutem inducendi hominem ad bonum, & retrahendi à malo, & hoc non oritur ex humana apprehensione, vel opinione, sed ex natura ipsa, quia ratio scilicet sic dictat. *Ius autem legale est, quod à principio vtrum hoc, vel illo modo fiat, nihil refert; vbi vero fuerit institutum, refert.* Idest, quod ante positionem legis, nihil refert sic, vel aliter agere, quia per naturam non est determinatum, quòd hoc sit bonum, vel malum, sed quando est lege positum, & consuetudine firmatum, refert multum, quoniam obseruare, & obedire bonum est, prætermittere autem malum. Vnde potest colligi regula generalis ad cognoscendum, an aliquid ad ius naturale, vel positiuum pertineat; si enim obligatio oritur à natura rei, quæ præcipitur, aut prohibetur, quia scilicet in se est necessaria, vt fiat, vt subuenire extremè indigenti; vel quia in se est illicita, & mala, vt iurari, mentiri, tunc præcipitur, aut prohibitio pertinet ad ius naturale. Si verò obligatio non oritur à natura rei, quæ præcipitur, aut prohibetur, sed à præcepto, & voluntate prohibentis, esto, ex parte rei adsit aliqua congruitas, & exigentia, vt præceptio, aut prohibeatur, pertinet ad ius positiuum, vt ieiunium quadragesimale, confessio annua, &c. Atque ita docent etiam Theologi cum D. Tho. 2. 2. q. 57. art. 2. & 1. 2. q. 95. art. 4. corp.

Molina.

4 Molina tom. 1. de iustit. tract. 1. disput. 3. aduertens prædictam diuisionem solum esse iuris quatenus est obiectum iustitiæ diuidit ius latissimè sumptum in diuinum, & humanum. Diuinum est, quod à Deo conditum est; Humanum quod à Deo accepta potestate homines tulerunt. Rursus ius diuinum subdiuidit in naturale, & positiuum. Ius diuinum naturale, est quædam vis intellectus à Deo conditore humanæ naturæ impressa, qua bonum à malo discernentes illud amplectimur, & istud refugimus. Vnde etiam *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Ad Rom. 2. Ius diuinum positiuum est, quod à Deo, aut Christo de his, quæ ad naturale ius non spectant, latum est, siue id per se immediatè condiderit, siue ministerio Angeli, siue alicuius alterius suorum seruorum, vt Moisis, vel Apostolorum, vt præceptum baptismi, confessionis, &c. Et denique ius humanum subdiuidit in ius gentium, ciuile, & canonicum. Ius canonicum est, quod per Ecclesiam, vel eius ministros conditum est, Ciuile vero, quod conditum est per seculares Potestates. Ius gentium dicit esse ius humanum, quo omnes, aut ferè omnes, gentes vtuntur. Latissimam iuris diuisionem vide apud Bellouac. in specul. doctrin. lib. 7. à cap. 37. Vasquez 1. 2. disput. 157. per totam. Videri etiam potest. Val. tom. 2. disp. septima q. 5. parte 2.

Bellouac. Vasquez. Val.

5 Iuristæ diuidunt ius in naturale, ciuile, & gentium. Instit. de iure naturali, gentium, &c. §. 1. & sequent. leg. 1. ff. de iust. & iure, cap. Ius autem, d. 1. vbi Canonistæ, & Legistæ. Ius naturale est commune omnium nationum, eo quod vbiq; instinctu naturæ, nō constitutione aliqua habetur, vt viri, & fœminæ coniunctio, liberorum successio, educatio, communis omnium possessio necessitatis tempore, acquisitio eorum, quæ cælo, terra, marique capiuntur, cum enim hæc in nullius sint posita potestate, occupanti cedunt. Item depositæ rei, vel commendatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Ita in cap. Ius naturale, d. 1. Instit. loc. cit. §. Nam Ius. Ius ciuile est, quod quisque populus, vel quæque ciuitas sibi proprium, diuina, vel humana causa constituit. Ita in cap. Ius ciuile, d. 1. Instit. §. Ius autem ciuile loco citato. Ius gentium est, quo omnes ferè gentes vtuntur; vt sedium occupatio, ædificatio ad habitandum in proprio solo, munitio contra hostes, bella iusta, captiuitates, vt scilicet captiuis vitæ seruentur, seruitutes, vt scilicet qui bello iusto capiuntur, fiant serui capientium, ita vt neque etiam fugere possint, secundùm Glossam in cap. Ius gentium, verbo Seruitutes; secùs tamen, si bellum iniustum sit. Sed in dubio fugere possunt, sibi potiùs, quam alijs consulentes; & etiam in bello iusto captus puto quòd fugere possit, iure enim naturæ omnes homines liberi sunt, institutione de iure naturali, §. Ius autem; vnde illi præiudicare non debet ius gentium; immò, & ius gentium hoc etiam concedere videtur, omnes enim qui possunt, fugiunt, nec capientes iure repetunt: quare non deberent eos domini verberare, si post fugam eos arripiant, (Nisi verberent ad terrendum vt censeo) cum ius suum quærant. Sunt etiam de iure gentium postliminia, idest ius illud, quo restituitur alicui res, quam per captiuitatem amiserat; fœdera, paces, induciæ, idest treguæ, legatorum non violandorum religio. Ita habetur in cap. Ius gentium, d. 1. & institutione loco citato §. Ius autem gentium: & in lege Omnes populi, ff. de iustit. & iure dicitur, quod ius gentium est illud, *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, idque apud omnes gentes peræquè custoditur.*

D. Thoma. Turrecr. AEgidius Iauell.

6 In lege autem 1. §. Huius studij, ff. eod. dicitur, ius gentium a iure naturali differre, quòd hoc omnibus animalibus, illud solis hominibus inter se commune est. Quod etiam docet D. Tho. 2.2. q. 57. art 3 corp. & ad tertium; Turrec. in cap. Ius gentium, nu. 4. AEgid. de regim. lib. 3. par. 2. cap. 25. Iauell. 5. ethic. tract. 2. c. 2. versu, Sed aduerte. Vtrū autē ius gentiū sit ius potiùs naturale, quā positiuū, & quomodò differat a iure naturali, & ciuili, discutiunt subtiliter scholastici, Ego pro meo inteoto puto dicta sufficere. Videri potest Vasq. 1.2. disp. 157. c. 2. & 3. Bannes, & Aragon. ad locum citatum D. Thom. Malder 2.2. tractat. 1. cap. 2. dub. 3.

Vasquez. Bannes. Aragon. D. Thoma. Malder.

D. Thom. Victor. Sotus. Almain. Nauarr. Bellarm. Molina. Contzen. Menoch. P. Greg.

7 Dico 1. regimina à Deo immediatè per naturam operante deriuaruni. Ita D. Tho. de reg. princ. lib. 3. à cap. 1. Victor. relect. 3. de ciuil. potest. n. 6. Sotus lib 4. de Iustit. q. 4. art. 1. conclus. 2 Almain. de auct. eccles. cap. 1. Nauar. in cap. nouit. de Iud. notab. 3. coroll. 20. n. 85. to. 4. Bellar. tom. 2. lib. 3. de laicis, cap. 6. Mol. tom. 1. de Iust. tract. 2. disp. 22. versu, Hac tamē & disp. 27 Contz. lib. 1. polit. cap. 3. num. 3. & cap. 5. 6. & 7. Menoch. Instit. polit. lib. 1. c. 3. P. Greg. de Repub. lib. 7. cap. 1. num. 3. Probatur 1. Homo naturaliter necessitatur in societate viuere, vt dictum est notab. 1. nec potest ibi quiete viuere sine rectore, vt ibidem dixi; ergo naturale est illi in societate viuenti quod regatur. Sed Deus auctor naturæ est, ergo a Deo, tamquam auctore naturæ, & per naturā immediate operante, prouenit, quòd homo per aliquod regimē regatur; quæ enim à natura, & in natura sunt, ad Deū referuntur, Vnde Arist. 8. phys. textu 33. & 4. de cælo, textu 25. ait grauia, & leuia à generante moueri nō ob aliā causam, quā per istā naturalē inclinationē, quā habent ab illo. Si ergo Deus dedit hac necessitatē, & inclinationem hominibus, vt in societate viuentes aliquo regēte indigerent, hoc ipsū Deo auctori acceptum referre necesse est 2. probatur ex Arist. 1. polit. cap. 2. vbi ait. *Ex his igitur patet, ciuitatē esse ex his, quæ natura sunt, & quod homo natura ciuile est animal, & qui absque ciuitate est per naturam, non per fortunam, aut nequam est, aut potior, quàm homo* 3. ex August. 5. de ciuit. Dei, cap 21. vbi ait. *Non tribuamus dandi regni, atque imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum solis pijs, regnum vero terrenum, & pijs, & impijs sicut ei placet, cui nihil iniustè placet* 4. ex epist. ad Rom. c. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* Et Ioan. 19. dicitur. *Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset.*

Aristot. Aristot. August. Rom. c. 13. Ioan. 19.

Bart. Bald. Angelus de Perus. Glossa.

8 Neq; obstat, quòd in lege, ex hoc iure, ff. de Iust. & iur. dominia dicantur de iure gentium instituta, & id probent ibi expositores, Bart. nu. 5. Bald. nu. 4. nam id intelligitur quantum ad distinctionem; nam quantùm ad substantiā, seu natiuitatem sūt introducta de iure diuino, vt docet ibi Angel. de Perus. n. 2. & 3. Cōcludo ergo quòd dominia vniuersim pendent à Deo, tamquam auctore naturę, distincta sunt per iua gentium, & acquiruntur quādoq; per ius ciuile, vsucapionem, arrogationem, sententias, testamenta, electiones, &c. vt docet Glossa in dicta lege ex hoc iure; & Angel. n. 3. quo pacto conciliari possunt multa dicta Doctorum, & Legum. Et aduerte etiam, quòd omnia regimina tam bonorum, quam malorum Principum à Deo sunt, vel iubente, vel permittente; iubente quidem, si Principes boni sint; permittente, si mali. Quod mihi probat euidenter cap. Audacter, 8. q. 1. vbi dicitur. *Nō semper princeps populi, & Ecclesiæ index per Dei arbitrium datur, sed vt merita nostra deposcunt, si mali sint actus nostri, & operamur malignum in conspectu Domini, dantur nobis Principes secundum cor nostrum, iuxta illud Osea 8. fecerunt sibi Regem, & non per me, Principem, & non per consilium meum &c.*

Angel.

Arist. Plato. D. Thom. Bellarm. AEgid. Rangol. Molina. Conrad. Contzen.

9 Dico 2. principatuum formæ sunt tres; Monarchia, Aristocratia, Democratia. Ita Arist. 8. ethic. cap. 10. & 3. polit. cap. 5. Plato lib. 16. de regno D. Tho. de regim. Princ. cap. 1. & 1. 2. quæst. 95. art. 4. corp. Bell. de eccl. monarch. cap. 1. tom. 1. AEgid. de regim. p. 2 lib. 3. cap. 2. noster Rangol. 1. Regum, cap. 8. vers. 11. tract. de iur. Regis, cap. 4. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 23. Conrad. 1. 2. quæst. 95. art. 4. Contzen 1 polit. cap. 14. & alij cit. nu. 1. Probatur, nam vel Respublica regitur per vnum commune caput, & dicitur monarchia, vel per paucos, et optimates, et dicitur aristocratia; aut per multos, & populares, & vocatur politia; Verùm quando à recto deuiatur in prima specie regiminis, vocatur tyrannis; quādo deuiatur in 2. oligarchia. Quando in 3. democratia; sed iam hodie hoc nomen in bonam partem sumitur. Ita Arist. 3. polit. cit. sed magis in particulari videndum est, quid nam sit quodlibet istorum regiminum. Sit ergo.

Arist.

§. Primus, Quid, & quotuplex sit Monarchia, deque illius vtilitatibus, & damnis, quo modo dissoluatur, & conseruetur.

Aristot. Gerson. Iauell. Rangol. Maucl. Vaston. Contzen. Molina. Salas. Anton. Perez. P. Greg. Bzouius. Io: de S. M. Mambrin. Roseus. Patritius. Menoch. Azor.

10 RO hoc §. videri potest Arist. 3 polit cap. 10 11. Gerson. p. 1. de potest. eccl. consid. 13. Iauell. 3. polit. tract. 5. cap. 1. Rangol. 1. Reg. cap. 8. versu 11. tract. de Iur. Regis, cap. 4 & 5. Maucl. de monarch. par. 1. lib. 1. cap. 2. tom. 1. Vaston. in the. vit. ciu. lib. 5. cap. 10. Contzen lib. 2. polit. cap. 15. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 23. Salas 1. 2. q. 95. tract. 14. disp 6. sect. 1. n. 16. Sarton. in ciue Reipub. reg. consid. 48. & 49. Anton. Perez. in Pent. fid. volum. 5. de Rom. Pont. dub. 1. cap. 12. P. Greg. de Repub. lib. 5. cap. 3. à nu. 1. & cap. 4. per totum. Bzouius in Rom. Pont. cap. 1. col. 6. versu Placet. Ioan: de S. Maria in sua politic. christ. Mambrin. Roseus in Instit. Princip. c. 1. Patrit. de Repub. lib. 1. tit. 1. Menoch. instit. polit. lib. 1. c 4. à n. 2. Axor p. 2. lib. 11. c. 1. q. 2.

Maucl.

11 Nota 1. quod monarchia est summum penes vnum imperium, sine superioris, aut æqualis populi, vel alterius Principis consortio. Ita Maucl. loc. cit. Hæc definitio est omnīū optima meo videri; explicat enim monarchiæ essentiā, quatenus dicit, eam esse vnius Principatum; & illam facit differre ab alijs gubernationibus; ab aristocratica quidem, quatenus excludit æquales, & consortes in imperio; à democra-

Arist. *Lipsius.*

tica verò quatenus excludit populum. Quę definitio sumitur ex Arist. 3. polit. cap. 5. & 11. Aliam monarchiæ definitionem affert Lipsius lib. 2. polit. cap. 3. nimirum quod sit vnius imperium, moribus, aut legibus delatum, susceptum, gestumque parentium bono. Sed hæc solum comprehendit monarchiam legitimam, de qua hic infra.

Arist. *Iauell.* *Conzen.* *Molin.* *Frachet.* *Frezza.*

12 Noto 2. quòd variæ sunt monarchiæ species, de quibus Arist. 3. polit. c. 10. & 11. Iauell. ibid. tract. 5. c. 1 Cont. loc. cit. Mol. loc. cit. versu hinc est, Frachet. in suo semin. discur. 19. fine; Frezza in discurs. polit. discurs. 2. Breuiter tamen illa diuido in diuinā, qua summa illa Maiestas, quæ est Rex Regū, & dominus dominātium, & omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt nutu solo gubernat, & regit; quæ si omnia subuerterit, & in vnum coarctauerit, nō est, qui cōtradicat ei, nec qui possit ei dicere, Domino cur ita facis, quæq; solo suo eloquio vniuersa restaurat: & in humanam, seu ciuilē, qua vnus imperium regit, Hęc autē subdiuiditur in legitimam, & tyrannicam, seu barbaricam. Quādo imperans imperium suum, suasque actiones in parentium bonum dirigit, tūc dicitur monarchia legitima; quando autem non ad bonū cōmune, sed ad propriū dirigit imperiū, tunc dicitur tyrānis. Et sic monarchia legitima potest describi, quod sit Vnius imperium, nō propriū principaliter, sed cōmune bonum in suo principatu intendentis. Tyrannica verò Imperium vnius, nullis subiacētis legibus, incorrigibilis, opprimentis bonos, ac meliores, dominantis pro sola propria voluntate, ad propriū cōmodū, & vtile respiciētis.

Aristot.

Vnde Arist. 5. polit. c. 10. ait. *Tyrannus ad nullam communem respicit vtilitatem, nisi gratia proprij cōmodi, & illius obiectum est id, quod placet, vt è cōtra Regis, quod honestū est.*

D. Thom. *AEgid.* *Almain.* *Nauar.* *Bong.* *Molina.* *Rangel.* *Mancler.* *Bellarm.* *Veston.* *Azor.* *Lorin.* *Roseus.* *Salas.* *Perez.* *Menoch.* *P. Greg.*

13 Dico primo. Multa bona, cōmoda, & vtilitates affert monarchia legitima ijs, qui per illā reguntur, de quibus D. Tho. 4. conr. gen. cap. 76. & lib. 1. de regim. cap. 2. AEgid. de regim. p. 2. lib. 3. cap. 3. Almain. de pot. eccles. q. 3. cap. 5. Nauarr. in cap. nouit. de iudic. notab. 3. n. 168. to. 4. Bong. de ou. pag. mihi 39. Mol. to. 1. de iust. tr. 2. disp. 23. versu ex tribus speciebus; Rangel. in c. 4. vers. 18. 1. Reg. tta de eccl. iurisd. p. 2. fin. vbi refert constit. quamdā Pij II. pag. mihi 687. & c. 8. versu 11. tract. de Iure Regia, c. 4. pag. mihi 979. Mancl. p. 1. de Monarch. lib. 4. à c. 3. Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. c. 2. Veston. in theatr. vitæ ciu. lib. 5. c. 11. n. 6. Azor loc. cit. à versu his positis Lorin. in cap. 17. Deut. ver. 14. Roseus, Salas, Perez, Menoch. loc. cit. P. Greg. cap. 4. cit.

Tacitus.

14 Primum igitur cōmodū, quod Reipublicę affert monarchicū regimen, est quòd in eo omnia meliùs, faciliùs, & securiùs in pace cōseruātur, magis charitas, & amicitia ciuiū fouetur qui est Reipublicę finis, est enim Princeps vnus vinculū amoris, quo separata coniungūtur, scissa conglutinantur, fracta consolidantur. Vnde Tacit. 1. histor. in princip. *Pacis* inquit, *interest omnem potentiam ad vnum conferri.*

15 Secundum, quia hoc regimine faciliùs defenduntur ciues ab iniurijs peruersorum; cum enim isti vnitam virtutem iustitiæ in vno videant, punitionemq; suam ab eo solo pendere sciant, faciliùs abstinent, punitionē timentes, vnde Tacit. 1. annal. parùm à princip. ait. *Non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam vt ab vno regeretur.* & Arist. 5. polit. cap. 10. *vult autem*, inquit *Rex esse custos, vt qui diuitias habent, nihil iniuttum patiantur; nec etiam populus afficiatur contumelijs.*

Tacitus. *Aristot.*

16 Tertium, quia ipsam naturam videmus vnius gubernationi commisisse, quæ gubernio indigere cognouit. Sic in corpore animali posuit vnum cerebrū, à quo sensus ducuntur; vnū cor, à quo omnes corporis motus pendent; vnū caput, à quo cœtera membra diriguntur. Sic in mundo vnum solem, qui præest diei, vnam lunam, quæ præest nocti; vnum primum cælum, vnum primum motorem, à quo reliqui cæli, & motus conseruantur. Apes vnum regē agnoscunt, & grues vnum ducem sequuntur, vnus est dux in gregibus, & in armētis ductor vnus. Vnde Arist. 12. met. in fine ait. *At entia naturalia nolūt malè gubernari; nō est bonū pluralitas principatuū; vnus ergo Princeps.* Et Seneca lib. 1. de clē. c. 19. *natura* inquit, *commenta est Regē, quod & ex alijs animalibus licet cognoscere, & ex apibus &c.*

Aristot. *Seneca.*

17 Quartum, quia hac via facilior est imperij dilatatio; vnus enim habet multos consiliarios expertos, quos consulit, & audit, vt deinde, quæ sibi vtiliora visa fuerint, eligat, & exequatur, quod sit expeditiùs, & secretiùs; vndè Dionys. lib. 52. in orat. Mæcen. ait *Sic demum Respublica rectè geretur, cum neque omnibus consilia de ea inita vulgentur, neq; in apertis ea agitētur.*

Dionys.

18 Quintum, quia hic status nō ita mutationibus, & seditionibus, ac confusionibus est obnoxius natura sua. Vnde historię testātur (vt videri potest apud Coniz. 1. pol. cap. 21 §. 11. Lips. exemp. pol. lib. 2. cap. 1. monit. 6. Bellar. de Ro. Pō. lib. 1. c. 2. versu nūc illud superest) nullas Respub. diutiùs durasse, quam monarchicas. Vnde Iust. mar. in cohorr. ad Gręcos, pag. mihi 17. ait *Monarchia, siue vnius imperiū pacatū esse cōsueuit.*

Conzen. *Lipsius.* *Bellar.* *Iustin.*

19 Sextū, quia monarchia est antiquius regimen omnibus regiminibus, vt probat P. Greg. lib. 5. de Rep. c. 3. n. 4. & n. 14. vbi id probat ex Gen. c. 10. & 11. & dict. nu. 14. & 15. & probat, principatum Mosis fuisse monarchicum. Vnde Tul. 3. de leg. ait. *Omnes antiquas gētes Regibus primū paruisse*, Et 1. Reg. c. 8. dicitur *Cōstitue nobis Regē, vt iudicet nos, sicut, & habēt vniuersæ nationes.*

P. Gregor. *Tullius.*

20 Septimum, quia hac forma vtitur Deus in gubernatione mūdi, vt probat D. Th. 1. p. q. 103. art. 3. & 4. cont. gen. c. 76. & gubernatio Ecclesiæ monarchica est, vt fuse probat Mancler. de Monar. p. 1. lib. 4. cap. 1. tom. 1. Bell. de Ro. Pont. loc. cit. cap. 9. Bzonius in Rom. Pont. cap. 1. Menoch. Inst. pol. lib. 1. cap. 4. num. 4.

D. Thom. *Mancler.* *Bellarm.* *Bzonius.* *Menoch.*

21 Octauū, quia faciliùs, & meliùs, vnus quā multi in naui clauū torquere possunt; & vnius gratia faciliùs acquiritur, quàm multorū; vnus faciliùs, & efficaciùs virtutes præmiat; vni faciliùs est satisfacere, quàm pluribus; & faciliùs est reperire vnum bonum, quàm multos; vnus faciliùs exequitur negotia, quàm plures, vnus perpetuus Monarcha faciliùs necessitates Reipublicæ cognoscit, quàm Gubernatores tēporanei; cumq; ad ipsum solū omnia pertinere cognoscat, non est vnde in socium negotia reijciat, quasi ad ipsū non pertineant, nisi id faciat committendo, & imperando. Monarchæ populus

Arist. Dionys. Isocrat.

pulus non inuidet, nec illum contemnit, cum supra illum sit, quę facilè inter pares accidunt, dat enim stimulos æmula virtus. Vnde Arist. 3. pol. cap. 11. ait. *Ob hoc fortassè Rex ab initio repertus est, quod difficilè erat viros plures excellētes virtute reperiri.* Et Dionysius hist. lib. 44. in princip. ait. *Monarchiæ nomen auditu difficile; penès vnum tamen summam esse Reipublicæ, conducibile omnium maximè est; facilius enim vnus quispiam vir bonus, quàm multi, reperitur; ac si hunc inuenire difficulter quidam existimant, omnino fateri illi coguntur, impossibile esse, vt multi boni inueniantur. Quando virtuosos esse multos consentaneum non est.* Et Isocrat. ad Nicoclem ait. *Tantò monarchiam faciliorem non immeritò indicauerimus, quantò facilius est animum suum vnius viri instituto accommodare, quàm multis, & varijs opinionibus placere conari.*

Victor. Molin. Nauarr.

22 Nonum, quia non est minor libertas in principatu regali, quàm in alijs, ut probant Victor. relect. 3. de potestate ciuium num. 10. corolI. 1. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 23. versu ex tribus speciebus. Nauarr. loco cap. nouit. de iud. notab. 3. num. 167. Tum quia eiusdem naturæ est potestas, qua Reges regunt, & qua liberæ ciuitates se se gubernant, licèt formæ potestatis diuersæ sint. Tum quia in Monarchia subditi vnum tantum habent Regem, & Dominum; in alijs tot habent Reges, & Dominos, quot superiores; vnde cum melius, & facilius sit obedire vni, quam pluribus, sequitur quòd non minor libertas sit in principatu regali, quàm in alijs.

Bellarm. Maucl. Deuter. Ezech. 37.

23 Decimum, quia hoc regimen approbat scriptura sacra, vt multis probant Bellar. loco cit. cap. 2. versu, sed his omissis; Maucl. loc. cit. cap. 3. Deut. enim 17. dicitur. *Eum constitues Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Et Ezechiel. 37. *Faciam eas in gentem vnam in terra in montibus Israel, & Rex vnus erit omnibus imperans.*

Bellar. Maucler. Chrysost. Actor. 17. Iustin.

24 Vndecimū, quia hoc regimen approbarūt S. Patres, quos referunt Bellar. loco cit. in princip. & Maucler. cap. 4. Chrysost. hom. 34. in 1. ad Cor. in medio, ex eo quod Deus *Ex vno fecit omne genus hominū*, vt dicitur Actor. 17. ait, *Noluit itaque esse democratiam, sed regnum.* Iustin. mart. loco cit. approbans illud Homeri.

Nō rectā imperitās multi, sceptrū vnus habeto

ait *Atque equidem ille* (Homerus) *non bonum esse regimen multorū, sed è diuerso malum, vt ipsa ostēdere constitutum habens, eam ob causam bellū illorū propter multitudinē, & prælia, & factiones, & mutuas insidias, passim commemorat, nam monarchiam, siue vnius imperium pacatum esse consueuit.*

Plato. Arist.

25 Duodecimū, quia hoc regimē approbarūt etiā Philosophorū principes, quos refert Maucl. loc. cit. c. 5. Plato lib. de regno vltra med. *Vnius* inquit *dominatio bonis instructa legibus, illarum omnium optima est. Gubernationē verò eā, in qua nō multi imperāt, mediā censere debemus; ceterum multorum administrationē omnibus in rebus debilē, atq; infirmā* Arist. 8. eth. c. 10. post enumeratas ciuiliū potestatū formas, *harum*, ait, *optimū regnū, pessima est censi potentia*, idest democratia, seu politia & 5. pol. c. 10. fin. ait. *Regnum ab his, quæ extra sunt, minimè corrumpitur, quapropter diuturnius est.* Et 4. pol. cap. 2. vocat gubernationem regiā diuinissimam, & illius transgressionem deterrimam. Plutarcus opus de vn. in Repub. dom. *Si mihi* ait, *detur optio, nullam profectò Reipublicæ formam diligerem, quam monarchiæ, Platonis fidem secutus, ea enim sola, & sustinetur virtute, & vtilitas Reipublicæ, neque necessitati, neque gratiæ causa inflectitur, cum reliquæ id habeant, vt is, qui imperat, sub imperio, & potestate sit, & qui gerit eas, ipse geritur; feruntque quod non habet vim solidam, & stabilem, qualis est in monarchia, sed sæpe cogitur AEschyleum illud exclamare, quo vsus est Demetrius Poliorcetes amisso imperio. Tu me creasti, tu fers exitium mihi.* Isocrate in Nicocle *Monarchia*, ait, *principē locum præstātissimi quiq; deferunt.* Et Eurip. in Androm. act. 2. ait.

Plutarcus Isocrat. Euripid.

Nunquā geminū laudauero mortaliū cubilia,
Neque enim in ciuitatibus gemina dominia;
Lenius, & commodius vno ferri solent;
Vnius potentia vales.

Plutar.

26 Hæc itaque, & alia plura commoda, quæ sponte omisi, videnda apud citatos DD. in se continet Monarchicus status. Sed cū facillimè declinet à recto Monarchus, & tyrannus fiat. *Homine enim elato secundis rebus nihil est contumacius*, vt Plutarchus ait in Vit. Lucul. *Sicut è contra nihil patientius imperio rebus aduersis deiecto.* Et longiora, & diuturniora imperia, qualia sunt monarchorum, multos, attollant, & ad res nouandas impellant, sceleraque, principantes si nesciant, doceant regna, ideo multa etiam grauamina, & incommoda affert Monarchicum regimen, cum à recto declinat.

Arist. D. Thom. Dionys. Iauell. AEgid. Maucler. Azor. Contzen. Rangol. Veston. P. Greg.

27 Dico secundò, multa etiam damna affert secum principatus monarchicus, de quibus Arist. 5. pol. cap. 10. & 11. D. Thoma de regim. Princ. lib. 1. cap. 3. Dionys. lib. 52. hist. in or. Agrip. Iauel. 5. pol. tract. 4. cap. 1. AEgid. p. 2. de regim. lib. 3. c. 7. Mauel. p. 1. de Monar. lib. 4. cap. 7. to. 1. Azor p. 2. lib. 11. cap. 1. q. 2. Contzen lib. 1. pol. cap. 16 §. 6. Rangol. in 1. Reg. cap. 10. versu 25. Veston. lib. 4. cap. 11. P. Greg. lib. 5. de Rep. cap. 3. à num. 1.

Arist. Iauell. Contzen. Veston.

28 Notandum, quòd tyrannorum variæ sunt species, vt docet Arist. 4. pol cap. 10. Vbi Iaucl. tract. 1. cap. 3. Contz. loc. cit. §. 2 Veston. loc. cit. Ego duas species constituo. Prima est eorū, qui regium imperiū seditionibus, & fraudibus obtinuerūt, siue id fuerit, quia ad maximū dignitatis culmen à legitimis Regibus, & Potestatibus euecti, iā Principibus ipsis similes, & pares effecti, Luciferi imitatione, eos de solio eiecerint, sibiq; occupauerint, siue quia à suis Rebuspublicis, & Vniuersitatibus in exercituū Ductores, & ciuitatū Rectores electi, seu à populo decepto, eas dignitates, non tamquā ministri, sed tamquā Domini administrauerint, & iugo ministrationis excusso, retorto in electores gladio, eos coegerint telis proprijs facta vulnera pati. Secūda tyrannorū species est eorū, qui legitimè sumptū imperiū, legitimeq; principio administratū, germinātibus deinde, vt solet cōmuniter, ambitione, auaritia, libidine, abutēdo potestate, tyrannicè regūt. Et licet tyranni omnes barbarè imperium exercere dicantur; aliqui tamen barbaricè speciali nomine, seu, quod idem est, despoticè imperant, vnde tale imperium despoticum dicitur. Et est, quando Princeps vult esse absolutè dominus proprie-

tarius, non solùm rerum, & facultatum subditorum, quò ad substantias, vsus, & vsusfructus earum, sed etiam corporum, & vitarum eorumdem, ita vt subditi sint puta mancipia; At hoc regimen inter Christianos numquam fuit introductum, sed eo solùm reguntur Turcæ, & Moscouitæ. De isto dominio tractant

Contzen. Veston. Daniel.

Contzen 1. pol. cap. 21. Veston. lib. 4. cap. 9. Illudque describuntur Daniel 5. vbi loquens Daniel de Nabuchodonosore Rege ait quod *Vniuersi populi, tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum, quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat.*

29 Primum igitur damnum, quod ex monarchia iniusta prouenit, est, quod talis monarchus, seu potius tyrannus bona omnia subditorum per varias artes, vel mutuò numquam redditurus, vel per inuentas calumnias sibi rapit, etiam si opus fuerit, ad hoc iodem natos interimendo occultè, vel manifestè.

Prouer. 29.

Vndè sapiens Prouerb. 29. dicebat. *Rex iustus erigit terram, vir auarus destruit eam.* Quasi dicat. Rex bonus, qui, post positis proprijs commodis, ad bonum commune semper spectat, Rempublicam olim iacentem erigere, atque excitare solet. Tyrannus verò qui nec nomen Regis meretur, ad solam suam commoditatem prospiciens, & omnia auarè, etiam Deo dicata, in proprium vsum conuertens, vt suam ingluuiem quoquo modo satiet, Rempublicam quamlibet etiam felicissimam, & fortunatissimam ocyus subuertit, ac destruit; nihil enim aliud meditatur, nihilque agit, quàm quòd possit in vtilitatem propriam conuertis; ideo nō parcit populo, vitę, aut facultatibus, aut honori eius, tondet ad viuū immo verò excoriat, premit, necat gregem donec sibi satis sit, satis verò illud accedit numquam.

30 Secundum, aliorum vxoribus, & fęminis pro suo libito vtitur (sparsa in populo fœda illa philosophia, princeps non facit cornua, seu infamiæ maculam non inurit; vnde etiam quamplurimæ fœmellæ, & homunculi, alioquin honesti, à tali arietari ariete, gloriari non erubescunt) etiam, vim afferendo, & maritos, seu alios consanguineos nimium lyn-

Arist.

ceos occidendo. Hinc Arist. 5. pol. cap. 10. ait, quòd *plurimæ inuasiones factæ sunt ex eo, quia in corpus, verecundiam insalissent.* Vnde & cap 11 versùs finem Regibus consulit. *Ab omni contumelia abstinendum, præcipuè tamen à duabus, ne in corpus flagris, neue in ætatem libidine insultam agat; maximèque id cauendum in illis hominibus, qui honorem magni faciunt.*

31 Tertium, optimos quousque persequitur, odit, & expellit, quippe qui putat, ab illis se odio haberi, & eorum excellentiam suæ iniquæ dominationi esse præiudicialem, deterrimos omnes fouet, amat, exaltat, quippe qui similes ei sunt, ab illisq; se amari autumat. Vnde

D. Thom. Aristot.

D. Thom. loco cit. ait quod, *Tyrannis magis boni, quàm mali suspecti sunt, semperquè his aliena virtus formidolosa est*, & Arist. 5. pol. cap. 11. *qui autem*, ait, *subditorum vel honestati student, vel libertati, minuere excellentiam, & præeminentiam tyranni videntur: oderunt ergo illos tyranni tamquam euersores potestatis suæ*, & Plin. in Paneg.

Plinius.

ad Traian. ait, *vitijs potiùs ciuium, quàm virtutibus se tuebantur.*

Aristot.

32 Quartum, proprium tyranni est, ait Arist. 5. polit. cap. 10. *arma ciuibus suis adimere, ac multitudinem populi conculcare, ac ex vrbe pellere, & vacuam habitatoribus ciuitatem reddere, nobilitatem vexare, clam euertere, & palam, & in exilium pellere tamquam aduersarios, & machinatores contra potentiam suam. Vnde Periandri consilium Thrasibulo datum, supereminentes spicas decerpere, tamquam opportunum fuerit, eminentiores ciuium de medio tollere:* & cap. 11. ait, *tria conniectat tyrannus. Vnum vt animos imminuat ciuium, neque enim parui animi contra tyrannum insurgunt. Secundum, vt ciues inter se diffidentes reddat; non euertitur enim tyrannus, nisi ciuium aliqui inter se fidem habeant. Tertium, eos depauperare satagit, atque sic impotentes reddere; nemo enim sibi impossibilia aggreditur.*

33 Quintum, cum nulli ferè beneficus sit Rex iniquus, propè verò infinitis maleficus, semper timet, semper pauet, cum enim timeri studeat, timere etiam debet, iuxta illud Claud. in Paneg. 4. consul. Honor.

Claudian.

Qui terret, plus ipse timet, sors ista tyrannis
Conuenit, Inuideant claris, fortesq; trucident,
Muniti gladijs viuant, septique venenis.
Ancipites habeant arces, trepidiq; minentur.

Quare infinitos propè exploratores habet, externos milites alit, quibus sui custodiam committit, vt tradit Arist. 5. pol. cap. 10. In quibus multum pecuniæ insumit, quam intolerabili vectigalium onere à populo extorquet.

Arist.

34 Sextum, leges non seruat diuinas, neque humanas, minùsque municipales, sed habet pro lege voluntatem, & vtilitatem propriam. Quòd si quandoq; eas obseruare videatur, vel id est, quia in proprium cedit commodum, vel simulat, machinans malum grandius, Vnde Arist. 5. pol. cap. 10. versùs finem ait, quòd corrumpitur monarchia, si Monarchi *tyrannicè gubernare pergant, volentes esse domini plurium, & contra legem* & Plato lib. 16. de reg. cum monarchiam astrictam legibus approbasset, subdit. *Legem expers dura est, & subiectis omnium onerosissima.*

Aristot. Plato.

35 Septimum, quia regimen monarchicum, cum ad iniustitiam declinat, pessimum fit omnium regiminum, Tum quia corruptio optimi pessima est. Tum quia sicut virtus vnita ad bonum, virtuosiorem producit effectum, ita vnita ad malum, vitiosiorem. Tum quia est efficacissimum ad nocendum. Ita ex Arist. 8. ethic. c. 10. & D. Thom. de regim. lib. 1. cap. 3.

Arist. D. Thom.

36 Octauū, hoc regimen monarchicū ob dictā facilitatē tyrānidis abhorrere videtur Scriptura diuina 1. Reg. 8. ver. 5. vbi Israelitæ petierūt Regē à Samuele, dicētes, *constitue nobis Regē, vt iudicet nos.* Qui sermo cū Prophetę displicuisset, orauit Dominū, qui respōdit. *Nō te abiecerūt sed me, ne regnē super eos.* Vnde clare patet, quòd displicuit valde Deo illa petitio Regis, et quòd in ea Israelitæ peccauerint. Ad quem locū vide Rangol. Mauel. de Monarch. 1. p. lib. 4. c. 7. nu. 1. tom. 1. Contzen. 1. pol. cap. 22. num. 3. & ad alienandum populū à petitione Regis describitur ibi ius Regis, dicendo, *hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis, Filios vestros tollet, &c.* & c. 12. dicitur,

Rangol. Mauclerc. Contzen.

dicitur, scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem.

Cicero. D.Thom. Arist.

37 Nono, Regis nomen exosum Romanis fuit, vt ait Cicero 3. de legibus & D.Tho. lib. 1. de regim. cap. 4. & Arist. Monarchias abhorruisse constat ex 3. pol. cap. 11. *Si ergo plurium gubernatio bonorum, aut virorum omnium, optimatum dicitur, vnius autem regnum, optabilius esset ciuitatibus ab optimis gubernari, quam à Rege*, & Thom. Mor. vir egregius ex gente Anglica, vt Refert Rangol. In 1. Reg. cap. 8. vers. 14. regnum abhorruisse visus est, cum in epigramma cecinit.

Rangol.

Regibus è multis, regnum cui sufficit vnum;
Vix Rex vnus erit; Si tamen vnus erit.
Regibus e multis regnū bene qui gerat vnum,
Vix tamen vnus erit, si tamen vnus erit.

Arist. Iauell.

38 Dico tertiò, monarchia varijs dissoluitur modis, de quibus Arist. 5. pol. cap. 10. Vbi Iauell. tract. 4. cap. 2. & 4.

Primus est, propter contumeliam, quando scilicet monarchus iniurijs afficit populum, vel aliquos ex populo, vel in honore, vel in rebus, vel in vita; tunc enim non iniuriati solùm, sed amici, & consanguinei contra Monarchum, & monarchiam insurgunt, vt ipsum, & monarchiam deijciant, & destruant.

39 Secundus est, propter contemptum actiuum, vel passiuum; cum enim nullus adeo vilis sit, vt non reputet se aliquid esse, si se contemni videat, curat pro posse contemptorem destruere. Et cum monarchus propter ignauiam non æstimatur, periculum est, vt de monarchia deijciatur.

40 Tertius, propter metum, quem quis habet, ne propter perpetrata delicta puniatur, tunc enim congregat sibi multos fauentes, vt pœnas euadat. Hæc generaliter omnium regiminum destructiua sunt, monarchiæ præsertim, & destruunt ab intrinseco. Sed ab extrinseco destrui potest monarchia, si aliter præpotens monarcha illi bellum inferat, vt ait Arist. 5. pol. cap. 7.

Arist.

41 Dico quartò, regna conseruantur, si fiant contraria eorum, propter quæ diximus ea dissolui, vt dicit Arist. 5. pol. cap 11. si nimirum Rex expertus, & sapiens sit, nec vllum contemnat, vel afficiat iniuria, atque ita se gerat, vt magis ametur, quàm timeatur, salua tamen semper legum obseruantia, & in particulari si Rex auctoritatem suam moderetur, & alijs partem eius communicet, vt Arist. ait loc. cit. & D. Thom. 1. 2. quæst. 105. art. 1. corp. Et probatur ex Aristot. Quia tunc qui regunt, minùs superbiunt, magisque moderati sunt, & illi, qui reguntur, minùs eis inuident. In ista verò regiminis communicatione ante omnia monarchis notandum optimum Arist. præceptum, quod tradit loco cit. dicens. *Communis verò custodia omnis dominationis vnus est, neminem vnum præ cæteris magnum facere, sed plures, nam se inuicem custodient: quod si quem extollere oporteat, non tamen eum, qui sit moribus audax, nam huiusmodi homines aptissimè sunt ad inuadendum circa res omnes; si verò cuiusquam potentia minuenda est, modicè, ac non vno simul impetu omnis potestas est auferenda.*

§. Secundus, Quid, & quotuplex sit Aristocratia, & de eius vtilitatibus, & damnis, & quomodo dissoluatur, & conseruetur.

Aristot. D. Thoma. Azor. Rangol. Iauell. Molina. Contzen. Velsen. Marq. Io: S.M. Patricius. P.Gregor.

42 IDEATVR Arist. 3. pol. c. 5. 4. pol. 5. c. 5. et 7 & 5. pol. c. 8. 3. & 7. D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 4. corp. & q. 105. art. 1. corp. Ægid. de regim. p. 2. lib. 3. cap. 4. Azor p. 2. lib. 11. cap. 1. quæst. 2. vers. his positis. Rangol. in 1. Reg. cap. 8. vers. 9. & cap. 10. vers. 25. Iauell. 4. pol. tract. 2. cap. 2. versus fin. & 5. pol. tract. 3. per tot. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 23. vers. similiter in Aristocratia. Contz. 1. pol. c. 17 & 18. Vellô. In thea. vit. ciu. lib. 4. c. 1. n. 18. Marquez in gub. Christ. lib. 1. cap. 21. Ioan: à S. M. in pol. Christ. cap. 1. Patritius de Rep. lib. 1. tit. 1. P. Greg. lib. 5. de Repub. cap. 3. à num. 7.

Arist.

43 Noto primò, quòd Aristocratia est optimorum simpliciter non secundùm quid, regimen, secundum virtutem principantium, & vtilitatem tantummodò parentium spectantium. Ita Arist. 4. pol. cap. 7. D. Thom. loco cit. & alij omnes vno ore Philosophi morales. Dicitur, optimatum, vel ex eo quòd optimi præsunt, vel ex eo quòd talis politia ordinatur ad optimum, & commune bonum omnium ciuium, vt Arist. 3. pol. cap. 5. Dicitur, simpliciter, & non secundùm quid; quia bonitas, quæ requiritur in optimatibus, Rempublicam Aristocraticam gubernantibus, debet esse realis, & vera, nō ficta, non apparēs, solido virtutis fundamēto innixa, nō aereo inanis hypocrisis fulcro inhærens, & est signum, quod vera virtute polleant, si æquitate, clemētia, comitate, æqualitate, liberalitate erga ciues vtantur; si concordibus sententijs bonum publicum spectent, proprias passiones non sequantur; & ab his non dedignatur cæterorum multitudo regi. Sed difficile, inquies, est tales optimos reperiri. Fateor, attenta ambitione, & potentia multorum prætendentium, & corruptione eligentium. Sint itaq; illi, qui aliorum comparatione minùs mali sunt, aut in quibus plura, quàm in plebe, virtutis argumenta, reperiuntur, quales sunt nobiles, & diuites, nobiles enim & meliores & honorabiliores censentur; vndè Arist. 3. pol. c. 8. *Nobilitas*, ait, *apud omnes in honore habetur. Insuper consentaneum est, ex melioribus ortos esse meliores; est enim generis virtus nobilitas.* Itē nobiles cōmuniter loquendo, generosiores sunt, magnificētiores, vrbaniores, discretiores, vtpotè qui vltra nobiliorē ortū, diligētiùs, & splēdidiùs fuerūt educati. Diuites similiter sūt animosiores ad arcēdos hostes, et acriores ad defendēdū patriā, vtpotè qui in publico periculo plus quā cæteri perdere possunt, & cū nō indigeant, vix corrūpi possunt denarijs. Et vtriq; pro patria, & personas, & bona periculo exponūt alacriùs; Patria namq; oppressa, vel excisa, alibi tā honorati & diuites esse nō possūt; Nobiles itaq; & diuites sūt optimi, qui requirūtur ad Aristocraticā benè regēdā. Sed lōgè absit quòd inde colligas, nobiles nō diuites, vel etiā pauperes, virtuosè tamē, & nobiliter viuētes à d. regiminè excludēdos: Virtus enim diuitiarū

supplet abundanter defectum. Vndè melius est nobiles, virtuosos, licet pauperes, ad tale regimen admittere, quam nobiles diuites, sed vitiosos, seu minùs virtuosos. Isti enim suis vitijs, & malis exemplis Rempub. perdunt, destruunt, destruunt, illi suis virtutibus, & bonis exemplis eam erigunt, ampliant conseruant.

44 Noto secundo, quod quatuor sunt Aristocratiæ species, primò in qua eliguntur viri optimi simpliciter, secundò in qua eliguntur viri virtuosi, sed diuites, tertiò in qua eliguntur viri virtuosi, & diuites, sed qui sint de populo, quartò in qua absque respectu ad diuitias, eliguntur solùm virtuosi, qui sunt de populo. Hæ species autem rectæ sunt, si rectè administrentur, & administrantur rectè, quando optimates bonum commune respiciunt, si autem, bono communi spreto, particulare sequantur, iam aristocratia desinit essentialis, & fit oligarchia; de qua quatuor species constituit Arist. 4. pol. cap. 5. Contzen 1. pol. cap. 18. §. 3. varias Aristocratiæ species, & modos vide apud Aristotelem loco cit. cap. 7. Iauell. ibi, tract. 1. cap. 3. Molina tom. 2. de iust. tractat. 2. disp. 23. versu similiter. Patritius de Repub. lib. 1. tit. 4.

Aristot. *Contzen.* *Iauell.* *Molin.* *Patritius.*

45 Dico primò, varia sunt commoda, quæ affert aristocraticum regimen, de quibus Arist. 3 polit. cap. 7. vbi Iauell. tract. 3. cap. 2. Azor par. 2. lib. 11. cap. 5. quæst. 8. versu his positis. Rangol. in 1. Reg. cap. 10. vers. 25. Contzen. 1. polit. cap. 28. Patritius loco cit. tit. 1.

Aristot. *Iauell.* *Azor.* *Rangol.*

46 Primum igitur commodum, quod affert Reipublicæ Aristocratia, est, quia impossibile est, ciuitatem à probis, & optimis gubernari, & non rectè, non enim potest arbor bona malos fructus facere.

47 Secundum, quia Aristocratia est medium regimen inter monarchicum, & democraticum, at in medio consistit virtus, & medium tenuere beati. Cum enim sint plures vno, non possunt esse tyranni; & cum sint pauci, vitant multitudinis confusionem.

48 Tertium, quia in hoc statu distribuuntur principatus maiores, vel minores secundùm maiores, vel minores virtutes; Vnde ciuium animi ad virtutem accenduntur, cum per eam solam videant ingressum ad honores patere.

49 Quartum, quia prudentia maior inest in optimatum gubernio; vt enim viri probi sunt, maiori pollent prudentia; plus enim vident oculi, quàm oculus, & plures manus plus possunt, quàm vna, & plures intellectus superant vnum in cognoscendo, & cuncti cuncta discernunt, vt ait Arist. 3. polit. cap. 7.

50 Quintum, quia plures difficiliùs corrumpuntur, & incorruptiùs iudicant, vt Arist. 3. pol. cit. & cap. 11. ait, quòd *plures, quam pauci, incorrupti biliores sunt*. Licèt enim vt singuli possint esse vitiosi, vt omnes tamen difficillimum est esse tales.

51 Sextum, quia optimates astringuntur legibus, vt docet D. Thom. 4. de regim. cap. 1. vnde non possunt vltra eas procedere in prosecutione iustitiæ. Similiter, si ipsi delinquant, ad pœnas legum tenentur.

52 Septimum, quia in hoc regimine fruuntur libertate, & æqualitate ciues, quibus nihil dulcius, & amabilius humanæ naturæ. Vnde illud *non bene pro toto libertas venditur auro*. Et pro ea conseruanda, & amissa recuperanda, mortem non esse fugiendam, docuit Tullius Philipp. X. dicens *Ita præclara est libertatis recuperatio, vt ne mors quidem sit in libertate repetenda fugienda*. Et fuudit, quòd tanti æstimat libertatem, quod fugeret immortalitatem, si hæc deberet esse cum seruitute coniuncta. *Quod si immortalitas*, inquit, *consequeretur præsentis periculi fugam, tamen eo magis ea fugienda videretur, quo diuturnior seruitus esset*. Et paulò ante dixerat. *Sed vt concedam incertos exitus esse belli, martemque communem, tamen pro libertate vitæ periculo decernendum est*. Et Aristot. 2. pol. cap. 2. *qua propter*, ait, *æqualitas, & reciproca vicissitudo seruat ciuitates, in liberis enim, & æqualibus necesse est eam esse*.

Tullius. *Arist.*

53 Octauum, quia optimates etiamsi bonum proprium quærant cum tamen multi sint, bonum ab ipsis quæsitum erit quasi bonum commune; vnde sequitur, quòd difficiliùs huiusmodi regimen à recto deflectat.

54 Nonum, quia natura dictat, supremũ regimẽ tribuendũ esse magis benemeritis, sed isti sunt vel virtuosiores, vel sapientiores, vel nobiliores qui omnes sunt optimi ciuitatum. Ergo his natura dictat regimen esse tribuendum.

55 Decimum, quia necessarium omnino videtur hoc regimen, imperet vel Monarchus, vel populus, cum ille per se non sufficiat omnia facere. Vnde Exodi 18. dixit Ietro Mosi: *Stulto labore consumeris, & vltra vires tuas est negotium, solus illud poteris sustinere*. Et Suetonius in Tiberium cap. 25. introducit crudelem illum Imperatorem deposcentem à senatu exonerari aliquibus Reipublicæ partibus *Quando vniuersæ sufficere solus nemo posset, nisi cum altero, vel etiam cum pluribus*. Populus autem præ multitudine, quæ confusionem parit, non potest & æqualitas, quam in hoc regimine prætendunt ciues, est conseruationi contraria; non enim omnes sunt optimi, & apti ad regimen. Et libertas, quæ semper populo grata fuit, est virtuti contraria, & in detrimẽtum vergit bonorum, & libertatis est destructiua, inductiuaq; tyrannidis. Vnde Plato lib. 36. epist. 8. ait. *Qui verò omnibus viuendi præferunt libertatem iugum verò seruile fugiunt tamquam malum, ij caueant monet, ne insatiabili importuna libertatis auiditate in maiorum suorum incidant morbum, quem quidem illi propterea passi sunt, quòd nulli parere volentes, libertatis amore intemperanter abusi sunt*. Quare necessariò sequitur, quòd Aristocraticum regimen optimum sit omnium, vtpotè magis liberum à dictis incommodis.

Suetonius. *Plato.*

56 Vndecimum, quia cum tria requirat Arist. 5. polit. cap. 8. ad rectè principandum, primò quòd principantes ament præsentem ciuitatis statum, secundò quòd habeant potentiam ad ea exequenda, quæ Magistratus requirit, tertiò vt habeant virtutem, & iustitiam ad Rempublicam regendam necessaria. Hæc omnia meliùs reperiuntur in Aristocratia, quàm in vllo alio. Quis enim non amet dominari? Et quæ potentia deesse potest optimatibus, qui vltra eam, quam habent ratione dominij, habent etiam propriam; vel si per potentiam auctoritatem

Arist.

tatem intelligas, his potentia deesse nō potest, cum facultatem habeant leges condendi, & cō ditas tollendi, aut moderandi, & cum sint optimi, ijs equidem non deerit virtus, nequ iustitia.

57 Duodecimum, Quia hoc regimen approbauit Deus, vt constat ex lib. Iud. cap. 1. vbi consulentibus filijs Israel Dominum, & dicentibus. *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, dixit Dominus, Iudas ascendet.* Vbi per Iudam non est intelligenda aliqua peculiaris persona hoc nomine vocata, sed est intelligenda tribus Iuda, vt ex Abulensi, Lyrano, *Magalia.* & Augustino probat Magalian. ad dictum locum, num. 2. Vnde constat Regnum Israel datum esse à Deo regendum per tribum Iuda, tamquam per optimates. Adde, grauiter peccasse dictum populum; quando contra prædictam formam voluit per Regem gubernari, vt constat ex 1. Regum 8. & dixi § præced. nu. 36. quod peccatum confessus est claré populus cap. 12. vers. 19. cum dixit *addidimus peccatis nostris malum vt peteremus Regem.*

58 Decimumtertium, hoc regimen etiam *August.* approbarunt Patres. Aug. de vtil. cred. cap. 12. *Non possunt,* ait, *stulti beatius viuere, quàm si seruiant sapientibus.* Stulti vulgus, sapien- *Dionisius* tes optimates sunt. Dion. Carthus. in 1. *Carthus.* Reg. cap. 8. explicans versum illum, Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quòd dixissent, Da nobis Regem, vt iudicet nos, ait, *displicuit, sermo, non ex ambitione, sed æquitate ad bonum commune, quia sciebat populo potius expedire, quod regeretur per Iudices* Et Ioseph. lib. 14. antiq. cap. 5 *aiebant,* inquit, *se nolle esse sub Regibus, quod patrium institutum haberent, vt soli Dei parerent sacerdotibus.*

59 Decimumquartum, Quia id etiam docue- *Aristot.* runt viri doctissimi. Aristot. quidem meo videri hoc regimen approbauit. 3. polit. cap. 7. vbi inter cætera habet; *Verùm bonos, & æquos dominari oportet, auctoritatemque habere omnium* Et cap. 11. ait, *stabilius esse ciuitatibus ab optimis gubernari, quàm à rege.* Talis etiam fuit Periandri opinio, vt *Plutarch.* refert Plutar. in conuiu. &, vt Pausan. re- *Pausania.* fert in attic. pag. mihi 51. talo etiam fuit responsum datum ab oraculo Delphico Aelymnio Migarensi, qui cum Delphos quandoq; venisset, ac oraculum consuluisset, qui fieri posset, vt patria secundis rebus vteretur; accepit responsum, bene euenturum, si plurium consilio ciuitas vsa fuisset. Et Thom. Moran. *Rangol.* in carm. vt refert Rangol. in 1. Regum cap. 8. vers. 9. in laudem Aristoc. Ita cecinit,

Quæris, vter melius; Rex ne imperet, anne
senatus.
Neuter (quod sæpe est) si sit vterque
malus.
Si sit vterq; bonus, numero præstare senatum;
Inque bonis multis plus reor esse boni.
Difficile est numerum forsan reperire bo-
norum;
Sis facile est vnum sæpius esse malum.
Et fuerit medius sæpe inter vtrumque se-
natus.
Sed sibi vix vmquam Rex mediocris erit.
Consilioque malus regitur meliore senatus;
Rex consultores sed regit ipse suos.
Alter vt eligitur populo, sic nascitur alter.
Sors hic cæca regit, certum ibi consilium.
Illeq; se factum populo, populum sibi factum
Scilicet hic, vt sint, quos regat esse, putat,
Rex est in prima semper blandissimus anno,
Omni anno consul Rex erit ergo nouus.
Rex cupidus longo populo corroserit æuo.
Si consul malus est, spes melioris adest.
Nec me nota monet, quæ passam fabula mu-
scam
Ferre iubet, subeat ne malè pransa locum.
Fallitur, expleri Regem qui credit auarum,
Numquam hæc non vacuam mittet hirundo
cutem.
Ac Patrum consulta graui dissensio turbat;
Regi dissentit nemo, malum hoc grauius.

60 Dico secundo, multa etiam mala affert secum Aristocraticum regimen, de quibus Aristot. 5. pol. cap. 2. 3. & 10. Iauell. 5. pol. *Arist.* tract. 2. cap. 3. & tract. 4. cap. 1. & tract. 1. *Iauell.* cap. 2. Marquez lib. 2. guber. Christ. cap. 21. *Marquez.* P. Greg. de Repub. lib. 5. cap. 3. à num. 7. Con- *P. Greg.* tzen 1. pol. cap. 21. à §. 12. Io: de S. M. in sua *Contzen.* pol. cap. 1. *Io: à S. M.*

61 Prima itaque malitia, quæ in optimatum regimine reperitur est defectus iustitiæ; optimates enim, cum sint eiusdem conditionis, sibi iustitiam non ministrant, quando, & sicut oportet; lupus enim, vt aiunt, de lupo non comedit. Vnde delictis fimbrias laxant, & habenas; suntq; dilectuti populorum contemptores, superbi admodùm, & arrogantes, Regesq; omnes, quorum propositum est impune peccare, se æstimant, plebi verò eam secundùm totum rigorem ministrant, si delinquat, & pro hac solùm leges, esse ipsos tamquā Dominos exēptos putant. Vndè diceret Arist. 4. pol. cap. 4. fine *Arist.* ibi, Rempublicam non esse, *Vbi enim lex non præualet, non est Republica; nam lex dominari omnibus debet.*

62 Secunda quia semper maior pars, quæ deterior est, vincit minorē, quæ est melior; cum enim maior semper sit numerus vitiosorum, quàm virtuosorum, ille hunc facilè vincit, cum vbiq; maior pars præualeat, vt ait Arist. 4. *Aristot.* polit. cap. 4. in principio. Et in hoc regimine vix potest seruari secretum, quod est anima resolutionum.

63 Tertia, quia omnia emolumēta honoris, & vtilis, quæ ex cōmunitate proueniūt, sibi, tamquam de iustitia debita (ad illud, post te, tuos; post hos, si quid superest, reliquos adiuua) attribuunt; dictamq; communitatem in propriū commodum, & vtile cum cæterorum ciuium detrimento auidè premunt. Quod est contra præceptum Arist. 5. polit. cap. 8. vbi dicit. *Aristot.* *In paucorum gubernatione cura est pauperum suscipienda diligenter, & officia, quibus sunt salaria constituta, ipsis tradenda; & si quis diuitum eos contumelia affecerit, maior pœna est constituenda, quàm si ipsi inter se idem fecissent.*

64 Quarta, plebem pessundant, & calcant, eamque sibi seruire, quasi proprijs Dominis, cogunt optimates; vndè eam depauperare, & humiliter iacere satagunt, contemnunt, iniurijs affiiciunt, non solùm per contumeliam, sed etiam per rerum ablationem, vt loquitur Arist. 5. polit. cap. 10. Et aduerte, quòd res *Aristot.*

etiam conquerendi locus; alioqui, & verbis, & verberibus vapulat misera plebs: filios enim se cæli, filios terræ populares putant; idque præsertim faciunt optimatum filij, & nepotes, qui otio, & delitijs solummodò intendentes, vt dicit Arist. 5. polit. cap. 9. hæc, & peiora sibi licere existimant. *Magnam enim*, vt ait Arist. loco cit. cap. 7. *habet nobilitas licentiam faciendi quælibet, & cui vult gratificandi, quæ causa fuit vt Locrorum ciuitas interiret.*

65 Quinta, cum plebem sibi infensam putent (quos enim læsimus odio habemus, nec vmquam parcit læsor) eam oderunt; ex quo prouenit, quòd non rectè, non paternè eam tractent in victualibus, de quibus ferè semper caritatem habet, vel ita caro pretio venduntur, vt pauperes vix possint ea comparare.

66 Sexta, cùm plebi non fidant, coguntur conductitios multos habere milites, qui eos custodiant, in quibus alendis cum multæ requirantur pecuniæ, plebem expilant, arma ciuibus adimunt, ac multitudinem populi conculcant, vt ait Arist. 5. polit. cap. 10.

67 Septima, quia in hoc regimine vix potest dilatari, & augeri Reipublicæ status; tum propter gubernantium diuersa consilia; tum propter populum, qui, vt non particeps gloriæ, ita nec vult laborum: Addendum, quòd licèt in hoc regimine videantur imperare multi, vnus tamen, vel aliqui potentiores id faciunt, cæteri autem, tamquam vmbræ, eum, vel eos

Liuius. sequuntur. Vndè Liu. lib. 30. dicebat, *sub vmbra Scipionis Vrbem terrarum dominam latere, nutus eius pro decretis patrum, pro populi iussis esse.*

Aristot. Quod etiam dicit Arist. 5. polit. cap. 5.

68 Octaua, quia hoc regimen abhorrere videtur Scriptura sacra, cum dicit Ierem. 12. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* Quem

Molina. locum ad id adducunt Molina tom. 1. de iust.

Victoria. tract. 2. disp. 23. vers. ex tribus Victor. relect. de pot. ciu. num. 10. coroll. 1.

69 Nona, quia de hoc regimine malè sen-

Plato. serunt viri grauissimi. Plato dialog. 8. de Repub. lib. scilicet 32. in princip. *paucorum*, ait, *potentia plurimis plena est malis. Optimatum verò*

Aristot. *gubernatio paucorum quodam modo est*, vt ait. Ar. 5. polit. cap. 7. qui ibidem ait, quòd minùs tutum est regimen aristocraticum, quam democraticum; & paulò inferiùs ait. *Optimatum species ad paucorum potentiam declinant*; quæ est cor-

Plutarcus ruptum regimen, vt ait Plutarcus opusc. de vn.

Lucanus. in Repub. dom. Et de Aristocratia cecinit post Ennium Lucanus.

Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit: nec gentibus vllis
Credite, nec longè factorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

70 Dico tertiò, multæ sunt causæ, propter quas optimatum regimen dissoluitur, de qui-

Aristot. bus Arist. 5. polit. cap. 7. Vbi Iauell. tract. 2,

Iauell. cap. 3. Inter quas, vltra ea, quæ diximus §. præced. num. 38. generaliter omnium esse destructiua, sunt hæc præcipuæ.

71 Prima, quando aliqui non honorantur, qui nihilo sunt inferiores illis qui honores accipiunt, vt si inæqualiter inter optimates ipsos distribuantur honores, sed ij plus possint in Republica qui plus habent diuitiarum non virtutum; ita vt nobiles, ac pariter virtuosi sed pauperes, ex eo solum quod pauperes, excludantur à magistratibus. Vnde Arist. loc. cit. ait, *in optimatibus autem seditiones fiunt interdum quidem ex eo, quod pauci sunt honorum participes.*

72 Secunda, est defectus iustitiæ; sicut enim iustitia conseruat mutuam communicationem inter ciues, firmat, & saluat Rempublicam, ita oppositum eam destruit, & dissoluit. Vndè Arist. loco cit. ait, *dissoluuntur autem maximè, & Respublicæ, & optimatum gubernationes propter transgressionem iustitiæ in ipsis factam.*

73 Tertia. Quando aliqui ex ipsis optimatibus omnia gubernare, cæterosq; ab ipsis pendere contendunt, nec vllos magistratus, nisi per ipsos alicui demandari sinunt. Vndè Aristot. loco cit. ait. *Insuper si quis magnus, & potens, etiam maior fieri, ac solus dominari velit.*

74 Dico quartò. Multa sunt media, quibus aristocraticum regimen conseruatur, de qui-

bus Arist. 5. pol. præsertim cap. 8. Vbi Ia- *Arist.*

uell. tract. 3. per totum. Contzen 2. pol. cap. 17. *Iauell.*

§. 4. Sunt autem, simpliciter loquendo contra- *Contzen.*

ria eorum, propter quæ diximus illud dissolui,

vt ait Arist. 5. pol. cap. 11. & cap. 8. ait. *Illud* *Arist.*

ergo ante omnia patet, quod si sciamus, per quæ corrumpuntur Respublicæ, sciamus etiam, per quæ conseruantur; contrariorum enim contrarij effectus; corruptioni autem conseruatio contraria est. Si ergo optimates leges etiam in minimo seruent, & dentur secundùm merita gradus, & honores, ac iustitia æqualiter ministretur, Respublica conseruabitur. In specie autem hæc iuuant.

75 Primum. Si optimi viri gubernent aliquamq; magistratuum, & officiorum partem

populo distribuant. Ait enim Arist. 5. pol. *Arist.*

cap. 8. *Qui gubernant, tunc rectè se gerunt, cum eos, qui non sunt participes gubernationis, non afficiunt iniurijs, ac præstantiores ipsorum ad participationem Reipublicæ recipiunt, cupidosq; honoris non deprimunt, neq; multitudinem suis commodis fraudant.* Et 3. pol. cap. 7. ait. *Excludere illos penitus ab honoribus, periculosum est; cum enim multitudo inopum est in ciuitate, eademq; ab honoribus exclusa, necesse est eam ciuitatem esse plenam hostium Reipublicæ.* Hocq; etiamsi nobiles pauperes multi reperiantur; expedit enim potiùs multitudini satisfieri, quàm paucis illis nobilibus pauperibus, quod non aduertentes multæ Respublicæ corruerunt: licèt & melius esset agere, vt magistratibus lucra non prouenirent, vt monet Arist. 5. pol. cap. 8.

76 Secundum. Si ea, quæ ad victum sunt necessaria, abundent copiosè in ciuitate, & vili pretio comparentur; hoc enim est arctissimum vinculum, quo multitudo, quæ suum commodum ferè respicit, continetur, nullaq; res magis stabilit imperium; æstimat tunc enim plebs se paternè tractari, & sic filiorum more optimates veneratur, & amat.

77 Tertium. Cauenda, insolitum nobilitatis malum, superbia; nihil enim magis exasperat inter pares, aut penè pares; cauenda in filijs etiam, & nepotulis, in quibus vt minùs discretionis magis viget, ne conciues contemnere assuescant.

78 Quar-

78 Quartum, vbi Aristocratię plebs insidiatur, atq; aliquos è suis interseri nobilitati desiderat, id agant optimates, vel propter merita vel proter pecuniam; sic enim latisfit admissis, & aluntur ipe alij, contentaq; remanet plebs; & si id pecunia hat, quod non est inconueniens augetur ærarium publicum.

Aristot. 79 Quintum posuit Arist. 5. pol. cap. 9. dicēs, *Maximum autem omnium, quæ dicta sunt, ad Reipublicæ stabilitatem, est id, quod nunc parui faciunt omnes, erudiri ad Reipublicæ disciplinam; nihil enim prosunt vtilissimæ leges, quæ à gubernatoribus decernuntur, nisi moribus instituti, & disciplina imbuti in Republica homines fuerint.*

80 Sextum, duo etiam maximè proderunt ad Reipublicæ conseruationem. Primum si illi, qui notabiliter alios in diuitijs, & potentia superant, ad magistratus, & gubernationem Reipublicæ non admittantur; propter rationem *Aristot.* Aristot. 5. pol. cap. 7. *Qui verò, inquit, diuitijs abundant, si Respublica excellentiam eis tribuat, contumelijs cæteros afficere pergunt, nec par habentes conquiescunt.* Secundum, si interesse habentes cum extraneis principibus à dicta administratione excludantur: tam firmas enim iecit radices hoc monstrum in humanis cordibus, tamq; sui amator existit homo, vt nihil perdat omnia, et bonum publicum etiam propter sui indemnitatem.

81 Sed quid faciet vir bonus plebeius, sed diues, si Republica nolit eum ad nobilitatem admittere? hic à nobilitate sine dubio contemnetur, & inuidiabitur: unde se ipse debet contra illa duo bona patientia armare. Contemptum effugiet, si se nobiliter, modestè tamen, tractet, si se in Reipublicæ negotijs fidelem, diligentem, indefessum; si nobilibus os-officiosum, benignum, affabilem exhibear, si eorum familiaritatem tamquam ignem fugiat, si conuiuijs ipsorum, festis, recreationibus non intersit, si matrimonia cum nobilibus etiam ipso pauperioribus ineat. Inuidiam autem difficulter effugiet; minuet autem, si modestè, & ciuiliter uiuat, sine fastu, sine sumptu immoderato; si nobilibus parificari non prætendat, neq; in uestibus, neq; in domibus, neq; in famulis, neq; in curris, sed se semper illis minorem æstimet, haberiq; affectet, sic fiet ut eum nobilitas amet, & secum aliquando associet; Sed hæc difficilia sunt, nisi uirtus assistat, ijs qui sub eodem cœlo cū pari censu, & ampliori aliquando, nati, & nutriti sunt, & sola fortuna distinguntur. Inde discordiæ, inde odia, inde *Dionys.* seditiones. Vnde Dion. lib. 52. in principio ait, *Qui enim eamdem naturam acceperunt, ex eadem gente nati sunt, ijsdem moribus educati, ijsdem legibus instituti, eumdem corporum, animorumq; vsum patriæ exhibent, qui non iustum sit, eos cæterorum quoq; omnium communitatem habere? qui non optimum sit, neminem alteri nisi virtutis causa præferri? qui enim eadem sunt conditione nati, æqualitatem appetunt, eaq; potiri gaudent, destituti dolent, &c.*



§. Tertius. *Quid, & quotuplex sit popularis politia, seu democratica, atque eius vtilitatibus, & damnis, quomodò dissoluatur, & construetur.*

82 IDERI potest Aristoteles 3. pol. cap. 5. & cap. 7. & 5. pol. cap. 5. & 10. D. Thom. 1. de regimine princ. cap. 5. Iauellus 3. pol. tract. 3. cap. 2. & 4. pol. tract. 1. cap. 3. & 5. pol. tract. 2. cap. 1. & tract. 3. Gerson. par. 1. suor. oper. de pot. eccl. consid. 13. versùs fin. Rangol. in 1. Reg. cap. 10. vers. 25. Contzen 1. pol. cap. 19. & 20. Veston. in theatr. vit. ciuil. lib. 4. cap. 1. num. 17. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 23. versu in democratia. Azor par. 2. lib. 11, cap. 1. quæst. 2. versu his positis. Marquez in guber. christ. lib. 2. cap. 22. Patritius de Repub. lib. 1. tit. 4. Petrus Greg. lib. 5. de Republica cap. 3. à num. 21.; Ioan. de S. M. polit. christ. cap. 1. *Aristot.* *D. Thom.* *Iauell.* *Gerson.* *Rangol.* *Contzen.* *Veston.* *Molin.* *Azor.* *Marquez.* *Patritius,* *P. Greg.* *Io: à S. M.*

83 Noto primò, quòd politia popularis, quæ alias dicitur democratia, est imperium communitatis perfectæ sub plurimis, vtilitatem Reipublicæ per leges suas principaliter intendentibus. Ita ex Arist. 3. pol. cap. 5. Gerson, loco cit. versùs fin. Contzen loc. cit. cap. 19. §. 1. *Arist.* *Gerson.* *Contzen.* Diait, plurimis, vt intelligeres, non omnem multitudinem mandata exequi, nec consultare, sed plurimos à multitudine ipsa electos, & præpositos ad legum obseruationes, & mandatorum executionem. Dicitur politia popularis; quia omnes ciues, absq; generis, opumuè discrimine, ad talem Rempublicam regendam valent æqualiter assumi, propter quod dicuntur omnes sub tali regimine viuentes æquales, & in libertate viuere. AEquales, non quòd semper sint æquales, cum magistratus sint cœterorum superiores, sed æquales, quia omnes possunt ad tales magistratus ascendere. Et quando audis, quòd in libertate viuunt, non credas, eos omnino viuere pro arbitrio, & potestate; viuunt enim sub legibus, magistratibus subiecti, sed in libertate, quia omnibus est par ciuitatis ius, atq; honor, & vno tempore dominantur, alio subijciuntur. Atq; ita docet Arist. 4. pol. cap. 4. & 6. pol. cap. 2. Iauellus 6. pol. tractat. 1, c. 1. P. Greg. syntag. iur. lib. 18, cap. 3. num. 5. *Aristot.* *Iauell.* *P. Gregor.*

84 Noto secundò, quòd varias politiæ species affert Arist. 4. pol. cit. & 6. pol. cap. 2. & 4. vbi Iauellus tractatu 1. cap. 3. Contzen 2. pol. cap. 2. §. 4. Molina tract. 2. de iust. to. 1. disp. 23. versu in democratia etiam. *Aristot.* *Iauell.* *Contzen.* *Molina.* Prima est, in qua omnes de populo, tam diuites, quam pauperes, tàm virtuosi, quàm non virtuosi, non secūdùm magis, & minus, sed æqualiter dominantur. Secunda, in qua non æqualiter, sed secundùm censum patrimoniorum, & eum quidem paruum, principantur; ita vt qui tot possidet habilis sit ad honores Reipublicæ suscipiendos, qui verò non possidet, sit inhabilis. Tertia, in qua omnes ciues habiles sunt ad principandū, siue diuites, siue non, dummodò non sint criminosi tali crimine, quòd mereantur priuari ciuilitate, vt falsarij, proditores, patricidæ, &

serui;

serui; & dominantes in tali Republica, dominantur secundum quod lex disponit, & non aliter. Quarta, in qua omnes omnino habiles sunt ad magistratus gerendos, modò ciues sint, & secundùm leges dominentur. Quinta, in qua dominantur omnes de populo æqualiter, & indifferenter, sicut & in prima specie, sed differt ab ea in hoc, quòd isti non dominantur secundùm leges, sed secundũ decreta, & statuta populi, quæ volunt præualere legibus; differt verò decretũ, à lege quòd hæc est de vniuersalibus, illud de particularibus operabilibus. Et omnes illi modi recti sunt, si rectè administrẽtur, administrantur autem rectè, si dominantes bonum commune respiciant, & leges obseruent; si verò, bono communi spreto, in proprium incumbant, iam desinunt esse recti, & politia fit democratia, quæ propter nihil est aliud quam imperium vtilitatem pauperum, seu tenuiorũ respiciens, & opponitur directè oligarchiæ, quæ est paucorum diuitum potentia.

84 Dico primò, varia sunt commoda, & vtilitates, quas secum affert popularis politia, de quibus Arist. 3. pol. c. 7. & 11. Ianellus 3. pol. tract. 3. cap. 2. Azor par. 2 lib. 11. quæst. 2. versu his positis; Rangol. in 1. Reg. cap. 10. vers. 25. & cap. 8. vers. 11. tract. de iur. Reg. cap. 5.

Aristot. Ianell. Azor. Rangol.

85 Primum commodum, quod ex democratia oritur, est pax, & tranquillitas Republicæ, quæ est finis illius, vt dictũ est supra; pax enim, & tranquillitas oritur ex æqualitate, quæ reperitur inter ciues; sicut enim humanum corpus, cum humores sunt in æquali proportione commensurati, nec vnus alteri præponderat, vel dominatur, conseruatur in pace, & sanitate, & è contra ex humorum inæqualitate infirmitates, quæ sunt seditiones, pacem corporis conturbantes, nascuntur; ita illa Respublica in pace conseruabitur in qua ciues æqualiter tractabuntur, quòd fit in populari.

86 Secundum; quia hoc regimen libertatem parit, iucundissimum, & æstimatissimum humanæ naturæ bonum, quod nullum aliud facit regimen. In optimatum enim Republica optimi solùm libertate fruuntur, qui soli capita possunt esse, alij semper pedes, semper subiecti libertate frui dici non posse videntur.

87 Tertium; quia democratia est nobilissima omnium potestatum, cum sit fons, & origo cæterarum, ut probat Rangol. in 1. Reg. cap. 8. uers. 11. tract. de iur. Reg. cap. 5. Bellarm. tom. 2. lib. 3. de laic. cap. 6. Suarez de leg. lib. 3. cap. 4. num. 2. Salas de leg. disp. 6. sect. 2. nu. 17. fine. Nauarrus in cap. nouit. de iud. not. 3. à nu. 100. Ludouicus de Sardis de natur. liber. §. de legitimatione per rescrip. num. 6. & habetur in lege 2. §. nouissimè, ff. de orig. iur. cum enim Deus, per naturam immediatè operando, ut dictum est supra num. 7. communitati contulerit potestatem ad sui conseruationem, & in hac fuerit facultas dictam potestatem tribuẽdi vni, uel pluribus, uel etiam apud se retinendi secundùm aliquas leges, constat quòd democratia, quæ regimen est communitatis, fit fons & origo monarchiæ, & aristocratiæ. An autem communitas possit hanc potestatem à se abdicare, & semel traditam vni, vel pluribus auferre, hic non discutio. Quippe Almain. de auctoritate Ecclesiastica cap. 1. coroll. 2. asserit, quòd communitas hanc potestatem à se abdicare non potest, immò neq; ea priuari, nisi à Deo sicut nec singularis homo potest à se abdicare facultatem se defendendi. Et pro hac citat Glossam in cap. Ostendit, 63. quæst. 3. quæ ait, quòd *populus bene habet iurisdictionem, licet dicat lex, quod transtulit ius suum in Imperatorem.* Quod etiam insinuat se iam defendisse Nauar. loco cit. Et coroll. 3. dicit idem Almain. & etiam Bell. quod communitas habet potestatem super Principem ab ea constitutum, qua eum deponere potest, si non ædificationem, sed in destructionem politiæ regat; quià aliàs non esset in ea potestas sufficiens se conseruandi, & ponit in facto exempla communitatum, quæ hac potestate vsæ sunt.

Rangol. Bellar. Suarez. Salas. Nauar. Ludouicus de Sardis. Almain. Nauarr. Almain. Bellarm.

88 Quartum, quia democratia nullo iure tenetur, nisi diuino, à quo potestatem habuit, & gentium quod tàmen neque de monarchia, neq; de aristocratia dici potest. Nam si hæ gubernationes ab illa habuerunt principium, vt dictum est, eam solùm potestatem habebũt, quæ illis à communitate data fuerit, quam potestatem nec monarchis, neq; optimatibus licet præuaricare; est enim iuris alieni vsurpatio non leue crimen; præsertim in ijs, quæ pretiosissimæ, ac sacratissimæ libertati officiũt. Vnde etiam in consuetudine est apud aliquas gentes, vt cum primum Reges, etiam per successionem regnantes, possessionem regnorum ingrediuntur, iurent leges regni illis seruare; quod si recusent, ipsæ & fidelitatem eis renuunt iurare.

89 Quintum, quia magis expedit principari, quod melius, ac virtuosius est, sed multitudo in vnum conueniens est melior, & magis virtuosa, quàm pauci virtuosi: licet enim singuli de multitudine nõ sint virtuosi simpliciter, sed quisq; habeat aliquid virtutis, & prudẽtiæ, cũ tamen in vnũ conuenerint, facient vnũ aliquid magnum, & simpliciter virtuosum; in quo enim vnus deficiet, continget alterum abũdare, & sic facient quasi vnum hominem virtuosum, ac perfectum, habentem multitudinẽ sensuum, per quos discernere possit; & multitudinem manuum, ac pedum, per quos possit moueri ad operationem, & operari & multitudinem intellectuum, per quos virtutes intellectuales possidebit; & multitudinem appetituum per quos habebit uirtutes morales, quæ est ratio Arist. 3. pol. cap. 7.

Arist.

90 Sextum, si multitudo popularis non assumatur ad principatum, & regimen ciuitatis, existimabit se inhonoratam, & non appretiatam, & cum sint multi, & pauperes, conturbabunt ciuitatem per seditiones, & querelas; hoc autem periculosum est, & timendum; ideo expedit eam principari. Quæ ratio est etiam Aristot. loco cit.

91 Septimum, quia ista gubernatio est minùs seditionibus obnoxia, cum enim omnes ciues sint æquales, quis contra se ipsum seditiones mouebit? ac propterea tutior est, ac diuturnior, vt ait Arist. 5. pol. cap. 7. dicens. *Fortius enim est id, quod plus est; & magis acquiescunt æquum habentes.*

92 Octauum, quia hoc regimen approbare

vide-

videtur Scriptura sacra. Exodi 18. *prouide de omni plebe viros potentes, ac timentes Deum.* Et Deuteronomij 1. *date ex vobis viros sapientes, & gnaros, quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis principes*, & Prouerb. 11. dicitur *salus vbi multa consilia.*

Cassiador. 93 Nonum, quia hoc regimen etiam approbarunt Patres. Cassiodorus lib 9. var. cap. 2. approbare videtur exemplo gruum, cum dicit *grues moralem non erunt exercere concordiam, inter quas nullus primatum quæritur: quia iniquitatis ambitus non habetur, vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt, ipse postus alternus est: sic honor nullis adimitur, dum omnia sub communione seruantur. His etiam volatus vicaria æqualitate disponitur, vltima fit prima, & quæ primatum tenuit, esse posterior non recusat; sic quadam communione sociatæ sine regibus obsequuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur: voluntariè seruiendo liberæ sunt, & inuicem se diligendo muniuntur. Quarum morem scriptores rerum naturalium contuentes, politiam quamdam inter ipsas esse commemorant, quas cuncto affectu viuere cognouerunt.* Quo eodem exemplo democratiam *D. Amb.* probat Ambros 5. in exam. cap. 15. & inter alia ait. *Quid hoc pulchrius, & laborem omnibus, & honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam, sed quadam in omnes voluntaria sorte transcribi. Antiqua hoc Reipublicæ munus, & instar liberæ ciuitatis est.* E. D. Thom. 1. 2 quæst. 97. *D. Thom.* art. 1. corp. ait. *Quod si populus sit bene moderatus, & grauis, communisque vtilitatis custos, rectè lex fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos Respublica administretur.*

Arist. 94 Decimum, quia ita etiam censuerunt viri doctissimi. Arist. 5 pol. cap. 1. ait, *quòd tutior est, ac minùs seditioni subiacet popularis gubernatio, quàm paucorum.* Et 3. pol. cap. 7. id etiam approbare videtur. Et huius opinionis fuit *Plutar.* etiam Solon, vt refert Plutarcus in conu. & *Herod.* Herod. ait lib. 3. quòd in hac gubernãdi forma *nihil agitur insolenter, quia sorte magistratus eliguntur, & administrationis suæ rationem reddere* *Isocrat.* *coguntur.* Et Isoc. in Areop. ait. *Nec prætereunda commoda sunt democratiæ insignia, propter quæ claris, ac magnis ciuitatibus democratiæ vtiles iudicantur.* Et hac Reipublicæ forma vsi sunt *Gruchius.* Romani, vt refert Gruch. de Rom. comit. in præfat. qui, eo regimine durante, longe maximam Reipublicæ partem obtinuerunt. Et *Patritius.* Patritius lib. 1. de Republica tit. 1. ait. *Vnus autē, qui virtutes omnes complectatur, vel numquã vt arbitror, inuentus est, sed cum in Republica complures sint, vnusquisque partem aliquam virtutis, ac prudentiæ habet. Quocirca in vnum collati ciues, quasi vnum hominem præstant, qui multiplici ingenio, ac memoria pollet, oculis pluribus cernit, operatur manibus multis, & pedibus penè infinitis* *Iuuenal.* *nititur.* Et Iuuen. satyr. 8. vers. 210. ait. *Libera si dentur populo suffragia, quis tam Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?*

Aristot. Plato. Ianell. Contzen. Marq. P. Greg. Io. de S. M. 95 Dico secundò, multa etiam sunt mala, quæ secum affert democraticum regimen, de quibus Arist. 5. pol. cap. 10 Plato 8. de Rep. Ianellus 3. pol. tract 3. cap. 1. & 5. pol. tract. 2. cap. 1. Contzen 1. pol. cap. 19. à §. 5. Marquez gub. christ. cap. 21 P. Greg lib. 5. de Repub. cap. 3. à nu. 21. Ioan. de S. M. in pol. christ. c. 1.

96 Primum igitur malum democratiæ est, quod cum pauperes maximè cum alijs minùs pauperibus dominentur, & cum paupertate iunctam habeant potentiam, rabie quadam naturali curant, etiam inferendo vim, diuitum facultates diripere, vt suæ indigentiæ suppleant; & sic diuitibus, & virtuosis, quorum sunt diuitiæ, iniuriam faciunt; quæ est ratio Arist. 3. pol. cap. 7.

97 Secundum, quia cum plebs sit naturaliter inimica nobilitati, & paupertas diuitijs, vt ait Ianellus 5. pol. tract. 2. cap. 3. nobiles, & diuites in hoc statu maximè odio habentur; quare plebs hic vt ait Arist. 5. pol. cap. 10. *nobilitatem vexat, clam euertit, & palam, & in exilium pellit, tamquam aduersarios, & machinatores contra potentiam suam.*

98 Tertium, quia plebs vix rectum potest dare consilium, cum multis passionibus sit obnoxia, & pauci admodùm in ea boni reperiantur, stultorum enim numerus infinitus. Tardè resoluit, & difficulter; faciliterq; impeditur, quod ad bonum publicum est resolutura. vix pacificatur irata, vixq; secreta seruat, facilè subornatur, & pro nihilo excandescit: iustitiam non ministrat, officia, & magistratus publicè vendit, & qui emit, sibi sine dubio emit. Sic Marius, vt in eo refert Plutarcus non erubuit vasa pecunijs plena in publicum afferre ad *Plutarcus.* comparanda plebis suffragia. Et id ita impudenter fiebat Athenis, vt aiunt, quòd cuntes ad summum in possessionem magistratuum Elatocles, & Demosthenes dicerent, Imus ad domum auri. Videatur Cic. pro Cluen. & ora- *Cicero.* tione 5. in Verr. & lib. 4. ad Att. epist. vlt. videatur etiam cap. Osius, de elect. & cap. Docendus, dist. 62. Vnde D. Thom. 1. 2. quæst. 97. *D. Thom.* art. 1. corp. ait. *Porrò si paulatim populus deprauatus habeat venale suffragium, & regimen flagitiosis, scelerati sque committat, rectè adimitur populo talis potestas dandi honores, & ad paucorum bonorum redit arbitrium.*

99 Quartum, quia facilè aperitur in hoc regimine seditionibus via. Cum enim magis regatur arbitrio, & sensu, quàm prudentia, & ratione, facilè oriuntur rixæ inter magistratus, quæ si in apertum Martem descendant, difficillimè consopiuntur; vnusquisq; enim ex magistratibus suam habet factionem, & cum nullus reperiatur supremæ auctoritatis, cui honorem, & reuerentiam præstent, aut debeant; omnia commouent, perturbant, & inquietant, & suo se populari gladio necant. Vnde in Romana Republica sæpe lapidationes in foro visæ sunt, non sæpe, sed nimis sæpe gladij exstensi. Quare Virgil. Aeneid. 1. *Virgilius.*

Ac veluti magno in populo cum sæpè coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile vulgus;
Iamq; faces, & saxa volant, furor arma
ministrat.

100 Quintum, quia Patres hoc regimen execrantur. Ambros. 5. in exam. cap. 21. de hoc *D. Amb.* regimine loquens ait, *non merita virtutis expendit, non publicæ vtilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto.* Et Hier. in cap. 21. *D. Hieron.* Matth. *semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens, atq; in morem fluctuum, diuersorumq; ventorum, huc, illucq; transfertur.*

101 Sex-

101 Sextum, quia hoc regimen abominati sunt viri grauissimi. Plato in Axiocho, seu de morte contemnenda, in med. *Quo*, ait, *beatus esse possit vulgi viuens arbitrio, tametsi faueatur ei, plaudaturque?* & lib. 8. de Rep. ait. *An non primum quidem liberi erunt omnes, ciuitasq; libertatis plena, summaq; licentia, pro libidine, omnia omnes audebunt?* & infra ait, quod in ista politia videntur. *sæpe homines morte, vel exilio condemnatos, nihilominus vrbem incolere, ac prodire in medium, & sæpe quasi nemo id videat, aut curet, instar heroum quorumdam per vrbem incedere.* *Arist.* Et Arist. 8. ethic. cap. 10. ex tribus formis regendæ multitudinis, pessimam democratiã pronuntiat. *Tullius.* Tullius in orat. pro Cluen. mari comparat populum, dicens. *Vt mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur, atq; turbatur, sic populus Romanus sua sponte placatur, hominum seditiosorum vocibus, vt violentissimis tempestatibus, concitatur.* Et in oratione pro Cn. Plan. ait, *quoad populum pertinet, semper dignitatis iniquus index est.* Et Anacharsis Philosophus, vt refert P. Crin. lib. 2. de honest. disc. cap. 4. *P. Crin.* cum regimen Atheniensium conspexisset, admirabundus clamauit. *O Rempublicam breui perituram in qua viri Principes consulunt, populus autem, & imperita rerum plebecula decernat; cui videlicet proprium sit, in minimis maximè formidare, & in maximis minimè prospicere.* Et Charondas Cathinensium legislator, vt refert idem Crin. inquiebat, *Qui se populo committit, fortunam, non rationem sequitur; qui fortunæ fauet, periculo, & aleæ se dedit; qui in alea est, ad ruinam, & cladem inclinat.*

102 Dico tertiò, multæ sunt causæ, propter quas dissoluitur democratia, de quibus Arist. 5. pol. cap. 2. & 5. Vbi Iauellus tract. 2. cap. 1. Veston. theat. vit. ciu. lib. 4. cap. 1. num. 17. *Arist. Iauell. Veston.*

103 Prima est luxus, & rerum copia, ex quibus fit populus iners, superbus, inuidus, rixosus; vnde, bono communi neglecto, partium studia præferuntur; quæ partes deinde cum se inuicem tolerare nequeant, neq; vna velit alteri cedere, hinc fit; quòd sicut vnitas est vinculum, quo tale regimen manutenetur, ita diuisio est causa, quæ illud destruit; ad illud *omne regnum in se diuisum desolabitur.*

104 Secunda est inæqualitas; cum enim in populari regimine omnes ciues sint æqualiter liberi, ex æqualitate libertatis putãt se absolutè æquales, & sic tenent, quòd æqualiter debent participare de bonis communibus ciuitatis, de honoribus, de lucris; quòd si id non fiat, qui minus accipiunt, inuident, contendunt, rixantur, seditionem mouent, turbant, inquietant. Quas duas rationes ponit Arist. 5. pol. cap. 2. *Arist.*

105 Tertia, dissoluitur, etiam hoc regimen propter eos, qui ducunt popularem statum. Hi enim, vt inimici diuitum, & nobilium, irritant contra eos populum, vt in exilium illos mittat, & eorum bona proscribat, sibiq; assignet; nobiles verò, & diuites in exilium pulsi conueniunt, se armant, & ciuitatem inuadere satagunt; atq; ita popularem statum euertunt; Et est ratio Arist. loco cit. cap. 5. *Arist.*

106 Quarta, dissoluunt etiam hoc regimen tres illæ communes causæ aliorum regiminum corruptiuæ, nimirum contumelia, metus, & contemptus, vt Arist. 5. pol. cap. 10. & multas causas corruptiuas huiusmodi Reipublicæ affert Solon in quadam elegia relata à Stob. in fin. 1. tom. ex qua hos paucos accipe versus. *Stobæus.*

Non vrbem superi cupiunt euertere nostram;
Et nobis, nisi sint numina læsa, fauent,
At nostræ custos arcis Tritonia Pallas
Perpetua cura mœnia nostra tegit.
Ipsi sed patriam sceleratis mentibus vltrò
Conantur ciues dilacerare suam.
Nam pretio quidam vendunt legesq; fidemq;
Aurum quæ nullo iure, modoq. petunt.
Sæuitiam exercent, rapiuntq. tyrannide quidam,
Induat vt iustus ciuibus arma dolor.
Pars studet, & sarcire domestica damna rapinis,
Exhausit patrias cum malè luxus opes.
Diripiuntq; vrbis patrimonia publica nostræ;
Et sibi diuitias viq; doloq; parant, &c.

107 Dico quartò, multa etiam sunt media, quibus democratia conseruatur; de quibus Arist. 5. pol. cap. 8. & 9. Iauellus ibi tractat. 3. Conizen 1. pol. cap. 19. §. 5. *Arist. Iauell. Conzen.*

108 Primum, si diuites, & nobiles non damnificentur, sed erga eos debitus seruetur respectus, & bonis suis sinantur pacificè frui, illisq; tribuantur officia, quæ sunt extra dominationem Reipublicæ; sic enim non poterunt se esse contemptos condolere. Quæ est ratio Arist. 5. pol. cap. 8. *Arist.*

109 Secundum, si ad Rempublicam regendam ciues medij assumantur; hi enim non poterunt per potentiam tyrannidem affectare, nec per paupertatem diuites turbare: boni enim ciues censentur, qui medij sunt. Et est ratio Arist. loco cit. & 4. pol. cap. 12. *Arist.*

110 Tertium affert August. de Repub. Romana 5. de Ciu. Dei, cap. 12. fin. dicens. *August.* *Hinc domi industriam, quam commemorauit, Cato, vt ærarium esset opulentum, tenues res priuatæ. Vnde, corruptis moribus, vitium è contrario posuit publicè egestatem, priuatim opulentiam.* Ad quod etiam facit illud Thucid. lib. 2. in oratione Pericl. ad Athenien. vbi dicebat, *Thucid.* *præstare Rempublicam publicè esse felicem, tutam, & diuitem, quàm singulos, & priuatos; nam, illa felice, & hi quoque seruantur: his solùm beatis, illa verò misera, tandem & ipsi euertentur.*

111 Quartum, si fiat magistratus censorius, qui à magistratibus Reipublicæ administratæ rationem reposcat, populoque referat, vt delinquentes puniat: ab alieno enim arbitrio dependere; neq; licere omnia, quæ libet, facere vtile est.

† †
†



§. quartus; *Quænam sit ex prædictis politÿs simpliciter melior, & vtilior.*

Polybius. Patritius. Maluetius Menoch. P. Greg. Salas. Molina.

112 VIDERI potest pro hoc §. Polybius lib. 6. hist. à princ. Patrit. de Rep. lib. 1. tit. 1. Maluet. in Tacit. discurs. 39 Menoch. inst. pol. lib. 1. c. 4. P. Greg. de Rep. lib. 5. c. 3. Salas 1. 2. quæst. 95. tract. 14. disp. 6. sect. 1. n. 16. versu An vero; Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 23. versu Ex tribus speciebus.

Aristot.

113 Dico primò, tam Monarchia, quàm Aristocratia, & Democratia sunt rectæ gubernationes, si rectè exerceantur secundùm leges earum respectiuè. Ita communiter omnes DD. cum Arist. 3. pol. cap. 5. & 5. pol. cap. 1. & 3. pol. cap. 10. Probatur ex Arist. 3. pol. cap. 5. vbi ait, *Quando igitur vnus, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas Rerumpublicarum species necesse est.* Et cap. 12. ait, *Cum vero dixerimus tres esse rectas gubernandi species;* & Plut. in opusc. de vn. in Repub. dom. id probat exemplo musici, dicens. *quemadmodum vir musicæ peritus, quouis instrumento oblato vti artificiosè, idque tractare affabrè nouit, vt pro sua conditione vocem concinnam reddat, sic vir ciuilis,* &c.

Plutar.

114 Dico secundò, docent communiter DD. simpliciter monarchiam esse optimum omnium supradictorum regiminum. Plato in libro de regno, qui est 16. suor. oper. vltra med. Arist. 8. eth. cap. 10. Stob. ser. 45. D. Th. lib. 1. de regim. c. 5. Bened. à Bened. in iacul. Eccl. iacul. 208. Bell. de Christo, to. 1. cap. 3. fin. & de Rom. Pont. lib. 1. cap. 4. P. Greg. Menoch. loc. cit. Probatur, quia primum in vnoquoque genere est mensura reliquorum. Ergò quò priùs ad mensuram accedit vnum quodque, ei etiam magis simile redditur. Sed primum inter imperia, ac præstantissimum est diuinum, quo Deus Optimus Maximus, cuncta moderatur. Ergo, cum monarchia nostra sit illi similior, quàm cœteræ administrationes, erit etiam melior, & nobilior.

Plato. Aristot. Stobæus. D. Thom. Bened. à Bened. Bellarm.

Licetus. Maluet.

115 Cæterùm Licetus in præfat. tractatu de intell. agen. & ex professo Maluet. probant, optimatum regimen esse melius simpliciter monarchia; quia ex eo magis peruenitur ad finem regiminis, qui est publica pax. Et ad dictum argumentum respondent, quòd immò regimen Dei videtur esse aristocraticum; sunt enim in illo sacro tribunali tres distinctæ personæ, licet solùm vna simplex essentia, & natura. Patritius vero lib. 1. de Repub. tit. 4. fin. democratiam omnium optimam putat, Solonis secutus sententiam; quia plures conflicti pauciora ignorant, quàm vnus, vel aliqui. *Ego, inquit, in eorum numero sum, qui optimam Rempublicam esse dicam, quæ ex omni genere hominum commixta sit.*

Patritius.

Aristot.

116 At ergo monarchiam meliorem omnibus existimarem, si daretur monarchus, qualis describitur Deut. 17. & qualem describit Arist. 3. pol. cap. 12. qui scilicet ita omnes virtute præcellat, *vt vnius ipsius virtus sit maior aliorum omnium virtute,* & 1. pol. cap. 8. ait. *Ex quo fit, vt is, qui imperat, perfectam virtutem habere debeat moralem.* Quare Marc. Aurel. Imperator dicebat. *Princeps, qui omnibus dominatur, omnibus etiã virtutibus præditus esse debet.* Et Cyrus, vt refert Plut. in apophteg. *Magistratu dignum non esse quemquam aiebat, qui melior subditis non esset.* Et qualem dicebat debere esse Alphonsus Rex Aragoniæ, vt refert Antonius Panormitanus in eius vita, cum dicit. *Reges felices erunt, & regna, si iustè imperent; si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimium humiliter salutantium non extollantur, sed se homines esse meminerint; si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum maiestatis eius famulam faciant; si Deum timeant, diligant, & colant; si plus ament illud regnum, vbi non timent habere consortem; si tardius vindicent, facilè ignoscant; si eamdem vindictam pro necessitate regenda, tuendaque Reipublica non pro saturandis inimicitiarum odÿs exerceant; si veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgeant; si quod asprè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensent; si luxuria tantò sint castigatiores, quanto possent esse liberiores; si malint cupiditatibus, quàm quibuslibet gentibus imperare; si hæc omnia faciant, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter amorem fœlicitatis æternæ; si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vere immolare non negligant.* Vel saltem esset Rex, qualem describit Seneca epist. 90. *Illo ergo sæculo, quod aureum perhibetur, penes sapientes fuit regnum. Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur; suadebant, dissuadebantque, & vtilia, atque inutilia monstrabant: horum prudentia, nequid deesset suis prouidebat: videbat fortitudo arcebat pericula, beneficia augebat, ornabatque subiectos: officium erat imperare, non regnũ.* Si, inquam, reperiretur Rex aliquis supradictas habens conditiones, ego regnum illud felicissimum existimarem, & tale regimen eo casu omnium optimum dicerem. Sed quia credo, id vix posse fieri, & moraliter illud existimo impossibile, iuxta leg. Apud Iulian. §. fin. ff. de leg. Ideo non credo, secularem, & humanam monarchiam esse simpliciter meliorem omnibus regiminibus, sed eam pati sua incommoda, & damna, ac aliæ politiæ, vixque posse inter eas assignari excellentiæ, & maioritatis præeminentiam.

Plutarc.

Ant. Pan.

Seneca.

117 Dico ergo tertiò stãte corruptione humanæ, naturæ illud regimẽ esse cæteris præstãtius, quod est mixtum Monarchia, Aristocratia, & Democratia: huic autem proximè accedere illud, quod est mixtum aliquo ex dictis regiminibus; quare aristocratiam mixtã democratia, meliorem existimo simplici monarchia; & democratiam mixtam aristocratia, simplici aristocratia meliorem puto. Et in vniuersũ mixtionẽ in regiminibus probo, reprobo simplicitatem. Ita ex parte docent D. Tho. 1. 2. q. 95. art. 4. corp. & quæst. 105. art. 1. corp. Bell. de Rom. Pont. lib. 1. cap. 3. Contz. 1. pol. cap. 11. Suar. lib. 3. de leg. c. 4. n. 1. Mal. 1. 2. q. 95. ar. 4. fin.

D. Thomas. Bellar. Contzen. Suarez. Maldonat.

118 Probatur primò. Tùm quia hoc regimen est minùs obnoxium calamitatibus simplicium regiminum, mixtura enim illa temperat à malis, & asperitates retundit;

Tum quia regimen mixtum continet omnes proprietates bonas regiminis simplicis, expellitq; malas; ad hoc enim miscetur. Tum quia illud regimē est magis vtile Reipublicæ, quod est bonis magis charum, & illud videtur ijs magis charum, quod potest ab omnibus participari; tale est mixtum. Tum quia in natura nullum simplex corpus reperitur, neque etiam ex ipsis simplicibus elementis, vt puto, sed omnia mixta nobis tradit; ergo signum est, quòd mixta meliora sunt, & vtiliora. Tum quia mixta magis prosunt corpori humano, quàm simplicia, vt constat ex arte medicinæ.

D. Thom. 189 Secundò probatur, quia Scriptura sacra tale regimen approbauit, vt probat D. Thom. loco cit. quæst. 105. hoc pacto. *Moses, & eius successores gubernabant populum, quasi singulariter omnibus principantes, quod est quædam species regni; eligebantur autem 72. seniores secundùm virtutem, dicitur enim Deuter. 1. tuli de vestris tribubus viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, & hoc erat aristocraticum; sed democraticum erat, quod isti de omni populo eligebantur; dicitur enim Exodi 18. prouide de omni plebe viros sapientes, &c. Et etiam quod populus eos eligebat, vnde Deut. 1. date ex vobis viros sapientes.*

Arist. 190 Tertiò probatur ex Arist. 4. pol. cap. 12. vbi ait, *quanto melior est gubernatio temperata, tanto est durabilior.* Et Pol. lib. 6. expressè ait, *eam Rempublicam censeri debere optimam, quæ ex omnibus illis, quas diximus, formis sit composita; cuius rei probationem, non ratione solùm collectam, sed vsu etiam, & experientia firmatam habemus,* &c.

Polybius.

CAP. II.

Vtrum Regularium Respublica, seu Religiones aliquo ex supradictis regiminibus regantur, & quale illud sit.

D. Basil. D. August. Hugo de S. Victore. D. Bened. Trithem. Perez. Turrecrē. Cresbeeck. Tho. à Iesu. D. Bonau. Corduba. Politius. Bartolus. Pacom. Serapio. Machar. D. Hieron. Festus. Nauarr. Rodriq. Suarez. Barron.

1 PRO isto cap. videndæ sunt Regulæ, & constitutiones singulorum Ordinum; Basil. in Regul. fus. disp. reg. 45. 48. 54. & in Reg. breu. reg. 115. Aug. in cap. 11. vbi expositor a. Hugo de S. Vict. & alij. Bened. in cap. 3. & cap. 65. vbi expositores, Trithem. cap. 3. Perez. num. 4. & 5. Turrecrem. tract. 15. & 140. Cresbeeck, Carmelitarum in Reg. Alberti, cap. 1. & 2. vbi Thom. à Iesu. 3. par. glos. 1. vers. secundum est, Minorum, cap. 8. vbi Bonau. Cord. Polit. Bartol. Minimorum Regul. num. 39. & 91. Pacom. num. 64. 66. 77. 121. 127. Seraph. & Machar. in princ. Hieronym. in Reg. Monach. cap. 7. Constitutiones Cler. reg. Theat. cap. 5. & cap. 7. Festus in const. Prædic. par. 3. cap. 15. Nauarr. com. 3. de Reg. num. 14. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. q. 27. art. 2. vers. Neque his obstat Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 1. tract. 2. Barron. in cru. Relpub. reg. confid. 46. Constit. Can. Reg. Later. par. 2. cap. 1.

2 Dico primò, certissimum omnino est, omnes Religiones regi vno ex supradictis regiminibus, vel simplici, vel composito: Constat, quia non potest aliud excogitari, vt docet Suarez 3. de leg. cap. 4. n. 1. & dixi supra c. 1. n. 9.

Suarez.

Perez.

3 Dico secundò, militantes sub Regula Sancti Benedicti, ex sua primæua institutione monarchia reguntur. Ita Perez. in Reg. S. Bened. cap. 65. num. 2. constat ex cap. 3. dictæ Regulæ, & cap. 65. vbi habetur. *Ideoq. nos prævidemus expedire propter pacis, charitatisq; custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterij sui.* Constat etiam ex cap. Nullam, 18. q. 2. vbi dicitur, *vt de cætero sacerdotes, & studiose vniuersa, quæ vel ad diuini cultus venerentiam, vel ad vtilitatem eiusdem monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem tota potestas pertinere cognoscitur, debeat adimplere,* Et licet Trithem. in dict. cap. 3. illis verbis, *quoties aliqua,* octo afferat casus, in quibus Abbas tenetur obtinere consensum conuentus, id tamen non prouenit ex primæua Regulæ institutione, sed ordinatione canonica, vel monachali.

Trithem.

4 Dico tertiò, militātes sub regula S. Basilij regi videntur aristocratia. Ait enim in reg. fus. disp. cap. 54. *Præpositi conuentuum de rebus difficilibus inter se communicent, & conferant.* Et cap. 48. *illud,* inquit, *in vniuersum obseruari debet in conuentu, vt nullo modo quis contra Antistitis consilia peruestiget, aut in eius facta anxiè inquirat, iis duntaxat exceptis, qui cum dignitatis gradu, tum consilij prudentia Antistiti ipsi proximi sunt.* Et cap. 45. *Præter Antistitem alium etiam esse aliquis debet, qui, illo absente, aut aliqua occupatione aliqua distento, fratrum ipse curam possit suscipere.* Et in reg. breu. cap. 112. quando aliquis admittendus est, *consensu cæteris fratribus admittatur.*

Nauarr. Suarez.

5 Dico quartò. Licèt Nauarr. com. 3. de reg. num. 15. quē sequitur Suarez 4. de Relig. tract. 8. lib. 10. cap. 1. n. 9. dicāt, Augustinum significasse in regula, suos Religiosos debere regi per monarchiam, nihilominus potest colligi ex dicta Regula, quòd potiùs monarchiam, quàm aristocratiam, aut democratiā intenderit instituere. Nam ex illis verbis cap. 11. *Præposito tamquam Patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit;* Et infra. *Ad Præpositum præcipue pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior auctoritas, referat, quod modum, & vires eius excedit,* non potest id colligi, sed solùm in illis Cœnobijs Augustini fuisse duos Superiores; vnum, qui vocabatur Præpositus, seu Prior, aut Corrector Monasterij; alterum, qui vocabatur Presbyter, & erat Episcopus diœcesanus, cui tunc subijciebātur Monachi; vel alius quispiam Presbyter ad Monachorum curam ab Episcopo deputatus, vt Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 1. num. 4. Trull. in eluc. med. Can. reg. lib. 4. cap. 14. nu. 2. sed meliùs Nauar. com. 3. de Reg. nu. 4. Presbyter erat Prior Conuentus, & Præpositus eius Vicarius. Nec etiam id potest colligi ex eo, quod dicitur cap. 1. (aduerte hic, quòd sequor diuisionem huius Regulæ secundùm distinctionem factam ab Hugone,) *Et distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus, & vestimentum:* hoc enim solùm arguit, bona temporalia per vnum Præpositum, tamquā per œconomum, esse distribuenda. Nec etiam id potest colligi ex eo, quod dicitur cap. 10. quòd Prælatus nō postulet

Suarez. Trullen.

Nauarr.

veniam

veniam à subditis, si quandò in eis reprehendendis excesserit; id enim ne, ne apud indiscretos subditos auctoritatem perdat. Ex eo forte posset hoc aliquatenùs colligi, quod dicitur cap. 7. *Si autem deprehenditur, & conniuentiæ, secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauius emendetur.* Sed nec ex hoc; Nam si Presbyter erat Superior Præpositi, ab hoc ad illum dabatur recursus; & potest dubitari, an id possent per se soli, vel de consensu aliorum. Vnde potiùs ex dictis colligi videtur, cum duos Superiores constituat, forte in aliquibus pares, quòd aristocratiam intenderit.

6 Sed quicquid sit de illo antiquo regimine Nunc ea Religio regitur aristocratia. Priori enim generali dantur duo Assistentes, sine quorum consilio nihil decernere potest. Qui Assistentes, durante eorum officio, sunt immediatè subiecti Sedi Apostolicæ. Vnde, si delinquant, Prior generalis contra illos potest solùm formare processum informatiuum, & hoc de licentia Protectoris: decisio verò eiusdem pertinet ad Sedem Apostolicam. Hi Assistentes in omnibus negotijs votum habent consultiuum; in grauioribus tamen casibus, vt in nominatione Vicarij generalis, aut in priuatione Prouincialium, aut in legum, vel statutorum, spectantium ad vniuersum Ordinem, promulgatione, vel in deputandis Commissarijs generalibus, vel Visitatoribus, aut in damnandis fratribus ad triremes, vel in infligendis pœna carcerum vltra annum, & exilij vltra biennium, aut in priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, vel in alijs similibus casibus, si Assistentes fuerint concordes, & in voto contrario Generalis, tunc eius rei cognitio ad Sedem Apostolicam deuoluitur; si verò contingat, Assistentium vota esse diuersa, tunc ea sententia præfertur, quæ à Generali magis probabitur. Ita statuitur 10 const. 5. Pauli V. quæ incipit, Prouisionis, in appen. apud. Cherub. tom. 3. pag. 60. Et de Canonicis regularibus Later. qui sub hac Regula militant, quòd aristocratia regantur, constat ex eorum const. par. 2. cap. 1. & 2. Et aristocratia etiam principaliter reguntur Dominicani sub hac etiam Regula militantes, vt patet ex eorum const. par. 3 cap. 3.

Cherub.

7 Dico quintò. Carmelitani ex sua primæua Regula illis data ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano, & reformata ab Hugone, regi videntur democratia; licèt in præsentiarum ad aristocratiam accedere dicat Tho. à Ies. loc. cit. in princ. seu potiùs ad monarchiam, vt audio. Patet ex cap. 2. dictæ Regulæ, vbi dicitur; *Præterea iuxtà situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum, vel sanioris partis eadem cellula cuiq; fuerint assignatæ.* Si ergo in assignatione cellarum (omnes enim tunc in cellulis separatis habitabant, nec communi Refectorio vtebantur) requiritur consensus fratrum, is etiam requiretur in rebus illis grauioribus. Et in eod. cap. 2. Regulæ reformatæ, & mitigatæ ab Hugone cum auctoritate, & mandato Innocentij IV. ita habetur. *Locos autem habere poteritis in eremis, vel vbi donata vobis fuerint, ad vestræ Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.* Et quòd modo Discalceati eiusdem Ordinis aristocratia regantur, constat ex constit. 25. Clem. VIII. Pastoralis, §. 8. apud. Cherub. tom. 3. bull. pag. 33. vbi dicitur. *Præposito generali adiungimus seu consiliarios, siue assistentes cum voto decisiuo.*

Tho. à Iesu

Cherub.

8 Dico sexto. Fratres Minores democratia reguntur. Colligitur ex cap. 7. suæ Regulæ, in quo non solùm Sacerdotes, sed & Laici ad Superioritates dictæ Religionis admittuntur. Et ita docet Sarton. in cit. Reipub. Reg. consid. 46. Sed Cordub. & Polit. in cap. 8. dictæ Regulæ dicunt, quòd est monarchia mixta.

Sarton.
Corduba.
Politius.

9 Dico septimò. Iesuitæ monarchia reguntur. Constat ex const. 25. Pauli III. Regimini, apud Cherub. to. 1. bull. fol. 653. vbi §. 4. dicitur. *Ne quis fortè zelo vtatur sed non secundùm scientiam, propositi curasq; gradus iudicium, & officiorum discretio, ac distributio tota sit in manu Præpositi.* Et §. 5. subditur. *Qui quidem Præpositus de consilio consociorum constitutiones, ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes, in consilio condendi auctoritatem habeat.* Et infra, *iubendi autem ius totum penes Præpositum erit.* Et §. 8. *Teneant singuli, se in omnibus, quæ ad Regulæ huius nostræ obseruationem faciunt, obedientes fore Societatis Præposito.* Quæ omnia repetuntur, confirmantur, & amplantur in const. 9. Iulij III. Exposcit debitum, §. 4. & 8. fol 699. in dicto tom. 1. bull. Cherub. Dicit tamen Suarez tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 10. cap. 1. à num. 3. hanc monarchiam participare in multis cum aristocratia.

Cherub.

Suarez.

10 Dico octauò, Clerici Regulares, Theatini nuncupati, aristocratia reguntur. Constat ex cap. 5 suarum const. vbi sic habetur. *Licet tota facultas regendæ Congregationis sit penès Patrem Generalem; tamen in huiusmodi rebus exequendis, & in constitutionibus pro re graui declarandis, siquæ fortè dubitationes orientur, ac in pœnis grauissimis imponendis, Consultorum consensus adhibeatur.* Et §. seq. *De consensu Patrum Visitatorum rem totam expediat.* Et cap. 7. dicitur. *Pater Generalis neque etiam de Consultorum sententia, nouas leges, aut constitutiones edere, aut editas abrogare, siue in parte aliqua immutare poterit; interpretari tamen ex Consultorum consensu poterit.*

11 Dico nonò. Clerici, qui Ministri Infirmorum dicuntur, sub aristocratia viuunt. Constat ex const. 17. Greg. XIV. Illius, apud Cherub. tom. 2. bull. pag. 700. in cuius §. 5. dicitur. *Totius Congregationis Superior Præfectus generalis appellabitur, cuius officium perpetuum erit, quoad vixerit. Socios autem habebit quatuor, qui Consultores dicentur votum eorum, æquè ac Perfecti, decisiuum erit.* Sed hoc regimen fuit immutatum anno 1600. die 28. Decemb. per const. Clem. VIII. in qua Consultores Prouincialium votum solum consultiuum habent, & ex quatuor Consultoribus Generalis duo sunt fratres Laici, & duo Sacerdotes, & similiter ex duobus Consultoribus Prouincialium vnus est Laicus, alter Sacerdos. Quare multum habet nunc hoc regimen de democratia.

Cherub.

12 Dico 10. Religio nostra Minimorum ex monarchia, aristocratia, & democratia regimine mixto regitur. Constat, quia in ea adest vnus Generalis, qui est caput totius Religionis, per quem omnia, quæ occurrunt in ea grauia quantumuis negotia executioni mandantur. Qui quidem Generalis eligitur à tota Religione, saltem virtualiter; nam cum eligatur ab omnibus Prouincialibus Ordinis, & vno Commisso specialiter deputato à singulis Fratribus vniuscuiusq; Prouinciæ, per specialem electionem illius, factam in singulis conuentibus, dicendum est, quòd eligitur à tota Religione, quæ virtualiter residet in Prouincialibus, & Commissis. Et dictus Generalis potest eligi ex omnibus Fratribus dictæ Religionis, absque discrimine, modo Sacerdos sit attingens annum 25. & modò per triennium sit in Religione professus. Huic dantur tres Socij, qui habent non solùm votum consultiuum, sed etiam decisiuum, vt dicam §. seq. Et hic Generalis subijcitur correctioni dictorum Collegarum, & Fratrum, si in aliquo delinquat. Habet etiam ista Religio Prouinciales, qui certæ Prouinciæ certis terminis coarctatæ præsident; & hi eliguntur à singulis conuentuum Correctoribus, & singulorum conuentuum Discretis; atque ita etiam ab omnibus Fratribus totius Prouinciæ, qui virtualiter continentur in dictis Correctoribus, & Discretis; Correctores enim, & Discreti eliguntur à singulis Fratribus sacerdotibus singulorum conuentuum. Adsunt etiam in ea Definitores, votum decisiuum habentes, qui singulis annis in die S. Michaelis Archangeli 29. Septemb. congregantur pro definiendis negotijs Prouinciarum, pro assignandis Correctoribus in singulis conuentibus. Et hi Definitores non possunt à Generali amoueri è Prouincijs, in quibus sunt Definitores, secundùm determinationem cap. general. Genuæ 7. num. 19. Hæc omnia constant ex Regula, num. 39. 45. 48. 49. 51. & ex Corr-ct. num. 9. 65. 93. 100. 101. 103. Atq. ita vides in hoc regimine monarchiam in vno capite omnia regente, & gubernante, nulli, dum rectè officium administrat, subiecto. Aristocratiam vides; quia hoc caput habet membra, scilicet Socios, votum decisiuum cum eo habentes. Vides etiam in singulis Prouincijs singulos Prouinciales ab ipso Generali non dependentes, sed veri suarum Prouinciarum Rectores, Generali tamen obe-
Bellar. dientes; quod aristocratiam sonare dicit Bell. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 3. tom. 1. Perspicitur etiam aristocratia in Definitoribus, qui tamquam optimates Prouincias regunt cum capite. In eo democratia videtur, quòd illud caput, & omnia singularum Prouinciarum capita ab omni, & ex omni multitudine eliguntur, dictæq. multitudinis correctioni subiacent. Quare de hoc regimine mihi omnino videtur posse dici, quod de Republica Romana, enarratis populi, Senatus, & Consulum officijs,
Polybius. & facultatibus, conclusit Polyb. lib. 6. hist. *Cum igitur singulæ ciuitatis partes & incommodare, & commodare sibi inuicem hoc modo queant, euenit, vt ad omnes casus aptè, conuenienterq. sint concinnatæ: Ex quo fit, vt meliorem hac Republica nemo possit instituere.* Consule hic dicas Generalem, & Prouinciales; Senatum, Collegas, & Definitores; populum reliquam multitudinem: Hi omnes sibi inuicem obnoxij sunt. Quare quò ad formam, nullam meliorem inueniri posse, puto: optima namque ciuitatis ea forma creditur, in qua est, qui possit imperantibus imperare, vt ait Io. Io. Quint.
Quintin. de aristocr. christ. tit. de mut. imper. tom. 16. tractat. Aduerte tamen, quòd Religiones ferè omnes nunc regimine temperato sub diuersis formis, & modis vtuntur, vt dicunt Nauarr. com. 3. de Reg. num. 15. versu Ad Nauarr.
15. Rodriq. tom. 1. q. reg. quæst. 27. art. 2. Rodriq.

§. *Vnicus Vtrum Superiorum Socij in Ordine Minimorum habeant votum decisiuum, an verò solùm consultiuum.*

13. DOCTISSIMVS P. Passarell. Passarell.
noster in schol. ex Barch. num. 17. putat, Socios Prælatorum absolutè esse puros consiliarios; exceptis quibusdam casibus in regula, & Correctorio insertis, & per consequens quòd licet Prælatus teneatur consilium Sociorum requirere, non tamen teneatur illud sequi.

14 Et probatur primò ex Correct. num. 104. vbi dicitur, *Prælatorum Socij nulla speciali auctoritate, neq; præeminentia fulgeant.* Et num. 113. dicitur *Superiorum Prælatorum Socij subdantur dumtaxat correctioni generalis, ac proprij Vigilis, & Prouincialis obedientiæ.* Et num. 74. *Seniores suis Correctoribus humiliter obediant, ac eis honorem, & reuerentiam exhibeant, & suis in locis Religionis ordine sedeant, absq; vlla præeminentia: si quis verò ipsorum Seniorum contrarium fecerit, & aliquam sibi præeminentiam vsurpauerit, sex mensibus priuetur actiua, & passiua vocibus.* Et num. 23. cui titulus est, De pœnitentijs ex consilio imponendis, statuitur, quòd in materia votorum, & casibus grauibus Seniorum assensus non requiratur.

15. Secundò probari potest sententia Passar. ex Reg. n. 40. vbi dicitur. *In Seniores verò quicumq; capitulariter assumpti, suis Correctoribus consilium, & auxilium in cunctis ad hanc Regulam, & vitam quomodolibet spectantibus maturè præbeant.*

16. Tertiò ex eadem Reg. num. 51. vbi dicitur. *Insuper singulis præintitulatis huius Ordinis Superioribus maturè deputentur tres timorosi socij, qui Seniores nuncupentur, quorum prouido suffulti consilio, commissa sibi Religionis negotia, discretè, ac sapienter discernant, & efficaciter tractent, atq; definiant.*

17. Quartò ex Correct. num. 72. vbi dicitur, *Et cum talibus Senioribus sua negotia maturè tractabit quilibet localis Corrector, consilium ab ipsis sumendo, & cum eis conferendo super quibuscumq; libris vendendis, vel emendis, & super nouis vestibus &c.*

18. Quintò ex eodem Correct. num. 112. vbi Correctoribus non licet Conuentū exire, nisi

nisi propter causas, quas alij Fratres expedire non valeant, & tunc de capituli scientia, & Seniorum consilio.

19 Sextò in capit. Tolos. num. 35. statuitur, quòd Superior maior de suorum Sociorum consilio corrigat Superiorem minorem iniuste suis subditis necessaria distribuentem. Et num. 47. statuitur sic. *Item diffinierunt, quod Superior, siue Generalis, siue Prouincialis, siue localis Corrector alicubi videns aliquem Fratrem clamorosum, & præsertim seculares scandalizantem, seu aliàs rebellantem, & contumacem, absque suorum respectiuè Seniorum super huiusmodi consilio, potest tali Fratri iniungere, & præcipere, quod vadat ad suam cameram. Si autem Frater huiusmodi dicto eius Superiori super hoc inobediens fuerit, per dictum, vel alium eius respectiuè Superiorem de suorum Sociorum consilio puniatur.* Et in cap. Genuen. 1. nu. 12. dicitur, quòd Laici, & Oblati habere debent Informatorem per triennium, à die professionis per P. Generalem, aut Prouincialem de consilio Collegarum assignandum.

20 Dico tamen, supradictis non obstantibus, quòd Socij Generalis Prouincialis, & Correctoris habent in rebus grauibus votum decisiuum, & sunt comparticipes officij. Res graues voco receptiones nouitiorum ad Ordinem, alienationes, conuentuum sumptiones, delinquentium incarcerationes, suspensiones, priuationes, rehabilitationes, ordinationes, Vicariorum, & Visitatorum deputationes, &c.

21 Probatur primò, ex num. 16. Correct. vbi dicitur. *Ad ipsos verò superiores Prælatos, & eorum Socios talium recipiendorum (nouitiorum) deliberatio spectabit. Vbi autem aliquis subditus per ipsos superiores Prælatos ad tale negotium delegatus fuerit, resideat ipsa deliberatio penès localem Correctorem, & eius Socios, siue Seniores.* Quem locum declarat Passarell. in schol. ex Barch. num. 18. Cum ergo receptio nouitiorum committatur copulatiuè deliberationi Superiorum, & eorum Socijs, signum est, quòd Socij in hoc votum habent, non solùm consultiuum, sed etiam decisiuum. Cum enim duo in dispositione coniunguntur per dictionem, *Et*, oportet, vtrumq; interuenire; vt est textus clarus in l. Si quis ita stipulatus, ff. de verbo oblig. quem ad id adducit Abb. lib. 1. cons. cons. 57. n. 1. Et præterea deliberatio, vt bene Gutier. can. quæst. lib. 2. cap. 28. num. 5. includit non solùm diligentem consultationē, & prouidum tractatum de re deliberanda, sed etiam ipsius rei determinationem; vt colligitur ex cap. 1. de imm. Eccl. in 6. ibi, *præhabita cum fratribus, &c.* Et insinuat Penna in l. Omnes iudices, Cod. de decur. lib. 10. fin.

Passarell.

Abbas.
Gutier.

22 Secundò probatur ex eodem Correct. n. 23 vbi dicitur. *Vlteriùs vbicumq; in præsenti Correctorio agitur de quorumcumq; delinquentiùm incarceratione, suspensione, depositione, aut priuatione, intelligatur huiusmodi primitùs, semper præuijs fraternis, ac discretis monitionibus, habitoq; Seniorum consensu*, idest Sociorum, vt exponit cap. Tol. num 47.

23 Tertiò ex eodem Correct. num. 11. Correctores suspensi debent sic remanere, quousq; per aliquem superiorum Prælatorum cum suis Socijs pleniùs deliberetur. Et in fine dicitur, quòd pœnitentiam iubeant, iuxtà deliberationem Prælatorum cum suis Socijs iactam. Et ibid. n. 36. dicitur. *Præterea si quis capitatem sanctam violauerit, vbi quæ primum super hoc legitimè conuictus fuerit, sex mensibus incarceretur, vel grauius puniatur, iuxta delicti grauitatem, & exigentiam, prout Correctori generali, aut talis Prouinciæ Vigili, vel Prouinciali cum suis socijs secundum Deum meliùs expedire videbitur.* Vbi nota illam dictionem, *cum*, quia stat hic coniunctiuè principaliter; quotiescumq; enim coniungit nomina collectiua, vel dignitatum, semper stat principaliter, vt Tusch. ver. Dictio concl. 358. nu. 20. Abb. lib. 1. cons. cons. 57. qui explicans quamdam consl. Papæ Io: in qua dicitur, quòd Episcopus, & Capitulum cum Cōsulibus, quoties eis expedire videbitur, &c. dicit num. 8. quòd Episcopus, Capitulum, & Consules faciunt tres voces, quæ ex forma dictæ const. habent consentire in dispositione, de qua ibi; nec Episcopus potest quidquam facere sine illis. Et idem dico in casu nostro.

Tusch.
Abbas.

24 Quartò probatur ex Correct. nu. 97. vbi dicitur. *Singuli autem Prælati (prius etiam non habito suorum Collegarum consensu) quibuscumq; personis scribere poterunt; vbi autem simul vnanimiter contradicerent dictorum Prælatorum Socij, quod ipsi Prælati nonnullis personis de hoc Ordine non existentibus scriberent; tunc per eiusdem, vel proximioris Conuentus capituli, seu maioris, ac sanioris eius partis definitionem, & determinationem charitatiuè, maturèq; mitigari valebit eorum differentia huiusmodi.* Quod statutum declaratur in cap. Val. 4. num. 41. quòd vbi omnes Socij contradicerent Prælatis, tunc stetur determinationi capituli localis; vbi verò duo Socij ex vna, & alter cum Prælato ex altera, contrarij essent, stetur parti Superioris, & in eius sententiam teneantur alij subscribere. Quòd statutum confirmatur in cap. Barchin. 1. n. 17. Ex quibus clarè patet nostra conclusio. Si enim, omnibus Collegis contradicentibus, non potest Prælatus scribere extra Ordinem, sed debet expectari definitio capituli localis, ergo Collegæ sunt plus quàm consiliarij: consiliarios enim qui adhibere tenetur, non necessitatur regulariter sequi consultum, vt bene Passarell. in schol. ex Barch. num. 17. cap. Cum olim, de arb. vbi Glossa verbo, Siue discordet. Multa ad id congerit Barbosa in loc. commem. verbo Consilium, num. 50. Sanchez lib. 1. de matr. disp. 34. num. 24. Menoch. de præsump. lib. 6. quæst. 34. num. 25. De Thomaset. in flor. reg. 61. Et confirmatur ex statutis Val. & Barch. vbi statuitur, standum esse parti Superioris cum vno Collega, alijs Collegis discordantibus; ad quid enim hæc statuta, si Collegæ sunt puri consilarij? Et aduerte circa id, quod dicitur. standum esse parti Superioris cum vno Collega, quòd huiusmodi statutum habent etiam Fratres Prædicatores, vt patet ex eorum constit. 3. par. cap. 30. vbi dicitur. *Quòd si in partes æquales se diuiserint, illorum sententia præualebit, in quorum partem Magister Ordinis inclinauerit.* Et

Passarell.

Barbosa.
Sanchez.
Menoch.
De Thomaset.

Augustiniani, vt constat ex dictis supra hoc cap.num.6. Et habent etiam Clerici Reg. Theatini nuncupati, vt patet ex cap.7.iuar.const. Habent etiam Clerici, qui Ministri infirmorum dicuntur, vt constat ex const. 17. Greg. XIV. Illius, §.5. apud Cherub. tom.2.bull. pag.766. Et circa istam particulam quod alij teneantur subscribere id esse iuri cõmuni conforme, multis docet Rodriq; tom.2. quæst.reg.q.45.art.10. *Cherub.* *Rodriq.*

25 Quintò ex Correct.num.105. vbi statuitur, quod Superiores locales in præsentia suorum Prouincialium, & Prouinciales in præsentia Generalis cæterum pœnas, aut alias graues pœnitentias nulli subditorum imponant; sed id relinquant Superioris præsentis, suorumq; Sociorum sententiæ. Sed sententia est definitio iudicialis controuersiæ secundum omnes, vt Tusch. ver. Sententia, concl.106.n.r. seu est vox iudicis ad causam faciétis, vt Tusch. ibi, num.3. Ergo socij in imponendis pęnitentijs grauibus coniudices sunt cum Prælatis. *Tusch.*

26 Neq; obstat, quòd eodem loco subditur. *Habeant Prælati plenariam iurisdictionem super cunctis pęnitentijs, tàm hic taxatis, quàm non taxatis, tàm illas imponendi, quàm ab eis de præfatorum Sociorum suorum consilio delinquentes liberandi, et pœnitentias ipsas augendi, & minuendi.* Nam intelligitur de pœnitentijs leuibus; Nam paulò ante, loquendo de pęnitentijs grauibus, id remiserat Prælatorum, & sociorum suorum sententiæ. Vel, si non quadrat, dicas, hoc secundo loco consilium ponì pro consensu; & habes coniecturam id ita esse, ex citatione marginali, quæ citat Correct. num.23. in quo non imponuntur graues pœnitentiæ, nisi de consensu Seniorum. Immò esse familiare Regulæ ponere consilium pro consensu, constat ex dicto num. 23. cui est titulus De pœnitentijs ex consilio imponendis, & deinde statuit, quòd non imponantur, nisi habito Seniorum consensu. Et in Reg. num. 50. statuitur, quòd Correctores conuentu non egrediantur, nisi de scientia capituli, & Seniorum consensu. Et deinde in Correct. num. 112. de ijsdem Correctoribus egredientibus conuentu dicitur. *Ipsi vero localibus Correctoribus de sui localis capituli scientia, & Seniorum consilio, &c.* Quod caput declarans Card. Senogall. auctoritate Papæ, clausula 6. vt habes tom.1.priu. nostri Ord. in const.17. iulij 11. §.6.alt. *Et ita de eorumdem Fratrum scientia, & Seniorum assensu domos exire poterunt pro causis, &c.* Et quòd assensus Seniorum requiratur in casu exitus Correctoris à conuentu, dicit Passarell. in schol. ex Barch. num.11. versu Intellige eo non posse vti. Et idem clarissimè habes in cap.1.Bonon.num.13. vbi statuitur, quòd Prouincialis possit mittere Correctorem extra conuentum contra Seniorum voluntatem, idest, non expectato Seniorum consensu, vel etiam ipsis repugnantibus, iuxta ea, quæ dixi tom.1.huius op. cap.86. §.8. pag.335. Deinde subdit, quòd Correctores in præsentia Prouincialis non possint conuentu exire sine licentia ipsius, etiam cum Seniorum consilio. Et concludit, dictam definitionem nõ repugnare Regulæ, consensum Seniorum ad hoc requirentis. Ad quod item facit cap. Massil. num. 47. Constat pariter esse familiare *Passarell.*

Regulæ ponere consilium pro consensu ex Correct. num. 78. vbi dicitur, quod Corrector sumat consilium à Senioribus, super quibuscumq; libris emendis, vel vendendis; & tamen Card. Senogall. loco cit. claus.8. declarauit, in his requiri assensum, vel dissensum Fratrum. Nec mireris, quòd Legislator consilium pro consensu sæpe ponat. Nam & hoc est frequens in iure, vt docet Tusch. ver. Consilium, concl. 766. num.8. Gonxal. ad reg. 8. Cancell. Gloss.46. à num.78. Tiraq. de retr. lign.glos.9. §.1. num. 159. Menoch. de præsumpt. lib.6.præsumpt. 34. num.18. & est textus iuncta Glossa, verbo Consilio, in cap. Venerabili, de iud. deleg. Et id fecisse puto Legislatorem nostrum, quia cum Socios Prælatorum intenderit facere participes officij, parum curauit ponere consilium, vel consensum; cum certi iuris sit, quòd qui tenetur procedere cum consilio aliorum, non solùm petere illud tenetur, sed etiam sequi cum illi sint participes officij, vt docet Abb. in cap.Cũ olim, de arb.n.5. vbi Butr. n.15. ad med. *Tusch.* *Gonzal.* *Tiraq.* *Menoch.* *Abbas. Butrius.*

27 Sextò ex Correct. num. 88. vbi dicitur. *Nullus localium Correctorum, absq; sui Superioris facultate, vel absq. Seniorum localium consensu, Fratres in confessores deputatos ab auditione confessionum quarumcumq. personarum arcere poterit.* Et aduerte, quòd nominat hic Seniores locales, ad differentiam Sociorum Prælatorum, qui etiam Seniores nuncupantur in Reg. n.51. & in cap. Tolos. num.47. Et scias, quòd in Regula nostra Seniores, & socij idem sunt, vt con stat clarè ex cit. locis.

28 Septimò ex cap. Val.4.num.38. probatur, vbi dicitur. *Definierunt, quod Prælati non possint pęnitentias graues cuiquam imponere, nisi de consilio, & assensu suorum Sociorum*, iuxta tex. Correct. num.23. In cap. Genuen.6. num.13. electiones officialium remittuntur Generali cum suis Collegis, quod seruatur in omnibus capitulis, & in cap. Rom.6. me præsente, statutum est, quòd Generalis, quos priuauit, & deposuit de Sociorum consensu, prout per Correct. loc. cit. non possit solus rehabilitare, licèt hoc statutum in dicto cap. incuria scribę non fuerit annotatum. Et in cap. Forijul.1. num.18. non possunt Prælati facere ordinationes, nisi de consilio, & assensu Collegarum.

29 Octauò probatur ex nomine ipso Collegarum, quo communiter vocantur, vt patet ex loco cit. cap. Val. & Genuen. Collega enim dicitur socius in officio, vt Gell. lib. 13. cap.14. & plura Calep. verbo Collega. Et argumentum ab etymologia validum est, vt probat Barbosa in loco com. verb. Argumentum, n. 152. *Gellius. Calepin. Barbosa.*

30 Nonò probatur ex resolutione quorumdam dubiorum, facta à Congregatione visitationis Apostolicæ anno 1597. die 14. Ianuarij subscripta Sorbolungus; quam ponam in addit. ad priu. Minim. sub Clem. VIII. In horum dubiorum tertio petitur, quid faciendum, quãdo aliquis Collega fuerit recusatus à Fratribus in visitatione? Et R. quòd non debet admitti qualiscumq; recusatio; quia sunt quatuor Iudices, & non vnus. Ad id etiam facit resolutio ad dub.5. & ad 9. Facit etiam const.8. Clem. VIII. §.8. quam habes in tom.1. nostr. priu. Facit praxis, & consuetudo præscripta.

31 Ad

31 Ad primum ergo in contrarium ℞. locum illum Correct. num. 104. nihil facere pro Passarell. si rectè intelligatur. Collegæ enim nullam habent specialem auctoritatem, quia nihil per se ipsos, à Generali seiuncti, possunt facere. Nec multò minùs habent præeminentiam, cum teneant suæ genituræ locum. Sed hoc quid obstat? quomodò ex hoc concluditur, quòd non habeant votum decisiuum? cum & illud habere in quibusdam casibus, victus supradictis textibus pro nostra sententia adductis, ipse fateatur Passar. in illo num. 17. schol. Barch. Locus ille ex num. 113. habet etiam verum, sunt enim Collegæ Prælatorum subditi obedientiæ, & suis Prælatis parere tenentur in his, quæ secundùm Regulam iubentur; & per hoc dixi, quòd nostrum regimen est monarchicum, licèt non simplex, quia vnum Superiorem, & Prælatum habemus, cui omnes obedire tenentur, & à cuius iurisdictione nullus reperitur exemptus. Sed hoc non obstat, quominùs Collegæ ipsius in rebus grauibus debeât cum ipso votum decisiuū habere, pro illo enim tunc coniudices cum illo sunt, & illi non parent. Ex quibus ℞. etiam ad locum illum ex num. 74. Locus ille ex num. 23. est pro nobis expressè, vnde illum adduximus pro secunda probatione nostræ conclusionis. Verba autem illa in fine dicti num. 23. posita. *Nisi fortè super aliquo quatuor votorum, aut alio graui casu, vel scandalo rationabiliter, legitimèq; conuicti fuerint ipsi delinquentes.* nolunt dicere, quòd superiores Prælati in pœnis infligendis ratione transgressionis votorum, consensum non habeant suorum Collegarum, sed quòd non possint in dictis casibus imponere alias pœnas, præter taxatas in dicto Correct. Quòd etiam clarè explicuit Correct. num. 105. vbi datur Prælatis cum suis Collegis potestas super quibuscumq; pœnis imponendis, vel remittendis, excepto votorum pœnis. Et expressiùs in num. 107. *Præterea caueant singuli huius Ordinis Superiores Prælati, suiq; Vicesgerentes, ne ipsi aliquando super alicuius quatuor votorū fractione, quem quā remissè puniāt, vel citiùs, quā in hoc præsēti Correctorio decernitur, & ordinatur, aliquē de carceribus liberent.* Ex quibus liquet, quòd in materia votorum legislator nullum arbitramentum linquit Superioribus, neq; Socijs, sed transgressores vult puniri iuxta pœnas ab ipso taxatas, nisi fortè capitulum generale aliter disponeret, vt dicitur in eod. Correct. num. 58. Illa verba dicti num. 23. *Aut alio graui casu, vel scandalo,* intelliguntur, quòd possit Superior capiens aliquem subditum in fragrāti delicto, eum incarcerari, & ligari facere, etiam absq; consensu, & consilio Seniorum, ne delinquens fugiendo pœnas effugiat, quod pertinet ad bonum Religionis regimen, & ad statum monarchicum constituendum; nolunt tamen dicere, quòd possit Prælatus per sententiam talia facere, absq; Sociorum consensu; tunc enim non cohærerent vltima primis, quod non est dicendum, cap. Maiores, verb. Cœterùm, de bapt. & hanc explicationē desumo ex cap. Tolos. n. 47.

32 Ad secundum ℞. non sine quare ibi Consilio additum esse. Et auxilium; auxilium verò præstatur tribus modis secundùm Glossam in cap. 1. de off. iud. del. verbo Pari pœna, quam ibi multis declarat Panor. num. 5. & eam approbat tamquam communiter receptam Ant. Gab. comm. op. tom. 2. lib. 9. tit. 12. de malef. num. 15. nimirum consilium dando, cooperando, auctorizando, & defendendo; hæc autem includunt consensum, vt dicunt prælati DD. Atq; ita idem est Seniores teneri consilium, & auxilium dare Correctoribus in omnibus, ad Regulam spectantibus, ac illis fauere, & præsto esse adiuuando, & consentiendo in omnibus, quæ ad obseruantiam dictæ Regulæ pertinent.

Glossa. *Panorm.* *Ant. Gab.*

33 Ad tertium. Per, consilium, ibi intelligo consensum, iuxta ea, quæ dico hic supra nu. 26. Et quia dicunt DD. quòd quando dispositione statuti Iudex tenetur ferre sententiā cum consilio sapientis, consilium ibi sumitur pro consensu, vt Menoch. lib. 6. de præsum. præsum. 34. num. 28. Quod militat in casu nostro; & quando consilium petendum est ab eo, qui particeps est officij, vt sunt Collegæ per dicta, sequendum est, iuxta. L. Titium in princ. ff. de admin. tut. Gonzal. ad reg. 8. cancell. Gloss. 46. num. 78. Et quia Collegæ dantur Prælatis tamquam coadiutores, vnde sine illius consensu nihil possunt facere, iuxta cap. Venerabili, de off. del. vbi Glossa verbo Consilium, ait, quòd ibi per consilium, intelligitur consensus; quia aliàs nō valeret multùm coadiutor. Adde, quòd ex vi locutionis colligitur, ibi pro consilio debere intelligi consensum, ait enim *quorum prouido suffulti consilio*, sed non possunt esse suffulti, idest sustentati consilio, nisi illi adhæreant. Quòd si non placet hic impropriare nomen consilij, dic, quòd intelligitur hic textus in rebus ordinarijs, & minùs grauibus, vt dare obedientias, concedere litteras commendatitias ad ordines, scribere ad inferiores Prælatos, Confessarios, Prædicatores, atq; Lectores instituere, &c.

Menoch. *Gonzal.* *Glossa.*

34 Ad quartum iam dixi ibi per consilium declarasse Ca d. Senogall. claus. 8. debere intelligi consensum. Et constat ex his, quæ sequuntur dicto num. 72. *Veruntamen non omittatur sapientiare consilium, vbi, &c.* Et tamen certissimum est, & vsu comprobatum, quòd capitulum non congregatur à Superioribus ad sumendum consilium, sed consensum, & contra ea, quæ determinauit capitulum, nullus Superior, neq; etiam Generalis recalcitrat; & quòd capitulum non congregetur, nisi pro obtinēdo consensu, constat ex Correct. num. 6. 7. 8. 9. 10. 33. 35. 50. 78. 90.

Ad quintum constat ex num. 26. ibi per consilium, consensum intelligi.

35 Ad sextum ista inæqualis distributio est illa eadem, de qua in Correct. num. 49. & 109. cui, quia supponitur non esse exorbitanter inæqualis, certa pœnitentia non assignatur, sed relinquitur Superioris arbitrio, & Collegarum consilio. Similiter dic, quòd potest superior Prælatus de consilio Sociorum punire Correctorem pœnis leuioribus, qui in imponendis pœnitentijs à Regula taxatis negligens fuerit. Ad illud ex num. 47. eiusdem cap. Tolos. dico, quòd facit pro nostra sententia; subditur enim statim post verba cit. in arg. *dissentientes, quòd maior Superior, absq; suorum respe-*

Elinò Seniorum, seu Sociorum consilio, possit minori Superiori, citrà carceres, & alias pœnas graues, iuxta delicti exigentiam, pœnitentiam imponere. Neque dicas; ergo cum solo consilio dictorum Seniorum poterit dictas pœnitentias imponere. Nam capitulum in tali statuto condendo se fundauit in Correct. num.23. vt colligitur ex cit. marg. In quo; tales pœnitentiæ graues iubentur imponi de consensu Seniorũ. Ad illud ex cap.1. Genuen.dic, quòd assignare Informatorem Oblatis, non censetur res, magni momenti.

36 Sed obijcies. Si Collegæ sunt comparticipes officij, ergo, si delinquant, non possunt à Superiore puniri; par enim in parem non habet imperium; cap. Inferior. cap. Denique, dist.21. cap. Innotuit, §. Quamuis, de elect. ℞. tamen, quòd potest Prælatus suos Socios punire, etiam officijs eos priuãdo, quia sunt merè subditi obedientiæ, iuxta Correct. num. 13. & Præses punit æqualem sibi; l. Si quis fortè, §. Si quos comitum ff. de pœnis. cap. Placuit, 6. quæst.3. Nec obstat, quòd par in parem non habet imperium. Nam Collegæ non sunt pares suis Prælatis, neque in dignitate, quia nullam habent formaliter, neq; etiam in iurisdictione, quia multa possunt Prælati facere sine illis, de quibus num. 32. sed solùm sunt pares in iudicijs, & sententijs de rebus grauibus ferendis, in negotijs magni momenti expediendis. Et illa regula, Par in parem, fallit, quando agitur de punitione, quæ publicam concerneret vtilitatem, vt hic. Ita De Thom. in flor. reg. 233. & deinde per delictum fiunt inferiores Prælatis, & omnem dignitatem, si quam habent, amittunt; l. Quicumq. Cod. vbi Senatores, vel Claris.

De Thomasis.

37 Sed quid, si omnes Collegæ delinquerẽt, posset ne Prælatus eos omnes punire, etiam officijs priuando, supposito, quòd delicta id mererentur? ℞. Si vnus Collega delinqueret, posset Prælatus cum reliquis eum punire; arg. statuti in cap. Genuen. 2. num. 13. Similiter si duo delinquerent, posset cum 3. Collega illos castigare, arg. statuti in cap. Genuen. 1. num. 36. Et Val. 4. num. 38. sed si omnes delinquerent, deberet eos punire cum Correctore, & 1. & 2. Seniore conuentus, in quo deliquerint, vel proximioris; arg. eorum, quæ dicuntur de priuatione Generalis in Correct. num. 9. & de electione Collegarum mortuorum in cap Val.5. num. 19. ver. Ad 4. Scio tamen, quòd in resolutione illorum dubiorum, de quibus num. 29. ad quæsitum 4. quid faciendum, quando aliquis deposuerit contra Collegam, ℞. quòd poterit Generalis secretò recipere depositionem illam, eamq; probare, & Congregationi referre. Sed quæ dixi, videntur conformiora nostræ Regulæ, & constitutionibus.

CAP. III.

An externa politia vtcumq; ordinata noceat Religiosorum status.

1 ON disputo hic contra hæreticos cordialissimos Religiosi status inimicos, & merito; Religiosi enim eorum impudentias propalant, nefandaq; mendacia gladio necant veritatis: hoc namq; negotium Controuersistarum est. Pro quo videri possunt Vualden. tom.1. lib.3. doctr.fid. & tom. 3. de sacr. tit. 19. cap. 149. Alph. à Castro aduer. hæres. lib.10. ver. Monachatus Bellar. tom.2 lib.2. de Monach. Sed solùm inquiro, an Religiosorum multitudo possit vmquam nocere seculari politiæ. Et pro hoc puncto videndus est Contzen lib.6. pol. cap.46. Vestnn. de Repub. lib.3. cap.15. & lib.5. cap.21. Maucl. de monarch. Eccles. tom.1. par.2. lib.5. cap.13. Rang. noster in 1. Reg. cap.10. vers. 8. ibi, *& ostendam tibi*; & cap.1. ver.1. tit. Elcanæ, & montis Ephraim.

Aualdus. *A Castro.* *Bellarm.* *Contzen.* *Vesten.* *Maucl.* *Rangol.*

2 Dico primò, constitutissimum mihi est, Religiosorum in communi viuentiũ sub Pastoris regularis ferula multitudinem nullo vmquam tempore politiæ seculari posse nocere. Considero namq. Rempublicam in duobus statibus; in statu belli, & in statu pacis. Quod in statu belli non possit vllo modo ei nocere, patet. Quomodò enim nocebit inermis Religiosorum multitudo, otio contemplationis diuinorum assueta, ab armis secularibus, mundanisq; negotijs, populorumq; tumultibus ab incunabulis abstracta? ieiunijs, abstinentijs, disciplinis, mortificationibus, humicubationibus attrita? quorum armatura, eis ab Apostolo data ad Eph. 6. est, vt *lumbos habeant in veritate succinctos*, per contemptum illecebrarum carnis mundanarumq; vanitatum, per fidelitatem, & integritatem, per amorem rerum cęlestium, per ornamentum virtutum, per constantiam in bono, per facilitatem deferendi malum, per doctrinam, qua hostes fidei impugnantur; quò sic illi, qui Veritas est, placere per omnia possint? *Vt induant loricam iustitiæ*, quæ omnia, quæ volunt, vt sibi faciant homines, tenentur, & illis ea similiter facere, Luc.6. Cuiusq; iustitiæ primum munus est, nemini nocere, & communibus sine cuiusquam detrimento vti, omniaq; facere, quæ ad aliorum salutem, etiam cũ proprio damno, & incommodo necessaria sunt. Secundum tribuere vnicuiq. quod suum est, maiori suo reuerentiam, pari concordiã, minori disciplinam, Deo cultum, & obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, pauperi misericordiam, omnibus fraternam in Domino charitatem? *Vt habeant calceatos pedes in præparationem Euangelij pacis*, per mortificationem, per mortis memoriam, per bona exẽpla, vt bonum, quod, Domino largiente, cognoscunt, & per prædicationem Euangelij, & per bona opera alijs communicent. Et sic sunt pacifici cum illis, qui & pacem oderunt, vnde inimicitias tollunt, bella compescunt, iras cõprimunt, discordes sedant, inimicos conciliãt,

Luc. 6.

Dœmo-

Dæmonem fugant, eiusq; suggestiones retundunt; Vt habeant scutum fidei, qua operibus formata, rapiant regna cœlestia, & acquirant repromissiones? *Vt habeant galeam salutis*, idest spem salutis consequendæ per dicta bona opera? *Vt denique habeant gladium spiritus*, idest verbum Dei, quo iugulant dæmones, & omnes sequaces eius? Ecce armatura Religiosorum à capite ad talos. Galea est spes salutis; thorax est iustitia, balteus est veritas, calcei, & ocreæ sunt humilitas, & præparatio ad propagandam fidem Euangelij, cuius effectus est pax. Dextera tenent gladium, idest verbum Dei; & sinistra scutum, scilicet fidem. Quæ arma numquam deponunt, siue dormiant, siue vigilent, siue sedeant, siue currant, siue laborent, siue conquiescant, siue comedant, siue ieiunent. Et his armati ita veterem hominem, idest seculum carnalem domant, vt illorum conuersatio iam non in mundo, sed in cœlo sit, & illorum caro iam non carnalis, sed cœlestis videatur. Ista sunt Religiosorum arma, quæ cum non carnalia, sed spiritualia sint, indubitatum est, quòd numquam seculari, & mundanæ Reipublicæ sint nocitura.

3. Si verò consideremus statum Reipublicæ in tempore pacis, multò minùs ei potest nocere Religiosorum multitudo. Nam tunc nocere non possunt, nisi seditiones commouendo populum incitando, pacem turbando. At hęc fieri nequaquam possunt. Nam vel supponimus debere fieri à tota multitudine Religiosorum, & est casus metaphysicus; qui enim fieri potest, vt tota multitudo Religiosorum conueniat ad concitandum populũ contra rectè dominantiũ Dominiũ? (nisi forte dominantes curarent populum in perditionẽ trahere per introductionem hæresum, quo casu id licitum, & debitum esset ad communitatem saluandam) Quòd si nihilominùs volumus supponere. Dico, quòd ille casus certam illius ciuitatis destructionem præsagiret; esset enim casus depictus Esaiæ 9. vbi dicitur, *Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes, & qui beatificantur præcipitati: propter hoc super adolescentulis eius non lætabitur Dominus, & pupillorum eius, & viduarum non miserebitur, Succensa est quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit. In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis, & vir fratri suo non parcet. & declinabit ad dexteram, & esuriet, & comedet ad sinistram, & non saturabitur. Vnusquisq; carnem brachij sui vorabit. Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem, simul ipsi contra Iudam.* Vel supponimus, seditionem commoueri à Religiosis particularibus, & tunc non valeret consequentia, Aliqui particulares Religiosi mali, & seditiosi sunt, ergo omnes Religiosi sunt perniciosi Reipublicæ; nam à particularibus ad vniuersalia non valet illatio; alioquin valeret etiam ista, Aliqui ciues sunt seditiosi, ergo omnes ciues sunt seditiosi, & ista. Aliquæ mulieres maritatæ non seruant fidem maritis, ergo nullæ mulieres maritatæ fidem maritis seruant. Quæ consequentiæ erroneæ sunt. Nec multò minùs licet argumentari à concreto ad abstractum. Aliqui Religiosi mali sunt, ergo status Religiosus malus est. Sicut non valet,

Ex 12. Apostolis vnus iniquus fuit, ergo Apostolatus iniquus est, vt bene De Thom. in flor. reg. 178. De Thom. s.

4 At inquiunt homines de mundo. Licèt forte directè multitudo Religiosorum perniciem Reipublicæ non sit allatura, potest tamen indirectè afferre.

Primo. Propter multa ipsorum scandala, & mala opera. Videntes enim multi simplices, eos, qui dati sunt in ædificationem, multa mala facere, & peiora quandoque, quam ipsi vn quam imaginari norant, animantur ad similia facienda; putantes non esse tam mala, quam ipsi imaginabantur. Si Ioui licuit, dicebat Terentianus ille nebulo, virginem aureis pluuijs constuprare, quare & mihi volentem violare non licebit? Teren.

Secundo. Quia si omnes homines fierent Religiosi, & continentiam vouerent, certè humanum genus destrueretur.

Tertiò. Licet nõ omnes, si tamẽ quamplurimi id genus vitæ amplecterentur, non potest negari, quin in hoc remaneret damnificata Respublica, non enim posset ab ijs ea obtinere obsequia quę ab alijs ciuibus.

Quartò. Quia Religiosi multa in dies acquirãt, vel piorum virorum voluntatibus, vel propria industria, & labore, quæ statim sunt exempta à gabellis, datijs, & grauaminibus, quibus subiectantur aliorum ciuium bona, inde publicum ærarium minuitur, & tantum possunt crescere dicta Religiosorum bona, vt ita dictum ærarium minuatur, quòd supportandis Reipublicæ oneribus non sit idoneum, sine spe quòd vlpiam augeatur. Participant enim in hoc Religiosi (qui bona possident in communi) de illo attributo Christi, qui numquam dimisit, quod semel assumpsit.

5 Ad 1. Aliquorum Religiosorum impietas eo vitæ genere, quod profitentur, indigni, facit, vt cogar fateri, multos ex illis scandalosè viuere; sed quid inde? forte inferes, ergo omnes scandalosè viuunt? scandalosa est consequentia. Quamplurimi enim virtuosè, & exẽplariter viuunt. Ex centum vnum malum vix reperias, & centum virtutes vnius malitiam non compensabunt? *Noli respicere*, ait Hier. epist. 34. *Iudam negantem, sed Paulum respice confitentem*; nec amurcam, & purgamenta Religionum attendas, sed oleum, & ornamenta intuere, & intelliges, paucorum scandala nihil obesse posse, si compares cum multo, quod prodest cæterorum omnium sanctum viuendi institutum. Vide id genus plura apud Platum de bono stat. Relig. lib. 3. cap. 25. D. Hieron. Platus.

6 Ad 2. R. cum Aug. de bono coniug. cap. 10. *Vtinam hoc omnes vellent dumtaxat in charitate, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, multò citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus seculi.* Et Hier. 1. cont. Iouin. *Noli*, inquit, *metuere, ne omnes virgines fiant, difficilis res est virginitas, & ideo rara, quia difficilis.* Chrysost. de virg. cap. 15. tom. 5 *Hi*, inquit, *solliciti sunt ne communę hominum genus aliquando deficiat, & omnem animæ suæ, tamquam alienæ, curam vnusquisq; negligit*, Et cap. 16. probat, quòd genus humanum per connubium nec conseruatur, nec augetur. D. August. D. Hieron. D. Chrysost.

Neque verò, ait, nunc etiam genus nostrum augetur contrarijs vis, sed Domini oratis ea, quam habuit ab initio, crescite, & multiplicamini, & replete terram. Et concludit cap. 15. quòd etiamsi omnes homines castitatem vouerent, & seruarent, non per hoc destrueretur humanum genus; qui enim ex nihilo illud potuit creare, alia via, quàm per connubium, illud etiam potest conseruare. Vide plura huiusmodi apud Platum loco cit. cap. 26.

Platus.

7 Ad 3, Obsequia, quæ ciues tenentur suæ Reipublicæ soluere, sunt quinq; principaliora primũ est legationum, secundũ consiliorum, tertiũ custodiarum ciuitatis, quartũ auxiliorum pecuniæ tempore necessitatis, quintũ magistratuum. Sed ista obsequia possunt optimè soluere Religiosi seculari Reipublicæ, si casus occurrat necessitatis. Et quò ad primum de legationibus. Cum *legatus sit is, qui lectus, missusq; publice publicum negotium peregrè agit, non militari manu, sed viribus ingenij:* vt ex Carolo Paschasio cap. 1. de Leg. refert Germon. lib. 1. cap. 1. num. 1. de Leg. Seu, vt illum definit Bragaccia lib. 1. de Leg. cap. 6. *Est publicus minister, sufficienter bonus, doctus, & expertus, missus à Republica ad absentem, publicorum negotiorum, vel amicabilis congratulationis causa.* Quis prohibet, grauem virum, & doctum Religiosum munus hoc explere, & rectè, cum non viribus armorum, sed ingenij illud explendum sit? Et si in Legatis requiruntur morum integritas, eruditio, politia, ac omnes animi, corporis, & fortunæ dotes, actionumq; humanarum vsus, & experientia, vt docet Canonher. lib. 2. qq. in Tacit. de Leg. in princ. Quis neget in Religionibus omnibus viros esse quamplurimos his omnibus conditionibus ornatos? Possem ex omnibus Religionibus exempla quamplura, & noua, & vetera proferre; ex mea innumera, sed historias non scribo. Sit hoc vnum in signum particularis amicitiæ, qua illum prosequor, Legatio illa, quam obijt ad Regem Catholicum venerabilis P. F. Ioseph Cianus à Messana, Prouincialis Neapolis, motu proprio Summi Pontificis Vrbani VIII. ad hoc munus penitus inscius, absens, & ad quiescendum in cella reclusus, nouiter assumptus. Is anno 1610. à toto Regno Siciliæ pro negotijs, de quibus dicent Historici, ad Regem Catholicum, legatione functurus, missus est. Hic omnia prætereo, qua arte Panormo exijt, cum exitus esset omnibus præclusus, qua sollicitudine, quibus periculis Madritum appulit, qua prudentia, & dexteritate legationem exposuit. Hæc talia fuere, vt à Catholico Rege, eiusq; ministris desideratum suæ legationis finem breuissimo tempore felicissimè obtinuerit. Affero in gratiam patriæ etiam legationem, quam obijt ad Ducem Vrbinatem P. F. Gabriel Cleala noster Genuensis doctissimus Concionator, missus à fel. rec. Paulo Papa V. anno secundo sui Pontificatus. Et quòd omnis vir habens supradictas conditiones, sit aptus ad legationis munus explendum, docet Germ. lib. 1. de Leg. cap. 18. nu. 53. Et praxis communis est, vt Principes passim ad negotia secretiora tractanda, & quæ citissima indigent expeditione, viros graues, & Religiosos destinent.

Germon.
Bragaccia
Canonher.
Germ.

8 Quo ad illud secundũ de consilijs. Si consiliarij debent esse illi, qui Exodi 18. describuntur illis verbis. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis, qui iudicent populum.* Ex quo loco elicit Caiet. quòd 5. conditiones debent habere consiliarij, prima debent esse magnanimi, magnatum vultum non timentes, votum suum liberè exponentes. Vnde dignissima est illa Alphonsi Regis sententia. *Consiliarios Regum aut Reges esse oportere, aut Regum animos habere,* secunda debet timere Deum, qui enim timet Deum, faciet bona. Vnde Fridericus III. Imperator rogatus, quos è suis haberet charissimos, respondit, eos, *qui non magis me, quàm Deum timent,* tertia debent esse sapientes; propterea decet senes, fideles in secretis, studiosos historiarum, non præcipitatos, sinceros, honestæ famæ, iuris Reipublicæ bene peritos, experimentatos, non adulatores. Vnde fuit digna Caroli V. Imperatoris vox, audita morte Thomæ Mori, viri sapientissimi, Angliæq; Cancellarij, & martyris, *In Moro Henricus Rex VIII. totius Angliæ rapuit præsidium,* quarta debent habere veritatem non tantùm sapientiæ, quantùm iustitiæ, neminem fallentes. Vnde Ludouicus XI. Galliarum Rex aiebat, *se in aula omnibus rebus abundare, excepta vna;* & rogatus, quænam ea esset, dixit, *Veritas,* quam cum inuenisset in B. P. N. Francisco, valde gauisus est. Vnde licèt mortis timidissimus esset, eam tamen prænuncianti Francisco, certamq; eius diem signanti, non succensuit, sed ad pietatem, & ad pœnitentiam se conuertit, solliusq; Francisci consilijs regendum se tradidit, Caroloq; filio, vt eum in suum intimum Consiliarium assumeret, mandauit, talemq; Consiliarium Regni sui columen, & paludamentum Ludouicus XII. nominare consueuerat, quinta debent à muneribus abstinere, *qui enim diligunt munera, infideles, & socij furum dicuntur,* Esaia 1. Vnde Alcamanes Teleucri filius Spartanus rogatus, cur munera à Messenijs oblata non accepisset, respondit, *quia si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem.* Sed nullus negabit, in Religionibus reperiri viros magnanimos, quibus viuere Christus sit, & mori lucrum. Et quis potest maiori cum libertate votum dicere, quam ille, qui terrena non sapiens, eaq; & illorum desiderium respuens, ex officio habet esse veridicus, & cui gloriosum est pro veritate decertans in odium optimatum incurrere? vt dicebat Nanz. orat. 1. num. 120. Quod etiam significarunt Romani, vt Crinit. refert. lib. 10. c. 10. Quando potuerunt nefas, vt flamines vllum nodum haberent in apice, in cinctu, aut in alia parte. Quòd Religiosi sint timentes Deum, probatione non indiget, cum in id studij diu, noctuq; incumbant; vnde vel Religiosi non sunt, vel timentes Deum sunt. De sapientia non dubitatur, cum ex officio habeant docere, prædicare, libros scribere, & id notum est lippis, & tonsoribus. Et sic de reliquis.

Caiet.
Alphons.
Greg. Naz.
Crinitus.

9. Quoad tertiũ de custodia ciuitatis. Verũ quidem est, non licere Religiosis arma capere

ad ho-

ad hostes oppugnandos; cap. Quicumq; el 1.23. quæst.8. cap. Eos, qui, 20. quæst.3. cap. Ex multa, §. de Cler. de vot. cum arma illorum sint lacrymæ, & orationes; cap. Conuenior, 23. q.8. §. Quid ergo turbamur; Glossa in cap. Continentia, vers. Ad Subdiaconatus, de Cler. perc. Vnde Bern. epist. 221. ad Ludou. Reg. Franc. ait, *Professi stabimus, & pugnabimus vsque ad mortem, si ita oportuerit, pro matre nostra armis, quibus licet, non scutis, & gladijs, sed precibus, fletibusq; ad Deum.* Possunt nihilominùs cum consensu saltem præsumpto suorum Superiorum hortari seculares ad fortiter pugnandum pro defensione oppressorum, & Ecclesiæ; cap. Omni timore, cap. Hortatu, 23. q.8. facit cap. Fortitudo, 23. quæst.3. Grat. in cap. Quicumq; cit. vers. His ita respondetur. D. Tho. 2.2. q.40. art.2. ad 2. & 3. Nau. in man. cap.27. num. 215. & hoc non solùm ante conflictum, sed etiam in ipso conflictu. Molina tom.1. de iust. tract.2. disp.102. vers. His non obstantibus. Becan. 2.2. cap.25. q.18. num.4.

S. Bernar. *Gratian.* *D. Thom.* *Nauarr.* *Molina.* *Becan.*

10 Et possunt etiam in aliquibus casibus per se ipsos pugnare, mutilando, occidendo &c. primò quando aliter propriam vitam saluare non possunt, vt si in naui ipsorum cum aliorum vita, vel ditissimum, & inæstimabile bonum libertas periclitetur, secundò quando id est necessarium ad defensionem Reipublicæ, aut ciuitatis, ita vt, pugnantibus Religiosis, patria, aut ciuitas, vel exercitus conseruanda, illis verò non pugnantibus destruenda, vel captiuanda sit, tertiò quando id esset necessarium ad consecutionem talis victoriæ, à qua pax, & bonum commune Ecclesiæ pendet. Et in his casibus non solùm possunt, sed etiam iure naturali tenentur pugnare; Caietan. 2.2. quæst.40. art.2. vers. Sunt verò aliqui, & vbi Mald. Mol. loco cit. vers. Sunt verò aliqui. Conin. de act. disp.31. nu.91. Becan. loco cit. q.8. Val. tom.3. disp.3. par.4. col.1. ver. Secundò. Qui aduertit, in dictis casibus licentiam non requiri; quia sicut gratia non destruit naturam, ita lex Ecclesiastica non tollit obligationem legis naturalis. Neq; in his casibus in quibus licitè possunt Religiosi pugnare mutilando, & occidendo, iure naturali suadente, illam incurrunt irregularitatem, vt bene Val. loco cit. col.5. vers. Sed contraria sententia, Conin. loco cit. Sylu. vers. Bellum.3. q. 2. licèt aliqui, vt Nauar. & alij contrarium sentiant.

Caietan. *Malder.* *Conin.* *Valen.* *Valen.* *Conin.* *Syluester.* *Nauarr.*

11 Tenentur etiam Regulares ad custodiam murorum ciuitatis tempore necessitatis, per expressum tex. in cap. Peruenit, de imm. Eccl. Et nulla est maior pietas, quàm patriam defendere; cap. Fortitudo, 23. quæst.3. Vnde hoc casu licet etiam Ecclesias fortificare, seu incastellare, ad hoc vt illuc fugiant obsessi, & saluentur. Ita Innoc. in cap. Cum Ecclesia, de imm. Eccl. vbi Io: And. num.2. Anchar. in cap. Quia nonnulli, num. 9. eod. tit. in 6.

Innocen. *Io: And.* *Ancharā.*

12 Et aduerte, quòd ad defendendam ciuitatem tempore necessitatis tenentur nō solùm Regulares, qui sunt naturales illius, sed etiam illi, qui in ea localiter habitant. Cum enim Religiosi per votum professionis sint exempti à iurisdictione Principum temporalium etiā naturalium, sunt ciues illorum locorum, in quibus habitant, & comedunt panem. Atq; ita docent Nauarr. tom.1. cons. de sent. excom. cons.20. num.2. & cons.12. de Reg. num.23. ver. Nunc quoad; Sa in aphor. ver. Ciuitas, num.4. Laz. in comp. op. Nauarr. ver. Monachus, num. 5. Graff. tom.1. cons. lib.5. de pœnit. cons.2. art.3. num.7. Ricc. 4. par. prax. decis.63. num.5. Bart. in l.1. ff. Ad municipales, num.14. & num. 13. ait, quòd Prælatus fit ciuis illius ciuitatis, in qua habet Ecclesiam; & num.11. ait, quòd non per hoc desinit esse ciuis patriæ, ex qua duxit originem. Et si vis scire, quot modis quis ciuis fiat, adi Pen. in l. Ciues, Cod. de incolis, lib. 10. Et aduerte hic etiam, quòd sacerdos regularis transiens per aliquem conuentum, debet celebrare missam pro illo conuentu, in quo panem comedit, non pro eo, in quo localiter permanet. Tum ne illi sit onerosus; tum quia in nostro Ordine præsertim hos, tres sunt subditi illis Correctoribus, per quorum conuentus transeunt. Et ad id potest cogi ab illo Superiore, si enim est illius subditus, ei obedire tenetur.

Nauarr. *Sa.* *Lazar.* *Graffius.* *Riccius.* *Bartol.* *Penna.*

13 Quò ad quartū, de auxilio pecuniarum. De hoc iam dixi tom. 1. prin. in confl. 2. in fi. 11. num. 141. quòd tempore necessitatis tenentur Regulares Remp ublicam adiuuare de suis bonis, & contribuere ad ratam, prout alij ciues. Et DD. ibi cit. adde Anchar. loc. cit. Et nota ad hoc propositum, quòd cum tempore belli indicti huic Reipublicæ Genuensi anno 1625. Ego essem Prouincialis huius Prouinciæ, obtuli dictæ Reipublicæ omnia vasa argentea, quę erant in nostra sacristia Conuentus IESVS MARIAE, cæteraq. dicti conuentus bona: & ab illustrissimis de Palatio responsum cum gratiarum actione accepi, ea pietate dignum, qua semper eis venerata res Ecclesiasticas dicta Respublica; nimirum quòd priùs erant consumenda bona Reipublicæ, deinde secularium, tum demum, his consumptis, quando nullum aliud suppeteret remedium, vti fuissent bona Ecclesiasticorum.

14 Quò ad illud de Magistratibus, Certum est, quòd ea munera non possunt obire Regulares; Cap. Eos, qui, 20. quæst. 3. possunt tamen consilijs dictos Magistratus iuuare, ac si personaliter exercerent, non enim minùs gerit Magistratum, qui consilio gerit, quàm qui personaliter gerit, vt ait Glossa in cap. Ex multa, ver. inhabiles, de voto.

15 Ad quartū, principale fateor, acquisita à Religiosis difficulter alienari, vetantibus summis Pontificibus, alienantur tamen multa diuersis occasionibus, & prætextibus. Cæterùm video multum, quòd dubitetur, posse aliquādo euenire, vt tantum crescant à Regularibus acquisita, quòd ærarium publicū oneribus obeūdis non sit sufficiens. Nam (vt omittam, quæ possem hic dicere) præterita tempora quid futurum sit denunciāt; cap. Scribam, de præsump. Et argumentum de præteritis ad futura validum esse, multis probat Barb. in loco comm. verb. Argumentum, nu. 202. Et argumentum ab experientia validissimum est, vt Bald. in leg. Non ignorat, Cod. de his, qui accus. non poss. sed Religiones in 1250. annis tales diuitias non acquisiuerunt, fidelium charitate feruescente;

Barbosa. *Bald.*

pescente; ergo dicendum est, quod neque etiã in posterum acquirent, hoc ipsum charitate tepescente, ne frigescente dicam. Minor huius syllogismi constat experientia; Nam, prætermissis Mendicantibus, qui semper mendicantes sunt, & vix habent, vnde saturentur pane, si loquamur de Religionibus Monachorum, qui aliquas diuitias videntur habere, hos verissimum est multas olim habuisse receptas à summis Pontificibus suarum Religionum, sed modò quas habent vix sufficiũt ad sustentationem familiæ. Quòd si qui ipsorum superabundantes habent, in pauperes dispensant; quod in vtilitatem Respublicæ redundat. Præterea, vt dixi num. 13. tempore necessitatis omnes Religiosi tenentur sua bona exponere pro communi malo a Republica arcendo. Et quòd Ecclesiasticorum diuitiæ vtiles sint sæculari politiæ, vide apud Contz. lib. 6. pol. c. 42. & c. 43. respondet ad ea, quæ contra illas obijciũt hæretici. Constat ergo ex omnibus supradictis, quòd Religiosi quantumuis crescant, neque directè, neq; indirectè possunt vnquam nocere Respublicæ sæculari.

Contzen.

16 Poterunt tamen nocere occasionaliter, si contemnantur, & vilipendantur à viris sæcularibus: tunc enim, cum specialis hæreditas Domini sint, creaturarum omnium Creator ad iracundiam prouocabitur, & vindictam sumet de ijs, qui ausi fuerint oculi sui pupillam tangere. Vnde Saluian. lib. 8. de gub. Dei, vt refert Rang. noster in 1. Reg. cap. 8. vers. 7. tit. Quod prophetarum, &c. aiebat; *Sacrilegij quippè genus est, Dei odisse cultores; sicut enim si seruos nostros quispiam cædat, nos in seruorum nostrorum cæde iniuria; & si quispiam filius verberaretur alienus in supplicio filij pietas paterna torqueretur; ita & cum seruum Dei aliquis lædit, maiestas diuina violatur.* Et S. Anacleti epist. 1. vt refert Maucl. de monarch. Ecclesi tom. 2. par. 2. lib. 5. cap. 13. ait. *Iniuria Sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur.* Ipsomet Christo testate Luc. 16. *Qui vos spernit, me spernit.* Et l. Reg. 8. Samueli dictum est. *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et in facti contingentia pueri irridentes Prophetam Elisæum, dicendo *ascende calue, ascende calue*, lacerati sunt à duobus vrsis, vt Reg. lib. 4. cap. 2. narrat historia. Odium enim sæcularium in Religiosos per irrisionem, per maledictionem, per sibilum, per insufflationem, per extorsionem, per denegationem eorum, quæ illis debentur, per paruı pensionem comprobatur, vt bene Rang. loco cit. Et multorum Regnorum, & Prouinciarum ruinam ex hoc pessimo fonte ortum habuisse, docent grauissimi DD. De Afris dictus Saluian. De Gallis Fulbert. Carnot. epist. 1. ad Abbonem Abbatem Floriacen. vt refert Maucl. loco cit. De Anglis Rang. loco cit. vers. fin. Et faxit Deus, quòd calamitates præsentes ex eodem non originentur; nam reddet vnicuiq; secundùm opus suum, & iuxta ea, quæ quisq; suis Religiosis fecerit, faciet illi; quia contra ipsum facta fuisse putat.

Saluian. *Rangel.* *Maucl.* *Luc. 16.* *Rangel.* *Saluian.* *Carnot.* *Maucl.*

17 Dico secundò multa commoda, & vtilitates affert status Religiosorum sæculari politiæ; de quibus Contz. Veston. Maucl. Rang. loco cit. sup. num. 1. Quæ ad duo capita reduci possunt. Ad opera nimirum, & ad sermones. Quoad opera; quòd hæc multum fructum afferant Respublicæ, docet Aug. tom. 6. de vtil. cred. cap. 17. opera enim non solùm necessitatis, sed & supererogationis faciunt Religiosi omnes, quibus admonent populos, & excitant ad bene viuendum: Nam cum Religiosorum, reliquorumq; Christianorum finis sit acquisitio æternæ beatitudinis, & videant populi, Religiosos tot opera supererogationis facere, vt illam margaritam consequantur, inflammantur ad ea saltem facienda, quæ necessitatis sunt, vt & ipsi eadem potiantur. Quare videntes, Religiosos tam strictam obedientiam seruare, vt ad nutum Prælati genuflectant, stẽt, sedeant, currant, comedant, abstineant, animantur ad obediendum impigrè maioribus suis Principibus, parentibus, &c. Et videntes, eos castitatem seruare, intra limites matrimonij se continent. Ex ipsorum paupertate colligunt, in diuitijs cor apponendum non esse, sed ex eis esse pauperibus subueniendum. Ex quarto aliquarum Religionum voto, vt vitæ quadragesimalis Minimorum, discunt frugaliter viuere, suis temporibus ieiunia seruare. Ex voto Iesuitarum eundi ad seminandum Euangelium ad simplicem voluntatem Pontificis, nullo petito viatico, in quamcumq; mũdi plagam, discunt, nulli esse parcendum labori pro fidei dilatatione, & animarum salute procuranda. Ex voto redemptionis captiuorum docentur promptitudinem, quam debent ostẽdere in operibus misericordiæ exercendis. Ex voto Clericorum ministrantium Infirmis, deseruiendo hospitalibus, discunt erga dictos infirmos charitatem. Deinde Religiosi populis Sacramentum pœnitentiæ ministrant, & Eucharistiæ, quibus eos ex dura liberant seruitute peccati, ex manibus extrahunt diaboli, reconciliant Deo, qui sic reconciliati vitia præterita detestantur, ea recordari horrent, & in futurum abstinere, ac ad meliorem vitæ frugem redire proponunt. Quare illi Principes, qui suos populos operibus, & sermonibus hortantur ad Sacramentorum frequentiam, de seditionibus, tumultibus, & coniurationibus timere non debent. Si deinde loquamur magis in specie de Religiosis, qui labore manuum suarum viuunt, hi prosunt, non solum quia nullo modo Rempublicam grauant, sed etiam quia subleuant, vilius enim, quàm alij, merces suas vendunt: Hi verò, qui contemplationi vacant, corpore quidem non laborãt, ait enim Arist. 8. pol. cap. 4. quòd *simul mente, & corpore laborare non oportet.* Laborant tamen mente, & sunt veluti custodes, qui custodiunt ciuitates die, ac nocte, easq; ab hostibus visibilibus, & inuisibilibus defendunt: De his enim intelligo locum illum Esa. 62. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Vnde Ber. hom. de duob. discip. eunt. in Emaus, ait. *Ciuitatem custodiunt isti vigiles. Hi sunt vigiles obseruantes omnĩ tempore custodias Domini. Hi excubant ad hostium tabernaculi, Hi sunt Oriones, & Hyades, & interiora Austri; quàm delectabile est eis interesse vigilijs, consurgunt de nocte, in principio vigiliarum suarum;*

Contzen. *Veston.* *Maucl.* *Rang.* *D. Augusti.* *Aristi.* *S. Bernar.*

suarum, vt effundant cor suum coram Domino, & oratio eorum apud Altissimum. Hi Religiosi, qui precario viuunt frequenti eleæmosynarum postulatione, sunt causa, vt deuoti sæculares eleęmosynas frequenter faciant, & opera misericordiæ exerceant, ijsq; exercendis assuescant. Qui verò ex redditibus viuunt, hospitalitatem exercent, pauperibus erogant multa, & plus quandoq; vno die, quam integræ ciuitates, vt pauperum multi testantur.

18. Venio ad sermones, seu potiùs ad opera, quæ sermonibus complentur. Docent Religiosi populos in prædicationibus, in cathedris; ignorantiam, pestiferum humani generis morbum, ab hominum mente exterminare student. Infideles ad fidem conuertere satagunt; cum hæreticis verbis, scriptis, operibus quotidie dimicare non desinunt. Suis cohortationibus populos in vnione Religionis conseruant; eos in Principum suorum obedientia retinent (opus omnibus politicis valde charum.) Hi docent homines Deum timere, reuereri, colere, orare, adorare, in rebus aduersis patientiam habere, proximis benefacere, inimicos diligere. Et denique nulla est virtus, quæ à Religiosis viris in populos non refundatur. Et si vis scire beneficia singularia, quæ Religiosi particulares populo Christiano fecerunt, adi *Platin.* Platinm de bono statu Religio. lib. 2. cap. 30. Et denique scias, quòd si nihil aliud facerent Religiosi, quàm Deum orare pro populis, multum in hoc illis prosunt. Valent enim solæ eorum preces, & tacita merita ad Deum humano generi conciliandum, *Greg. Naz.* vt dicebat Nazian. orat. 1. in Iulian. fere in med. *Quorum lacrymæ peccati diluuium, & mundi piamentum, quorum extensæ inter precandum manus flammas extinguunt; feras consopiunt, gladiorum aciem retundunt, instructas* *Euseb. Cæs.* *acies in fugam vertunt.* Et Eoseb. Cæsar. lib. 1. Euang. demonst. cap. 8. *qui hunc modum amplexi sunt*, ait, *quasi ab hac mortali vita sejuncti, ipsumq; dumtaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò, atq; animo in cælo degentes, quasi quidam cælites, reliquorum hominum vitam despiciunt: quippè qui pro vniuerso genere supremo omnium Deo sacrati sint.* Et paucis interpositis. *quibus rebus diuinitatem ipsam placantes, suum, & pro se ipsis, & pro aliis, qui eiusdem sint generis, administrant sacerdotium.* *Volater.* Et Homer vt refert Volater. lib. 29. de suppl.

Namq; preces summi famulæ Iouis esse feruntur.

At spretæ innumeros luctus, ac damna precantur.

Et vt politicis, qui vt crassioris ingenij, crassa solùm, & mundana respiciunt, in parte etiam satisfaciamur, versent hi parùm cogitatione, & mente quot nobilium familiæ, mediantibus Religionibus, conseruentur; quæ sine illis, paupertate adactæ, nobilitatem perdidissent; quantos equestres viros alunt Religiones, qui sine illis pedisequi fuissent? non enim omnes ad militiam, & nauticam apti.

CAP. IV.

De varijs Superioribus Regularium, eorumq; duratione.

1. IDEATVR pro hoc cap. Azor *Azor.* to. 1. institut. moral. lib. 13. c. 11. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 12. ar. 5. & *Rodriq.* q. 16. art. 1. Cord. in reg. Minor. *Corduba.* c. 8 q. 1. vbi Polit. Suarez to. 4. *Suarez.* de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2. *Miranda.* & 7. Miranda tom. 2. man. quæst. 6. art. 5. Ca- *Castellin.* stellinus de elect. cap. 19. Tambur. de iur. Abb. *Tambur.* disp. 12. quæsito 2.

2. Supponendum ex dictis sup. cap. 1. nu. 1. & tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 3. quòd in Religionibus necessarij sunt Prælati ad eas regendas, & conseruandas. Et his, quæ ibi ad id probandum attuli, adde Chrysost. hom. 34. *D. Chrysost.* in epist. ad Hæb. in princ. vbi ait. *Malum quidem est, vbi nullus est principatus, & multarum cladium hæc res existit occasio, & confusionis est, turbationumq; principium. Sicut enim si ex choro ipsum coryphæum auferas, nequaquam modulatus chorus, vel ordinatus existit, & phalanx militum, si ducem non habeat, nullo modo numero acies illa, vel ordine procedit, & nauis, si gubernatore priuetur, potest eam necesse est: sic & gregi, si pastorem abstuleris, cunctus dispergetur, & peribit. Malum igitur est, vbi nullus est principatus, subuersionis quippè hoc est argumentum.* Vide Suarez loco cit. cap. 1. *Suarez.* num. 1.

3. Dico 1. Superiores Religionum Mendicantium communiter sunt in triplici differentia, vt Suarez loco cit. Aliqui enim sunt su- *Suarez.* premi, qui vocantur Generales, & præsunt toti Religioni, seu Congregationi; ita vt supra se in eis nullum alium Superiorem agnoscant, dum rectè suum officium administrant, nisi capitulum generale; & habent immediatam iurisdictionem in omnes Religiosos sibi subiectos, etiam in Prælatos, medios, & infimos, secundùm magis, & minus, pro Religionum diuersitate. Alij sunt Prælati medij, qui vocantur Prouinciales, seu Ministri, & isti præsunt certæ alicui Prouinciæ, & in sua Prouincia nullum Superiorem recognoscunt, dum rectè officium administrant; subduntur tamen immediatè Generali, & habent immediatam iurisdictionem in omnes Religiosos suæ Prouinciæ. Monachi verò istos Prælatos medios non agnoscunt, licèt habeant supremum, quem Abbatem generalem vocant, & infimum, quem Abbatem simpliciter. Alij sunt Prælati infimi, qui Priores, Guardiani, Rectores, Præpositi, Correctores vocantur; & isti præsunt vni alicui conuentui, in quo nullum alium Superiorem recognoscunt, subduntur tamen immediatè iurisdictioni Prouincialium, & Generalium, & habent immediatam iurisdictionem in solos fratres suorum conuentuum. Omnes dicti Prælati habent iurisdictionem ordinariam, tum spiritualem, tum temporalem in suos subditos,

 vt dixi

vt dixi tom. 1. priu. in conſt. Pyrrhi, nu. 11. *Suarez.* & docet Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 2. num. 7. quæ iurisdictio eſt quaſi Epiſcopalis, vt dixi tom. 1. priu. cit. nu. 46. & *Tamburin.* docent Tambur. de iur. Abb. tom. 1. diſp. 1. q. 4. *Suarez.* num. 2. & Suarez loco cit. num. 9. qui à nu. 10. probat, hanc iuriſdictionem habere etiam Superiores locales, cui conſentit Sanch. 2. in dec. cap. 11. num. 7. Quod tamen in Ordine noſtro non videtur procedere; non enim abſoluunt noſtri Correctores à caſibus reſeruatis, niſi ſpecialiter à Prouincialibus, vel Generalibus deputentur, vt patet ex Correct. num. 86. Nec poſſunt confeſſores Fratribus deputare; ibid. num. 85. nec Prædicatores inſtituere, num. 79. nec poſſunt concedere literas commendatitias ad ſacerdotium ſuſcipiendum, num. 77. nec etiam ad alios ordines, ſine licentia capituli, num. 78. Nec poſſunt multa alia facere, quæ ordinaria poteſtate faciunt Epiſcopi, & reliqui ſuperiores Prælati. Sed his non obſtantibus, adhuc cenſet Suar. num. 13. & 14. quòd dicti Superiores locales etiam in Ordine noſtro, vt ex eius doctrina colligitur, habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, cum habeant poteſtatem excommunicandi, præcipiendi, abſoluendi, à caſibus etiam Papalibus, vt probo tom. 1. noſt. priu. in conſt. 4. Syxti IV. nu. 25. & 26. Vnde etiam poteſt concedi, quòd dictam iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, ſed magis limitatam, quàm Prouinciales, quod non eſt mirum, cum etiam ipſi Prouinciales dictam iuriſdictionem habeant magis adhuc limitatam, quàm Generales, vt dicit *Suarez.* Suar. num. 14. & conſtat ex ijs, quæ dixi tom. 1. huius op. quæſt. 1. cap. 21. §. 2. concl. 1.

4. Dico 2. Generalis Ordinis Prædicato- *Azor.* rum eſt perpetuus. Azor tom. 1. lib. 13. cap. 11. quæſt. 8. patet ex conſt. dicti Ordinis de quibus *Feſtus.* Feſtus par. 3. cap. 24. Perpetuus ſimiliter eſt Generalis Ieſuitarum; vt Suar. tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 10. cap. 2. num. 2. Item Generalem perpetuum habent Carthuſiani, vt dicit *Nauarr.* Nauarr. comm. 3. de Reg. num. 3. verſ. Tertiò per imitationem; & Suarez. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 7. num. 4.

5 Dico 3. multæ Religiones Generalem perpetuum habebant, quem tamen proceſſu temporis temporaneum reddiderunt. Ita de Re- *Perez.* ligione Monachorum Perez in cap. 64. Reg. S. Bened. num. 9. vbi ait, quòd S. Bened. Inſtituit Abbatias perpetuas; *quas tamen ob grauiſſima incommoda, diu vſt, quòd Religio reiecit, approbante Romana Sede, & omni Religione annuente.* *Tambur.* Et de Congregatione Vallis vmbroſæ Tambur. de iur. Abb. tom. 1. diſp. 18. quæſt. 2. num. 7. *Tho. à Ieſu.* Et de Ordine Carmelitarum dicit Tho. à Ieſu in expoſ. ſuæ Reg. par. 3. cap. 1. ſuper illis verbis, *Qui ex vnanimi*, quòd Prior generalis per totius vitæ ſpatium perdurabat; nunc autem ſolùm per ſexennium, iuxta conſt. Clem. *Cherubin.* VIII. apud Cherub. tom. 3. bull. in conſt. 25. *Caſtellin.* §. 21. pag. 32. Dicit tamen Caſtell. de elect. cap. 19. pag. mihi 406. ex cap. 10. conſt. Diſcalceatorum, de quibus loquitur dicta conſt. Clē. quòd illorum Generalis non durat niſi per triennium, ſed hoc triennium eſt ſolùm pro Congregatione Italiæ, & illud ſexennium eſt pro Congregatione Hiſpaniæ. Monachi S. Baſilij, & S. Auguſtini licèt ex eorum Regulis Generales haberent perpetuos, vt Miranda tom. 2. mand. quæſt. 6. art. 6. verſ. Sed præterea; Nau. lib. 3. conſ. de ſtat. Monach. conſ. 7. num. 8. illi tamen nunc habent triennalem, vt conſtat, ex conſt. 58. Gregorij XIII. Benedictus, §. 10. to. 2. bull. pag. 434. Iſti, verò, ideſt Auguſtiniani, habent ſexennalē vt cōſtat, ex cōſtitutione 5. Pauli V. Prouiſionis, §. 2. to. 3 bull. in append. pag. 60. & ex conſt. 2. Syxti V. Exigit, in bull. Eremit. S. Auguſtini impreſſo Romæ anno 1628. vbi §. 2. dicitur, quòd Generales illius Ordinis ab immemorabili tempore fuerunt perpetui; & §. 3. illum reducit ad ſexennium. Fratres Minores perpetuum habebant Generalem, vt colligitur ex eorum Regula, cap. 8. & ibi id dicit Cor- *Miranda.* duba quæſt. 1. & Polit. nu. 7. & Miranda tom. 2. *Nauarr.* man. quæſt. 6. art. 5. Sed nunc non durat niſi *Corduba.* per ſexennium, vt dicit idem Miran. ibi art. 1. *Politius.* concl. 3. & Rodriq. tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 16. *Miranda.* art. 2. Sigiſmund. de elect. par. 3. cap. 1. dub. 101. *Rodriq.* cum dixiſſet Generalem Minorum priùs fuiſſe *Sigiſmūd.* perpetuum, ſubdit, factum eſſe temporalem à ſummis Pontificibus, pie motis rationabilibus de cauſis. Cruciferi olim Generalem perpetuum habebant, nunc verò habent triennalem, vt dicit Azor tom. 1. lib. 13. cap. 11. q. 8. *Azor.* verſ. Cruciferi, & conſtat ex conſt 59. Pij V. Nihil in Eccleſia, tom. 2. bull. pag. 255. In cuius §. 5. dicitur. *Vnde cum huius frugiferæ diſciplinæ cultus iam ferueret, ac labeſcere conſpiceretur, piæ mem. Innocentij Papa VIII. procurante Priore generali, & Definitoribus dicti Ordinis, bene, ac prouidenter ſtatuit, vt ipſe Generalis, ac cæteri omnes Priores, &c. deinceps non ad vitam, ſed ad triennium dumtaxat aſſumeretur.* Fratres Trinitarij Generalem perpetuum habebant, vt Azor loco cit. verſ. Hic eſt ordo; ſed nunc Reformati eiuſdem Ordinis ad ſexennium reduxerunt, Caſtell. de elect. cap. 19. *Caſtellin.* pag. 409. Mercenarij olim perpetuum Generalem habebant, nunc ad ſexennium reduxerunt, Azor loco cit. verſ. Ipſo anno. Seruitæ olim perpetuum habebant Generalem, nunc ad triennium reduxerunt. Azor loc. cit. verſ. ſexdecim anni: ſed Caſtell. loc. cit. pag. 407. ex conſtitutionibus ipſorum dicit durare ad ſexennium; poteſt eſſe quòd fuerit extenſum. Item perpetuum habebant Ciſtercienſes, vt Tambur. de iur. Abb. tom. 1. diſp. 18. quæſt. 2. num. 1. ſed poſt reform. Gregorij XIII. triennalis factus eſt in Italia, & in Hiſpania, vt Caſtell. ex cap. 12. conſt. dicti Ordinis pag. 384. Item perpetuum Generalem habebant Clerici miniſtrantes Infirmis, vt patet ex conſti. 17. Gregorij XIV. Illius, §. 5. tom. 2. bull. fol. 706. ſed ad ſexennium reductus eſt per conſt. Clem. VIII. datam Romæ anno 1600. die 28. Decembris in qua illius Ordinis Regula reformatur, & approbatur cum derogatione dictæ conſtitutionis Gregorij XIV. Item perpetuum Generalem habebant Clerici regulares minores, vt conſtat ex conſti. 81. Syxti V. Sacræ Religionis, §. 3. tom. 2. bull. pag. 619. Sed nunc habent ſexennalem. Itē perpetuū habebant Armeni S. Bartholomæi

Genuæ,

Generæ, sed à tempore Syxti IV. ad triennalem reduxerunt.

6. Dico 4. Reliquæ omnes Religiones habent Generalem temporalem, & fortè ex primæua institutione Canonici reg. S. Saluatoris habent triennalem, vt constat ex const. 98. Syxti V. Ex varietate, tom. 2. bull. pag. 668. Canonici regulares Later. triennalem, ex const. 14. Pauli V. §. 5. Pastoralis, to. 3. bull. pag. 193. Eremitæ Congregationis Petri de Pisis Ordinis S. Hieron. triennalem, ex const. 13. Syxti IV. §. 7. & 12. Sedes Apostolica, tom. 1. bull. pag. 361. Fratres S. Ambrosij ad nemus, quibus vniti sunt per Syxtum V. vt constat ex const. 15. Pauli V. Pastoralis, tom. 3. bull. pag. 195. Fratres Congregationis S. Barnabæ, aliàs Societatis fratrũ Apostolorum pauperis vitæ, vt per const. 3. Alex. VI. Piæ vitæ, tom. 1. bull. pag. 393. habent Generalem triennalem, vt per const. 22. Eugenij IV. §. 4. Regimini, tom. 1. bull. pag. 291. Camaldulenses triennalem; Castell. de elect. cap. 19. pag. 375. Item Reformari eiusdem Ordinis; dictus Castell. pag. 381. licèt priùs solùm annualem haberent, vt ex const. 4. Leonis X. Etsi à summo, §. 88. & 90. tom. 1. bull. pag. 468. Fratres S. Hieronymi Fesulani olim Generalem annualem habebant, vt per const. 22. Eugenij IV. §. 4. & 7. Super gregem, tom. 1. bull. pag. 290. Sed modò redactus est, vt audio, ad triennium. Cassinenses quinquennalem; Castell. pag. 366. Clerici, qui Theatini dicuntur, triennalem, per const. 11. Clem. VII. §. 2. Exponi, tom. 1. bull. pag. 576. & ex par. 3. suar. const. cap. 7. Minimi Generalem habebant triennalem, ex Reg. num. 41. sed crescente Religione, cum non posset tam breui spatio totam Religionem visitare, factus est sexennalis, vt constat ex const. 4. Pauli V. Cum sicut, in to. 3. nostr. priu. pag. 311. Clerici de Somascha triennalem. Clerici item, qui Barnabitæ dicuntur; triennalem. Clerici piarum scholarum, seu Congregationis Matris Dei, approbati, vt audio, à Gregorio XV. primum Generalem habuerunt nouennalem, alios deinde perpetuos; De istis Clericis habes duas const. in to. 3. bull. vna est Pauli V. Inter pastorales, pag. 316. altera Clem. VIII. Ex quo diuina, in append. eiusd. bull. pag. 45.

Castellin.

§. *Primus, an expediat Generales esse perpetuos.*

D. Thom. Chauass. Scriban. Canoohe. Lipsius. Contzen. Maluetius Nauarr. Cordub. Miranda. Suarez. Castellin. Azor. Rodriq.

7 VIDERI potest pro hoc §. D. Th. lib. 4. de regim. cap. 7. & 8. Chauass. de perf. prud. lib. 2 cap. 5. §. 4. Scrib. in pol. christ lib. 1. cap. 30. Canoohe. q. in Tacitum Vtrum Magistratus perpetui esse debeant, pag. mihi 168. Lips. exép. pol. lib. 2. c. 9. monit. 3. q. An curias, &c. Contz. lib. 7. pol. c. 10. Maluet. in Tacit. disc. vlt. in terminis. Nau. côm. 3. de Reg. n. 3. & lib. 3. cons. de stat. Monach. cons. 7. n. 8. Cord. in Reg. Min. q. 3. introd. verb. Sicut & aliq. Mir. to. 2. man. q. 6. at. 6. Suar. to. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 7. & tr. 3. lib. 10. c. 2. Castel. de elect. c. 20. n. 8. ver. Quinta propositio. Azor to. 1. lib. 12. c. 20. q. 21. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 16. at. 1. Sarton. in ciu. Reip. reg. cons. 176. Tambur. to. 1. de iur. Abb. disp. 12. q. 3.

Sartonius. Tamburin.

8. Expedire Generales, & capita Ordinum regularium omnium perpetuò durare, mordicùs defendit Nauarr. loco cit. vehementer desiderans, vt qui temporales sunt, ad perpetuitatem reducantur. Nauarr. sequuntur Rodriq. Azor, Mir. Castell. illius tantummodò dictis inhærendo, Nau. doctrinam ampliat, & sequitur Suarez. Quæ tamen mihi subtiliùs trutinanda est.

Nauarr. Rodriq. Azor. Miranda. Castellin. Nauarr. Suarez. Nauarr.

9. Primò igitur probat Nauar. cum Prælati temporales à subditis pendeant, ijsq; indigeant, eos timent. *Humani enim moris est illum vereri, cuius indicio, & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur*, vt dicitur in cap. Vlis, 16. quæst. 1. vnde vis Prælatiæ minuitur, cum non possint in subditos liberè auctoritatem exercere, nec eos pro meritis punire.

10. 2. Quia ex hac vicissitudine multa oriũtur vitia; & in primis ambitio Religiosis pestis, quæ Religiosorum oculos excæcat, ne sui status obligationem agnoscant, vt dicitur in cap. Quorumdam, de elect. in 6. ex qua subsequitur eneruatio disciplinæ; electi enim electoribus promittunt impunitates, priuilegia, gratias, &c. sequuntur deinde conuentiones simoniacæ, quibus alij alijs promittunt suum fauorem futuris triennijs, vt in præsenti sibi faueant; contra cap. Quam pio, 1. quæst. 2. cap. Pactiones, de pact. Oriuntur etiam subornationes, & collusiones, quibus alij sibi, vel alijs suffragia in futurum procurant. Insuper factiones, dissidia, susurrationes, murmurationes, detractiones, dum alij aliorum veros defectus, & vitia tum naturæ, tum morum detegunt, & augent, alij falsos imponunt, quò factionis contrariæ personarum opinionem bonam tollant, vel minuant. Insuper electi in suos suffragatores saltem pro primo anno in gratiam suffragationis omnes gratias, & priuilegia conferunt, nec eis ingratum quidplam iubere possunt, nec punire, si delinquant; eos verò, qui sibi aduersari sunt, crudeliter insequuntur, puniunt, corrigunt, inquietant, nec vllam occasionem eos molestãdi prætermittũt.

11. 3. Quia ex ista temporalitate nascitur negligentia gerendi, conseruandi, & augendi temporalia, quoad redditus reddendos vltra suũ triennium, biennium, vel annũ; immò & defendendi, & recuperandi illa, quæ redditus sui triennij augere non possunt, & impensis illium diminuuntur.

12. 4. Quia Patriarchæ Regularum Institutores Generales perpetuos instituerunt: & Ecclesiæ Prælati perpetui sunt.

13. 5. Quia nouum hoc inuentum Generalatus temporanei ex solùm ratione nititur, quòd perpetui frequenter nimiùm absolutè gubernant, & redditus temporales in vanos, & extraneos vsus conuertunt; parcè, & auarè in monachos, & Ecclesiarum, & monasteriorum ornamenta impendunt. At de duobus malis minus est eligendum, & tolerandum; cap. 1. dist. 13. Ergo hæc parua temporalia sunt potiùs toleranda, quàm tot temporalia; & spiritualia, quæ ex Prælatis temporaneis consequuntur.

Nauarr. *Suetonius.* 14. Confirmat hæc omnia Nau. 1. exemplo Tiberij Cæsaris, qui, vt est apud Suet. in eius vita, tardissime, aut numquam Rectores Prouinciarum mutabat. *Tacitus.* Vnde Tacit. 1. ann. fine ait, *Id quoq; morum Tiberij fuit continuare imperia, ac plerosq. ad finem vitæ in ijsdem exercitibus, aut iurisdictionibus habere*; secundò confirmat exemplo Dominicanorum, & Iesuitarum, quorum Generales perpetui sunt, & concludit dicto comm. 3. quod licet temporanei Generales in Ordinibus Mendicantium possint vtcumq; tolerari, quia illorum prælecturæ non sunt multùm concupiscibiles, tamen in Ordinibus Monachorum omnino expedit esse perpetuos; tertiò supradicta omnia confirmat de statu Monach. cit. & testatur tamquam annosus testis, & consultor, ad quem innumera peccata pro remedio occasione dictarum temporalium prælecturarum delata sunt, quod si posset absq. scandalo, restituere statum antiquum Generalium perpetuorum.

Nauarr. 15. 6. Probatur sententia Nauarr. quia maiori alacritate suscipitur munus, & diligentiori cura exercetur, in quo quis est perpetuò perseueraturus; quiescit enim in eo, & delectatur, & tamquam res propria curatur, nam non amatur, quod propter se non amatur; *Aristotel.* vnde Arist. 2. pol. cap. 3. *est*, inquit, *sane inenarrabile, quantum intersit ad voluptatem considerare aliquid esse proprium sui; non enim frustra quisq. ad seipsum amicitiam habet, est vere id naturale.*

16. 7. Quia longa experientia multum confert ad magnam prouidentiam, & gubernationem; qua experientia carent gubernia temporalia; quando enim tales gubernatores experientiam habere incipiunt, tunc officia deficiunt; nec de rebus perpetuis admodùm curant, contenti vt sit pax in diebus suis. *Socrates.* Vnde Socrates in Nicocle aiebat, vt referunt, *Qui magistratus per vices annorum subeunt, prius fiunt iterum priuati, quàm Reipublicæ negotia cognoscant, earumq. sibi experientiam comparent; qui verò ijsdem semper officijs funguntur, licet ingenij fuerint inferioris, experientia tamen, vsuq; rerum longè cæteris præferendi sunt.* *Dio.* Et Dio lib. 2. in or. Mæcen. *Anni*, inquit, *illi magistratus, ac pauco tempore circumscripti, hoc habent, vt cum quis aliquid in ijs addidicerit, prius decedat, quàm eius specimen exhibere possit.* *D. Tho.* Et, vt ait ex Arist. D. Thoma lib. 4. de regim. cap. 7. *Experientia facit artem, & inexperientia casum, & scientia rei militaris nutrit audaciam; nemo enim facere metuit, quod bene se didicisse confidit.*

17. 8. Idem probatur exemplo rerum naturalium; videmus enim in terra, quòd partes eius eodem modo sẽper se habent, vt cõtingit in mineris, quia minera auri in eadem parte terræ semper generat aurum, & minera argenti argentum. Vnde Iob. 28. dicitur. *habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur;*

18. 9. Superiores temporales monasteriorũ bona auidissimè deuorant tamquam lupi vespertini, scientes quia modicum tempus habẽt. Vnde Galbæ ministri in Imperatoris senecta *Tacit.* pecus deglubere satagebant, dicente Tacito 1. histor. *iam afferebant venalia cuncta præpotentes liberti,: seruorum manus subitis auidæ, & tamquam apud senem festinantes.*

19. 10. Probatur ex Scriptura sacra Exodi 18. vbi dicitur, *Constitue ex eis Tribunos, qui iudicent populum omni tempore.* *Exod. 18.*

20. Dicendum tamen mihi videtur, statui Regularium magis expedire Generales temporaneos, quàm perpetuos. Pro hac sententia affero D. Thom. lib. 4. de regim. Princ. c. 7. & B. Canonh. Scriban. & in terminis Sarton. locis cit. num. 6. *D. Tho.* *Canonh.* *Scriban.* *Sarton.*

21. Probatur 1. ex Scriptura sacra 1. Machab. 8. vbi approbatur annualis electio Romanorũ magistratuum. *Et committunt vni homini magistratum suum per singulos annos dominari vniuersæ terræ, & omnes obediunt vni, & non est inuidia, neq; zelus inter eos.* Super quem locum dicit Glossa, quòd, durante in Republica Romana tali magistratuum electione, creuit in illud augmentum, quo populis omnibus dominata est. *Glossa.* Et D. Thom. loco cit. dicit, quòd causa talis electionis annuæ fuit, vt electus *non insolens dominaretur, & moderatis citò succurreret.* *D. Tho.* Quod prius dixerat Eutrop. lib. 1. hist. *Et placuit ne imperium longiùs, quàm annum haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed ciuiles semper essent, qui se post annum scirent futuros esse priuatos.* *Eutropius.* Ex quibus collige tres bonos effectos Prælationum temporalium. Primus est cessatio inuidiæ, & zeli; vnde etiam D. Th. subdit, *distribuere personis idoneis magistratus, causa est maioris pacis in ciuitate, & in politia quacumq;* *D. Tho.* Secundus est augmentum Reipublicæ; antecessoris enim gloria acuit successoris ingenium ad meliora patranda, illius pericula hũc cautum reddunt, & ab his, quæ illum exosum reddiderunt, hic prudenter abstinet; docet namq; qui præest, sequẽtes iter. Tertius est modestia in regimine, quis enim, nisi stultus, insolescat imperans, cum statim parere cogatur; quis non modestè imperet, cũ statim sit ea metiendus mensura, qua alios fuerit metitus? quis vir honestus ea perpetret mala, quæ statim toto tempore vitæ suæ sibi priuato sunt ab omnibus exprobanda.

22. 2. Probatur. Nam vel dignitates sunt honores, vel onera. Si primum, eis priuare viros sapientes, & prudentes insultum est. Si secundũ æqualiter etiam distribuenda æqualibus, ne vnus tanto onere pressus succumbat.

23. 3. Cum vitũ ostendat magistratus, contingit aliquãdo, vt vir virtuosus eligatur, qui deinde, vi dominationis impulsus, in alterũ vitũ mutetur vitiosum, & sceleratum, vt de Saule 1. Reg. testatur Scriptura à cap. 15. qui difficulter ad tempus sustineri poterit, & durissimũ est in perpetuũ. Vnde Arist. 1. pol. cap. 2. fine ait. *Perfectiona suscepta, optimum cunctorum animalium est homo. Si autem alienus fiat à lege, & iudicijs, pessimum est omnium animalium: sæuissima est enim iniustitia tenens arma.* *Arist.*

24. 4. Quidam sunt naturaliter ad subiectionem dispositi, & ad regimen minùs valent, & è conuerso, vt dicit D. Th. de regim. lib. 4. c. 7. & Arist. 1. pol. cap. 8. *D. Tho.* *Arist.* Ergo qui est bonus subditus, assumptus est malè regens; &, si perpetuetur eius principatu, est causa scissuræ in ciuitate.

25. 5. Appetitus honoris inest naturaliter Val. Max. hominum, voce Val. Max. vt refert D. Thoma D. Tho. loco cit. ait: *Nulla est tanta humilitas, quæ hac dulcedine non tangatur*. Et Oleast. Gen. 3. ait, Oleaster. quòd Deus non est passus, aliquem suorum monarchiæ mundi oblatione tentari, præter Christum. Et reddit rationem, *quia enim nouerat, neminem, nisi Christum, victorem euasurum ex præsentata mundi monarchia, eum solum voluit illa tentari*. Et Pius II. in descrip. Eu- Pius II. rop. cap. 9. ait. *Auarissima honoris humana mens facilius opes, quàm gloriam partitur*. Hincq; sequitur, quòd homo est superioris impatiens dare ergo Prælaturam vni soli, est causa seditionis, & tumultus; cum præsertim *diuturniora imperia*, vt ait Dio loco cit. lib. 52. *multos* Dio. *ad fastum, ac tentandas res nouas extollant*. Concludit ergo D. Thom. quòd *laudabilis est poli-* D. Tho. *tia, in qua secundùm meritum vnicuiq; ciui vicissim distribuuntur honores, vt antiqui fecerunt Romani; quam etiam Philosophus magis commendat*.

26. 6. Quia cum omnia senescant tempore, Arist. regimina etiam senescere oportet, vt ait Ar. 2. pol. cap. 7. *est enim vt corporis, sic etiam ciuitatis senectus*. Et sic regentium vitalis ætatis senium senescens regimen comitatur: quare tepidiores, remissiores, segnioresq; fiunt Prælati perpetui, & assidua iustitiæ tractatione minus eius reuerentes; quotidianum enim opus cum tædio, & fastidio vsurpatur;

27. 7. Corruptelæ in perpetuis gubernationibus facilè obrepunt. Et quibus ex diuturnitate securitas adest, facilè aures, & manus ijs laxant, munera accipiendo, omnia in vsum proprium conuertendo, ea amicis, & cognatis largiendo; & veh, & iterum veh illi, qui auderet aperire contra os suum. Ex quibus incommoda grauissima, etiam spiritualia oriuntur, non solùm pro Prælatis ipsis, sed etiam pro subditis: munerum largitiones, simoniæ, subditorum odia, detractiones, murmurationes, &c. Nec facilè possunt vitari; Quæ enim non facit malus Prælatus perpetuus vt se conseruet? Quas non tyrannides exercet? quas non iniustitias? Quas non virtuosorum depressiones? Quas non vitiosorum, & facinorosorum hominum exaltationes? Quas non pecunias emungit? conuentus expilat, monachos expoliat, vt eos corrumpat, qui suæ perpetuitati fauere possunt. Et quos non excæcat, insurdescit, & consopit pecunia? Quid nunc ea non obtinetur in curijs.

28. 8. Plus potest destruere malus Prælatus perpetuus, & quò ad temporalia, & quò ad spiritualia, quàm centum temporales. Et probo. Quia si vnus temporalium destruit, statim alter ædificat, nec potest tantum vnus destruere, quin statim possit alter ædificare, febris enim, quantumuis grauis, si interpolet, periculo carere designat, dicunt medici. At continuatio Prælati mali omnia eradicat germina, cum febris continua occidat. Nam ponamus, quòd Prælatus malus perpetuus viuat 20. annos in Prælatura, qui eo tempore ad Religionem recipientur, quomodò viuent? certè tales subditi, quales Prælati; à boue enim maiori discit arare minor.

Vnaq; conspecta liuorem ducit ab vna,
Cum spectant lesos oculi læduntur, & ipsi.

Ergo cum isti iniquitatem biberint in iuuentute, ex qua diligentia, & studium incipit peccandi; cum per spatium dictorum annorum ita relaxate vixerint, nonne in criminibus gloriabuntur? quis deinde Prælatus, quantumuis bonus, hos reformabit, retinebit, disciplinatè viuere coget? quis eos subiugabit? certè indurata virga rumpitur potiùs, quàm flectatur; & relaxata Religio reformari nequaquam potest: vnde bene dicunt aliqui, quòd faciliùs Religio de nouo fundatur, quàm relaxata restituatur. At inquis, non viuunt pro suo arbitratu Prælati perpetui, sed secundùm leges, quarum si præuaricatores extiterint, absoluuntur. Sed de hoc iam dixi num. præced. Nec sunt ita stulti Prælati mali, vt vno ictu velint Religionem relaxare, magistro eorum diabolo tecnæ, nec astus deíunt, quæ illos doceat, & callidus serpens paulatim serpit.

29. 9. Vbi Prælati sunt perpetui, perpetuæ sunt persecutiones, nec eas terminat, nisi tunc fausta mors; & semper sunt pauperes, qui semel sunt pauperes. *Hoc enim habent pessimum animi magna fortuna insolentes, quos læserunt oderunt*. Nec sperandum est, quòd vnquam reconciliari omnino possint, nam dicunt, quòd amico reconciliato nulla est adhibenda fides; quod tamen esse falsum, si verè, & ex corde, ac à multo tempore facta sit reconciliatio, conuincit auctoritas Hieron. 2. contra Hieron. Ruff. vbi ait. *Ego cùm omnes amicitias tuendas semper putaui summa religione, & fide, tum eas maximè, quæ essent ex inimicitijs reuocatæ in gratiam*. Et habent semper in ore illud Ecclesiastici 12. *Non credas inimico tuo in æternum, & si humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo*. In temporaneis autem Prælaturis hoc non contingit in Prælatis prudentibus, qui semper non se imperaturos recordantur; quod inculcabat Agatho Rex magistratibus, vt refert Stob. serm. 43. Insipientes Stobæus. autem si id non recordentur, spe finis faciliùs tolerantur, nec ad desperationem adducunt.

30. 10. Perpetuitate dominij superbiunt ita homines, vt liberas Religiones suas esse proprias, & hæreditarias existiment, nihilq; Religionis corpus faciant, & non tamquam partes se gerant, sed tamquam domini, contrà dictum Apostoli 1. Pet. 5. *non dominantes in cleris*. Vnde Tac. lib. 2. ann. ait, *superbire* Tacitus. *homines etiam annui magistratus designatione, quid si honorem per quinquennium agitent?* Et Patrit. lib. 1. de Repub. tit. 6. *Præfinitum tem-* Patritius. *pus magistratus habere debent, nam perpetuò imperare in libera ciuitate odiosum est: parere enim, vt imperare discat, optimo ciui expedit*; vt nimirum compati sciat necessitatibus, & infirmitatibus subditorum, tamquam qui ea olim fuit expertus, & iterum experietur.

31. 11. Ex Arist. 2. pol. cap. 3. vbi confu- Arist. tans sententiam Socratis magistratus perpetuos admittentis, ait, *periculosa est insuper magistratuum constitutio, quam sic facit Socrates, vt semper sint ijdem*. Et cap. 7. ait, *seniorum quoq;*

potestas non verò apud illos constituta est, nam quòd sint viri boni, ac sufficienter ad virtutem eruditi, atque forsitan aliquis ciuitati conducere, existimerò quod per omnem vitam magis de rebus decernendis potestatem habeant, periculosum est. Et narrat Dio lib. 60. quòd cum Carthagine magistratus vitales essent, petente Annibale, annuales facti sunt, & refert Liu. lib. 3. quòd, instante Æmilio Mamerco Dictatore, Censura, quæ per quinquennium durabat, ad menses 18. redacta est à populo, quo facto, ipse Mamercus sequenti die Dictaturæ cessit, eam reddens rationem; *Vt sciatis, quàm mihi diuturna imperia non placeant.* Et Platonem magistratus perpetuos abhorruisse, docet Ianell. tom. 2. suor. oper. Epit. in pol. Platon. tract. 7. cap. 2. col. 3. & addit, in hoc non se bene gessisse Aristotelem erga preceptorem suum.

Dio.

Liuius.

Ianellus.

32. 12. Probatur exemplo Caroli V. Imperatoris, de quo Scrib. t. pol. Christ. cap. 30. ait, quòd dedit consilium Philippo filio, ne gubernationes magnas diu sub vno capite pateretur. Patet exemplo omnium Religionum, tribus, aut quatuor exceptis, vt constat ex num. 4. 5. & 6. & ex num. 5. constat, multas Religiones, quæ Generalem perpetuum habebant, eum temporalem reddidisse, ob incommoda, quæ ex tali perpetuitate patiebantur; immò quæ ex antiquis Religionibus relaxatis perpetuum Generalem habentibus reformatæ sunt, in temporalem reformauerunt, vt constat ex dicto n. 5. non constat autem aliquam Religionem, quæ habuerit ex sua primæua institutione Generalem temporaneum, eum ad perpetuitatem reduxisse.

Scriban.

33. 13. Quia perpetuitate tollitur occasio talentum sibi concreditum exercendi, & acquirendi experientiam gubernandi. Alij etiam non curant ea merita acquirere, quæ ad regimen, ad quod aspirare diffidunt, sunt necessaria. Multi etiam ex hoc non ita disciplinatè viuunt, sicut si ad tale officium possent ascendere, *vitium enim aliquando vitio tollitur*, vt ait Aug. epist. 29. col. 4. Vnde fit, vt his omnibus bonis priuetur Religio. Quod considerantes nobiles Romani, pueros suos docebant, vt apud Valer. aliquando legi, vt honores appeterent, cum enim ad honores non eleuarentur nisi viri probi, probos hoc solo honoris stimulo eos reddebant, quod non contigisset, si honores appetere non licuisset.

August.

34. 14. Quia vt plurimum in istis electionibus perpetuis parum remanet libertatis electoribus, ingerunt enim se in ijs principes magni, & Magnates vtque ad hoc vt aliquis sibi, vel suis charus assumatur, & hoc vel per fordes, vt plurimum; vel per sanguinem. Ad quod potest facere, quod ait Liu. lib. 4. *libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas.*

Liuius.

35. 15. Quia talia continuatio honorum vetatur in iure ciuili, vbi lib. 10. Cod. tit. 40. habetur tit. De muneribus, & honoribus non continuandis. Et in lege Honor. 6. gerendorum, ff. de mun. & hon. dicitur, Neq; continuare quisquam honores potest.

36. 16. Denique Prælati perpetui ingenerant in ambitiosorum mentibus perpetua sui interius desideria; nec solùm in ambitiosis, sed etiam in nouitatum amicis, quorum numerus est infinitus. Et quandoq; desiderijs additur aliquid aliud.

37. Ad argumenta allata pro prima sententia primò concedo, quòd vbiq; sunt angustiæ, & si Attica plorat non ridet Italia; vt est commune in rebus illis moralibus, & politicis; longe tamen minora incômoda cerno in Prælatis temporalibus, quàm in perpetuis, vt consideranti omnia supradicta, & infra dicenda patebit. In particulari autem ad 1. R. 1. illud argumentum etiam procedere in Superioribus perpetuis; nam & ipsi eliguntur eo modo, & ab ijs, à quibus eliguntur temporales, & correctioni electorum subiacent, si delinquant; nullus est enim Generalis, siue Dominicanorum, siue Iesuitarum, &c. qui à Religione, quæ illum elegit, deponi non possit, si delicta id exigant 2. R. illud dictum intelligi de ijs, qui eliguntur, & deponuntur ad nutum, & simplicem voluntatem aliquorum, quales sunt Vicarij, & Capellani, qui instituuntur, & destituuntur ad nutum, & voluntatem, etiam sine aliqua causa rationabili eorum, à quibus fuerunt instituti; vnde necessariò debent eos timere, & est casus illius cap. vt patet ex illis verbis, *Fi cum volueris, aufertur.* At hic sumus in casu differenti, electi namq; in Prælatos non depriuuntur ad nutum, & voluntatem eorum, qui eos elegerunt; sed requiritur maxima, & vrgentissima causa, probanda iuridicè non ab ijs, qui elegerunt, sed à deputatis; vnde non est, quòd Prælatus eos timeat, qui sibi suffragati fuerunt, cum ijs nullo modo indigeat. Vel 3. R. quòd illud, Vereri, intelligitur timore reuerentiali, vt explicat, Glossa in cap. Illud quidem, verb. Compellitur, 8. q. 2. humanum enim est ei reuerentiam exhibere, à quo beneficium acceperis. Quòd si, salua iustitia, & regulari disciplina, fiat, & alioquin persona electa digna est, & quæ nullius incongruæ voluntati deseruire parata sit, vt dicitur dicto cap. Illud, non est inconueniens.

Glossa.

38. Ad 2. testor tamquam Christianus, & Religiosus, qui annos vixi 45. & ex his 30. in Religione, quique interfui quatuor capitulis generalibus, sex prouincialibus, quindecim definitorijs, 20. plusminusuè conuentualibus, quòd ego non vidi tot ruinas, quot hic confingit Nau. Non potest quidem negari, quin in dictis capitulis fiant aliquando altercationes, quin multæ suffragatorum adsint diuisiones, quibus alij vnum, alij alium eligere prætendunt, singuli existimantes à se propositum cæteris meliorem. At hoc neq; nouum, neque reprehensibile est, vt dicitur in cap. Nec nouum, 8. q. 1. neq; quidquam id minuit de perfectione Religiosa, cap. Si fortè, d. 63. Cæterùm ambitioni obsistum est per const. 5. Pauli V. tom. 2. nostr. priu. Et subornatoribus obsistum est per const. 10. Vrbani VIII. §. 52. ibid. Quòd verò dicit de murmurationibus, & detectione defectuum. Si defectus veri sint, & essentialiter faciant ad electionem, non est malum detegere, immò ad id obligantur scientes, quando ex eorum occultatione aliquid detrimenti grauis est passura Religio. Si verò

falsi,

falsi, eo tempore non impressionem faciunt, & calumniatores semper calumniantur. Illud de simonijs, si intelligatur; quòd prætendentes donent aliquid alicui magnati extra Religionem, vt illius patrocinio dignitatem assequantur, non est verisimile; nam si pecunia corrupti debent posse apud electores, debent esse magnæ auctoritatis, & consequenter diuites, pauperum Religiosorum pecunia non indigentes; si non sunt magnæ auctoritatis apud electores, nequicquam valebunt, cum apud eos vix aliquando valeant potentissimi Reges, orbisq; terrarum augustissimi Principes. Si autem intelligatur de simonia commissa in corrumpendis immediatè electoribus, absolutè nego id posse fieri; nam sunt ita conscientiæ dediti, vel passionibus affecti, vt omnia contemnant in comparatione finis consequendi. Præterea, & his moribus potest etiam contingere, licet non tam frequenter, in electionibus perpetuis. Illud de pactis, si fiat, non fit ita impudenter, vt supponit Nau. Nam ad *Nauarr.* plus eligendus dicit electoribus; Non ero in- *Sigismund.* gratus; & tunc nulla est simonia, vt ait Sigism. de elect. dub. 54. num. Nec similiter adest simonia, quando eligendus diceret electori, Da tu suffragium, & de tuo honore curabitur, sicut *Portel.* congruum fuerit, vt Portel. in dub. reg. ver. Simonia, nu. 1. Nec etiam adest simonia, quando dicitur suffragato, Et non dubites, ego ero amicus tuus. Nec similiter quando dicitur, Suffragato tali, deinde cætera officia inter vos sunt diuidenda, vel inter vos diuidite. Quia in his casibus pacta non sunt clara, & verba solùm sunt generalia, quæ non stringunt, cum solùm ciuiliter intelligantur. At ad hoc vt in his pactis interfit simonia, requiritur, quòd detur, vel non detur alicui votum cum onere expresso de iustitia exigibili, vt fiat aliquid quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa principali immediata talem rem spiritualem ha- *Nauarr.* bendi, vt Nau. in sum. cap. 23. num. 100. ver. *Sigismund.* Secundo quod duplex; Sigism. loc. cit. num. 6. Vide quæ dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 31. §. 9. concl. 2. Illud verò, quòd saltem pro 1. anno non possint dicti electi suis suffragatoribus quidquam ingratum iubere, ridiculum est. Vidi enim sæpissimè contrarium. Et huius rei eam soleo rationem reddere. Quòd scilicet putantes electores eo tempore omnia sibi licere, & deberi. Prælati honestatem, & iusti- *Seneca.* tiam irritant in se ipsos; Quod insinuauit Sen. lib. 1. de benef. cap. 1. dicens. *Multos experimur ingratos; plures facimus; quia alias graues exprobratores, exactoresq; sumus, alias leues, & quos paulò post muneris sui pæniteat, alias querulì, & minima momenta calumniantes.* Ad quem *Lipsius.* locum citat Lips. dictum quoddam Columellæ scilicet. *Multi beneficia, quæ in amicos contulerunt, leuitate destruunt.* Verùm cum iurisconsultorum aures in nostra materia sint sicut portæ illæ sterquilinij, de quibus Plutar. apud Roa *Roa.* *Plutar.* sing. lib. 6. cap. 15. per quas purgamenta eijciuntur ciuitatum, potest esse, quod aliqui maleuoli pauca vera multis falsis miscentes, ea *Nauarr.* retulerint doctori Nau. qui facilius, quam par erat, ijs assensum præbens, hæc scripserit. Vnde *Suarez.* benè Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. cap. 9. n. 6.

ait, sententiam Nau. non esse ita certam, sicut *Nauarr.* ipse putauit, & incommoda, quæ attulit, non tam inferri ex duratione Prælatorum, quam ex modo eligendi.

39. Ad 3. fateor, aliquam reperiri aliquando negligentiam in aliquibus Prælatis temporaneis circa bona temporalia. Sed nulla est hæc comparatio cum dilapidatione bonorum monasterij, quæ fit, ipsomet Nau. concedente, à *Nauarr.* Prælatis perpetuis; Illa negligentia in temporaneis reparatur per assistentes, & quando non, per successorem. At hæc dilapidatio nequaquam potest reparari.

40. Ad 4. concesso, quòd aliqui Religionum Institutores perpetuos Generales instituerint; cum tamen id successu temporis non sit visum vtile, approbantibus summis Pontificibus, mutatum est, vt dixi num. 5. Ecclesia verum est quòd habet Pastores perpetuos, quia inter ipsam, & Pastorem intercedit connubium spirituale, quod ad similitudinẽ connubij carnalis perpetuum est. Deinde beneficia Ecclesiastica annexam semper habent præbendam, & beneficiarij faciunt fructus suos: quorum neutrum reperitur in Prælatis Regularium. Vnde etiam dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 31. §. 9. conclus. 12. quòd excommunicatio lata contra simoniacos in beneficijs, non comprehendebat simoniacos in istis dignitatibus regularibus.

41. Ad 5. ea incommoda, & multa alia dicta supra coegerunt summos Pontifices ad perpetuitatem illam tollendam. Ad 1. confirmationem; Non continuabat Tiberius magistratus, quia id iudicaret vtilius, sed propter alias rationes, quas immediatè subijcit Tacitus, di- *Tacitus.* cens, *causæ variæ traduntur, alij tædio nouæ curæ semel placita pro æternis seruauisse; quidam inuidia, ne plures fruerentur. Sunt qui existiment, vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium, neque enim eminentes virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat, ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat.* Cum ergo odisset Tiberius, vt ait Malu. disc. 53. in Tac. summè virtuosos, nec vitiosos vellet assumere, non ita facilè oneri aptos, & æquales reperiens, semel mediocriter aptos assumptos, à quibus nec sibi periculum, nec Reipublicæ dedecus metueret, continuabat. Ad 2. confir. Dominicanis, Iesuitis, Carthusianis, & Trinitarijs non reformatis, opponimus cæteras omnes Religiones, de quibus num. 5. & 6. Ad tertiam confir. patet ex dictis num. 38.

42. Ad 6. Verum est, quòd maiori diligentia custodimus propria, quàm aliena. Sed Prælatus, quantouis tempore duret, etiam perpetuo, numquam tamen Religionem gubernare debet tamquam dominus, sed solùm tamquam procurator; cap. Fraternitatem, de donat. Est nihilominus verum, quòd procurator res Ecclesiæ tenetur meliorare, & eo affectu custodire, & conseruare, ac si essent propriæ, vt est text. in dicto cap. Fraternitatem. Sed iste affectus potest æquè benè reperiri in Prælatis temporaneis, ac in perpetuis, immò melius in illis, quàm in istis; nam isti sæpissimè rem tamquam propriam re, & affectu administrant, & cum Religiosorum damno in proprium commodum,

modum, & vtilitatem conuertunt; quod illis facilè non accidit. Et licèt viri mundani, & interessati nihil ament, nisi in ordine ad seipsos; viri tamen Religiosi, qui omnia respuerunt, vt Christum lucrifacerent, omnia amare debent in ordine ad Deum, & publicam vtilitatem. Quòd si contrarium faciant, iam degenerant tam temporales, quàm perpetui. Vnde tunc currit regula, quòd de duobus malis minus est permittendum; Sed nemo dubitare potest, quòd minus malum in hoc genere possint causare Prælati temporales, etiam rem suam agentes, quàm perpetui.
Arist. Verum etiam est dictum Arist. quòd maxima voluptas est considerare, rem esse propriam; sed ita humanas mentes deprædantur inordinati affectus, vt etiam rebus proprijs abutantur quamplurimi, pinguissima patrimonia in damnum proprium, & familiæ dissipantes.


43. Ad 7. fateor, experimentatum Prælatum cum puritate conscientiæ iudicio rationis non carentem, vt dicitur in cap. Non solùm, de reg. in 6. optimum esse. Sed vt dem, ista experientia carere eos, qui primò ad Prælatiam assumuntur, qui tamen iam aliàs assumpti fuere, ea non carent; & hi, qui primò, cùm aliquandiu in Prælatia perseuerauerint, experti sunt; &, si discreti, & timentes Deum sint, à prædecessoribus discent, quæ sibi facere oporteat, ea sequendo, quæ in illis laudata fuere, & quæ vitu-
Tacit. perata fugiendo. Et vt Tac. ait 1. hist. in or. Galbæ ad Pis. *Vtilissimus, idem ac breuissimus bonarum, malarumq; rerum delectus, cogitare quid aut nolueris sub alio Principe, aut volue-*
Suarez. *ris.* Videatur Suarez tom. 4. de relig. tract. 1.
D. Thoma. lib. 2. cap. 7. num. 7. & D. Thoma 4. de reg. cap. 8. vbi ait, satis esse, quòd eligatur expertus, si non exercitio regiminis, saltem virtutum.

D. Tho. 44. Ad 8. R. à D. Thoma loco cit. illud de mineris non habere similitudinem, quia recipiunt impressionem à corpore cœlesti, quæ est ad vnum determinata, voluntas autem humana sideribus non subijcitur, quia variabilis est, & ideò variatur de bono in malum, & è conuerso; vnde perpetuatio est periculosa.

45. Ad 9. concessa etiam vi argumenti, mali nomen hoc non meretur, si comparetur cum hydropisi Prælati perpetui; quò enim plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

46. Ad 10. Illud, omni tempore, dicit perpetuitatem officij, non officialium. Seu, omni tempore, idest, qui sint parati omnibus horis ministrare iustitiam petentibus; vt dicit
Chanasl. Chanasl. de perfect. prud. lib. 3. cap. 3. num. 4.

§. *Secundus. Quanto tempore expediat durare Superiores regulares.*



47. VIDERI possunt pro hoc §. Suarez tom. 4. de rel. tract. 3. *Suarez.*
lib. 10. cap. 3. num. 18. Sart. *Sarten.*
in ciuė Reip. reg. consid. 177. Consilium Mæcenatis ad Cæsarem fuit, vt refert Dio lib. *Dio.*
52. in or. Mæcen. quòd magistratus *neque minus triennio (nisi quis quid deliquerit) neque plus quinquennio* durarent. Dicendum mihi tamen videtur, in magnis Ordinibus, & per orbem dilatatis expedire Generalem sexennalem, Prouinciales triennales, Superiores locales annuales. Quò ad Generales probo, tum experientia Minorum, Augustiniensium, Carmelitarum, & Minimorum: tum quia cùm hæ Religiones sint, benedicente Domino, iam per totum orbem diffusæ, non potest minori spatio Generalis quidquam Religioni prodesse, & aliàs electores essent in continuo cursu pro Generali eligendo. Quare Minimi, qui Generalem triennalem habebant, ad sexennalem auctoritate Papæ reduxerunt. In Religionibus verò paruis sufficient Generales triennales, nihil enim incommodi ex hoc nascitur, & possunt bene suo muneri satisfacere. Quò ad Prouinciales omnino sufficit triennium, non enim sunt magnæ Prouinciæ, quin possit illis bonus Pastor illo tempore multum prodesse.

48. Quò ad Superiores verò locales maior est difficultas, nam priùs desinunt, quàm incipiant conuentus negotia cognoscere. Vnde nec possunt conuentuum vtilitati prospicere, nec habent animum id faciendi, cum destructum iri dubitent, si perfectum non fuerit, quod ab ipsis fuerit multo labore cœptū: ipsa enim temporis breuitas bonam Superioris intentionem retundit. Sed nihilominus annuales probo, tum Romanorum exemplo, qui Consules, sub quibus ad imperium orbis terrarum creuit ea Respublica, annuales creabant: tum Carthaginensium, qui Iudices perpetuos, instante Annibale, ad annum reduxerunt, vt
Dio lib. 60. tum Genuensium, qui Gubernatores, & Potestates ciuitatum, & oppidorum annuales creant: tum quòd improborum Superiorum animi temporis breuitate compescuntur, minùsq; communitati possunt obesse, bonorum è contra subleuantur, & plus prodesse student; tum quòd modestiùs imperant breui parituri: tum quod in officio magis continentur cœteri aspiratores: tum quòd plures onera, & honores experiuntur. Nec quidquam releuant contraria: nam negotia vnius conuentus non sunt tantæ molis, quin breuissimo tẽpore possint cognosci, & multipliciter per interualla vni conuentui præficiuntur. Nec temporis breuitas retundit nisi retusos, frigidos, & malè inclinatos, nam alij ea potiùs animantur, pressi honoris, & boni communis stimulo, ac timentes, ne transuolet tempus, absq; eo quòd aliquid præclari in boni communis vtilitatem exantlarint: Nec charitatem habere conuincitur, qui in ijs peragendis, quæ

solius

follus boni communis intuitu peragenda essent, ducitur studio vanæ illius gloriolæ, Cœpi, perfeci, aliàs non cœpturus; qui namq. communem respiciunt vtilitatem, ea incipiunt, quæ ad illam conducere videntur, & alijs ea perficienda relinquunt, quando per se ipsos non possunt.

§. *Tertius. An expediat Prælatorum inferiorum electiones fieri per Capitula conuentualia, an verò magis definitoria, seù absolutè per capita Ordinum.*

Nauarr. *Suarez.* *Castellin.* *P. Greg.* *Azor.* *Perez.* *P. de Baisio*

49. IDEATVR pro hoc §. Nauarr. comm. 3. de reg. oum. 3. vers. Septimò confirmatur; Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 7. num. 8. & tract. 3. lib. 10. cap. 3. à num. 6. Castell. de el. cap. 7. num. 14. & cap. 20. num. 12. P. Greg. tom. 2. de el cap. 5. à num. 1. Azor par. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 1. Perez in Reg. S. Bened. cap. 64. à num. 3. Petrus de Baisio in direct. elect. par. 1. cap. 1.

Suarez.

50. Notandum, quòd tribus modis possunt fieri electiones Prælatorum Inferiorum 1. à tota communitate, V.G. Corrector vnius conuentus à Fratribus vocalibus, & habitibus illius conuentus, 2. ab aliquo Prælato cum Definitoribus Prouinciæ, 3. à solo supremo Prælato cum consilio aliquorum: Suarez loc. cit. tract. 3. hunc tertium modum probat, vt suam Religionem, quæ illum sequitur, extollat, quod laudabile esset, nisi faceret cum aliarum vituperio; Ego enim illam etiam habeo inclinationem, vt meam Religionem semper extollam, & pro viribus defendam, ne, mea vituperando, sapientiam affectare videar; quod faciunt illi quibus sēper aliena meliora vidētur, quàm propria, de quibus Ouid. 1. de ar. aman.

Ouidius.

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumq. pecus grandius vber habet.

D. Bonau. *Suarez.*

At quę rerè laudem cum aliorum vituperio, vitium intolerabile est, morte ipsa amarulentius: *Et pessimus laudandi modus se ipsum cum aliorum iniuria prædicare*, vt ait Bonau. in spec. ad nou. par. 1. cap. 31 Quod facit Suarez qui nō contentus probare modum illum suum, acriter impugnat modum eligendi Prælatos inferiores, siue per communitatem, siue per definitorium, quem seruant omnes aliæ Religiones. Nauarr. autem loco cit. electiones conuentuales respuens, definitorij admittit; quod etiam facit Perez in Reg. S. Bened. loc. cit.

Nauarr. *Perez.* *Suarez.* *D. Basilius*

51. Probat 1. suam sententiam Suarez Quia modus iste eligendi ambitionem fouet, quę est Religionis pestis, vt dicit Basil. inst. mon. c. 10. *Inter fratres Principatum nullo modo appetere monachus debet: siquidem diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes.* Assumptum probat; quia quò electio magis in democraticum regimen declinat, eò magis est huic vitio exposita; In quocumq. enim statu pauciores sunt viri prudentes, & à priuatis affectionibus liberi; & ideo quando omnes de communitate eligunt, necesse est in eis esse multos iuuenes, vel minùs prudentes, vel suis affectibus non satis moderatos; vnde facile est eos decipere, aut corrumpere, vel alijs modis subornare, & inde oritur spiritus ambitionis in his, qui sperant se posse his modis Prælationē consequi.

D. Chrys. *Nicet.* *Contzen.*

52. 2. Quia ex huiusmodi electionibus plerumq; sequi solent diuisiones, & schismata, quę eleganter, & fusè prosequitur Chrysostom. lib. 3. de sacerd. Et Nicet. hist. de reb. Germ. vt refert Contz. 1. pol. cap. 25. nu. 16. ait. *O quantò deterius est multorum suffragium, & electio, quàm vnius. Tu incitum Romanum Imperium, & gentibus adoranda maiestas, quos tyrannos pertulisti? quales te amatores petierunt, quibus substracta tui copiam fecisti? quales corona, & diademate, & purpurea veste exornasti.*

D. Greg.

53. 3. Quia Prælati electi solent esse infensi his, qui suffragia eis non dederunt; alijs verò nimis conniuere, & quæ essent punienda dissimulare, immò etiam ad officia, & dignitates licèt immeritos promouere, vt dixit Greg. ep. 22. & refertur in cap. Illud quidem, 8. quæst. 2. *Si quorumdam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire, reuerentia exigente, compellitur, sicq; fit, vt & res illius minuantur Ecclesiæ, & ordo Ecclesiasticus non seruetur.*

54. 4. Quia in Ecclesia vniuersali ablatæ sunt electiones Episcoporum, quę olim à clero & populo fieri solebant. Et multę Religiones etiam huiusmodi electiones sustulerunt, & alię auferendas esse iudicant, & exoptant.

Castellin.

55. Dicendum tamen est, magis expedire communitatibus Religiosorum, vt electiones Superiorum conuentualium fiant à conuentu, & electiones Prouincialium à Prouincia. Ita Castell. de elect. cap. 7. num. 14.

Gagneius. *Lorinus.*

Probatur primò, ex Scriptura sacra, vbi Act. 1. dicitur *& dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Idest, vt explicat Gagn. rogauerunt Deum, vt eorum mentes illuminaret, cuinam ex illis duobus, qui eorum videri pari dignitate contendebant, suffragarentur. Et constare id ait ex eo, quod dicitur, & *annumeratus est*: pro quo ex græco legit, Suffragijs, & calculis omnium cooptatus est. Gagneium sequitur Lorin. addens fieri etiam potuisse, vt post visum diuinum signum electi Matthię, suis etiam Apostoli communibus, apertisq; suffragijs electionem approbarint. Et Act. 6. dicitur, *considerate ergò fratres viros ex vobis boni testimonij septem*, &c. *& elegerunt Stephanum*, &c. Cum enim Discipuli probassent consilium Apostolorum de eligendis ex ipsis septem viros, Apostoli deinde communibus suffragijs eos septem viros elegerunt, Stephanum nimirum, &c. Et Act. 15. dicitur; *tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis.* Ex quibus constat, quòd tempore Apostolorum electiones ministrorum Ecclesiæ fiebant eo modo, quo nunc vtuntur ferè Religiones omnes plus minusuè.

56. 2. Probatur ex sacris Can. vbi in decret. sub Greg. IX. & in 6. sub Bonif. VIII. & in lib. Clem. sub. Clem. V. & in lib. extr. comm. & Ioanne XXII. habentur integri tituli, De electione. Et in decreto habētur etiā plura cap. de elect. cap. Si quis Episcopus, 16. quæst. 7. qui est ca-

est canon. Apostolorum. Et cap. Sanè, & seq. & cap. Porro, dist. 66. & cap. Cleri, dist. 63. & cap. Vota ciuium, dist. ead. & cap. Nullus inuitis, dist. 61. & cap. nulla ratio, dist. 61. & alibi sæpe. Concilia generalia de electione tractantia videri possunt apud Cresp. in sum. cath. fid. verb. Elect. & ver. Abbas non laicus, sed ex. & in conc. Trid. sess. 25. cap. 6. de reg. datur forma procedendi in electione quorumcumq; Superiorum. Et in iure ciuili id videri potest in l. Si quamquam Cod. de Epis. & Cler. & in l. Obseruare Cod. de decur. lib. 10. & multis id probat P. de Bais. cit. num. 49. Et in specie quòd electio Superioris conuentualis de iure communi ad conuentum pertineat, docent cap. Congregatio 16. quæst. 7. cap. Abbas, 1. & 2. cap. Abbatem, 1. & 2. 18. quæst. 2. cap. Quam sit, §. Defuncto, ibid. cap. 1. cap. Cum terra, de el. cap. Cum dilectus, de consuet. cap. Monachi, §. Priores, de statu monach. Rota apud Farin. par. 1. decis. 65. num. 5. per regulam 29. de reg. iur. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*; & nu. 9. resoluit, quòd statuta auferentia auctoritatem particularibus monasterijs eligendi sibi suum Superiorem, & illam concedentia Prouinciali, vel Generali cum Definitoribus, sunt contra iuris communis dispositionem, vnde sine auctoritate Papæ fieri nequeunt, & facta non subsistunt, cap. Quod super his, de maior. & obed. Quare concludit ibi Rota num. vltimo, quod quædã constitutio Papæ, quæ auferebat auctoritatem Abbatem eligendi Monachis, & eam dabat Generali cũ Definitoribus, erat præiudicialis Religioni, de qua ibi. Et Nau. tom. 1. cons. de consuet. cons. 2. num. 1. ait, quòd statuta, quòd prudentiores tantùm re, & ætate habeant vocem in capitulo, & in electione Superiorum, sunt contra ius commune. Si ergo tot canones, & concilia, & in specie Trid. voluerunt per electionem fieri Superiores, & à Monachis particularibus electiones Abbatum, cuicumq; monasterio præficiendorum, certum est, quòd hoc dictis monasterijs debet esse magis expediens.

Crespetius · *Petrus de Bais.* · *Abbas.* · *Farinac.* · *Nauarr.* · *Trid.*

57. 3. Probatur auctoritate S. Benedicti in cap. 64. suæ Reg. vbi ait. *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio; vt hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum Dei timorem, siue etiam pars, quamuis parua, congregationis saniori consilio elegerit.* Et loquitur secundùm omnes expositores de electione Abbatis singulorum monasteriorum. D. Basil. in reg. fus. disp. cap. 43. loquens de Prælato monasterij, habet. *Non qui sibi ipse Prælationem assumat, sed qui à cæteris, qui auctoritate in conuentibus præsunt, delectus sit, & satis magnum in superiori vita documentum dederit probitatis morum suorum*, & cap. 45. ait, quòd Vicarius conuentus propter Antistitis absentiam, vel infirmitatem, sit is, *qui cum ipsius* [Antistitis] *cum cæterorum etiam Fratrum diligenti animaduersione, circumspectioneq; adhibitis, ad hoc delectus sit, vt, absente illo, curam in se conuentus recipiat.* Alber. in Reg. Carm. cap. 1. ait. *Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris, & sanioris partis ad hoc officium eligatur.* Quæ verba, ait Tho. à Iesu in expl. dictæ Reg. quòd absolutè intelliguntur tam de Priore conuentuali, quàm de Priore generali. Et D. Hieron. in Reg. Monachar. c. 3. ait *eligantur autem iuxta Apostolorum ritum communi voto Abbatissæ, & cæterarum singulis annis, aut, si decens videbitur, & vtile confirmentur duæ, aut plures ex Sororibus.* Vbi notandum secundùm Hier. sententiam, quòd officiales etiam minores ab Apostolis cõmuni voto fiebant. S. P. Franciscus Minimorum Institutor omnes electiones Correctorum, Seniorum, Sacristarum, cœterorumq; conuentus officialium per Correctorem, & capitulum locale fieri iussit in Reg. num. 39. 40. 43. 49. Similiter Prouincialium per capitula prouincialia fieri mandauit eadem Reg. num. 48. Et deniq; ait Azor par. 2. instit. mor. lib. 6. cap. 14. fine, quòd apud Monachorum, & Religiosorũ Ordinum cœnobia adhuc mos antiquus retinetur, vt Abbates cœnobiorum, Præpositi Ordinum generales, Prouinciales, & plerìq; etiã locales in conuentibus vel generalibus, vel prouincialibus multorum suffragijs eligantur.

D. Bened. · *D. Basil.* · *Alber.* · *Tho. à Iesu* · *D. Hieron.* · *Hieron.* · *Azor.*

58. 4. Probatur. Quia expedit, vt is, qui præficiendus est Religiosis, sit illis gratissimus, vt libentiùs illi pareãt, illiusq; defectus, si quos fortè habeat, patientiùs tolerent, gratior autẽ erit sẽper, qui proprijs suffragijs electus fuerit quàm qui alienis. Quæ ratio semper fuit maximoperè æstimata à summis Pontificibus, vt constat ex cap. Vota ciuium, dist. 63. cap. Nullus inuitis, dist. 61. & cap. seq. Et Leo I. ep. 84. cap. 5. ad Anastas. Thessal. Episc. ait. *Nullus inuitis, & non petentibus, ordinetur, ne ciuitas non optatum Episcopum, aut oderit, aut contemnat.*

S. Leo. I.

59. Neque valet quod dicit Suarez tom. 4. de relig. tract. 3. lib. 10. cap. 3. num. 16. hanc commoditatem esse merè humanam, & temporalem, nec esse multùm æstimandam, si comparetur cum incommodis, quę inde sequuntur; & licèt si videatur commoda ijs, qui Superiorem elegerunt, valde tamen esse exosam, & incommodam ijs, qui non consenserunt, cum non semper electiones vnanimi consensu fiant. Non valet, inquam, nam meo iudicio merè humana commoditas non est illa, ex qua oritur quies, & tranquillitas mentis, tantum Religiosis necessaria, cap. Quàm sit, 18. quæst. 2. oritur autem hæc ex tali Prælatorum electione, vt insinuat Paulus 1. ad Tim. 2. ex hac namq; tranquillitate nascitur pax partis superioris cum inferiori, rationis cum sensu, pax cum Deo & proximo; cum enim animus non est perturbatus odio, alijsq; passionibus, his bonis omnibus fruitur. Et ideo etiam non est mirum, si quandoq; pro tali quiete consequenda inter se Religiosi discordent in electionibus. Ait enim Arist. 3. mor. cap. 2. *Vt sani esse volumus, eligimus ea, quibus sani esse valeamus.* Quod verò hæc commoditas non sit multùm æstimanda, fatuum videtur, cum eam tantùm æstimarint sanctissimi Pontifices, grauissimi, & doctissimi Patres, qui conciliorum decreta statuere, sanctissimi Religionum Patriarchæ, qui eo fine talem electionem mandauere; qui quidem omnes etiam incommoda, quæ in tali modo eligendi hominum malitia aliquando obrepunt, considerare potuerunt. Inquo, multò minora incommoda sequi ex isto eligendi modo, quã

Suarez. · *Paulus 1.* · *Aristot.*

ex illo

ex illo, quem tantùm extollit Suarez, vt constabit ex sequentibus. Quod ista commoditas non tangat omnes 1. ista discordia non censetur illaudabilis à sacris canonibus; cap. Nec nouum, 8. quæst. 1. cap. Si forte, dist. 63. deinde ista discordia non potest notabilem perturbationem in discordante generare, cum secretò fiant electiones; vnde etiamsi electus esset mali animi, cum non sciat, quisnam ei suffragium denegauerit, nō potest eum perturbare, 3. quia etiam dato, quòd coniecturare posset electus, quisnam ei non fuerit suffragatus, nescio quid per hoc illi nocere possit, præsertim vbi Prælati temporales sunt, qui tā feroces nō sunt, vt subditum sibi contrarium velint exterminare. Ego enim noui multos, qui non sunt aliquibus Prælatis suffragati, ipsis Prælatis coniectantibus, qui tamen non fuerunt in quoquam læsi: & tota læsio quam possunt timere à Prælatis malignis, qui illis contradixerunt est translatio de vno conuentu in alium; quæ res quàm parum sit æstimanda, nemo non videt.

60. 5. Probatur nostra conclusio. Quia cum vnus Generalis non sit per se sufficiens ad cognoscendum omnes suos subditos, cogetur stare relationi aliorum, qui ducti suis passionibus dabunt bonam, vel malam, iuxta amorem, vel odium, quæ habebunt ad personam, de qua relationem faciunt: vnde sequetur, quòd plerumq; Generalis eliget in Prælatos indignos, & immeritos, cui malo moraliter prouideri non potest; homines enim sumus. Quantum autem malum sit, indignos ad dignitates Ecclesiasticas promouere, nemo sanę mētis ignorat, vt dicitur in cap. Graue nimis, de præb. & est tale, vt nullis possit compensationibus adęquari, vt colligitur ex Trid. sess. 24. de refor. c. 1.

Trid. sess.
Suarez.

61. ℞. ad hoc à Suarez loco cit. num. 15. hoc malum vitare non posse neq; electores, neq; Pontifices, neq; Episcopos, neque Reges, neq; alios quoscumq; Principes, non enim illi possunt aliter officia, & dignitates prouidere, quā accepta informatione à personis fide dignis. Sed falsissimum est, quòd electores, de quibus loquimur, non possint dicta incommoda vitare. Nam ponamus, quòd facienda sit electio Correctoris, aut Prioris conuentualis à Fratribus vnius conuentus, vel eligendus est è corpore capituli, vel ad summum e corpore Prouinciæ, si est ex corpore capituli, electores, cum simul viuant; & habitent, se se bene norunt, & de his, quæ noui, informatione non egeo; vel est è corpore Prouinciæ, & similiter omnes Fratres vnius Prouinciæ plus, minusuè se se bene norunt, vt constat; qui enim hodie permanet Genuę, cras Sauonę moratur; vnde nulla est ibi necessitas informationum. Idem dic de electione Prouincialium. Quare cum per hunc modum eligendi optimè vitetur hoc incommodum, quod per modum illum, Suarez ipsomet fatente, ineuitabile est, dicendum omninò est, modum hunc, quem seruant omnes penè Religiones, magis expedire, quàm illum, quem seruat Societas; licèt fortè Societati suus modus expedientior sit, vt Suarez loc. cit. n. 14. Cœtera, quæ dicit Suarez illo num. 15, sunt omnino commentitia.

Suarez.
Suarez.

62. 6. Probatur eadem conclusio. Quia modus eligendi etiam inferiores Prælatos per electionem, est antiquissimus, a Collegio Apostolorum, sanctissimisq; Patriarchis trahens originem, vt dictum est; à tot viris sapientibus, & sanctis, quos semper habuerunt Religiones, approbatus, & laudatus per tot secula: Modus verò iste, quòd Generalis per se solus dictas prouisiones faciat, nouus est. Sed antiqui mores mutandi non sunt sine maxima, & euidenti necessitate, l. In rebus, ff. de const. Princ. & ridiculum est sine tali necessitate eos mutare vt dicitur in cap. Ridiculum, d. 12. & D. Th. 1. 2. quæst. 97. art. 2. determinat, legem etiam humanam, non esse mutandam propter quamlibet vtilitatem, sed propter maximam, quæ superet damnum, quod mutatio adducit.

D. Thomas

63. Ad hoc argumentum posset responderi, hunc modum prouidendi Superiores, quem seruat Societas, non esse nouum. Nam olim Episcopi, qui erant quasi supremi Religiosorum Prælati, Abbates in monasterijs constituebāt, iuxta cap. 1. 18. quæst. 2. ibi *Abbates, aliaq; officia instituere.* Sed esse falsum vnquam habuisse Episcopos auctoritatem Abbates constituendi constat ex cap. Abbas, 18. quæst. 2. vbi dicitur, *Abbas in monasterio non per Episcopum, aut per aliquem extraneorum ordinetur.* Et idem habetur in tribus cap. seq. quæ ad id adducit Cresp. in sum. cath. fid. ver. Abbas non laicus. Verba ergo illa posita in cap. 1. 18. quæst. 2. exponit ibi Glossa verbo Instituere, quòd instituere sit confirmare; vel, si propriè sumatur, intelligitur, quando Monachi sunt negligentes, iuxta cap. Cum simus, 9. quæst. 3. aut indignum eligunt, iuxta cap. Siquis Abbas, 18. quæst. 2. quam explicationem approbat etiam Suarez loco cit. num. 13. & ad argumentum respondet num. 14. quòd siue ille modus, quem seruat Societas, sit nouus, nec ne, siue eo vtantur aliæ Religiones, siue non, modò sit Societati expediens, potest Societas eo vti; quod ego non improbo.

Crespetius
Abbas.
Suarez.

64. 7. Probatur. Quia *Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus*, vt ait Plin. in Paneg. & *plerumq; optimum quemq; electio inuenit*, vt Tacit. in 1. hist. & *loco libertatis erit, quòd eligi cœpimus*, vt Tacit. ibid. in or. Galbæ ad Pis. Et Arist. 3. pol. cap. 7. *Quapropter*, inquit, *& Solon, & alij quidem eorum, qui leges condidere, huiuscemodi homines* [multitudinem] *ad suffragia, electionesq; magistratuum admittunt.* Et Philo Iud. in princ. lib. de creat. Princip. ait, *Præficies tibi ipsi Principem non alienigenam, sed vnum ex tuis fratribus; nimirum significans, electionem debere fieri voluntariam ex suffragijs, consensuq; totius populi, præcedente, vt oportet, examine.* Ex quibus collige, multitudinem electorum electionem vitiosam reddere vix posse

Plinius.
Tacitus.
Aristot.
Philo.

65. Ad 1. ergo incontrarium ℞. concedendo, verissimum esse, quòd *pleraque eorum, quæ homines iniustè faciunt, per ambitionem, & auaritiam committuntur*, vt ait Arist. 2. pol. cap. 7. Item quòd ambitio sit Religionis pestis. Quòd autem ambitio magis foueatur per hunc modū eligendi Prælatos, quàm per assignatum à Suar. falsum est. Nam si loquamur de ambitiosis naturaliter, de quibus Arist. 7. mor. eudem. cap. 5.

Arist.
Arist.

cum

cum isti naturaliter ferantur in amorem propriæ excellentiæ, eamq; apud omnes in admiratione esse cupiant, tales semper optabunt apparere, perq; varia media, secreta, vel aperta tentabunt dignitates adipisci, vt per potentes personas, corrumpendo consiliarios, amicos, & familiares eorum, aut etiam Prælatum ipsum (quid enim non audet ambitio?) immediate tentabunt corrumpere; quòd si apertè obtinere diffidant, occulte facient, per hypocrisim, sanctitatem fingendo, dignitates abhorrere simulando, seu etiam per alias sordes: humanum enim vitæ plenum erroribus pelagus traijcimus. Et cum facilius sit corrumpere vnum, quam plures. vt Arist. 3. pol. cap. 11. & Nauarr. in nostris terminis lib. 1. consil. de consuet. cons. 2. num. 2. qui ideo ait, quòd securius esset, si omnes professi, & subdiaconatu insigniti haberent vocem in capitulo; non est dubium, quin dicti ambitiosi magis iouebuntur per istum modum eligendi, quàm per alium vsurpatum in omnibus Religionibus, in quibus plures corrumpendi sunt. Neq; potest humana prudentia huic malo plenè obuiare. Vnum enim solum Deum, excellentiam nimirum propriam, ambitiosus adorat, pro qua omnia suffert, omnia sustinet, omnia patitur, omnia contemnit, omnia calcat, omnia pessundat, iuga frangit, rumpit vincula, eiq; vni, & soli seruire, & placere studet, & satagit. Si autem loquamur de illis, qui minùs ambitiosi sunt, & non sunt tam ardenter ad id à natura inclinati, ijs satis prouisum est per constitutiones pontificias, quibus prohibitum est, vota procurare nec per se, nec per alios sub grauissimis pœnis, vt patet ex const. 5. Pauli V. to. 2. nostr. priu. & ex const. 10. Vrb. VIII. §. 52. ibid. Illud verò; quod addit Suarez quòd quò magis electio in democraticum regimen declinat, eò magis est huic vitio exposita, est contra doctrinam Arist. 5. pol. cap. 1. vbi ait *verumtamen tutior est, ac minus seditioni subiacet popularis gubernatio, quàm paucorum potentia.* At seditio principaliter mouetur per cupiditatem regnandi, ergo democraticum regimen est minùs ambitioni expositum, quàm cœtera regimina.

Arist. *Nauarr.* *Suarez.* *Aristot.*

66. Ad 2. Chrysost. loquitur de elect. Episc. quæ præsente, consentiente, & annuente plebe imperita, ignorante, indiscreta, furiosa, celeusmatica, cornicina, fiebant; iuxta ea, quæ adducit Crespet. in sum. cath. fid. ver. Episcopus eligatur, & qualis: & iuxta cap. Quantò Apostolica, cum alijs seq. dist. 63. quæ electiones non poterant sine illis tumultibus, seditionibus, & schismatibus fieri; populo in diuersa semper abeunte. Quæ propterea prohibitæ sunt, cap. Non est permittendum, cap. Non licet populo, dist. ead. & quòd hæc fuerit mens Chrys. constat ex eius verbis, quæ hic affero. *Ito hinc iam, ac publica festa spectans, ea dico, in quibus dignitatum Ecclesiasticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari Episcopum, quanta est tota illa subditorum multitudo, quibus eligendi potestas concessa est. Hi omnes tum in multas factiones scindi, neq; inter se consentire, neq; cum eo, qui forte Episcopatus delatus sit, conuenire videas, sed vnusquisq; à suis velut partibus stat, alius hunc, alius alium eligens; cuius rei hæc causa est, quod idipsum non spectas, quod solum spectandum fuerat, neq; animi virtutem.* Hæc Chrys. Quæ non quadrant electionibus; quæ fiunt a Regularibus; hæ enim non à tota multitudine, sed à paucis selectis fiunt: in quibus licèt aliquando diuisiones videantur, iam dixi, id non esse reprehensibile, nec quidquam minuere de perfectione Religiosa, cum omnes bono fine ducantur, existimantes à se propositum esse cœteris meliorem; quòd si vna pars præualeat, vidi semper aliam pacificè concurrere, quàdo eligendus idoneus est; *futuro enim iam domino non prorsus gratificari, extremæ dementiæ est,* aiebat Procop. de bell. Goth. lib. 1.

Chrysost. *Crespetius* *Chrysost.* *Chrys.* *Procop.*

67. Ad 3. R. eas omnes vanitates; sunt enim electi homines & Christiani, & religiosi, nec possunt pro arbitratu habenas vel laxare, vel stringere, sed id debent secundùm leges, & viuas, & mortuas: Quod etiam recordari decet Agathonis dictum apud Stob. serm. 44. *Trium oportere Superiorem meminisse, primi quod imperet hominibus, deinde quod secundùm leges; tertio quod non semper imperet.* Et electores rem prius diligenter expendunt, vtpote quæ omnes tangat, & multo diligentiùs eum, qui eligendus proponitur, iuxta consilium Chrysost. 4. de sacerdot. paulò inf. à princ. & in primis viros vindicatiuos, malignos, vipereos, & amarulentos arcent, vt debent, ne vulnera proprijs telis facta lugere cogantur. Quod examen si non faciant, ait Anton. ser. 174. ad Stobæum, *nihil prodesse poterit, si dicant se ignorare eum, qui creatur suffragio, sed ob hanc ipsam causam magis accusandi sunt, quòd quem ignorabant, promouerint.* Deinde sæpissime videmus, eos, qui dominari sperabant, duriùs, quam alios, ad seruiendum cogi. Greg. loquitur de electionibus factis per abusum laicæ potestatis, & per Principes sæculares; quod omnino vetatur in cap. Nullus laicorum, cum quatuor seq. Vel dicas, id intelligi de timore reuerentiali, prout dixi hic sup. num. 37.

Stobæus. *D. Chrysost.* *Stobæus.* *Gregor.*

68. Ad 4. Sancta pia mater Ecclesia volens gratificari ijs, qui in eam benefici fuerunt, & etiam pro bono pacis conseruando, concessit facultatem aliquibus Principibus nominandi benemeritas personas ad dignitates Episcopales, ius confirmationis semper sibi reseruans. Sed in Germania adhuc mos antiquus seruatur, vt ait Azor par. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 1. & Castell. de el. cap. 7. num. 22. vers. Ad 2. autem. Neq; etiam in omnibus beneficijs Galliæ nominatio regia habet locum, neq; in omnibus electiuis electiones sublatæ sunt, vt ait P. Greg. tom. 2. inr. can. tract. de elect. cap. 5. num. 14. Itaque quòd Ecclesia sustulerit aliquas electiones, non fuit, quia iudicaret electiones esse perniciosas, sed vt gratificaretur Principibus de ea benemeritis, & pro bono pacis, vt dixi: & ad defendendas Ecclesias ab infestationibus hæreticorum, vt ait Grat. in cap. Vota, §. Principibus, dist. 63. P. Greg. loc. cit. num. 8. Ex quo factum est, vt ait Azor loc. cit. quòd Episcopi, & alij Ecclesiastici Episcopari ambientes, aulas Regum, & Principum consectentur, illisq; indecenti demissione seruiant,

Azor. *Castellin.* *Pet. Greg.* *Grat.* *Pet. Greg.* *Azor.*

Cresp. P. Damiā. Castellin. Farinac.

uiant, licèt id illis prohibeatur in Trid. sess. 25. de ref. cap. 17. & Parisien. 30. vt refert Cresp. in sum. cath. fid. ver. Clerici curiam non sequantur. Contra quos inuehitur P. Dam. lib. 2. epist. 3. vbi specialiter probat, quòd qui se ipsos tradunt seruitijs alicuius Principis, vt dignitates Ecclesiasticas assequantur, simoniacè assequuntur. Quòd verò aliquæ Religiones has electiones sustinuerint, constat esse falsum ex his, quæ tradit Castell. de elect. cap. 1. vbi affert modos eligendi, qui seruantur apud omnes ferè Religiones. Ad id, quod dicit Suar. multas Religiones exoptare vt electiones huiusmodi auferantur, id grauissimè dicitur. Immò omnino contrarium constat ex decis. 65. Rotæ Rom. apud Farin. par. 1. E contra verò constat, multos è Iesuitis exoptare, vt regimen eorum immutetur, per multas scripturas, quæ circumferuntur, & nouissimè anno 1628. die 16. Aprilis prohibitus est discursus cuiusdam Io: Marianæ, id multum desiderantis. Sed hæc omittenda. Satis mihi est, quòd modus eligendi Superiores inferiores, ab antiquis Patribus adinuentus, ab Apostolica Sede approbatus, ab omnibus Regularibus practicatus, est illis magis commodus, & magis expediens, quàm ille, quem seruat Societas: quòd si Societas eum sibi commodiorem probet, non improbo. Scio, quòd *sua cuique premunt, & quòd sunt cuilibet crepitus olet*, vt dicit Nazianz. or. 1. aduersùs Iulian. Sed nemo venari debet laudem cum alieno vituperio, vt dixi. Hoc vnum addo, ea omnia incommoda, quæ ait Suarez interuenire in electionibus inferiorum Prælatorum, quæ à Regularibus fiunt, interuenire etiam in electione supremi Prælati. Vnde illi etiam exoptandum esset, vt dicta electio per summum Pontificem fieret.

Nazianz. Suarez.

§. IV. *Vtrum Superiores locales apud Regulares sint Prælati.*

Syluest. Armilla. Vega. Angel. Rosella. Antonin. Sotus. Henriq. Corduba. Rodriq. Miranda. Azor. Nauarr. Suarez. Sigismūd. Barbosa.

69. IDEATVR Sylu. in summ. ver. Prælatus, quæst. 2. Armilla eod. num. 1. Vega eodem, casu 2. Angel. eodem, in princ. & ver. Delegatus, §. 3. Rosella ver. Delegare, §. 11. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 2. §. 2. Sotus in 4. dist. 22. quęst. 2. art. 1. ver. Nomine autem. Henriq. in sum. lib. 13. cap. 24. num. 3. Cord. in comp. priu. Mendic. ver. Guardianus. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 12. art. 6. Miranda tom. 2. man. quæst. 19. art. 1. Azor par. 2. lib. 3. cap. 20. quæst. 2. & cap. 25. quæst. 1. Nauarr. in sum. cap. 27. num. 5. Capella Tol. decis. 13. n. 3. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 2. num. 5. Sigismund. de elect. dub. 121. Barbos. de pot. Episc. par. 2. alleg. 36. num. 12.

70. Nota primò, quòd Ecclesiarum Prælati sunt in duplici differentia. Alij dicuntur Prælati superiores, alij inferiores, vt constat ex clem. Dudum, §. In Ecclesijs, de sepul. & dicit Sylu. ver. Confessor 1. quæst. 8. in princ. Prælati superiores sunt in triplici differentia. Alij sunt Patriarchæ, siue Primates, quod idem est, vt constat ex cap. 1. & 2. dist. 99. & ex cap. Duo simul, de off. ord. quasi Patres Patrum, qui pluribus præsunt Prouincijs, seu Archiepiscopatibus. Alij sunt Archiepiscopi, seu Metropolitani, quasi Principes Episcoporum qui pluribus præsunt Episcopatibus, seu Diœcesibus. Alij sunt Episcopi, qui soli suæ præsunt Diœcesi, habent tamen plures sub se parochias. De quibus vide latiùs P. Greg. lib. 15. synt. à cap. 9. Barb. de pot. Episc. par. 1. tit. 1. cap. 6. à num. 6. Sbrozzius de Vic. Episc. lib. 1. quæst. 3. num. 25. Sebast. Cæsar. de Eccl. hier. quæst. 2. procem. à num. 3. Alij sunt Prælati inferiores, Archidiaconi, Decani, Archipresbyteri; cap. 1. de æt. & qual. ord. omnes etiam Prælati, qui post Episcopos sunt, dicuntur Prælati inferiores, vt Sylu. loco cit. Barbos. in cap. Decernimus, de iud. num. 3. Proportionaliter ergo in Religionibus, alij sunt Prælati superiores, vt Generales, qui toti præsunt Religioni; Prouinciales, qui vni soli præsunt Prouinciæ; Custodes in Ordine Minorum, quorum auctoritas quò ad iurisdictionem est Episcopalis. Custodia namq; vt ait Rodriquez loco cit. art. 5. est veluti Diœcesis, certis limitibus conclusa, in qua sunt plures conuentus cum suis Guardianis, qui omnes Custodi subduntur. In Ordine nostro instituit etiam Vigiles S. P. Franciscus, vt constat ex Reg. num. 46. qui Vigiles super certas Ordinis Correctorias deputandi erant, & in suis Vigilantijs generalis Correctoris auctoritate plenaria potiebantur, & erant supra Prouinciales, vt constat ex Correct. n. 61. & num. 105. Sed iam illi in desuetudinem abiere. Isti omnes vocantur, & sunt Prælati superiores ad modum Prælatorum superiorum iam dictorum. Nam Generalis est veluti Primas, vel Patriarcha, qui toti Religioni præest, & habet sub se plures Custodes, Vigiles, & Prouinciales; In Ordine nostro si fierent Vigiles, haberent potestatem iurisdictionis ad modum Archiepiscoporum, subessent enim illis plures Prouinciales. Hanc dignitatem ad modum Archiepiscoporum habent Prouinciales Minorum, quia illis subsunt plures Custodes, dignitatem quasi Episcopalem habentes. Nos Minimi ad modum Episcoporum habemus Prouinciales, qui habent suam Diœcesim certis restrictam limitibus, & illis plures Correctores, velut Parochi, subduntur. Atq; ita Generalis, Vigiles, & Prouinciales in Ordine nostro Prælati superiores vocantur, vt constat ex Correct. num. 11. Prælati autem inferiores vocantur Correctores locales, Abbates, &c. vt Syl. loco cit. Suarez etiam cit. num. 10.

Pet. Greg. Sbrozzius Sebast. Sylu. Barbos. Rodriq. Sylu. Suarez.

71. Noto secundò, quòd nomen, Prælatus, sumitur dupliciter, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 18. §. 2. concl. 5. ex Panor. in cap. Decernimus, de iud. num. 16. Primò latè, quomodo dicuntur Prælati omnes habentes in Ecclesia prærogatiuam, & gradum honorificum sine iurisdictione, vt Plebani, Decani, Archipresbyteri; cap. 1. de æt. & qual. ord. Item omnis habens animarum curam dicitur Prælatus, vt colligitur ex cap. Tua, de cler. ægr. & hoc modo Parochus potest

Panorm.

dici Prælatus; sed non propriè: nam in clem. Dudum, §. In Ecclesijs, Rector, & Prælatus separatim ponuntur: & similiter in clem. fin. de procur. Ita Azor tom. 2. lib. 3. cap. 25. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 1. num. 6. Ragusius de voc. can. in cap. quæst. 8. num. 6. Angel. ver. Prælatus, in princ. & alij communiter. 2. sumitur nomen Prælatus strictè, propriè, ac iuridice, quo modo ille solus dicitur Prælatus, qui habet iurisdictionem spiritualem, & ordinariam fori contentiosi, vt sumitur ex cap. Decernimus, de iud. vbi Glossa vers. Ecclesiarũ Prælati, & dicunt præfati DD.

Azor. Suarez. Ragusius. Angel. Glossa.

72. Dico 1. Abbates, Priores, Guardianos, Rectores, Præpositos, Correctores, & alios quouis nomine nuncupatos Superiores locales, esse verè, propriè Prælatos. Ita omnes DD. cit. num. 69. & constat ex cap. Decernimus, de iud. & cap. fin. de pœnit. & remiss. & ex Glossa in Clem. 1. de elect. ver. Prælatum.

73. Probatur. Quia habent iurisdictionem spiritualem fori contentiosi, eamq; ordinariam, quam proinde subdelegare possunt, quæ num. 71. diximus requiri, & sufficere ad hoc, vt quis sit vere, & proprie Prælatus. Quòd habeant iurisdictionem in foro pœnitentiæ, patet ex his, quæ dico tom. 1. priu. in const. 4. Syxti IV. num. 25. & quia, cum sint ordinarij Pastores, & veluti Parochi, hac iurisdictione carere non debent; & dicit Suarez loc. cit. c. 8. num. 7. Quòd autem hanc etiam habeant in foro contentioso, patet, quia excommunicare possunt, vt dicitur in cap. Cum in Ecclesijs, de maior. & obed. cap. Cum ab Ecclesiarum de off. or. vbi Glossa ver. Ecclesiastica; Innoc. num. 1. Nauarr. in sum. cap. 27. num. 5. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1. vers. Nomine autem: Henriquez lib. 13. cap. 24. num. 3. Sa ver. Excom. num. 13. Toletus lib. 1. cap. 6. num. 3. Sayrus de cens. lib. 1. cap. 6. num. 13. Auila de cens. par. 2. cap. 2. disp. 1. dub. 1. Fagundez in præcep. Eccles. præcep. 1. lib. 8. cap. 4. num. 5. Quòd deniq; talis iurisdictio sit ordinaria, probatur; quia iurisdictio, quæ conuenit alicui per electionem Collegij, vel Vniuersitatis ad aliquod officium, accedente Superioris confirmatione, est ordinaria; Innocen. loc. cit. Armilla ver. Prælatus, num. 1. Suarez loc. cit. num. 8. probat Miranda tom. 2. man. q. 19. art. 4. concl. 2.

Suarez. Glossa. Innocen. Nauarr. Sotus. Henriq. Sa. Toletus. Sayrus. Auila. Fagundez. Armilla. Suarez. Miranda.

74. Nec solùm sunt Prælati dicti Superiores locales, sed etiam ij Vicarij, qui paruo alicui conuentui præsunt, immediate subiecti Prouinciali, vel Generali. Quia etiam isti ordinariam habent potestatem, & colligitur ex cap. In singulis, de statu monach. ibi *Priorum Abbates proprios non habentium*. Ita Sylu. ver. Prælatus, quæst. 8. Rodriq. tom. 1. q. reg. quæst. 12. art. 6. fine; Miranda tom. 2. man. q. 20. art. 1. concl. 1. & hoc licèt solùm instituantur per definitorium, vel per solum Prouincialem auctoritate definitorij, vel per solum Generalem auctoritate capituli generalis, quia tunc virtute Collegij instituuntur, vt insinuat Sylu. loco cit. Quod est etiam verum, licèt ad nutum Superiorum possint amoueri, vt in Ordine nostro: & notat Angelus ver. Prælatus, in princ. & ver. Delegatus, §. 3. Rosella ver. Delegare, §. It. Idem dic de ijs Vicarijs, qui ponuntur in conuentibus loco Superioris defuncti, vel priuati vel absentis per longum tempus; quia habent eamdem auctoritatem, quam illi, in quorum loco ponuntur: nam subrogatum sapit naturam illius, in cuius locum succedit, cap. Maiores, de baptis. §. Ad id autem. Ita ijdem DD. Vicarij autem dictorum Superiorum localium, seu Subpriores, vel etiam Priores claustrales sub Abbate existentes Prælati non sunt, vt dicunt ijdem DD. & præterea Azor par. 2. lib. 3. cap. 20. quæst. 2. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 2. §. 1. quia illi sunt sub potestate Abbatis præsentis, nec vllam habent iurisdictionem, nisi quæ illis ab Abbate tribuitur.

Syluest. Rodriq. Miranda. Sylu. Angel. Rosella. Azor. Antonin.

75. Et hic nota etiam vnum bonum punctum, quòd Vicarij paruorum conuentuum, non valentium sustinere Correctorem propter Fratrum penuriam, si instituantur à definitorio, non possunt ad nutum Prouincialis amoueri, nisi aliter definitorium declaret. Ita Rodriquez loco cit. Miranda cit. art. 2. concl. 1. Probatur, quia quod per superiorem instituitur, per inferiorem destitui non potest; cap. Inferior, dist. 21. at definitorium est Superior Prouincialis.

Rodriq. Miranda.

76. Dico 2. dicti Superiores locales habent iurisdictionem in suos subditos tam spiritualem, quàm temporalem quasi Episcopalem, vt dixi hic sup. num. 3. & docent præterea Glossa in clem. 1. ver. Proprij, de reb. Eccl. non alien. & Nauarr. com. 1. de Reg. num. 63. ver. Addo 2. Tamb. de iur. Abb. tom. 1. disp. 3. quæst. 2. num. 2. Zerola in praxi par. 1. verb. Excom. causa mater. ver. Secundo an subditus. Probatur ex cap. Abbates, de priuil. in 6. quod caput, cum loquatur de Abbatibus vni conuentui præsidentibus, debet etiam intelligi de omnibus Superioribus localibus quocumq; nomine nuncupentur. Sed ista potestas, vt dixi, est magis in his limitata, quam in alijs superioribus Prælatis, vt constat ex priuilegiorum tenore. V.G. priuilegium dispensandi in loco conscientiæ cum coniugibus, qui post matrimonium carnaliter peccauerunt cum consanguineis alterius, ad hoc vt possint petere debitum, est solis Prouincialibus concessum à Pio V. vt dicit Crux lib. 1. de statu Relig. cap. 6. dub. 9. concl. 1. & Henriq; lib. 7. de indulg. cap. 18. nu. 6. qui in com. litera. M. multos citat. Hoc priuilegio non poterunt per se primò, & directè vti Superiores locales, nisi fuerint specialiter à Prouincialibus, vel Generalibus electi. Nec similiter poterunt vti priuilegio dispensandi ad petendum debitum, cum eo, qui ante matrimonium fecit votum simplex castitatis, de quo ijdem DD. quia est Superioribus maioribus concessum. De quibus priuilegijs vide Portel. in add. ad dub. reg. ver. Confessor dispensans, à num. 7. In ijs autem, in quibus eorum potestas non est limitata, eamdem habent auctoritatem in suos Fratres conuentuales, quam Prouinciales in Prouinciam, & Generales in totam Religionem, vt dicunt Casarub. in comp. priu. ver. Guardianus, sub num. 5. Miranda tom. 2. man. q. 19. art. 4.

Nauarr. Tambur. Zerola. Crux. Henriq. Portel. Casarub. Miranda.

77. In

Nauarr. *ÆEgid.*

77. In temporalibus autem bona monasterij administrare ad Prælatum conuentualem pertinet secundùm ius commune; cap. Nullam, 18. quæst. 2. Naoarr. com. 3. de reg. nu. 4. AEgid. de contract. cap. 4. num. 16. & in Regula nostra id etiam manifestè Correctoribus conceditur, vt constat ex Correct. nu. 64. 47. 48. 49. 50. 109. & dixi tom. 2. priuil. in const. 7. Pauli V. à n. 36. & constabit etiam ex dicendis §. seq. Possunt tamen superiores Prælati Correctoribus mandare, vt debita soluant, & primò quæ priùs contracta sunt; vt fratribus necessitates præbeant, vt cadentem conuentum, vel Ecclesiam reparent; vt conuentus possessiones colãt. Quia hæc ad eorum officium pertinent, in casu negligentiæ Prælatorum inferiorum.

Abbas. *Panorm.* *Miranda.* *Sigismũd.* *Aretin.* *Farinac.*

78. Quò verò ad correctionem Fratrum etiam in criminalibus, hæc quoq; secundùm ius commune ad Superiorem localem pertinere videtur; cap. Suscepimus, de homic. vbi mandatur Abbati, non Episcopo, vt monachos homicidiarios ad arbitrium puniat, & Abbas consuluit Papam, non Episcopus, vt notat ibi Abbas num. 5. & in cap. Sicut ex literarum, eod. tit. innuitur, quòd Prior, & Fratres Carthusienses cognoscunt de homicidio per eorum Fratres commisso. Quod idem etiam significatur in cap. Significasti, el 2. eod. tit. vt quid enim consilium sumeret à Papa ille Prior, nisi priùs inquisisset de facto? In cap. autem Moniales, de purg. can. & in cap. Abbates 18. quæst. 2. apostasia, & proprietatis vitia per Abbatem puniri mandantur, & subditur in dicto cap. Abbates. *Et reum se ille Abbas futurum esse cognoscat, qui in huiusmodi personas non regulariter animaduertit.* Plura huiusmodi vide apud Panor. in cap. Si quis contra Clericum, de foro compet. num. 50. vbi ait inter cœtera. *Et in istis age distingue inter Abbates, & alios Prælatos sæculares, vt Præpositos, Plebanos, & similes; vt Abbas habeat iurisdictionem super suos Monachos vbicumq; delinquant, contrahant, vel resideant, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, tam correctionaliter, quàm in figura iudicij.* Cœterùm Superiores locales Mendicantium non videntur modò habere tantam auctoritatem, vt dicunt Mir. tom. 2. man. quæst. 19. art. 3. Sigismund. de elect. dub. 134. num. 2. Aret. in pract. crim. cap. 1. Rota apud Farin. par. 1. decis. 15. num. 12. Sed videtur, quòd solùm possint corrigere suos subditos contra Regulam, & constitutiones peccantes, vt si lineas deferant, pecunias tangant, silentium frangant, non autem si delicta committant omnibus communia, vt furtum, homicidium, &c. Sed in hoc inspiciendæ sunt singulorum Ordinum constitutiones, & secundùm illas procedendum. Nam in constit. Prædicatorum video illorum Priores multam habere auctoritatem; infligunt enim pœnam grauioris culpæ, vt constat ex 3. par. dict. const. cap. 12. quæ pœna non solet infligi nisi per contumaciam, manifestam rebellionem, manuum iniectionem in Prælatos, per conjurationem, &c. vt constat ex 4. par. dict. const. cap. 18. cap. 20. &c. nouitios ad habitum recipiunt, literas commendatitias ad ordines concedunt, licentiam tribuunt suis subditis audiendi confessiones tam sæcularium, quam Regularium; casus ibi reseruant, vt patet ex eisd. const. par. 2. cap. 67; quod tamen alijs communiter, Superioribus localibus non conceditur, vt notat Fagund. in 2. præcepto Eccl. lib. 8. cap. 4. num. 1. Quid nostri Correctores facere possint in hac materia, dicam diffuse, §. seq.

Fagũdez. *Suarez.* *Casarub.* *Corduba.* *Passarell.* *Miranda.* *Rodriq.* *Gonzal.* *Corduba.* *Miranda.* *Rodriq.* *Casarub.*

79. An vero facultatem concessam Superioribus localibus à summis Pontificibus, possint Generales, & Prouinciales coarctare, dubitant DD. Affirmant Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 22. num. 14. Casarub. in comp. priu. ver. Absolutio ordinaria quò ad Fratres, §. 7. vers. Aduertendum est. Negant verò Corduba ibi vers. Item, ibid. & vers. Accedere ad monasteria monial. versus fin. Passarel. in schol. ex Genuen. nu. 4. & 18. Miranda tom. 1. man. quæst. 19. art. 5. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 9. art. 2. Et huic sententiæ tamquam probabiliori adhæreo. Quod enim per Superiorem conceditur, per inferiorem tolli non potest, cap. inferior, d. 21. Clem. Ne Romani, de elect. cap. Cum inferior, de maior. & obed. Glossa in cap. fin. ver. Figura, de hæret. in 6. Gonzal. ad reg. 8. cancell. Gloss. 45. §. 2. num. 69. Immò addo, quòd non possunt dicti Prælati auctoritatem Superiorum localium tollere, etiamsi hi ea abuterentur; Glossa in cap. Priuilegium, 11. quæst. 3. possent tamen in hoc casu dictam auctoritatem suspendere, præsumendo de voluntate Pontificis, iuxta dictum cap. Priuilegium, 11. quæst. 3. & interim Papam consulere, vt dicunt. Cord. ver. Absolutio cit. Miranda, & Rodriquez, & hoc casu ad dictum priuilegium suspendendum habent superiores Prælati priuilegium à Syxto IV. quòd refert Casarub. in comp. ver. Priuilegia Fratrum, num. 9. Quod adhuc est limitandum, si omnes inferiores Prælati per longum præcedens tempus dicto priuilegio abusi essent, & in eo abusu vellent perseuerare, nec per superiorem Prælatum possent quò ad hoc corrigi; nam alioquin prædecessorum delictum non debet successoribus, nec officio præiudicare; Glossa in dicto cap. Priuilegium; arg. cap. Cum tempore, de arb. nisi tamen vellent suspensionem impetrare pro tali Superiore indiuidualiter, quod non consulo, ne auferatur omnino. Immò addunt dicti DD. quòd nec capitula genaralia, vel prouincialia possunt dictam auctoritatem coarctare, absque licentia Papæ generali, vel speciali. Sed quòd possint dicta capitula coarctare priuilegia inferioribus Prælatis, seu Correctoribus localibus concessa per viuæ vocis oracula, habent priuilegium Leonis X. de quo dixi tom. 1. nostr priuil. in const. 2. Iulij II. nu. 9. Ad coarctandum autem dicta priuilegia per alias constitutiones Pontificias, quàm per viuæ vocis oracula concessa, non habent hanc facultatem capitula siue generalia, siuè prouincialia, quòd dicit Corduba loco cit. Et licèt viuæ vocis oracula habeant eamdem vim, ac aliæ constitutiones, vt dicunt Innocentius in cap. Constitutus, de rescrip. num. 2. & Felinua cons. 6. num. 1. & dixi

tom. 1. nostr. priu. in const. 17. Iulij II. num. 1. tamen quia, derogatis alijs constitutionibus, non censetur derogata viuæ vocis oracula, vt ibid. dixi const. 8. num. 26. ideo hic etiam assero, quòd concesso priuilegio ad derogandum viuæ vocis oraculis, non videtur concessum ad derogandum alijs constitutionibus, per identitatem rationis.

Antonin. Syluest. Rosella. Henriq. Armilla. Sotus. Suarez. Vasquez. Nugnus. Molfesius. Longus. Rodriq. Reginal.

80. Dico 3. Superiores locales esse ex ijs Prælatis, qui possunt sibi eligere confessorem ad libitum vbicumq; & quotiescumq; iuxta cap. fin. de pœnit. & remiss. Ita Anton. 3. par. tit. 17. cap. 3. §. 2. Sylu. ver. Confessor 1. quæst. 8. Rosella ver. Confessio 3. §. 37. Henriquez in summ. lib. 6. cap. 13. num. 3. in comm. lit. P. Armilla ver. Absolutio, §. 15. Sotus in 4. dist. 18. quæst 4. art. 2. versu Similiter omnes; Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 9. Vasquez tom. 4. in 3. par. quæst. 93. art. 2. dub. 4. num. 2. Nugn. in 3. par. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 2. col. 4. Molfesius 1. par. summ. tract. 7. cap. 15. num. 7. & 42. Long. de cas. reser. parm. sect. 1. art. 21. num. 2. Rodriquez tom. 1. quæst. reg. quæst. 20. art. 18. Reginald. in praxi lib. 1. num. 38. Constat ex dicto cap. fin. Et aduerte, quod confessor eligẽdus nõ est necesse quod sit approbatus ad audiendas cõfessiones a Prælato superiore, V. G. Prouinciali, sed sufficit, quòd sit simplex sacerdos, eo enim ipso quòd simplex sacerdos non suspensus, neq; excommunicatus, neq; interdictus eligitur a Prælato discreto, idoneus confessor censetur. Atq; ita docent Sotus loco cit. art. 3. versu Postremum dubium; Long. loco cit. num. 3. Et in Ordine nostro hoc est indubitabile per Correct. num. 84.

Sotus. Longus.

Sylu. Anton. Angel. Henriq. Reginald.

81. Sed dubitabis, à quibusnam casibus poterunt absoluere confessores electi Prælatos eligentes? Dico, quòd ab omnibus, à quibus ipsimet Prælati possunt suos subditos absoluere. Ita Sylu. loco cit. quæst. 9. Anton. loco cit. Angel. ver. Confessio 3. § 7. Henriq; in summ. lib. 7. cap. 28. num. 1. multos citans in com. lit. H. Reginald. loco. cit. Constat ex constit. 2. Iulij II. §. 9. & 19 tom. 1. nostr. priuil. & habetur expresse nostro Correct. loco cit. Non poterunt itaque dicti confessores electi absoluere eligentes à casibus superiori Prælato reseruatis, ipsisq; eligentibus non concessis, vt notant in specie Henriq. lib 6. cap. 13. num. 3. Rodriq. loc. cit. q. 21. art. 8.

Henriq. Rodriq.

82. Dubitabis etiam, an si eligens fuerit maiori excommunicatione ligatus, possit electus ei beneficium absolutionis impertire? Dico, quòd sic. Quia sumit auctoritatem, non ab eligente, sed à Canone committente. Anton. Sylu. loco cit. Vnde collige, quòd si Superior percutiat aliquem suum subditum, potest absolui à confessore ab ipso electo, vt notat Rodriq. to. 1. quæst. reg. quæst. 20. art. 12. Barbos. in cap. Monachi, de sent. exc. num. 4. Et si subditus, & Prælatus ad inuicem se percusserint, & in conuentu non sit aliquis, qui eos possit absoluere, possunt ab inuicem se absoluere, vt dicunt ijdem DD. & prætereà Passarell. in priuil. notab. 35. fine; Tab. ver. Absolutio 2. §. 6. Quia licèt excommunicatus non possit absoluere ab excommunicatione; cap. Audiuimus, 24. quæst. 1. In casu tamen necessitatis potest; quia necessitas non habet legem; cap. Quod non est licitum, de reg. iur.

Anton. Sylu. Rodriq. Barbosa. Passarell. Tabiena.

83. Et aduerte hic, quod Prælatus non excommunicatus potest licitè communicare in omnibus, etiam in diuinis, diuinum officium priuatim cum illis recitando, cum subditis excommunicatis non toleratis, sicut pater naturalis cum filijs; est enim Prælatus pater spiritualis suorum subditorum. Similiter magister nouitiorum potest liberè communicare cum illis excommunicatis in omnibus, quia est illorum pedagogus spiritualis. Ita Auila de cens. par. 2. cap. 6. disp. 11. dub. 7. fine; Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. concl. 5. ver. Secunda causa. Similiter subditi religiosi, etiam nouitij, possunt liberè communicare in omnibus cum suis Prælatis excommunicatis non toleratis. Ita Auil. loco cit. dub. 6. fine; Armill. vers. Excom. num. 46. Hi enim sunt filij spirituales suorum Prælatorum, vnde in his habet etiam locum cap. Quoniam multos, 11. quæst. 3. In quo cap. licèt expressè non dicatur, quòd pater possit communicare cum filio excommunicato, sed solum quòd filius potest communicare cum patre excommunicato, implicitè tamen id etiam intelligitur: quia filius; & pater sunt corelatiua; & dispositio in vno corelatiuorum, in alio intelliguntur, vbi non cernitur specialis ratio contraria l. fin. ff. de acceptil. l. fin. Cod. de indicta viduit. tol.

Auila. Sotus. Auila. Armilla.

84. Sed loquies. Licèt Prælatus, & subditus sint corelatiua, cernitur tamen in Prælato specialis ratio, qua, si sit excommunicatus, non possit cum illo communicare subditus; quia nimirum Prælatus excommunicatus non toleratus statim est priuatus omni iurisdictione, cap. Pia de excep. in 6. Syl. ver. Excomm. 3. num. 3. Filliuc. tom. 1. tract. 11. cap. 6. per totum; vnde desinit esse Prælatus: Quod non contingit in subdito, qui per excommunicationem non desinit esse subditus. R. Verum quidem esse, quod excommunicatus non toleratus est suspensus, seu priuatus omni iurisdictione spirituali quò ad vsum, non est tamen priuatus officio, nisi illi excommunicationi, quam incurrit, annexa sit ipso facto priuatio officij, vt Sylu. loco cit. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 9. versùs fin. Vnde licèt Prælatus excommunicationem incurrat per leuem percussionem, subdito, suadente diabolo, illi fictam, quæ qualis sit, docent Nauarr. in sum. cap. 27. num. 91. Genuens. in praxi Neapol. cap. 80. num. 1. non tamen statim est ipso facto priuatus officio; est enim officiorum priuatio vltimum terribilium, vt dicitur, & determinatur in Ordine nostro cap. Bonon. 1. num. 15. vnde tam grauis pœna pro leui percussione infligenda non est, & docent in specie Rodriq. to. 2. quæst. reg. q. 74. art. 3. Portel. in add. ad dub. reg. ver. Manus violentæ, num. 3. Quare, cum non sit statim priuatus officio, poterit, temporariam, & politicam dominationem domus exercendo, cum subditis priuatim communicare. Atq; ita docet Auila dub. 6. cit.

Syluest. Filliuc. Sylu. Antonin. Nauarr. Genuensis. Rodriq. Portel.

85. Nota

Antonin. Angelus. Suarez. Anton. Angel.

85. Nota hic etiam, quòd Prælatus, qui potest confessorem eligere, semel electum potest ad libitum mutare, & alium eligere, vt notant Anton. 3. p. tit. 17. c. 2. §. 2. fine. Angel. ver. Confessio 3. §. 6. Suar. to. 4. in 3. p. disp. 27. sect. 2. n. 11. & eo ipso quòd is, qui potest eligere confessorem, confitetur alicui, videtur ipsum eligere; Anton. loc. cit. Angel. cit. §. 8. Quia plus est factis eligere, quàm verbis, cap. Legebatur, de maior. & obed.

Suarez. Fagund. Trid. Suarez. Fagund. Azor. Riccius. Naldus. Longus.

86. Dubitabis etiam, an Prælatus potestatem habens confessorem eligendi, possit eligere sacerdotem non subditum. Dico, quòd duobus modis potest id contingere, primò si succedat, aliquem simplicem sacerdotem, non approbatum à suo Superiore, transire per aliquam Prouinciam, vel conuentum, an possit eligi in confessarium à Prouinciali, vel Correctore illius Prouinciæ, vel conuentus, secundò si Prouincialis, vel Corrector transeant per alienam Prouinciam, vel conuentum, an possint eligere sibi in confessorem aliquem similiter simplicem sacerdotem à suo Superiore non approbatum. In primo casu dico, quòd potest eligi, quia secundùm statuta omnium ferè Religionum transeuntes, & peregrini sunt subditi illorum Superiorum, in quorum Prouincijs, vel conuentibus degunt. Et ita docent Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 28. sect. 6. num. 13. Fagund. in præcept. Eccl. præcept. 2. lib. 2. c. 2. n. 80. In secundo casu videtur, quòd non possint, propter Trid. sess. 23. cap. 15. de refor. & ita docent Suarez. & Fagund. loco cit. Azor tom. 1. lib. 4. cap. 3. quæst. 16. ver. Quæres, id negat Cardinalibus. Et quòd nequeant etiam id facere Episcopi, afferendo declarationem sacræ Congreg. docent Ric. 1. par. prax. decis. 548. num. 2. De August. add. ad Quaran. ver. Archiepisc. auctoritas nu. 12. Nal. in sum. ver. Confessarius, num. 27. Sed quòd Prælati regulares hanc facultatem habeant, docet Long. 1. par. de casib. reseruat. sect. 1. art. 21. nu. 2. & videtur colligi non solùm ex prædicto cap. fin. de pœnit. & remiss. quod absolutè loquitur; sed etiam ex const. 2. Iulij II. §. 9. & 29. tom. 1. nostr. priuil. quod cum sit priuilegium fauorabile, & nemini nocium, latè est interpretandum, & priuilegia absolutè loquentia, absolutè etiam intelligenda sunt, l. De pretio, ff. de publ. in rem. act. & vbi lex non distinguit, nec nos etiam distinguere debemus. Et facit dictum cap. fin. quatenus ait, quòd possint dicti Prælati *absq; sui Superioris licentia* dictum confessarium eligere; cum enim dicti Correctores, & Prouinciales per statutum Religionum sint subditi in conuentibus, & Prouincijs, per quas transeunt, possunt absq; Superiorum dictarum Prouinciarum licentia simplices sacerdotes in confessarios eligere. Ad declarationem sacræ Congreg. dico, quòd loquitur solùm de Episcopis, ne sibi inuicem præiudicent in iurisdictione, cui cum non sint tam arctati Prælati regulares eiusdem Religionis, ni non præiudicant, & consequenter dicta declaratione non comprehenduntur. Vide Dianam tom. 3. tract. 2. resol. 3.

Dianam.

Sigismūd. Suarez. Reginald. Sigismūd. Sigismūd. Trid. Nauarr. Reginald. Sayrus. Sa. Long.

87. Dubitabis etiam, an præsente confessario, à Generali, vel Prouinciali approbato, liberum sit dictis Superioribus localibus simplicem sacerdotem eligere. Sigismund. de elect. dub. 221. concedit quidem, quòd Superiores locales possint vigore dicti cap. fin. de pœnit. sibi confessarium, etiam à Superioribus non approbatum, eligere; negat tamen num. 4. id posse, quando adsunt confessarij approbati à Prælatis, & citat pro se Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 10. qui non loquitur in hoc casu, sed solùm quando Religio haberet speciale priuilegium, vel statutum regulæ approbatum à Papa post illud commune ius, quòd Prælatus inferior non posset confiteri nisi confessario à Prælato maiori assignato; tunc enim non posset Prælatus inferior illo priuilegio vti, quod est verum; quo eodem prorsus modo loquitur Reginal. quem pro se citat Sigismund. Censeo itaque regulariter posse dictos Prælatos, etiamsi adsint confessarij à Superioribus maioribus approbati, eligere sibi in confessorem sacerdotem non approbatum. Tum quia hoc est priuilegium omninò fauorabile, & nemini nocium, vnde est largè interpretandum, iuxta reg. Odia, quæ est 15. de reg. iur. in 6. Tum quia consuetudo id iamdiù obtinuit. Tum quia iam ferè nihil valeret hoc priuilegium, cum in quibuslibet conuentibus teneantur superiores Prælati confessarios deputare, iuxta const. Clem. VIII. quam habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrbani VIII. §. 72. Tum quia nullus alius classicus Doctor, quem viderim, hanc limitationem ponit. Tum quia si Pontifex voluisset hanc limitationem locum habere, eam vtiq; apposuisset. Neq; obstat quod idem Sigismund. affert, hoc priuil. concedi, quando imminet animarum periculum; quod non imminet, quando adest confessarius approbatus. Nam facultas, quæ conceditur omnibus sacerdotibus absoluendi à quibuscomq; casibus in articulo mortis, eo fine conceditur, *ne hac occasione aliquis pereat*, vt dicit Trid. sess. 14. cap. 7. de sacr. pœnit. Et tamen, Nauarr. lib. 5. cons. de pœnit. & remiss. cons. 3. num. 2. Reginald. in praxi lib. 1. num. 61. vers. Quinimò; Sayrus in decis. lib. 5. tit. 22. dec. 11. Sa in aphori. ver. Absolutio, n. 3. Long. de cas. reser. par. 1. sect. 2. art. 16. nu. 6. ver. Nihilominus, & alij multi dicunt, quòd præsente Parocho, seu alio habente facultatem absoluendi à reseruatis, potest nihilominus in dicto articulo constitutus eligere, alium talem facultatem non habentem, immò & simplicem omninò sacerdotem, quod est idem, quia verba Concilij generalia admodùm sunt & non est cur restringantur, & tamen eo casu non est periculum animarum.

88. Aduerte tamen, quòd in Ordine nostro cessat omnis difficultas; concedit enim legislator in Correct. num. 84. quòd Superiores locales possint vnum ex Fratribus eiusdem Ordinis presbyterum idoneum in suum confessorem eligere, vt dixi etiam tom. 1. nostrorum priuilegiorum in const. 4. Syxti IV. num. 28. particula illa, Idoneum,

significat sacerdotem eligendum non debere esse excommunicatum, neq; suspensum, neq; interdictum, sed debere esse scientem ligare, & soluere, vt explicat Sot. in 4. dist. 18. q. 4. ar. 3. ver. Et tatio est. Quòd si nò idoneū in iciē tijs positiuis eligant, licet confessio valida sit, eligens tamen mortaliter peccat; ium quod contra mentem facit concedentis in re graui: tum quòd errandi se periculo exponit. Verum quidem est, quòd si eligens videat sacerdotem à se electum esse manifestè inhabilem, & sciat mortale peccatum esse tali confessori confiteri, confessio erit inualida: si verò existimet confessarium esse idoneum, vel non esse peccatum ei confiteri, & hoc ei contingat ex ignorantia inuincibili, confessio non solum erit valida, sed etiam sine peccato; si verò id contingat ex ignorantia vincibili, confessio erit quidem valida, sed informis, Vnde qui post confessionem nouit, confessorem non fuisse idoneum, si id ex malitia, vel affectata ignorantia factum est, tenetur confessionē iterare; si verò ex ignorantia, non tenetur iterare; sed solùm consulere circa casus difficiles, & de illa negligentia se accusare. Ita Nugn. in 3. par. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 3. princ. col. 2.

89. Aduerte etiam, quòd vigore huius priuilegij cap. fin. non possunt Prælati eligere sibi confessorem extra Ordinem, sed debēt seruare iura, & statuta suæ Religionis. Ita Suarez to. 4. in 3. par. disp. 17. sect. 2. num. 10. Reginald. in praxi, lib. 1. num. 38. Nugn. loc. cit. dub. 2. col. 4. Quòd si Religio nihil statuat circa hoc, puto, quòd possint etiam eligere extra Religionem; sicut enim possunt alijs licentiam dare, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 21. concl. 6. ita possunt eam sibi elargiri. Ita Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 15. num. 44. & sic electus non est necesse quod sit approbatus ab Ordinario; Molf. num. 45. Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib. 7. cap. 2. num. 4. dixi in loco cit. Relig. concl. 7.

90. Ad vltimum hic quæres tria, primū, an in Superiores locales possint eligi, qui nesciūt linguam illius regionis, in qua sunt Superiores, secundū an dicti Superiores locales possint ad suum libitum officiales manuales, sacristiam &c. amouere, tertiū an dicti Superiores locales statim ac sunt electi, sint etiam confirmati.

91. Ad 1. Selua de benef. par. 3. quæst. 17. n. 9. & Sigismund. de elect. dub. 136. respondent negatiuè, & probant ex cap. Quoniam, de off. ordin. Sed profectò si linguam latinam saltem intelligat, & loquatur, non erit eius electio inualida, quia hæc ferè apud omnes Religiosos in Europa intelligitur; quare poterit se illis communicare: Conuersis autem eam non intelligentibus poterit se communicare per alium quemcumq; & in casibus scrupulosis poterit alteri suam facultatem tribuere, vt con ceditur dicto cap. Quoniam. Et facit cap. Ad decorem, de instit. Hoc tamen non laudarem, ex eo quia extranei non solent tantum diligi, quantum naturales, nec sic cognoscunt suorum subditorum humores, & complexiones; vnde non possunt ea efficacia adhibere remedia.

92. Ad 2. 92. affirmatiuè. Ita Nauar. com. 2. de reg. num. 65. ver. Addo octauo. Et de Priori claustrali Azor par. 2. cap. 2. quæst. 2. Tho. à Iesu de statu Monach. 4. par. cap. 1. ver. Horum verò. Probatur, quia cum illa officia prouideantur ordinariè ad libitum Superiorum conuentualium, ad eorum etiam libitum remoueri possunt. Et ita habetur in Trid. sess. 25. cap. 2. de reg. & cap. Cum ad monasterium, §. Tales, de statu Monach. Gloss. in cap. Monachi, ver. Non mutetur, eodem tit. Faciunt cap. Ad nostram, & cap. Porrecta, de confir. vtil. vel inutil. Limitant tamen Nauar. nisi id malo animo fiat; nam tunc dicti officiales amoti possunt agere contra Superiorem, vt restituantur, Innoc. in cap. Insinuante, qui clericis, vel vou. num. 2. D'Aluin. de pot. Abb. cap. 6. nu. 2. ver. Sed non obstantibus. Ex quo collige, quòd Vicarius conuentualis electus ad libitum Prouincialis, ad eius libitum amouendus, si malo animo amoueatur, potest contra ipsum agere, vt testituatur, qui est casus Innoc. animus autem malus ex coniecturis probatur, vt Mascard. de prob. concl. 105. num. 10. & concl. 95. num. 2. & 6. vt si verbis, & operibus solitus fuit officialem malè tractare. Limita etiam secundò nisi aliud habeant Religionis constitutiones, vt V. G. Subprior Prædicatorum, qui à Priore instituitur cum consilio Discretorum sui conuentus, nō potest amoueri à Priore, nisi cū cōsilio, patrū, & per vota secreta; Nec etiā potest amoueri, quando imminet tractatus eorum, quæ ad capitulum mittenda sunt, vt constat ex eorum constit. pac. 3. cap. 13. & dicit Castell. de elect. cap. 18. præsertim nu. 6. In ordine Minimorum dicta officia prouidentur per Correctorem, & capitulum locale, vt constat ex Reg. num 8. & 43. vnde non possunt fine causa rationabili auferri; per doctrinam Innoc. in cap. In singulis, de statu Monach. num. 2. Immo in conuentibus Romanis, qui sunt Camera Generalis, per declarationem Congreg. Regul. factam anno 1616 non possunt à Generali ipso, dutaxat ibus eorum officijs, ab ijs conuentibus amoueri.

93. Ad 3. variæ sunt Religionum constitutiones, quæ omninò sunt inspiciendæ. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 53. art. 6. dicit, quòd electiones Guardianorū factæ per Prouincialem, & Definitores in ordine Minorum statim censentur confirmatæ, per priuilegium Benedicti XIII. confirmatum, & extensum à Pio IV. & expeditum à Pio V. In ordine Prædicatorum Prior electus ante confirmationem nullam habet administrationem, nec ius ad dictū Prioratum, vnde neq; potest illi renunciare, neq; appellare, si non confirmetur, vt constat ex par. 3. suar. const. cap. 1, ver. Electus autem canonicè, & dicit Castell. de elect. cap. 1. n. 13. In Ordine Minimorum hæ electiones fiunt à Fratribus localibus die 15. Septemb. nec vllam per eas acquirunt electi iurisdictionem, nisi post confirmationem capituli definitorij, quæ fit die 29. eiusdem mensis. Verum quidem est, quòd electiones dictorum Correctorum, quæ fiunt in conuentibus Romanis, statim sortiuntur effectum, & Correctores exercent suam iurisdictionem, tam temporalem, quam spiritualem in subditos petunt tamen confirmationem à Generali. Et in hoc iuuantur tum consuetudine,

dine, tum dicto priuilegio Benedicti, in quo statuitur, quòd in Priorem ritè electus, ante confirmationem possit, liberè exercere administrationem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, dummodò intra tempus legitimum confirmetur.

§. V. *Quid possint, vel non possint Correctores locales in Ordine Minimorum secundùm ipsorum Regulam, constitutiones, & priuilegia.*

94. DICO primò Correctores locales non recipiunt nouitios ad Religionem, sed id pertinet ad superiores Prælatos cum suis Socijs, vt constat ex Reg. nu. 2. & Corrector, nu. 16. Dicam latiùs infra q. 3. c. 1. 0. 15.

95. Dico 2. Nouitios ad professionem recipere pertinet ad Prælatos superiores, cum cõsensu Correctoris, & capituli localis, licet enim id non dicatur in Reg. num. 3. consequitur tamen ex eo, quod dicitur, num. 2. ad ipsos nimirum superiores Prælatos receptionem nouitiorum pertinere; quia si recipiuntur ad habitum, multò magis ad professionem, vt ait Passarel. in schol. ex Barchin. num. 12. Quòd verò requiratur capituli consensus, constat ea Reg. num. 3. Ibi *si à Fratribus professis*. Vide quæ dixi tom. 1. huius operis q. 1. cap. 26. §. 2. sub concl. 4. In absentia autem Prouincialis potest capitulum locale, nouitios ad professionem recipere, absq; illius expressa licentia. Nisi fortè à prædicto Prouinciali id illi fuisset specialiter prohibitum. Ita statuitur in cap. Val. 1. n. 15.

Passarell.

96. Dico tertiò, Correctores concedunt licentiam ad equitandum super asinum, vel mulum, iuxta Fratrum qualitatem, & regionum diuersitatem, & consuetudinem; modò tamen sellæ, & fræna sint simplicia, & religiosa; Reg. num. 11. Correct. num. 28. cap. Turon. num. 25. Tolos. num. 55. Val. 5. num. 10, ver. Primum.

97. Dico 4. reparationi Ecclesiæ, & Fratrum debitæ subuentioni per Correctores locales, & eorum capitula piè subuenitur. Reg. nu. 24. & ęgrotis de Correctoris iussione in infirmitorio charitatiuè succurritur de omnibus cibarijs, pro sanitate celeriùs restauráda; Reg. n. 26 Non licet tamen Correctoribus extrahere à comedendis cibis paschalibus in infirmaria ægrotos sine medici consilio; c. Genuen. 4. n. 14.

98. Dico 5. Correctores locales possunt dispensare super cunctis ieiunijs Regulæ; Reg. num. 31. Adque ipsos pertinet concedere licentiam Fratribus comedendi extra horam solitam refectionis ordinariæ; inq; deuotorum secularium domibus recubandi, ibiq; pernoctandi, cum commodè non possunt ad monasteria diuertere; Reg. num. 33. Ad ipsos etiam Correctores pertinet hospites benignè, & charitatiuè colligere, ac Fratres deputare ad illis inseruiendum; Reg. num. 34.

99. Dico 6. Correctores locales, cæteriq; Superiores Ordinis Minimorum tenentur in victu, & vestitu se cum cæteris Fratribus iuxta posse conformare; Reg. num. 39. Corr. nu. 65. quod est conforme decretis Clemen. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 25. & 17. Et aduerte, quòd singularitas, quæ reddet difformem Correctorem, ac cœteros Superiores à reliqua communitate, debet esse notabilis, & onerosa, vt Correctorium ipsum loc. cit. declarat. Quo modo verò intelligatur illud, *iuxta posse*, dicam, benedicente Domino, in explicatione Regulæ ad illum locum. Vbi similiter explicabo illa verba dicti numeri 39. *Nisi generalis, vel prouincialis capituli consensu interueniente*; & diligenter ponderabo statutum super illis factũ in cap. Genuen. 5. num. 25. & doctrinam Passar. in schol. ex Genuen. num. 25. ver. Sed super tertium. Quòd autem hæc approbatio non sit necesse, quòd fiat in scriptis, & qui direndi sint laudabiliter vixisse, vide in cap. Val. 5. n. 21. ver. Septimum; & vide etiam decretum in cap. Massil. 1. in dubijs missis à Cardin. de Nazareth, dub. 3.

100. Dico 7. instituere Prędicatores, Lectores, confessarios Fratrum, & nouitiorum; ad superiores Prælatos pertinet; Reg. num. 42. Correct. num. 79. & 85. Vbi autem dicti superiores Prælati essent absentes, & immineret necessitas assignãdi confessarium nouitijs, tunc Correctores de consilio suorum Seniorum possent dictum confessarium ex approbatis à superioribus Prælatis, præfatis nouitijs assignare; Correct. num. 89. cum declar. cap. 1. Bonon. num. 12. Idem dic, si dicti superiores Prælati in hoc negligentes extitissent. Neq; possunt dicti locales Correctores arcere fratres legitimè in confessarios deputatos ab audientia confessionum. Quòd si casus aliquis vrgeret, id posset localis Corrector, cum consensu suorum Seniorum; Correct. nu. 88.

101. Dico 8. Assignare Informatorem nouitijs ad superiores Prælatos pertinet; Reg. nu. 42. si tamen nimium austerus esset, vel inexemplaris, aut indiscretus, poterit per Correctorem, & eius capitulum deponi; Correct. n. 90. Sed nunc per decreta Clem. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priuil. in const. 10. Vrban. VIII. §. 91. Magister nouitiorum per capitulum prouinciale eligitur ad triennium, quo triennio durante, absq; legitima causa, iuridicè probanda, amoueri non potest. Verùm si indiscretus, vel scandalosus fuerit, per Correctorem localem iuxta tex. Correct. cit. puto, quòd poterit saltem suspendi, quousq. Prælatus superior consulatur; & interim poterit Corrector cum consilio, & assensu suorum Seniorum, & grauiorum Patrum conuentus alium substituere. Similiter in casu mortis, & longæ absentię, nisi in dicto cap. prouinciali ei socius fuisset deputatus, nam tunc ipse nouitiatus curam gereret, quousq; per Superiorem maiorem prouideretur, iuxta formam traditam in dicta const. Vrb. VIII.

102. Dico 9. Officiales conuentus, Sacristam, Procuratorem, Dispensatorem, Prouisorem, &c. eligere, ad Correctorem cum, suo capitulo locali pertinet; Reg. num. 8. & 43. Correct. num. 91. Possunt etiam fieri per superiores Prælatos tempore visitationis; Reg. nu. 43. de consensu tamen capit. localis, vt const.

ex

significat sacerdotem eligendum non debere esse excommunicatum, neq; suspensum, neq; interdictum, sed debere esse scientem ligare, *Soto.* & soluere, vt explicat Sot. in 4. dist. 18. q. 4. ar. 3. vet. Et ratio est. Quòd si nõ idoneũ in scientijs positiuis eligant, licet confessio valida sit, eligens tamen mortaliter peccat; tum quod contra mentem facit concedentis in re graui: tum quòd errandi se periculo exponit. Verum quidem est, quòd si eligens videat sacerdotem à se electum esse manifestè inhabilem, & sciat mortale peccatum esse tali confessori confiteri, confessio erit inualida: si verò existimet confessarium esse idoneum, vel non esse peccatum ei confiteri, & hoc ei contingat ex ignorantia inuincibili, confessio non solum erit valida, sed etiam sine peccato; si verò id contingat ex ignorantia vincibili, confessio erit quidem valida, sed informis, Vnde qui post confessionem nouit, confessorem non fuisse idoneum, si id ex malitia, vel affectata ignorantia factum est, tenetur confessionẽ iterare; si verò ex ignorantia, non tenetur iterare; sed solùm consulere circa casus difficiles, & *Nugn.* de illa negligentia se accusare. Ita Nugn. in 3. par. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 3. princ. col. 2.

89. Aduerte etiam, quòd vigore huius priuilegij cap. fin. non possunt Prælati eligere sibi confessorem extra Ordinem, sed debent seruare *Suarez.* iura, & statuta suæ Religionis. Ita Suarez to. 4. *Reginald.* in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 10. Reginald. in *Nugn.* praxi, lib. 1. num. 38. Nugn. loc. cit. dub. 2. col. 4. Quòd si Religio nihil statuat circa hoc, puto, quòd possint etiam eligere extra Religionem; sicut enim possunt alijs licentiam dare, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 21. concl. 6. ita *Molfes.* possunt eam sibi elargiri. Ita Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 15. num. 44. & sic electus non est necesse quod sit approbatus ab Ordinario; Molf. *Fagund.* num. 45. Fagund. in 2. precep. Eccl. lib. 7. cap. 2. num. 4. dixi in loco cit. Relig. concl. 7.

90. Ad vltimum hic quæres tria, primũ, an in Superiores locales possint eligi, qui nesciũt linguam illius regionis, in qua sunt Superiores, secundũ an dicti Superiores locales possint ad suum libitum officiales manuales, sacristiam &c. amouere, tertiũ an dicti Superiores locales statim ac sunt electi, sint etiam confirmati.

Selua. 91. Ad 1. Selua de benef. par. 3. quæst. 27. n. 9. *Sigismũd.* & Sigismund. de elect. dub. 116. respondent negatiuè, & probant ex cap. Quoniam, de off. ordin. Sed profectò si linguam latinam saltem intelligat, & loquatur, non erit eius electio inualida, quia hæc ferè apud omnes Religiosos in Europa intelligitur; quare poterit se illis communicare; Conuersis autem eam non intelligentibus poterit se communicare per alium quemcumq; & in casibus scrupulosis poterit alteri suam facultatem tribuere, vt conceditur dicto cap. Quoniam. Et facit cap. Ad decorem, de instit. Hoc tamen non laudarem, ex eo quia extranei non solent tantum diligi, quantum naturales, nec sic cognoscunt suorum subditorum humores, & complexiones; vnde non possunt ea efficacia adhibere remedia.

Nauarr. 92. Ad 2. R. affirmatiuè. Ita Nauar. com. 2. de reg. num. 65. ver. Addo octauo. Et de Priore claustrali Azor par. 2. cap. 2. quæst. 2. *Azor.* Tho. à Iesu de statu Monach. 4. par. cap. 1. ver. *Tho. à Iesu* Horum verò. Probatur, quia cum ista officia prouideantur ordinariè ad libitum Superiorum conuentualium, ad eorum etiam libitum remoueri possunt. Et ita habetur in Trid. sess. 25. cap. 2. de reg. & cap. Cum ad monasterium; §. Talea, de statu Monach. Gloss. in cap. Monachi, ver. Non mutetur, eodem tit. *Gloss.* Faciunt cap. Ad nostram, & cap. Porrecta, de confir. vtil. vel inutil. Limitant tamen Nauar. nisi id malo *Nauarr.* animo fiat; nam tunc dicti officiales amoti possunt agere contra Superiorem, vt restituantur, Innoc. in cap. Insinuante, qui clericis, vel vou. *Innoc.* num. 2. D'Aluin. de pot. Abb. cap. 6. nu. 2. ver. *D'Aluin.* Sed non obstantibus. Ex quo collige, quòd Vicarius conuentus electus ad libitum Prouincialis, ad eius libitum amouendus, si malo animo amoueatur, potest contra ipsum agere, vt restituatur, qui est casus Innoc. animus autem malus ex coniecturis probatur, vt Mascard. de *Mascard.* prob. concl. 105. num. 10. & concl. 95. num. 2. & 6. vt si verbis, & operibus solitus fuit officialem malè tractare. Limita etiam secundò nisi aliud habeant Religionis constitutiones, vt V. G. Subprior Prædicatorum, qui à Priore instituitur cum consilio Discretorum sui conuentus, nõ potest amoueri à Priore, nisi cũ cõsilio; patrũ, & per vota secreta; Nec etiã potest amoueri, quando imminet tractatus eorum, quæ ad capitulum mittenda sunt, vt constat ex eorum constit. par. 3. cap. 23: & dicit Castell. de elect. *Castellin.* cap. 18. præsertim nu. 6. In ordine Minimorum dicta officia prouidentur per Correctorem, & capitulum locale, vt constat ex Reg. num 8. & 43. vnde non possunt sine causa rationabili auferri; per doctrinam Innoc. in cap. In singulis, de statu Monach. num. 2: Immo in conuentibus Romanis, quæ sunt Cameræ Generalis, per declarationem Congreg. Regul. factam anno 1616 non possunt à Generali; ipso, durantibus eorum officijs, ab ijs conuentibus amoueri.

93. Ad 3. variæ sunt Religionum constitutiones, quæ omninò sunt inspiciendæ. Rodriq. *Rodriq.* tom. 1. quæst. reg. quæst. 53. art. 6. dicit, quòd electiones Guardianorũ factæ per Prouincialem, & Definitores in ordine Minorum statim censentur confirmatæ, per priuilegium Benedicti XIII. confirmatum, & extensum à Pio IV. & expeditum à Pio V. In ordine Prædicatorum Prior electus ante confirmationem nullam habet administrationem, nec ius ad dictũ Prioratum, vnde neq; potest illi renunciare, neq; appellare, si non confirmetur, vt constat ex par. 3. suar. const. cap. 1. ver. Electus autem canonicè, & dicit Castell. de elect. cap. 1. n. 23. *Castellin.* In Ordine Minimorum hæ electiones fiunt à Fratribus localibus die 15. Septemb. nec vllam per eas acquirunt electi iurisdictionem, nisi post confirmationem capituli definitorij, quæ fit die 29. eiusdem mensis. Verum quidem est, quòd electiones dictorum Correctorum, quæ fiunt in conuentibus Romanis, statim sortiuntur effectum, & Correctores exercent suam iurisdictionem, tam temporalem, quam spiritualem in subditos petunt tamen confirmationem à Generali. Et in hoc iuuantur tum consuetudine,

dine, tum dicto priuilegio Benedicti, in quo statuitur, quòd in Priorem ritè electus, ante confirmationem possit, liberè exercere administrationem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, dummodò intra tempus legitimum confirmetur.

§. V. *Quid possint, vel non possint Correctores locales in Ordine Minimorum secundùm ipsorum Regulam, constitutiones, & priuilegia.*

94. DICO primò Correctores locales non recipiunt nouitios ad Religionem, sed id pertinet ad superiores Prælatos cum suis Socijs, vt constat ex Reg. nu. 2. & Corrector. nu. 16. Dicam latiùs infra q. 3. cap. n. 15.

95. Dico 2. Nouitios ad professionem recipere pertinet ad Prælatos superiores, cum consensu Correctoris, & capituli localis, licet enim id non dicatur in Reg. num. 3. consequitur tamen ex eo, quod dicitur, num. 2. ad ipsos nimirum superiores Prælatos receptionem nouitiorum pertinere; quia si recipiunt ad habitum, multò magis ad professionem, vt ait Passarel. in schol. ex Barchin. num. 12. Quòd verò requiratur capituli consensus, constat ex Reg. num. 3. ibi *si à Fratribus professis*. Vide quæ dixi tom. 1. huius operis q. 1. cap. 16. §. 2. sub concl. 4. In absentia autem Prouincialis potest capitulum locale, nouitios ad professionem recipere, absq; illius expressa licentia. Nisi fortè à prædicto Prouinciali id illi fuisset specialiter prohibitum. Ita statuitur in cap. Val. 2. n. 15.

Passarell.

96. Dico tertiò, Correctores concedunt licentiam ad equitandum super asinum, vel mulum, iuxta Fratrum qualitatem, & regionum diuersitatem, & consuetudinem; modò tamen sellæ, & fræna sint simplicia, & religiosa; Reg. num. 11. Correct. num. 22. cap. Turon. num. 25. Tolos. num. 55. Val. 5. num. 20. ver. Primum.

97. Dico 4. reparationi Ecclesiæ, & Fratrum debitæ subuentioni per Correctores locales, & eorum capitula piè subuenitur. Reg. nu. 24. & ægrotis de Correctoris iussione in infirmitorio charitatiuè succurritur de omnibus cibarijs, pro sanitate celeriùs restaurãda; Reg. n. 26 Non licet tamen Correctoribus extrahere à comedendis cibis paschalibus in infirmaria ægrotos sine medici consilio; c. Genuen. 4. n. 14.

98. Dico 5. Correctores locales possunt dispensare super cunctis ieiunijs Regulæ; Reg. num. 31. Adque ipsos pertinet concedere licentiam Fratribus comedendi extra horam solitam refectionis ordinariæ; inq; deuotorum secularium domibus recubandi, ibiq; pernoctandi, cum commodè non possunt ad monasteria diuertere; Reg. num. 33. Ad ipsos etiam Correctores pertinet hospites benignè, & charitatiuè colligere, ac Fratres deputare ad illis inseruiendum; Reg. num. 34.

99. Dico 6. Correctores locales, cæteriq; Superiores Ordinis Minimorum tenentur in victu, & vestitu se cum cæteris Fratribus iuxta posse conformare; Reg. num. 39. Corr. nu. 65. quod est conforme decretis Clemen. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 25. & 27. Et aduerte, quòd singularitas, quæ reddet difformem Correctorem, ac cæteros Superiores à reliqua communitate, debet esse notabilis, & onerosa, vt Correctorium ipsum loc. cit. declarat. Quomodo verò intelligatur illud, *iuxta posse*, dicam, benedicente Domino, in explicatione Regulæ ad illum locum. Vbi similiter explicabo illa verba dicti numeri 39. *Nisi generalis, vel prouincialis capituli consensu interueniente*; & diligenter ponderabo statutum super illis factũ in cap. Genuen. 5. num. 25. & doctrinam Passar. in schol. ex Genuen. num. 25. ver. Sed super tertium. Quòd autem hæc approbatio non sit necesse, quòd fiat in scriptis, & qui dispendij sint laudabiliter vixisse, vide in cap. Val. 5. n. 21. ver. Septimum; & vide etiam decretum in cap. Massil. 1. in dubijs missis à Cardin. de Nazareth, dub. 5.

100. Dico 7. instituere Prædicatores, Lectores, confessarios Fratrum, & nouitiorum; ad superiores Prælatos pertinet; Reg. num. 42. Correct. num. 79. & 85. Vbi autem dicti superiores Prælati essent absentes, & immineret necessitas assignãdi confessarium nouitijs, tunc Correctores de consilio suorum Seniorum possent dictum confessarium ex approbatis à superioribus Prælatis, præfatis nouitijs assignare; Correct. num. 89. cum declar. cap. 1. Bonon. num. 12. Idem dic, si dicti superiores Prælati in hoc negligentes extitissent. Neq; possunt dicti locales Correctores arcere fratres legitimè in confessarios deputatos ab audientia confessionum. Quòd si casus aliquis vrgeret, id posset localis Corrector, cum consensu suorum Seniorum; Correct. nu. 88.

101. Dico 8. Assignare Informatorem nouitijs ad superiores Prælatos pertinet; Reg. nu. 48. si tamen nimium austerus esset, vel inexemplaris, aut indiscretus, poterit per Correctorem, & eius capitulum deponi; Correct. n. 90. Sed nunc per decreta Clem. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priuil. in const. 10. Vrban. VIII. §. 91. Magister nouitiorum per capitulum prouinciale eligitur ad triennium, quo triennio durante, absq; legitima causa, iuridicè probanda, amoueri non potest. Verùm si indiscretus, vel scandalosus fuerit, per Correctorem localem iuxta tex. Correct. cit. puto, quòd poterit saltem suspendi, quousq. Prælatus superior consulatur; & interim poterit Corrector cum consilio, & assensu suorum Seniorum, & grauiorum Patrum conuentus alium substituere. Similiter in casu mortis, & longæ absentiæ, nisi in dicto cap. prouinciali ei socius fuisset deputatus, nam tunc ipse nouitiatus curam gereret, quousq; per Superiorem maiorem prouideretur, iuxta formam traditam in dicta const. Vrb. VIII.

102. Dico 9. Officiales conuentus, Sacristam, Procuratorem, Dispensatorem, Prouisorem, &c. eligere, ad Correctorem cum, suo capitulo locali pertinet; Reg. num. 8. & 43. Correct. num. 91. Possunt etiam fieri per superiores Prælatos tempore visitationis; Reg. nu. 43. de consensu tamen capit. localis, vt const. ex

significat sacerdotem eligendum non debere esse excommunicatum, neq; suspensum, neq; interdictum, sed debere esse scientem ligare, *Sotus.* & soluere, vt explicat Sot. in 4. dist. 18. q. 4. ar. 3. ver. Et ratio est. Quòd si nō idoneū iniūctē tijs posituis eligant, licet confessio valida sit, eligens tamen mortaliter peccat; tum quod contra mentem facit concedentis in re graui: tum quòd errandi se periculo exponit. Verum quidem est, quòd si eligens videat sacerdotem à se electum esse manifestè inhabilem, & sciat mortale peccatum esse tali confessori confiteri, confessio erit inualida: si verò existimet confessarium esse idoneum, vel non esse peccatum ei confiteri, & hoc ei contingat ex ignorantia inuincibili, confessio non solum erit valida, sed etiam sine peccato; si verò id contingat ex ignorantia vincibili, confessio erit quidem valida, sed informis. Vnde qui post confessionem nouit, confessorem non fuisse idoneum, si id ex malitia, vel affectata ignorantia factum est, tenetur confessionē iterare; si verò ex ignorantia, non tenetur iterare; sed solùm consulere circa casus difficiles, & *Nugn.* de illa negligentia se accusare. Ita Nugn. in 3. par. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 3. princ. col. 2.

89. Aduerte etiam, quòd vigore huius priuilegij cap. fin. non possunt Prælati eligere sibi confessorem extra Ordinem, sed debēt seruare *Suarez.* iura, & statuta suæ Religionis. Ita Suarez to. 4. *Reginald.* in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 10. Reginald. in *Nugn.* praxi, lib. 1. num. 38. Nugn. loc. cit. dub. 2. col. 4. Quòd si Religio nihil statuat circa hoc, puto, quòd possint etiam eligere extra Religionem; sicut enim possunt alijs licentiam dare, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 21. concl. 6. ita *Molfes.* possunt eam sibi elargiri. Ita Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 15. num. 44. & sic electus non est necesse quod sit approbatus ab Ordinario; Molf. *Fagund.* num. 45. Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib. 7. cap. 2. num. 4. dixi in loco cit. Relig. concl. 7.

90. Ad vltimum hic quæres tria, primū, an in Superiores locales possint eligi, qui nesciūt linguam illius regionis, in qua sunt Superiores, secundū an dicti Superiores locales possint ad suum libitum officiales manuales, sacristiam &c. amouere, tertiū an dicti Superiores locales statim ac sunt electi, sint etiam confirmati.

Selua. 91. Ad 1. Selua de benef. par. 3. quæst. 17. n. 9. *Sigismūd.* & Sigismund. de elect. dub. 116. respondent negatiuè, & probant ex cap. Quoniam, de off. ordin. Sed profectò si linguam latinam saltem intelligat, & loquatur, non erit eius electio inualida, quia hæc ferè apud omnes Religiosos in Europa intelligitur; quare poterit se illis communicare: Conuersis autem eam non intelligentibus poterit se communicare per alium quemcumq; & in casibus scrupulosis poterit alteri suam facultatem tribuere, vt conceditur dicto cap. Quoniam. Et facit cap. Ad decorem, de instit. Hoc tamen non laudarem, ex eo quia extranei non solent tantum diligi, quantum naturales, nec sic cognoscunt suorum subditorum humores, & complexiones; vnde non possunt ea efficacia adhibere remedia.

Nauarr. 92. Ad 2. R. affirmatiuè. Ita Nauar. com. 2. de reg. num. 65. ver. Addo octauo. Et de *Azor.* Priori claustrali Azor par. 2. cap. 2. quæst. 2. *Tho. à Iesu* Tho. à Iesu de statu Monach. 4. par. cap. 1. ver. Horum verò. Probatur, quia cum illa officia prouideantur ordinariè ad libitum Superiorum conuentualium, ad eorum etiam libitum remoueri possunt. Et ita habetur in Trid. sess. 25. cap. 2. de reg. & cap. Cum ad monasterium, *Gloss.* §. Tales, de statu Monach. Gloss. in cap. Monachi, ver. Non mutetur, eodem tit. Faciunt cap. Ad nostram, & cap. Porrecta, de confir. vtil. *Nauarr.* vel inutil. Limitant tamen Nauar. nisi id malo animo fiat; nam tunc dicti officiales amoti possunt agere contra Superiorem, vt restituantur, *Innoc.* Innoc. in cap. Insinuante, qui clericis, vel vou. *D'Aluin.* num. 1. D'Aluin. de pot. Abb. cap. 6. nu. 2. ver. Sed non obstantibus. Ex quo collige, quòd Vicarius conuentus electus ad libitum Prouincialis, ad eius libitum amouendus, si malo animo amoueatur, potest contra ipsum agere, vt restituatur, qui est casus Innoc. animus autem *Mascard.* malus ex coniecturis probatur, vt Mascard. de prob. concl. 105. num. 10. & concl. 95. num. 1. & 6. vt si verbis, & opere sua solitus fuit officialem malè tractare. Limita etiam secundò nisi aliud habeant Religionis constitutiones, vt V. G. Subprior Prædicatorum, qui à Priore instituitur cum consilio Discretorum sui conuentus, nō potest amoueri à Priore, nisi cū cōsilio patrū, & per vota secreta; Nec etiā potest amoueri, quando imminet tractatus eorum, quæ ad capitulum mittenda sunt, vt constat ex eorum *Castellin.* constit. par. 3. cap. 13. & dicit Castell. de elect. cap. 18. præsertim nu. 6. In ordine Minimorum dicta officia prouidentur per Correctorem, & capitulum locale, vt constat ex Reg. num. 8. & 43. vnde non possunt sinè causa rationabili auferri; per doctrinam Innoc. in cap. In singulis, de statu Monach. num. 2. Immo in conuentibus Romanis, qui sunt Cameræ Generalis, per declarationem Congreg. Regul. factam anno 1616 non possunt à Generali ipso, durantibus eorum officijs, ab ijs conuentibus amoueri.

93. Ad 3. variæ sunt Religionum constitutio- *Rodriq.* nes, quæ omninò sunt inspiciendæ. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 53. art. 6. dicit, quòd electiones Guardianorū factæ per Prouincialem, & Definitores in ordine Minorum statim censentur confirmatæ, per priuilegium Benedicti XIII. confirmatum, & extensum à Pio IV. & expeditum à Pio V. In ordine Prædicatorum Prior electus ante confirmationem nullam habet administrationem, nec ius ad dictū Prioratum, vnde neq; potest illi renunciare, neq; appellare, si non confirmetur, vt constat ex par. 1. suar. const. cap. 10. ver. Electus autem *Castellin.* canonicè, & dicit Castell. de elect. cap. 1. n. 13. In Ordine Minimorum hæ electiones fiunt à Fratribus localibus die 15. Septemb. nec vllam per eas acquirunt electi iurisdictionem, nisi post confirmationem capituli definitorij, quæ fit die 29. eiusdem mensis. Verum quidem est, quòd electiones dictorum Correctorum, quæ fiunt in conuentibus Romanis, statim sortiuntur effectum, & Correctores exercent suam iurisdictionem, tam temporalem, quam spiritualem in subditos petunt tamen confirmationem à Generali. Et in hoc iuuantur tum consuetudine,

dine, tum dicto priuilegio Benedicti, in quo statuitur, quòd in Priorem ritè electus, ante confirmationem possit, liberè exercere administrationem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, dummodò infra tempus legitimum confirmetur.

§. V. *Quid possint, vel non possint Correctores locales in Ordine Minimorum secundùm ipsorum Regulam, constitutiones, & priuilegia.*

94. DICO primò Correctores locales non recipiunt nouitios ad Religionem, sed id pertinet ad superiores Prælatos cum suis Socijs, vt constat ex Reg. nu. 2. & Corrector. nu. 16. Dicam latiùs infra q. 3. c. 1. n. 15.

95. Dico 2. Nouitios ad professionem recipere pertinet ad Prælatos superiores, cum consensu Correctoris, & capituli localis, licet enim id non dicatur in Reg. num. 3. consequitur tamen ex eo, quod dicitur, num. 2. ad ipsos nimirum superiores Prælatos receptionem nouitiorum pertinere; quia si recipiunt ad habitum, multò magis ad professionem, vt ait Passarel. in schol. ex Barchin. num. 12. Quòd verò requiratur capituli consensus, constat ex Reg. num. 3. ibi *si à Fratribus professis*. Vide quæ dixi tom. 1. huius operis q. 1. cap. 16. §. 2. sub concl. 4. In absentia autem Prouincialis potest capitulum locale, nouitios ad professionem recipere, absq; illius expressa licentia. Nisi fortè à prædicto Prouinciali id illi fuisset specialiter prohibitum. Ita statuitur in cap. Val. 2. n. 15.

Passarell.

96. Dico tertiò, Correctores concedunt licentiam ad equitandum super asinum, vel mulum, iuxta Fratrum qualitatem, & regionum diuersitatem, & consuetudinem; modò tamen sellæ, & fræna sint simplicia, & religiosa; Reg. num. 11. Correct. num. 22. cap. Turon. num. 25. Tolos. num. 55. Val. 5. num. 20. ver. Primum.

97. Dico 4. reparationi Ecclesiæ, & Fratrum debitæ subuentioni per Correctores locales, & eorum capitula piè subuenitur. Reg. nu. 24. & ægrotis de Correctoris iussione in infirmitorio charitatiuè succurritur de omnibus cibarijs, pro sanitate celeriùs restaurãda; Reg. n. 26 Non licet tamen Correctoribus extrahere à comedendis cibis paschalibus in infirmaria ægrotos sine medici consilio; c. Genuen. 4. n. 14.

98. Dico 5. Correctores locales possunt dispensare super cunctis ieiunijs Regulæ; Reg. num. 31. Adque ipsos pertinet concedere licentiam Fratribus comedendi extra horam solitam refectionis ordinariæ; Inq; deuotorum secularium domibus recubandi, ibiq; pernoctandi, cum commodè non possunt ad monasteria diuertere; Reg. num. 33. Ad ipsos etiam Correctores pertinet hospites benignè, & charitatiuè colligere, ac Fratres deputare ad illis inseruiendum; Reg. num. 34.

99. Dico 6. Correctores locales, cæteriq; Superiores Ordinis Minimorum tenentur in victu, & vestitu se cum cæteris Fratribus iuxta posse conformare; Reg. num. 39. Corr. nu. 65. quod est conforme decretis Clemen. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 25. & 27. Et aduerte, quòd singularitas, quæ reddet difformem Correctorem, ac cæteros Superiores à reliqua communitate, debet esse notabilis, & onerosa, vt Correctorium ipsum loc. cit. declarat. Quo modo verò intelligatur illud, *iuxta posse*, dicam, benedicente Domino, in explicatione Regulæ ad illum locum. Vbi similiter explicabo illa verba dicti numeri 39. *Nisi generalis, vel prouincialis capituli consensu interueniente*; & diligenter ponderabo statutum super illis factũ in cap. Genuen. 5. num. 25. & doctrinam Passar. in schol. ex Genuen. num. 25. ver. Sed super tertium. Quòd autem hæc approbatio non sit necesse, quòd fiat in scriptis, & qui dispendi sint laudabiliter vixisse, vide in cap. Val. 5. n. 21. ver. Septimum; & vide etiam decretum in cap. Massil. 1. in dubijs missis à Cardin. de Nazareth, dub. 3.

100. Dico 7. instituere Prędicatores, Lectores, confessarios Fratrum, & nouitiorum, ad superiores Prælatos pertinet; Reg. num. 42. Correct. num. 79. & 85. Vbi autem dicti superiores Prælati essent absentes, & imminerer necessitas assignãdi confessarium nouitijs, tunc Correctores de consilio suorum Seniorum possent dictum confessarium ex approbatis à superioribus Prælatis, præfatis nouitijs assignare; Correct. num. 89. cum declar. cap. 1. Bonon. num. 12. Idem dic, si dicti superiores Prælati in hoc negligentes extitissent. Neq; possunt dicti locales Correctores arcere fratres legitimè in confessarios deputatos ab audientia confessionum. Quòd si casus aliquis vrgeret, id posset localis Corrector, cum consensu suorum Seniorum; Correct. nu. 88.

101. Dico 8. Assignare Informatorem nouitijs ad superiores Prælatos pertinet; Reg. nu. 42. si tamen nimium austerus esset, vel inexemplaris, aut indiscretus, poterit per Correctorem, & eius capitulum deponi; Correct. n. 90. Sed nunc per decreta Clem. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priuil. in const. 10. Vrban. VIII. §. 91. Magister nouitiorum per capitulum prouinciale eligitur ad triennium, quo triennio durante, absq; legitima causa, iuridicè probanda, amoueri non potest. Verùm si indiscretus, vel scandalosus fuerit, per Correctorem localem iuxta tex. Correct. cit. puto, quòd poterit saltem suspendi, quousq. Prælatus superior consulatur; & interim poterit Corrector cum consilio, & assensu suorum Seniorum, & grauiorum Patrum conuentus alium substituere. Similiter in casu mortis, & longæ absentię, nisi in dicto cap. prouinciali ei socius fuisset deputatus, nam tunc ipse nouitiatus curam gereret, quousq; per Superiorem maiorem prouideretur, iuxta formam traditam in dicta const. Vrb. VIII.

102. Dico 9. Officiales conuentus, Sacristam, Procuratorem, Dispensatorem, Prouisorem, &c. eligere, ad Correctorem cum, suo capitulo locali pertinet; Reg. num. 8. & 43. Correct. num. 91. Possunt etiam fieri per superiores Prælatos tempore visitationis; Reg. nu. 43. de consensu tamen capit. localis, vt const. ex

significat sacerdotem eligendum non debere esse excommunicatum, neq; suspensum, neq; interdictum, sed debere esse scientem ligare, & soluere, vt explicat Sot. in 4. dist. 18. q. 4. ar. 3. ver. Et ratio est. Quòd si nō idoneū in iniē tijs positiuis eligant, licet confessio valida sit, eligens tamen mortaliter peccat; tum quod contra mentem illis concedentis in re graui: tum quòd errandi se periculo exponit. Verum quidem est, quòd si eligens videat sacerdotem à se electum esse manifestè inhabilem, & sciat mortale peccatum esse tali confessori confiteri, confessio erit inualida: si verò existimet confessarium esse idoneum, vel non esse peccatum ei confiteri, & hoc ei contingat ex ignorantia inuincibili, confessio non solum erit valida, sed etiam sine peccato; si verò id contingat ex ignorantia vincibili, confessio erit quidem valida, sed informis, Vnde qui post confessionem nouit, confessorem non fuisse idoneum, si id ex malitia, vel affectata ignorantia factum est, tenetur confessionē iterare; si verò ex ignorantia, non tenetur iterare; sed solùm consulere circa casus difficiles, & de illa negligentia se accusare. Ita Nugn. in 3. par. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 3. princ. col. 2.

Sotus. *Nugn.*

89. Aduerte etiam, quòd vigore huius priuilegij cap. fin. non possunt Prælati eligere sibi confessorem extra Ordinem, sed debēt seruare iura, & statuta suæ Religionis. Ita Suarez to. 4. in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 10. Reginald. in praxi, lib. 1. num. 38. Nugn. loc. cit. dub. 2. col. 4. Quòd si Religio nihil statuat circa hoc, puto, quòd possint etiam eligere extra Religionem; sicut enim possunt alijs licentiam dare, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 21. concl. 6. ita possunt eam sibi elargiri. Ita Moif. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 15. num. 44. & sic electus non est necesse quod sit approbatus ab Ordinario; Moif. num. 45. Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib. 7. cap. 2. num. 4. dixi in loco cit. Relig. concl. 7.

Suarez. *Reginald.* *Nugn.* *Moifes.* *Fagund.*

90. Ad vltimum hic quæres tria, primū, an in Superiores locales possint eligi, qui nesciūt linguam illius regionis, in qua sunt Superiores, secundū an dicti Superiores locales possint ad suum libitum officiales manuales, sacristiam &c. amouere, tertiū an dicti Superiores locales statim ac sunt electi, sint etiam confirmati.

91. Ad 1. Selua de benef. par. 3. quæst. 27. n. 9. & Sigismund. de elect. dub. 116. respondent negatiuè, & probant ex cap. Quoniam, de off. ordin. Sed profectò si linguam latinam saltem intelligat, & loquatur, non erit eius electio inualida, quia hæc ferè apud omnes Religiosos in Europa intelligitur; quare poterit se illis communicare: Conuersis autem eam non intelligentibus poterit se communicare per alium quemcumq; & in casibus scrupulosis poterit alteri suam facultatem tribuere, vt conceditur dicto cap. Quoniam. Et facit cap. Ad decorem, de instit. Hoc tamen non laudarem, ex eo quia extranei non solent tantum diligi, quantum naturales, nec sic cognoscunt suorum subditorum humores, & complexiones; vnde non possunt ea efficacia adhibere remedia.

Selua. *Sigismūd.*

92. Ad 2. R. affirmatiuè. Ita Nauar. com. 2. de reg. num. 65. ver. Addo octauo. Et de Priori claustrali Azor par. 2. cap. 2. quæst. 1. Tho. à Iesu de statu Monach. 4. par. cap. 1. ver. Horum verò. Probatur, quia cum illa officia prouideantur ordinariè ad libitum Superiorum conuentualium, ad eorum etiam libitum remoueri possunt. Et ita habetur in Trid. sess. 25. cap. 2. de reg. & cap. Cum ad monasterium, §. Tales, de statu Monach. Gloss. in cap. Monachi, ver. Non mutetur, eodem tit. Faciunt cap. Ad nostram, & cap. Porrecta, de confir. vtil. vel inutil. Limitant tamen Nauar. nisi id malo animo fiat; nam tunc dicti officiales amoti possunt agere contra Superiorem, vt restituantur, Innoc. in cap. Insinuante, qui clericis, vel vou. num. 2. D'Aluin. de pot. Abb. cap. 6. nu. 2. ver. Sed non obstantibus. Ex quo collige, quòd Vicarius conuentus electus ad libitum Prouincialis, ad eius libitum amouendus, si malo animo amoueatur, potest contra ipsum agere, vt restituatur, qui est casus Innoc. animus autem malus ex coniecturis probatur, vt Mascard. de prob. concl. 105. num. 10. & concl. 95. num. 2. & 6. vt si verbis, & operibus solitus fuit officialem malè tractare. Limita etiam secundò nisi aliud habeant Religionis constitutiones, vt V. G. Subprior Prædicatorum, qui à Priore instituitur cum consilio Discretorum sui conuentus, nō potest amoueri à Priore, nisi cū cōsilio, patrū, & per vota secreta; Nec etiā potest amoueri, quando imminet tractatus eorum, quæ ad capitulum mittenda sunt, vt constat ex eorum constit. par. 3. cap. 13. & dicit Castell. de elect. cap. 18. præsertim nu. 6. In ordine Minimorum dicta officia prouidentur per Correctorem, & capitulum locale, vt constat ex Reg. num. 8. & 43. vnde non possunt sinè causa rationabili auferri; per doctrinam Innoc. in cap. In singulis, de statu Monach. num. 2. Immo in conuentibus Romanis, qui sunt Cameræ Generalis, per declarationem Congreg. Regul. factam anno 1616 non possunt à Generali ipso, durantibus eorum officijs, ab ijs conuentibus amoueri.

Nauarr. *Azor.* *Tho. à Iesu.* *Gloss.* *Nauarr.* *Innoc.* *D'Aluin.* *Mascard.* *Castellin.*

93. Ad 3. variæ sunt Religionum constitutiones, quæ omninò sunt inspiciendæ. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 53. art. 6. dicit, quòd electiones Guardianorū factæ per Prouincialem, & Definitores in ordine Minorum statim censentur confirmatæ, per priuilegium Benedicti XII. confirmatum, & extensum à Pio IV. & expeditum à Pio V. In ordine Prædicatorum Prior electus ante confirmationem nullam habet administrationem, nec ius ad dictū Prioratum, vnde neq; potest illi renunciare, neq; appellare, si non confirmetur, vt constat ex par. 1. suar. const. cap. 1. ver. Electus autem canonicè, & dicit Castell. de elect. cap. 1. n. 13. In Ordine Minimorum hæ electiones fiunt à Fratribus localibus die 15. Septemb. nec vllam per eas acquirunt electi iurisdictionem, nisi post confirmationem capituli definitorij, quæ fit die 29. eiusdem mensis. Verum quidem est, quòd electiones dictorum Correctorum, quæ fiunt in conuentibus Romanis, statim sortiuntur effectum, & Correctores exercent suam iurisdictionem, tam temporalem, quam spiritualem in subditos petunt tamen confirmationem à Generali. Et in hoc iuuantur tum consuetudine,

Rodriq. *Castellin.*

dine, tum dicto priuilegio Benedicti, in quo statuitur, quòd in Priorem ritè electus, ante confirmationem possit, liberè exercere administrationem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, dummodò infra tempus legitimum confirmetur.

§. V. *Quid possint, vel non possint Correctores locales in Ordine Minimorum secundùm ipsorum Regulam, constitutiones, & priuilegia.*

94. DICO primò Correctores locales non recipiunt nouitios ad Religionem, sed id pertinet ad superiores Prælatos cum suis Socijs, vt constat ex Reg. nu. 2. & Corrector. nu. 16. Dicam latiùs infra q. 5. c. 1. n. 15.

95. Dico 2. Nouitios ad professionem accipere pertinet ad Prælatos superiores, cum cõsensu Correctoris, & capituli localis, licet enim id non dicatur in Reg. num. 3. consequitur tamen ex eo, quod dicitur, num. 2. ad ipsos nimirum superiores Prælatos receptionem nouitiorum pertinere; quia si recipiunt ad habi-

Passarell. tum, multò magis ad professionem, vt ait Passerel. in schol. ex Barchin. num. 12. Quòd verò requiratur capituli consensus, constat ex Reg. num. 3. ibi *§ à Fratribus professis*. Vide quæ dixi tom. 1. huius operis q. 1. cap. 16. §. 2. sub concl. 4. In absentia autem Prouincialis potest capitulum locale, nouitios ad professionem recipere, absq; illius expressa licentia. Nisi fortè à prædicto Prouinciali id illi fuisset specialiter prohibitum. Ita statuitur in cap. Val. 2. n. 15.

96. Dico tertiò, Correctores concedunt licentiam ad equitandum super asinum, vel mulum, iuxta Fratrum qualitatem, & regionum diuersitatem, & consuetudinem; modò tamen sellæ, & fræna sint simplicia, & religiosa; Reg. num. 11. Correct. num. 21. cap. Taron. num. 25. Tolos. num. 55. Val. 5. num. 10, ver. Primum.

97. Dico 4. reparationi Ecclesiæ, & Fratrum debitæ subuentioni per Correctores locales, & eorum capitula piè subuenitur. Reg. nu. 24. & ęgrotis de Correctoris iussione in Infirmitorio charitatiuè succurritur de omnibus cibarijs, pro sanitate celeriùs restaurãda; Reg. n. 26 Non licet tamen Correctoribus extrahere à comedendis cibis paschalibus in Infirmaria ægrotos sine medici consilio; c. Genuen. 4. n. 14.

98. Dico 5. Correctores locales possunt dispensare super cunctis ieiunijs Regulæ; Reg. num. 31; Adque ipsos pertinet concedere licentiam Fratribus comedendi extra horam solitam refectionis ordinariæ; Inq; deuotorum secularium domibus recubandi, ibiq; pernoctandi, cum commodè non possunt ad monasteria diuertere; Reg. num. 33. Ad ipsos etiam Correctores pertinet hospites benignè, & charitatiuè colligere, ac Fratres deputare ad illis inseruiendum; Reg. num. 34.

99. Dico 6. Correctores locales, cæteriq; Superiores Ordinis Minimorum tenentur in victu, & vestitu se cum cæteris Fratribus iuxta posse conformare; Reg. num. 39. Corr. nu. 65. quod est conforme decretis Clemen. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 25. & 27. Et aduerte, quòd singularitas, quæ reddet difformem Correctorem, ac cæteros Superiores à reliqua communitate, debet esse notabilis, & onerosa, vt Correctorium ipsum loc. cit. declarat. Quo modo verò intelligatur illud, *iuxta posse*, dicam, benedicente Domino, in explicatione Regulæ ad illum locum. Vbi similiter explicabo illa verba dicti numeri 39. *Nisi generalis, vel prouincialis capituli consensu interueniente*; & diligenter ponderabo statutum super illis factũ in cap. Genuen. 5. num. 25. & doctrinam Passar. in schol. ex Genuen. num. 25. ver. Sed super tertium. Quòd autem hæc approbatio non sit necesse, quòd fiat in scriptis, & qui dicendi sint laudabiliter vixisse, vide in cap. Val. 5. n. 21. ver. Septimum; & vide etiam decretum in cap. Massil. 2. in dubijs missis à Cardin. de Nazareth, dub. 3.

100. Dico 7. instituere Prędicatores, Lectores, confessarios Fratrum, & nouitiorum, ad superiores Prælatos pertinet; Reg. num. 42. Correct. num. 79. & 85. Vbi autem dicti superiores Prælati essent absentes, & immineret necessitas assignãdi confessarium nouitijs, tunc Correctores de consilio suorum Seniorum possent dictum confessarium ex approbatis à superioribus Prælatis, præfatis nouitijs assignare; Correct. num. 89. cum declar. cap. 1. Bonon. num. 12. Idem dic, si dicti superiores Prælati in hoc negligentes extitissent. Neq; possunt dicti locales Correctores arcere fratres legitimè in confessarios deputatos ab audientia confessionum. Quòd si casus aliquis vrgeret, id posset localis Corrector, cum consensu suorum Seniorum; Correct. nu. 88.

101. Dico 8. Assignare Informatorem nouitijs ad superiores Prælatos pertinet; Reg. nu. 41. si tamen nimium austerus esset, vel inexemplaris, aut indiscretus, poterit per Correctorem, & eius capitulum deponi; Correct. n. 90. Sed nunc per decreta Clem. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priuil. in const. 10. Vrban. VIII. §. 91. Magister nouitiorum per capitulum prouinciale eligitur ad triennium, quo triennio durante, absq; legitima causa, iuridicè probanda, amoueri non potest. Verùm si indiscretus, vel scandalosus fuerit, per Correctorem localem iuxta tex. Correct. cit. puto, quòd poterit saltem suspendi, quousq. Prælatus superior consulatur; & interim poterit Corrector cum consilio, & assensu suorum Seniorum, & grauiorum Patrum conuentus alium substituere. Similiter in casu mortis, & longæ absentię, nisi in dicto cap. prouinciali ei socius fuisset deputatus, nam tunc ipse nouitiatus curam gereret, quousq; per Superiorem maiorem prouideretur, iuxta formam traditam in dicta const. Vrb. VIII.

102. Dico 9. Officiales conuentus, Sacristam, Procuratorem, Dispensatorem, Prouisorem, &c. eligere, ad Correctorem cum, suo capitulo locali pertinet; Reg. num. 8. & 43. Correct. num. 91. Possunt etiam fieri per superiores Prælatos tempore visitationis; Reg. nu. 43. de consensu tamen capit. localis, vt const.

ex

tom. 1. nostr. priu. in const. 17. Iulij II. num. 1. tamen quia, derogatis alijs constitutionibus, non censetur derogata viuæ vocis oracula, vt ibid. dixi const. 2. num. 26. ideo hic etiam assero, quod concesso priuilegio ad derogandum viuæ vocis oraculis, non videtur concessum ad derogandum alijs constitutionibus, per identitatem rationis.

80. Dico 3. Superiores locales esse ex ijs Prælatis, qui possunt sibi eligere confessorem ad libitum vbicumq; & quotiescumq; iuxta cap. fin. de pœnit. & remiss. Ita Anton. 3. par. tit. 17. cap. 3. §. 2. Syluest. ver. Confessor 1. quæst. 8. Rosella ver. Confessio 3. §. 37. Henriquez in summ. lib. 6. cap. 13. num. 3. in comm. lit. P. Armilla ver. Absolutio, §. 15. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. versu Similiter omnes; Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 9. Vasquez tom. 4. in 3. par. quæst. 93. art. 2. dub. 4. num. 2. Nugn. in 3. par. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 2. col. 4. Molfesius 1. par. summ. tract. 7. cap. 15. num. 7. & 42. Long. de cas. reser. parte. sect. 1. art. 21. num. 2. Rodriquez tom. 1. quæst. reg. quæst. 10. art. 18. Reginald. in praxi lib. 1. num. 38. Constat ex dicto cap. fin. Et aduerte, quod confessor eligendus nõ est necesse quod sit approbatus ad audiendas cõfessiones à Prælato superiore, V.G. Prouinciali, sed sufficit, quod sit simplex sacerdos, eo enim ipso quod simplex sacerdos non suspensus, neq; excommunicatus, neq; interdictus eligitur à Prælato discreto, idoneus confessor censetur. Atq; ita docent Sotus loco cit. art. 3. versu Postremum dubium; Long. loco cit. num. 3. Et in Ordine nostro hoc est indubitabile per Correct. num. 84.

Antonin. Syluest. Rosella. Henriq. Armilla. Sotus. Suarez. Vasquez. Nugnus. Molfesius. Longus. Rodriq. Reginal. Sotus. Longus.

81. Sed dubitabis, à quibusnam casibus poterunt absoluere confessores electi Prælatos eligentes? Dico, quod ab omnibus, à quibus ipsimet Prælati possunt suos subditos absoluere. Ita Sylu. loco cit. quæst. 9. Anton. loco cit. Angel. ver. Confessio 3. § 7. Henriq; in summ. lib. 7. cap. 28. num. 1. multos citans in com. lit. H. Reginald. loco. cit. Constat ex constit. 2. Iulij II. §. 9. & 29. tom. 2. nostr. priuil. & habetur expresse nostro Correct. loco cit. Non poterunt itaque dicti confessores electi absoluere eligentes à casibus superiori Prælato reseruatis, ipsisq; eligentibus non concessis, vt notant in specie Henriq. lib 6. cap. 13. num. 3. Rodriq. loc. cit. q. 11. art. 8.

Sylu. Anton. Angel. Henriq. Reginald. Henriq. Rodriq.

82. Dubitabis etiam, an si eligens fuerit maiori excommunicatione ligatus, possit electus ei beneficium absolutionis impertire? Dico, quod sic. Quia sumit auctoritatem, non ab eligente, sed à Canone committente. Anton. Sylu. loco cit. Vnde collige, quod si Superior percutiat aliquem suum subditum, potest absolui à confessore ab ipso electo, vt notat Rodriq. to. 1. quæst. reg. quæst. 10. art. 11. Barbos. in cap. Monachi, de sent. exc. num. 4. Et si subditus, & Prælatus ad inuicem se percusserint, & in conuentu non sit aliquis, qui eos possit absoluere, possunt ab inuicem se absoluere, vt dicunt ijdem DD. & præterea Passarell. in priuil. annotab. 35. fine; Tab. ver. Absolutio 2. §. 6. Quia licet excommunicatus non possit absoluere ab excommunicatione; cap. Audiuimus, 24. quæst. 1. In casu tamen necessitatis potest; quia necessitas non habet legem; cap. Quod non est licitum, de reg. iur.

Anton. Sylu. Rodriq. Barbosa. Passarell. Tabiena.

83. Et aduerte hic, quod Prælatus non excommunicatus potest licite communicare in omnibus, etiam in diuinis, diuinum officium priuatim cum illis recitando, cum subditis excommunicatis non toleratis, sicut pater naturalis cum filijs; est enim Prælatus pater spiritualis suorum subditorum. Similiter magister nouitiorum potest liberè communicare cum illis excommunicatis in omnibus, quia est illorum pedagogus spiritualis. Ita Auila de cens. par. 2. cap. 6. disp. 11. dub. 7. fine; Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. concl. 5. ver. Secunda causa. Similiter subditi religiosi, etiam nouitij, possunt libere communicare in omnibus cum suis Prælatis excommunicatis non toleratis. Ita Auil. loco cit. dub. 6. fine; Armill. vers. Excom. num. 46. Hi enim sunt filij spirituales suorum Prælatorum, vnde in his habet etiam locum cap. Quoniam multos, 11. quæst. 3. In quo cap. licet expresse non dicatur, quod pater possit communicare cum filio excommunicato, sed solum quod filius potest communicare cum patre excommunicato, implicite tamen id etiam intelligitur: quia filius; & pater sunt corelatiua; & dispositio in vno corelatiuorum, in alio intelliguntur, vbi non cernitur specialis ratio contraria l. fin. ff. de acceptil. l. fin. Cod. de indicta viduit. tol.

Auila. Sotus. Auila. Armilla.

84. Sed inquies. Licet Prælatus, & subditus sint corelatiua, cernitur tamen in Prælato specialis ratio, qua, si sit excommunicatus, non possit cum illo communicare subditus; quia nimirum Prælatus excommunicatus non toleratus statim est priuatus omni iurisdictione, cap. Pia de excep. in 6. Syl. ver. Excomm. 3. num. 3. Filliuc. tom. 2. tract. 15. cap. 6. per totum; vnde desinit esse Prælatus: Quod non contingit in subdito, qui per excommunicationem non desinit esse subditus. R. Verum quidem esse, quod excommunicatus non toleratus est suspensus, seu priuatus omni iurisdictione spirituali quo ad vsum, non est tamen priuatus officio, nisi illi excommunicationi, quam incurrit, annexa sit ipso facto priuatio officij, vt Sylu. loco cit. Antonin. 3. par. tit. 25. cap. 9. versus fin. Vnde licet Prælatus excommunicationem incurrat per leuem percussionem, subdito, suadente diabolo, inflictam, quæ qualis sit, docent Nauarr. in sum. cap. 27. num. 92. Genuens. in praxi Neapol. cap. 80. num. 1. non tamen statim est ipso facto priuatus officio; est enim officiorum priuatio vltimum terribilium, vt dicitur, & determinatur in Ordine nostro cap. Bonon. 1. num. 15. vnde tam grauis pœna pro leui percussione infligenda non est, & docent in specie Rodriq. to. 2. quæst. reg. q. 74. art. 3. Portel. in add. ad dub. reg. ver. Manus violentæ, num. 5. Quare, cum non sit statim priuatus officio, poterit, temporariam, & politicam dominationem domus exercendo, cum subditis priuatim communicare. Atq; ita docet Auila dub. 6. cit.

Syluest. Filliuc. Sylu. Antonin. Nauarr. Genuensis. Rodriq. Portell.

85. Nota

85. Nota hic etiam, quòd Prælatus, qui potest confessorem eligere, semel electum potest ad libitum mutare, & alium eligere, vt notant Anton. 3. p. tit. 17. c. 2. §. 2. fine. Angel. ver. Confessio 3 §. 6. Suar. to. 4. in 3. p. disp. 27. sect. 2. n. 11. & eo ipso quòd is, qui potest eligere confessorem, confitetur alicui, videtur ipsum eligere; Anton. loc. cit. Angel. cit. §. 8. Quia plus est factis eligere, quàm verbis, cap. Legebatur, de maior. & obed.

Antonin. Angelus. Suarez. Anton. Angel.

86. Dubitabis etiam, an Prælatus potestatem habens confessorem eligendi, possit eligere sacerdotem non subditum. Dico, quòd duobus modis potest id contingere, primò si succedat, aliquem simplicem sacerdotem, non approbatum à suo Superiore, transire per aliquam Prouinciam, vel conuentum, an possit eligi in confessarium à Prouinciali, vel Correctore illius Prouinciæ, vel conuentus. secundò si Prouincialis, vel Corrector transeant per alienam Prouinciam, vel conuentum, an possint eligere sibi in confessorem aliquem similiter simplicem sacerdotem à suo Superiore non approbatum. In primo casu dico, quòd potest eligi, quia secundùm statuta omnium ferè Religionum transeuntes, & peregrini sunt subditi illorum Superiorum, in quorum Prouincijs, vel conuentibus degunt. Et ita docent Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 28. sect. 6. num. 13. Fagund. in præcept. Eccl. præcept. 2. lib. 2. c. 2. n. 80. In secundo casu videtur, quòd non possint, propter Trid. sess. 23 cap. 15. de refor. & ita docent Suarez. & Fagund. loco cit. Azor tom. 2. lib. 4. cap. 3. quæst. 16. ver. Quæres, id negat Cardinalibus. Et quòd nequeant etiam id facere Episcopi, afferendo declarationem sacræ Congreg. docent Ric. 1. par. prax. decis. 548. num. 2. De August. add. ad Quaran. ver. Archiepisc. auctoritas nu. 12. Nal. in sum. ver. Confessarius; num. 27. Sed quòd Prælati regulares hanc facultatem habeant, docet Long. 1. par. de casib. reseruat. sect. 1. art. 21. nu. 2. & videtur colligi non solùm ex prædicto cap. fin. de pœnit. & remiss. quod absolutè loquitur; sed etiam ex const. 2. Iulij II. §. 9. & 19. tom. 1. nostr. priuil. quod cum sit priuilegium fauorabile, & nemini nocinum, latè est interpretandum, & priuilegia absolutè loquentia, absolutè etiam intelligenda sunt. l. De pretio, ff. de publ. in rem. act. & vbi lex non distinguit, nec nos etiam distinguere debemus. Et facit dictum cap. fin. quatenus ait, quòd possint dicti Prælati *absq; sui Superioris licentia* dictum confessarium eligere; cum enim dicti Correctores, & Prouinciales per statutum Religionum sint subditi in conuentibus, & Prouincijs, per quas transeunt, possunt absq; Superiorum dictarum Prouinciarum licentia simplices sacerdotes in confessarios eligere. Ad declarationem sacræ Congreg. dico, quòd loquitur solùm de Episcopis, ne sibi inuicem præiudicent in iurisdictione, cui cum non sint tam arctati Prælati regulares eiusdem Religionis, ni non præiudicant, & consequenter dicta declaratione non comprehenduntur. Vide Dianam tom. 3. tract. 2. resol. 3.

Suarez. Fagund. Trid. Suarez. Fagund. Azor. Riccius. Naldus. Longus. Dianam.

87. Dubitabis etiam, an præsente confessario, à Generali, vel Prouinciali approbato, liberum sit dictis Superioribus localibus simplicem sacerdotem eligere. Sigismund. de elect. dub. 121. concedit quidem, quòd Superiores locales possint vigore dicti cap. fin. de pœnit. sibi confessarium, etiam à Superioribus non approbatum, eligere; negat tamen num. 4. id posse, quando adsunt confessarij approbati à Prælatis, & citat pro se Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 10, qui non loquitur in hoc casu, sed solùm quando Religio haberet speciale priuilegium, vel statutum regulæ approbatum à Papa post illud commune ius, quòd Prælatus inferior non posset confiteri nisi confessario à Prælato maiori assignato; tunc enim non posset Prælatus inferior illo priuilegio vti, quod est verum; quo eodem prorsus modo loquitur Reginal. quem pro se citat Sigismund. Censeo itaque regulariter posse dictos Prælatos, etiamsi adsint confessarij a Superioribus maioribus approbati, eligere sibi in confessorem sacerdotem non approbatum. Tum quia hoc est priuilegium omninò fauorabile, & nemini nocium, vnde est largè interpretandum, iuxta reg. Odia, quæ est 15. de reg. iur. in 6. Tum quia consuetudo id iamdiù obtinuit. Tum quia iam ferè nihil valeret hoc priuilegium, cum in quibuslibet conuentibus teneantur superiores Prælati confessarios deputare, iuxta const. Clem. VIII. quam habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrbani VIII. §. 72. Tum quia nullus alius classicus Doctor, quem viderim, hanc limitationem ponit. Tum quia si Pontifex voluisset hanc limitationem locum habere, eam vtiq; apposuisset. Neq; obstat quod idem Sigismund. affert, hoc priuil. concedi, quando imminet animarum periculum; quod non imminet, quando adest confessarius approbatus. Nam facultas, quæ conceditur omnibus sacerdotibus absoluendi à quibuscumq; casibus in articulo mortis, eo fine conceditur, *ne hac occasione aliquis pereat*, vt dicit Trid. sess. 14. cap. 7. de sacr. pœnit. Et tamen, Nauarr. lib. 5. cons. de pœnit. & remiss. cons. 3. num. 2. Reginald. in praxi lib. 1. num. 61. vers. Quinimò; Sayrus in decis. lib. 5. tit. 22. dec. 21. Sa in aphori. ver. Absolutio, n. 3. Long. de cas. refer. par. 1. sect. 2, art. 16. no. 6. ver. Nihilominus, & alij multi dicunt, quòd præsente Parocho, seu alio habente facultatem absoluendi à reseruatis, potest nihilominus in dicto articulo constitutus eligere, alium talem facultatem non habentem, immò & simplicem omninò sacedotem, quod est idem, quia verba Concilij generalia admodùm sunt & non est cur restringantur, & tamen eo casu non est periculum animarum.

Sigismund. Suarez. Reginald. Sigismund. Sigismund. Trid. Nauarr. Reginald. Sayrus. Sa. Long.

88. Aduerte tamen, quòd in Ordine nostro cessat omnis difficultas; concedit enim legislator in Correct. num. 84. quòd Superiores locales possint vnum ex Fratribus eiusdem Ordinis presbyterum idoneum in suum confessorem eligere, vt dixi etiam tom. 1. nostrorum priuilegiorum in const. 4. Syxti IV. num. 28. particula illa, Idoneum,

significat sacerdotem eligendum non debere esse excommunicatum, neq; suspensum, neq; interdictum, sed debere esse scientem ligare, & soluere, vt explicat Sot. in 4. dist. 18. q. 4. ar. 3. ver. Et ratio est. Quòd si nō idoneū in scientijs positiuis eligant, licèt confessio valida sit, eligens tamen mortaliter peccat; tum quod contra mentem facit concedentis in re graui: tum quòd errandi se periculo exponit. Verum quidem est, quòd si eligens videat sacerdotem à se electum esse manifestè inhabilem, & sciat mortale peccatum esse tali confessori confiteri, confessio erit inualida: si verò existimet confessarium esse idoneum, vel non esse peccatum ei confiteri, & hoc ei contingat ex ignorantia inuincibili, confessio non solum erit valida, sed etiam sine peccato; si verò id contingat ex ignorantia vincibili, confessio erit quidem valida, sed informis. Vnde qui post confessionem nouit, confessorem non fuisse idoneum, si id ex malitia, vel affectata ignorantia factum est, tenetur confessionē iterare; si verò ex ignorantia, non tenetur iterare; sed solùm consulere circa casus difficiles, & de illa negligentia se accusare. Ita Nugn. in 3. par. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 3. princ. col. 2.

Soto. *Nugn.*

89. Aduerte etiam, quòd vigore huius priuilegij cap. fin. non possunt Prælati eligere sibi confessorem extra Ordinem, sed debēt seruare iura, & statuta suæ Religionis. Ita Suarez to. 4. in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 10. Reginald. in praxi, lib. 1. num. 38. Nugn. loc. cit. dub. 8. col. 4. Quòd si Religio nihil statuat circa hoc, puto, quòd possint etiam eligere extra Religionem; sicut enim possunt alijs licentiam dare, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 21. concl. 6. Ita possunt eam sibi elargiri. Ita Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 15. num. 44. & sic electus non est necesse quod sit approbatus ab Ordinario; Molf. num. 45. Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib 7. cap. 2. num. 4. dixi in loco cit. Relig. concl. 7.

Suarez. *Reginald.* *Nugn.* *Molfes.* *Fagund.*

90. Ad vltimum hic quæres tria, primū, an in Superiores locales possint eligi, qui nesciūt linguam illius regionis, in qua sunt Superiores, secundū an dicti Superiores locales possint ad suum libitum officiales manuales, sacristiam &c. amouere, tertiū an dicti Superiores locales statim ac sunt electi, sint etiam confirmati.

91. Ad 1. Selua de benef. par. 3. quæst. 17. n. 9. & Sigismund. de elect. dub. 116. respondent negatiuè, & probant ex cap. Quoniam, de off. ordin. Sed profectò si linguam latinam saltem intelligat, & loquatur, non erit eius electio inualida, quia hæc ferè apud omnes Religiosos in Europa intelligitur; quare poterit se illis communicare: Conuersis autem eam non intelligentibus poterit se communicare per alium quemcumq; & in casibus scrupulosis poterit alteri suam facultatem tribuere, vt conceditur dicto cap. Quoniam. Et facit cap. Ad decorem, de instit. Hoc tamen non laudarem, ex eo quia extranei non solent tantum diligi, quantum naturales, nec sic cognoscunt suorum subditorum humores, & complexiones; vnde non possunt ea efficacia adhibere remedia.

Selua. *Sigismund.*

92. Ad 2. R. affirmatiuè. Ita Nauar. com. 2. de reg. num. 65. ver. Addo octauo. Et de Priori claustrali Azor par. 2. cap. 2. quæst. 2. Tho. à Iesu de statu Monach. 4. par. cap. 1. ver. Horum verò. Probatur, quia cum illa officia prouideantur ordinariè ad libitum Superiorum conuentualium, ad eorum etiam libitum remoueri possunt. Et ita habetur in Trid. sess. 25. cap. 2. de reg. & cap. Cum ad monasterium, §. Tales, de statu Monach. Gloss. in cap. Monachi, ver. Non mutetur, eodem tit. Faciunt cap. Ad nostram, & cap. Porrecta, de confir. vtil. vel inutil. Limitant tamen Nauar. nisi id malo animo fiat; nam tunc dicti officiales amoti possunt agere contra Superiorem, vt restituantur, Innoc. in cap. Insinuante, qui clericis, vel voui. num. 2. D'Aluin. de pot. Abb. cap. 6. nu. 2. ver. Sed non obstantibus. Ex quo collige, quòd Vicarius conuentus electus ad libitum Prouincialis, ad eius libitum amouendus, si malo animo amoueatur, potest contra ipsum agere, vt restituatur, qui est casus Innoc. animus autem malus ex coniecturis probatur, vt Mascard. de prob. concl. 105. num. 10. & concl. 95. num. 1. & 6. vt si verbis, & operibus solitus fuit officialem malè tractare. Limita etiam secundò nisi aliud habeant Religionis constitutiones, vt V. G. Subprior Prædicatorum, qui à Priore instituitur cum consilio Discretorum sui conuentus, nō potest amoueri à Priore, nisi cū cōsilio patrū, & per vota secreta; Nec etiā potest amoueri, quando imminet tractatus eorum, quæ ad capitulum mittenda sunt, vt constat ex eorum constit. par. 3. cap. 13. & dicit Castell. de elect. cap. 18. præsertim nu. 6. In ordine Minimorum dicta officia prouidentur per Correctorem, & capitulum locale, vt constat ex Reg. num. 8. & 43. vnde non possunt sinè causa rationabili auferri; per doctrinam Innoc. in cap. In singulis, de statu Monach. num. 2. Immo in conuentibus Romanis, qui sunt Cameræ Generalis, per declarationem Congreg. Regul. factam anno 1616 non possunt à Generali ipso, durantibus eorum officijs, ab ijs conuentibus amoueri.

Nauarr. *Azor.* *Tho. à Iesu.* *Gloss.* *Nauarr.* *Innoc.* *D'Aluin.* *Mascard.* *Castellin.*

93. Ad 3. variæ sunt Religionum constitutiones, quæ omninò sunt inspiciendæ. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 13. art. 6. dicit, quòd electiones Guardianorū factæ per Prouincialem, & Definitores in ordine Minorum statim censentur confirmatæ, per priuilegium Benedicti XIII. confirmatum, & extensum à Pio IV. & expeditum à Pio V. In ordine Prædicatorum Prior electus ante confirmationem nullam habet administrationem, nec ius ad dictū Prioratum, vnde neq; potest illi renunciare, neq; appellare, si non confirmetur, vt constat ex par. 3. fuor. const. cap. 1. ver. Electus autem canonicè, & dicit Castell. de elect. cap. 1. n. 23. In Ordine Minimorum hæ electiones fiunt à Fratribus localibus die 15. Septemb. nec vllam per eas acquirunt electi iurisdictionem, nisi post confirmationem capituli definitorij, quæ fit die 29. eiusdem mensis. Verum quidem est, quòd electiones dictorum Correctorum, quæ fiunt in conuentibus Romanis, statim sortiuntur effectum, & Correctores exercent suam iurisdictionem, tam temporalem, quam spiritualem in subditos petunt tamen confirmationem à Generali. Et in hoc iuuantur tum consuetudine,

Rodriq. *Castellin.*

dine, tum dicto priuilegio Benedicti, in quo statuitur, quòd in Priorem ritè electus, ante confirmationem possit, liberè exercere administrationem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, dummodò intra tempus legitimum confirmetur.

§. V. *Quid possint, vel non possint Correctores locales in Ordine Minimorum secundùm ipsorum Regulam, constitutiones, & priuilegia.*

94. DICO primò Correctores locales non recipiunt nouitios ad Religionem, sed id pertinet ad superiores Prælatos cum suis Socijs, vt constat ex Reg. nu. 2. & Corrector. nu. 16. Dicam latiùs infra q. 3. c. 1. n. 15.

95. Dico 2. Nouitios ad professionem accipere pertinet ad Prælatos superiores, cum consensu Correctoris, & capituli localis, licet enim id non dicatur in Reg. num. 3. consequitur tamen ex eo, quod dicitur, num. 2. ad ipsos nimirum superiores Prelatos receptionem nouitiorum pertinere; quia si recipiunt ad habitum, multò magis ad professionem, vt ait Passarel. in schol. ex Barchin. num. 12. Quòd verò requiratur capituli consensus, constat ex Reg. num. 3. ibi *si à Fratribus professis*. Vide quæ dixi tom. 1. huius operis q. 1. cap. 26. §. 2. sub concl. 4. In absentia autem Prouincialis potest capitulum locale, nouitios ad professionem recipere, absq; illius expressa licentia. Nisi fortè à prædicto Prouinciali id illi fuisset specialiter prohibitum. Ita statuitur in cap. Val. 2. n. 15.

Passarell.

96. Dico tertiò, Correctores concedunt licentiam ad equitandum super asinum, vel mulum, iuxta Fratrum qualitatem, & regionum diuersitatem, & consuetudinem; modò tamen sellæ, & fræna sint simplicia, & religiosa; Reg. num. 11. Correct. num. 22. cap. Turon. num. 25. Tolos. num. 55. Val. 5. num. 20. ver. Primum.

97. Dico 4. reparationi Ecclesiæ, & Fratrum debitæ subuentioni per Correctores locales, & eorum capitula piè subuenitur. Reg. nu. 24. & ægrotis de Correctoris iussione in Infirmitorio charitatiuè succurritur de omnibus cibarijs, pro sanitate celeriùs restaurãda; Reg. n. 26 Non licet tamen Correctoribus extrahere à comedendis cibis paschalibus in Infirmaria ægrotos sine medici consilio; c. Genuen. 4. n. 14.

98. Dico 5. Correctores locales possunt dispensare super cunctis ieiunijs Regulæ; Reg. num. 31. Adque ipsos pertinet concedere licentiam Fratribus comedendi extra horam solitam refectionis ordinariæ; inq; deuotorum secularium domibus recubandi, ibiq; pernoctandi, cum commodè non possunt ad monasteria diuertere; Reg. num. 33. Ad ipsos etiam Correctores pertinet hospites benignè, & charitatiuè colligere, ac Fratres deputare ad illis inseruiendum; Reg. num. 34.

99. Dico 6. Correctores locales, cœteriq; Superiores Ordinis Minimorum tenentur in victu, & vestitu se cum cœteris Fratribus iuxta posse conformare; Reg. num. 39. Corr. nu. 65. quod est conforme decretis Clemen. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 25. & 27. Et aduerte, quòd singularitas, quæ reddet difformem Correctorem, ac cœteros Superiores à reliqua communitate, debet esse notabilis, & onerosa, vt Correctorium ipsum loc. cit. declarat. Quo modo verò intelligatur illud, *iuxta posse*, dicam, benedicente Domino, in explicatione Regulæ ad illum locum. Vbi similiter explicabo illa verba dicti numeri 39. *Nisi generalis, vel prouincialis capituli consensu interueniente*; & diligenter ponderabo statutum super illis factũ in cap. Genuen. 5. num. 25. & doctrinam Passer. in schol. ex Genuen. num. 25. ver. Sed super tertium. Quòd autem hæc approbatio non sit necesse, quòd fiat in scriptis, & qui dispensati sint laudabiliter vixisse, vide in cap. Val. 5. n. 21. ver. Septimum; & vide etiam decretum in cap. Massil. 1. in dubijs missis à Cardin. de Nazareth, dub. 3.

100. Dico 7. instituere Prędicatores, Lectores, confessarios Fratrum, & nouitiorum, ad superiores Prælatos pertinet; Reg. num. 42. Correct. num. 79. & 85. Vbi autem dicti superiores Prælati essent absentes, & imminerct necessitas assignãdi confessarium nouitijs, tunc Correctores de consilio suorum Seniorum possent dictum confessarium ex approbatis à superioribus Prælatis, præfatis nouitijs assignare; Correct. num. 89. cum declar. cap. 3. Bonon. num. 22. Idem dic, si dicti superiores Prælati in hoc negligentes extitissent. Neq; possunt dicti locales Correctores arcere fratres legitimè in confessarios deputatos ab audientia confessionum. Quòd si casus aliquis vrgeret, id posset localis Corrector, cum consensu suorum Seniorum; Correct. nu. 88.

101. Dico 8. Assignare Informatorem nouitijs ad superiores Prælatos pertinet; Reg. nu. 42. si tamen nimium austerus esset, vel inexemplaris, aut indiscretus, poterit per Correctorem, & eius capitulum deponi; Correct. n. 90. Sed nunc per decreta Clem. VIII. quæ habes tom. 2. nostr. priuil. in const. 10. Vrban. VIII. §. 91. Magister nouitiorum per capitulum prouinciale eligitur ad triennium, quo triennio durante, absq; legitima causa, iuridicè probanda, amoueri non potest. Verùm si indiscretus, vel scandalosus fuerit, per Correctorem localem iuxta tex. Correct. cit. puto, quòd poterit saltem suspendi, quousq. Prælatus superior consulatur; & interim poterit Corrector cum consilio, & assensu suorum Seniorum, & grauiorum Patrum conuentus alium substituere. Similiter in casu mortis, & longæ absentiæ, nisi in dicto cap. prouinciali ei socius fuisset deputatus, nam tunc ipse nouitiatus curam gereret, quousq; per Superiorem maiorem prouideretur, iuxta formam traditam in dicta const. Vrb. VIII.

102. Dico 9. Officiales conuentus, Sacristam, Procuratorem, Dispensatorem, Prouisorem, &c. eligere, ad Correctorem cum, suo capitulo locali pertinet; Reg. num. 8. & 43. Correct. num. 91. Possunt etiam fieri per superiores Prælatos tempore visitationis; Reg. nu. 43. de consensu tamen capit. localis, vt const.

ex const. 17. Iulij II. §. 5. quam habes to. 1. nostrorum priuileg. Et de Senioribus in Correct. num. 70. & 74.

103. Dico 10. Correctores locales, reuoluto sui Correctoriatus anno, debent semper ad minus per annum subiecti remanere, nisi ad altiora eligantur; Reg. num. 49. Vnde si Corrector eligatur in Prouincialem, & de Prouinciali in Generalem, sufficit deinde, quòd remaneat subditus pro eo tempore, quo fuit Generalis. Ita in cap. Turon. num. 35. & Tolos. num. 61. Possunt tamen qui fuerunt Correctores, vel Prouinciales, deputari in Vicarios alicuius conuentus pro eo perficiendo, vel promouendo, cap. Genuen. 6. num. 13. Rom. 7. sess. 10. Si verò Corrector, perfecta minori, vel maiori parte sui officij, fuerit priuatus, potest iterum immediatè suo tempore eligi, si fuerit habilis, per doctrinam, quam probat,
Passarell. Passarell. in schol. ex Genuen. num. 18. Secus autem, si sponte renunciauerit, nam tunc eligi non poterit in proximè sequenti festo S. Mi-
Valen. chaelis, per statutum factum in cap. Val. n. 19. ad 2. Et de his, qui spontè officijs renunciant, vt ad maiora eligantur, adest decretum Eminentissimi Cardinalis Aldobrandini Protectoris, tenoris sequentis.

104. *Nos Hippolyt. tit. S. Angeli in Piscina, Card. Aldobrand. Camerarius, & Ordinis Minimorum Protect. Cum ad nos, & Correctorem generalem Ordinis Minimorum remissa fuisset solutio dubij propositi in cap. vltimo generali sess. 11. & vlt. Romæ celebrato, cuius tenor est, Dubitatum fuit, an qui alicui officio renunciauit, possit ad aliud officium assumi, etiam altioris qualitatis. Patres responderunt, hoc esse committendum Illustrissimo Domino Protectori, vnà cum Reuerendissimo P. Generali tantùm. Ideò re maturè considerata, vtque omnis ambitiosus aditus fratribus præcludatur; dicimus, & declaramus, quòd quicumque frater dicti Ordinis ad aliquam dignitatem, vel officium fuerit assumptus, si huic renunciauerit, illum ad aliud æqualis, vel etiam superioris qualitatis officium, toto tempore, à Regula officio, cui renunciauit præfixo, assumi non posse. Ita vt nec Zelosus, nec Collegæ Generalis, in Prouinciales, nec Collegæ prouinciales in Correctores locales, sicuti nec Prouinciales in Collegas generales, nec Correctores in Collegas prouinciales, si officio renunciauerint, possint eligi, sed toto residuo officij tempore subditi remaneant. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ, in Palatio nostræ solitæ residentiæ die 8. Aprilis 1626. Hippolytus Card. Aldobrand. Protector. Frater Simon Bachelier Generalis.* Quæ determinatio fuit acceptata in cap. generali Barch. 3. sess. 5. num. 10. Sed aduerte bene, quòd intelligitur solùm de his, qui post acceptatas dignitates eis renunciant, non de his, qui renunciant, antequam acceptauerint, iuri per electionem acquisito, nam sic diuersos & malos causaret effectus. Et ita declarauit sacra Congreg. Regul. anno 1631. mense Ianuarij.

105. Dico 11. Correctores locales non possunt conuentu exire, nisi pro iusta causa, & de capituli scientia, & Seniorum assensu; Reg. n. 50. iusta autē causa est, quando peragendum est aliquod negotium, conuentus vtilitatem directè, vel indirectè concernens, quod per alios fratres, & oblatos decenter expediri non potest. Correct. nu. 142. Illud verò, De capituli scientia, non ita intelligitur, quasi necesse sit, quòd quotiescumque Correctores volunt exire, debeant congregare capitulum, sed satis est, quòd ante, vel post diuinum officium, ante, vel post refectionem exitus sui causam fratribus proponant. Ita in constitut. 17. Iulij II. §. 6. tom. 1. nostr. priuil. Prælatis verò superioribus præsentibus possunt dicti Correctores cum sola ipsorum licentia, etiam contra Seniorum voluntatem, foras exire. Paulæ nu. 25. Bonon. 1. n. 13. Tenentur etiam, quando exeunt, de capituli scientia, & Seniorum consilio, relinquere suo loco aliquem Fratrem idoneum ad suum libitum, etiamsi relictus fuerit anno præterito Corrector, vel Prælatus superior, vsque ad mensem, vel citra, & non vltra; Paulæ loco cit. Genuen. 1. num. 6. Turon. n. 13. Similiter si infirmetur Corrector, potest Vicarium relinquere per mensem; Val. 2. num. 12. Genuen. 3. num. 9. Quòd si Correctoris infirmitas, vel absentia vltra mensem prolatetur, electio deuoluitur ad capitulum locale, & Correctorem infirmum, si est in conuentu; Genuæ 3. num. 9. Sed nunc possunt etiam relinquere per duos menses; Massil. 1. num. 45. Et aduerte, quòd quando capitulum eligit Vicarium per infirmitatem, vel absentiam Correctoris, non eligit ordinariè nisi per mensem, potest tamē eligere per totum tempus, quo infirmitas, vel absentia durauerit, & licèt à principio intenderit solùm eligere per mensem, eo transacto, absque noua electione, poterit permittere illum perseuerare quousque voluerit, vel fuerit necesse; Passarell. in schol. ex Genuen. num. 28. Et aduerte etiam, quòd si Prælatus superior sit præsens, quando Corrector vult exire conuētu, vel infirmatur, nō potest Vicarium relinquere, nisi de assensu illius, Tolos. num. 35. Bonon. 1. num. 14. Qui assensus non requiritur ad eligendum Vicarium, id enim habent Correctores à iure; sed requiritur ad eligendum personam Vicarij relinquendi, vt dixi to. 1. nostr. priu. in const. 7. Pauli V. nu. 48. Et aduerte etiam, quòd Corrector infirmus potest relinquere Vicariū pro toto tempore infirmitatis, si penuria fratrum id exigat; Val. 2. num. 12. & tempore infirmitatis potest se intromittere de rebus conuentus; ibid. nu. 13. Denique nota, quòd Correctores exeuntes conuentu absque scientia capituli, & Seniorum assensu, si ter moniti non resipuerint, debent ab officio per duos menses suspendi. Quòd si post prædictam suspensionem iterum in hūc errorem lapsi fuerint, trina etiam monitione præuia, debent officio priuari; Massil. 1. num. 47. Vnde vides arbitrariam pœnam Correct. num. 112. determinatam.

106. Dico 12. Correctores locales puniunt percussores aliorum fratrum, quando percussio fuit leuis, aut grauis, non autem quando fuit enormis; Correct. num. 6. & 7. Et hic nota pro semper, quòd in Regula nostra Corrector numquam pœnam carceris infligit sine consensu capituli; Correct. num. 6. 10. & 33. damnatos autem ad carceres ad longum tempus per superiores Prælatos, infirmitatis causa de consensu capituli, & cōsilio medici Corrector

transfert

transfert in locum tutum, si facilè, & absq; periculo Superior maior de tali infirmitate monere non potest, Correct. num. 7.

107. Dico 13. Corrector cum capitulo locali, & Prælatorum Socijs deponit, & suspendit superiores Prælatos committentes delicta, depositione, & suspensione digna, secundùm dispositionem, & determinationem dicti Corr. & prouidet de Superiore vsque ad capitulum prouinciale, vel generale; Corrector num. 9. Si verò talia delicta perpetret Corrector ipse, deponitur, vel suspenditur similiter per Seniores, & capitulum locale, & per eosdem loco depositi alius substituitur, quousque per Generalem, vel Prouincialem super hoc plenius definiatur; Correct. num. 10. Dicti autem Superiores suspensi in nulla re subijciuntur eorum substitutis, sed simpliciter remanent in conuentibus suæ depositionis, quousq; per generale, vel prouinciale capitulum, si de Generali, vel Prouinciali loquamur, vel per Prouincialem, aut Generalem, si de Correctore locali, pleniùs deliberetur; Correct. nu. 11. Circa autem modum procedendi in capitulo prouinciali, quando ad ipsum pertinet plenior definitio Prouincialis depositi, vel suspensi, vide cap. Vsl. 4. num 21.

108. Dico 14. Fures quoscumq; puniunt Correctores; Correct. num. 13 & videtur, quòd etiam in figura iudicij, vt colligitur ex illa clausula *legitime conuictus fuerit* Scito autem, quatuor esse modos conuincendi reos; de quibus Glossa in cap. Nos in quemquam 2. quæst. 1. Primus iore, scilicet instrumentis, & testibus, secundus facti euidentia, vt si fur cum furto in manibus reperiatur, tertius iuris interpretatione, vt si pluries citatus non comparuit, quartus violenta suspicione, idest quando talis est suspicio, quæ nos cogit ad iudicandum rem ita esse, vt si fractam cellam aspiciamus, & aliquem ex ea egredientem sufarcinatum, & deinde intelligamus in ea cella deesse habitum, vel pileum. Puto igitur, quòd Correctores possunt procedere contra fures in facti euidentia, & violenta suspicione, in quibus non requiritur omnimoda figura iudicij; cap. Ad nostram, el 3. de iure iur. iuncta Glossa. (*Glossa.*) ver. Obseruandus. In alijs autem hoc pertinere ad superiores Prælatos, & etiam in illis, si sint præsentes. Furtum autem sacrilegum punire, ad superiores Prælatos pertinet, vt colligitur ex Correct. nu. 14. poterunt tamen Correctores hoc casu furem sacrilegum carceribus detinere, per ea, quæ dixi tom 1. nostr. priu. in const. 2. Syxti IV. num. 64. ex Trid. sess. 25. de refor. c. 6. & colligitur etiam ex dicto Correct. num. 20. vbi apostatæ, & gyrouagantes, per Correctorem, & capitulum locale ad carceres per tres menses damnantur, eorumq; arbitrio talis pęna mitigatur. Hos autem priuare actiua & passiua vocibus, ac iure primogenituræ, ad Prouincialem, vel Generalem pertinet, sicut illos rehabilitare, ad prouinciale, vel generale capitulum spectat.

109. Dico 15. Correctores tenentur quolibet secunda, quarta, & sexta feria capitulum culparum celebrare, nisi in ijs festum aliquod duplex, vel alia vrgens necessitas occurrat; Correct. num. 28. Verum tamen est, quòd sicut per necessitatem capitulum omitti potest, ita propter aliquod vrgens negotium potest celebrari, etiam festo duplici occurrente; Colligitur ex dicto loco Correct. vbi non prohibetur in festo duplici capitulum celebrari, sed solum permittitur non celebrari; ergo, si necessitas vrgeat, conceditur: in dictis autem capitulis debet Corrector commendare Fratribus D. Papam & Eminentissimum Protectorē, cum toto Collegio Cardinalium, & reliquos omnes benefactores, pro quibus tenetur Religio, Prouincia, & conuentus orare; Correct. num. 29. Non debent tamen dicti Correctores in huiusmodi capitulis diu detinere Fratres, nec quę secreta sunt permittere diuulgari; Correct. num. 31. Quare autem dicta capitula dicantur culparum, & an Religiosi teneantur sub culpa ad pęnam in ijs à Superioribus taxatam, vide tom. 1. huius op. cap. 5. vers. In nostro.

110. Dico 16. Inobedientes, & contumaces punire potest Corrector etiam pœna carceris de consensu capituli, & quandocumq; parati fuerint obedire, de eiusdem consensu liberare; Correct. num. 33. Nota S. Patris charitatem pro emolliendis induratis.

111. Dico 17. Violatores castitatis sanctæ nō possunt Correctores punire, sed id pertinet ad superiores Prælatos cum suis Socijs; Correct. num. 36. poterunt tamen Correctores dictos in flagranti repertos carceribus detinere, vt dictum est num. 108.

112. Dico 18. ad Correctores pertinet punire clauigeros, & Seniores, qui extra conuentum iturі, non eodem die reuersuri, dictis Correctoribus non indicauerint, cuinam Fratrum clauem, vel quemnam de Consensiorum consensu loco suo reliquerint; Correct. num. 45.

113. Dico 19. Correctores tenentur singulis tribus mensibus coram locali capitulo, & in fine sui officij coram proprio Prouinciali rationem reddere de cunctis eleemosynis, eo tempore suis conuentibus obuentis: tenentur etiam eleemosynas, quæ superfuerunt (saluâ prouisione per annum pro infirmis, & Fratrum indumentis, ac alijs necessitatibus, pręsertim pro fabrica perficienda, iuxta const. 17. Iulij II. §. 9. tom. 1. nostr. priuil.) in pias causas distribuere; Correct. num. 47. vbi contrafacientibus apponitur pœna perpetuæ priuationis vocis actiuę & passiuæ.

114. Dico 20. Qui contra paupertatem, eleemosynas fraudando, delinquunt, per superiores Prælatos puniuntur; Correct. num. 43. Qui verò eleemosynas, sibi à parentibus, vel alijs datas, Correctori non pręsentauerit, & de eius licentia non expenderit, per superiores Prælatos priuari debet iure primogeniturę per annum; Correct. num. 48. immò tenetur eas in capsa quatuor clauium, cum alijs eleemosynis conuentus reponere; Paulæ num. 12.

115. Dico 21. Correctores inæqualiter eleemosynas distribuentes, etiam de capituli scientia, & Seniorum consilio, per superiores Prælatos puniuntur; Correct. num. 49. & 109. Tolos. num. 35. fine. Possunt tamen dicti Correctores vni Fratri plus, quàm alij, tribuere, quia plus egeat; non enim omnes æqualiter indigēt; Correct.

Correct. dicto nu. 109. Puniendi ergo solùm quando inæqualiter, cœteris paribus, distribuunt. Et nota, quòd assignare vestimenta Fratribus, ad superiores Prælatos pertinet, vt colligitur ex dicto loc. Correct. nu. 109. & vsus comprobauit.

116. Dico 22. superiores Prælati nō possunt bona vnius conuentus in alium transferre, neq; sibi applicare, sine speciali consensu Correctoris, & capituli conuentus, à quo talia bona transferenda sunt; nisi in capitulo generali, vel prouinciali aliter ordinaretur: vel nisi pro euidenti necessitate alicuius cōuentus id fieri, prudens, & charitatiua Prælati discretio suaderet; Correct. nu. 50. Sed in omnibus rebus, etiam parui momenti, etiam quādo adest euidens necessitas alterius conuentus, consulo vt semper Prælati curent obtinere cōsensum saltem Correctoris, & Seniorum, ad vitandas murmurationes. Res autem magni momenti transferri non possunt sine licentia Papæ, quia censentur alienationes.

117. Dico 23. Violatores vitæ quadragesimalis, & introducentes carnes in nostros conuentus, per superiores Prælatos puniuntur; Correct. num. 51. 53. Atq; ita vides, quòd punire delinquentes circa vota castitatis, paupertatis, & vitæ quadragesimalis, ad Prælatos pertinet, vt dixi nu. 111. 114. delinquentes verò circa obedientiam etiam per Correctores puniuntur modò dicto num. 110. Et aduerte hic vnum bonum punctum, quòd superiores Prælati in puniendis delinquentibus contra vota non egent Collegarum consensu, cum pœna sit per regulam taxata, neq; ipsi habent facultatem eam minuendi, vt cōstat ex Correct. nu. 23. ibi *Nisi fortè super aliquo*, &c. Et nu. 105. ibi *exceptis votorum pœnis*. Et clarissimè nu. 107.

118. Dico 24. Correctoribus in refectorio vix loqui permittitur, ne de refectorio capitulum faciant; Correct. nu. 60. punire autem silentium frangentes ipsorum est, Corr. nu. 59.

119. Dico 25. Correctores debent reuerenter recipere superiores Prælatos, cum ad eos diuerterint, illisq; debitum honorem humiliter impendere, & iuxta loci facultatem benignè tractare; Reg. num. 38. Correct. num. 61.

120. Dico 26. dare benedictionem fratribus ad exeundum foràs, Correctorum est; ex Correct. nu. 62. & probaui to. 2. nostr. priu. in const. 7. Pauli V. nu. 47. Et aduerte, quòd foras egressuri semper tenentur petere benedictionem à Correctore, etiamsi sit ibi præsens Prouincialis; non enim dicit legislator, quòd eo casu egressuri petant benedictionem à Prouinciali, sed solùm quòd Corrector pro reuerentia sui maioris supplicet Prouinciali, vt ijs benedicere dignetur.

121. Dico 27. Correctores locales in præsentia Prouincialis possunt suum ordinarium officium exercere, ter in hebdomada capitulum culparum celebrare, fratres corrigere, de bonis monasterij secundùm Regulam disponere &c. Correctior. num. 64. Neq. obstat illa clausula eodem num. posita. *In quantum sibi à suis prædictis superioribus Prælatis, & eorum vices gerentibus permissum fuerit* Nam præter ea, quæ dixi to. 2. priu. cit. num. 46. hic addo, clausulam illam non importare meram, & liberam voluntatem, sed arbitrium boni viri; Barbosa de clauś. claus. 69, Moneta de distrib. p. 1. q. 9. n. 27. Gonzal. §. 7. num. 118. ad reg. 8. cancell. Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 8. à num. 1. bonus autem vir est; quem describit Horat. lib. 1. ep. ep. 16. ad Quinct. *Barbosa. Moneta. Gonzales. Menoch. Horatius.*

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrū, qui leges, iuraq; seruat,
Quo multæ magnæq; secantur iudice lites.
Quo responsore, quo causæ teste tenentur.

Et plura huiusmodi videre potes apud Menoch. de arb. lib. 1. in procem. num. 6. & 7. & cum duplex distinguant iurisliæ arbitrium, vt Menoch. lib. 1. de arbit. q. 6. num. 1. primum, quod plenum, & liberum appellatur 2. quod iure, ratione, ac æquitate regulatum dicitur, & 1. sit concessio à lege, vel homine facta, qua potest is iudex, remoto iure, ratione, ac æquitate, sed proprio ductus appetitu, à dolo tamē alieno, quod placuerit statuere 2. verò sit concessio à lege, vel homine facta, qua possit is iudex, quid sentiat iure, ratione, ac æquitate animi sui proferre sententiam, quiq; non in alium statuat, quòd sibi statui negare posset, vt Menoch. loc. cit. nu. 2. & 3. qui de vtrisq; arbitrijs in sequentibus agit, & quidem de libero q. 7. examinans singulariter verba, quibus illud conferri solet; & q. 8. examinat pariter verba, per quæ regulatum arbitriū confertur. Et licèt illa clausula *in quantum sibi permissum fuerit*, neq; in 1. neq; in 2. arbitrio numeretur à Menoch. cum tamen assimiletur illi, *Vt videbitur, Vt placuerit*; &c. quæ arbitrium regulatum important, hanc nostram idem arbitrium importare dicendum est. Et dato, quòd sit dubium, quodnam arbitrium importet, in dubio, præsertim cū agitur de præiudicio tertij, secundùm Menoch. loc. cit. q. 9. num. 8. Tusch. ver. Arbitrium, concl. 470. num. 26. præsumendum est, per eam arbitrium liberum non fuisse concessum, sed iure regulatum. Non vult ergo dicere legislator, quod superiores Prælati possint Correctorum iurisdictionem ad suum beneplacitum sine iure, & ratione (quod aliqui malè prætendunt) impedire, sed solùm, quòd quando aliqua iusta ratio in casu aliquo particulari suaserit, Correctores debere ab aliquo abstinere, V. G. à mittendis extra conuentum Fratribus, possit id illis Prouincialis, vel alius superior Prælatus impedire. Et quod hæc sit germana interpretatio illius loci, probo ex eodem Correct. num. 64. vbi dicitur *ob hoc tamen*, &c. Cum enim nu. 62. & 63. mādasset legislator, quòd vbicumq; præsentes fuissent Corrector localis, & Prouincialis, ille tamquam minor huic cederet tamquam maiori, & quòd quando fratres egressuri, benedictionem à Correctore peterent in præsentia Prouincialis, ipse Corrector nutu, vel verbo ipsi Prouinciali supplicaret, vt dictis fratribus benedicere dignaretur; Et similiter mandasset, quòd quando in refectorio adessent Generalis, vel Prouincialis, ab istis, non à Correctore fratres benedicerentur, dubitari poterat, an similiter in præsentia dictorum Prælatorum posset Corrector de rebus monasterij disponere, volens hanc dubitationem resoluere,

Menoch. Menoch. Menoch. Tusch.

resoluere, subdit, *ob hoc tamen non intendatur,* &c. vbi nota, quod dictio, Tamen, est limitatiua superiorum, vt *Barbosa,* Barbos. de dict. dict. 347. nu. 1. cum ergo in illis duobus casib⁹ num. 62. & 63. statuerit potestatem Correctoris ferè, vel omnino cessare in præsentia Prouincialis, volens prædictam regulam limitare ait n. 64. *ob hoc tamen* &c. Et quia etiã poterat cõtingere, vt expediret auctoritatẽ Correctorum suspendere in aliquo casu, ideo ne de hoc possent inter superiores, & inferiores Prælatos oriri controuersiæ, quæ non sunt vnquam sine subditorum scandalo, declarat, id esse superioribus Prælatis concessum. Neq; etiam hic dictis obstat statutum cap. Bonon. 1. num. 14. quo cauetur, quòd quando adest superior Prælatus in conuentu, nihil notabile concludatur, neq; conclusum executioni mandetur per Correctorem, & capitulũ locale, nisi ex scientia, & assensu ipsius: nam id intelligo, quando superior Prælatus declarauerit, velle se intendere super dicto negotio, vt colligitur ex cap. Tolos. num. 34. Nec est inconueniens, quòd Corrector, præsente superiore Prælato, suum exerceat officium, cum eorum officia sint circa diuersa.

122. Hinc collige, non posse Prouincialem auferre auctoritatem à Correctore; neq; etiã Generalem posse auferre auctoritatem à Prouinciali procedendi in aliquo casu contento intra limites suæ iurisdictionis. Immò neq; posse superiorem Prælatum priùs in dicto casu procedere, quàm Prælatus inferior, si ad hunc primæ causæ pertineant; neq; posse dictam causam sibi immediatè reseruare, vel auocare. Cum enim hi Prælati inferiores, non à superiori Prælato, sed à lege, & Regula iurisdictionem suam ordinariam acceperint, non possunt pro libito suæ voluntatis eam illis auferre superiores Prælati. Quod satis probat Trid. sess. 24. de refor. cap. 20. vbi ait, *quod causæ omnes in prima instantia coram ordinarijs dumtaxat cognoscantur.* Et quòd sub nomine, Ordinarij, ibi intelligantur omnes habentes iu- *Paris.* risdictionem ordinariã docet Paris. de resign. *Sanchez.* lib. 3. q. 11. num. 19. Sanch. 3. de matrim. disp. 29. num. 5. & multi alij apud illos. Et in casu *Portel.* nostro Portel. in addit. ad dub. reg. ver. Prælati potestas, num. 8. Cum aliqua tamen causa potest superior Prælatus in casu particulari inferioris potestatem coarctare; sicut enim cum illa potest in totum officio priuare, ita potest partem illius ab eo auferre, vt dixi to. 2. priu. in const. 7. Pauli V. num. 43. Sed de illa causa debet constare; vnde non sufficeret, superiorem Prælatum dicere, se ad id iustam causam habere, sed debet illam manifestare, vt dixi to. 1. huius op. q. 1. cap. 12. concl. 1. vers. Neq; credendum.

123. Dico 28. Correctores notabiliter omittentes chorum, vel refectorium, per superiores Prælatos puniri debent; Correct. num. 66. quod etiam statuit Clemens VIII. in const. 10. Vrb. VIII. §. 18. & 53. to. 2. nostr. priu. & aduertant Correctores, quòd peccant omnino mortaliter, si absq; legitima causa sunt notabiliter negligentes in frequentatione chori, *A S. Fausto* vel in celebratione missæ. Ita expressè A S. Fausto in thesau. relig. lib. 6. q. 179. num. 2. & quòd, si semel moniti non se correxerint, debent officijs priuari; per cap. un. d. 91. vbi statuitur, quòd clericus ecclesiæ deputatus, qui ad quotidianum psallendi officium non conuenerit, debet deponi. Et in concil. Aquisgranensi sub Stephano Papa V. & Ludouico Pio cap. 131. quod habetur to. 3. concil. p. 1. sect. 2. pag. mihi 250. ita habetur, *qui vero has horas frequentare, & in his, vt dignum est, caleste neglexerit officium persoluere, digna increpatione corripiatur, vt & ipse emendetur, & cæteri timorem habentes, huiuscemodi negligentiam caueant.* Colligitur id etiam ex cap. 1. & cap. Dolentes, de celebr. miss. & ex Trid. sess. 24. cap. 12. de refor. & manifestè probatur ex clem. 1. de celebr. miss. vbi §. vi. Superioribus etiam regularibus, vt notat in specie Trull. in elucid. sui *Trullus.* Ord. lib. 2. cap. 12. nu. 1. mandatur, vt sollicitam diligentiam adhibeant, vt debitis horis conuenienter officium diuinum celebretur, *si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem euitare voluerint.* Quæ verba important præceptum ad mortale obligans, vt dixi to. 1. priu. in const. 3. Sixti IV. nu. 7. Et ratio est, quia certum est tum ex iure communi, tum ex regula, & const. Pontificum teneri regulares ad officium recitandum in choro, & id tenentur Superiores sub mortali curare, vt constat ex dicta clem. ergo eodem præcepto tenentur assistere, cum & ipsi pars sint communitatis, & capita; vnde tenentur non solùm assistere quatenus partes sunt, sed etiam quatenus capita ratione exempli, & scandali vitandi. Atq. ita Suar. to. 2. *Suarez.* de relig. de hor. can. lib. 4. cap. 10. num. 8. *A S. Fausto* A S. Fausto de hor. can. lib. 2. q. 18. Filliuc. to. 2. *Filliuc.* tr. 23. cap. 4. nu. 135.

An autem subditus, qui habet consuetudinem nunquam accedendi ad Chorum, etiamsi non sit studiorum causam occupatus, peccet mortaliter, putat quod non Diana tom. 3. *Diana.* tract. 2. resol. 18.

124. Vnde sequitur, quòd Prælati, qui sunt causa per suam incuriam, vt vno die omittatur totum officium diuinum in choro, vel aliqua hora peccant mortaliter, quo etiam peccato afficiuntur, qui tali omissioni causam præbent, vel ad illam cooperantur, etiamsi priuatim illud officium dicant. Ita Sot. lib. 10. *Sotus.* de iust. q. 5. ar. 3. versùs fin. Ledesm. p. 2. sum. *Ledesma.* tr. 9. cap. 4. concl. 7. A S. Fausto loc. cit. Et *A S. Fausto* ratio est, quia agunt contra præceptum ecclesiasticum ad mortale obligans. Similiter peccant mortaliter Superiores, quando permittunt, quòd in choro omittatur officiũ B. M. V. eo tempore, quo secundùm consuetudinem dici debet; nam tunc est pars officij diuini. Ita Sorb. in comp. priu. mendic. verb. Officiũ *Sorbus.* diuinum 3. versu Sed an officium, pag. mihi 449. Graff. 1. p. decis. lib. 2. cap. 53. num. 23. *Graffius.* Sot. loc. cit. ar. 4. extra chorum verò non *Sotus.* tenentur singulariter illud dicere obligati ad officium diuinum, per concessionem Pij V. in approbat. breu. Item mortaliter peccant Superiores permittentes quòd in choro non dicatur officium mortuorum prima die post festum omnium Sanctorum; & similiter peccant, qui extra chorum illud non recitant.

Sot.

Sotus. Graffius. Suarez.

Sot. & Graff. loc. cit. Suar. loc. cit. c. 15. nu. 9. Similiter mortaliter peccant permittentes, vt omittantur in choro litaniæ maiores in die S. Marci, & in tribus diebus ante Ascensioné, nisi adsint publicis processionibus, quia sunt pars officij illius temporis. Suarez loc. cit. n. 8. ad quas dicendas tenentur etiam recitantes officium extra chorum. Permittere autem ne dicantur in choro psalmi graduales, pœnitentiales, & officium defunctorum, quando secundùm Breuiarij rubricas debent dici, mortale non est, Suar. loc. cit. cap. 13. num. 13. & hoc etiamsi adesset consuetudo, tollitur enim hæc obligatio per dictam bullam Pij V. Idem dic de septem psal. qui quotidie dicuntur à Minimis; cum enim non obligentur ad hoc nisi ex Regula, quæ ad nullum peccatum obligat, eos omittere non erit peccatum, nisi fortè concurrat vna ex illis quatuor causis, de quib⁹ dixi to. 1. huius op. cap. 5. notab. 8. Sed de hac materia vide pleniùs Nau. to. 4. de or. cap. 10. nu. 4. Azor. to. 1. lib. 10. cap. 16. q. 3. & 4. Filliuc. to. 2. tr. 23. cap. 6. à nu. 111. A S. Faustio de hor. can. lib. 2. q. 304. Gauant. to. 2. sect. 9. cap. 1. & cap. 2. per tota.

Suarez. Suarez. Nauarr. Azor. Filliuc. A S. Fausto. Gauantus.

125. Dico 29. Correctores non possunt professis imponere pœnitentias coram nouitijs exequendas, nec eos obligare ad dicendas culpas coram illis, nisi vbi professi coram nouitijs deliquissent; Correct. nu. 67.

126. Dico 30. Correctores de Seniorum consilio, & assensu capituli possunt libros pro bibliotheca emere, vel, si adsint aliqui duplices, vel minùs vtiles, aut non conformes statui Religiosorum, eos vendere, prout pleniùs definitur in cap Val. 4. nu. 8. Possunt item Correctores de eorumdem consilio, & assensu emere pannos, vel stamineas pro nouis vestibus faciendis, conuentum, & ecclesiam ædificare, vel reparare, negotiaq; omnia monasterij determinare; Correct. nu. 72. Correctores autem, qui dictum consilium, & consensum prætermiserint, post binam monitionem, ab officio suspendi debent per Seniores, & capitulum locale, ac per superiores Prælatos ad mensuram delicti puniri; Correct. nu. 73.

127. Dico 31. discordiæ ortæ inter Correctores, & subditos, debent definiri per Seniores, & maturiores fratres conuentus; quòd si subditi culpabiles inuenti fuerint, debent puniri per capitulum locale; si autem inuentus fuerit culpabilis Corrector, debet puniri per aliquem superiorum Prælatorum; Correct. nu. 35. differentiæ autem ortæ inter Correctorem, & Seniores, per capitulũ locale extingui debent; Correct. nu. 73. Debent tamen Seniores in omnibus suis Correctoribus obedire, & sine vlla præeminentia in suis locis sedere; correct num. 74.

128. Dico 32. Correctores non possunt punire, deponere, priuare, vel emendare Lectores, modum Religiosis conuenientem in suis lectionibus excedentes, sed id pertinet ad superiores Prælatos; Correct. num. 75. si tamen ipsi Lectores delinquãt quò ad mores, possunt per Correctores, in his, quæ ipsorum Correctorum facultatem non excedunt, puniri, cum Correctorium loc. cit. solùm loquatur de Lectoribus excedentibus in modo legendi.

129. Dico 33. Correctores cum suo locali capitulo possunt concedere literas dimissorias suis subditis, tam quo ad ordines minores, quã quo ad sacros; Correct. num. 78. cap. Barch. 1. num. 6. Passar. in schol. ex Barch. num. 11. ver. Intellige eo non posse; Vbi bene declarat, hac potestate non posse, nec debere capitulum vel in præsentia superioris Prælati sine scientia, & assensu ipsius, nec etiam in absentia in casu prohibitionis, non quidem generalis, nec perpetuæ, sed specialis, iuxta ea, quæ dico to. 2. nostr. priu. in const. 7. Pauli V. nu. 43. Quò verò ad presbyteratum, id pertinet ad superiores prælatos; Correct. num. 77. Non possunt tamen prælati Superiores ad ordines suscipiendos mittere, qui voce capitulari, seu primogenitura priuati sunt; cap. Tolos. nu. 22. Genuen. 7. num. 27. Et aduerte, quòd fratres laici, qui aliàs in capitulo locali vocem habent, in hoc negotio mittendi fratres ad ordinationem, & alijs negotijs spiritualibus vocem non habent; per definitionem Correct. num. 71.

Passerell.

130. Dico 34. Correctores præbentes per se, vel per alios cuiquam disciplinam, debent ab officio statim suspendi per Seniores, & capitulum locale; Correct. num. 68.

131. Dico 35. Correctores locales possunt prohibere confessoribus fratrum, ne beneficiũ absolutionis in aliquo casu suis subditis impendant. Possunt item dicti Correctores excommunicare; Correct. num. 87.

132. Dico 36. nullus frater Minimus potest literas extraneorum ad extraneos deferre, vel eis scribere absq; Correctoris licentia; literas tamen fratrum eiusdem Ordinis potest quilibet, cui diriguntur, deferre, dummodò priùs Correctori ostendantur; Correct. nu. 100. Nec possunt fratres sibi inuicem scribere, nec etiam ad extraneos, absq; eo quòd literæ subscribantur à Correctore locali. Ita in cap. Val. 5. nu. 21. suis tamen Superioribus possunt singuli scribere, absq; dicti Correctoris subscriptione; Tolos. nu. 46.

133. Dico 37. locales Correctores in præsentia Generalis, vel Prouincialis non possunt, etiam de consensu Seniorum, & capituli, cuiquam pœnitentias graues carceris, &c. imponere; sed, quando casus occurrerit, debent intimare Prælato superiori præsenti, & ipsius arbitrio relinquere; Correct. num. 105.

134. Dico 38. Correctores in acceptatione possessionis sui officij tenentur facere inuentarium, seu registrum omnium bonorum mobilium, spectantium ad sacristiam, coquinam, conuentum, infirmariam, bibliothecam, ad hoc vt possint de ijs tempore visitationis rationem reddere Prælatis superioribus visitantibus. Quòd si in hoc fuerint negligentes, debent perpetuò officijs priuari, & vlteriùs grauiter puniri ad arbitrium Visitatorum; Correct. n. 108.

135. Dico 39. omnes Superiores Minimorum impetrantes ab Apostolica Sede aliquod indultum contra regulam, sunt ipso facto priuati suis officijs, & fratres ab illorum obedientia exempti; Correct. n. 110. intellige, nisi Papa expressè huic statuto derogaret.

136. Dico 40. Correctores locales, & alij

omnes

omnes superiores Prælati peccantes contra aliquod quatuor votorum, statim debent ab officio deponi, & capitulari voce perpetuò priuari; Correct. num. 111.

137. Dico 41. Correctores videntes aliquem fratrem clamorosum, præsertim seculares scandalizantem, seu rebellantem, & contumacem possunt eum in cameram detrudere, absq. Seniorum consilio, & obedire recusantem, de Seniorum consilio, & assensu castigare, Tol. n. 47.

138. Dico 42. Correctores destruentes studiū, occupantesq. studentes ita in negotijs conuētus (absq. magna, & vrgenti necessitate) vt lectiones Lectores omittere necessitentur, post trinā monitionem cum debitis temporum interuallis, eis in capitulo per Seniores in absentia Prouincialis factam, debent ab officio per mensem suspendi, & similiter Prouinciales per eorum Socios; Malchæ num. 65.

139. Dico 43. Correctores in locis remotis à ciuitatibus, de consensu Seniorum, & consilio chirurgi possunt supplere medici absentiā, si facilè haberi non possit, quò ad concedendum alicui, vt possit carnes comedere; Genuæ 1. num. 33.

140. Dico 44. Correctores legitimo impedimento præpediti, possunt vnà cum capitulo locali vnum ex suis fratribus ad capitulum prouinciale mittere, qui in eodem capitulo vices dictorum Correctorum gerat. Bonon. 1. nu. 10.

141. Dico 45. Correctores negligentes in cura infirmorū, trina præuia monitione, per Seniores, & capitulū locale ad mensē suspēdi debēt, & per Seniores infirmis prouideri. Quòd si vrgens infirmitas illam trinam monitionē expectare nō cōcedat, & Correctores nō prouideāt, tenentur prouidere Seniores, qui, si in hoc fuerint negligentes, puniri debent per Superiorem; Val. 1. num. 15.

142. Dico 46. Correctores tenentur assignare Sociū Collegijs prouincialibus, extra conuentū exire petentibus, ipsi verò Collegæ in absētia Prouincialis tenētur à Correctoribus benedictionem, non licentiam, petere; Val. 3. n. 8. fine.

143. Dico 47. Correctores perseuerant in officio, etiam post festum S. Michaelis cum titulo Correctorum, quousq. successores personaliter compareant in conuentibus suorum Correctoriatuum, Val. 4. num. 27.

144. Dico 48. Electio Vicarij conuentualis loco Correctoris defuncti, priuati, vel suspensi vel cassati propter electionis defectum, ad capitulum locale pertinet: poterunt tamen superiores Prælati per aliquot dies, donec capitulum electionem faciat, prouidere; Val. 4. n. 30.

145. Dico 49. Correctores dantes vestimēta, à superioribus Prælatis assignata, in Pecunia, sunt ipso facto priuati suis officijs; Val. 4. n. 34.

146. Dico 50. Correctorum electiones non fiunt in illis conuentibus, qui reguntur per Vicarios, sed prouisio Vicariorum ad Prouinciales, & eius socios pertinet, & Socij eiusmet Prouincialis possunt in præfatos Vicarios eligi; Genuæ 4. num. 19.

147. Dico 51. Correctores debēt quò ad officium diuinū, & celebrationē missarū curare, vt obseruentur cæremoniæ missalis, & breuiarij Romani; in refectorio verò, & in alijs cæremonijs nostri Ordinis; Genuæ 4. n. 32. Massil. 1. n. 63.

148. Dico 52. non possunt Correctores fratres, missos à superioribus Prælatis in suos conuentus, ad ipsos superiores Prælatos remittere, sed priùs debent eos monere per literas, ad hoc vt possint prouidere. Barch. 1. nu. 27. vbi idem determinatur de Prouinciali respectu Generalis.

149. Dico 53. Correctores non possunt absoluere à transgressione votorum, sed id reseruatur solis superioribus Prælatis; Correct. num. 68. Genuæ 5. num. 18. vide Passarell. in schol. ex Genuen. num. 18. & quæ dico tom. 2. priu. in const. 16. Vrb. VIII. num. 12. *Passarell.*

150. Dico 54. Correctores non possunt eligi in Scribas capituli localis, quando agitur de Correctore, Discreto, Commisso, vel Vicario eligendo; Auen. 2. num. 10. potest quidem Corrector in casu paritatis vocum, & ter repetita electione, vnum ex illis duobus, qui sunt pares in vocibus, in Scribam, &c. eligere; Genuæ 6. num. 26. Si autem electi pares non fuerint in prædictis electionibus, is ad officium assumatur, qui plures voces habuerit. Barch. 3. sess. 5. vespert. num. 1.

151. Dico 55. Parochi nostri Ordinis sunt omnino subiecti Correctoribus: Auen. 2. n. 26. Vide quæ dico tom. 1. nostr. priu. in const. 26. Leon. X. num. 4.

152. Dico 56. Correctores non possunt eligi ex aliena Prouincia, nisi priùs in illa per annum saltem permanserint, Auen. 2. nu. 29. Intelligitur tamen de ijs, qui nunquam in ea Prouincia fuerunt, Barch. 2. num. 23. Nec intelligitur de Correctoribus Romanis, qui possunt eligi ex qualibet Prouincia, vt probo to. 2. nostr. priu. in const. 7. Pauli V. à n. 18. & quòd fratres illorum conuentuum possint eligere Correctorem extra capitulum, declarauit sacra Congregatio Regularium anno 1625. die 7. Octobris, quam Congregationis declarationē confirmauit, & approbauit S. D. Vrb. VIII. die 11. eiusdem mensis, & anni. Quā approbationē ponā in additamētis ad priuilegia Regulariū.

153. Dico 57. super Correctores possunt Prouinciales Vicarios pro emergentibus tantùm constituere; Correct. n. 106. Emergentia autem negotia ea dicuntur, quæ maxima egent celeritate, nec ad Superiorem commodè recurri potest; Auen. 2. num. 31.

154. Dico 58. Correctores non debent vllo modo vocari Priores, Barch. 2. num. 38. & est contra Reg. num. 44.

155. Dico 59. Correctores, qui & simul sunt Definitores, cum pergunt ad capitulum definitorium, possunt relinquere Vicarium, qui præsideat vsq; ad aduentum personalem noui Correctoris; Genuen. 7. num. 39.

156. Dico 60. Correctores dum actualiter sunt in officio, non possunt eligi in Collegas Prouincialis, possunt tamen eligi in Collegas Generalis; Romæ 6. num. 14. dub. 5.

157. Dico 61. Correctores electi à capitulis localibus, non possunt ad libitum capitulorum definitorium, vel prouincialium mutari de conuentu, in quo fuerunt electi, in alium; sed ad hoc necesse est interueniat causa iusta, & rationabilis, probanda, &

discutienda in dicto capitulo, & in illius actis describenda, Romæ 7. sess. 8. Vide quæ dico to.1. huius op. q. 1, cap. 31. §.7. Quando autem dico; causam, ad id requiri iustam, & rationabilem, intellige, quod causa debet esse legitima, & vera, ac iuris ordine seruato probata,
Panorm. iuxta dicta à Panor. in cap. Ea, quæ, de sent. & re iud. num. 1.

158. Dico 62. Correctores functi suis officijs possunt eligi in Vicarios amouibiles ad nutum Prouincialium in aliquibus conuentibus paruulis, & postquam continuauerint per annum in dictis Vicariatibus, possunt iterum eligi in Correctores pro 3. anno, modò in 2. anno in Vicarios non eligantur per electionem, sed solùm per Prouinciales, & Collegas; iuxta c. Rom. 7. sess. 10. ver. Quod Vicarij. Ita in eodem cap. ibid. ver. Ad dubium.

159. Dico 63. in conuentibus, vbi non sunt nisi tres sacerdotes vocales, possunt Correctores nominare in Scribam vnum ex illis duobus, ad effectum electionum faciendarum Correctoris dicti conuentus, & Commissi ad capitulum generale, non autem Discreti ad capitulum prouinciale, quia hic debet esse de corpore capituli, illi autẽ non est necesse; Romę 7. sess. 11. ver. Dubitatũ est etiã, Et nota hic declarationem sacræ Congreg. Cõcilij, factã die 22. Aug. 1626. his verbis. *Quæritur, vbi duo Religiosi regulares in aliquo conuentu locales reperiuntur, & debeant electionem Superioris illius conuentus peragere, & non habeant Scribam Fratrum propriæ Religionis, num possint assumere aliquem alium Religiosum alterius Religionis, vel Presbyterum, aut Notarium Apostolicum in Scribam, ne conueniat, & ipsi permittur vorum iure, cum Scriba secundum iura possit esse extraneus. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, Respondit, posse assumere in Scribam personam extraneam, aliàs facultatem habentem acta, seu instrumenta conficiendi in rebus Ecclesiasticis. R. Card. Vbaldinus, Franciscus Paulutius. S. C. Secretarius.*

160. Dico 64. Correctores possunt absoluere per priuilegia Apostolica suos subditos ab omnibus casibus, etiam reseruatis Papæ, præter septem, vt probaui tom. 1. nost. priu. in const. 4. Syxti IV. num. 25. cum preced. An autem dicti Correctores possint à censuris, seu alijs casibus absoluere, præsente superiori Prælato, quãdo res ad forum contentiosum deducta est, vt si V. G. duo fratres se mutuò publicè percutiant. Puto quòd non; cum cum ad superiorem Prælatum iudicium illius fori pertineat, pertinet, etiam eos à dicta cẽsura absoluere; & alioquin inconueniens grande est, quòd illi excommunicati, priusquam fisco satisfaciant, sacramentaliter absoluantur, & diuinis se ingerant: atq;
Longus. ita tenere videtur Long. de casib. reser. par. 1. sect. 2. art. 4. pro quo facit cap. Ex parte, el. 1. de ver. signif. ibi, *Si offensa est manifesta.*

161. Dico 65. Correctores, ad id specialiter à Generalibus deputati, possunt dispensare cum illegitimis ad dignitates obtinendas, per ea, quę dico to. 1. nostr. priu. in const. 2. Iulij II. nu. 96. & præter priuilegia ibi ad hoc adducta, adest etiam priuilegium Clem. VIII. concessum Clericis regularibus de Somascha, Decet,
Cherub. apud Cherub. to. 3. bull. in const. 22. Clem. VIII. pag. mihi 29. vbi dat facultatem Generali, vt cum suis Collegis possit dispensare cum illegitimis ad recipiendum, retinendum, & exercendum administrationes, officia, & dignitates. Et absolutè posse Prælatos regulares cum illegitimis dispensare, sicut ante const. Gregorij XIV. docet Sigismund. par. 2. de elect. cap. 4. dub. 76. num. 6. *Sigismund.*

162. Dico 66. possunt Correctores dispensare cum homicida voluntario in rixa, vt dico tom. 1. priu. cit. num. 104. & cum iudico homicida, ibidem num. 105. Item cum homicida casuali indirectè, & occulto, ibid. num. 112. Item cum membra mutilante, nu. 117. Item in bigamis, nu. 120. Item absoluere possunt suum subditum, qui percussit clericum secularem, vel religiosum alterius Religionis, ibi n. 119.

163. Dico 67. possunt Correctores absoluere omnes fratres suæ Religionis, vndecumque ad eos declinantes, à sententijs excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, à iure, vel à iudice generaliter promulgatis, per constit. cit. Iulij II. §. 9. Ad quem §. vide quæ dico.

164. Dico 68. Correctores in diebus indulgentiarum deputant sex, aut plures confessarios, qui absoluant ad eorum Ecclesias confluentes illis diebus, etiam à casibus Episcopalibus. Ita concessit Leo X. tom. 1. nostr. priu. in eius const. 2. §. 2. Vide quæ ibi dico num. 3. & vide etiam tom. 2. eorumdem priu. in const. 2. Paulij III. num. 5. & 6. & possunt dicti Correctores ad hoc munus deputare non solum Sacerdotes professos, sed etiam nouitios, vt ibi dico num. 7.

165. Dico 69. Correctores tenentur singulis annis quærere suos apostatas, & eos, si bonam præbeant emendationis spem, reducere ad Religionem, iuxta decretum sacræ Congregationis quod habes tom. 2. nostror. priu. in constit. 10. Vrb. VIII. §. 7.

166. Dico 70. Correctores ab Episcopis inuitati, vt eant cum suis fratribus ad publicas processiones, obedire tenentur, vt habetur in Trid. sess. 25. de reg. cap. 13. & dixi 1. par. no- *Trid.*
stri Ritualis notab. 1. alioquin possunt puniri à dictis Episcopis pœna priuationis sui officij, vt dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Syxti IV. num. 60.

167. Dico 71. Correctores possunt benedicere ornamenta Ecclesiastica, & corporalia, non solùm pro suis Ecclesijs, sed etiam pro alijs, vt latè probaui in 2. par. nostri Ritualis, à notab. 9.

168. Dico 72. Correctores cum suo conuentu possunt leuare corpora suorum Fratrum decedentium extra conuentum, absq. licentia, vel scientia Parochi, vt probo 3. p. Ritual. notab. 1. & to 2. nostr. priu. in constit. 7. Pij V. num. 12. ad decimum.

✠

CAP.

CAP. V.

Quam iurisdictionem habeant Superiores regulares in suos subditos.

Rodriq. Miranda. Suarez. Sanchez. Vasquez. Azor. Salas. Tho. à Iesu. Lessius.

1. PRO hoc cap. videri potest Rodriq. to. 1. q. reg. q. 17. ar. 1. Mir. to. 1. man. q. 13. art. 5. Suar. to. 3. de relig. lib. 2. c. 18. & to. 4. tr. 1. lib. 2. c. 1. Sãch. 5. in decal. c. 1. nu. 15. 20. & 21. Vasq. 1. 2. disp. 165. cap. 5. Azor to. 1. Inst. mor. lib. 12. c. 6. q. 6. Salas de leg. disp. 8. sect. 18. Thom. à Iesu in reg. Carmel. cap. 10. dub. 3. par. 3. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 1. à num. 10.

D. Thom. Paludan. Ledesma. Platus. Vasq. Suarez. Mauclere. Sanchez. Suarez. Vasq.

2. Suppono 1. statum Religiosorum fuisse à Christo Domino institutum, & ab Apostolis amplexatum, & seruatum. Ita D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. Palud. in 4. d. 38. q. 1. diff. 5. concl. 3. Ledes. de stat. Relig. in comm. cap. 4. concl. 1. pag. mihi 78. Plat. de bon. stat. relig. lib. 2. c. 30. per tot. Vasq. loc. cit. Suar. to. 3. de relig. lib. 3. cap. 2. à n. 3. Maucl. lib. 5. de monar. Eccl. c. 13. p. 2. lib. 5. c. 13. n. 1. to. 1. Sanc. loc. cit. n. 15. & alij cõmuniter DD. & PP. quos adducũt Suar. Vasq. Plat. Et probatur ex illo Matth. 19. vbi Christus dixit cuidam adolescenti, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus;* ex quibus habes votum paupertatis, *Et veni, sequere me*, vbi habes votum obedientiæ per sui ipsius traditionem. De voto castitatis ibidem dicitur, *sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum*, idest, qui se priuauerunt potestate carnalibus voluptatibus vtendi, amore regni cœlorum adipiscendi, alioquin enim eunuchi non essent. Et quòd Christus ibi loquatur de statu Religiosorum, constat manifestè, nam cum adolescens eum interrogasset, quid faceret, vt vitam æternam possideret? respondit Christus, seruanda illi esse mandata; quæ cum se seruasse replicasset adolescens, subiunxit Christus, *si vis perfectus esse, &c.* Quasi diceret, licèt si hominibus in statu seculari existentibus sufficiat pro salute æterna consequẽda mandata seruare, ijs tamen, qui perfectiorẽ vitæ statũ anhelant, nõ sufficit mandata seruare, sed debent præterea omnia, quæ mundi sunt, mundo relinquere, & se totaliter Deo tradere per propriæ volũtatis abnegationẽ, atq. etiã se omnino per votũ castitatis potestate licitè coeundi priuare. Quòd verò Apostoli hunc statum amplexi fuerint, cõstat ex eodẽ Matth. c. 19. vbi Petrus auditis, quæ à Christo fuerãt adolescẽti dicta, nomine omniũ Apostolorũ dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ac si diceret. Ecce, Domine, fecimus, quod iussisti, reliquimus in primis omnes nostras facultates, & potestatẽ amplius eas, vel alias habẽdi, *& secuti sumus te*, dando in manus tuas voluntates nostras, quib⁹ promisimus, nolle facere, nisi quod iusseris, & volueris; in quib⁹ verbis includitur votũ castitatis; cũ enĩ scirẽt, Christũ requisiſſe ab ijs, qui eũ in statu perfectionis sequi voluerãt, etiã castitatẽ, si vouerũt facere, qđ ipse vellet, cõsequẽter etiã vouerũt castitatẽ. Vnde etiã aliquæ Religiones votũ solũ faciũt obedientię in quo includuntur alia duo. An verò Apostoli fuerint Monachi, vel Clerici, dixi fuisse Monachos to. 2. nostr. priu. in cõst. 5. Pij V. n. 3. Quod modo cõfirmo auctoritate Epiph. aduer. hæres. hær. 58. vbi explicas de Apostolis illud Matth. 19. *sunt eunuchi, &c.* ait, *Quid igitur fuerint quã generosi Apostoli, ac monasticã vitã degẽtes, &c.* Et Ber. ad frat. de mõ. Dei, loquẽs de antiquitate stat⁹ monastici, ait. *Res est à Deo familiarissimè celebrata, & ab eius discipulis ipso præsẽte cõcupita*

Epiphan.

Bernard.

3. Suppono 2. ex vi votorũ præcisè nõ posse quemquã ita se alteri subijcere, vt ei in se ipsũ iurisdictionẽ tribuat: licèt enim iurę naturæ personę nulli subiectę possint inter se cõuenire & aliquẽ sibi proponere, qui in ipsas habeat iurisdictionẽ, vt dixi hic supra, c. 1. n. 87. Quę tamẽ alicui subiectæ sũt, id facere nequeũt, quocumq; voto aut iuramẽto interueniẽte, quia esset in præiudiciũ Superioris iã electi. Cũ ergo iurisdictio spiritualis iam tota à Christo Dño collata sit sũmo Pontifici, alijsq. Ecclesiasticis Prælatis cũ subiectione ad illũ, hinc fit, quòd nulla priuata persona possit se ipsã per votũ alteri spiritualiter subijcere, nec in se ipsã alteri iurisdictionẽ præbere; sed ad hoc requiritur, quòd vota ipsa acceptẽtur ab ipso Superiore, vel ipsius nomine; quo fit, vt Regularis Prælati vi votorum præcisè nullã habeãt iurisdictionẽ spiritualẽ in subditos, sed formaliter virtute Põtificis, qui ipsis Prælatis facultatẽ cõcessit ipsa vota acceptãdi; Atq. ita docet Vasq. 1. 2. disp. 165. c. 4. à n. 24. Sanc. 5. in dec. c. 1. n. 10. Hinc fit, quòd, cũ Põtifex Prælatis Religionũ tradiderit eã potestatẽ, quã ipse, vel alij Prælati, & Superiores habebãt super nouitios, si dicti Prælati regulares præcipiãt aliquid nouitijs cũ intẽtione eos ad mortale obligãdi, seu etiã sub pœna excõmmunicationis, hi obedire tenẽtur, nõ vi voti, quod nõ fecerũt, sed vi potestatis, à Põtifice per ingressum Religionis super ipsos receptæ; Quod notat Salas de leg. disp. 8. sect. 18.

Vasquez. Sanchez.

Salas.

4. Suppono 3. totã monasterij potestatẽ apud Prælatum residere; cap. Nullam, 18. q. 2. quæ potestas dicit in Prælato triplicẽ iurisdictionem. 1. est œconomica circa res temporales monasterij, & Religionis. 2. est spiritualis, tã in foro interno, vt confessiones audire, quàm in foro externo, vt casus reseruare, excommunicare, &c. 3. est iudiciaria, prædictis necessariò annexa, vt docet D. Tho. quodlib. 1. ar. 16. vt subditos corrigere, visitare, &c. de quibus omnibus mihi dicendum est in hoc opere. De tertia dicam remissiuè in quæst. 4. De 2. quò ad forum internũ satis dixi in priu. Minim. quòad forum exterius dicam quæst. 3. De prima nunc aliqua. Videatur pro ista potestatis diuisione Vas. loc. cit. n. 28. & 29. Regin. in praxi, lib. 1. à n. 10. Th. à Iesu in expos. suæ reg. c. 10. p. 3. dub. 3.

D. Thom.

Vasq. Reginald. Th. à Iesu

5. Quò igitur ad potestatem œconomicam, cum partes illius sint principaliter duę, homo, & possessio, vt ait Arist. 1. œconom. cap. 2. scire debet Superior, vt paterfamilias, quòd duas res principaliter debet curare, quæ sunt, sub se, nimirum homines idest; subditos, & res, idest facultates. Et circa facultates quomodò dispẽsandæ, concedendæ, cõseruandæ, dixi multa to. 1. huius op. q. 2. & quomodò alienari, vel non alienari possint, dixi etiam multa to. 1. priu. in const. 9. Iulij II. quæ cum satis sint per

Aristotel.

ſe diffuſa, hic non repeto. Solùm tangam aliqua de poteſtate œconomica.

6. Circa familiam igitur, quæ, cũ ſit pars nobilior, & principalior, & propter quã datur poſſeſſio, indiget ſollicitiori cura, & diligentia, aduertendũ, quòd quinq. genera ſubditorũ habere poteſt ſub ſe Prælatus, nimirũ Sacerdotes ſeniores, Sacerdotes iuuenes, clericos, nouitios, cõuerſos; inter hos ſunt aliquãdo infirmi, quandoq. hoſpites; ex his etiam multi viri graues, vel honorata prælaturarum functione, vel laurea ſcientiarum, vel corona ſanctitatis, vel Principum familiaritate; ex his etiam multi ſunt officiales. Cum his omnibus quomodò ſe gerat prudens Superior, vt Deo, Religioni, & ſibi cultus debitus tribuatur, hic inſinuo.

7. Primò igitur in communi ea alijs, & eo modo ſtudeat imperare, quæ ab alijs ſibi imperari optaret, vt dicitur Tob. 4. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide, ne tu aliquando alteri facias.*

D. Greg. & Greg. 2. par. paſtor. cap. 10. ait, *Cuncti quippe, quouſque in hac mortali carne ſubſiſtimus, corruptionis noſtræ infirmitatibus ſubiacemus: Ex ſe ergo debet vnuſquiſque colligere, qualiter alienæ hunc oporteat imbecillitati miſereri, ne, contra infirmitatem proximi ſi ad increpationis vocem feruentius rapiatur, oblitus ſui eſſe videatur.* Et

D. Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 13. ad pop. Antioch. *Non opus eſt*, inquit, *multis ſermonibus, neq. prolixis legibus, nec varia doctrina, voluntas tua ſit lex. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri: vis miſericordiam conſequi? miſerere proximi: vis laudari? lauda alium: vis amari? ama: vis partibus primis potiri? cede illas priùs alteri.*

8. Secundò æqualiter omnibus ſe amicum exhibeat, æqualiterq. omnes in omnibus tractet, ſeq; æqualiter omnibus conformet. Om-

D. Bonau. nia Bonau. de ſex al. Seraph. cap. 6. *licèt enim meliores in affectu præferendi ſint minoribus, & omnes propter ſpem ſalutis in Chriſto amplectendi ſint; in actu tamen exterioris exhibitionis taliter ſe gerat ad omnes, vt nullus ſe ab eo contemni propter alios ſuſpicetur, ſed quilibet ſe ab eo diligi præſumat; & fiducialiter ei, quaſi ſingulari amico, confidat, ne alieni indignatio, & inuidia in aliis nutriatur.* Et ſuperiùs dixerat. *Communem vitam cum cæteris obſeruet, in victu, veſtitu, & labore, vt non vacet conuiuijs, & potationibus, cum alij ſobrio cibo, & potu vtantur; nec ſit eis diſſimilis habitu, cum quibus eſt ei profeſſio communis; nec à labore cæterorum ſe ſubtrahat, qui illos iubet in*

Chryſoſt. *eiſdem laboribus exerceri.* Et Chryſoſt. hom. 58. ad pop. *Vna*, ait, *menſa, & miniſterium ſuſcipientibus, & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita; Et quid miraris*, ſubdit, *quòd vna ſit omnibus diæta, veſtis, & menſa, quippe cum omnibus ſit vna anima?* Hanc vniformitatẽ pluriès præcepit S. P. N. Reg. n. 39 Correct. 65. & dixi c. præced. §. 5. n. 99. Prouideat ergo noſter œconomus ſuis ſubditis de ſufficienti victu, veſtitu, cubiculo, &c. iuxta cõuẽtus facultatẽ; facilè enim ex hoc ad omnẽ regularem obſeruantiã illos cõpellet, dũ ea, quæ neceſſaria ſũt, illis ſubminiſtrabit. Ex auaritia namq. Prælatorũ quãplurima animarũ diſpendia oriuntur. Quot, Deus bone, monaſteria reformarẽtur, ſi Religioſis neceſſaria tribuerẽtur de cõmuni penu? Aduertat hic noſter œconomus, quòd non deſinit eſſe æqualis diſtributor bonorum monaſterij ex eo quòd alicui plus indigẽti plus tribuat; Act. enim 4. dicitur, *Diuidebatur ſingulis, prout cuiq; opus erat*, & tamen erãt illis omnia cõmunia. Quod aduertẽs legiſlator noſter in Corr. n. 109. ait, *Verùntamen ſi aliquãdo cauſa frigiditatis, aut infirmitatis aliquis ſe pluribus tunicis egere aſſerat, illi tamquam Dei ſeruo credatur, & eidem, iuxta loci facultatem charitatiuè*

D. Auguſt. *prouideatur.* Et Aug. lo cap. 1. ſuæ reg. ait, *Non æqualiter omnibus diſtribuatur, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potius vnicuiq. prout cuiq. opus fuerit.* Ad hanc vniformitatẽ etiã pertinet omnibus æqualiter ſe affabilem præbere, tã ma-

Bonauent. ioribus, quam minoribus. Bon. loc. cit. *Sit etiam* ait, *humilis affabilitate, vt ſubditi facilem acceſſum ad eum habeãt, & fiducialiter ei loqui de quibus indigent, audeant, & patienter eos audiat, & benignè eis ſatisfaciat, & ſtudioſè inſtruat, & alacriter exhortetur; ſtudeat magis amari, quàm timeri, quia libentiùs obeditur ei, qui diligitur, quam qui timetur.* Et notet noſter œconomus pro æqualitate ſeruanda pulcrum dictũ Philonis lib. de creat. Princ. ad fin. *Eſt æqualitas mater iuſtitiæ Eſt lumen clariſſimum: Sol, vt ita dicam, ſectilius; ſicut è diuerſo inæqualitas tum in defectu, tum in nimietate, fons, & origo caliginis.*

9. Senes autẽ, vt ad particularia deſcendam, honoret, illorũ neceſſitatibus occurrat, etiã nõ petitas ſubminiſtret, patiẽter eorũ grauedines ſupportet, vt libet ſæpius cõſoletur, conſiliũ ab ijs petat, etiã ſine neceſſitate, vt eos nõ contẽnere videatur; ſatagat in primis, vt à iunioribus honorentur, & non permittat, vt quidquã ſeruitij illis deſit, memor quòd hæc ſibi fieri gaudebit, ſi ad ſenectutem peruenerit. De hoc honore, & qui ſint illi ſenes, quibus talis honor debetur, plene dixi to. 2. priu. in cõſt. 6. Pauli V. n. 4. 9. & ſeq.

10. Sacerdotes verò iuuenes frænandi, omnia enim licẽtia ijs propter carnẽ, & ſanguinẽ aliquãdo cõceſſa, grauia dãna ſolet in Religione cauſare. Obedire ergo eos aſſuefaciat, ex eo namq; quò ſacerdotes ſunt, nõ debẽt eſſe magis licentioſi; in nulla re, quæ regularẽ obſeruantiã tangat, relaxet; mortificatè viuere, domiq. manere cõpellat. Quod ſi foras ſit aliquãdo exeũdum, omnino caueat, ne ſociũ ad electionẽ cõcedat, nec eumdẽ ſæpius, ad mentẽ Clem. VIII. vt cõſtat ex conſt. 10. Vrb. VIII. to. 2. noſtr. priu. §. 36. immò ſẽper non gratũ, vt & à petẽdo exitũ abſtineat, & foris, ſibi à ſocio cũ oporteat cauere, religioſè tractet. Nullo pacto permittat vel licẽtijs, quibus ſacerdotes ſeniores, nec omni reuerẽtia, qua illos, cohoneſtet; nimias inter ſe ipſos familiaritates exterminet; ne conuẽticula celebrẽt prohibeat. Otioſitatẽ, vitiorũ omniũ matrẽ, tamquã peſtẽ fugere adigat; otioſos, ſi quos aliquãdo reperiat, obiurget acriter, ſeuere puniat, & magis laborare cogat. Hinc enim ſeditiones, cõſpirationes, monopolia, rixæ, diſcordiæ, murmurationes, Superiorum contemptus, regulæ tranſgreſſiones, & diſciplinæ regularis eneruationes.

11. Clerici adhuc magis frænãdi. Eos à magiſtri ſeueriori ferula nõ amoueat, durè vt nouitios tractet; quid enĩ iuuat illa aſpera, & dura nouitiorũ tractatio, ſi ſtatim, facta profeſſione, iugũ excutiatur? Mitiùs ergo ſẽper cũ nouitijs agen-

agendum existimaui, quàm cum clericis nouiter professis, illi enim, vt iugo nondum assueti, si asperrimum absq. aliquo leuamine eis superimponatur, succumbent faciliè; isti iam aliquanto assueti tolerabiliùs ferre possunt; nouitij præterea expulsionis timore, si nō amore virtutis, timidiores, & obedientiores; clerici eo carentes, audaciores, & insolentiores esse solent, vnde durissimè tractandi, prudenter tamen, ne frangantur. Diuinis diu, noctuq. interesse imperet, non interessentes publicè cum ludibrio corrigat, & castiget. Cum sacerdotibus practicare nullo modo sinat. Nimias inter se ipsos familiaritates radicitùs euellat, verba, nutus, actiones eorum diligenter notet, præsertim quando non aduertunt; quid diu, noctuq; gerant, scire curet; inclinationes eorum per se, vel per alios sibi similes cognoscere studeat, cognitis secundùm sibi traditam prudentiam adhibeat medicamina; cellas eorum, & capsulas diligenter, & sæpe scrutetur; ne quid recipiant tam à secularibus, quàm à fratribus, strictissimè inhibeat: inter se ne quidquam ad vsum sibi concessum commutent, prohibeat; multò minùs ne distrahant: foras egredi nullo vnquam tempore sinat; quòd si exigat necessitas, cum solo magistro: ne vnus alterius cellam ingrediatur, vetet, multò minùs quòd in ea moretur, etiam aperta ianua: in sacerdotum, aut conuersorum cellas penitùs ingredi non permittat, foribus etiam reseratis: studijs, & orationi assiduè intendere adigat, negligentes absq; misericordia puniat; impietas enim est misereri, quando non oportet, & quorum non oportet: numquam otiosos esse permittat; ait enim

D. Chrysost. Chrysost. hom. 38. in Matth. quòd *otiosa iuuentus imprudenter educata, omni ferocissima bestia immanior est*.

12. Cum ex nouitiorum educatione tota pendeat Religionis obseruantia, vt notauit Clemens VIII. in const. 10. Vrb. VIII. cit. §. 79. & adolescentium educationem esse fundamentum totius Reipublicæ dixerit Diogenes, curet

Diogenes. in primis noster œconomus, ne ad habitum recipiantur, qui requisitas conditiones non habeant, receptos studeat in timore Dei, & Religionis obseruantia educari; faciat leuiter probare dura, & aspera; studeat eorum inclinationes, actiones, verba, & nutus cognoscere; mortificationibus assuefaciat; acriter reprehendat, & aliquando insontes, ad experimentum virtutis, & eos exerceat in patientia, quæ est regina virtutum, & Religiosis simpliciter necessaria. Ad quæ eum inuitat Sapiens Ecclesiastici 30. *Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ*. & supra *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet*

Salomon. *præceps*. Et Salomon Prou. 23. *noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis*. Prudentia tamen in his opus est, ita vt si vna manus percutiat, ambæ sanent. Foras egredi nullo pacto permittat, quòd si quandoq. necessitas postulet, cum solo magistro, vel eius socio. Parentes rarò alloqui sinat, vt eos obliuisci assuescant. Et sciat,

quòd omnis; & quiuumq; labor hac occasione toleratus, in maximum honorem Dei, & Religionis vtilitatem redundat; sciatq. etiam, ad id se iure diuino, & naturali teneri; & quòd de negligentia est rationem redditurus illi, qui iudicaturus est viuos, & mortuos.

13. Conuersorum cura non est negligenda, immò maximè curanda; & ego in ea sum opinione, vt credam, illorum educationem diligentiori cura esse procurandam, quàm clericorum. Ducor, quòd hi soli, vt plurimum per ciuitates ambulent, & Religiosus, qui sine teste ambulat, maximè debet esse mortificatus, ne scandalizet: hi etiam frequentiùs, immò quotidie, seculares alloquuntur, vnde deberent esse valdè instructi in perfectione, vt eos ædificarent, in eaq; multùm radicati, ne picem tangendo, ab ea inquinentur; Demùm ne secularium mores in Religionem inducerent. Nescio tamen quo incantamento ita eorum cura negligatur in Religionibus. Curet igitur noster œconomus, eos ad Religionem recipi, qui cum pietate, & deuotione corporis vires coniunctas habeant, vt supportandis Religionis oneribus apti existant, curet, eos omnes in vno conuentu sub vnius magistri disciplina educari, & si fieri potest, nouitiatus tempore in quæstuationibus non occupet, maximè si soli eas facere debent; cum enim vt plurimum sint moribus rudes, ruditatem illam nō possunt sic breui relinquere, vnde licèt optent ædificare, destruunt persæpe: studeat eos imbui bonis moribus: sermonibus de disciplina regulari abesse nō permittat: inculcet sæpe illis fidelitatē promissam, vel promittendam: moneat eos mortaliter peccare, si fuerint negligentes in ministerijs, ad quæ fuerint deputati, ad hoc enim recipiuntur in Religionibus, vnde, si sunt negligentes, fraudant Religionem. Et ita in hoc puncto docet A S. Fausto in thes. relig. lib. 6. q. 179. nu. 3. Et ante omnia vigilet, an singulis hebdomadis pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta recipiant, iuxta inueteratam, & laudabilem consuetudinem in Religione nostra. — *A S. Fausto*

14. Infirmos visitet semel ad minus in die, eosq. consoletur. Curet vt infirmarius diligens sit, & charitatiuus; infirmus enim, qui sibimet subuenire nō valet, eo ipso ampliùs tribulatur, cum ab his, à quibus deberet non consolatur, non à miseria per compassionem subleuatur, iuxta illud psal. 68. *sustinui, qui simul mecum contristaretur, & nō fuit, qui cōsolaretur, & nō inueni*. Quòd si in aliquo offendat ægrotus, in quo reprehensione sit dignus, vel excuset propter infirmitatem, vel differat, quousque melius se habeat; vel, si quid ei dicendum sit, ita dulciter moneat, vt ægrum sanet, non exasperet, infirmitati potiùs, quàm infirmo, erratū tribuendo. De omnibus necessarijs prò sanitate celeriùs restauranda prouideat. Quod nostris Correctoribus præcipitur in Reg. n. 56. per obedientiā ad mortale obligans, & est vnicum, & solū præceptum in Regula ad mortale obligans, vltra vota. Et notanda etiā traditio, quā ab antiquis accepimus, quòd aliquādo interrogatus S. P. N. quid faciendū, quando in aliquo conuētu pauperrimo non esset cōmoditas prouidēdi infirmis de necessarijs, respōdit, *vasa vendidas esse*

 campa-

campanae, & salicet, & infirmo succurrendum. Vnde etiam in Reg. nn. 32. & Correct. nn. 56. ait, *præterea charitatiuè semper obseruetur, quod cunctis diuino, ac naturali sanguore calitus vifitati, nedum in dictis ieiunijs, sed etiam in cunctis vigilijs, & quibuscumq. Ordinis huius oneribus benignè supportentur, & cibis quadragesimalibus abundantius, quàm sani, refocillentur,* &c. Aduertat etiam Superior, quòd fratri dicenti se esse infirmum credere debet, etiamsi aliqui ex malitia, vel illusione in animarum suarum dispendium aliquando mentiti fuerint; nam alioquin euenire posset, vt verè indigentes paterentur; quòd optimè notauit Bonau. de sex. al. Seraph. cap. 4. Et fundatur in l. Absentem, ff. de pœnis, vbi dicitur, quòd meliùs est absoluere nocentem, quàm condemnare innocentem. Et Aug. id expresse præcepit in sua reg. cap. 9. dicens. *Si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.* Si infirmitas sit periculosa, curet, vt semper in infirmi cella diu, noctuq; Fratres assistant, omnia iuxta medici præceptum obseruari curet. Si sit de sanitate desperatus, mandet expertis Fratribus, vt moribundum adiuuent: sacramenta ministrari faciat, &c. iuxta formam nostri Ritualis.

D. Bonau. D. August.

15. Hospites quomodò recipiendi, tractandi, & honorandi, vide tom. 2. nostr. priu. in constit. 6. Vrb. VIII. num. 1.

16. Cum viris grauibus functione honorata dignitatum prudenter admodùm gerere se debet noster œconomus, & in primis naturalem eorum inclinationem inspicere; nam si ambitiosi sunt, erunt etiam necessariò inquieti, seditiosi, & conciliatione amicorum, in prælationibus acquisitorum, superbi; vnde omnino frænandi sunt, & potiùs prudenter contemnendi, quàm æstimandi, ad hoc vt humilientur. Prohibeat omnino illis nocturna conuenticula, & diurnas etiam in cella, vel alibi fratrum congregationes; à communibus aliorum Fratrum obsequijs chori, missarum, confessionum, refectorij, &c. exemptos esse non patiatur. Non eis, in publico præsertim, multum tribuat, illosq; verbis potiùs, quàm factis pascat; in eorum tamen gratiam quædam aliquando minora faciat, ne contemnere videatur. Si vero sint humiles, & sua sorte contenti, nouitatum non amici, multùm eos æstimare debet, sunt enim ad obedientiam maximè prompti, cum imperando obedire didicerint, illorum consilijs vtatur, habent enim multarum rerum experientiam; conniueat, si non tam frequentes in cõmunitatis obsequijs aliquãdo fuerint. Hæc eadem seruanda sunt cum viris grauibus laurea scientiæ: cum enim scientia ex se inflet, si inflati sint, humiliet; si humiles, exaltet, ædificant enim hi quotidie in cœlo, Ecclesiamq; Dei proprijs humeris sustentant.

17. Cum viris grauibus corona sanctitatis nullum erit Superiori negotium; isti enim nutibus obediunt, regulam, & regulares constitutiones adamussim seruant, neminem lædunt, neq; verbis, neq; nutibus, neq; factis, læsi tolerant, in obsequijs communitatis assidui; si egent, humiliter petunt, si recipiunt, gratias agunt; si denegetur, patienter sustinent, linguã frænant, omnia in bonam partem accipiunt; confratrum defectus non accusant, immò excusant, maximè Superiorum; si excusare non possunt, compatiuntur, alijs virtutibus cooperiunt, alijs omnibus se peiores æstimant, proprios defectus semper augent, & publicãt, virtutes tacent; istos cœcus Superior regere potest, cum alios neq; oculatus ante, & retro sufficiat. Solùm debet aduertere circa istos Superior, ne indiscreto feruore ducti, mortem, vel malam sanitatem sibi indiscretis pœnitentijs consciscant. Cauendum etiam maximè, an verè tales sint, quales foras videri satagunt, nam angelus satanæ se aliquando in angelum lucis transfigurat, & lupus non raro ouinam pellem induit: quare tunc maximè obseruandi sunt, & plagæ eorum non sunt tacendæ: ait enim Naz. or. 1. num. 60. *Quidam etiam ad minima vsq; ac leuissima obseruandi sunt nimirum qui eo quòd peccata sua obscura, & incognita esse putant (quandòquidem id moliuntur) tamquam sapientiores animo inflantur.* Greg. Naz.

18. Cum ijs, qui habent familiaritatem cum aliquo Principe, vel quia sunt eius confessarij, vel consiliarij, vel theologi, arduum erit Superiori negotium; cum enim isti, communiter loquendo, aulas sequantur quotidie, aulicorum mores ita induunt, vt verè aulici fiant, vnde monita Superioris spernunt, correctiones fraternas rident, punitiones cum Superioris irrisione vitant, si illis secundetur, fiunt intolerabiles; si resistatur, indignantur ita, vt indignationem cadere super Superiorem Principis auxilio pro posse curent. Malum negotium, è Religionibus eradicandum: honorat enim leuiter in cute, & lædit enormiter in carne; Hæc, & peiora didici à S. Basil. in const. mon. cap. 21. vbi ait. *Qui maiorem in modum secularium hominum amicitia delectatur, eaq; vt assiduè cum illis esse inter colloquijs cupit, is ex frequenti cum illis sermone prauas eorum affectiones in animum facilè insinuauerit, & mente rursum cogitationibus mundanis completa, à præclara illa, quam eras aggressus, instantia operis discessit, & à se deinceps proscripta vita spiritualis stabilitate quem ex animo effuderat, vitæ prioris vomitum resorbebit. Atq; adeò sancius tandem concides miserè confixus ab hoste.* Et S. Ephre. tom. 2. paræn. 46. in princ. ait. *Qui conuersationibus gaudet mundanis, seculum nondum se odisse ostendit: nam sicut qui ignem excitat, flammam suscitat, ita & mundana colloquia passiones, atq; affectiones prauas in corde Monachi commouent.* Quid faciet ergo Superior cum istis? Studebit ne illis placere? At non consentit ille, qui dixit, *si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem,* ad Gal. 1. Dissimulabit ne? sinet ne, eos secundùm proprium sensum viuere? Non sufferet. Ezechiel cap. 33. *si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de ijs animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram* Et S. Prosper lib. 1. de vita contempl. c. 20. ait, *speculatorem dedi te, hoc est dicere; si ei peccata sua non annunciaueris, si eum non argueris, vt ab impietate sua conuertatur, & viuat; & te, quia non increpasti, & ipsum, qui, te tacente, pecca-*

S. Basil. S. Ephrem. Ezechiel. S. Prosper.

præcaris, flammis perennibus perdam. Armet se ergo Superior zelo amoris Dei, induat loricā iustitiæ, sumat scutum inexpugnabile veritatis, & cum galea prudentiæ det vnicuiq; iuxta opera sua, & accipiet coronam gloriæ. Et licèt si his artibus nihil proficere videatur aliquādo obstinata Principis tuitione, proficit tamen, quia sæpe Principum stomachi, vt delicatuli, non diu sustinent cōtinuatum cibum; & quādo aliquid inordinatum causa talis Religiosi acciderit, excusabitur Religio, & apud Principem ipsum, & apud auiam, & populum.

19. Officiales etiam habet sub se plurimos noster œconomus, Seniores, Bibliothecarium, Magistrum nouitiorum, Lectores, Sacristam, & eius socium, Procuratorem, Clauigeros, Dispensatorem, Coquum, Ianitorem, Refectorarium, Infirmarium maiorem, & minorem, Cellarium, seu hospitum receptorem, Emptorem, Quæstuarios.

20. Circa Seniores, curet in primis ad tale munus assumi viros graues, prudentes exercitatos, discretos, qui cum opere, & sermone iuuare possint. Eos in consilium adhibeat; & illorum requirat, & expectet consensum, vbi, & quando secundùm Regulam opus fuerit. Caueat in Ordine nostro ne vllam sibi præeminentiam contra Correct. num. 74. vsurpent.

21. Circa Bibliothecarium, hoc officium in hac Genuensi Prouincia est triennale, & datur solum viris qualificatis. Videat tamen noster œconomus, an diligens sit in officio; an libri recto ordine collocentur, & conseruentur; an ex bibliotheca extrahantur; an aliquis deficiat, an diligens sit in ea augumentanda; an librum habeat, in quo notet libros, qui commodantur Lectoribus; an eos suo tempore studeat recuperare; an bibliotheca conseruetur munda, rectè composita; an bis in hebdomada eam verri curet; an semel in mense puluerem ex libris excuti; an libri humiditate, vel alia re lædi sinat; an tempore, & tineis corrosos libros reparari studeat.

22. Circa Magistrum nouitiorum, curet, vt eligatur habens conditiones requisitas, iuxta const. Clem. VIII. quam habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 92. vt scilicet sit affabiliter grauis, & grauiter affabilis prudentia, & charitate refertus, zelum Dei cum mansuetudine præferens, ab omni ira, & indignatione alienus, qui non tam metui quā amari concupiscat; curet vt nouitios in regulari disciplina instruat; in oratione mentali exerceat; mortificationi eos assuefaciat, sit eorum pater, & magister, non nutrix, quæ corpus solum effingere, non animum studeat; in patre relucet pietas, qua maior nulla, iuxta illud psal. 102. *quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, & Homer. in Odys. *mitis*, inquit, *eris patris instar*; in magistro seueritas, iuxta illud Prou. 29. *virga, atq; correctio tribuunt sapientiam*, & Horat. lib. 1. epist. 11.

Homerus.

Horatius.

Sic iteras voces, & verba cadentia tollis, (re;
Vt pueri sano credas dictata magistro Redde-

Videat ergo noster œconomus, quòd Magister nouitiorum sit piè sæuiens, eripiendo noxios, erigendo lapsos, seruando fractos, solidando debiles, iustè consolando misericordia, & piè sæuiendo disciplina.

23. Circa Lectores, an seruent præceptum Patriarchæ nostri Reg. num. 41. *Omnes insuper Lectores ita suas forment lectiones, quòd eorum auditores ad ædificatoriè prædicandum, & confessiones audiendum idoneos, & aptos efficiant.* Attendat, an verbo, & exemplo discipulos doceant; an vana, superflua, scurrilia inter legendum misceant; an studentes circa mores quidquam peruersum doceant.

24. Circa Sacristam attendat, an obligationibus missarum punctualiter satisfieri curet, an librum habeat, in quo & missarum obligationes, & sacerdotes celebrantes notentur singulis diebus, deq; hoc ab eo saltem singulis mensibus rationem exposcat, illiq; in hoc non quiescat; an pulset horis determinatis ad officium diuinum; an fratres diligenter excitet ad matutinum, & ad primam; an temporibus debitis officia, & missas pro nostris defunctis celebrari faciat; an externos sacerdotes sine debitis literis testimonialibus ad celebrandum admittat; an eleemosynas, ad sacristiam peruenientes, statim, & fideliter Superiori notificet; an sanctissimum sacramentum decenter custodiatur; an calices, corporalia, purificatoria, mappas munda asseruentur; an Ecclesiam debitis paramentorum coloribus iuxta temporum varietatem ornet; an paramenta congruo loco asseruentur; an Inuentarium sacristiæ diligenter custodiatur; an res laceras resarciri curet.

25. Circa Sacristæ socium attendat, an sit obediens Sacristæ; an modestè incedat per Ecclesiam; an modestè, oculisq; demissis, quando rogatur, mulieres, aliasq, personas alloquatur; an modestè respondeat interrogatus; an attentè, cum deuotione, & ædificatione sacris inseruiat; an vestimenta, quibus induuntur missaturi, sint rectè aptata; an candelas, & hostias paratas teneat; an sit diligens in vocandis missis inseruituris; an vinum eo die haustum ministret, ampullas, candelabra, lampades mundet, accensas teneat, Ecclesiam verrat; an Ecclesiæ portas horis destinatis aperiat, & claudat; an Ecclesiam apertam sine custode relinquat.

26. Circa Procuratorem; videat, an diligēter, & ædificatoriè eleemosynas quærat; an habeat catalogum deuotorum, qui eleemosynas faciūt an eos conseruet, & augeat; an eleemosynas fideliter ad conuentum deferat; an temporibus debitis conuentus redditus exigat. Iubeat illi ne locet, vendat, contractus ineat, in iudicio compareat, lites incipiat, transigat, &c. absque Superioris licentia; videat, an litibus inceptis ex necessitate diligenter assistat, peritos consulat, rem suam absque odio, iniurijs, & lamentationibus agat.

17. Circa Clauigeros, qui & Quinternarij esse solent; an fideliter scribant tam receptum, quàm expensum, an errores in computando faciant; an claues fideliter custodiant.

28. Circa Dispensatorem; an res conuentus ad victum pertinentes, fideliter custodiat, conseruet, æqualiter dispenset; an ea dissipet, dispergat, distrahat intùs, seu extra conuen-

conuentum, corrumpi finat; an vinum rationabiliter temperet; an pauperibus eleemosynas faciat; an Fratribus necessaria deneget, tribuat superflua; an dolia, cœteraq; suæ curæ commissa vasa bene conseruet. Quòd si dispensator sit etiam coquus, vt in Ordine nostro communiter, an munditiam, & in se, & in sibi seruientibus seruet; an cibos rationabiliter secundùm religiosam paupertaté paret; an portiones æquales omnibus tribuat; an aliquod particulare obsonium alicui paret, vel tribuat absque Superioris licentia; an ligna, carboné, &c. plus, quàm opportet, comburat; an quæ ex mensa superfluunt, conseruet; an habeat inuentarium omnium supellectilium ad coquinam pertinentium, de quibus est suo tempore rationem redditurus, an verba scandalosa, & minimè religiosa proferat; decet enim Dispensatorem, & coquum, qui cum omnibus etiam nouitijs quotidie colloquuntur, esse maximè modestos, & religiosos.

29. Circa Ianitorem; an discretus sit, & modestus; an pauperibus eleemosynas petentibus benigne respondeat; an ianuam clausam semper teneat; an ianuam pulsantibus semper religiosis verbis *Deo gratias* respondeat; an vocet Fratres, quando ab aliquo vocari mandantur; an vocet eos quando sunt in choro, refectorio, vel capitulo; tunc enim dedecet eos vocare, sed debet rogare vocantes vt parumper per charitatem expectent, nisi conditio personæ vocantis, vel grauitas negotij aliud exigeret; an ianuam horis sibi à Superiore statutis claudat, vel aperiat; an cum mulieribus ad portam confluentibus diu loquatur. Et vtile admodum esset, vt Ianitor inter cœtera haberet illam conditionem, quam in illo requirit Ar. 1. de re fam. cap. 6. fine; vt scilicet esset inutilis alijs muneribus, puta si esset claudus, mancus, senex; sic enim cum non posset multùm laborare, minùs occuparetur, & sic sedulus admodùm esset in suo officio. *Aristotel.*

30. Circa Refectorarium; an curet, vt omnia, quæ vsui refectorij deseruiunt, sint munda, ne aqua manibus abluendis, aut mantilia extergendis desint; an mappas singulis hebdomadibus mundas reponat; an cyathos, lagenas, salina munda conseruet, an desint in refectorio; an quæ superfluunt ex mensa, Dispésatori tribuat; an aliquid ex se dispenset absque Superioris potestate.

31. Circa Infirmarium maiorem; an adsit aduenienti medico; an eum aduocet, quando est necessarium; an infirmos continuè visitet; an eis faciat per minorem Infirmarium ministrari quæcumq; à medico præscripta fuere, & eo tempore, & modo; an quæ ęgrotis danda sunt, eis opportunè studeat, & diligéter præparari; an aduertat, quo die quis cœperit ęgrotare, & qua hora febris infirmum corripuerit, & deseruerit, vt monere possit medicum, & ad hoc vt cœnam, vel prandium anteuertere, vel postponere possit, præsertim si infirmus iuuenis sit, qui ad hæc non aduertat; an Superiorem admoneat, quando infirmi salute periclitantur, ad hoc vt deputet, qui de illorum animabus eo casu curam gerat; an defunctorum corpora Religionis more parata, ad ecclesiam, & sepulturam deferri curet.

32. Circa Infirmarium minorem, an promptè in omnibus obediat maiori; an cibos ordinatos à medico religioso studio præparet, tempore ab illo signato ministret; an præter ordinata à medico aliquid infirmo largiatur in eius perniciem sanitatis; an ægrotorum cubicula mundet; an scaphia, matulas diligenter abstergat, lectos quotidie sternat, flosculis, & ramusculis ad exhilarandum ægrotum cubiculum ornet; an ægrotos iucundis, sed religiosis verbis alloquatur; an patienter, & charitatiuè infirmos supportet.

33. Circa Cellarium; an cellas mundas retineat; an hospites hilariter recipiat, eisq; cellas iuxta religiosam paupertatem ornatas tribuat; an lectos concinnè sternat, lodices, culcitras laneas, cerulcalia, puluinaria munda largiatur; an, si quid ab hospitibus in dictis cellis per obliuionem relictum fuerit, statim Superiori denunciet; an, si quid defuerit in Fratrũ cellis, caritatiuè donet; an in distribuendo, quę sub illius sunt potestate, æqualitatem seruet; an postulanti Fratri quidquam, quod ipse non habeat, mitè respondeat, seruans illud Eccl. 18. *& verbum bonum melius, quam datum.*

34. Circa Emptorem; an sit diligens, & fidelis; an res bonas emat, & honesto pretio; an ædificet quibuscum agit; an à Superiore iniuncta punctualiter obseruet; an quolibet die de expensis Superiori exposcenti rationem reddat.

35. Circa Quæstuarios; an sint diligentes in eleemosynis quærendis, fideles in afferendis, deuoti in petendis, modesti in respondendo, parci in interrogando, exemplares in ambulando, patientes in sufferendis indiscretorum secularium verbis iniuriosis, seu immodestis.

§. 1. de cura, quam debet habere Prælatus de bonis temporalibus Religionis.

36. VLtra potestatem, quam habet Prælatus in personas suorum subditorum, habet etiam potestatem in bonis temporalibus sui conuentus; quam potestatem in Ordine nostro esse apud Correctoré, dixi cap. præced. nu. 125. & iure communi id esse verum, constat ex cap. Nullam, 18. q. 2. & cap. Edoceri, de rescrip. & probat Suar. to. 4. de relig. tr. 1. lib. 2. cap. 16. nu. 2. & 4. Nau. com. 3. de reg. num. 5. ver. Secundò quæritur. Panor. in dicto cap. Edoceri, num. 2. Potestas autem ista secundùm Art. 1. œconom. cap. 6. & 1. de re fam. cap. 6. dicit quatuor. 1. dicit ius acquirendi 2. ius conseruandi 3. ius rebus acquisitis vtendi in honoré, & ornamentum conuentus, & ecclesiæ 4. ius ijs fruendi secundum rationis iudicium. *Suarez. Nauarr. Panorm. Aristotel.*

37. Circa 1. debet Prælatus procurare bona temporalia, medijs tamen licitis; nam alioquin non posset necessitatibus Fratrum, conuentus, & ecclesiæ prouidere. Duobus autem modis licitè acquirit. 1. eleemosynas petendo, seu sponte oblatas recipiendo 2. terram, seu possessiones ex eleemosynis habitas colendo. Eleemosynas petere, seu oblatas recipere, ijsq; viuere habent ex instituto Mendicantes, & id

licitè

D. Thom. licitè fieri posse, probat D. Th. 2.2.q.187. ar.4. & opusc. 18. contra impugnantes Religionem, cap. 7. *D. Bonau.* Bonau. to. 1. opusc. de paupert. Christi, q. 2. *VVald.* VVald. tom. 1. doctr. fid. lib. 4. ar. 2. à cap. 4. Christus enim mendicauit in publico; nam cum remansisset in Ierusalem, vacasseq; tribus diebus, quibus quærebant eum parentes, *Luc.* Lucæ 2. istis tribus diebus victum sibi mendicando quæsiuit secundùm Aluredum, relatū à *VVald.* VVal. loc. cit. cap. 4. num. 3. & *D. Thom.* D. Th. loc. cit. ar. 5. in arg. Sed contra. Benedictus ex eleemosynis, sibi à Romano Monacho ministratis, tribus annis in specu vixit. Alexius item. Vterq; pariter Franciscus.

38. Et quòd Religiosi laborare manibus non *D. Thom.* teneantur, probant ijdem DD. D. Th. opusc. cit. *D. Bonau.* c. 5. & 2.2. cit. ar. 3. Bonau. in opusc. cit. q. 3. & *VVald.* in reg. Minor. q. 11. VVald. loc. cit. ar. 2. à cap. 24. *Mersenn.* Mersennus cap. 2. Gen. vers. 15. q. 26. Et est optima ratio D. Th. illo cap. 5. Nam vel laborare manibus est præceptum, vel consilium. Si est consilium, nullus tenetur ad laborandum manibus, nisi qui ad hoc voto se astrinxit: Ergo Religiosi, qui ex sua regula non habent, quod debeant manibus laborare, ad laborē manuum non tenentur. Si autem est præceptum, cum ad præcepta diuina, & apostolica æqualiter teneantur Religiosi, & seculares, non magis ad laborem manuum tenentur Religiosi, quàm seculares, Ergo si licebat alicui sine labore manuum viuere, quando erat in seculo, idem ei licebit, quando erit in Religione. Vnde summi Pontifices concesserunt, vt Religiosi eleemosynas quærere possent, & quòd à nullo possent impediri, vt dixi to. 1. priu. in const. 4. Sixti IV. num. 40.

39. Tenetur etiam Prælatus possessiones conuentus diligenter colere; Tum vt tamquam bonus paterfamilias possit filijs alimenta præ- *Sayrus.* bere, vt Sayr. in claui reg. lib. 7. cap. 7. num. 6. Tum vt procurator, vt dicitur in cap. Fraternitatem, de donat. Tum vt minùs onerosus sit populo, & minùs importunus in eleemosynis quærendis. Tum ad vitandum scandalum: videntes enim seculares, agros Religiosorum quæstuationis spe non curari, scandalizantur de eorum pigritia, & inertia, & quòd, cum possint viuere de suo cum aliquo labore, velint alienos sudores otiosè comedere, præsertim cum agri ideo Religiosis à pijs viris relicti sint, vt commodiùs, & sine tanto ciuitatum grauamine viuere possent.

40. Sed hic multæ se offerunt difficultates. 1. Qua ratione possint Religiosi licitè ex eleemo- *D. Thom.* synis viuere. Ad quam R. à D. Th. 2.2. q. 187. ar. 4. corp. 1. quia vnusquisque absque scrupulo potest viuere de eo, quod suum est, sed eleemosynæ perpetuæ, vel temporales collatæ à liberalitate fidelium Religiosis, actibus religionis insistentibus, factæ sunt illorum propriæ: ergo de illis possunt licitè viuere. 2. quia quilibet viuere potest de eo, quod sibi debitum est, sed eleemosynæ debitæ sunt Religiosis; tum propter necessitatem, quia. s. præ infirmitate non possint sibi manibus laborando victum quærere; vel quia non possint quærere quantum sufficiat; vel quia non sint assueti laborare, vtpotè qui in seculo numquam laborauerint. Tum propter opera spiritualia; quæ fidelibus impendunt, prædicando, altari seruiendo, sacramenta ministrando, studio sacræ scripturæ mediatè, vel immediatè incumbendo, diuinis laudibus in choro interessendo; qui enim altario seruit, de altario viuere debet, 1. Cor. 9. Posset etiam ex eleemosynis in monasterio viuere, qui bona temporalia, quæ habebat in seculo, ad monasterium detulisset.

41. 2. difficultas est; An possit contingere, quòd eleemosynarū vsus sit Religiosis illicitus. *D. Thomas* Ad quam à D. Th. loc. cit. R. posse 1. si Religiosi cessent à religiosis actibus, defraudant enim tunc benefactores participatione bonorum operum, quorum spe eleemosynas erogarunt. 2. si velint in Religione otiosè viuere, absque vlla vtilitate, vel necessitate ex supra dictis, & absq; eo quod aliquid ad Religionem detulerint. Quemadmodum solent facere aliqui, qui cum in seculo panem in sudore comederent, in Religione, postea laborare erubescunt, dominari prætendunt, & Cæsarum se sanguine natos *D. August.* deprædicant. De quibus loquens Aug. de oper. monach. cap. 22. ult, *Plerumq; ad hanc. professionem seruitutis Dei, & ex conditione seruili aliqui veniunt, & ex vita rustica, & ex opificum exercitatione, & plebeio labore, tanto vtique felicius, quanto fortius educati, qui si non admittuntur, graue peccatum est; multi enim ex eo numero verè magni, & imitandi extiterunt: de quibus non apparet, vtrum ex proposito seruitutis Dei venerint, an, vitam inopem, & laboriosam fugientes, vacui pasci, atq; vestiri voluerint, & insuper honorari ab eis, à quibus contemni, conteriq; consueuerant. Tales ergo, si, quominùs operentur, de infirmitate corporis se excusare non possunt, præteritæ quippe vitæ consuetudine conuincuntur.* Et paulò infra de ijsdem ait. *Vtinam isti, qui vacare volunt manibus, omnibus vacarent, & linguis;* inquietarant enim & stridoribus, & murmuribus mentes, & corpora illorum Religiosorum, qui volunt panem bene operando lucrari. Dicit verò Cai. illa *Caietan.* q. 187. ar. 4. circa fin. quòd si quis Religiosus regulam seruaret, & caueret à transgressione præceptorum, sed pigritia, ac inuigilantia in ipso regnante, quasi inutilis viueret in monasterio, peccaret quidem, sed non mortaliter, viuendo ex monasterij prouentibus, & deberet huic dici, Qui non laborat, non manducat, & deberet cogi ad operandum.

42. 3. difficultas. An ijs casibus, quibus eleemosynarum vsus esset huiusmodi Religiosis illicitus, peccatum esset ex eleemosynis viuere, an verò solùm esset peccatum non facere ea, propter quæ eleemosynæ donatæ sunt. Ad hanc R. Val. to. 3. disp. 10. q. 5. p. 3. ver. Sed occurrunt *Valent.* hic, quòd formaliter est talibus Religiosis illicitus vsus eleemosynarum ita vt non possint ex illis viuere, tenentur enim eas eleemosynas vsurpare eo fine, quo à benefactoribus datæ sunt; sed datæ sunt vt Religiosi religiosè viuant insistentes diuinis obsequijs, & sic benefactores participes faciant suorum bonorum operum; cum ergo id non faciant, qui otiosè, & irreligiosè viuunt, sequitur, quòd non possint ex dictis eleemosynis viuere, & si viuant, peccent. Ad hæc velim aduertant illi, tàm Superiores, quàm subditi, qui quotidie per ciuitates otiosi

nous

noua quærentes cursitant, & quando domi remanent, circuunt continue claustra murmurando, ridendo, cantando, euaine noua referendo, quid sit manducandum, quid bibendum inquirendo, & nihil minus cogitant, quam de missis celebrandis, diuinis intercssendo, obsequijs monasterij insistēdo. Heu Heu, quam multi panem pauperum proditoriè comedunt; Audiant Greg. hom. 17. in Euang. *Pensate fratres, quantæ damnationis est sine labore percipere mercedem laboris, quanti criminis peccatorum pretia accipere, & nihil contra peccatum prædicando dicere?* Gregor.

43. 4. difficultas. An tales Religiosi otiosi, ex eleemosynis viuendo, peccent mortaliter, R. Cai. 2. 2. q. 187. ar. 4 vers. Ad euidentiam horum, quod inter Religiosos, & eos, qui illis contulerunt suas facultates, non intercedit communiter iustitia propriè dicta, sed solùm debitum gratitudinis; nam donantes amore Dei, & ratione eleemosynæ donant. Vnde Religiosi iure naturali tenentur suis religiosis actibus dictis benefactoribus gratiā retribuere, quod illis sufficit, nec etiam expectent retributionem. Et quia gratiæ contrariatur ingratitudo, id circo tunc solùm interuenit huiusmodi omissione peccatum mortale, quando contingit ingratitudo mortalis. Et quia secundum D. Th. 2. 2. q. 107. ar. 3. corp. aliquis potest dici dupliciter ingratus. Vno modo per solam omissionem, puta quia non recognoscit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro accepto beneficio. Alio modo, quia non solùm prætermittit implere gratitudinis debitum, sed etiam contrarium agit, puta quia reddit mala pro bonis, vel beneficium vituperat, vel reputat benefactorem maleficum V. G. sit aliquis summus benefactor nostri Ordinis, qui conuentum, & ecclesiam fundauerit, dotauerit, & omnia fecerit pro tali conuentu ditando, si Fratres contemnerent intrinsecè, & formaliter dictum benefactorem pro suo benefactore cognoscere, vel quia ad paupertatem redactus, vel quia senex, &c. aut ei non subuenirent in magnis suis necessitatibus, cum possent, vel non laudarent eum, in quo laudandus esset, maximè si ex tali omissione laudis sequeretur ipsis Fratribus vituperium, aut infamia, hoc modo essent ipsi benefactori mortaliter ingrati ratione omissionis. Si autem ex negligentia quadam, & indispositione naturali prædicta omitterent non peccarent plusquàm venialiter. Si verò non solùm prætermitterent agere prædicta, sed etiam ipsum benefactorem odio haberent, blasphemarent, vituperarent, iniuriarent, contumelijs afficerent, verberarent, tunc essent etiam ingrati mortaliter; sed si talia dicerent propter motum sensualitatis, non peccarent plusquàm venialiter. Atq; ita Cai. loc. cit. Anton. 2. p. tit. 3. cap. 9 §. 1 Vnde constat, quòd si aliquis Religiosus sit mortaliter vno ex dictis modis ingratus suis benefactoribus, viuendo ex eleemosynis ipsorum, mortaliter peccet. Val. loc. cit. ait ad hanc difficultatem, quòd, si quis ex contemptu beneficij eleemosynarum abstineat ab actibus religiosis, peccet mortaliter. Similiter si numquam ferè recordatur benefactorum, & notabiliter est negligens in obseruantijs religiosis, ita vt nullam, aut vix aliquam curet.

Caietan. D. Thom. D. Anton. Valentia.

44. 5. difficultas est, An tales Religiosi mortaliter ingrati, viuendo ex eleemosynis, teneantur ad restitutionem. Cai. loc. cit. ait, non teneri. Quia illorum peccatum non consistit in vsurpatione rei alienæ, sed in abusu rei iam factæ suæ per donationem. Quod solùm admitto, quando eleemosynæ datæ sunt simpliciter intuitu eleemosynæ, nō verò si datæ sint cum obligationibus, missarum V. G. seu aliarū precum, partibus stipulantibus, & obseruationem iurantibus, Notario publico interueniente: tunc enim censeo, quòd Fratres, dicta obligationibus non satisfacientes, restituere teneantur; videtur enim benefactor illa conditione dedisse, aliàs non daturus; quare, ea non impleta, inuito domino retinentur illæ eleemosynæ, atq; ita restitui debent vel hæredibus, si mortuus sit benefactor, vel ex eis faciendum est adimpleri, quod donator in fundatione mandauit. Idem dic etiam, si quis donasset V. G. centum aureorum redditum alicui monasterio eo pacto, quòd Fratres illius tenerentur singulis diebus pro illius anima missam celebrare, vel dicere litanias, & in casu omissionis notabilis dicti centum aurei deuenirent hospitali V. G. Hoc casu puto, quòd, si Fratres non implerent, restituere tenerentur dicto hospitali, etiam caducitatem ignoranti, dictos centum aureos, vel, si fuissent per aliquod tempus notabiliter negligentes, illud, in quo fuerunt negligentes. Colligitur ex decr. de celebr. miss. quæ habes to. 2. nost. priu. in consl. 9. Vrb. VIII. §. 8.

Caietan.

45. 6. difficultas est. An Prælatus conuentus habentis multas possessiones, quibus curatis, potest commodè suam familiam sustentare, nolens per auaritiam, vel incuriam eas colere, sit in bono statu. Puto, eum esse in malo statu, per dicta hic sup. num. 39. Et quia qui potest commodè sustentari de suo, nō debet alienum quærere. Aut enim eleemosynas hauriunt à pauperibus, & est iniquitas maxime sanguinē pauperum exsugere ad inertiam fouendam, cum ipsi plus indigeant: aut hauriunt à diuitibus, & auferunt à pauperibus. Vnde Hier. relatus in cap. Clericos, 1. q. 2. ait. *Clericos autem illos conuenit stipendijs ecclesiæ sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona: Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt.*

D. Hieron.

46. Circa 2. debet esse Superior conseruator acquisitorum; parum enim prodest acquirere, nisi acquisitum seruetur: nam cribro haurire aquam, nihil prodest; quia cribrum haustam non seruat, & Ouid. dicebat.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Ouidius.

Tres autem regulas ad hoc proponit Ar. 1. œconom. cap. 6. & 1. de re fam. cap. 6. quibus œconomus potest res acquisitas conseruare. Prima, quæ seruabatur apud Atticos, seu Athenienses; & erat, quòd singulis annis fructus receptos ex prædijs vendebant, & quæcumq; erant ad victum familiæ necessaria emebant;

Aristotel.

sic

sic fraudes, & detrimenta, quæ in victualibus seruandis accidunt, vitabant. Secunda, quæ seruabatur apud Laconicos, vt domus instrumenta singula suo loco iacerent; sic enim parata non requiruntur. Tertia, quæ seruabatur apud Persas; & erat, quòd œconomus omnia, quæ in domo erant, diligenter inspiciebat, atq; discutiebat, & per se ipsum immediatè omnia iubebat. Vnde quidam Persa interrogatus, quid equum maximè pinguem faceret? respondit, *Oculus domini*. Cui etiam correspondet illud Lybici, qui interrogatus, quodnam sterquilinium foret agro optimum? respondit, *Domini vestigia*. Erat etiam maximè vigilans œconomus Persa, expergiscebatur enim priùs quàm cœteri, & posteriùs omnium cubitum ibat. Ex his discet, quid sibi faciendum sit noster œconomus. In primis enim, cum ad regimen alicuius conuentus fuerit assumptus, inuentarium omnium rerum, etiam minimarum, quæ in eo sunt, recipiet. Omnia deinde suo loco disponet, vt cum fuerint opus, non requirantur. Diligenter omnia per se ipsum inspiciet. Penum visitabit frequenter; Quid singulis comestionibus familiæ dandum sit, prouidebit. Choro, ecclesiæ, & sacristiæ semper personaliter intererit. Et vbique semper præsens, quantum humana patitur fragilitas, studebit esse. Insolitis horis conuentum circuimire, officinas, & cellas fratrum quærere, puto necessarium. Et ita varium se debet familiæ circa motum, & personam suam ostentare, vt nullus moralem certitudinem habere possit, quòd tali hora in talem locum ipse non sit compariturus. Studeat omnia per se ipsum iubere: & omnem eam diligentiam in conseruandis bonis conuentus adhibeat, quam adhiberet in conseruandis proprijs, immò, & maiorem, eam.s. quam diligentior se in ijs adhiberet; tali enim intentione ad illud ministerium assumptus fuit, vt ait Suar. to. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. cap. 26. num. 7. Suarez.

47. Sed hic se offerunt aliquæ difficultates. Prima. An Prælatus peccet, si aliqua res monasterij ipsius culpa pereat, aut deterioretur. Vt respondeam, supponendum est quod de culpa dicit Sylu. verbo Culpa, q. 1. nu. 2. quòd culpa est triplex, lata, leuis, & leuissima. Culpa lata est ignoratio illius rei, quam quis scire tenetur, & sciunt homines eiusdem professionis. Leuis est omissio illius rei, quam homines diligentes eiusdem conditionis adhibere solent. Leuissima est omissio illius rei, quam homo diligentissimus eiusdem conditionis adhibere solet V. G. commodatum librum dimisisti ante ostium domus, & sublatus est, ista est culpa lata; si verò librum in cella locasti, sed ostium non clausisti, leuis culpa est; si autem ostium quidem clausisti, sed claue non firmasti, leuissima culpa est; si denique de industria librum ante ostium dimisisti, vel ostium non clausisti, vel claue non firmasti, & liber sublatus est, iam non culpa, sed dolus est, qui nullo casu excusat. His suppositis. Dico, vel Prælatus in Prælaturæ acquisitione se ingerit, vel non se ingerit. Si se ingerit, tenetur de culpa leui, in commodum enim proprium Prælaturam recipit, & posset etiam dici, quòd teneatur de leuissima, iuxta caput vnicum de commod. Sed non sum ita seuerus, cum pluribus debeant attendere Prælati regulares. Si autem non se ingerit, sed passiue se habens in Prælatum eligitur, tenetur solum de lata; tunc enim non in gratiam sui, sed conuentus Prælaturam recipit. Ita Glossa in cap. vnico de commod. ver. De leuissima, Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. nu. 79. ver. Decimo. P. Nau. lib. 3. de rest. cap. 4. num. 125. Nald. in sum. verb. Bona, nu. 14. Llam. 3. p. met. cap. 13 § 14. Syln. ver. Prælatus, q. 4. Itaque Prælatus, cuius culpa res perit, vel deterioratur, illam restituere tenetur, vt in specie dicit Arag. 2. 2. q. 62. ar. 7. col. 14. ver. Mihi ex.

Syluest. (left margin, beside "culpa dicit Sylu.")

Lessius. Pet. Nau. Naldus. Llamas. Syluest; Aragon.

48. 2. difficultas est. An singuli fratres teneantur bona monasterij conseruare. Ad hoc iam dixi to. 1. huius op. q. 2. cap. 2. §. 9. quæsito 6. quòd ad singulos pertinet rerum monasterij conseruatio, quia hæ omnibus communes sunt, non quidem vt singulis, sed vt vniuersis. Vnde singuli quod vniuersorum est, tueri tenentur: non quidem eodem modo, quo Superiores, nam isti tenentur omninò ex iustitia, non solùm non dissipare, sed etiam conseruare; subditi autem, si res non sit suæ curæ mandata, non tenentur ex iustitia conseruare & non dissipare, sed solùm ex charitate, & ne contra votum peccent paupertatis. Ita Suar. to. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. cap. 26. num. 7. Videatur Perez. in reg. S. Bened. cap. 32. nu. 6. vbi Turrec. tr. 91. Et audiant subditi, quid senserint de hoc antiqui illi eremi cultores, de quibus Cassian lib. 4. inst. cap. 20. ait. *In septimana cuiusdam fratris, cum, præteriens œconomus tria lenticulæ grana in terra iacere vidisset, quæ hebdomadario festinanti, dum ea præparat coctioni, inter manus cum aqua, qua diluebantur, elapsa sunt, confestim super hoc Abbatem consuluit, à quo velut interuersor, neglectorq; sacri peculii iudicatus, ab oratione suspensus; cuius negligentiæ reatus non aliter ei remissus est, nisi eum publica pœnitentia diluisset. Non solùm enim se ipsos non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua sunt, credunt Domino consecrata propter quòd, si quid fuerit monasterio semel illatum, vt sacrosanctum cum omni decernunt reuerentia debere tractari.*

Suarez. Perez. Turrec. Cassianus.

49. 3. difficultas est. An Superior teneatur etiam litigando procurare bona sui monasterij: & si scandalum sit secutum nisi dimittat, an teneatur ea dimittere. ℞. Religiosis non esse licitum litigare, nisi causa necessitatis, aut vtilitatis; cap. Monachi; cap. Qui verè, 16. q. 1. Plura vide apud Abul. to. 6. in Matth. cap. 23. q. 51. Nobis Minimis est omnino interdictum in Reg. ca. 24. Iul. tamen II. in const. 17. §. 2. to. 1. nostr. priu. concessit, vt per procuratorem possemus eleemosynas nobis relictas in iudicio repetere. Si autem scandalum sit secuturum, dicit D. Th. 2. 2. q. 43. ar. 8. quòd, cum Prælatus teneatur de necessitate salutis conseruare bona ecclesiæ, quorum est dispensator, non dominus, non potest ea dimittere, vel negligere, etiamsi inde scandalum sit secuturum. Hanc tamen doctrinam limitant doctè Cai. illo ar. & Val. to. 3. disp. 3. q. 18. p. 4. col. 2. ver. Qua tamen in re. 1. quòd conuentus ipse, qui habet dominium huiusmodi bonorum,

Abulens. D. Thomas. Caietan. Valentia.

rectè

rectè poteſt aliquando illa donare, aut alijs permittere propter vitandum ſcandalum. 2. Prælatum quoque poſſe, & debere interdum repetitionem illorum differre, ad vitandum ſcandalum, & calamitatem pauperum, ſi huiuſmodi bona, & iura Eccleſiæ non poſſint reddere ſine magno ſaltem detrimento ſui ſtatus, quia præſumi poteſt de mente illius, qui dicta bona reliquit. 3. limitat doctrinam D. *P. Anton.* Tho. Anton. par. 2. tit. 7. cap. 4. §. 6. quòd non debet Prælatus dimittere, ſeu negligere bona temporalia ſui conuentus propter ſcandalum illius ſolius, à quo repetenda ſunt; vel quando ex non repetitione maius ſcandalum ſequeretur. Denique limitari poteſt, quòd non debent dicta bona dimitti à Prælato propter ſcandalum, ſi ea ſint neceſſaria pro alenda familia, reparanda fabrica, vel etiam pauperibus ſubueniendo.

50. Circa 3. ius, quod habet Prælatus bonis acquiſitis vtendi in honorem, & ornamentum Eccleſiæ; vel conuentus, notandum, quòd ad Prælatum pertinet ex bonis conuentus conuentum fabricare, cadentem reparare, ſuppellectilibus neceſſarijs tum refectorio, tum coquinæ, tum infirmitorio, tum cellis, honeſtis tamen, & religioſis ornare, bibliothecæ etiam de libris prouidere, & Eccleſiam ſecundum facultates ornare; quod etiam inſinuatur in cap. Nullam, 18. quæſt. 2. illis verbis, *vel ad diuini cultus venerentiam*: & docent Suarez *Suarez.* tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 26. num. 9. *Llamas.* Llamas 3. par. meth. cap. 13. §. 14.

51. Notandũ etiã, quòd in hoc, & ſequẽti iure Prælatus bona conuentus alienat. Bona autem ſunt in duplici differentia; aut mobilia, aut immobilia. Mobilia aut ſunt pretioſa, calices, veſtes aureæ, &c. aut non pretioſa. Non pretioſa aut habent permanentem durationem cum ipſo vſu, vt veſtes, libri, ſuppellectilia domus; aut ipſo vſu conſumuntur, vt eſculenta, poculenta, pecunia, &c. De immobilibus, & mobilibus pretioſis, quòd ea Prælatus alienare non poſſit, dixi in m. 1. noſtror. priu. in conſt. 9. Iulij II. De ijs mobilibus, quæ habent durationem permanentem cum ipſo vſu, certum eſt etiam, quòd ea neque in genere, neq; in ſpecie alienare poteſt; non in genere, quia nõ poteſt Prælatus omnes libros, qui ſunt in bibliotheca, vendere, neq; omnia ſupellectilia coquinæ, vel cellarum, hæc enim collectiuè ſumpta cenſentur mobilia pretioſa. neque in ſpecie, quia, cum habeant durationem cum ipſo vſu, ea diſtrahere eſſet conuentum ſpoliare, & deteriorare, quod prudens non facit œconomus, nec poteſt facere procurator, qualis eſt Superior; poſſet quidem Prælatus ea diſtrahere, commutando in meliora. Circa autem ea, quæ ipſo vſu conſumuntur, Prælatus habet maiorem auctoritatem. Dico tamen quòd hæc duplicem habent vſum, quo poſſunt conſumi. 1. per commutationem, vel emptionem, vt ſi triticum ſuperfluens commutet in vinum, vel oleum deficiens, vel ex pecunia aliquid emat, vel ædificet. 2. per gratuitam donationem. Quò ad primum vſum in Ordine noſtro in rebus alicuius momenti non poteſt Prælatus commutare, neq; emere, neq. ædificare ſine conſenſu capituli, & conſuetudo ita obtinuit, vt non poſſit Corrector ſine conſenſu capituli, aut ſaltem Seniorum, neq; vendere, quæ ſuperfluunt ex ordinaria prouiſione conuentus, neq; emere quæ deficiunt. Optimum remedium, ſanctè inſtitutum ad vitandas occaſiones & fraudum, & murmurationum; cum enim omnia pateant omnibus, ſubditus dolere non poteſt, nec Superior fraudare. Emere autem res, quæ ad quotidianum vſum fratrum pertinent, pulmenta, pictantiam, carnem pro infirmis, calceos, &c. in Ordine noſtro ad conuentualem Prælatum abſolutè ſpectat, non per ſe ipſum immediatè, ſed per prouiſorem conuentus capitulariter electum. Circa 2. vſum, quomodò, & quantum, & quando poſſit Prælatus donare, dixi tom. 1. huius op. q. 2. cap. 1. à §. 6. & dicam hic etiam infra aliqua num. 55. & 56.

52. Notandum etiam, quòd debet noſter œconomus in bonis expendendis eſſe in primis fidelis, deinde prudens: fidelis, ne fratres penſo debito fraudet, & in proprium lucrum conuertat; & prudens, vt det, & expendat ſecundùm exigentiam, & neceſſitatem. Quas duas conditiones eſſe œconomo neceſſarias, docuit Chriſtus Matth. 24. & Lucæ 12. dicens, *Matth. 24. Lucæ 12.* *Quis putas eſt fidelis diſpenſator; & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore?* Quis putas eſt. Quaſi dicat, vt exponit. Caietan. *Caietan.* Pauci ſunt diſpenſatores, qui ſint fideles, & prudentes. Ad quam ſententiam alludit Paulus 1. Cor. 4. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Vbi pro, Diſpenſatores, in græco legimus, œconomos, vt notat A Lapide ad illum locum; *A Lapide.* Et eſt ſenſus, vt exponit Guillian. *Guillian.* Quid autem ſupereſt, requiritur, an detur aliquis diſpenſator fidelis. Et aduerte, quòd non dubitatur, an detur prudens, nam multi prudentes, ſunt qui non fideles, immò prudentiores ſunt filij tenebræ, quàm filij lucis, & faciliùs in diſpenſatore reperitur prudentia, quàm fidelitas; quis enim eſt hic, qui poſt aurum non abit, & non ſperat in pecuniæ theſauris, & laudabimus eum? O crudeliſſima humanorum cordium tyrannis pecunia? quæ non mortalium pectora cogis? quas non muniſſimas animarum turres expugnas? quas non decipis? quas non perdis? ſtultus, qui, te cum contempſiſſet per Religionis ingreſſum, in ea te iterum incipit æſtimare: Amore tui, audacter dicam, perire puto, quotquot pereũt in Religionibus, animarum myriades. Mentior, ſi id non dicitur Eccleſiaſtici 10. *nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim animam ſuam venalem habet.* Et Ierem. 6. *Ierem. 6.* *A minore vſq; ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent: & à propheta vſq; ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum.* Et Eſa. 56. *Eſaiæ 56.* *Ipſi Paſtores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam ſuam, declinauerunt; vnuſquiſq; ad auaritiam ſuam, à ſummo vſq; ad nouiſſimum.* Sed hæc omittamus. Si ſcire cupit noſter œconomus, quid illi faciendum ſit, vt fidelis dici mereatur, audiat Theoph. ad illum locum *Theophil.* Pauli: *fidelis autem eſt, ſi herilia bona ſibi non vendicet, & attribuat, vt non velati dominus tractet,*

tractet,

tractet, adoraturus, sed velut aliena, & herilia dispenset, non sua esse dicens, quia sunt D. Bernar. *heri, sed è diuerso quæ sua sunt, heri esse*: Audiatur etiam Ber. epist. 2. *Quicquid præter necessarium victum, ac simplex vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

53. Sed multæ hic se offerunt difficultates. Prima est. An ex eleemosynis perpetuis, vel temporaneis, priùs sit fabricandus, seu reparandus conuentus, quàm familia alenda, vel è contra. ℞. priùs esse fabricandam Ecclesiam, vel conuentum, quàm alendam familiam; vnde, si conuentus, vel Ecclesia ita indigeant reparatione, vt simul, & semel non possit familia ali, dico, quòd tunc familia minuenda est ad eum numerum, qui simul cum fabricatione conuentus possit sustentari, cum enim non reparantur conuentus, & Ecclesiæ, facilè ruunt, & omninò fiunt inhabitabiles, & deseruntur. Similiter, si aliquis deuotus relinquat aliquam pecuniæ quantitatem pro fabricando conuentu, dico, quòd prius est dictus conuentus fabricandus cum suis officinis, & similiter Ecclesia, quam ibi assignentur fratres; locus namque præcedit locatum. Non nego tamen, quòd hoc casu non possint deputari duo Religiosi, qui fabricæ curam habeant. Atq; ita colligi potest ex D. Thom. D. Thom. 2. 2. quæst. 86. art. 2. corp. Val. to. 3. Valen. disp. 6. quæst. 4. par. 4. asser. 4. In casu nostro Nauarr. Nauarr. comm. 3. de reg. num. 6. ver. Dixi secundò.

54. 2. Difficultas. Quisnam ex bonis conuentus priùs alendus sit, Prælatus ipse, an verò fratres locales. Nauarr. comm. 3. de reg. num. 6. ver. Dixi in primis, putat, quòd priùs alendus sit Prælatus, secundùm tamen puram necessitatem personæ, nulla habita ratione qualitatum extrinsecarum. Sed melius Suarez. Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 16. num. 10. nullum in hoc agnoscit ordinem, nisi quem necessitas exigit, quæ interdum obligabit Prælatum ad subueniendum priùs alijs, quàm sibi; interdum è contrario. Per se autem loquendo, æque primò tenetur ad alendum totum conuentum, in quo ipse comprehenditur; & licèt ipse possit iuri suo cedere, & posteriùs ali, quàm conuentus, non potest tamen cedere iuri aliorum, ita vt priùs se, quàm conuentum alat. Sed quid, si non posset se simul, & conuentum alere? Dico, quòd iste casus est summè metaphysicus, nec potest dari, nisi in eo euentu, in quo non esset in conuentu nisi alter frater, & tunc dico, quòd, si illud alimentum non esset sufficiens pro omnibus, posset Prælatus vitam suam vitæ subditi præferre; eo enim casu & est pars conuentus, & caput illius; & quilibet tenetur priùs sibi prouidere, quàm alijs, iuxta illud Euangelij, *ne fortè non sufficiat nobis, & vobis*. Gratian. Gratian. discept. for. tom. 3. cap. 552. num. 1.

55. 3. Difficultas. An possit Prælatus ex bonis conuentus aliquid gratiosè donare. ℞. negatiuè. Tum quia, cum non sit dominus, sed dispensator, non potest ex alieno donationes facere, vt dicitur in cap. Abbati, dist. 54. Tum quia in sæpe cit. cap. Nullam, 18. quæst. 2. dicitur, quòd Abbas possit expendere bona monasterij in Dei cultum, & monasterij vtilitatem. Tum quia id expressè vetatur in const. Clem. VIII. de larg. mon. Quòd si tales largitiones faciat, peccat contra iustitiam, sua abutendo potestate, & contra votum paupertatis, vtendo illis bonis tamquam dominus; vnde & ipse, & qui recipiunt, restituere tenentur. Ita Suarez loco cit. nu. 11. Suarez. Caietanus 2. 2. quæst. 43. art. 8. in princ. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 18. par. 4. col. 2. ver. Caietan. Valentia. Qua tamen in re. Molina tom. 2. de iust. disp. 276. num. 2. & docent præterea omnes expositores cit. bul. De munit. larg. quos adduxi tom. 1. huius operis quæst. 2. cap. 2. §. 6. quibus Molina. adde Sosam tract. 1. suorum op. & Ioan. Cruz. lib. 1. de stat. Relig. cap. 3. dub. 5. concl. 3. Potest tamen Prælatus titulo pietatis, & eleemosynæ aliquid donare, immò debet, vt Nauarr. comm. 3. de reg. nu. 6. ver. Dixi quintò. Llam. 3. par. met. cap. 13. §. 14. & non solùm de superfluis, sed etiam de non superfluis, prudenter tamen, & discretè, iuxta conuentus facultates. Molina & Suarez loco cit. Et ratio est, quia de superfluis etiam tenentur eleemosynas facere domini rerum suarum, iuxta illud, *Quod superest date pauperibus*. Ergo illi, qui ex eleemosynis viuunt, potiori aliquo iure teneri videntur ad eleemosynas faciendas etiam denon superfluis; oportet enim eum misereri conseruis sui, cuius dominus misertus est. Potest etiam Prælatus de assensu fratrum donationes aliquas remuneratorias facere, quia, cum hæ de iure naturali debeantur, prohibitæ non sunt, vt dixi to. 1. huius operis loco cit. & dicunt Suarez loco cit. num. 14. & Molina loco cit.

Sosa. Io. Cruz. Nauarr. Llamas. Molina. Suarez. Suarez. Molina.

56. 4. Difficultas est. An Prælati possint ex bonis sui conuentus aliquid sibi assumere, vel suis consanguineis donare. ℞. in hoc esse maximè respiciendum ad Religionis consuetudinem, & abundantiam, vel penuriam. Certum tamen est, ea bona posse sibi assumere Prælatum, & in proprium vsum conuertere, quæ potest alijs concedere. Sed, cum multi sint auarissimi cum alijs, & maximè prodigi secum, ita vt numquam saturentur, dico, quòd Prælatus potest ex bonis monasterij in suum proprium vsum conuertere, vel suis parentibus indigentibus, vel alijs ad pias causas, pro nuptijs puellarum V. G. donare, vsque ad summam decem aureorum singulis annis; vel, si conuentus sit pinguis, id posse bis in anno, & hoc etiam sine licentia, & consensu conuentus, si aliud non habeat Religionis constitutio, vel consuetudo; modò tamen priùs obligationes monasterij impleat, fratres alat, vestiat, necessaria suppellectilia emat, conuentum reparet, &c. & modò propter hoc postea Religiosi aliquam penuriam non patiantur. Sicut enim potest, immò debet, etiam de non superfluis, eleemosynas facere, ita potest eas sibi attribuere, vel potiori iure suis consanguineis donare. Ita Lud. Lopez 1. par. instruct. cap. 5. §. Primò quòd in alijs: Corduba in sum. q. 54. ver. Respondeo tres cosas. P. Nau. lib 3. de rest. cap. 1. nu. 183. Fagund. in 2. præcept. Eccl. lib 8. cap. 6. nu. 12. Llamas. 3. par. met. cap. 13. §. 15. Cruz de stat.

Lopez. Corduba. P. Nauar. Fagund. Llamas. Cruz.

stat. Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 5. concl. 1. Dixi cum alijs tom. 1. huius op. q. 3. c. 2. §. 6. concl. 1. Si verò dicti Prælati proprio labore aliquas comparent pecunias, prædicando, docendo, confessiones audiendo, libros scribendo, dicit Llam. loco cit. ibi. quòd ijs possunt vti in quoscumq; vius sibi placuerit, etiam eos extra Religionem donando. *Llam.* Quia, inquit, cum nomine monachi in odiosis non veniat Abbas, & id, quod dicitur, Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio, odiosum sit, in eo non comprehenditur Abbas, seu alius quiuis Prælatus. Sed hæc doctrina mihi non probatur; nam non videtur iustum, neq; æquum, quòd Religio me Prælatum alat, vestiat, omniaq; necessaria abundanter ministret, & quòd ego, si aliquid mea industria acquiro, mihi acquiram. Adde, quòd non acquiro ex proprijs, cum enim omnes meæ industriæ, & labores sint vinculati in Religionis seruitium, etiam in illius seruitium debet esse vinculatum, quod illis laboribus comparo: vnde odiosum non est, sed maximè iustum, quòd omnia acquisita à monachis, monasterij sint, cum monasterij viribus sint acquisita. Puto itaque, posse ex ijs Prælatum liberiori quidem manu aliquid in pias causas etiam extra Religionem erogare; at omnia, nego. *Lopez. Corduba.* Dicunt etiam Lopez, Corduba, quòd possunt Generales, & Prouinciales ex bonis monasterij vltra summam decem, vel 20. ducatorum etiam extra Religionem donare, vel sibi applicare. Sed in mea Religione, in qua omnimoda bonorum administratio penes Correctorem, & capitulum locale residet, hoc non admitto. Nec etiam admitto illud, quod licere sibi putant aliqui Superiores, qui, durante officio, faciunt sibi bonum marsupium, dicentes, Hac pecunia emam deinde tot libros pro bibliotheca, faciam tot planetas pro sacristia, monasterium, vel Ecclesiam fabricabo; nam, præterquam quòd facilè se ingerit species ista boni, & facilius deinde dulci cedit retentioni, vana rerum futurarum dubietate, vel spe accusantem conscientiam quietare satagens, non est in potestate Superioris eos sumptus facere; & dimisso officio, debet etiam curam illius dimittere. Nec potest moueri zelo, nam si iudicabat, conuentum illis rebus indigere, prouidere debebat cum ad id tenebatur. *Grassius. Miranda.* Ita Grassius de cas. reser. lib. 3. cap. 7. nu. 31. Mir. tom. 1. man. q. 18. art. 12. concl. 1.

57. 5. Difficultas. An possit, vel debeat Prælatus omnes superabundantes redditus in eleemosynam dare. ℞. In Ordine nostro ad id teneri Superiores sub pœna priuationis sui officij, & inhabilitatis perpetuę. Ita expressè mandatur in Correct. num. 47. Verum Iulius II. in constit. eius 17. §. 9. tom. 1. nostr. priu. declarauit, hoc *debere intelligi ciuiliter, videlicet, salua semper prouisione per annum pro infirmis, & fratrum indumentis, ac alijs necessitatibus, & præsertim pro fabrica perficienda*. *Suarez.* Communiter autem, ait Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 26. num. 13. quòd in necessitatibus communibus pauperum licèt aliquid dandum sit dare tamen omnia, quæ superfluunt, neq; est præceptum, nec consilium in Prælato religioso. Vndè putat, quòd id non sit in potestate Prælati, quia melius est augere, aut perficere monasterium, vel quò ad ea, quæ pertinent ad cultum diuinum, aut habitationem fratrum, vel quò ad perpetuos redditus, vt ex ijs plures Religiosi sustentari possint, quod maius Dei obsequium est, quàm abundans eleemosyna in communibus necessitatibus. *Suarez. Nauarr.* Ita Suarez secutus Nauarr. com. 3. de reg. num. 6. ver. Dixi quintò.

Arist. 58. Circa 4. quod requirit Arist. in œconomo, vt scilicet sciat suis diuitijs, eas impendendo in victum, & vestitum, commoditatemq; propriam, & familæ, ne in abundantia egeat, Notandum, ad œconomum nostrum pertinere prouidere suis fratribus tam sanis, quàm infirmis abundanter de cibis, & vestimentis necessarijs pro vitæ sustentatione, iuxta suæ Religionis statuta: & hoc ex iustitia; vnde peccat, si in hoc deficiat; ex quo enim omnes Religiosi per professionem Religioni nomen dedere, eiq; incorporati seruiunt iuxta vocationem suam, digni sunt ex iustitia mercede sua, & iure naturæ sunt participes quò ad necessaria ipsius Religionis bonorum temporalium, & spiritualium. Insuper per professionem initur quidam tacitus contractus inter Religionem, & Religiosum, quo hic tenetur omnes operas suas in Religionis fauorem impendere, & illa se obligat ad illi prouidendum de necessarijs quò ad victum, & vestitum. *Llamas. Lessius. Gratian.* Atq; ita docet Llam. 3. par. met. cap. 13. §. 14. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub 8. num. 67. ver. Verius tamen puto; Gratian. discept. forens. to. 3. cap. 558. num. 21. Dixi, abundanter; nam *vbi non est abundantia, non est obseruantia*, iuxta dictum D. Ber. relatum à Perez in Reg. S. Benedicti cap. 32. num. 7. *Perez. D. Greg.* & Greg. lib. 8. regist. indict. 11. epist. 17. ait. *Necessitatis occasio aut desides facit, aut robur conuersationis infringit*, & refertur in cap. Religiosam, 12. quæst. 2. & in psal 104. dicitur, *dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant*. Quare à graui culpa non absoluo eos Prælatos, qui necessaria subditis denegant, vel ita parcè ministrant, vt vix sufficiant: *inhumanum enim est*, *Humber.* dicit Humber. in spec. relig. par. 1. lib. 5. c. 7. *vt iumento necessarium pabulum subtrahatur, cui onus imponitur, & flagellum virga adhibetur*. Et hoc etiamsi id faciant, vt cumulent pecuniam, erogandam deinde vel in monasterij fabricam, vel in redditus perpetuos. Quid enim prodest magnos redditus, ampla monasteria, & magnificas Ecclesias argento, auro, gemmisq; ditissimas possidere, & fame deinde perire, nudis pedibus propter necessitatem ambulare, pediculis comedi propter Superioris duritiam, & rusticitatem? Ex hoc peculia, eleemosynarum fraudationes, murmurationes, detractiones, secretorum Religionis reuelationes, inobedientiæ; vix enim obeditur Prælato, qui necessaria subditis non ministrat, vel si necessaria, ita miserabiliter, & cū tanta mathematica mensura, vt potiùs deficiât in libris, quàm abundent in quadrante. Audiatur Hom. loc. cit. *Per hoc quòd necessaria conuentui non prouidean-*

tur,

tur, multa mala proueniunt: prouenit inde murmur: sequitur etiam euagatio conuentus; aliquando enim pro defectu, qui pro medico posset suppleri, refectorium euacuatur, & cum magnis expensis, & cum magno detrimento Religionis fratres; per cameras disperguntur, & etiam datur eis occasio, vt proprietarij esse velint. Et Greg. 2. p. past. cap. 7. *Qui* (Prælati) *necessaria vitæ præsentis non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur.* Non intendo tamen per hoc obligare Prælatos ad suppeditandum bona monasterij subditis in tanta abundantia, vt superfluant, & ipsi impinguati, & incrassati recalcitrent, vt vellent aliqui, quorum tota mens, atq; felicitas est, vt bene pascantur, & bene vestiantur, & summo studio cuticulam curent, quique Christum sequuntur, non amore Christi, sed amore panis Christi; Superior enim, qui vellet hos saturare, breui totam conuentus substantiam effunderet, & deinde cogeretur ære alieno illum grauare: Ex quo quanta oriantur incommoda, discat lector ex his, quæ graphicè dicit Carol. Scriban. in Super. relig. lib. 1. cap. 26. ex quo hæc pauca accipe. Hinc enim, ait, importunæ creditorum, molestæq; sollicitationes, famæ, nominisq. dispendia, conceptus animo mœror, perpetua sollicitudo, anxia mens futurorum, quæ nec pacatas concedit noctes, non dies, curæq; curis innascuntur, cum æs alienum alteri accrescit. Quæruntur inde amici, & qua quæruntur, perduntur via, ferè enim cum mutuatitia pecunia amicitia exuitur; sed & à cogitata familiaritate resiliunt multi, veriti ne ad petendum audaciores consuetudo faciat: vnde ingens, noxiaq; in primis libertas subditis conceditur; cum enim se rerum inopia premi Superior sentit, nihil priùs habet, quàm vt necessaria parandi suis facultatem largiatur, quo se hoc onere expediat, è quibus initijs neglecta iacet paupertas, æmulationum exurgunt maria, & vniuersa ferè domestica disciplina iacet, cum singuli rebus suis student, plusq; illis operæ, quàm perfectioni impendunt, mutuòq; se ad commoda exacuunt, & sociorum exemplo paria audent; sed & ipse Superior perpetua sollicitudine disciplinæ neglector est; quasi satis illi sit, suorum industria inopiam depelli. Quare, ne quemquam familiæ offendat, permittit omnia, è Religionis illa regula sint, an secus, pro eodem habet; satis illi habuisse: nec necessaria tantùm concedit, sed quicquid animo libitum est; cum enim vereatur, ne, si quædam neget, à reliquis excidat, indulget omnia, ne careat optatis. Hinc superfluarum rerum, & cum Religione pugnantium ingens farrago exoritur, nec iam vltra Religio, sed cauponantium veriùs exurgunt cellæ. Hæc, & multa alia Scribanus. Quare prodigalitatem, nec supra redditum sumptus suadeo, sed solùm prætendo, vt dentur subditis iuxta religiosam paupertatem omnia necessaria quò ad victum, & vestitum, sub ea forma, qua alij Prælati einsdem conuentus, discreti, prudentes, & charitatiui dare suis subditis consueuere; sic enim subditi conqueri non possunt, & obedire coguntur, & de facto, vt experientia comprobauit, libentiùs, & promptiùs obeditur, & regula exactiùs seruatur, & Deo alacriùs seruitur. Vnde videmus, quòd omnes Religiones obseruantes dicta necessaria abundanter subditis ministrant, & quæ ruerũt, ex hoc solo ruerũt. Et ideo semper existimaui ad reformandas Religiones esse hoc vnicum remedium. Excusaretur tamen Superior à necessarijs ministrandis propter monasterij inopiam, & tunc communis paupertas esset æqualiter ab omnibus toleranda, vt Gratianus loco cit. num. 25. & Patriarcha noster non semel hoc monuit in Correct. n. 109 sed tunc Superioris maioris esset familiam minuere, ne relaxaretur.

D. Greg. — *Scriban.* — *Scriban.* — *Gratian.*

59. Sed hic se offerunt aliquæ difficultates. 1. An subditus, cui Superior necessaria iniustè denegat, possit ea sibi clam ex communibus conuentus redditibus sumere? Ad hoc iam affirmatiuè respondi tom. 1. huius op. quæst. 2. cap. 1. §. 4. ver. Possunt; & docent Pet. Nau. lib. 3. de rest. cap. 1. num. 196. Fagund. in 2. præcept. Eccl. lib. 8. cap. 6. num. 13. quia Prælatus tenetur ex iustitia, vt dictum est, necessaria largiri; quòd si non facit, potest subditus sibi sumere; quia tunc suum recipit, non alienum, nec actum exercet dominij: Tum quia tali pacto illud votum fecit. Tum quia vsu solo rei communis vtitur. Aduertendum tamen; ne vltra præcisam necessitatem quidquam sumatur.

Pet. Nau. — *Fagund.*

60. 2. difficultas. An Prælatus teneatur alere fratrem illum, qui in iuuentute diù apostatauit, fugas arripuit, multa commisit scandala, cum per senectutem, vel infirmitatem incurabilem inutilis deuenerit. Verè hic punctus difficilis est, & à nullo; quod viderim, tractatus. Resolutè tamen dico, ex iustitia non teneri. Nam frangenti fidem fides frangi potest; l. Conuenerit, ff. Pro socio. l. Cum proponas, Cod. de pact. Barbos. in loco comm. lit. F. num. 41. Cum ergo iste fidem datam Religioni de suis operibus pro ea impendendis non seruauerit, non tenetur Religio fidem de eo alendo seruare: & valde durum est, quòd filij Belial, qui iugum fregerunt, & Dominum proiecerunt, filijs Dei necessaria tribuantur. Ex charitate autem ratione ligaminis fraternitatis, eum alere deberet. Et proportionaliter dic, quòd qui malè seruit, malè ali meretur, abundans tamen charitas omnes æqualiter tractari suadet.

Barbosa.

61. Constat ergo ex dictis, demandatam esse Prælatis sub culpa mortali curam bonorum temporalium, & spiritualium. Et docet Greg. 2. par. pastor. cap. 7. *Sunt nonnulli, qui gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritalia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur: qui, cum curare corporalia funditùs negligunt, subditorum necessitatibus minimè concurrunt.* Et idem Greg. relatus in cap. Petrus Diaconus, dist. 39. ait, *talis hoc tempore in regiminis debet arce constitui, qui non solùm de salute animarum, verùm etiam de extrinseca subiectorum vtilitate sciat esse sollicitus.* Docent etiam Trithem. in cap. 2. reg. S. Benedicti ad illa verba, Non plus gerat sollicitudinem, &c. Humbertus in spec. relig. par. 1. lib. 5. cap. 9. Nald. in summ. ver. Bona, nu. 14.

D. Greg. — *Trithem.* — *Humbert.* — *Naldus.*

Cura autem rerum spiritualium eos magis sollicitare debet, quam temporalium, & tantum, quantum anima corpori præstat; priùs enim quærendum esse regnum Dei, quam temporalia, docuit magister noster Christus Matth. 6. *Quid enim*, inquit Abbas Nilus in ascet. apud
Magal. Magal. in Iud. cap. 5. sect. 1. annot. 3. num. 59. *in virtutis studium incumbentibus vnquam defuit, quod vitæ esset necessarium, quamuis nihil omnino solliciti essent?* Sed, Deus bone, quomodo hunc ordinem peruertit humana cupiditas? quàm sunt anxij, & solliciti aliqui Prælati in curandis temporalibus, & quàm dormientes in curandis spiritualibus? illud Poetæ obseruantes.

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm;
Virtus post nummos.

Matth. 16. Et illud Christi Matth. 16. contemnentes, *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Contra hos Prælatos benè inuehitur Tritthem. p. 1. de reg. claustr. tract. 1. art. 3. num. 2. *Sed Pastor*, inquit, *Monachorum inordinate auaritia spiritu seducitur, & mente, tamquam non sentiens, excæcatur, Domini à se timorem proijcit. Impulsus auaritiæ stimulis mandata Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ despicit, dies festos non custodit, rebus terrenis totus immergitur, nihil aliud, quàm temporalia, meditatur, semper lucris terrenis inhians, de profectu animarum nihil curas: sacra lectionis codex rarò, vel numquam in manibus eius conspicitur, registra censuum crebriùs reuoluuntur: agrum agro copulat, aurum, & argentum semper in thecam sepeliendum comportat, & dum abundare monasterium suum rebus temporalibus nimium desiderat, prædam raptoribus præparat. Væ tibi Pastor auare claustralium, qui maiorem sollicitudinem de brutis animalibus geris, quàm de commissis tibi animabus? infirmatur equus, & mox paras remedium, perit anima, & nullum putas imminere periculum?*
D. Gregor. Et Greg. 2. par. pastor. cap. 7. *sæpe*, ait, *nonnulli velut obliti, quod fratribus animarum causa prælati sunt, toto cordis adnisu secularibus curis inseruiunt: has, cū adsunt, se agere exultant; ad has etiam, cum desunt, diebus, ac noctibus cogitationis*
P. Damian *turbidæ æstibus anhelant.* Et P. Dam. to. 1. lib. 6. ep. 33. *Ergò formidulosius*, inquit, *diuinum cogimur expectare Iudicium, quò rationem debemus, non de fregetibus in successiuum mox cuniculos digerendis, sed de animabus potius, quæ sui repræsentant imaginem conditoris.*

62. Signa autem, quibus dignosci potest, an Prælatus magis curet temporalia, quàm
Humb. spiritualia, hæc sunt secundùm Humb. loc. cit. *si in propria persona terrenis negotijs intendit, & in spiritualibus Vicarium ponit. Si non timet fratres suos periculo exponere, vt temporalia bene seruare valeat, & augere, vt cum magnis expensis muros erigit, & mores negligit. Si quotidianas expensas frequenter computat, animarum vero detrimenta, vel profectus ignorat. Si, quando fratres veniunt ad capitula, de rerum temporalium conseruatione, vel multiplicatione est tractatus primus, de Ordinis verò reformatione vltimus, vel nullus. Item si solicitè prouidentur, quæ necessaria sunt corporibus, de his verò non curat, quæ sunt necessaria animabus.*

63. Et intantum est commendata Prælatis cura animarum sibi subditarum, quòd, si permittat passim violari regulas sui Ordinis, ad culpam tantùm venialem obligantes, propter pigritiam, ne scilicet quietem suam turbet, vel aliam quamcumq; causam, mortaliter peccat. Quia, cum teneatur pro viribus progressum suæ Religionis procurare, & ex hac frequenti transgressione non modicum patiatur detrimentum Religio, hoc detrimentum ipsi Prælato tamquam custodi imputatur, &, cum sit graue, grauem inducit culpam. Ita Sanch. 1. *Sanch.*
in decal. cap. 6. num. 19. Naldus in summ. verb. *Naldus.*
Prælatus, num. 11.

§. *Secundus, An iurisdictio Prælatorum regularium sit ex iure diuino.*

64. IDEATVR Mich. Med. de indulg. disp. 6. cap. 29. Alph. à Castro de iust. hæret. pun. lib. 2. c. 24. Vict. relect. 2. de pot. Eccl. n. 28. propos. 3. Bell. tom. 1. de Rom. Pont. lib. 4. à cap. 22. Bann. 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 5. ex comm. fusioribus. Sotus lib. 10. de iust. quæst. 1. art. 4. Llam. 3. par. met. cap. 6. §. 9. Magal. proœm. in epist. Pau. sect. 12. Rodriq. to. 1. quæst. reg. quæst. 17. art. 2. Henriq. lib. 6. cap. 5. num. 7. Miranda tom. 1. man. quæst. 13. art. 4. Coriol. de cas. reser. par. 1. sect. 1. art. 3. nu. 2. Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 25. sect. 1. & to. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 1. num. 7. Vasq. t. 2. disp. 152. cap. 3. à num. 18.

Mich. Med. A Castro. Vict. Bellarm. Bannes. Sotus. Llmas. Magal. Rodriq. Miranda. Coriolan. Suarez. Vasquez.

65. Dico 1. certissimum est, iurisdictionem, quam habent Prælati regulares in suos subditos, esse illis tributam à Christo Domino immediatè immediatione virtutis. Probatur, quia omnis potestas spiritualis pendet à Christo, tamquam à primo fonte; cum enim ad beatitudinem supernaturalem sit ordinata, omnem excedit facultatem naturæ. Ergo Christus concurrit ad communicandam huiusmodi potestatem, cuicumq; communicetur. Sicut enim primus orbis dicitur concurrere ad omnes motus corporum cœlestium immediatione virtutis, quia nullum potest moueri, nisi accepta virtute ab illo primo, sic etiam nulla potestas spiritualis est in Ecclesia, in quocumq; Prælato existat, nisi per virtutem Christi primò concurrentis ad illam conferendam.

66. Dico 2. probabile est, quòd iurisdictio Prælatorum regularium sit à Christo immediatè immediatione suppositi: Ita Medina, *Medina.*
Rodriquez, Miranda, Sotus, Coriol. loc. cit. *Rodriq.*
Probatur, quia, vt hoc cap. num. 2. dictum *Miranda.*
est, Christus Religiones instituit, & quò ad *Sotus.*
essentialia ita instituit, vt per nullam vmquam humanam prudentiam meliùs institui possent. Vnde Apostolos, Christianæ Religionis prima exemplaria, votis religionis obstrinxit; nec solùm instituit pro statu Apostolorum duraturas; omnia enim, quæ fecit, ad eruditionem nostram fecit, *ad consummationem Sanctorum*, vt dicitur ad Ephesios 4. *in opus ministerij, in ædificationem corporis sui, donec occurramus omnes in vnitatem fidei*, &c.

idest

Idest donec omnes infideles ad Christi fidem conuertantur, quod erit in fine mundi, quando erit vnus pastor, & vnum ouile. Ergo Religiones instituit perpetuò duraturas, tamquam a diuina institutione manantes, super quam nulla humana potestas auctoritatem habet, & tamquam validissima paludamenta, ad Ecclesiam Romanam, catholicamq; fidem sustentandam. Sed de essentia Religionum perpetuò duraturarum est, vt habeant Prælatos eiusdem Religionis. Ergo Christus reales Prælatos cum iurisdictione sufficienti instituit. Hæc consequentia probatur auctoritate Apost. loco cit. vbi ait. *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Vbi per Pastores intelliguntur omnes Prælati ecclesiastici, vt dicit A Lapide ibi, curam animarum habentes. Si ergo hos instituit, necessariò dedit illis omnem iurisdictionem, quæ erat necessaria pro tali munere debitè obeundo, alioquin non posset dici illos gradus instituisse; instituere enim aliquem in Vicarium V. G. est dare illi omnem potestatem Vicarij: deinde qui dat formam, dat consequentia ad illam. Cum verò sciret Christus quod non erat semper nobiscum per extrinsecam assistentiam conuersaturus, mandauit suo Vicario, vt perpetuò, quod ille fecerat cum suis Apostolis, & in communi, ipse faceret cum omnibus Prælatis ecclesiasticis, in particulari, id est daret illis iurisdictionem necessariam pro modulo regiminis. At hoc est iurisdictionem immediatè à iure diuino pendere; quod enim mandato Principis fit, à Principe fieri dicendum est. Et nemo dubitat, electionem Moisis, Iosue, Saulis, & Dauid à Deo proxime, & immediatè manasse, vt bene Azor par. 2. institut. mor. lib. 11. cap. 1. quæst. 1. ver. Obijcies. Et sacramenta baptismi, pœnitentiæ &c. virtute Christi immediatè ministrantur. Quòd verò Christus id iusserit Petro, & successoribus, colligitur ex cit. loco Pauli. Si enim Christus Pastores instituit, & Pastores non sunt sine iurisdictione, ergo iurisdictionem, quam habent, à Christo habent immediatè per suum Vicarium. Quod de essentia Religionum sit habere Pastorem eiusdem professionis, constat ex clem. 1. de elect. cap. Cum causam, de elect. vbi dicitur, Cum secundùm legem diuinam Deut. 22. non sit in boue arandum, & asino, idest homines diuersæ professionis in vno officio non sint sociandi, vt ibi exponit Glossa, & dicitur etiam cap. In noua actione, 16. quæst. 7. Et in cap. Diuersis fallacijs, de cler. coniug. dicitur, quòd malè conueniunt citharæ cum psalterio: diuersitas enim professionis, & habitus, dissensiones, & scandala causat; cap. Quod Deo, 33. q. 5. c. Quidam, de apostat. Ergo secundùm legem diuinam, quam non soluere, sed adimplere venit Christus, per sacros Canones expositam, & declaratam, Prælati Religionum debent esse eiusdem professionis. Nec obstat, quòd aliquando Religionum Prælati fuerint Episcopi diuersæ professionis; nam non debemus considerare, quid factum sit, sed quid faciendum erat, c. Cum causam, de elect. & fortè etiam tunc bono Regularium regimini sic congruebat, iuxta illud Apost. 1. Cor. 13. *Cum essem paruulus loquebar vt paruulus, sapiebam, vt paruulus, cogitabam vt paruulus, quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Cum enim Religiones nondum eas vires recepissent, quæ erant necessariæ, vt absolutè per se ipsas cum sola Pontificis Romani assistentia gubernarentur, Episcopos tamquam christianæ perfectionis magistros habere conueniebat. Habuerunt tamen semper omnes Religiones suos immediatos Prælatos, vt ex antiquioribus regulis Basilij, Benedicti, Augustini constat.

A Lapide. *Azor.*

CAP. VI.

Vtrum liceat appetere Prælaturas, curam animarum annexam habentes.

1. IDEATVR D. Th. 2. 2. q. 185. art. 1. vbi Caiet. & quodlib. 2. art. 11. Anton. 2. par. tit. 3. c. 5. §. 3. ver. Sed quæritur; Sotus lib. 10. de iust. q. 2. art. 1. Sylu. verb. Episcopus, q. 3. Angel. eod. §. 2. & ver. Ambitio, §. 2. Tab. ver. Cathedra, num. 1. Nauar. tom. 4. miscell. 48. de or. n. 2. & lib. 5. cons. cons. 17. de sent. excom. num. 7. Ledesma de stat. Episc. cap. 3. à concl. 1. Corrad. 1. p. cas. q. 152. Val. to. 3. disp. 10. q. 3. par. 2. Azor. tom. 2. lib. 3. cap. 18. quæst. 2. Fest. in const. Præd. par. 3. cap. 11. Suar. to. 4. de relig. tract. 3. lib. 6. c. 7. Henriq. lib. 10. c. 32. nu. 3. Torres lib. 3. mor. phil. c. 3 Barbos. de pot. ep. to. 1. tit. 2. gloss. 1 n. 8. Sartorn. in cine Reip. reg. consid 22. Castell. de elect. c. 9. num. 36. & cap. 10. à nu. 12. Ghetius in theol. mor. verb. Prælatus, q 2. Alb. Trott. de perf. cler. lib. 2. par. 1. requis. 8. num 91. Regin. in prax. lib. 30. tract. 3. à num. 186.

D. Thom. Caietan. Antonin. Sotus. Syluester. Angelus. Tabiena. Nauarr. Ledesma. Corradus. Valentia. Azor. Festus. Suarez. Henriqz. Torres. Barbosa. Sartorinus. Castellin. Ghetius. Alb. Trott. Reginald.

2. Noto 1. ex D. Tho. 2. 2. cit. quòd in Prælaturis tria possunt considerari. Primum, & principale est operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur. 2. est altitudo gradus 3. est reuerentia, & honor, & sufficientia temporalium.

3. Noto 2. quòd tria genera personarum solent Prælaturas appetere. 1. est earum, quæ omnino illis indignæ sunt propter aliquem defectum, vel naturalem, vel canonicum 2. earum, quæ dignæ quidem sunt, sed peruersè appetunt, vt si appetant Prælaturas, non propter animarum salutem procurandam, sed propter celsitudinem gradus, honorem, aut bona temporalia, vel, si sint Regulares, vt Religionis iugum excutiant. 3. earum, quæ & dignæ Prælatura sunt, & recto ordine appetunt, vt scilicet salutem curent animarum.

4. Dico 1. si indignus Prælaturam appetit, mortaliter peccat. Tum ratione iustitiæ, impedit enim locum digno, cui talis Prælatura ex iustitia debebatur. Tum ratione charitatis, nam talis nociturus est ouibus potiùs, quàm profuturus. Tum ratione præsumptionis, appetens id, quod sibi non debetur, & ad quod exercendum non habet vires. Ita Val. loc. cit. in princ. Ledes. cit. conl. 5. & multo maius peccatum est eo casu Prælaturam recipere; Ledes. Sotus loco cit.

Valen. Ledesma. Sotus.

5. Dico 2. dignus, qui appetit Prælaturam ratione bonorum temporalium, vel celsitudinis gradus, illa sibi constituendo tamquam finem primarium, & principalem, peccat omnino mortaliter. Sot. Val. Caiet. loco cit. Ledes. concl. 7. Antonin. mox cit. peruertit enim finem Prælaturæ, qui est principaliter proximi salutem procurare; non solùm enim dilectio Dei, & proximi est in præcepto, sed etiam ipse ordo dilectionis, vt D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 1. est autem de ordine dilectionis, vt diligamus priùs salutem animarum, quàm corporum. Anton. 2. par. tit. 3. cap. 5. §. 4. ver. Quæreret ergo. Qui verò mouetur ad appetendam Prælaturam ratione bonorum temporalium, vt habeat sufficientiam temporalium, & honorem, ita tamen, vt temporalia non sint finis Prælaturæ, sed appetitur, quia cum hoc intendit facere debitum suum circa curam animarum, & distributionem bonorum, nec intendit vti Episcopatu ad finem temporalium, sed quantum sibi conceditur portione sua, & debito sibi honore, &c. ad laudem Dei, hic tantùm venialiter peccat. Ita Caiet. 2. 2. q. 185. art. 1. ver. Nihilominus tamen. Qui addit, ex hoc non reddi quemquam Prælatura indignum; quod etiam notauit Ledes. loco cit. concl. 7. dub. 1. Nauarr. lib. 5. cons. de sent. excom. cons. 17. n. 7. ait, quòd Prælatura appetitur à digno etiam absq; veniali, modò principaliter appetatur, vt prosit, & minùs principaliter ob vtilitatem, vel honorem.

Sotus. Val. Caiet. Ledesma. Antonin. D. Thom. Antonin. Caiet. Ledesma. Nauarr.

6. Dico 3. etiamsi quis sit Prælatura dignus, eamq. recto ordine appetat, videlicet vt prosit, non præsit, communiter tamen mortaliter peccat sic appetendo sine necessitate. Ita D. Thom. 2. 2. cit. Anton. loco cit. §. 3. & 4. Val. tom. 3 disp. 10. quæst. 3. par. 2. col. 3. ver. Nihilominùs, & ver. seq. Tab. verb. Cathedra, num. 1. Sot. loco cit. Ledes. loc. cit. dub. 2. pag. 24. Syln. ver. Episcopo quæst. 3. Corrad. loc. cit. Probatur, quia temerarium est magno periculo salutis se exponere, absq. vrgenti necessitate, sed qui Prælaturas appetit, magno se salutis periculo exponit, ob multitudinem, & grauitatem obligationum, quas secum ferunt Prælaturæ, vt constat præcipuè ex 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1. & manifestè apparet ex tota quæst. seq. Quare S. Tho. quodl. 5. art. 22. laudat eos, qui Prælaturas declinauerunt, vt fecisse ferunt Nazianz. qui ideò è patria discessit, ne ad Episcopatum ascendere cogeretur S. Ephræm, qui eiusdem rei gratia insaniam simulauit, Bernardum. D. Tho. & alios multos. Ambrosius, Augustinus, Cyprianus, Bonauentura susceperunt inuiti. P. N. Franciscus offerenti Syxto IV. eas maiores dignitates, quas potest catholica Ecclesia conferre, cœli se solùm dignitates ambire respôdit, nec inde remoueri potuit, quantumuis rogatus. Per easdem semitas eum fuere secuti P. F. Gaspar de Fosso, qui cum Episcopalem dignitatem, mandante Paulo IV. ad Infantiam Caroli V. recipisset, offerenti deinde Gregorio XIII. per Cardinalem S. Syxti nepotem, Cardinaliciam dignitatem, respondit, eam nec corpori, nec ætati, nec meritis eius conuenire, vnde Roma aufugit ferè. Per easdem semitas cucurrit P. F. Ioannes à Flumine frigido eloquentissimus concionator, & nostræ Religionis aliquando Generalis, qui oblatam cardinalitiam dignitatem per Pium V. omatum stupore intrepide recusauit: & rogantibus Fratribus, vt saltem ad honorem Religionis reciperet, respondit, honorem Religionis non consistere in pompaticis istis dignitatibus, sed in Religiosorum sancta, & exemplari conuersatione. Quare Religio nostra licet adhuc Cardinales non habuerit, habuit tamen, qui eam dignitatem recusarunt: quod est multò plus gloriosum, quam multos habuisse; licèt habuisse, vel non habuisse Cardinales, nihil addat, vel minuat Religionum gloriæ, cum aliquæ sint antiquissimæ, & illustrissimæ, atque maximæ Religiones, quæ non adhuc his temporibus tali dignatæ sint honore ab Apostolica Sede. Et qui cupit scire, qui etiam Romanum Imperium recusarint, vel coacti receperint, adeat nostrum Rangol. in 1. Reg. c. 10. ver. 22. P. Greg. lib. 6. syntag. cap. 10. num. 7. Videat etiam Plat de bon. stat. relig. lib. 2. c. 26.

D. Tho. Antonin. Valentia. Tab. Sotus. Ledesma. Syln. Corrad. S. Tho. Rangol. P. Greg. Platus.

7. Constat etiam nostra conclusio ex his, quæ dixerunt PP. & Philosophi contra huiusmodi ambientes. Aug. 19. de ciu. cap. 19. *Locus*, ait, *superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atq; administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur*, &c. & lib. 3. de doctr. christ. cap. 15. agens de illo appetitu dominandi, quo plerumq; laborant homines se ipsos amantes, ait. *talis autem dilectio meliùs odium vocatur*. Et Chrysost. hom. 35. op. imperf. ad illa verba, Audientes decem indignati sunt. *Primatum*, inquit, *honoris concupiscere vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se odit.* & ibid. *quicumq; desiderat primatum in terra, inueniet confusionem in cælo, vt iã inter seruos Christi non sit de primatu certamen.* Et hom. 29. in 2. ad Cor. cap. 13. *Si vis gloriam habere, contemne, si enim gloriam sectaris, gloria excides.* Et Greg. 24. mor. c. vlt. *Tunc solùm potestas bene geritur, cũ non amando, sed timendo detinetur, quæ vt ministrari rectè valeat, oportet primùm, vt hanc non cupiditas, sed necessitas imponat.* Et idem relat. cap. vlt. 1. q. 6. ait, *sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus, sic qui vltro ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus; nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo descendat?* Isidor. lib. 3. sent. c. 48. *Qui in appetendis honoribus seculi, aut prosperitatibus mundi instanti desudat labore, & hic, & in futuro vacuus inuenitur a requie; tantóq; seruitiis peccatorum grauatur, quanto à bonis operibus extitit alienus.* Et Leo Papa relat. in cap. Miramur, d. 61. *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus, aut actibus non offendit, ipso tamen initii sui est perniciosus exemplo & difficile est, vt bene peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Ber. ep. 126. & ser. 18. ex paruulis. *Quisquis dominari non appetit, is profectò fructuosè præest cæteris instituendis.* Et ep. 42. *curritur ad Ecclesiasticas curas tamquam sine curis.* Et infra, *non cum tanta alacritate currerent ad honores, si onera sentirent, & curua, grauari profectò meminerunt, nec cum tanto labore, & periculo dignitates affectarent.* Laur. Iust. de regim.

Augustin. Chrysost. D. Greg. Isidor. Bernard. Iustin.

regim. Prælat. cap. 1. *Nemo Primatum cupiat, nullusq. alij præesse desideret, cæteris quippe negotijs magis periculosum est regimen animarum, atq; ad illud, prout oportet, ministrandum difficillimè quisque reperitur idoneus. Verum si quis pro se ipso rationem reddere nequaquam sufficit, quanto minus pro se, sibiq. commissis? Iudicium durissimum, inquit Sapiens (Sap. 6.) fiet ijs, qui præsunt. Nempe si hoc homines considerarent, minimè ambirent præesse, neq; ecclesiastica dignitatis cathedram tanto cum studio quæritarent.* Plura huiusmodi *Nazianz.* vide apud Naz. or. ad ciu. graui tim. percul. *D. Ambr.* Ambr. lib. 2. de sacerd. D. Th. & alios PP. Cresp. *Cresp.* in sum. cath. fid. ver. Episcopatus vac. non amb. Ex quibus satis constat, mortale esse Episcopatum appetere. Nec putandum, PP. *Torres.* solùm loqui de indignis, vt notat Torres lib. 3. de mor. philos. cap. 3. §. 1. nam de his nulla poterat esse dubitatio.

8. Nec latuit ethnicos hæc appetendæ dignitatis pernicies. Epictet. in enchir. cap. 20. *memento*, ait, *oportere te velut in conuiuio versaris in quo, si fercula ad te peruenerint, extenta manu modestè carpe: si transit qui fert, ne eum detine: si nondum peruenit, ne procul appetitum extende, sed expecta dum ad te veniat. Sit ergo principatus,* *Tullius.* &c. Tull. 1. de off. *Cauenda est etiam gloriæ cupiditas, eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec vero imperia expetenda, ac potius non accipienda interdum, aut* *Plato.* *deponenda nonnumquam.* Et Plato de reg. tendens ad fin. *Quippe si bonorum virorum esset ciuitas, in ea haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quàm nunc certetur imperandi cupidi-* *Antonin.* *tate.* Et Ant. ser. 174. ad Stob. *Nemo*, ait, *cum liceat sine periculo sequi, ducere periculosè concupiscat.* Et huius resistentiæ, quam dignitatibus faciunt sapientes viri, rationem elegantem *P. Gregor.* dat Th. Mor. vt refert P. Greg. lib. 6. syntag. cap. 20. num. 7. *meritò abstinent sapientes à regenda Republica, habentes satis, vt quia alienæ stultitiæ mederi non possunt, ipsi saltem sint in tuto. Veluti qui effusum in plateas populum cum ab imbribus ad tecta reuocare non possunt, consultè agunt, qui semet intra tecta continent.*

9. Dico 4. in casu necessitatis vt si alicubi vel propter labores, & pericula vitæ, Prælaturis annexa, nemo reperiretur, qui vellet eam recipere; aut propter aliquorum malitiam esset alias præficiendus indignus, liceret digno *D. Thom.* Prælaturam appetere. Ita D. Th. & omnes communiter. Quia bonum commune particu- *D. Gregor.* lari laudabiliter præfertur. Quo pacto Greg. 1. *D. Thom.* p. pastor. cap. 8. & D. Th. 2. 2. cit. ad 1. intelligunt illud Pauli 1. ad Tim. 3. *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ea enim conditione erant tunc temporis Episcopi, vt singulis ferè momentis mortem pro Christo expectarent. *Plato* Hanc doctrinam videtur apertè docuisse Plato loc. cit. vbi ait, *neq; pecunia, neq; honore ducti boni homines imperare volunt: neq; enim apertè pecuniam magistratus præmium accipientes, mercenarij vocari volunt, neq; clanculùm, fures: neq; rursus honoris causa; non enim ambitiosi sunt. Oportet igitur necessitatem illis imponi, & mulctam, si futurũ est, vt velint magistratum accipere.*

10. Dico 5. peccatum mortale est Prælaturas *Antonin.* procurare. Anton. 2. p. tit. 3. cap. 5. §. 2. & alij communiter. Si enim non licet appetere per actum interiorem, multò minus licebit procurare per actum exteriorem, vt ait Cai. in *Caietan.* sum. ver. Beneficia. Et probatur ex Ecclesiastici 7. *Noli quærere ab homine ducatum, neq; à Rege cathedram honoris.* Et ad Hebr. 5. dicitur, *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Et videtur contra ius naturale, quòd aliquis velit procurare onus supra vires suas: æstimare autem vires se habere ad id necessarias, præsumptuosum est.

11. Nota, quòd 3. modis procurantur officia. Per preces, per obsequia, per munera. Et omnes isti 3. modi simoniaci sunt, & mortale peccatum inducunt, vt D. Th. 2. 2. q. 100. ar. 5. *D. Thom.* corp. & ad 3. Anton. loc. cit. §. 2. & 3. ver. *Anton.* Dicit. num. ibi. P. Dam. lib. 2. ep. ep. 3. Et notat *P. Damian.* D. Th. loc. cit. ad 3. quòd precari pro aliquo *D. Thom.* digno, vt ad Prælaturam assumatur, non est simonia, nisi rogatus, vel rogator non attendat ad dignitatem personæ, sed ad humanum fauorem; nam tunc simonia erit ex intentione. Si verò aliquis pro se rogat, vt obtineat Prælaturam habentem curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus. Licitè tamē potest aliquis pro se petere, si sit indigens, beneficium ecclesiasticum sine cura animarum; quia cum seruiat altari, ex illo viuere debet. Potest etiam peti licitè, & procurari Prælatura in casibus necessitatis, & sine scandalo, vt dixi num. 9. Atq; ita Cai. 2. 2. q. 100. ar. 5. Val. to. 3. *Caietan.* disp. 10. q. 3. p. 2. col. 4. vers. Casus autem, hoc *Valent.* enim est consilium charitatis, non præsumptionis. Ait etiam ibi Cai. quòd vbi regimen ecclesiasticum esset corruptum, petitio, & procuratio beneficij curam animarum habentis pro se aliis digno, ex humano affectu procedens, licèt sapiat aliquid præsumptionis, pro quanto quis petit præesse; quia tamen appetit intendens prodesse, & periculum imminet semper malæ prouisionis, stante huiusmodi corruptela, quòd probi viri postponuntur, non plus quàm venialis videtur illa præsumptio. Sed hanc doctrinam in mea Religione non admitto; vt de nullo modo puto licitum esse dignitates procurare, per doctrinam D. Th. *D. Thom.* illo ar. 5. ad 3. Pœnas inflictas contra procurantes officia in Religionibus vide to. 1. huius op. q. 2. cap. 1. §. 11. & to. 2. nostr. priu. in const. 5. Pauli V. & quando quis teneatur dignitates acceptare, & quando possit recusare, dixi to. 1. huius op. q. 1. cap. 10.

12. Ad vltimum nota, quòd Cai. in summ. *Caietan.* ver. Beneficia Ecclesiastica, §. Beneficium; *Corradus.* Corr. 1. p. cas. q. 253. ver. Quarta est; dicunt, quòd appetere secundùm quid, idest si Superiori videatur expediens, cognoscendo se indignum cum tremore, cōmittendo negotium Deo pro honore ipsius, & salute Ecclesiæ, non est perniciosum, nec damnabile, immo videtur meritorium, si ex charitate procedat, cum per hoc non intendat se ingerere, sed Deo se offerre. Hic casus potest concedi, si fletur in eo, et ambitionis blanda subtilitas, ea esse verba pura mihi scrupulum inijcit, ait enim Greg. 1. p. pastor. cap. 9. quòd *sæpe mens de se* *D. Gregor.* *ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat; de mundi autem gloria non amare*

quod

quod amat, &c. Vnde melius est istas tentationes expellere, & sequi B. Laur. Iust. consilium (L. Iustin.) de regim. Præl. cap. 1. vbi ait; *Quoties immissiones præsidendi nobis fiunt per angelos malos, vel suasiones fiunt per homines bonos, aut ex concupiscentia carnis, & vitæ huius immoderata affectione cogitationes in nobis formantur, ad propria recurramus infirmitatis examen, ad pauendumq; extremæ animaduersionis iudicium, & omnino desiderium fugabitur dominandi. In illo quippe die nequaquam erit securior, qui fuerit potentior, sine maior erit, qui fuerit honoratior, quin potius qui extiterit corde humilior*, &c.

23. Denique potest quis licitè petere à Deo secundùm beneplacitū voluntatis suæ, vt eum dignum iudicet faciendi talia opera, quibus Ecclesiæ suæ prodesse possit. Appetere etiam potest ea opera facere, quæ bonus Prælatus faceret in Prælatura bene administrata. Ita (D. Tho.) D. Th. 2. 2. q. 185. ar. 1. corp. & pro fine, & coronide illius materiæ notentur sequentes versus.

Esse, fuisse, fore, tria florida sunt sine flore.
Nam simul omne perit, quod fuit, est, & erit.
Quod fuit, est, & erit, perit articulo breuis horæ.
Ergo quid prodest esse, fuisse, fore?

CAP. VII.

In quem finem constituantur Prælati in Religionibus.

D. August. D. Thom. Aristotel. Antonin. Tostatus. Aegidius. Rodriq. Miranda. Lipsius. Feron. Topinc. Ianell. Rangolius. Contzen. Reginald. Ribadene. Bellarm. Torres. Barbosa. Vgolin. Crescetius.

1 Ideatur pro hoc cap. Aug. in tr. de Pastor. qui est 10. 9. cap. 1. & 2. D. Th. 1. de regim. princ. c. 1 & lib. 3. c. 11. & opusc. de regim. Iud. q. 6 & 2. 2. q. 185. ar. 5. corp. Ar. 8. mor. c. 10. 3. pol. c. 5. 5. pol. cap. 10. Anton. 3. p. tit. 19. c. 11. §. 1. Tost. in Exod. cap. 20. q. 19. Bened. Aegid. de iust. p. 2. cap. 3. nu. 7. Rodr. to. 3. q. reg. q. 34. ar. 5. Mir. to. 2. man. q. 5. ar. 5. Lips. lib. 1. exemp. pot. c. 7. Fer. in reg. S. Bened. cap. 2. p. 4. nu. 61. Top. de pot. princ. sec. §. 5. à nu. 18. Ianel. to. 2. suor. op. tr. de off princ. christ. p. 3. c. 2. Rang. in 1. Reg. c. 8. ver. 15. tit. An sic publicè, &c. & cap. 12. ver. 3. illis verbis, Verum bouem; Contz. 2. pol. c. 2. §. 4. Regin. in prax. lib. 20. nu 69. Ribad. de princ. christ. lib. 2. cap. 9. & 10. Bell. de off. princ. christ. lib. 1. cap. 7. Torr. in phil. mor. lib. 3. cap. 13. præsertim §. 3. Barb. de pot. epis. p. 1. tit. 2. gloss. 2. nu. 6. Vgol. de pot. epis. cap. 1. num. 2. Cresp. in sum. cath. fid. ver. Pastor.

2. Dicendum est, Prælatos dari in Religionibus in commodum, & vtilitatem, non ipsorum, sed subditorum. Ita omnes DD. cit. Probatur 1. ex scriptura sacra. Ezech. 3. *Speculatorē dedi te hodie domui Israel.* Et cap. 33. *Quòd si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina*, &c. *sanguinem eius de manu speculatoris requiram.* Quæ loca explicans (D. Gregor.) Greg. hom. 11. in Ezech. ait. *Cui aliena cura committitur, speculator vocatur, vt in mentis altitudine sedeat, atq; vocabulum nominis ex virtute actionis trahat: non est enim speculator, qui in imo est; speculator quippe semper in altitudine stat, vt quicquid venturum est, longè prospiciat.* Et cap. 13. reprehenduntur Prælati, eo quòd sibi commissum gregem non defenderint. *Non ascendistis*, dicitur, *ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.* Et cap. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semet ipsos: nonne greges pascuntur à Pastoribus?* Et ibid. *lac comedebatis, & lana operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, & ægrotum non sanastis, & quod confractum erat, non alligastis* &c. Ier. 13. *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? quid dices, cum visitaueris te?* Et ps. 77. *Elegit Dauid seruum suum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.* Elegit, inquit, Dauid, non vt pasceret se ipsum, sed vt pasceret Iacob. & Israel. Et subdit, *& pauit eos in innocentia cordis sui.* Et num. 11. dicitur, *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantem.* At nutrix non portat infantem propter commoditatem propriam, sed infantis. Et 1. Pet. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*, & Io. 21. summo Pastorum Petro dictum est. *Pasce agnos, pasce oues.* Et ad Hæb. 5. dicitur, *Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Quem locum explicans ibi D. Th. ait. (D. Thom.) *Pro hominibus constituitur, idest pro ipsorum vtilitate; non enim constituitur propter gloriam, non propter cumulandas diuitias, non propter consanguineos ditandos. Si verò aliquis quærit quod suum est, non est Pastor, sed mercenarius.*

3. 2. Probatur ex PP. Aug. loc. cit. cap. 1. ait. (D. August.) *Nos enim, quos in isto loco de quo periculosa redditur ratio, Dominus secundùm dignationem suam, non secundùm meritum nostrum constituit, habemus duo quædam, vnum, quod christiani sumus; alterū, quòd præpositi sumus. Illud, quod christiani sumus, propter nos est; quòd autem Præpositi sumus, propter vos est. In eo quod christiani sumus, attenditur vtilitas nostra; in eo quod Præpositi sumus nō nisi vestra.* Et 19. de ciu. Dei, cap. 14. *Qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare* Greg. lib. 5. in 1. (D. Gregor.) Reg. cap. 20. in princ. *Vitæ quidem innocentiam pro nobis habemus, sed Prælationis culmen pro aliis non pro nobis ascendimus. Per innocentiæ bonum ad æternam patriam tendimus, per altitudinem gradus in aliorum custodia vigilamus.* Naz. or. 1. (G. Naz.) apol. nu. 91. *Hic spiritualis omnis imperij finis est vbique, priuata vtilitate neglecta commodis aliorum consulere.* Ber. ser. de trib. ord. eccl. in (D. Bernard.) med. *Puritatem quidem cordis in eo Prælatus habes, vt prodesse desideres, non præesse, vt scilicet proprium commodum, vel honorem seculi, seu aliud quidpiam suum in Prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem.* Synes. de regno, in princ. (Synesius.) *Verùm qui id in vita ratione sequitur, quod subditis commodum videtur qui laborem, & molestiam perferre vult, ne quid illis molestum sit, qui pro illis periclitatur, vt in pace, & securitate degant, quiq; vigilare, & in maximo concursu sollicitudinum versari sustinet, vt noctu, & interdiu subditi malis omnibus vacent, hic in genere quidem ouium Pastor, in hominum verò genere Rex est.* D. Th. lib. 1. de reg. cap. 1. (D. Thom.) *Si verò non ad bonum commune multitudinis, sed ad bonum priuatum regentis regimen ordinatur, erit regimen iniustum, atq; peruersum: bonum siquidem gregis Pastores quærere debent, & Rectores*

quilibet

quilibet bonum multitudinis sibi subiectæ. Et lib. 3. cap. 11. *Regnum non est propter Regem, sed Rex propter regnum, quia ad hoc Deus prouidit de eis, vt regnum regant, & gubernent, & vnumquemq; in suo iure conseruent, & hic est finis regiminis, quod si aliud faciunt in se ipsos commodum retorquendo, non sunt Reges, sed tyranni*. Et de reg. Iudæor. quæsito 6. *Considerare debetis, quod Principes terrarum sunt à Deo instituti, non quidem vt propria lucra quærant, sed vt communem* *Hildelb.* *populi vtilitatem procurent*. Hildelb. Archiep. Turon. ser. in illud Lucæ 12. Cui multũ datum est, multum quæretur ab eo; relat. in bibl. PP. to. 3. pag. 871. ex impressia Paris. 1624. *Pastoris est quærere non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, non commoda temporalium rerum, sed salutem* *Tostatus.* *animarum*. Tost. cap. 20. Exod. q. 19. *Qui autem Princeps, vel Prælatus est magis vacans vtilitati suæ, quàm distributioni iusti politici non Prælatus, aut Princeps, sed tyrannus est. Quæ satis dura definitio est nostris Principibus, & Prælatis*.

4. 3. Probatur ex Trid. sess. 25. cap. 1. de refor. *Optandum est, vt ij, qui episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes, agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant*. Videatur etiam cap. 1. sess. 24. cap. 3. eod. tit. Et cap. Si qui Episcopi, §. Ecce cum, 1. q. 1. & cap. Qui Episcopatum, & cap. In scripturis, 8. q. 1. & cap. In decima 18. q. 2. & cap. Quorum vices, d. 68. vbi Prælati vocantur Patres Ecclesiæ; patres *Bellarm.* autem filijs seruiunt, vt Bell. to. 1. disp. de sum. Pont. lib. 1. cap. 7. ver. Respondeo, duplex esse genus. Vbi ait, *Episcopi sunt serui Ecclesiæ, quemadmodum etiam Magistratus seruit Reipublicæ, & Rex populo (si Rex, non tyrannus sit) & pater filijs, & Magister discipulis*.

Ægid. 5. 4. Probatur ex Theologis. Ægid. de reg. p. 2. lib. 3. c. 6. *Rex respicit bonum cõmune,* *Victor.* *tyrannus verò bonum propriũ*. Victor. in relect. 4. de pot. Papæ, & Concil. prop. 17. *Potestas Principum est à Republica, quæ non dedit eis potestatem ad grauandum subditos, sed ad conseruandum* *Medina.* Med. 1. 2. q. 90. ar. 2. concl. 1. *Reges, & Principes non possunt instituere leges ad priuatum commodum, & vtilitatem. Certè sicut potentiæ naturales de natura sua institutæ sunt, vt tueantur bonum totius suppositi, sic potestas publica in cõmune bonũ* *Gerson.* *instituta est*. Gers. to. 4. de pot. Eccl. consid. 13. col. 5. *Dicitur autem vnus ille bonus, vel Rex, vel Imperator, seu Monarcha, qui non proprium principaliter, sed commune bonum intendit in suo prin-* *Almainus* *cipatu*. Almain. in tr. de pot. Eccl. q. 3. cap. 4. *Gerson.* qui est insertus to. 4. cit. Gerson. *Principatus Apostolicus est ordinatus non propter bonum principantis, sed propter bonum commune subiectorum*. *Rang.* Rang. in 1. Reg. cap. 8. ver. 11. de reg. cap. 16. *Natura magistratus, & imperij est, vt subditorum vtilitatem, non imperantis commodum respiciat*. *Topins.* Plures Theologos, & Iuristas vide apud Top. loc. cit.

Aristotel. 6. 5. Probatur ex Ar. 3. pol. cap. 5. *Quando igitur vnus, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas Rerumpublicarum species necesse est; quando autem ad propriam vtilitatem, transgressione sunt, & labes*. Et 5. pol. cap. 10. *vult autem Rex esse custos, vt qui diuitias habent, nihil iniustum patiantur; nec vero iam populus afficiatur contumelijs: tyrannus autem, vt sæpe iam diximus, ad nullam communem respicit vtilitatem, nisi gratia proprij commodi*. Et 8. mor. cap. 10. *Tyrannus suam, Rex subditorũ vtilitatem spectat, non enim est Rex, nisi ex se ipse sufficiat omnibusq; bonis excellat: At qui talis est, nulla re indiget, quo circa vtilitatem non sibi, sed subditis procurabit*. Et lib. 5. cap. 6. *Propterea non sinimus dominari hominem, sed rationem eo quod sibi ipsi id facit, & tyrannus euadit; est autem qui dominatur, iuris ipsius custos, at si iuris, æqui etiam. Quoniam vero esse ipsi nihil amplius videtur, siquidem est iustus, non enim amplius ex simpliciter bono sibi attribuit, nisi id ipsi proportione conueniat, id circo alteri laborat: atq; ideo iustitiam alienum esse bonum inquiunt. Merces igitur quædam danda est, ea autem est honor, & gloria; quibus vero hæc satis non sunt, ij tyranni efficiuntur*. Circa quem locum, cum aureus omnino sit, & christianus.

7. Noto 1. quò ad illa verba *Non sinimus*. Quod homo vt sic imperfectus est, multis oppressus passionibus; vnde, si secundùm eas dominari sinatur, omnes dominij commoditates sibi sumet, labores autem refugiet, & in subditos refundet, & sic sibi soli attendens, tyrannus euadet; perficitur autem per virtutes proprio sudore partas, secundùm quas cum dominatur, dominari dicitur secundùm rationem. Atq; ita bene dixit Menander. *Menand.*

Quàm suauis res est homo, si sit homo.

idest perfectus. Et Cic. 1. de off. *Quoniam autem*, inquit, *viuitur non cum perfectis hominibus, planeq; sapientibus*. *Cic.*

8. Noto 2. circa illa verba, *Quoniam verò esse &c.* quòd Princeps iustus non censet, sibi plus esse tribuendum, quàm alijs, nisi fortè secundum debitam proportionem Iustitiæ distributiuæ, secundùm quam qui plus laborat, plus manducat; vnde, cum nullus sit in Republica, qui plus laboret, quàm Princeps, plus etiam ipse, habita ratione dignitatis, accipere potest ad Principis dignitatem sustentandam. Vnde fit, vt, cum alijs, non sibi, laboret, & plus, quàm alij laboret, quòd non plus, quàm alij, recipiat, sed ad æqualitatem secundùm distributiuam Iustitiam.

9. Noto 3. circa illa verba *Merces igitur*, quòd cum secundùm Ius naturæ retribuendum sit aliquid mercedis ei, qui pro nobis laborat, cum Princeps pro subditis laboret, ab illis illi merces danda est, nimirum honor, & gloria, quæ sunt maxima bonorum, quæ ab hominibus dari possunt. Si autem sint aliqui Principes, quibus ista non sufficiant pro mercede, sed quærant lucra, illi sunt iniusti, & tyranni. Vnde 1. ethic. cap. 5. ait, quòd *honor est ciuilis vitæ finis*. Et honorem esse suauissimum pabulum Principatuum, docet ex Cicerone Cassan. *Cassaneus.* In catal. glor. mund. p. 5. consid. 2. & Patrit. *Patritius.* de regno lib. 9. tit. 2. ait, quòd iste honor est rectè factorum conscientia, quorum verus fructus est fecisse.

10. Noto 4. quòd ista optimè quadrant Prælatis regularibus; debẽt enim ij esse viri super omnes alios suæ respectiuè Religionis virtuosi, ad hoc vt possint regulas, & constitutiones seruare, & seruari facere; nec debent

sibi

sibi plus otij quàm alijs, tribuere, nec omnes Religionis labores in subditos refundere, ipsi verò delitijs, & commoditatibus vacare. Et cum viri virtuosi non solùm secundùm scientias speculatiuas, sed etiam secundùm morales, sciant, quid sibi conueniat, & quid non, non sibi isti plus tribuent de bonis Religionis, quàm alijs, nisi fortè aliter suadeat distributiua iustitia, secundùm quam dicta bona dicuntur etiam distribui ad æqualitatem, cum datur vnicuique quod illi est opus, vt dictum est supra. Vnde in Reg. nostra nu. 39. dicitur, *Huius Religionis, & vitæ regimini intendentes, cæteris in victu, ac vestitu se iuxta posse conforment.* Quoniam verò Superiores semper vigilare debent pro bono, & salute subditorum, ab istis illis de iustitia debetur honor, & reuerentia, quibus Superiores debent esse contenti, expectantes in alio seculo etiam à Deo retributionem.

Plato. 11. 6. Probatur nostra conclusio ex Platone, & alijs Philosophis, ac Poetis. Plat. lib. 1. de Rep. vltra med. *Neq; alius vllus in aliquo Principatu, & facultate imperans, quatenus Princeps est, quod sibi conferat, cogitat, aut præcipit, sed quod subiecto conducat, & quæ dicit, quæque facit, cuncta ad illius vtilitatem, decorumq; dicit, & facit.* & ibid. vers. fin. *patet, legitimum Principem, non sui ipsius, sed eius, qui sub ipso est, commoditatem respicere.* Et lib. de regno, vltra med. *Qua ratione vir sapiens, bonusq; gubernabit, semper ita ad salutem subditorum respiciens, vt ad nautarum, nauisq; salutem respicit gubernator.* *Cicero.* Et Cic. 1. de off. *Omnino qui Reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio Reipublicæ, ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est: Qui autem parti ciuium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducunt, seditionem, atq; discordiam.* *Plutar.* Plutar. ad Princ. inerud. ait, *Principes esse Dei administros ad tuendam hominum salutem, vt quæ Dij bona hominibus largiuntur, ea partim distribuant, partim conseruent.* *Eusebius.* Et Euseb. apud Stob. ser. 44. *Principem non ob quæstum priuatum, sed ob salutem, custodiamq; subditorum omnia facere oportet.* *Seneca.* Sen. lib. 1. de clem. cap. 14. Patrem patriæ Principem appellat, *vt sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaq; post illos ponens.* Et Hadrian. Imperatorem sæpe dixisse ferunt, *ita se Rempublicam gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam.* *Xenophon.* Et Xenoph. in memor. Socr. lib. 3. *Rex eligitur, non vt se se molliter curet, sed vt per ipsum ij, qui elegerunt, bene beatéq; agant*, & lib. 8. de pędia Cyri, statim ab initio. *Verum ego, ò viri, sæpe numero etiam alias cogitaui, bonum Principem nihilo differre à bono patre, nam, & parentes filijs prouident, vt bona his nunquam sint defutura.* *Lipsius.* Et Tiberius apud Lips. mon. pol. cap. 7. *Dixi, & nunc, & sæpe alias, Patres conscripti, bonum, & salutarem Principem, quem vos tanta, & tam libera potestas instruxistis, Senatui seruire debere, & vniuersis ciuibus, sæpe, ac plerumq; etiam singulis, neq; id me dixisse pœnitet.* Et Claud. Paneg. in cons. 4. Honor. *Claudian.*

Tu ciuem, patremq; geras, tu consule cunctis,
Nec tibi; nec tua te moueant, sed publica vota:

Et denique curam, quam debet habere Princeps in procuranda subditorum incolumitate, eleganter expressit Alciat. embl. anchoræ, cui alligatus est Delphin, quod est 144. & his versibus illustrat. *Alciatus.*

Titanij quoties conturbant æquora fratres,
Tum miseros nautas anchora iacta iuuat:
Hanc pius erga homines Delphin cõplectitur, imis
Tutiùs vt possit figier illa vadis.
Quàm decet hæc, memores, gestare insignia Reges,
Anchora quòd nautis, se populo esse suo.

Plura huiusmodi vide apud Stob. & Lips. loc. cit. Top. de pot. Princ. §. 5. à nu. 56. Contz. 2. pol. cap. 8. §. 4. & 5. Claud. Minoem ad embl. 144. Alciat. *Topius. Contzen. Minoes.*

12. 7. Tandem probari potest nostra conclusio. Quia officium Principis est exercere iustitiam; at iustitia est ad alterum, vt dictum est ex Ar. nu. 6. ergo officium Principis ad subiectos est ordinatum, non ad se. *Aristotel.*

13. Ex dictis sequitur 1. teneri Prælatum sub mortali procurare bonum, cum spirituale, tum temporale priùs Religionis, & communitatis in vniuersum, deinde singularum personarum de communitate. Ita in specie Bart. in auth. de hær. & falcid. in princ. nu. 4. Rodriq. to. 3. q. reg. q. 34. ar. 5. *Bartolus. Rodriq.*

14. 2. Sequitur Prælatum non procurantem magis vtilitatem communem, & particularem subditorum, quàm suam propriam, mortaliter peccare. Lædit enim iustitiam in re graui, operando contra Prælatiæ finem. Ita Top. de pot. Princ. §. 5. num. 80. *Topius.*

15. 3. Sequitur, Prælatum non docentem, non monentem, non corrigentem, sed conniuentem, dissimulantem subditorum peccata, vel ob pigritiam, vel ob verecundiam, quia scilicet verecundatur eos reprehendere, vel ne in eorum inimicitias incurrat, ne impediant, & noceant in rebus temporalibus, quas vel adipisci appetit, vel amittere formidat, vel quia timet, ne in eum maledicta iaciant, seu calumnientur, &c. mortaliter peccare, & esse dignum furca. Ita decernitur num. 25. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis.* Ad quem locum dicit Oleast. *Non debent Prælati suis subditis conniuere cum viderint eos iniqua appetere, aut quæ sibi sunt nocitura.* *Oleaster.* Et Greg. hom. 11. in Ezech. ad illa verba, *Si dicentem me ad impium*, ait, *Pensandum est, quantum sibi connexa sunt peccata subditorum, atq; Præpositorum, quia vbi subiectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur.* *D. Gregor.* Aug. lib. de pastor. cap. 9. *Videtis quàm sit Pastoribus tacere periculosum, moritur enim, & rectè moritur in impietate sua, & in peccato suo moritur, negligentia enim tua occidis eum.* *D. August.* Et in cap. Vt clerici, de vita, & hon. cler. statuitur, quòd Prælatus sustinens subditus in suis iniquitatibus, maximè obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, debet puniri eadem pœna, qua sustentatus. Et Aug. ser. 16. de ver. Dom. *Si negligis corrigere peior eo, qui peccauit, factus es.* Non nego tamen

per

per hoc; non posse aliquando Prælatum prudenter dissimulare aliqua peccata minora, quæ scilicet scandalosa non sunt, neq; à peccatore obstinato patrata, vt dicitur in cap. Ipsa pietas, §. Verùm, & cap. Quod Christus, 23. q. 4. & monet Trid. sess. 13. cap. 1. de refor. Posset similiter Prælatus dissimulare ad tempus peccata illius, qui efficeretur deterior, si peccatum linquere compelleretur. Nam quandoque sustinetur minus malum, vt maius euitetur, cap. Duo mala, d. 13. Ita Panor. in cap. Vt Clerici, de vit. & hon. Cler. nu. 4. & D. Aug. lib. 1. de ciu. Dei, cap. 9. ait. *Nam si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediant infirmos alios, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.* Et Naz. or. 1. nu. 6. *In quibusdam ad nonnulla conniuere satius fuerit, ita vt videntes, non videamus, & audientes non audiamus, ne alioquin eos nimis crebris obiurgationibus tamquã fluctibus obruentes, ad desperationem incitemus, ac dissoluto tandem pudore, quod persuasionis pharmacum est, ad quoduis facinus audaciores reddamus.* Hæc etiam D. Th. 2. 2. q. 33. ar. 2. ad. 3.

16. 4. Sequitur Prælatum sub mortali teneri vitam exponere pro spirituali salute suorum subditorum, non solùm in vniuersum, sed etiã in singulari, & hoc etiam citra extremam necessitatem. Constat; tùm quia bonum spirituale præferendum est bono temporali, sed vita corporalis est bonum temporale, ergo illi præferenda est vita spiritualis animæ; sed omnes Christiani tenentur vitam propriam corporalem periculo exponere pro vita spirituali sui proximi extremè indigenti, per doctrinam D. Th. communiter receptam 2. 2. q. 26. ar. 5. corp. & ad 3. ergo Prælati, qui non solùm vinculo charitatis, sed etiam iustitiæ tenentur suos subditos adiuuare, ad id obligabuntur etiam extra extremam necessitatem, videlicet in graui, vel etiam ordinaria; tùm quia Io. 10. dicitur *Bonus Pastor dat animam suam pro ouibus suis, mercenarius autem videt lupum venientem, & & fugit.* Bonus pastor, ea scilicet bonitate, quæ ad gratiam, & amicitiam Dei necessaria est, dat animam suam, idest periculo exponit vitam suam corporalem pro vita spirituali ouium suarum. Et 1. Io. 4. *Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et Io. Clim. de off Past. in to. 5. bibl. vet. PP. fol. mihi 734. *Confusio est Pastoris formidare mortem.* Et Aug. de Past. cap. 7. *reuocabo errantem, requiram perditam, velis nolis, id agam, etsi me inquirentem lanient vepres syluarum, per omnia angusta me coarctabo, omnes sepes excutiam.* Vide Greg. hom. 14. in Euang. Io. Atq. ita docent omnes DD. cum D. Th. loc. cit. vbi Arag. q. 2. concl. 4. Sot. lib. 10. de iust. q. 3. ar. 4. concl. 2. Salon. 2. 2. q. 62. ar. 7. contr. 3. tit. An. qui tenentur. Val. to. 3. disp. 3. q. 4. p. 3. col. 9. ver. Quò ad alteram. Banzon. in spec. ep. lib. 1. disp. 1. q. 1. ver. Quintò rationibus, & ver. sequ. Mald. ad loc. cit. D. Th asser. 2. ver. Hinc patet Hinc Prælatus in subditorum necessitatibus pro illis orare tenetur, quòd probat Arag. 2. 2. q. 83. ar. 3. col. 7. ver. Tertius casus est,

Panorm. D. Aug. Nazianz. D. Thom. D. Thom. Io. Climac. D. Aug. Greg. Aragon. Sotus. Salon. Valentia. Benzonius Maldonus. Aragon.

ex illo Pauli ad Ephes. 3. *Propter quid peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra: Et huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Hinc etiam dixi to. 1. huius op. q. 1. c. 11. concl. 2. quòd tempore pestis, vel alterius persecutionis non potest Prælatus fugere, relictis ouibus sine sufficienti Pastore, & præter DD. ibi adductos ad hoc, docent Arag. 2. 2. q. 26. ar. 4. q. 2. concl. 4. A. S. Fausto in thes. relig. lib. 6. q. 104. Nald. in sum. ver. Prælatus, nu. 8. Lop. in sum. to. 1. c. 67. ver. At verò. Fernand. 4. p. sui exam. cap. 16. § 4. num. 9. Benz. loc. cit. Mald. loc. cit. qui ponit casum in Prælato negligente administrare sacramentum pœnitentiæ subdito, quem credit esse in peccato mortali, peste laborante, ob metum contagij, eo prætextu, quòd non sit in extrema necessitate, & per contritionem probabiliter speretur saluandus. Vide Maldon. in cap. 10. euang. Io. nu. 12. Tert. lib. 1. de fuga in persec. Athan. in apol. pro fuga sua; Aug. ad Honor. ep. 180. Ghet. in Theol. mor. var. Prælatus, q. 20. Cassan. in catal. glor. mund. p. 5. concl. 14.

17. Sed an pro vita corporali omnium suorũ subditorum teneatur Prælatus vitã propriam mortis periculo exponere, potest dubitari. Certum tamen est, teneri lege iustitiæ, ad hoc enim constituitur, & ab ipsis pendet tamquam à toto; vnde tamquam pars debet pro toto seruando exponere se periculo. Ita Sot. 10. de iust. q. 3. ar. 4. Nau. in sum. cap. 24. nu. 18. Benz. loc. cit. ver. Adde tu, quòd. Val. to. 3. disp. 3. q. 4. p. 3. assert. 4. Farin. 4. p. prax. de homic. q. 125. num. 322. Et colligitur ex cap. Regum, & cap. Administratores, 23. q. 5. cap. Suggestum. cap. Sciscitatus, 7. q. 1. Et dicit Aug. ser. 1. de parasceu. *Regis est vitam suam pro his, quibus regnat, opponere.* Et Chrysost. hom. de cru. & latr. *Imperatorum est pro omnibus mori, & Regis optimi pro communi vtilitate numquam recusare supplicium.* Vnde etiam collige, quòd tenetur Prælatus pro bono communi, etiam temporali, vitæ periculo se exponere: nam bonum commune priuato est præferendum, vt D. Th. 2. 2. q. 26. ar. 4. ad 3. Suar. tr. de charit. disp. 9. sect. 3. num. 1. Ex quo colligit Val. loc. cit. ver. Porro, debere vnumquemq. exponere se periculo vitæ pro illo viro conseruando, ex quo bonum aliquod Reipublicæ necessarium in communitatem redundat. Sed, si quis furaretur vas argenteum magni pretij nec posset Prælatus illud recuperare sine vitæ periculo, teneretur ne? Puto, quòd non; nam vita est multò pretiosior re illa temporali. Et colligitur ex cap. Si tributum, iuncta gloss. ver. non nego, 11. q. 1.

18. An autem pro vita corporali vnius subditi teneatur Prælatus periculo vitæ se exponere. Negat Benz. loc. cit. ver. Adde quòd Rex; Nam, cæteris paribus, Prælatus est magis necessarius Reipublicæ, quàm alius subditus. Verùm quidem est, quòd, si subditus maximè conferret ad conseruationem Reipublicæ, & plus etiam, quàm Prælatus, vt sæpe contingit in Religionibus, eo casu, bono communi attento, teneretur Prælatus pro dicti subditi vita seruanda mortis periculo se exponere. Quòd autem singuli subditi teneantur pro Prælato

vitæ

A. S. Fausto Naldus. Lopez. Fernand. Maldon. Tert. Athanas. Aug. Ghetius. Cassaneus Sotus. Nauarr. Benzon. Valentia. Farinac. D. Chrys. D. Thom. Suarez. Benzon.

vitæ periculo se exponere, est sine difficultate, & docent Suar. Farin. Nau. cit. nu. 17.

19. 5. Sequitur teneri Prælatum sub mortali corrigere subditos, etiam cum periculo vitæ. Tum quia Prælatus est persona publica, & custos iustitiæ, & exemplar subditorũ; vnde ad omnia opera præceptorum, cuiuscumq; sint virtutis, arctiùs tenetur, quàm subditi; sed subditi tenentur ad præceptum correctionis fraternæ sub mortali extra periculum vitæ: ergo Prælati etiam cum illo periculo tenebuntur. Tum quia Prælati habent peculiarem necessitudinem cum subditis ratione officij, & ideo debent illorum salutis singularē curam gerere tamquam pastores, & patres. Tum quia Prælatus magis tenetur diligere filios, quàm subditi alios fratres. Tum quia ad id tenetur Prælatus ratione iustitiæ, & charitatis, cum alij solum ratione charitatis, vt Caî. 2. 2. q. 33. ar. 2. in resp. ad 4. vbi Arag. col. penul. ver. 4. concl. Suar. tr. de charit. disp. 8. sect. 5. num. 4. Tum quia *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis*, vt dictũ est ex Io. cap. 10. Atq; ita docent Sot. de secr. teg. memb. 2. q. 1. concl. 7. Val. to. 3. disp. 3. q. 10. p. 1. col. 13. ver. Tertia sententia, & p. 3. col. 4. ver. Hinc. 1. Arag. loc. cit. Innuit Nau. in man. cap. 24. num. 12.

Caietan. *Aragon.* *Suarez.* *Sotus.* *Valentia.* *Aragon.* *Nauarr.*

20. Et nota, quòd quando Prælatus tenetur ex iustitia subditũ paternè corrigere, si omittat, peccat contra iustitiam, & contra particulare præceptum charitatis; atq; adeò non satisfacit in confessione, si dicat, Omisi correctionem proximi, sed tenetur dicere, Omisi correctionem mei subditi, cum ex officio tenebar. Ita Suar loc. cit. num. 5. Val. loc. cit. p. 3. col. 5. ver. Sed hæc fortè.

Suarez. *Val.*

21. Et nota etiam, quòd licèt Prælatus sit in peccato mortali simili, vel etiam maiori, tenetur nihilominus subditũ peccantem corrigere. Quia peccatum neminem liberat ab obligatione diuinorum præceptorum; cum nemini sua malitia prodesse, aut bonitas nocere debeat: cap. 1. de post. Prælat. ita Val to 3. disp. 3. q. 10. p. 3. à ver Quintò peculiariter. Quòd si peccatum Prælati publicum sit, & adsit scandalum; tenetur adhuc subditum corrigere, non per modum corrigentis, sed per modum rogantis, & ingemiscentis, iuxta doctrinam D. Th. in 4. d. 19. q. 2. ar. 2. q̃la 2. corp.

Val. *D. Thom.*

22. Et aduerte, quòd Prælatus tenetur non solùm subditum corrigere, quando scit peccatum ipsius, vt alij communiter, sed tenetur sub mortali inquirere de subditi peccato. Quia tenetur ratione officij curare, quantum potest, vt subditi boni sint. Vnde sicut ille qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cum tempus fuerit, vt ei debitum reddat; ita Prælatus, qui habet specialem curam subditorum, debet eos quærere, ad hoc vt eos corrigat de peccato. Ita expressè D. Th. 2. 2. q. 33. ar. 2. ad 4. Ioseph. de S. M. in tribun. relig. tr. 1. cap. 10. §. 4. Val. loc. cit. col. 4. ver. Ac propter hanc; qui benè monet cum Cai. ad loc. cit. D. Th. sin. quòd in hac inquisitione opus est maxima prudentia, ne multa suspicio præcipitem, & exosum Prælatum reddat, neuè contra incuria multiplicationem pariat peccatorum occultorum.

D. Thom. *Ioseph de S. M.*

Subditis tamen illicitum est inquirere fratrũ peccata, vt fraternè corrigant, nam talis inquisitio odia parit, & dissensiones. Ita D. Th. loc. cit. ar. 7. ad 5. & Diana 3. p. tract. 2. resol. 41. vbi quam plurimus citat.

Diana.

23. 6. Sequitur, teneri Prælatum regularem sub mortali diligenter curare, vt subditi scientijs, & virtutibus imbuantur. Ita AEgid. de reg. p. 1. lib. 3. cap. 8. Colligitur ex Trid. sess. 5. de refor. c. 1. Cum enim finis Prælatorum sit, bonum Religionis, bonum autem Religionis sit ita Religiosos educare, vt vitam hic felicem in ordine ad æternam, sibi, & alijs adipiscãtur, hoc verò vix fieri possit sine litteris, quæ viam vitæ ignorantibus ostendunt, & in tenebris sedentes, & vmbra mortis ad lumen veritatis reuocant, ideo oportet, vt Prælati, qui suo muneri satisfacere volunt, studia in suis conuentibus, & prouincijs instituant. Quod in nostro Ordine pluriès mandatum est Prouincialibus sub pœnis grauissimis, vt constat ex cap. Rom. 3. num. 16. Malach. nu. 6. Paul. num. 18. Genuen. 3. nu. 10. Val. 4. num. 7. & alibi. Et aduerte, quòd Prælati studia negligentes tyranni sunt, vt dicit AEgid. loc. cit. Et quia ad bonum in Religione intentum consequendum, non sufficit illud cognoscere, & habere intellectum illuminatum ad discurrendum circa illud, requiritur etiam, vt sint Religiosi imbuti moralibus virtutibus, quibus appetitus ita moderetur, vt efficaciter velit dictum bonum consequi; Ideò oportet vt Prælati etiam in moralibus virtutibus, humilitate, patientia, &c. suos subditos exerceant. Audiatur Sen. de tranqu. cap. 3. *Nec is solus Reipublicæ prodest, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, de pace, belloq; censet, sed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam, luxuriamq; cursu ruentes prensat, ac retrahit, &, si nihil aliud, certè moratur, in priuato publicum negotium agit.*

AEgidius. *Val.* *AEgid.* *Seneca.*

24. 7. Sequitur, teneri Prælatum sub mortali dare bonum exemplum subditis, & coram illis irreprehensibilem apparere; iuxta dictum Apost. 1. ad Tim. 3. peccatum namq; Prælati ruina est subditorum. Vnde Aug. lib. de Past. cap. 4. *Prælati malè viuendo, & malum exemplum præbendo, necant oues; attendit enim ouis etiam fortis plerumq; Præpositum suum malè viuentem; si declinet oculos à regulis Domini, & intendat in hominẽ, incipit dicere in corde suo. Si præpositus meus sic viuit, ego quid sum, qui non faciam, quod ille facit?* Et Greg. lib. 1. in 1. reg. cap. 3. super illa verba, Non audierunt vocem, ait. *Pastorum culpæ subtilius iudicantur, & non solùm peccata eis pœnam vltionis aggrauant, sed etiam munera concessa.* Et D. Th. lect. 1. in c. 10. Io. ait, quòd quatuor sunt actus boni Pastoris 1. quidem, quòd oues cognoscit. 2. verò quòd eas educit, idest segregat è societate impiorum. 3. quia iam eductas ab impijs, & inductas in ouile, iterum educit eas ex ouili 4. eas præcedit exemplo bonæ conuersationis. Et Patr. lib. 1. de regno, tit. 7. ex sententia Platonis, & Socratis dicit *Principes longè magis exemplo, quàm culpa peccare.* Quare, si Prælatus fuerit impudicus, si vinolentus, si percussor, si superbus, si iracundus, si litigiosus, non nudum peccatum committit, puta fornicationis, vinolentiæ, &c. sed aggrauatum per circumstantiam

Augustin. *Gregorius.* *D. Thom.* *Patritius.*

personæ

personæ, repugnantem Apostoli præcepto, necessariò in confessione explicandam. Sed de hoc latiùs q. 8. cap. 8. §. 5.

25. 8. Sequitur, non posse Prælatum absq; mortali Prælaturæ renunciare, quando est valdè necessarius pro salute gregis, & hoc etiamsi habeat licentiam renunciandi a superiore. Nam strictissimo iure diuino, & naturali tenetur curam gerere eorum, quibus præest. Peccaret etiam mortaliter Prælatus, qui renunciaret Prælaturæ; vt sibi solùm vacaret; tenetur enim bonum subditorum magis, quàm proprium curare. Ita habetur in cap. Suggestum 7. quæst. 1. Val. tom. 3. disp. 10. q. 3. par. 4. col. 2. ver. Secundus casus est, & ver. seq. *Valentia.*

26. 9. Sequitur teneri Prælatum sub mortali in tribus casibus Prælaturæ acquisitæ renunciare, primò cum est impeditus tali crimine, vt nequeat suo muneri satisfacere, V.G. homicidio voluntario, & simonia, per quam fit in Prælatiam assumptus. Et hoc etiamsi dicta peccata occulta sint, impediunt enim executionem legitimam officij; vnde, cum non possit fini Prælaturæ satisfacere, tenetur renunciare. Similiter si fit intrusus, idest non legitimè electus, neq; secundùm naturam, neq; secundùm canones, secundò recunciare tenetur, si propter perpetuam infirmitatem est ita corpore impeditus, vt nullo modo, non solùm in omnibus, sed nec etiam in parte possit suo muneri satisfacere, tertiò si ita est scientia necessaria ad proprium munus obeundum destitutus, vt nulla sit spes, vt, omni diligentia adhibita, sufficiens reddatur, propter eamdem rationem. Ita habetur in cap. Nisi cum pridem, de renunc. Val. loc. cit. à ver. De secundo. *Valentia.*

27. 10. Sequitur, teneri Prælatos animarum curam habentes, in suis Prælatijs personaliter residere. Ita habetur in cap. Peruenit, cap. Suggestum, cap. Scitseitaris, 7. quæst. 1. Fusè tradit Trid. sess. 6. de refor. cap. 1. & sess. 23. cod. tit. cap. 1. Cum enim teneantur salutem sibi commissi gregis curare, si fuerint absentes, id nequaquam possunt adimplere. Et licèt adimplere possent per substitutum, adhuc tamen residere tenerentur, nam grex, quem sibi elegit Pastorem, semper magis diligit, & veneratur, quam substitutum, naturali id inclinatione ferente, & dicit Trid. sess. 23. cit. ibi, *Obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel diæcesi residentiam.* Et in cap. Extirpandæ, §. Qui verò, de præb. dicitur. *Qui parochialem habet Ecclesiam, non per vicarium, sed per se ipsum ibi deseruiat.* Vnde, si non resideant, vltra mortale peccatum, tenentur restituere fructus perceptos, iuxta Trid. loc. cit. Val. loc. cit. par. 5. col. 4. ver. Quintò certù est: & id etiā ante condemnationem; qui anim accipit quod suum non est, tenetur in conscientia illud restituere. Val. loc. cit. col. 5. ver. Prætereà. Et Prælati regulares, qui stipendium aliquod habent, illud nec recipere nec receptum retinere possunt, si non resideāt. Ex quo etiam sequitur, quòd ratæ in nostro Ordine assignatæ Generali, vel Prouincialibus, pro Religione, & Prouincijs visitandis, si non visitent, nō debentur; &, si extorqueāt, retinere non possunt, nisi quod simpliciter pro suo vestiario necessarium est; nam beneficium datur

Trid. *Valentia.*

Valentia.

propter officium, cap. fin. de rescr. in 6. quare si quis non præstet debitum officium, iniquè officij fructus recipit, & retinet.

28. Possunt tamen Prælati absq; vlla culpa ad breue aliquod tempus, duorum V.G. mensium, propter aliquam iustam rationē a cura suæ Prælaturæ abesse. Ita in terminis Trid. sess. 23. de refor. cap. 1. nam abesse non dicitur, qui statim est reuersurus, vt dicit Trid. loc. cit. ibi, *Quoniam autem*, & multis id probat Gonzal. ad reg. 8. cācell. gloss. 43. nu. 5. vnde resoluit Beia 4. p. cas. casu 21. quòd Parochus ruralis, qui singulis hebdomadibus in vrbem venit ad videndos parētes, & cum illis vno tantū die moratur, relicto tamen ad occurrentes casus cappellano, nō peccat mortaliter, nec tenetur ad fructuū restitutionem. Et aduerte, quòd abesse à proprijs Ecclesijs per duos menses possunt Prælati absq; alicuius alterius licētia, & etiam Curati absq; licentia Episcopi. Ita Nau. in man. c. 25. nu. 121. ver. Quæ omnia, fere ad finem; Azor p. 2. lib. 7. cap. 4. quæst. 10. Val. tom. 3. disp. 10. quæst. 3. p. 5. col. 3. ver Præcepti. *Trid.* *Gonzales.* *Beia.* *Nauarr.* *Azor.* *Valentia.*

29. Ex quibus collige, quòd Superiores locales, qui quotidie cursitant per ciuitates, & loca suorum districtuum; relictis suis conuentibus non sunt in bono statu, etiam abstrahendo à cōstitutionibus regularibus; tenentur enim suis curis personaliter assistere, & illa cōtinua Superioris absentia fratres relaxat, & conuentū deperdit. Vnde de quodam Seniore nostri Ordinis, qui, cum esset Superior, nunquam egrediebatur è conuentu, audiui, quòd interrogatus, Quare nunquam exiret? respondit. Per exitum Superioris è domo *Conuentus multum perdit, & dæmon multum lucratur.*

30. Sed quid, si in Correctorem eligatur Parochus curam animarum in Ecclesia regulari exercens, qui debet quolibet momēto exire ad oues curandas? R. hunc casum esse valdè difficilem, & ad illum parum aduertere multos. Puto itaque, non posse Parochum in Correctorem eligi, nisi Parochiæ renunciet: sunt enim hæc officia ambo personalem residētiam requirētia, cum ambo animarum curā habeāt; vnde per Trid. sess. 24. de refor. cap. 17. sunt incompatibilia, cum pluribus intentus, minor sit ad singula sensus. Poterit tamē Parochus in Ordine Minimorū, in quo Superiores locales sūt solùm annuales, in Correctorē eligi, si pro eo anno Parochiæ, quæ ei non est in titulum collata, sed ad beneplacitum superiorum Prælatorum, renunciet: in ijs verò Religionibus, in quibus Priores conuentuales sunt perpetui, non possunt Parochi in Priores eligi, nisi per Prælatos Parochiæ de alio Parocho prouideatur, cum non possint per substitutum Parochiæ in perpetuum deseruire, vt probat Sanchez lib. 3. de matr. disp. 31. num. 11. *Sanchez.*

31. Noto tamen, quòd possunt dicti Prælati ex grauissimis causis, etiam longo tempore à suis Prælatijs abesse; cum enim præceptum de residentia (siue diuinum sit, siue Ecclesiasticum, pro quo videri possunt multi tract. apud Turrecremata post tract. de auct. Papæ: Valentia loco cit. col. 5. Sotus lib. 10. de iu. q. 3. art. 1. Caietanus 2. 2. q. 185. art. 5. Azor loco cit. quæst. 1.) sit affirmatiuum, non obligat *Turrecre.* *Sotus.* *Caietan.*

obligat pro omni tempore, & in omni casu, sed pro ratione circumstantiarum, vt alia affirmatiua. Hæ autem causæ sunt quatuor, quas enumerat Trid. sess. 23. cap. 1. de refor. ad quas multæ aliæ reducuntur, de quibus Azor loco cit. q. 3. *Azor.* Prima est christiana pietas, qua Prælatus abest ad iuuandam aliquam Ecclesiam, ad dirimendas lites. 2. est vrgens necessitas, quando residentia vergit in præsens, ac manifestissimum discrimen vitæ Prælati, propter morbum, vel propter persecutionem aliquam. An autem propter aeris intemperiem possit Prælatus, Corrector V. G. abesse à suo conuentu per aliquot menses, puta à conuentu nostro Albiganensi per illos tres menses æstiuos, puto quòd sic, cum licentia tamen Prouincialis, & modò conuentui sufficienter prouideatur de aliquo Superiore idoneo. Similiter dic, si Corrector infirmaretur in aliquo loco, in quo non esset medicus, neq; medicinæ Azor. to. 2. *Azor.* lib. 7. cap. 4. q. 4. vers. Ad 2. cap. vrget enim tunc præceptum naturale de conseruanda vita, nec obligat necessitas subditorum, vt suppono. 3. causa est debita obedientia, quando scilicet quis abest vt pareat Superiori, potenti in residentia ad aliquod saltem tempus dispensare, vt V. G. si Generalis vocaret ad se Prouincialem, & Prouincialis Correctorem, iisq; vterentur ad visitandam Prouinciam, vel Religionem. Tria tamen debent in hoc casu aduerti, primò quòd id vergat in Religionis vtilitatem, vt benè Valentia loco cit. col. 2. ver. Debita obedientia, secundò quòd tunc prouideatur conuentui, vel Prouinciæ de Superiore idoneo, tertiò quòd ista absentia non sit vltra quadrimestre singulis annis; per duos enim menses diximus, quòd possunt abesse absq; dispensatione; & super aliis duobus poterunt dicti Prælati dispensare: & audio, ita fuisse declaratum à sacra Congreg. Concil. Si autem negotium maiorem absentiam requirat, ad Papam recurrendum est, quòd causa est euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas; vnde potest Prouincialis dispensare cum Correctore, vt incœpta studia perficiat, quia id vergit in Religionis vtilitatem; quod tamen limita, nisi obstent regularia statuta, vt obstant in Ordine nostro, per statutum cap. Auen. 2. num. 24. Concedit item Concil. loco cit. quòd absq; facultate Superioris possint Prælati abesse à suis Prælatiis propter aliquod munus ipsis annexum, V. G. quando Prouincialis debet ire ad capitulum generale, & Corrector ad capitulum prouinciale. Et nota, quòd in illis quatuor casibus, in quibus potest dispensari super residentia, dispensatio debet fieri causa bene cognita, & in scriptis. *Miranda,* Videatur Miranda tom. 2. man. quæst. 9. art. 5. *Vasq.* Vasquez opusc. de benef. cap. 4. §. 2. art. 2. dub. *Sanctarel.* 1. 2. 3. Sanctarel. ver. resol. par. 1. quæst. 1. *Mancler.* Manci. tom. 1. par. 2. lib. 5. cap. 9. *Molfesius.* Molf. tom. 1. summ. tract. 6. cap. 11. à nu. 20. Et aduerte, quòd Canones, & DD. de residentia Prælatorum secularium tractantes traxi ad residentiam Prælatorum *Rodriq.* regularium, secutus sententiam Rodriq. to. 2. c. 29. & *Homobon.* Homob. to. 3. de exam. tr. 15. cap. 6. q. 12. §. Remedia, ver. Et cum Superiores vbi enim est eadem ratio, ibi & idem ius,

32. 11. Sequitur, Prælatum non debere esse personarum acceptatorem, non solùm in pœnis, sed nec in bonis monasterij, ita vt vni parti subditorum consulat, & alteram negligat, vt dicitur in cap. Ea, quæ, §. Porrò, de stat. monach. ex hoc enim oriuntur seditiones, atq; discordiæ: vnde Gen. 37. *Videntes fratres eius (Ioseph) quod à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Et discordia ciuium nulla est in Republica res perniciosior, vt ait Plato 5. de Rep. *Plato.* parùm à princ. his verbis. *Habemus ne vllum perniciosius ciuitati malum, quàm quod eam diuidit, & ex vna plures facit? vel melius quidquam eo, quòd ipsam vinclo stringi, & vnam efficit?* & habetur in c. 1. d. 71. Vnde regnantibus maxime conuenit studere concordiæ; vt enim ait *Cassiodor.* Cassiod. lib. 1. var. epist. 22. *Decet quippe regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam, quoniam ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax amatur. Quid enim est, quod nos melius prædicet, quàm quietus populus, concors Senatus, totaq; Respublica morum nostrorum honestate vestitat.* Et lib. 2. epist. 29. *Regnantis est gloria subiectorum otiosa tranquillitas.* Et Philo relat. à Magal. in *Magal.* cap. 1. Iud. num. 168. *Est*, inquit, *scopus, quem sacer vates spectat in omnibus iuris capitibus, vt concordia, societas, consensusq; morum vigeat, vnde familijs, ciuitatibus, gentibus, regionibus, vniuersoq; hominum generi summa felicitas contingit.* Et rursus Cassiod. lib. 1. var. epist. 1. *Cassiodor.* *Omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur* & Salust. in Iugur. *Salustius.* *Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Et Virg. 6. Aen. ver. 852.

Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem.

Vide Pen. l. 1. Cod de Irenarc. lib. 10. *Penna.* Cassan. in *Cassaneus* catal. p. 5. cons. 16. Magal. loc. cit. & c. 6. à n. 181. *Magal.* Quare Prælati possunt, & debent discordantes subditos amicabiliter concordare, si possunt; si non, rigore, & imperio, vt est text. clarus in cap. Discordantes, dist. 90. Potest etiam duobus subditis discordantibus, & ad concordiam redire contemnentibus, sub pœna excommunicationis præcipere, vt concordent; quòd si renuant, eos, vel eum, per quem steterit, excommunicare, vt dicitur clarè in cap. Placuit, d. 90. cap. Prælatum, d. ead. & habetur in cap. Si quia contristatus, in dicta glossa ver. Inedijs, d. ead.

33. Sed licèt teneatur Prælatus concordiam inter fratres procurare, præstat tamē aliquādo discordias ponere inter eosdem, cum sunt in malum congregati Naz. or. 12. nu. 36. *Nazianz.* *Nec verò hæc eo à me dici quisquam suspicetur, quòd pacem omnem amandam, et complectandam esse existimem; nam vt optimam quamdam dissensionem, ita perniciosissimam quamdam concordiam esse perspectum habeo; sed ea demum, quæ bona est, & boni causa initiitur, ac Deo copulat.* Et Cyril. lib. 6. in Ioan. *Cyrillus.* cap. 16. *quamuis enim ferè semper, vt plurimùm bona sit concordia, & discordia mala, quod hæc dissipet omne bonum, atq; disturbet, illa verò promoueat, corroboret, & foueat: nihilosecius & bona interdum inuenitur discordia, & mala concordia, cum discrepantia animorum alicuius mali perpetrandi præstat obstaculū, & vnanimitas*

mutuusq;

munusq; complurium consensus nos constringit, & alligat, valentioresq; reddit ad conceptum scelus perpetrandum. Vnde ad impediendam malam concordiam se Dominus in hunc mundum venisse contestatus est, cum ait [Matth. 10.] *Non veni mittere pacem in terram, sed gladium, idest separationem, vt sequentia eius verba ostendunt.* Debent itaque aliquando Superiores ponere discordias inter eos, qui in malum conueneruunt, qua arte vsus est etiam Paulus Act. 23. cum esset à Iudæis in Ierusalem comprehensus, & in eorum iudicio constitutus esset, sciens vnam partem eorum, qui aderant, vt eum accusarent, esse Pharisæorum, & alteram Sadducæorum, exclamauit inter eos se Pharisæum esse, atq; de spe, & resurrectione mortuorum bene sentire; qua voce immisit seditionem inter Pharisæos, & Sadducæos dissoluit totam illam multitudinē. Studeat quæso Prælatus particulares amicitias extirpare, ad quod vt animetur, legat tractatū de hac re Iul. Nigr.

Iul. Nigr.

CAP. VIII.

Vtrum Superiores regulares teneantur obseruare leges, quas ipsi, vel eorum antecessores tulerunt.

D. Thom. Caietan. Medina. Conradus. Malderus. Sotus. Vasquez. Rodriq. Nauarrus. Topius. Victoria. Baldus. Couarr. Menoch. Miranda. Tiraquel. Rangol. Sayrus. Suarez. Salas. Valentia. Reginal. Azor. Fillincius. Patrius. A S. Fausto. Contzen.

1. VIDEATVR D. Thom. 1.2. q. 96. art. 5. vbi Caiet. Medina, Conrad. Mald. Sot. lib. 1. de iust. q. 6. art. 7. Vasq. 1.2. disp. 167. cap. 3. Rodriq. tom. 1. q. reg. quæst. 68. art. 3. Nau. lib. 5 conf. de pœnit. & remiss. conf. 18. num. 2. Top. de pot. princ. sec. §. 1. à num. 19. Vict. relect. 3. de pot. civ. num. 21. Bald. in l. Princeps, ff. De leg. & sen. conf. Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 1. num. 4. Menoch. conf. 290. Miranda tom. 2. man. quæst. 25. art. 22. & quæst. 29. art. 4. Tiraq. de contract. sign. §. 1. gloss. 13. num. 38. 39. Rang. in 1. reg. cap. 8. ver. 11. tr. de regno, cap. 11. 12. Sayr. in clau. reg. lib. 3. cap. 4. num. 3. Suarez lib. 3. de leg. cap. 35. & tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 18. 19. Salas de leg. disp. 14. sect. 2. & 3. Valentia tom. 2. disp. 7. q. 5. par. 4. Regin. in prax. lib. 13. à num. 168. Azor 1. par. lib. 5. cap. 11. q. 1. Filliuc. tom. 2. tract. 21. cap. vlt. q. 10. num. 486. Patrit. lib. 8. de reg. tit. 6. A. S. Fausto in thes. lib. 6. q. 120. Contz. lib. 1. pol. cap. 16.

2. Suppono 1. omnes Superiores regulares, Generales, Prouinciales, Correctores teneri ad obseruandas regulas, quas sunt professi. Constat, quia ad id per votum professionis se obligarunt, & dicunt omnes cit.

3. Suppono 2. Generales teneri directè ad obseruandas constitutiones capituli generalis; & Prouinciales teneri ad obseruantiam constitutionum capituli prouincialis; & Correctores capituli localis, & earum pœnas incurrere, si transgrediantur, sicut cæteri fratres, licèt ipsi in dictis capitulis cū alijs dictas constitutiones fecerint. Quia licèt sint communitatis, seu capituli capita, sunt tamen ipsis capitulis congregatis inferiores, & subditi, & consequenter non minùs, quàm alij, tenentur dicta statuta seruare. Neq; possunt dici legislatores, licet ad leges, & statuta condenda cōueneruntque, quia tales soli nō sunt, nisi cum alijs. Ita Salas loco cit. sect. 2. num. 9. Azor loco cit. ver. In hoc itaque: Mald. loco cit. col. 3. ver. Respondeo, Vict. loco cit. Miranda, q. 29. cit. Rodriq. loco cit. Medina loco cit. ver. Ad hoc dubium; Sot. loco cit. concl. 2. Vasq. loco cit. cap. 1. num. 2. Suarez 3. de leg. cit. num. 1. & 4. de relig. cit. num. 18.

Salas. Azor. Mald. Vict. Miranda. Rodriq. Medina. Sotus. Vasq. Suarez.

4. Suppono 3. Superiores regulares teneri ad seruandos contractus initos cum suis subditis. V. G. commutauit Prælatus vnum habitum pro tot libris cum suo subdito, dico, quòd tenetur stare prædicto contractui, nec potest in conscientia ab eo resilire sine consensu subditi, & quòd, acceptis libris, tenetur subdito dare habitum; lege enim naturali tenemur cōtractus, & pacta seruare; cap. 1. de pact. l. 1. ff. eod. Ita Azor, Filliuc. Regin. loco cit. Bald. cit. nu. 2. Contz. cit. §. 5. Menoch. cons. 1. num. 140. Mol. tract. 2. de iust. disp. 261. num. 9. qui tenet, quòd Princeps etiam supremus tenetur obseruare contractus initos cum suis subditis, & quòd ad hoc remanet obligatus non tantùm naturaliter, sed etiam ciuiliter. Quam sententiam etiā tenet cum multis alijs Aegid. par. 1. de contr. cap. 1. num. 2. Tenetur etiam Prælatus seruare contractus initos à suo prædecessore, vt Menoch. cons. 164. nu. 15. Aegid. cum multis loc. cit. nu. 3. & habetur in cap. 1. de probat.

Azor. Filliuc. Reginal. Bald. Contz. Menoch. Molina.

5. Suppono 4. Generalem, & Prouinciales in Ordine Minimorum posse cum consensu suorum Collegarum statuta in Religionis bonum condere, vt dixi tom. 1. huius op. q. 1. c. 8. §. 3. concl. 2. ver. Quòd autem Prælati; & to. 1. priu. in const. Pyrrhi, num. 10. & constat ex nostr. const. cap. Foroiul. 1. n. 18. Val. 4. n. 60. quæ statuta tamdiù durant, quamdiù fuerint per subsequentem Prælatum de consilio, & assensu suorum Collegarum reuocata, & ibidem dicitur. Fr. Vrb. VIII anno 1. sui Pontificatus per suas litteras, *Vt susceptam*, datas Romæ, apud S. Petrū, sub annulo Piscatoris die 15. Ian. 1624 concessit Reuerendissimo P. Aegidio Camart, nostri Ordinis Generali, vt posset, inhærendo Euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, sacrorumq; canonum, & conciliorum generalium decretis, & regularibus nostri Ordinis institutis, ordinationes, & statuta, etiam sub censuris perpetuò duratura condere, & ordinare. Circa quod indultum breuiter nota 1. quòd dicta statuta non poterat dictus Generalis facere, nisi cum consilio, & assensu Collegarum, quia sic disponunt nostræ constitutiones, quib⁹ tenebatur inhærere. 2. quòd dicta statuta etiā perpetua, per subsequentem Generalem, & suos Collegas poterant reuocari, propter eādem rationem. 3. quod illud fuit priuilegium personale, quod morte ipsius Generalis expirauit. De his ergo statutis tàm perpetuis, quā reuocandis ad libitū successorū, ac etiā de alijs præceptis, quæ fiunt à prælatis Superioribus etiā localibus secundū occurrentes occasiones quæritur, an obligēt statuentes, & præcipiētes, ita vt ea in conscientia obseruare teneātur. Nō loquimur autem de constitutionib⁹ concernētibus solùm gradum aliquē Religiosorū V. G.

Val.

nouitiorum, aut Laicorum, sed loquimur de constitutionibus concernentibus omnem statum, & omnes gradus Religiosorum, & de constitutionibus, quæ communes omninò sunt tàm Superioribus, quam subditis, ita vt nulla appareat ratio, quare potiùs subditi, quàm Prælati illis comprehendantur.

6. Dico 1. Prælatus tenetur obseruare leges, & constitutiones à se latas, quò ad vim tamen directiuam solùm, idest quatenus illa lex dirigit illum in id, quod facere tenetur secundùm dictamen rationis in conscientia, ita vt peccet eodem genere peccati, quo subditi, si transgrediatur. Et D. Tho. 1. 2. quæst. 96. ar. 5. ad 3. & suorum discipulorum; Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 8. num. 19. Vasq. 1. 2. disp. 167. cap. 3. num. 17. Couarr. in cap. Alma mater, par. 1. §. 1. num. 7. ver. Hæc denique M. Giurba cons. 1. num. 34. vbi ferè innumeros DD. cit. & est communis omnium Theologorum, & Iurisperitorum, vt dicit Vasq.

D. Thom.
Suarez.
Vasq.
Couarr.
Giurba.

7. Probatur 1. ex Scriptura sacra Matt. 23. Christus reprehendit Pharisæos dicens, *Dicunt, & non faciunt, alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Et Matth. 7. & Lucæ 6. dicitur. *Quomodo dicis fratri tuo, Sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo. Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* Et ad Rom. 2. dicitur, *Qui alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris, non mœchandum, mœcharis? Propter quod inexcusabilis es, ò homo omnis, qui iudicas, in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas: existimas autem hoc, ò homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia, tu effugies iudicium Dei?*

8. 2. Probatur ex PP. Ambros. apol. Dauid poster. cap. 3 quæ est tom. 1. suor. operum. *Nec legibus Rex solutus est, sed, si peccat, leges suo exemplo soluit: an fieri potest, vt qui de alijs iudicat, suo ipse sit liber iudicio, & in se suscipiat, in quo alios astringet?* Et epist. 31. ad Valen. *Quod præscripsisti alijs, præscripsisti etiam tibi; leges enim Imperatorem ferre, quas primus ipse custodiat.* Et in vit. PP. lib. 5. cap. 10. ait Abbas Pastor, *Si quis docet aliquid, & non facit quod docet, similis est puteo, qui omnes ad se venientes satiat; & sordes deles, se ipsum purgare non potest, sed omnis spurcitia, & immunditia in eo est.* Et Lact. de diu. inst. lib. 4. cap. 23. *Quicumque præcepta das hominibus, ac vitam, moresque fingis aliorum, quæro, debeas ne ipse facere, quæ præcipis, an non debeas? si non feceris, soluta præcepta sunt; si enim bona sunt, quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse præceptor à numero, cœtuque hominum segregare, inter quos habitat; & ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum, ne, si aliter vixeris, ipse præceptis tuis fidem detrahas, leuioremque doctrinam tuam facias, si re ipsa refutauerit, quod verbis nititur astruere, &c.* Quæ toto illo cap. eleganter prosequitur Lact.

D. Ambros.
Lactan.

9. 3. Probatur auctoritate Philosophorum, Arist. 3. pol. cap. 7. *Prima verò illa quæstio manifestum facit, nihil adeo, vt leges rectè positas, debere dominari illum autem, qui Reipublica præest, siue vnus hic sit, siue plures, debere in his potestatem habere, in quibus leges expressè cauere non possunt, ex eo quia non facile sit generali sermone singulos casus comprehendere.* Ex quo loco colligo, quòd secundùm mentem Arist. leges rectè positæ in Republica debeant dominari, non Principes, & capita. Quòd si casus accidat, de quo lex non disponat, tunc ad capita Reipublicæ recurrendum: si autem lex de illo disponat, secundùm illam, non secundùm Principis voluntatem decidendus. Et Plato lib. 4. de leg. & refertur à Stob. serm. 41. *Paratum, inquit, illi ciuitati exitium video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt: salutem verò illi, vbi lex seruientibus magistratibus dominatur.* Et Plin. in paneg. *Non est Princeps supra leges, sed leges supra Principem.* Et, referente Rhodig. lib. 8. cap. 2. col. 3. dicebat Bias, vnus ex 7. Græciæ Philosophis. *Eum verè Principem esse, qui patrijs legibus, institutisque subiecerit se primus.* Et Claud. in 4. cons. Honor.

Aristotel.
Plato.
Plinius.
Rhodigin.
Claudian.

In commune iubes; si quid censesque tenendum,
Primus iussa subi; tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis;
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

10. 4. Probatur ex iure canonico, & ciuili; c. Cum omnes, de const. vbi dicitur, *Cum igitur quod quisque iuris in alterum statuit, ipse debeat eo vti, & sapientis [Catonis] dicat auctoritas. Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Et cap. Iustum est, dist. 9. dicitur, *Iustum est, Principem legibus obtemperare suis; tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando ipse illis reuerentiam præbet,* &c. Ad id etiam faciunt cap. Non liceat Papæ, 12. q. 2. cap. Pro illorum, §. Quia verò, de præb. ibi, *Cum legē nobis imponere non debeant, quam ipsi negligunt obseruare.* cap. Iustitiæ, fin. 25. q. 1. l. 4 Cod. de leg. & const. vbi dicitur, *Digna vox maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Idem habetur in l. 1. ff. Quod quisque iuris. Ad id etiam faciunt l. vlt. Cod. de appell. & lex Cum hæredis, C. Qui testam. fac. possunt, & Instit. §. Quib. mod. testam. infirm. in fine l. Ex imperfecto, Cod. de testam. l. Cum multa, Cod. de bon. quæ lib.

11. 5. Probatur ratione varie à DD. Suar. loc. cit. existimat, teneri Generales, & Prouinciales suas ordinationes seruare, quia cum tali conditione implicita, vel explicita data est illis à summo Pontifice immediatè, vel mediatè Religione, talis potestas ferendi leges, & ordinationes, scilicet vt ipsi ijs subderētur. Id autē deduci potest ex eo, quod potestas condēdi statuta datur Prælatis, non vtcumque sed solùm ad condenda statuta in ædificationē, non in destructionem: sed, si Prælatus statuta condita nō seruaret, hoc cederet in destructionem, non in ædificationē; daretur enim causa murmurū, seditionum, litium, & perturbationū; & vnusquisque subditorum posset suo Prælato dicere, Medice cura te ipsum.

12. 6. Probat Vasq. loc. cit. n. 20. quia sicut ius naturæ præcipit, vt Inferiores Superioribus obediant, vt dicitur in cap. Quæ contra mores dist. 1. & sic se conforment cum suo capite; ita

preci-

præcipit, vt Superiores leges propsias seruent, & sic se conforment cum suis membris: Turpis est enim pars, præsertim caput, si non congruat cũ alijs partibus: & quod oneris tibi imponi non vis, id neq; debes imponere alijs: & cum Superior aliquid præcipit subditis, id debet serio, & efficaciter præcipere, vt ad obediendum subditi moueantur; non mouentur antem, si facta contrarientur verbis. Vnde Matth. 7. dicitur. *Omnia ergo quæcumq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim lex, et prophetæ;* idest, Si vultis, Superiores, vt vestri vobis pareant subditi, nõ ea illis imponatis onera, quæ vobis imponi reluctaremini; nam in hoc consistit summa omnium, quę in lege Mosis, & Prophetarum præcepta sunt.

Medina. 13. 7. Probat Med. 1. 2. q. 96. ar. 5. quã leges humanæ ordinãtur ab bonũ cõmune, & vt efficiãt ciues bonos, & studiosos; sed promouere bonũ commune, & comparare sibi virtutem, nõ minus pertinet ad Superiorem, quam ad subditũ.

14. Dico. 2. Prælati regulares non tenentur seruare suas leges, neq; præcepta quò ad vim coactiuam, idest quò ad pœnam, talibus legibus, & præceptis impositam. Ita omnes DD. cit. num. 1. Probatur; quia cum pœna sit coactio quædam, quæ prouenit ab extrinseco, nemo potest cogere se ipsum, nec in se ipsum iudicium condemnationis ferre, &, vt ait *Sotus.* Sot. lib. 1. de iust. q. 6. ar. 7. concl. 3. non est intellectu possibile, vt vim quispiã sibi ipsi inferat, atq; adeò se sua lege cogat. Ex dictis insurgũt aliquæ quæstiones breuiter hic expediendæ.

15. Quæres 1. an Generalis possit dispensare super statutis capituli generalis, & Prouincialis super statutis capituli prouincialis, & Corrector super statutis capituli localis. Negant posse dictos Superiores dispensare *Cordub.* Cord. *Politius,* in reg. Min. cap. 8. q. 3. & Pol. ibi nu. 17. quia sunt dictorum capitulorum inferiores, & inferior in Superiorem auctoritatem nõ habet; cap. Inferior, d. 21. Sed cohærenter ad ea, quæ dixi to. 1. huius op. q. 1. cap. 8. §. 5. concl. 3. dico, quòd dicti Prælati possunt in dictis statutis dispensare; immò quòd Prouincialis potest dispensare non solum super statutis capituli prouincialis, sed etiam super statutis capituli generalis; modò tamen adsit iusta causa, & statutum non auferat eis expressè potestatem: causas autem iustas dixi ibi concl. 4. esse septem; & aduerte generaliter, quòd illa causa solùm dicitur iusta, ad effectum vt possit super statuto dispensari, quæ respicit non priuatam, sed publicam vtilitatem; vt *D. Thom.* colligitur ex D. Th. 1. 2. q. 97. ar. 4. & tradit clarè Trid sess. 25. cap. 18. de refor. Si verò capitulum auferat auctoritatem dispensandi, clarum est, quòd Superiores, qui sunt suis capitulis inferiores, in ijs dispensare non possunt. Facit cap. Nuper, de sent. exc. Atq; ita cum istis limitationibus posse dictos Prælatos in dictis statutis dispensare, docet Glossa in clem. Ne Romani, de elect. ver. Dispensari. *Antonin.* Anton. 1. p. tit. 17. cap. vn. §. 20. & colligitur ex D. Th. loc. cit. quatenus ait, quòd rector multitudinis potest dispensare in legibus. *Salas.* Vide Sal. de leg. disp. 20. sect. 3. num. 22. qui num. 29. ait, quòd possunt dicti Prælati super præfatis statutis dispensare, etiamsi sint confirmata à Papa. Hinc collige, quòd, si potest Generalis dispensare in statutis capituli generalis, poterit etiam dispensare eodem modo cum causa iusta in suis; quia legis obligatio ab eius ordinaria potestate dependet, vnde per eam auferri, & restringi potest. Sal. loc. cit. num. 16. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 15. q. 2. *Azor.*

16. Quæres 2. an dicti Superiores possint prædicta statuta declarare. ℞. quòd declaratio est vnius verbi per aliud, & vnius sententiæ per aliam interpretatio. Sylu. ver. Interpre- *Sylvester.* tatio, in princ. Salas de leg. disp. 21. sect. 1. *Salas.* num. 1. Quotuplex sit interpretatio, & ad quẽ pertineat leges interpretari, dixi to. 1. huius op. q. 4. cap. 8. ver. Priusquam proferam, & to. 1. priu. in const. 13. Iul. II. nu. 2. & to. 2. dict. priu. in const. 10. Vrb. VIII. nu. 6. Ad quæstionem ergo dico, quòd, si dubium sit super validitate, & subreptione legis, vel priuilegij, aut super verbis legis, tunc, si casus est clarus, & decisibilis de facili, potest Prælatus etiam inferior iuridicè, & obligatoriè declarare dicta statuta, quia in his rebus facillimis supponendũ est de mente Superioris; alioqui enim difficile admodùm esset introducere legum obseruantiam. Idem dic in casibus maximè dubijs, si non sit facilis ad legislatorem recursus; tunc enim possunt interpretari per rationem naturalem. Si verò dubitatur de intentione legem ferentis, & casus decidi non potest sine maximo dubio, ad legislatorem pertinet declaratio. Ita Rodriq. to. 1. q. *Rodriq.* reg. q. 11. ar. 1. Salas loc. cit. nu. 2. sect. 2. In his *Salas.* autem, quæ ad serenitatem conscientiarum subditorum pertinent, & stabilitatem monasteriorum, potest etiam Generalis hoc vltimo casu priuilegia, & statuta declarare, per const. 13. Iul. II. §. 1. to. 1. nostr. priu. & per priu. Sixti IV. de quo ibid. in const. 10. Clem. VII. num. 15. Mir. to. 2. man. q. 29. ar. 9. & Rodriq. *Miranda.* to. 1. q. reg. q. 68. ar. 6. referunt; ad hoc amplissi- *Rodriq.* mum priuilegium Martini V. & Eugenij IV.

17. Quæres 3. an Generalis possit dispensare super pœnis iustè impositis à Prouinciali alicui Religioso; vel Prouincialis super impositis à Correctore. ℞. non posse contra voluntatem Prouincialis, vel Correctoris, qui eas imposuerunt. Ita decisum est in Trid. sess. 14. de refor. cap. 1. & habetur in cap. Cum ab ecclesiarum, de off. iud. ord. & docent Rodriq. *Rodriq.* to. 1. q. reg. q. 22. ar. 8. Mir. to. 2. man. q. 30. ar. *Miranda.* 11. concl. 1. & rationem reddit Trid. nam tutius, & honestius est subdito, debitam Prælatis obedientiam impendendo, pœnas impositas exoluere, quam cum Prælatorum scandalo, & contemptu ab ijs liberari. Verùm postquam Prælatus, qui puniuit, suo fuerit officio functus, poterit Superior iusta de causa, absq; licentia successoris, subditum liberare, vt limitat Rodriq. quia tunc ordinarij aucto- *Rodriq.* ritas non contemnitur. Limitat etiam Mir. in *Miranda.* casu appellationis, vel quando pœna imposita esset euidenter iniusta. Atq; idem etiam dic de alijs adhuc inferioribus Superioribus, vt Magistris Nouitiorum, & Clericorum, Regentibus studiorum, Lectoribus, &c. à pœnitentijs enim, quas dicti imponunt

Nouitijs, Clericis, & Studentibus, non possunt Superiores eos liberare contra ipsorum voluntatem, nisi in casibus supradictis, propter eamdem rationem, quæ hic potius iure militat; nam iuuenes, vt minùs discreti, ex hoc fiunt audaciores, & insolentiores, Magistros, & Lectores contemnunt in damnum bonorum morum, & litterarum, quod resultat in Religionis maximum detrimentum; videntes enim Magistri, &c. (qui minùs timorati Dei sunt) pœnitentias iuuenibus ab ipsis impositas, à Prælatis eis relaxari, linquunt eos in suo sensu viuere, & laxant disciplinæ habenas, dicentes, Si ita Superiores volunt, ita habeant. Vnde semper consului, vt Superiores pœnitentias à dictis Magistris, &c. impositas, numquam remitterent, sine consilio imponentium.

18. Et nota, quòd dictum decretum Concil. habet etiam locum in suspensionibus, prohibitionibus, & priuationibus, tam temporaneis, quàm perpetuis, & temporalem suspensionem, seu priuationem eam dici scias, vbi ex delicto occulto extraiudicialiter proceditur, vt V. G. si Prouincialis ad suum beneplacitum suspendat aliquem à celebratione missarum, vel audientia confessionum, &c. vel Corrector ad suum beneplacitum prohibeat, ne quis conuentu exeat, vel ad ecclesiam accedat. Atque ita dicunt declarasse sacram Congregationem Concil. anno 1593. & quòd dicti Prælati possint in dictis casibus ob occulta delicta ita procedere, definit Trid. sess. 14. de refor. cap. 1.

19. Sed quid, si Prælatus superior, inscio inferiore, subditum à pœna liberet, liberabitne validè? Glossa in dicto cap. Cum ab Ecclesiarum, ver. Non relaxes, Innoc. ibi num. 6. Ancharan. & Ioan. And. dicunt, quòd dispensatio valet, sed quòd superior iniustè facit, & peccat, & quòd potest puniri. Hug. Archid. & alij apud Anchar. loco cit. dicunt, quòd non valet, nam dicto cap. Cum ab Ecclesiarum id prohibetur expressè per verbum imperatiui modi, Non relaxes, nec alibi reperitur concessum. Limitat tamen Innoc. nisi aliter haberet consuetudo. Sed, quidquid sit de hoc iure antiquo, certissimum est, per ius nouum Concilij dictam liberationem, seu dispensationem non valere; habet enim expressè. *Nulla restitutio contra ipsius Prælati voluntatem suffragetur.*

Innocent. Anchar. Io. And. Hug. Archid. Anchar.

20. Quæres 4. an Prælatus V. G. Generalis teneatur obseruare consuetudines, & statuta laudabilia specialis alicuius Prouinciæ, ad quam accedit, vel per quam transit. Suarez 3. de leg. cap. 35. num. 14. Salas de leg. disp. 14. sect. 2. num. 23. dicunt, non teneri Principem obseruare consuetudines Prouinciæ particularis, nisi illa Prouincia esset propria ipsius habitatio. Et afferunt rationem; quia talia statuta lata sunt ab inferiori potestate, & ideo nõ habent vim obligandi eum, qui in eodem loco habet superiorem iurisdictionem: & hoc etiãsi tales consuetudines, seu statuta fuerint per ipsum Principem approbata: Quia, cum non fuerint approbata pro tota sua iurisdictione, non est cur eum obligare possint. Ita etiam Tiraqu. de retr. lign. § 1. gloss. 13. num. 38. qui tamen limitat nu. 39. nisi statutum, vel consuetudo naturali ratione nitatur. Sed de Prælatis regularibus aliter dicendum est, nimirùm Generalem teneri obseruare consuetudines, & statuta particularia Prouinciæ, & per quam transit, vel quam visitat; & Prouincialem statuta, & consuetudines conuentus suæ Prouinciæ, per quem transit, vel quem visitat. Tum quia ipsa fraternitatis ratio id exigit. Tum quia Superiores tenentur dare bonum exemplum subditis, & eos in virtutibus confouere, non in ijs tepefacere, quod contingeret, si Generalis laudabiles consuetudines non seruaret. Tum quia nullum statutum, aut consuetudo potest habere vim legis perpetuæ, nisi sit ab aliquo Generali approbata; vnde, si est consuetudo legitima, debet esse ab aliquo approbata, & sic non potest dici ab inferiori lata. Tum quia hospites in Ordine nostro, & fortè etiam in alijs, sunt subditi illorum Superiorum, in quorum conuentibus degunt, & ideo etiam tenentur seruare mores, & consuetudines illorum; vnde etiam Generales, & Prouinciales ratione hospitalitatis tenentur dicta statuta, & consuetudines seruare. Atque ita docet Suar. to. 4. de Relig. tr. 1. lib. 2. cap. 8. num. 14.

Suarez. Salas. Tiraquel. Suarez.

21. Et quòd hospites, etiam abstrahendo à particularibus Religionum statutis, teneantur seruare etiam in foro conscientiæ mores, & consuetudines conuentuum, per quos transeunt, docent gloss. in cap. 1. 3. q. 6. Suar. loc. cit. num. 13. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 68 ar. 4. Mir. to. 2. man. q. 29. ar. 6. Fagund. in præcep. 4. eccl. lib. 1. cap. 7 nu. 9. Mald. 1. 2. q. 96. ar. 5. de pereg. illat. 3. vbi alios citat. Et fundatur in cap. Quisquis rebus, d. 41. Ex quo colligitur, quòd quilibet se debet cõformare moribus, etiam in alimentis (si aliàs prohibita illi speciali iure non sint) eorum, quibuscum viuit. Fundatur etiam in cap. Illa autem, d. 12. vbi postquam dictum est, alia esse statuta, & consuetudines vniuersales, & alias locales, & particulares, subditur, *Nec disciplina vlla est in his melior graui, prudentiq; christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quam fortè deuenerit.* Fundatur quoque in cap. Quæ contra mores, d. 8. vbi ea ratio datur, Quia turpis est pars, quæ non congruit suo toti. Et fundari denique potest in cap. Consilium, de obser. ieiun. iuncta glossa ver. Consuetudinem vbi statuitur, consuetudinem cuiusq; regionis esse seruandam. In Ordine nostro de hoc puncto nulla est dubitatio per statutum cap. Val. 4. num. 47. Itaq; tam Generales, quàm alij fratres peregrini, transeuntes per hunc conuentum Genuensem, in quo est consuetudo singulis diebus Veneris sumendi disciplinam in communi loco orationis, idest in choro superiore, tenentur dictam consuetudinem seruare, disciplinamq; pariter cum alijs sumere, etiam supposito quòd in alijs conuentibus non fieret. Idem dic de ieiunijs, & alijs abstinentijs, & obseruantijs particularibus.

Suarez. Rodriq. Miranda. Fagund. Malderus. Val.

22. Ex his etiam collige, quòd ratione conformitatis tenentur Religiosi obseruare ieiunia, & festa particularia ciuitatum, & oppidorum, in quibus habent monasteria, vt aduertunt in specie Fagundez,

loc.

Azor. locò cit. num.3. Azor tom.1. instit.mor.lib.7. cap.19.quęst.2. Similiter tenentur ratione conformitatis, & ne alios offendant, obseruare ieiunia, & festa speciali statuto ab Episcopo indicta, ne qui alijs exemplo praeire debent, cum pusillorum scandalo retro maneant. Ita *Azor.* Azor loco cit. ver. Quęres; licet neget Fagund. *Fagund.* etiam cit. num.4.

23. Quęres 5. An Praelatus eo ipso, quòd facit contra legem, seu praeceptum, à se impositum, censeatur illi derogare. ℞. certum esse, posse legislatorem suam legem mutare, & omnino abrogare, & non solùm suam, sed sui antecessoris, illum in potestate non excedentis, *D.Tho.* vt D. Tho. 1. 2. q.97. art.1. & 2. Vasq.1.2. disp. *Vasq.* 178. cap. 1. num. 3. Sayrus in claui reg. lib. 3. *Sayrus.* cap. 4. num. 13. ver. Quantum verò. Certum est etiam, non posse legislatorem semel latam legem pro suo libito abrogare, sed ad id requiri iustam causam, nimirum quòd lex lata damnum potiùs afferat, quàm vtile, seu maius damnum, quàm vtile: si enim lex vtilitatem afferat, non potest legislator, qui ex officio bono publico prospicere tenetur, eam sine culpa abrogare; si tamen abroget, etiamsi iniustè, validè abrogat, nec tenentur subditi *Vasq.* eam ampliùs seruare, vt Vasq. loco cit. nu.3. & 4. Ad quaesitum dico, quòd, si Praelatus publicè non obseruat statutum, seu praeceptum, à se impositum, V.G. praecepit, ne quis ciuitatem petat cum pileo, si ipse publicè cum pileo petat, & non appareat aliqua ratio, qua censeri possit, velle secum pro illa vice dispensare, dicendum est, quòd velit dictum praeceptum abrogare, praesertim si statutum non sit vsquequaq; vtile, Fundor in l.1. ff. de const. Princ. in qua dicitur, *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*. Si autem Praelatus non publicè, sed secretò, & apparet aliqua ratio, qua nolit derogare legi, sed solùm secum pro illa vice dispensare; dico, quòd per illam vnicam transgressionem non derogat: si autem actus multiplicet, derogabit sine dubio, à boue enim maiore semper dicit arare minor, praesertim in Religionibus, in quibus Praelati debent esse forma gregis: & sicut, Praelato sciente, per aliquot actus contrarios lex excluditur, vt di- *Gutier.* cunt communiter DD. Gutier. can. q. lib. 1. cap. 8. num. 3. Ita pari modo ipso pluriès contrafaciente. Et aduerte, quòd Praelatus contrafaciens legi, seu legis transgressionem dissimulans, ad hoc vt legi derogetur, debet esse ille idem, qui legem fecit, seu in pari dignitate cum illo constitutus (si lex non fuerit adhuc per longum vsum recepta) nam quantumuis inferior Pręlatus dissimulet legis transgres- *Soto.* sionem, numquam tamen illi derogat, vt Sot. lib.1. de iust.q.7. art.2. paulò antè ad 1.

24. Quęres 6. An Praelatus teneatur obseruare suas leges irritantes, V.G. praecepit Praelatus, ne quis distrahat aliquid per venditionē, communicationem, & etiam inter fratres, sub pęna nullitatis contractus ipso facto, & amissionis rei, de qua contrahitur: emit deinde ipse ab aliquo fratre habitum V. G. Quaeritur, an cōtractus sit nullus; & tam Pręlatus, quàm subditus perdant, ille pecuniam, iste habitum. ℞. contractum non esse nullum, nec res deperdi. Ita Sayrus in claui reg. lib.3. cap.4. num.8. ver. *Sayrus.* Eodem modo; Suarez 3. de leg. cap.35. nu.25. *Suarez.* Lessius lib.2. de iust.cap.35, dub.5. num.32. Sa- *Lessius.* las de leg. disp.14. sect.3, num.32. & num.35. *Salas.* fine. Nam illa nullitas est purè poenalis, & poenae suos legislatores non comprehendunt, vt diai num.14. & eo ipso quòd Praelatus consensit, dictum fratrem secum sic contrahere, censetur illum eximere à lege, quantum potest; Nec credi potest, quòd velit subditum punire pro re, ad quam ipse inuitauit, vel in quā consensit; sic enim se ipsum condemnaret.

25. Quęres 7. An Praelatus mandans sub pęna excommunicationis ipso facto, quòd nullus V. G. aleis ludat, si ipse ludat, incidat in dictam excommunicationem. ℞. dictum Praelatum peccare mortaliter, vt constat ex dictis à nu.6. excommunicationem tamen non incurrit, vt constat ex dictis num.14. Atq; ita in specie docent Couarr. in cap. Alma mater, par. 1, §. 1. *Couar.* num.5. Mald. 1.2. quaest.96. art.5 col.3. ver. Vt *Malderus.* verò Salas loco cit. num.32. & 33. Sayrus loco *Salas.* cit. num.5. ver. Hinc etiam est. A S.Fausto in *Sayrus.* thes. lib.6. quaest.150. num.2. Nec etiam incur- *A S.Fausto* rit dictam excommunicationem, qui cum eo ludit, eo enim ipso quòd Praelatus illum ad ludendum inuitat, vel admittit, censetur cum eo dispensare. Ita Lessius loco cit. Salas etiam *Lessius.* cit. num 24. licèt Sayrus loco cit. num.6 & alij *Salas.* apud ipsum contrarium sentiant. Item dic, *Sayrus.* quòd si Praelatus iubeat alicui suo Vicario, vt excommunicet omnes lineas camisias deferentes, si dictus Vicarius camisias deferat, non tenetur se ipsum excommunicare. Ita Sayrus *Sayrus.* loco cit. num 8. Salas num.35 Nam non potest *Salas.* idem esse agens, & patiens. vt docet Arist. 3. *Arist.* phys. cap. 8 & lib.8. cap.4. tex. 40. & habetur in l. Illum à quo, §. Tempestiuum, ff. Ad Trebell. Item non incurrit excommunicationem latam contra scientes, & non reuelantes aliquod delictum, ille met, qui delictum commisit. Ita ijdem DD. Et constat, quia nemo tenetur se ipsum prodere, cap. Cum non deceat, de elect. in 6. & vitae suae quilque debet consulere, l. Vt vim, ff. de iust. & iur. & excommunicatio est gladius spiritualis, cap. Dilecto, de sent. excom. quo vtitur Ecclesia ad maiores, quas potest, pęnas infligendas, cap. Corripiantur, 24. quaest. 3. licèt ex fine sit medicinalis, cap. Cum medicinalis, de sent. exc. in 6.



QVAE-

QVAESTIO II.

DE HIS, QVAE PERTINENT AD CONSTITVENDVM PRÆLATVM IN ESSE VERI, ET LEGITIMI PRAELATI.



AGREDIOR 2. quæst. de Prælato; in quo ex sacris Can. cap. Cum in cunctis, de elect. cap. Licet canon. de elect. in 6. requiritur in primis ætatis maturitas, grauitas morum, literarum scientia, & quòd sit de legitimo matrimonio natus; & in cap. Innotuit, eod. tit. requiritur literarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, & fama personæ; & in cap. Vilissimus, 1. quæst. 1. requiritur scientia, & sanctitas; & in cap. Si constitutis, cl. 1. de appell. & in cap. Si celebret, de cler. exc. celebr. excommunicatus eligi prohibetur; & similiter suspensus, & interdictus, aut irregularis, cap. 1. de postul. præl. quæ omnia renouantur, & confirmantur in concil. Trid. sess. 7. de refor. cap. 1. sess. 24. cap. 12. & sess. 22. cap. 2. eod. tit. Ex quibus colligitur, quòd duæ conditiones requiruntur ad constituendum Prælatum in esse Prælati. 1. quòd sit dignus; 2. quòd sit habilis. Dignitas requiritur de iure naturali, quod dictat, indigno non esse conferendas Prælaturas; & indignus est, qui suo muneri satisfacere non potest. Habilitas requiritur de iure ecclesiastico, quo vetatur, vt inhabili secundum leges Ecclesiæ, etiam aliàs digno, Prælatura non conferatur. De his itaque, quæ sunt necessaria ad reddendum nostrum Prælatum dignum, & habilem, hic nobis agendum est. Et quia ætas idonea ad exercendum munus iniunctum, videtur esse primò iure naturæ requisita, ideo de illa priùs agendum est.

CAPVT PRIMVM.

Quæ ætas requiratur in eo, qui ad Prælaturas regulares assumendus est.

Plutarc. Alb. Trot. Gul. Bened. Penna. Syluester. Angelus. Maiolus. Nauarr. Rodriq. Salon. Rangolius Suarez. P. Greg. Garcia. Reginald. Sigismūd.

1. VIDEATVR Plut. opusc. An seni sit ger. Resp. Alb. Trott. de perf. cler. lib. 2. par. 1. requis. 13. num. 44. Guliel. Bened. in cap. Raynut. par. 1. §. Adlectæ impuberi, à n. 5. Penna in l. Tyronea, Cod. de Tyron. lib. 12. col. 7. Sylu. ver. AEtas, q. 1. à dicto 4. & ver. Beneficium, 3. q. 1. nu. 2. Ang. eod. §. 4. Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 30. Nau. in man. cap. 25. n. 116. & miscell. 97. de or. tom. 4. Rodriq; to. 3. q. reg. q. 34. art. 2. Salon 2. 2. q. 63. art. 2. contr. 1. Rang. in 1. Reg. cap. 12. ver. 2. tit. De præpost. quor. sen. amb. Suarez. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 3. nu. 7. P. Greg. synt. iur. lib. 47. cap. 9. n. 16. Garc. de benef. par. 7. cap. 4. Reginald. in prax. lib. 39. tract. 3. num. 163. Sigism. de elect. dub. 62. Menoch. de arb. lib. 2. cas. 427. Azor par. 2. lib. 6. cap. 5. à q. 1. Miranda tom. 2. man. q. 3. art. 1. & q. 5. art. 1. Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 20. Vasq; opusc. de benef. cap. 3. §. 2. dub. 1. à n. 14. Henriq; lib. 10. cap. 19. §. 3. Campan. in diuers. iur. rubr. 7. cap. 6. Castell. de elect. cap. 11. n. 8. Sarton. in ciue Reip. reg. consid. 52. Maluet. disc. 19. in Tac. Lor. ad cap. 4. Num. ver. 3.

2. Noto 1. quòd hominis ætates variè à varijs distinguuntur, pro qua distinctione videri potest Philo de mundi opif. pag. mihi 18. vbi recitat aliquos versus Solonis, varias hominum ætates describentes. A. Gell. lib. 10. c. 28. P. Greg. in prælud. opt. magist. lib. 4. cap. 13. Bus. de stat. de stat. ætatæ hum. cap. 1. Optimè Rang. in 1. Reg. cap. 3. ver. 1. tres tantùm constituit secundùm sacram Scripturam hominum ætates 1. quæ pueritia vocatur, vsque ad annum 25. excurrit. 2. quæ virilitas dicitur, ab anno 25. ad 50. Tertia, quæ dicitur senectus, à 50. vsq; ad finem. In 1. homo eruditur scientijs, & & artibus pro toto vitæ cursu necessarijs. In 2. se in illis exercet. In 3. & in alijs erudiendis studium,

Menochius Azor. Miranda. Lessius. Vasq; Henriq; Campanil. Castellin. Sartonius. Maluetius Lorinus. Philo. A. Gellius. P. Greg. Busæus. Rangol.

studium, & operam collocat. A primo ortu vsque ad annum 25. vel circiter, crescit hominis natura. Ab eo anno vsq; ad 35. persistit, firmat radices, incrementum, neq; decrementum recipit; ab anno 35. vsq; ad 50. incipit decrescere, & deteriorare, sed ita paulatim, vt vix cerni possit vitium defectus; ab anno 50. vsque ad finem sensibiliter videtur vitij diminutio, & subiecti sentitur destructio.

3. Noto 2. quòd in maximo semper fuit honore senilis ætas, & maxima ei concessa fuere semper priuilegia, & quinquaginta enumerat, & illustrat Tiraqu. in præf. de, iur. prim. à num. 79. ex quibus hic aliqua referre non grauabor, vt nostri iuuenes, quo suos senes honore venerari debeant, nō ignorent. I. igitur; Seniores sunt præ cœteris honorandi, cap. His igitur, d. 23. c. Anteriorum, §. Illud, 2. q. 6. & Iuuen. sat. 13. *Tiraquell.* *Iuuen.*

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

II. Indubio semper præsumitur seniores esse prudentiores, iuxta illud Iob. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et cap. 1. de renunc. dicitur, quod plus valet vmbra senis, quàm arma iuuenis, vt ibi colligit Bald. & Innoc. Et Hier. Ad Nep. *Senectus ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior.* Et Tull. de sen. *Temeritas est florescentis ætatis, prudētia senectutis.* III. In cōsilijs quærendis, causisq; dubijs decidendis antiquiores iunioribus præferuntur, cap. De quibus, d. 20. vnde Eurip. apud Stob. ser. 114. *Baldus.* *Innocent.* *Hieron.* *Tullius.* *Euripi.*

O fili, manus quidem iuueniles ad agendum robustæ sunt,
Seniorum autem sententiæ præstant.
Tempus enim multam, & variam doctrinam parit.

Et tria, dixit Tull. vt refert Bened. loc. cit. num. 69. Romanam Rempublicam euerterunt, *Amor*, scilicet proprij commodi, *occultum odium, & iuuenile consilium*. Vnde magnus ille Macedo militibus suis senio quasi confectis, vt florida iuuentute militiam renouaret exhortantibus, respondit. *Malo eligere senum grauitatem tremulam, quàm iuuenum velocitatem incautam* IV. Maior est seniorum auctoritas, cœteris paribus; cap. Anteriorum, §. Illud, 2. q. 6. cap. Domino sancto, d. 50. fine. Ouid, 1. met. *Ouidius.*

Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas)
Ponere duritiam cœpere.

V. Quò quis est senior, eò prior inscribi debet, cum multorum nomina inscribuntur: & similiter debet ante alios subscribere in instrumentis, concilijs, &c. Gloss. in cap. *Statuimus*, d. 61. & in dicendis sententijs præferuntur, Eccl. 32. *Loquere maior natu, decet enim te primum* Et Tull. in Cat. *Multa sunt in nostro collegio præclara, sed hoc de quo agimus, in primis, quod vt quisq; ætate antecellit, ita sententiæ principatum tenet.* Notat autem hic Tiraq. loc. cit. nu. 124. quòd quando in iudicio adsunt plures aduocati, debent iuniores priùs proponere, & seniores vltimò, vt horum rationes meliùs iudex recordetur; nam quæ vltimò audiuntur, meliùs memoriæ commendantur, per tex. in cap. Liquidò, de consecr. d. 2. vbi glossa. VI. Seniores primo loco sedere debēt, cap. Placuit, d. 18. gloss. in cap. Statuimus, d. 61. Intellige, si primus locus sit nobilior, alioquin semper dandus senioribus nobilior locus secundum communem existimationem, siue ille sit primus, siue vltimus, siue medius. VII. Qui antiquior est in collegio, si Præses desit, potest conuocare collegium secundùm Innoc. & Panor. in cap. 1. de maior. & ob. Ex quo solues illam quæst. quæ potest fieri ad num. 95. nostri Correct. Quid si per malitiam Prouinciales, vel Generales, qui sunt præsidentes capitulorum, se à capitulo absentent, nec Vicarium instituant. Dico, quòd alij capitulantes celebrabunt capitula, & in capitulo generali præsidebit antiquior Prouincialis, & in cap. prouinciali antiquior Correctior, arg. etiā cap. Volumus, d. 89. vbi gloss. ver. Clerus, Archid. & Turrec. plura Tiraq. loc. cit. nu. 119. VIII. Seniores præferendi sunt iunioribus in legationibus; hc. 1. Machab. 6. *Misit Rex senem quemdam Antiochenum, qui, &c.* Et Gen. 24. Abraham seniorem seruum domus suæ mittit quærere sponsam filio suo. Et nu. 22. Balaac Rex Moab mittit seniores legatos ad Balaam. Vnde collige, quòd Commissi mittendi ex Prouincijs ad capitula generalia, debent esse ex senioribus Prouinciæ. Item vbi vnus pro multis loquitur, ille debet esse senior ex illis, vt Tiraq; loc. cit. nu. 134. Item seniori fratrum debet pater clauem, & annulum custodiæ tradere; Tiraq; nu. 137. Ex quo collige, quòd bene promissum est in nostro Ordine, vt sigilli, mortuo Generali, apud seniorem Collegam remaneant. IX. Senior potest iuniorem castigare, & corrigere; similiter frater maior natu, fratrem minorē natu, si inueniat eum aliquid inordinatē facientem; per tex. in l. 1. Cod. de emend. prop. Et senior, qui iuniorem coram se peccantem non reprehendit, perinde est, ac si ipse peccasset, & iuniores, qui obiurgati molestè ferunt, magna ignominia affici debent, auctore Plutar. in Lycur. qui in apoph. ait, quòd iunior à seniore correctus, si apud patrem queratur, turpe est patri, nisi denuò iuniorem corrigat, & castiget. Plura Tiraq; num. 141. Ex quo collige, quòd iuniores religiosi non debent molestè ferre, si corrigantur, & reprehendantur à senioribus, etiamsi dicti seniores Superiores non sint; & quòd id tenentur seniores facere in conscientia; & quòd, si dicti seniores nolint punire iuniores coram ipsis peccantes, quia fortè non sit in vsu, tenentur tamen in conscientia Superiorem monere. Item, quòd, si dicti iuniores conquerantur apud Superiorem, se asperè fuisse à senioribus reprehensos, debent dicti Superiores eos acriùs, & asperiùs corrigere, & punire; Item, quòd, quando sunt duo fratres carnales in vno conuentu, potest maior natu minorem reprehendere, castigare, & etiam verberare, cum videt eum aliquid mali facere, absq; metu incurrendi in excommunicationem; punit. n. ad correctionem, per ius, quod habet supra minorem, illi à natura tributū, nisi fortè id esset specialiter in illa Religione prohibitum, vel non esset in vsu, Vide Tiraq; nu. 143. 144. X. In eleemosynis *Innocent.* *Panormit.* *Archid.* *Turrec.* *Tiraquell.* *Tiraquell.* *Tiraquell.*

fynis distribuendis seniores iunioribus præferuntur; cap. Considerandâ est, d. 86. Pen. in l. Tyrones, col. 1. Cod. de tyron, lib. 12. qui ad id citat c. Non satis, d. 86. Archid. in c. Domino sancto, d. 50. & in c. Tanta, d. 86. Ex quo collige; quod pictantia in refectorio prius debet sumi à senioribus, quàm à iunioribus, & quòd, si aliquid distribuendum est vltra pictantiam, à senioribus incipiendum est (si aliter non habeat constitutio, vel consuetudo Religionis) & licet non sufficiat pro omnibus, à senioribus tamen incipiendum est; sicut enim debent esse primi in oneribus eundi ad chorum, missas celebrandi, communitatem sequendi, ita rationabile est, vt sint primi in recipiendis eleemosynis. XI. Testes seniores iunioribus præferuntur; cap. Quoties, *Pennac.* cap. Licet ex quadam, de test. Pen. loc. cit. *Tiraquell.* Tiraq. num. 148. Nisi iuniores sint in dignitate constituti; cap. Statuimus, de ma. & ob. Gloss. in cap. vl. ver. Antiquiores, de consuet. in 6. XII. Seniores periti præferuntur iunio- *Tiraquell.* ribus in dando consilio de arte sua; Tiraq. nu. 155. similiter in corrigendis libris; cap. *Archid.* Vt veterum, d. 9. Arch. in cap. Domino sancto, d. 50. Item in litterarum diuinarum interpretatione; cap. De quibus, d. 20. cap. Relatum, d. 37. Item, quando iubetur fieri aliquod cum aliorum consilio, & consensu, neminem exprimendo, is consensus à senioribus requirendus est; cap. Factus, 7 q. 1. XIII. Seniores mitiùs puniuntur in eodem genere delicti; *Archid.* cap. Tanta, d. 86. vbi Arch. & c. Tanta 1. q. 7. & cap. Tempora, 16. q. 7. XIV. Dicta seniorum custodienda sunt; cap. Ita Dominus, d. 19. Eccle. 8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis*. Et etiam seniorum mores custodiendi; cap. Ridiculum, d. 12. Glossa in cap. Quarto, ver. Antiquitar, de *Archid.* transl. præl. Archid. in cap. Domino sancto, *Ennius.* d. 50. & facit illud. Enn.

Moribus antiquis res stat romana, virisque.

Periand. Et illud Periand. Corin. *Moribus quidem antiquis vtere, cibis verò recentibus*. *Phauorin.* Et illud Phauorini Philosophi, *Viue moribus præteritis, loquere verbis præsentibus*. Et senioris cuiusdam ex mea Religione dictum! *Musceati sunt mores antiqui*. XV. Seniores excusantur à longis itineribus, cæterisq; necessariò obeundis; cap. Magnæ, ver. Verum ætatis, de voto; cap. Quamuis, de sent. exc; cap. Placuit, el. 2. d. 18. vbi excusantur Episcopi, ne personaliter ad synodum accedant propter ætatem, vel ægritudinem, vel aliam grauiorem necessitatem. Vnde patet, quòd triplici ex causa possunt excusari Prouinciales, ne accedant ad capitula generalia. 1. est senectus, 2. grauis ægritudo; non enim sufficit leuis febricula, vel vetus quartana, sed debet esse grauis infirmitas, & periculosa, vt dicitur in cap. Si quis Episcoporum, d. 18. 3. est grauis alia necessitas, vt si declinetur propter bonum publicum Reipublicæ, vel Religionis, quod non possit æquè bene compleri per alium; vt in cap. Si quis Episcopus, d. 18. Hæc, & alia multa, quæ *Tiraquell.* prosequitur Tiraq; conceduntur senioribus, in quorum gratiam non pigebit referre vnam sententiam, desumptam ex Hebræorum fontibus, quam refert P. Greg. lib. 47. synt. c. 9. *P.Gregor.* nu. 22. explicans enim auctor ille illud prouerbium, Senex in domo signum bonum est, ait, *Quicunq; honorat senes, perinde est, ac si honoret Deum sanctum benedictum: nisi enim senes essent, mundus non consisteret: Vnde si dixerint tibi senes, Destrue domum tuam, & fac ex ea sterquilinium, destrue consilio senum. Si verò iuuenes tibi dixerint; Fac vt loco sterquilinij istius domus extruatur, euertito eas, nec acquiesce consilio eorũ; destructio enim senum est ædificatio, & ædificatio iuuenum est destructio*. Et addit, mundum durare propter senes, & omnis prouincia, in qua non est senex, digna est, vt deuastetur. Et vbi videntur in ciuitate senes perire, est præsagium mali, quod illi est euenturum, & affert exemplum Sodomæ, quæ, quamdiu Loth in ea fuit, stetit; vbi recessit, consumpta est; Gen. 19. Item suspensa est vindicta totius orbis in diluuio, donec abiret Mathusalem; Gen. 7. Et in summa omnis, qui acquiescit consilio senum, liberatur ab omni tribulatione. Et vetum est prouerbium nostrum Genuense, *Và fine sine domini*. Vide Stob. ser. 116. *Stobæus.*

4. Aduerte autem, quòd dicta debent intelligi de senioribus probis, prudentibus, sapientibus, exemplaribus, vt dixi to. 2. nostr. priu. in const. 6. Pauli V. à nu. 3. & habetur in cap. Paulus dicit, 2. q. 8. Nam alioqui senes scandalosi, improbi, leues, maligni, asperi, rixosi, viperini, suspicaces, auari, querulí, magis vtilitatem propriam, quàm communitatis spectantes, vt ait Ar. 2. Reth. cap. 13. qui *Aristotel.* quò magis senescunt, eo peiores fiunt, vt de Tiber. narrat Tac. 6. ann. dicens. *In scelera simul, ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantùm ingenio vtebatur*. *Tacitus.* Hi non solùm venerandi non sunt, sed potiùs contemnendi, reprehendendi, & castigandi à iuuenibus, vt fecit Daniel cap. 13. & Christus seuerè recepit seniores illos, qui interrogabant, Qua potestate hæc facis? Matth. 21. Marci 11. & Lucæ 20. Nec propterea fit illis iniuria, per tex. in l. Potioris, Cod. de off. rect. Prou. Sed hæc reprehensio in canitiei honorem facienda videtur (nisi obstet senum impudentia) cum aliqua reuerentia, per tex. in cap. Neque, d. 9. ibi, *Salua beneuolentia*. Quòd si volueris senes vituperare, lege Stob. *Stobæus.* ser. 115. & Aegid. de reg. lib. 1. p. 4. cap. 3. *Aegidius.* Ar. 2. reth. cap. 3. & qui dicantur verè senes, *Aristotel.* vide apud Rang. in 1. Reg. cap. 2. ver. 16. pag. *Rangel.* mihi 338.

5. Aduerte etiam, quòd interdum iuniores vincunt seniores consilio, & ante pilos venit velox quandoq; prudentia, quæ ætatem supplet; cap. De illis, el 2. cap. Tuæ nobis, de spons. impub. cap. 1. & 2. eod. tit. in 6. & in §. Planè, auth. de monach. dicitur, non esse omnino honorandum tempus; Ex quo colligunt Iuristæ, quòd Doctores iuuenes doctiores debent omnino præferri senioribus. Et Plaut. in trinum. *Non ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia*. *Plautus.* Ad quod fortè respexit ille senior è nostris, qui dicebat, *Aetatem dormiendo acquiri, sapientiam maximè vigilando*. Et fortè etiam ille, qui dixit, *Canities, & brutis animalibus non denegatur, sapientia solis hominibus*

Quintil. *nibus conceditur*. Et Quintil. lib. 2. in princ. *Non id est æstimandum, cuius quisque sit ætatis, sed quantum in studijs iam effeceris.* D.Hieron. Et Hier. ad Paul. *Nolo, frater charissime, annorum æstimare nos numero, nec canos sapientiam reputare, Salomone testante, Cani hominis prudentia eius.* Ignatius. Et Ignat. ep. 6. ad Magnes. *Adolescentia non est contemnenda, quoties Deo dedita, consecrataq; fuerit: verùm is contemnendus est, qui prauo est animo, tametsi malorum dierum tempore plenus sit.* Et Iob 32. dicitur, *Sperabam, quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam, sed, vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Et Paul. 1. ad Tim. 4. *Nemo*, ait, *adolescentiam tuam contemnat.* D.Chrys. Ad quem locum ait Chrysost. *Si ætatis defectum indolis magnitudine, morumq; maturitate suppleueris, nullus te adolescentiæ causa contemnet, sed admirabitur magis.* Ouidius. Et Ouid. 1. de ar. aman.

Parcite natales timidi numerare Deorum;
Cæsaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cæleste suis velocius annis
Surgit, & ignauæ fert mala damna moræ.

Vergil. Et Virg. 9. Aeneid.

Ante annos animumq; gerens, curamq; virilem.

Hoc casu nõ debent seniores dedignari sequi sententiam iuniorum, vt dicitur in cap. Si habes, 24. q. 3. & cap. vlt. d. 38. scientes, quòd non fit iniuria maiori, si à minore melius dicatur in iure; l. Potiores, Cod. de off. Rect. G.Bened. prou. Guliel. Bened. in cap. Raynutius, §. Adiectæ impuberi, nu. 36. scientia.n. est donum Dei, quod dispensatur pro voluntate, & gratia largitoris; vnde aliqui plus discunt in vno anno, quam alij in tribus.

6. Vnde collige, quòd licèt prætendant seniores omnes sibi dignitates deberi, non est tamen verum; nam iuniores sunt quandoq; illis anteponendi. Et in tantum, quòd dicit Guliel. Bened. cit. nu. 18. & 20. quòd propter excellentiam, & prudentiam iunioris, posset recedi à statuto, in quo decerneretur, quòd nõ nisi seniores admitterentur ad dignitates. Quod facit pro Magistris nouitiorum, qui, considerata qualitate personæ, prudentia, &c. poterunt eligi, etiamsi 35. annum requisitum à Papa non habeant. Immò potest afferri ratio, quare potiùs iuuenes, quàm senes sint ad regendum apti; sunt enim isti imbecilliores, & timidiores ob defectum natiui caloris, quare sibi potiùs, quàm alijs, debent attendere: iuuenes autem sunt robustiores, & audaciores; vnde omnibus attendere, omnia gerere, vbiq; esse possunt. Quod videtur voluisse Samuel Rangol. iuxta egregiam expositionem Rang. cum dixit 1. Reg. 12. *Ego autem senui, & incanui.* Quasi diceret, ait Rang. *Non sum deinceps subeundis laboribus idoneus, nec est, cur vltra spei quidquam, aut præsidij in sene tot curis, & ærumnis confecto ponere debeatis. Hactenus vobis vixi, & vestris commodis totus inseruiui; nunc mihi deinque, quod superest ætatis, viuendum est.* Adde, quòd seniores cõmuniter sunt ambitiosiores, quàm iuuenes, ij præsertim, qui aliquando Prælaturarum amaram dulcedinem gustauere; quod prouenit ex assuefactione: & quia, cum se senes videant, despectum se iri putant, nisi aliqua Prælatura fungantur, vnde omnia faciunt, vt se in Prælaturis conseruent. (Licèt etiam, vt verum fatear, id etiam præstet quorumdam Prælatorum iuuenum insolentia, qui eos non tractant, vt decet) Sunt etiam senes communiter auari, & multum de se præsumentes, auxilia quærunt semper, non consilia se omnibus consilia posse dare credentes; fidunt etiam multùm ætati; vnde Solon Atheniensium legislator, cum ex eo aliquando Pisistratus quæreret, qua tandem spe fretus, sibi tam audacter obsisteret; *Senectute*, respondit, auctore Tull. in lib. de senect. Tullius. Iuuenes è contra non sunt tam radicati in ambitione, vt pote qui nondum gustauere, tempus superesse confidunt, nõ sunt tam auari, immò liberales, quod iuuenili naturæ conuenit, consilijsq; senum acquiescunt: &, vt ait Ar. 2. rethor. Aristotel. cap. 12. sunt bonis moribus præditi, creduli, spe bona pleni, non sunt auari, &c. Quare fateor, quod, si sint aliquantò moderati in irascibili, & concupiscibili, & prudentia non careant, meliùs regunt, quàm senes, præsertim vbi regimina sunt temporalia, student enim bene se gerere in primis Prælaturis, vt deinde faciliùs maiores alias assequantur. Vnde Chrysost. in cap. 3. Esa. ad illa verba, *Et dabo* D. Chrys. *pueros principes eorum*, ait, *Contingit enim iuuenes esse cordatos, & prudentes, contra videre licet, qui vna cum senectute, ac delitijs consenuerint. Nam & Timotheus iuuenis erat, is tamen ecclesias innumeris, qui senio incanuerant, sapientius moderatus est. Salomon quoque annos natus duodecim, disserit cum Deo sermocinabatur.* Et paucis interpositis, *& is iam senio confectus, multum detraxit de pristina virtute. Sed huius etiam pater beatus ille Dauid graue illud commisit peccatum, non puer quidem, & adolescentulus, verum eam supergressus ætatem peccauit: qui, cum alioqui pusio adhuc esset, admirabile illud trophæum erexit, barbaro illo in terram deiecto,* &c. Quæ eleganter prosequitur ibi Chrysost. exemplis Ieremiæ, D. Chrys. Danielis, Iosiæ, Ioseph. Quòd verò Dauid senex esset, quando peccatum cum Bersabea commisit, docet Scriptura 3. Reg. 1. Et de Salom. ibid. dicitur cap. 11. *Cumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.* Ad quem locum dicit Cai. *Quamuis mulieres illectæ fuerint Salomoni iuueni, non* Caietanus. *tamen diuerterunt in iuuentute ad cultum Deorum, sed in senectute paulatim emollitus est animus eius, crescente amore, & deficiente virtute.* Et quia vbiq; sunt angustiæ, cõmuniter qui sunt ætatis mediæ, seu consistentis, idest ab anno 35. ad 50. sunt ad regimen aptiores; habent enim quicquid est laudabilitatis in senibus, & in iuuenibus, vt prosequitur Ar. 2. reth. Aristotel. cap. 14. & AEgid. de regim. lib. 1. p. 4. cap. 4. AEgid. Cæteris expectare, & quiescere deberent.

7. Dico 1. decet Prælatum ad maiorem Prælaturam eligendũ, in minori priùs fuisse exercitatum. Ita Marq. lib. 1. sui guber. christ. Marquez. cap. 9. Cassan. in catal. glor. mun. p. 1. cons. 9. Cassaneus Pen. in l. Nulli, Cod. de numer. col. 1. & in l. Penna. Tyrones, col. 8. Cod. de tyron. eod. lib. Maiol. Maiolus. lib. 1. de irreg. cap. 31. nu. 1. & 3. & dixi to. 2. nostr. priu. in const. 2. Clem. VIII. nu. 5.

8. Probatur 1. ratione D. Th. 2. 2. q. 1. ar. 7. ad 3. D.Thomas desumpta

desumpta à modo procedendi naturæ secundùm quam nemo repente fit magnus, sed parua gradatim crescunt. Vnde Quintil. lib. 10. cap. 3. ait. *Nihil rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, præposuitq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatem: quæ nascendi quoque hanc fecit legem, vt maiora animalia diutiùs visceribus parentum continerentur.*

9. 2. Probatur ex iure tũ canonico, tũ ciuili; c. vn. de cler. per salt. prom. c. Qui ecclesiasticis, d. 59. vbi dicitur, *Qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, nec temporum approbatione diuinis stipendijs eruditus, nequaquam ad summum sacerdotium Ecclesiæ aspirare, vel præsumere debet.* Idem habetur in cap. Si officia; cap. Hoc ad nos, cap. Ordinatos, dist. ead. cap. Sicut, d. 48. cap. Sacerdotale, cap. In Sacerdotibus, cap. Non negamus; cap. Miramur; cap. Miserum; cap. Statuimus, cap. Quid proderit, d. 61. Idem colligitur ex Trid. sess. 23. de refor. c. 11. Habetur in l. Nemo exceptia, Cod. de aduoc. diu. iud. l. Vt gradatim, ff. de muner. & honor. vbi dicitur *Vt gradatim honores deferantur, & vt à minoribus ad maiores perueniatur, epistola D. Pij ad Titianum exprimitur.* & in l. Honor, §. Gerendorum, ff. eod. dicitur. *Gerendorum honorum non promiscua facultas, sed ordo certus huic rei adhibitus est: nam neq; priùs maiorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest.*

10. 3. Probatur ratione. Quia alios docere nescit, qui nondum ipse didicit. dist. 48. in

Aristotel. princ. Ar. 3. pol. cap. 3. *Quamobrem rectè dicitur, neminem bene imperare posse, qui non priùs sub imperio fuerit.* Miserum enim est, eum fieri magistrum, qui nec dum didicit esse discipulus: Vnde omnino sequatur necesse est, quòd totius familiæ status, & ordo nutet, quando quod requiritur in corpore, non inuenitur in capite, vt dicitur cap. Miramur, d. 61. Et præmaturi honores solent homines in superbiam euehere; vnde Apostolus 1. ad Tim. 3. prohibet neophytos, idest nouellos, ordinari, *ne in superbiam elati, in laqueum incidant diaboli.*

11. 4. Probatur auctoritate PP. & Philo-

D. Gregor. soph. Greg. lib. 7. regist. ep. 112. *Ordinatè ad ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia, post positis gradibus, per*

Nazianz. *abrupta quærit ascensum.* Naz. or. 20. num. 48. *Nauticam,* ait, *legem laudo, quæ gubernatori futuro primùm remos tradit, deinde ad proram eum collocat, sicque prioribus muneribus ipsi commissis, tandem eum post diuturnam remigationem, ac ventorum obseruationem, ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio. Miles primùm, deinde Centurio, tum Imperator. Hic optimus ordo est, ijsq; qui subsunt, in primis conducibilis. Quàm præclarè nobiscum ageretur, si idem rerum*

D. August. *nostrarum status esset?* Et Aug. relat. in cap. Ante omnia, d. 40. conquerens, quòd inuitus, & per saltum factus fuerit Episcopus, ait, *Merito meorum peccatorum factum est, nam quid aliud existimem nescio, vt secundus locus gubernaculorũ mihi traderetur, qui remum tenere non noueram.*

Cassiodor. Cassiod. lib. 1. var. ep. 4. *Qui non fragili variarum, prouectus fortunæ ludo, ad apicem fascium repentinis successibus euolauit, sed vt crescere virtutes solent, ad fastigium præconij conscendit gradibus dignitatum; primus enim, &c.* Philo

Philo. lib. 1. de vita Mos. col. 8. *Solus potest esse Rex vndequaq; perfectus, qui bene callet artem pastoritiam, & curando minora animalia, didicit quomodo debeat præesse præstantioribus. Impossibile est enim, vt magna prius, quàm parua, perficiantur.* Et lib. 1. de Ioseph dicit, quòd cum Deus vellet Iosephum præficere toti Aegypto, priùs voluit eum præexercitari in præfectura domus Domini sui. Ar. 3. pol. cap. 3. *Hanc dici-*

Aristotel. *mus esse ciuilem præsidentiam, quam eum, qui præest, didicisse parando oportet, seu præfectum equitum esse, cum ipse priùs sub alio esset, & exercitum ducere, cum ipse prius in exercitu per inferiores militiæ gradus ductus sit.* Alioqui sic per saltum promoto posset obijci illud Aristophanis. *Qui nunc quidem nihil est, cras erit maximus.* Vel illud Aristidis. *Qui hodie pedes est, cras*

Vlpianus. *videbitur eques.* Vel illud Vlpiani l. 7. §. Prætereà, ff. de iniur. *Heri seruus, hodie liber.* Et

D. Hieron. Hier. ad Oceanũ. *Heri cathecumenus, hodie Pontifex, heri in amphitheatro, hodie in ecclesia, vespere in circo, mane in altari; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.*

12. Et pari modo maxime cuperem, vt qui habuit dignitatem maiorem, non posset cogi habere inferiorem, V. G. qui fuit Generalis, non posset cogi esse Prouincialis, & qui fuit Prouincialis, non posset cogi esse Corrector. Pro quo habemus clarum tex. in l. Maioribus. C. Quemadmodum ciu. mun. lib. 10. vbi dicitur, *Maioribus honoribus functos, ad minores reuocare non oportere, rationis est.* Ad quam l. vide

Penna. Pen. qui id etiam probat ex cap. 1. de transl. episc. Excipe tamen casum, quo necessitas conuentus, vel Prouinciæ aliter suaderet; nam tunc puto, quòd, etiam stante statuto in con-

Nouarius. trarium, posset cogi, per ea, quæ habet Nouar. in praxi priu. miser. pers. priu. 6. num. 6.

13. Dico 2. Si cætera sint paria, & munera æquè bene possint obiri per seniores, & iuniores, seniores semper anteponendi sunt iunio-

Tiraquel. ribus. Ita Tiraq. in tract. de iur. primig. nu. 175. & num. 186. & nu. 210. & puto esse communem omnium DD. Nec enim imaginari possum, vllum vnquam Doctorem voluisse tantùm senectuti tribuere, vt seni indigno dignus iuuenis postponeretur, cum semper teneamur eligere digniorem, vt probaui to. 1. huius op. q. 1. cap. 31. §. 1. & 4. & dignitas non ex ætate, sed ex meritis metiatur *Quandoquidem,* vt ait Origen. to. 11. in Io: *canities*

Origenes. *hominibus est prudentia, & corona gloriationis, & senectus, & gloria, veris, ac diuinis senibus canities illa sunt, quæ mente cernuntur, ipsos ornantes.* Et Chrys. lib. 2. de sacerd. in fine,

D. Chrys. loquens de ijs, qui præ cæteris debent assumi in Episcopos, ait, *in eam rem non oportere prudentiam ætate metiri, neq; senem canitie probare, neq; iuuenem arcendum ab huiusmodi ministerio.* Non est ergo canities externa capitulorum veneranda, vtpotè quæ etiam capris, & alijs brutis animalibus accidat, sed interna virtutum. Vnde Gloss. in cap. 1 d. 16. per multa iura, quæ allegat, & Gloss. in cap. Episcopo-

Innocent. rum, d. 74. & Innoc. in cap. 1. de ma. & ob. dicunt, quòd melior est præferendus antiquiori;

Tiraq. quiori; & multi DD. quos refert Tiraq. n.110. docent, quòd eruditus scholaris imperito doctori est præferendus. Si ergo cætera sint paria, senior iuniori præferri debet; & dictat communis omnium sensus, & colligi potest ex cap. 1. dist. 85. Vnde Plutar. in opusc. An seni ger. sit Resp. paolò ante med ait. *Ad parendum iuuenilis, ad imperandum senilis ætas accomodata est: ac maximè salua est ciuitas, vbi consilia senum, & iuuenum arma obtinent.* *Plutar.*

14. Dico 3. Si dubitetur, an æquè sint digni senes, & iuuenes, etiam pro sene præsumendum est, quòd scilicet vincat iuniorem virtutibus, & moribus. Ita Tiraq. loco cit. nu. 153. *Tiraq.* Probatur ex cap. Nisi cum pridem, ver. Alia verò causa ibi, *Moralis verò maturitas.* de renunc. Cap. cum iuuenilis, de præsumpt. cap. Fraternitatis, dist. 34. cap. Definimus, 18. q. 2. & Hieronym. ad Rost. ait. *Non est facilè malum de perfecta ætate credendum, quam præterita vita defendit, & honorat vocabulum dignitatis.* *D. Hier.*

15. Nota tamen, quòd senes, de quibus loquor, non debent esse decrepiti, nam decreptorum mutat prudentia repuerascentes, sed debent esse tales senes, quibus mens vigeat in pectore, licèt frigida extet bello dextera; de quibus extant Hesiodi versus. *Facta iuuenum, consulta virorum, vota,* seu preces *senum*; senior enim ætas vigori mentis multarum rerum adiūxit experientiam. Vnde receptum est, vt *Senum prudentia*, in prouerbium abierit. Decrepiti verò, quò morti se propinquiores vident, solent esse minùs obnoxij peccatis, & religiosiores, ideo vota illorum, & preces efficaciores. Atq; hæc de decrepitis definiunt, cap. 1. dist. 85. cap. Petijsti, 7. quæst. 1. Rodriquez tom. 3. q. reg. q. 34. art. 2. Henriq. lib. 10. cap. 19. nu. 3. Maiol. de irreg lib. 1. cap. 30. nu. 14. *Rodriq. Henriq. Maiol.*

16. Dico 4. Superiores locales, quocumq; nomine vocentur, debent saltem attingere annum 25. Est omnium citatorum nu. 1. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. q. 15. art. 2. Garc. de benef. par. 7. cap. 4. num. 41. 42. Abb. cap. Cum in cunctis, de elect. nu 6. Probatur tum ex cap. cum in cunctis, §. Inferiora, de elect. Clem. ne in agro, §. Cæterùm, de stat. mon. tum ex Trid. sess. 24. de refor. cap. 12. vbi dicitur. *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumq; quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi qui saltem 25. annum attigerit.* Tum ex l. Ad Rempublicā, ff. de mun. & honor. Tum ex Regula nostra Minim. nu. 39. Tum quia eligendus in Superiorem debet esse Sacerdos; c. 1. de ætate, & qualitate ord. & habet animarum curam: sed Sacerdotium non datur nisi attingentibus annum 25. per Trid. sess. 23. de refor. cap. 12. *Rodriq. Garcia. Abbas.*

17. Sed dubitabis, an necessarium sit, quòd eligendus in Prælatum Religiosorum sit actualiter Sacerdos, an verò satis sit, vt per promotionem ipsam obligatur ad Sacerdotium suscipiendum infra tempus à iure statutum. Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 5. nu. 21. ait, quòd de iure communi, si quis Religionis professus, nondum ordinatus Sacerdos, in ætate tamen ad Sacerdotium requisita, & prima saltem tonsura insignitus, eligeretur in Prælatum suæ Religionis, illa electio non esset irrita, neq; irritanda. Et constat ex cap. 1. de ætate & qualitate ord. cap. Cum in cunctis, de elect. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12. deberet tamen iste talis infra annum Sacerdotium suscipere, iuxta cap. Licet, & cap. Cum ex eo, de elect. in 6. Et clem. Ne in agro, §. Cæterùm, de stat. monach. sub pœna priuationis ipso facto per dictum cap. Cum ex eo, & dictam clem. nisi infirmitas, vel alia legitima causa illum excusaret; dicta clem. & Glossa in cap. 1. de ætate & qualitate. Quòd autem debeat saltem prima tonsura esse insignitus, dicit Suarez. loc. cit. nu. 23. Garcia de benef. par. 7. cap. 1. nu. 90. Sed iam puto, quòd in omnibus Religionibus requiratur actuale Sacerdotium. Et licèt in Reg. Minorum, cap. 7. fratres laici possent esse non solum Guardiani, sed etiam Ministri prouinciales, id tamen iam vsu abrogatum est, vt dicunt Rodriq. loc. cit. Miranda tom. 2. man. quæst. 2. art. 2. *Suarez.* *Miranda.*

18. Nota hic etiam, quòd in Correctricem de iure communi non potest eligi monialis, quæ professa trigesimum annum non excesserit; cap. Indemnitatibus, de elect. in 6. Cui puto quò ad Ordinem nostrum esse derogatum per nostram Reg. monial. num. 28. in qua conceditur, quòd possit in Matrem Correctricem eligi, quæ per biennium fuerit professa, & 25. annum attigerit; fuit enim Regula confirmata, inserto tenore, à Iulio II. cum ergo Pontifex ius commune in scrinio sui pectoris habeat, cap. 1. de const. in 6. illi per Regulæ confirmationem derogasse credendum est. Sed modò per Concil. Trid. sess. 25. de reg. cap. 7. decernitur, quòd *Abbatissa non eligatur minor annis 40. & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit: Quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi poterit. Et, si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex eis, quæ in eodem monasterio annum 30. excesserunt, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur.* Declarauit tamen sacra Congregatio, quòd licèt *Abbatissa per quinquennium non permanserit in Religione, dummodò excedat 30. annum, & id fiat ad requisitionem suarum monialium, & de licentia Superioris, & dummodò laudabiliter superiori anno in officio se gesserit, confirmari poterit per biennium.* Plura huiusmodi videri poterunt apud Zerol. in praxi, par. 1. ver. Abbatissa, nu. 2. per dictum tamen decretum Concilij puto derogari nostræ Regulæ; ait enim Concilium in fine: *In reliquis seruentur singulorum Ordinum, vel monasteriorum constitutiones.* Ex qua clausula constat, quòd quò ad præmissa vult esse derogatum regulis, & constitutionibus. Aduerte autem, quòd, quādo non esset in monasterio monialis, quæ posset eligi in Abbatissam iuxta determinationē Concilij, non est necessaria facultas Apostolica, vt egredi possit illa, quæ ex alio monasterio electa fuerit, cum id Concilium concedat; cautè tamen deducēda ad monasteriū, cui perfecta est. *Zerola.*

19. Dico 5. decet superiores Prælatos, Prouinciales, & Generales esse in 30. ætatis suæ anno constitutos. Miranda tom. 2. man. quæst. 3. art. 1. concl. 12. putat annum trigesimum excessum requiri de necessitate. Meliùs

 Suarez

Suarez. Sigismūd. Suarez loco cit. num. 7. & Sigismon. de elect. dub. 62. nu. 11. solùm de congruentia; & de necessitate solùm 25. inceptum. Probatur; tum quia dicti Prælati habent auctoritatem quasi Episcopalem, & in Episcopis requiritur ætas 30. annorum completorum; cap. Cum in cunctis, de elect. Trid. sess. 7. c. 1. de refor. & sess. 24. cap. 1. eod. tit. Tum quia illa ætas est maturi iudicij, & iustæ auctoritatis; Vnde Leuitæ anno 30. incipiebant seruire tabernaculo, Num. 4. & lex erat apud Hebræos, vt nemo ante annum 30. docere posset, vt dicit Hier. *D. Hieron.* proœm. in Ezech. Christus, quamuis verus Deus, & perfectissimus homo, ante dictam ætatem noluit dignitatem Prælationis, & officium prædicationis assumere, vt constat ex Lucæ c. 3. Et Ioseph 30. annorum erat, quando stetit coram Pharaone, & suscepit administrationem Aegipti; Gen. 41. Dauid 30. annorum erat cum regnare cœpisset, 2. Reg. 1. Ezech. 30. annorum erat, cum cœpit prophetare. Ezech. 1. *Lorinus.* Primus homo ea ætate creatus est, vt tradit Lorin. in cap. 20. Num. ver. 30. & in eadem ætate resurgemus, vt dicitur ad Ephes. 4. Ioan. Baptista in ventre matris sanctificatus, non nisi in illa ætate officium Præcursoris exercuit, *Bongus.* Bong. de num. 30. & Romanorum lege cautum erat, ne quisquam ante 30. ætatis annum, aut Consul efficeretur, aut triumphum duceret; idem Bongus.

20. Dico 6. Collegatus, Definitoriatus, Discretatus, Commissatus, cæteraq. officia personatum dicentia, absq; immediata animarum cura, non possunt conferri nisi attingentibus saltem annum 25. In Ordine nostro hoc est sine controuersia; quia tales gradus non possunt dari, nisi in ea ætate constitutis, & qui Sacerdotes sint, vt constat ex Reg. nu. 39. Dicunt tamen *Rodriq.* Rodriq. tom. 1. quæst. reg. q. 15. art. 8. Mir. *Miranda.* loco cit. concl. 3. Sigis. loco cit. num. 2. quòd in *Sigismūd.* Definitores, Discretos, &c. possunt eligi in suo Ordine, qui sunt in ordine sacro constituti, & in ætate 22. annorum. Fundantur in concil. Trid. sess. 24. de refor. c. 12. Sed concilium ibi loquitur de illis dignitatibus, & personatibus, *quibus animarum cura nulla subest*. Sed istis Definitoribus, & Discretis licet non subsit cura immediata, & directa animarum, subest tamē mediata, & indirecta, ad ipsos enim pertinet non solùm eligere Superiores, sed etiam decidere, & definire grauiora negotia Religionis, & Prouinciæ, abusus eradicare, bonos mores introducere: Habent votum decisiuum in sententijs, absolutionibus, &c. Vnde etiam videntur habere annexam indirectè animarum curā, & cum Concilium loquatur solùm de his personatibus, quibus nulla est annexa animarum cura, quòd de his non loquatur; dicendum est; atq; ita linquit antiquos canones in suo vigore, secundùm quos in huiusmodi personatibus requiritur eadem ætas, ac in Prioratibus, nimirū 25. annorum, vt constat ex cap. Dudum, el 2. §. *Garcia.* Licet, de elect. & multos DD. ad hoc citat. Gar- *Maiolus.* cia de benef. par. 7. cap. 4. num. 54. Maiol. de ir- *Menochius* reg. cap. 26. nu. 11. Pro nostra sententia faciunt *Lessius.* Menoc. lib. 2. de arb. casu 425. num. 21. Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 24. num. 171. immò Trid. sess. 24. de reform. cap. 1. quatenus dicunt, quòd omnia, quæ requirunt canones in Episcopis, debent seruari in creandis Cardinalibus, cum sint summi Pontificis intimi consiliarij.

21. Dico 7. electio facta in persona illius, qui non habet ætatem 25. annorum, saltem inceptorum, est nulla, & electus renunciare tenetur, etiam in conscientia, vel quærere remedium à Papa. Ita Nauarr. in sum. cap. 25. *Nauarr.* num. 116. & miscell. 40. de or. num. 8. Garcia *Garcia.* loco cit. num. 82. 83. Azor par. 2. lib. 6. cap. 5. *Azor.* quæst. 12. Panor. c. 2. de ætate, & qualitate nu. 4. *Panormit.* & in cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, nu. 1. Ledesma par. 2. sum. tract. 7. cap. 2. dub. 8. ver. *Ledesma.* Digo lo primiero, pag. mihi 250. Probatur ex cap. Licet canon, de elect. in 6. vbi dicitur, *Decernentes collationes omnibus iuribus carere*. vbi glossa ver. Carere, explicat, Ipso iure, & clarissimè ex cap. Si eo tempore, de rescrip. Et confirmatur ex Trid. sess. 25. cap. 5. de refor. vbi prouisio facta de aliquo beneficio, in quo certa qualitas requiratur, ea non adimpleta, censetur subreptitia; ætas autem est qualitas necessariò requisita.

22. Quæres, an ætas 25. annorum inceptorum, requisita à sacris canonibus ad obtinendas Ecclesiasticas dignitates, debeat esse ita præfixa, vt, si desit vna dies, persona censeatur inhabilis. R. debere esse ita præfixam. Ita Garcia loco cit. num. 84. Sigismund. de *Garcia.* elect. loco cit. num. 6. Riccius 1. par. prax. de- *Sigismūd.* cis. 655. num. 5. Molina tract. 2. de iust. disp. *Riccius.* 573. num. 2. Nam in his, quæ sunt à iure sta- *Molina.* tuta, non licet arbitrari. Bart. in l. Ambi- *Bart.* tiosa, num. 21. ff. de decr. ab ord. fac. Nec solùm inhabilitat personam defectus vnius diei, sed defectus vnius horæ; debet enim illa ætas 24. annorum esse ita completa, vt annus 25. omninò attingatur, Ita ijdem DD. Et habetur expresse in l. Deniq; §. Minore, ff. de minor. Et aduerte, quòd ætas est computanda à die natiuitatis, non conceptionis; nam tunc homo incipit esse talis, cum primò venit in mundum. Ita Garcia nu. 89. Sigis. num. 7. Ex dictis collige, quòd, si quis ordinem Presbyteratus recepisset anno V. G. 22. suæ ætatis, non per hoc tamen posset habere Ecclesiasticas dignitates, curam animarum, quomodocumq; habentes. Tum quia vsum, & functionem ordinis non habet. Tum quia melioris conditionis non debet esse qui deliquit, quàm qui non deliquit. Tum quia paria sunt non esse, & esse perperam, quò ad consecutionem effectus; l. Quoties, ff. qui satisdare cog. & l. Si se non obtulit, §. Condemnatum, ff. de re iud. Tum quia ad habendas dictas dignitates non requirunt canones tantùm Sacerdotium, quantùm ætatem, vt constat ex num. 16. Atq; ita Glossa in cap. Eii, cui, de preb. in 6. ver. Aetate; Azor par. 2. *Azor.* lib. 6. cap. 5. quæst. 23. An autem sic ordinatus ante tempus posset actiuè eligere, vide quæ dico tom. 1. huius operis quæst. 1. cap. 21. §. 8. concl. 1. Suarez tom. 4. de relig. tract. 8. *Suarez.* lib. 2. cap. 4. num. 7.

CAP. II.

Vtrùm in Prælato regulari requiratur Scientia, & qua.

D. Thomas. Plutarc. P. Greg. Tiraq. Penna. Azor. Menochius. Lessius. Sigismud. Reginald. Miranda. Henriq. Garc. Contzen. Lipsius. Bellarm. Cassiodor. Sartonius. Stobæus. Nauarr. Ledesma. Gonzal. Malol. Lambertin. Abbas. Innocen. Duaren. Salon. Sotus. Parisius. Lau. Iust. Alb. Trot. Campanil. Io: Capistr. Io: de Sel. Suarez. D. Thom.

1. IDE D.Thom.addit, ad 3.p. q. 36, art. 2. Plutar. in opusc. ad Princ. inerud. P.Greg.lib. 47. syut. cap.10. nu.10. Tiraq. de nob, cap.5. nu.1. Pen. in l. Tyrones, col.10. Cod. de Tyron. lib. 12. & l. Omnes iudices, Cod. de decur. lib.10. col.8. Azor par.2. lib.6. cap.6. Rodriq. tom. 3. quæst. reg. q. 34. art. 3. Menoch. lib.2. de arb. casu 425. Lessius lib. 2. de iust. cap.34. dub.24. Sigismund. de elect. dub.63. Regin. in praxi, lib.3. tract.3. nu.169. Mir. tom.2. man. q.4. art.1. & 2. Henriq; lib.10. cap.16. n.2. Garc. de benef. par.7. cap.7. Contz. lib.4. pol. cap.16. Lips. lib.1. pol. cap. 10. & ibid. in not. Bell. de off. princ. lib.1. cap.13. Cassiod. lib.3. var. ep.33. & lib.6 epist.5. Sarton. in ciue Reip. reg. cons. 4. Stob. ser.79. Nau, misc.40. nu.8. & misc.97 & cap. Si quando, de rescrip. excep. 12. & 13. Ledes. par.1. sum. cap.7. de fact. ord. conclus.4. Gonz. ad reg.8. cancell. glos.4. à num.28. Malol. de irreg. lib.1. cap.32. Lamb. de iur. patrim. lib.3. par.1. q.9. art.24. Abb. in cap. Cum in cunctis, de elect. à num.4. vbi Innoc. nu.2. Duar. de benef. lib. 4. cap. 2. Salon de iust. & iur. q.63. art.2. contr.1. tit. de scient. Sot. lib.3. de iust. q.6, art.2. concl.6. Paris. de resig. lib.5. cap. 3. à num. 67. B. Lauren. Iust. de inilit. & reg. Præl. cap. 15. Alb. Trottus de perf. Cler. lib.8. par.1. requis.18. à num.86. Campanil. in diuers. iur. rub.5. cap.1. Ioan. de Capistran. in spec. consci. par.1. num.30. Ioan. de Selua de benef. par, 3. quæst.5. à num.1.

2. Suppono 1. literarum scientiam esse Religiosis omnibus necessariam, vt dixi to.1. huius op. c.30. concl.1. & probat fusè Suar. to.4. de relig. tract. 3. lib.5. cap.1. à nu.3. & D.Th. ante omnes opusc. contra impugn. Relig. c.11. vbi adducit locum Hieron. ex epist. 4. ad Rust. *D. Hieron.* *Habeto cellulam pro paradiso, varia Scripturarum poma decerpe, his vtere deliciis, harum fruere complexu.* Et infra. *Numquam de manu, & oculis tuis recedat liber, discatur psalterium ad verbum.* *Ex quibus*, ait D. Tho. *omnibus patet, quòd studium in Religiosis est commendandum, & præcipuè sanctarum Scripturarum, & maximè in illis, qui ad prædicandum deputantur.* Et Ecclesia, cuius sunt principalissima pars Regulares, viris indiget literatis; cap. Cum ex eo, de elect. in 6. *Probus.* Ad quem locum dicit Prob. quòd Rex illiteratus est asinus coronatus. Sunt literati in Ecclesia stellæ, & fulgent velut splendor firmamenti; cap. fin. de magistr. Hi sunt, qui in vinea Domini laborant; cap. Super specula, in fine, de magist. ac per illos totus mundus illustratur, l. Habita, §. 1. Cod. ne filius pro patre, vbi etiam additur, quòd per viros literatos informatur vita subditorum ad obediendū Deo, & eius ministris. Et quòd literæ iuuent ad seruandam obedientiam, habes ex cap. Sciendū, 8. q. 1. & quòd sint necessariæ ad seruandam paupertatem, dicit cap. Gloria Episcopi, 12. q.2. Vnde collige, quòd Religiosus clericus habens actiuitatem ad studendum, & propter pigritiam id contemnens, peccat mortaliter, nō enim vtitur talento sibi concredito, quo necessario vti debet ratione status. Alb. Trott. de perf. cler. lib. 2. par.1. requis. 18. num. 97. vbi alios citat. *Alb. Trot.*

3. Suppono 2. ex Mersen. in cap. 1. Gen. ver. 20. quæst.29. art.1. varias esse scientiarum species, quas ipse ad 100. reducit, & plures notat DD. de singulis scribentes, vt qui scientiarum omnium principia delibare voluerit, id possit tuto. Et cap.1. ver.1. art.1. pag. mihi 454. agit de scientiarum inuentoribus, & c.4. ver. 20. q.55. art.1. diuidit artes liberales à mechanicis; & art. 2. docet modum vtendi scientijs, & artibus liberalibus in sacris concionibus, accomodando scientias Euangelijs currentibus, & articulis fidei in symbolo Apostolorum descriptis. Opus quippe vtile, & curiosum; quòd, vt ipsemet fatetur, desumpsit ex V. P. Francisco Vmbior, qui fuit fratrum Gallorum splendor, & ornamentum, nostræq; Religionis insigne decus, deq; scientijs omnibus quā maximè benemeritus, quem infausta mora præcocem nobis eripuit, hæreticorum, quibus semper infensissimus fuit, atteq; relictis quamplurimis suarum scientiarum testimonijs, è quibus quadragesimales: & aliæ conciones lingua gallica impressæ sunt, quas tamen ego non vidi. *Mersenn.*

4. Suppono 3. peccare mortaliter eos Religiosos, qui curāt promoueri per preces, vel munuscula ad gradum Magisterij Philosophiæ, vel Theologiæ, ad hoc vt indè facilliùs ad dignitates, ascendāt, vel honoratiores sint in Religione, cū dicto gradu noscāt se indignos. Et simili peccato inuoluntur, qui eos admittunt, si indignos noscant, vel debitas diligentias omittūt. Ita Anton. 3. par. tit.5. c.2. §.10. Nauar. in sum. cap.25. nu.55. & misc.97. de or. nu.2. Sylu. ver. Doctor, quæst. 4. num.5. Armilla eod. num.1. Sa in aphor. ver. Docere, nu.1. Gloss. in clem.2. de magist. ver Honorem; Contz.4. pol. cap.16. §.10. & 13. Et ratio est; tum quia id procedit ex radice ambitionis. Tum quia hoc pacto impediunt multos magis idoneos à consecutione dicti gradus. Tum quia indebitum sibi honorem vsurpant cum damno etiam multorum. Tum quia communitatem fallunt, quæ solum dignis dictum gradum dare intendit, & cum hac conditione potestatem dedit doctorandi electoribus. Tum quia Trid. sess.25. de refor. cap.2. Magisterij gradum per merita dari decernit, & sess. 24. cap. 18. eod. tit. decernit, quòd examinatores iurent, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros: vnde dicti electores sunt rei omnium malorum, quæ euenient communitati ex nil indignorum promotione, vt Contz. loco cit. §.10. Adde, quòd dicti doctorati indignè, non possunt gaudere priuilegijs, legitimis Doctoribus concessis, sed tenentur in conscientia dicto Magisterio renunciare, vel saltem diligentiùs studere vt habiles fiant. *Anton. Nauarr. Syluester. Armilla. Sa. Contzen.*

Neq; valet communis illa excusatio, Noui plures ignorantiores, quam sim ego; nam hoc nihil dignificat personam; & multorum peccata mea non delent. Et Apost. dicit 1. ad Tim. 4. *Attende tibi;* & hoc est intrinsecè malum. Et non quòd fit, inspici debet, sed quid fieri debet, l. Nemo, Cod. de sent. & interl. om. iud. arg cap. Causam, quæ, de elect. Quòd si renunciare nolint, neq; studere, non possunt à confessarijs absolui; Syl. ver. Doctor, q. 3. nu. 4. Contz. loc. cit. §. 16. ver. Sed tamen. Et addit, quòd licèt doctorandus tẽpore examinis inueniatur verè idoneus, & de facto laurea decoretur, si tamen postea per ignauiam, & pigritiam, vale dicto studijs, obtuscatur, potest reprobari, & insignibus priuari. Quod etiam docet Syl. loc. cit. q. 5. n. 6. Videatur tamen Azor p. 1. lib. 6. c. 6. q. 1. Ex his collige, quòd assignatus ad studendum, si non studet, non potest in conscientia frui priuilegijs studentium, neq; similiter potest absolui, nisi emendationem promittat. Tiraq. in tract. de causa cess. num. 113.

Syluester. *Contzen.* *Syl.* *Azor.* *Tiraq.*

5. Suppono quartò, in duplici esse genere literatos Religiosos: Nam sunt aliqui tali, & & tanto dotati à natura ingenio, vt facili negotio literati fiant, & absq; multo labore; alij verò, qui ingenio mediocri dotati, labore, & studio literas sibi comparant, ingenij tarditatem eruditione cõpensantes. Paulò aliter Sen. epist. 52. tria ingeniorum genera distinguit 1. eorum, qui absq; præceptore discunt, qualem dicunt fuisse Epicurum. 2. eorum, qui ope aliena indigent, non ituri, si nemo præcesserit, sed bene secuturi. 3. eorum, quibus non duce tantùm opus sit, sed adiutore, & coactore. Ego cũ neminem sine doctore naturaliter doctum fieri posse putem, & Epicurum, id sibi gloriabondè tribuentem, iuste mentitum arbitrer, vnde alii qui Xenocratis auditorem ipsum fuisse asserũt ad dùo tantùm genera reduxi. Maxima itaque illa ingenia, mirãda potiùs communiter sũt, & timenda, quàm probanda, & promouenda, nam plerumq; iracundi, & furiosi sunt. Vnde Plato lib. de scien. ferè in princ. ait. *Difficile admodum est, reperire hominem docilem simul, & præ cæteris mansuetum, atq; cum omnibus virilem. Equidem nec fuisse vnquam existimo, nec esse video, qui ita natura sint instituti. Cæterùm acuti, sagacesq; & memoresi, & dociles, vt plurimum in iracundiam, impetusq; præcipites sunt, feruntur enim, atq; rapiuntur, quemadmodùm sine retinaculis naues, & furiosi potius, quàm fortes existunt:* Et Arist. teste Sen. lib. de tranquil. cap. 15. ait, nullum reperiri magnum ingenium sine mixtura dementiæ, cuius rei ibi rationem reddit Seneca. Et Arist. ipse id tribuit melancholiæ sect. 30. probl. *Vt me* [inquit Cic. apud Cæl. lib. 17. cap. 5.] *non pœniteat hebetiorem esse.* Et quomodò melancholia hunc effectum causet, vide Cæliũ loc. cit. & Ficinum lib. 1. de sanitate studiosorũ tuenda c. 5. Nec mireris, quòd ingeniosus possit esse stultus, non omnino quidem mẽte alienatus, sed in rebus grauissimis aberrans; nam aliud est celeriter omnia memoriæ commendare, & primo intuitu apprehendere: & aliud iudicare de rebus agendis; vnde non est mirũ, si omnia in vno non reperiantur. Sunt etiam crebrò ista ingenia desolutoria, volatica, semper in motu, præsentia semper fastidientia, res nouas appetentia. Itaque maximo studio sunt à Religionum Prælatis huiusmodi frænandi, & virtutibus priùs, quàm scientijs, si id simul fieri non potest, imbuendi, ita tamen vt non frangantur; sic enim in magnum Religionis lumen euadent, aliter in magnam pestem. Ego secundi generis ingenia promouẽda probo; hæc enim laboribus, & vigilijs crescunt, exacuuntur, & maturescunt, non solùm quò ad literas, sed etiam quò ad virtutes, vnde constantia, flexibilia, acuta, prompta redduntur. Huiusmodi Religiosis puto deberi de iure naturæ omnes dignitates, præeminentias, & prærogatiuas, quæ in Religione reperiuntur; cum enim ipsi Religioni docendo, concionando; scribendo maximè prosint, & benefaciant, & benefacienti benefacere de iure naturæ teneamur, l. Sed etsi lege, §. Consuluit, ff. de perit. hæt. l. Si non sortem, §. Libertus, ff de condit. indeb. iure dicto tenebitur Religio dictis beneficia rependere. Quod etiam colligunt aliqui ex l. Habita, §. 1. Cod. ne fil. pro pat. ibi, *Hoc nostræ pietatis beneficium indulgemus.*

Seneca. *Plato.* *Arist.* *Seneca.* *Arist.* *Cælius.* *Ficinus.*

6. Suppono 5. quòd tres sunt gradus scientiæ 1. est scientiæ eminentis, per quam scilicet quis scit difficillimas quæstiones, ad munus suum pertinentes, explicare, & definire; seu qui est in scientia, ad statum suum necessaria, præ omnibus alijs eruditus, & eminens. 2. est scientia mediocris, per quam scilicet scit quis communes quæstiones enodare, quæ in suo munere occurrunt, quamuis non omnes obscurissimas, & difficillimas; seu quando in dicta scientia multos habet pares. 3. est scientiæ sufficiẽtis, quãdo scilicet quis tantum scit, quantũ est necessariũ, pro satisfaciendo officio, quod habet, auctores legendo, doctores consulẽdo, ea, quæ nescit, petendo. Quæ sufficientia est iudicanda arbitrio boni viri, considerantis qualitatem loci, temporis, & personarum, quibus cũ debet viuere dignitatem habens. Atq; ita docet Innoc. in c. Cum in cunctis, de elect. n. 2. Abb. ibi, n. 4. Lãb. de iur. patr. lib. 2. p. 1. q. 9. art. 17. n. 7. Azor to. 2. lib. 6. cap. 6. q. 3. ver. Sciendum; A. Trott. de perf. cler. lib. 2. p. 1. requis. 8. nu. 92. Ang. ver. Clericus 2. §. 4. ibid. Tab. nu. 3. Campan. in diuers. iur. rub. 5. cap. 1. num. 6.

Innocen. *Abbas.* *Lambert.* *Azor.* *A. Trottus* *Angelus.* *Campanil.*

7. Dico 1. Prælatus regularis debet esse vir literatus. Ita omnes cit. n. 1. Probatur 1. ex Scrip. sacra, Exod. 18. *Prouide de omni tribu viros sapientes, & constitue ex eis tribunos,* &c. Prou. 8. Sapientia ipsa, *Per me Reges regnant, per me Principes imperant.* & Sap. 6. *Ad vos Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam,* &c. Ier. 23. *Regnabit Rex, & sapiens erit.* & Ier. 3. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, qui pascant vos scientia, & doctrina.* Et Ier. 14. *Onagri steterunt in rupibus & traxerunt ventum quasi dracones.* Per onagros intelligit ibi Hieron. Prælatos ignorantes, qui trahunt ventum quasi dracones, quia, vt ait Greg. 20. mor. cap. 19. *malitiosa superbia inflantur.* Cum enim isti asini syluestres, multò asiniores domesticis, se in culmine vident dignitatis, tantò inflantur superbiæ vento, vt vix locum continentem inueniat, & tamquam Dij videri affectant, iuxta illud Zach. 11.

Ier. 23. *D. Hieron.* *D. Greg.*

vbi de

vbi de Pastore imperito loquens ait. *O Pastor, & idolum derelinquens gregem.* Ad quem locum ait Hieron. *Tam sceleratus est Pastor* (Imperitus) *vt non idolorum cultor, sed ipse idolum nominetur, dum vult ab omnibus adorari.* Baruc. 3. *Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Esaiæ 32. maximum beneficium promittens Deus populo, ait, *Non vocabitur vltra is, qui insipiens est, Princeps*, & cap. 56. *Ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam.* Eccl. 10. *Rex insipiens perdet populum suum.* Ezechiel. 22. minitans Deus maximum supplicium populo, ait. *Effundam super te indignationem meam, in igne furoris mei sufflabo in te, daboque in manus hominum insipientium, & fabricantium interitum.* Vt intelligas, esse Dei punitionem regi à Prælato insipiente; fabricant enim hi interitum animarum, & corporum subditorum, & Religionem in spiritualibus, & corporalibus interimunt. 3. Reg. 13. laudauit Deus Salomonem, quod non petiuisset ab eo diuitias, neq. dies multos, neque vltionem inimicorum, sed sapientiam necessariam ad regendum populum. Eccl. 10. *Est & malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis, positum stultũ in dignitate sublimi.* Ibi per Principem intelligo diabolum, qui princeps vocatur Ioan. 12. Et hic licèt semper nocere studeat hominibus, hoc tamen malum, sublimandi ignorantes in excelsum, non nisi per errorem facit. Exodi 28. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Sed mirandum, quòd eodem cap. ver. 3. dicitur. *Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos repleui spiritu prudentiæ, vt faciant vestes Aaron.* Quis non miretur, requirere Deum in sutoribus, pro consuendis vestibus Aaron, Prælati sapientiam, & prudentiam, & non qualemcumque sed ex corde, idest qui verè tales sint? per Sutores intelligo amicos Prælatorum, qui vestes relationum bonas, aut malas Prælatis super occurrentibus negotijs faciunt, prout eis odium, vel amor suaserit. Sint ergo etiam isti sapientes, & prudentes, vt quod iustum est suggerant, & quod iniquum, non persuadeant. Et sciant Prælati, tales se iudicari foras, quales iudicantur, qui cum eis familiariter conuersantur; ait enim Hieron. ad Demetr. *Mores, & studia dominarum plerumque ex ancillarum, & comitantium moribus iudicantur.* Et ad Principiam, *Ex lascivia puellarum comitantium, de dominarum moribus iudicatur.* Et Naz. in ver. contra mulier. grauiter asserit, *Ancillas esse imagines cordis dominarum.* Sicut enim veris nuncij sunt hirundines, flos, fructus, ita & dominarum ancillæ. Et Arist. relat. à Patricio lib. 3. de reg. tit. 13. *Est*, inquit, *quædam virtutis exercitatio cum bonis viris conuersari.* Et tandem pro Prælatorum scientia considero locum illum Esther cap. 14. *Ne tradas domine sceptrum ijs, qui non sunt*, scilicet virtute, & scientia excellentes; iuxta illud Cic. lib. 3. ad Att. ep. 52. *Fac, vt me velis esse aliquem.* Et Ouid. fast. 6.

Est aliquid nupsisse Ioui, Iouis esse sororem.

Et Act. 5. *Ante hos dies extitit Theudas, dicens se esse aliquem*, & Paul. ad Gal. 2. *Contuli Euangelium seorsum cum his, qui videbantur esse aliquid*; idest cum Apostolis, iuxta illud Eccl. 3. *Cum sapientibus, & prudentibus tracta.* Ex quo patet, quòd qui sunt, videnturque esse aliquid, re vera soli sapientes sunt; insipientes enim nihil sunt. Vnde dicitur, *Homo sine literis est viua mortis imago.* Et tales non esse homines, nisi æquiuocè, docent Gom. ad reg. de ann. possess. quæst. 47. fine; & Gonz. ad reg. 8. cancell. gloss. 4. n. 55. & n. 56. affert dictũ Aristippi, qui interrogatus, Quæ differentia esset inter homines doctos, & indoctos; respondit, Quæ inter viuentes, & mortuos. Et Eccl. 2. dicitur, quòd tantum differt sapientia à stultitia, quantùm lux à tenebris; vnde non immeritò dixit Gonz. loco cit. nu. 59. quòd stultus, & ignorans Prælatus meretur decapitari.

8. 2. Probatur ex PP. Greg. 1. par. past. c. 1. *Ab imperitis magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars est artium regimen animarum.* Et paulò infra. *Pastorum imperitia voce Veritatis increpatur, cum per Prophetam dicitur, Ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiã, &c.* Hieron. in cap. 11. Zach. ad illa verba, Adhuc sume tibi vasa Pastoris stulti. *Pastor stultus*, ait, *& imperitus, haud dubium, quin Antichristus sit.* Et de isto Pastore dicitur eod. cap. *Derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, & id, quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet.* Quæ sunt propria officia imperiti Pastoris. Aug. epist. 59. ad Paul. in solut. 4. ait, ideo Apostolum ad Ephes. 4. dixisse, Alios dedit Pastores, & Doctores, *vt intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam.* & 19. de ciuit. c. 6. *Ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis.* Ber. serm. 76. in Cant. *Iam*, inquit, *quomodò in pascua diuinorum educet eloquiorum greges dominicos Pastor idiota? Sed, etsi doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum, ne non tam nutriat doctrina vberi, quàm sterili vita noceat.* Et lib. de or. vitæ. *Post indoctos Prælatos, malosque in sancta Ecclesia nulla pestis ad nocendum infirmis valentior inuenitur.* Chrysost. lib. 2. de sacerd. *Sapientissimum*, ait, *esse oportet sacerdotem, & perspicacem in omnibus.* Cassiodor. lib. 6. var. ep. 5. ait, quòd quæstor publicus, *est armarium legum*, & quòd ei *adesse debet scientia cautela sermonis.* Isidor. de sum. bono, lib. 3. cap. 35. *Sicut iniqui, & peccatores à ministerium sacerdotale abscondi prohibentur, ita indocti, & imperiti à tali officio retrahuntur.* B. Laur. Iust. de reg. Præl. cap. 7. *Decet professos Doctores, & dominici gregis Pastores stare in alto, & doctrinam veritatis præbere cunctis audire cupientibus; nam vbi deest doctrina, hortamenta vt plurimum desunt cælestia, consilia sana, & diuinarum monita scripturarum.*

9. 3. Probatur ex Arist. 5. pol. cap. 9. vbi proposita difficultate, cui sit tribuẽda administratio Reipublicæ, an militi sine virtute, an virtuoso sine militia, Respõdet cum distinctione, & subdit, *Scientia verò huius communis est omnibus.* Ad quem locum dicit D. Th. *Oportet enim, quòd habeant scientiam Principes, & in ducatu exercitus, & in regimine ciuitatis; aliter enim non possunt dirigere in finem intentum ea, quæ sunt ad finem.* Et de Socrate refert Xenoph. de dictis, aut factis eius, quòd non eos

Hieron.
Esaiæ 32.
Ezech. 22.
D. Hieron.
Nazianz.
Patricius.
Ouidius.
Gomez.
Gonzal.
D. Greg.
D. Hieron.
D. August.
D. Bernar.
D. Chrysost.
Cassiodor.
D. Isidor.
B. Laur. Iust.
Aristotel.
D. Thom.
Xenophon.

vocabat Principes, aut Reges, qui sceptra ferebant, sed qui regendi scientiam haberent. Et *Plato.* Plato relat. a Valer. lib. 7. cap. 2. aiebat. *Tum beatum terrarum orbem futurum, cum aut sapientes regnare, aut Reges sapere cæpissent.* Nec aliam ob causam puto antiquos Palladem Deam super Iouis caput pinxisse, quàm ad significandum, principatui sapientia principare deberes; mens enim vna sapiens plures manus vincit; & multa, quæ natura impedita sunt, consilio *Homerus.* expediuntur. Vnde Homer. odiss. 5. Mineruam alloquens, ait,

Atqui ego si mihi sic assistas Cæsia Diua;
Vel trecentis contra homines cōcurrere pugna.
Ausim, te fretus comite, o Dea, & adiutrice.

Terentius. Et Ter. in Adelph. actu 1. sce. 2. reddens rationem, quare necesse sit Prælatos esse litteratos, ait.

Homine imperito numquam quidquam iniustius.
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Plutarc. ad princ. in crud. doctrinam vocat Principis custodem, & consiliarium.

10. 4. Probatur ex iure ciu. & can. l. Nemini, Cod. de aduoc. diu. iud. l. Nemo iudex, Cod. de sent. & interloc. omn. iud. & in Authen. de Tabell. §. Nos autem, dicitur, quòd ignarus litterarum facile negat ea, quæ pro veritate statuta sunt, & quòd super eo inconuincibilis est; cap. fin. de ætate & qualitate cap. Nisi cumpridem, §. Pro defectu, de renunc. cap. Si in laicis, dist. 38. vbi dicitur, quòd ignorantia est intolerabilis in his, qui præsunt; & cap. ignorantia, dist. eadem, dicitur ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus; cap. In causis, §. vlt. cap. In cunctis; cap. Innotuit, § Multa; cap. Dudum, el 1. §. Cum autem, de elect. cap. Illiteratos, dist. 36. cap. Præcipimus, dist. 34. cap. Priscis, dist. 55. cap. Nullus, de temp. ord. in 6. Trid. sess. 7. de reform. cap. 1. sess. 22. cap. 2. sess. 24. cap. 12. & cap. 18. eod. tit.

11. Dico 2. eligendi in prælatos regulares, siue Generales sint, siue Prouinciales, siuo Correctores, eam saltem scientiam debēt actu habere, quæ est necessaria ad rectè suum mu*Menochius*nus per se ipsos obeundum. Manoch. lib. 2. *Parisius.* de arb. casu 425. num. 37. Paris. de resig. lib. 5. *Lessius.* quæst. 3. num. 103. Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. *Gonzal.* dub. 24. num. 157. Gonzal. ad reg. 8. cancell. *Innocent.* glossa 4. num. 75. Innoc. in cap. Cum in cun*Nauarr.*ctis, de elect. num. 1. Nauarr. in cap. Si quando, de rescr. except. 14. num. 1. Probatur ex cap. Nisi cumpridem, §. Pro defectu, ibi, *Quamquam esse desideranda sit*; & ex cap. Cum nobis olim, de elect. ibi, *illius quoque litteraturæ*; & ex cap. Venerabilis, de præb. ibi, *Viri eminentis scientia*, & ex Trid. sess. 24. cap. 12. de refor. *Nemo ad dignitates Ecclesiasticas promoueatur, nisi doctrina ad suum munus exequendum necessaria* *D. Thomas* *commendetur.* D. Thom. 1. 2. q. 76. art. 2. corp. *Singuli scire tenentur ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant:* & addit. ad 3. par. quæst. 36. art. 2. corp. *Qui aliis præponuntur, curam animarum suscipientes, sciant quæ ad executionem sui ordinis spectant.* Et constat etiam ratione naturali; nam turpe est ignorare artem, quam profitemur; l. 2. §. Seruius, ff. de orig. iur. l. Professio, C. de muner. patr. lib. 10. cap. Cum sis, de conuers. coniug.

12. Dixi, debere habere actu scientiam necessariam; tum quia sunt nonnulli, qui, dignitate impetrata, dicunt, Piscem cœpi, quisnam mercatur retia? hic expectationem omnium fallunt, se inertiæ tradunt, & in angulum reiectos libros, si non vendunt, blattis relinquunt, & tineis, breuique obliuiscuntur, si quæ sciebant; Tum quia Ber. lib. 1. de consid. cap. 1. *In mona-* *D. Bernard.* *sterio, inquit, admittuntur homines spe proficiendi; at officia bonos faciliùs recipiunt, quàm faciant; quare ad ea viros probatos oportet deligi, non probandos.* Tum quia Canones actualem, non aptitudinalem habilitatem requirunt; cap. Si eo tempore, de rescr. in 6. Lamb. de iur. patr. lib. 2. *Lambert.* par. 1. quæst. 10. art. 1. nu. 3. Neque vales dicere; quòd poterit Prælaturam interim per idoneū Vicarium, aut idoneos Collegas exercere; nam officia debent exerceri per officiales naturales vt ita dicam, non per substitutos, qui numquā administrant vt propria; & verecundum est, ex aliorum manibus quærere, quod apud se inueniri debet, vt dicit Innoc. in cap. Cum in cū- *Innocent.* ctis, de elect. num. 1. glossa in cap. fin. de æt. & qual. ver. Defectum Pen. in l. Tyrones, col. 11. *Penna.* Cod. de Tyron. lib. 12. qui addit, eum non posse dici Prælatum, qui non est sibi sufficiens. Atque ita docent Azor par. 2. lib. 6. quæst. 5. ver. Quæ- *Azor.* res; Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 32. num. 13. P. *Maiol.* Greg. lib. 47. synt. cap. 10. nu. 9. Salz. ad Diaz. *P. Greg.* cap. 21. ver. Priuari; & habetur in Trid. sess. 7. *Salzedo.* de refor. cap. 3.

13. Dico 3: qui eligit ad Prælaturam illum, qui actu non habet eam scientiam, quæ necessaria est, pro dicta Prælatura rectè administrāda peccat omnino mortaliter; & similiter qui eā recipit. Ita Garc. de benef. par. 7. cap. 7. nu. 24. *Garsia.* Nau. in man. cap. 25. nu. 12. Mir. tom. 2. man. q. 4. *Nauarr.* art. 2. concl. 1. Regin. in prax. lib. 30. tr. 3. n. 171. *Miranda.* Al. Trott. de perf. cler. lib. 2. p. 1. requis. 18. n. 90. *Reginald.* Sigismund. de elect. dub. 63. nu. 2. Lamb. loc. cit. *Trottus.* q. 9. ar. 24. n. 6. Tab. ver. Clericus 2. n. 3. Syl. eod. *Sigismūd.* n. 1. Ang. eod. nu. 4. Salz. loc. cit. Abb. c. Cum in *Lambertin.* cunctis, de elect. nu. 4. vbi Innoc. nu. 3. qui pro- *Tabiena.* bat ex c. Omnes, dist. 38. vbi dicitur, quòd scien- *Syluester.* tia est de substantia Prælaturæ; & ex c. fin. de *Angelus.* æt. & qual. vbi eligentes ignauos, & ipsi electi *Abbas.* puniri iubentur. Et etiam probat ex cap. Non *Innocen.* est putanda, §. Quisquis ergo, 1. q. 1. vbi Glossa verbo Abstineat: & tam electi, quam electores tenentur resarcire damnum datum Ecclesiæ, vt dicunt in specie Garc. & Salz. loc. cit. Gonz. ad *Garc.* reg. 8. glos. 4. num. 51. *Salz.*

14. Dico 4. electio illius, qui nō habet sufficiē- *Gonzal.* tem scientiā ad exercendam dignitatē, ad quā eligitur, est ipso iure nulla, & ei renunciare tenetur. Ita Diaz in praxi, cap. 21. nu. 6. vbi Salz. *Diaz.* ver. Nulla; Vega par. 1. summ. cap. 32. num. 6. *Salzedo.* Innoc. in cap. Cum nostris, de concess. præb. *Vega.* num. 1. vbi Abb. num. 22. Nauarr. misc. 40. de *Innocen.* or. nu. 8. & cap. Si quando, de rescr. except. 6. *Abbas.* Gonz. cit. nu. 47. Less. lib. 2. de iust. c. 34. dub. 24. *Nauarr.* n. 127. Rodriq. to. 1. sum. cap. 29. nu. 3. Constat ex *Lessius.* c. fin. de æt. & qual. & ex c. 2. dist. 36. ibi. *Et non* *Rodriq.* *solùm in se ambitio inefficax habeatur;* cap. Dudū, el 1. §. Cum autem; cap. Congregato; 2. Cum in cunctis, §. fin. de elect. Clarè ex Trid. sess. 22. cap. 4.

cap. 4. de refor. vbi irrita decernatur omnis prouisio facta ei, qui ætatem, & cœteras habilitates integrè nō habuerit. Neq; obstat Trid. sess. 7. de refor. cap. 3. & cap. nn. de æt. & qual. in quibus videtur innui, quòd licet defectus competentis scientiæ reddat collationem iniustam, non reddit tamen ipso iure nullam; nam ibi, *irritetur*, significat, irrita declaretur, vt similiter irrita declaratur electio illa cap. fin. cit. Et ratio est, quia etiam in iis casibus, in quibus inducitur priuatio ipso iure, requiritur tamen semper talis declaratio; cap. Cum secundùm leges, §. Confiscationis, de hær. in 6. Gloss. in cap. Quàm sit, ver. Eo ipso, de
Gratian. elect. in 6. Grat. discep. for. to. 5. cap. 809. nu. 13.
Gonzal. Gonz. ad reg. 8. cancell. gloss. 56. nn. 127.

15. Declarant tamen ferè omnes præfati DD. quòd tunc electio est ipso iure nulla, cum est facta in persona penitus illiterati, qui nesciat
Garciá. legere, vt videri potest apud. Garc. de benef. p. 7. cap. 7. à nu. 14. Ego tamen cum Diaz loc. cit. penitùs illiteratum in hac materia voco, qui nō est actu aptus exercere munus, ad quod assumptus est, licèt legere, scribere vulgariter, & latinè sciat; immo etiamsi latinum intelligat, & grammaticam calleat, purus namq; gramaticus purus asinus. Et quid refert scire grammaticam, & nihil aliud? Si sufficit intelligere linguam latinam, sufficiet etiam intelligere linguam vernaculam; nam libri de Scriptura sacra loquentes, vt conciones, lingua vernacula cōmuniter scribuntur; ex Summistis plures etiam vernacula conscripti sunt: Philosophiam etiam nostra lingua eam nobis
Piccolom. tradidit Piccol. Theologia mystica vt plurimū lingua vulgari traditur, & illa lingua eā nobis
Bertonus. tradidit doctè quidem Bert. noster; & multas
Tamaius. scholasticas quæstiones vulgarizauit Tamaius
Amoraga. noster in suis excellentijs Christi, & Amoraga pariter noster in suo Peccatore pœnitente; & quis impedit, totam Theologiam scholasticam vernaculæ tradi. Puto itaque, quòd habilitas requiratur in intellectu, & quòd scire latinè, vel non, sit merè extrinsecum, cum non latinitas, sed scientia reddat hominem idoneum, & scientię in omni lingua possint addisci, & doceri; Per quæ declara quæ dixi to. 1. huius op. q. 1. cap. 31. §. 1. quæsito 6.
Cicero. Nosçant itaque, vt cum Cic. dicam 1. de off. *suum quisque ingenium, & acrem se & bonorum, & vitiorum iudicem præbeat, ne scenici plusquam nos videantur habere prudentiæ; hi enim non optimas, sed accommodatissimas fabulas sibi eligunt.* Et
Seneca. Sen. de tranq. cap. 4. *Æstimanda sunt quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ;* ne nostra ignominia onere pressi, ea cogamur relinquere, quæ
Propert. tanta anxietate quæsiuimus; iuxta illud Proper. lib. 3. eleg. 9.

Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus;
Et pressum inflexo mox dare terga genu.

Sed malum mundi est, quòd nullus se nouit indignum, & insufficientem ad gubernandū,
Aristotel. vt sit Ar. 4. pol. cap. 4. *Arrogant sibi virtutem cuncti, & multifariam se idoneos æstimant ad gubernandum.* Vnde non mirum, si rideantur multi cum illo Claud. *Fine pudor facti.*

16. Dico 5. in Generali Ordinis requiritur, vt bene suo muneri satisfacere possit, eminentis scientiæ gradus, eo modo, quo hic supra, nu. 6. declaraui. In ista conclusione debent conuenire omnes DD. cit. num. 11. & pro ea
adduco D. Th. addit. ad 3. p. q. 36. ar. 1. corp. *D. Thom.*
vbi ait. *Ad superiores Sacerdotes, scilicet Episcopos, pertinet, vt ea etiam, quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant, & tanto magis, quantò in maiori gradu collocantur.*

17. Nota pro probatione huius conclusionis, quòd duodecim sunt officia Generalis, ad quæ in conscientia obligatur secundùm sacros
Canones, de quibus Host. in sum. de elect. §. *Hostiens.*
Ad quid tenetur, nu. 31. & P. de Bais. in direct. *P. de Bais.*
elect. p. 3. cap. 49. 1. est Prædicatoris; cap. Sit
rector, d. 43. vbi multis probat Greg. ex cuius *D. Gregor.*
2. p. past. cap. 4. desumptum est illud cap. quòd ad Prælatum pertinet prædicatoris officium: quod quippe officium exercere non potest, nisi habeat notitiam vtriusq; testamenti; cap. Qui Episcopus, d. 23. & quod minimè nouit, nemo docere potest: & quod ore dicit, debet opere complere; nam quæ fiunt à Prælatis, de facili trahuntur à subditis in exemplum, cap. Magnæ, §. 1. de voto; cap. Ex merito, 6. q. 1. & qualis est hera, tales & ancillæ, vt est in
prouerbio. Vnde Eurip. apud Stob. ser. 60. *Euripid.*
ait. *Serui dominorum morbis inficiuntur: & secundum iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis est rector ciuitatis, tales & habitantes in ea,* Eccl. 10. & Cic. 3. de leg. *Vt cupiditatibus Principum, & vitiis infici solet tota ciuitas, sic emendari, & corrigi continentia.*

18. 2. Officium Prælati, est Ducis, de cuius ratione tria sunt; 1. quòd debet subditos præire in omnibus, non sequi; cap. Docendus, d. 61. quòd si cœcus cœcum ducat, ambo sine dubio in foueam cadent; Lucæ 6. & habetur in cap. Cum sit ars artium, de æt. & qual. Sic magnus
ille Cato apud Luc. lib. 9. pharf. aiebat. *Cato.*

Ad magnum virtutis opus, summosq; labores,
dum primas arenas
Ingrediar, primosq; gradus in puluere ponam,
Me calor æthereus feriat; mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoq; pericula vestra
Prætentate meo, &c.

2. quod in duce requiritur, est, vt æstimet quam maximè salutem subditorum, proq; illa omnibus se periculis exponere non vereatur. In quo excelluit ille magnus Scipio, quem victa nobilitauit Africa; quem solitum ferunt fuisse dicere, magis se vnam sui militis vitam æstimare, quàm plures hostes illa priuare.

3. ducis munus est, dispersum militem colligere, saucium medicare, inter illum spolia distribuere. In quo etiam maximè excelluit Iul. Cæsar, de quo scribunt, quòd, cum quadam nocte post commissum bellum, maris brachiū transfret, nec suos inuenisset, nauicula ad eos ascendit, & recusanti nauiculario ob flantes in contrarium ventos, dixit, Solue nauim, ne timeas, Cæsarem enim vehis, de salute suorum sollicitum.

19. 3. Officium Prælati, est Magistri. Magister autem 4. debet habere conditiones. 1. debet esse scientia illustratus. 2. debet esse humilis, benignus, affabilis. 3. debet esse probus,
ac re-

ac rectus. 4. debet esse practicus, & expertus. Sed de his dixi to. 1. huius op. cap. 30. versùs finem: & plura possunt videri apud Pen. in l. vn. Cod. de profess. qui in vrb. Constant. lib. 12. col. 2.

20. 4. Prælati officium est Pastoris, secundùm quod triplicem panem tenetur ouibus ministrare, scilicet sacramentalem, de quo dicitur Io: 6. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*; corporalem, seu naturalem, vt humana vita sustentetur, qui ab eo charitatiuè, & æqualiter dispensandus est; cap. Quoniam quidquid, 16. q. 1. & spiritualem verbi Dei, de quo dicitur Thren. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; Propter hunc triplicem panem, ter dictum est Petro Io: 21. *Pasce oues meas*.

21. 5. Prælati officium est Præfecti vigilum; vnde culpa illius est, si lupus oues rapit, & ipse nesciat; cap. Quamuis, de reg. iur. vbi Glossa ver. Pastor, multa cumulat. Præfectus autem vigilum per totam noctem vigilare debet, & oberrare, iuxta dicta supra q. 1. cap. 7. num. 22. & adhibere curam, ne mali aliquid accidat, vt dicitur in l. 3. ff. de præf. vig. Vnde Ezec. 3. vocatur speculator. Quia, inquit

S. Prosper. Prosper de vita contempl. cap. 2. *Speculantur actus hominum, & qualiter quisque viuat, diligenter explorant, quos bonos probauerint, honorando confirmant, quos deprehenderint vitiosos, arguentes.* Et aduerte, quòd negligentia in Prælatis est peccatum mortale; Gloss. in cap. Ea, quæ, verb. Reatu, de off. archid. & ibi Io.

Io. Andr. Andr. & Butr. Panor. in cap. 1. de treu. & pace;
Butrius. Immò, & quandoq; dissimulatio mortale est
Panormit. in Prælatis; Gloss. in cap. Clericis, de immun.
Felinus. eccl. ver. Dissimulatione. Panor. loc. cit. Fel. in cap. Licet Heli, de simon. facit tex. in cap. fin. d. 47. & Prælatus valde negligens, est deponendus; Gloss. in dicto cap. Ea, quæ, ver. Negligentia. & Gloss. in cap. Cum ad monasterium, ver. Negligens, de stat. monach. vbi
P. de Bais. Panor. P. de Bais. in direct. elect. 3. p. cap. 51. num. 13.

22. 6. Habet Prælatus officium patris. 1. quia filios verbo doctrinæ spiritualiter generare debet. 1. Cor. 4. *Per euangelium ego vos genui.* 2. eos debet lacte consolationis fouere, 1. Ad Thess. 2. *Facti sumus paruuli in medio vestri, tamquam si nutrix foueat filios suos.* 3. debet filios erudire, 1. Cor. 3. *Tamquam paruulis lac* (doctrinæ) *vobis dedi potum*. 4. debet eis thesaurizare exempla multarum virtutũ, Prou. 21. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.* Idest secundùm Glossam interlinearem, claritas bonorum operum, & pinguedo deuotionis sunt hæreditas, quam linquit pater spiritualis filijs suis spiritualibus: & 2. Cor. 12. dicit eadem Gloss. quòd filij spirituales non debent parentibus spiritualibus thesaurizare, sed parentes spirituales debent thesaurizare filijs diuitias vitæ æternæ. 5. debet eis prouidere de necessarijs, 2. Cor. 12. *Ego autẽ libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus*
Liranus. *vestris* Quem locum sic explicat Lir. Impendam vobis non solùm spiritualia bona, sed etiam temporalia, & superimpendar ego ipse, quasi diceret, Pro salute vestra paratus sustinere mortem. Et Hier. *Quod habeo, labore nimio* *D. Hier.*
impendo, & plusquam possum impendam; perfecta enim dilectio non solùm totum, quod habet, gratis impendit, sed etiam ipsa libenter impenditur, si necesse est.

23. 7. Prælati officium est Medici; cap. Disciplina, d. 45. de hoc arg. conscripsit integrũ librum Scrib. qui inscribitur, Medicus religiosus, ad quem remitto Prælatos, & ad industrias etiam Claud. Aquauiuæ. Hic solum vnum monebo, Medici officium esse curare appositè ad sanandũ, vt ait Ferne. lib. 1. cap. 1. Apposite autem curat, qui citò, tutò, & iucundè remedia confert, quæ facere non potest, nisi qui vtriusq; medicinę, actiuæ scilicet, & contemplatiuæ, valde peritus existit, vt nimirum rerum naturas cognoscat, quò possit earum viribus ad sanitatem vti; sciatq; elementorum, humorum, complexionum, potentiarum, membrorum naturas; cognoscat etiam causas omnium morborum, & symptomatum: sciatq; etiam ex signis conijcere præterita, præsentia, futura. *Scribanus.* *Aquauiu.* *Fernelius*

24. 8. habet etiam Prælatus officium Aduocati, tum apud Deum, quem tenetur assiduè orare pro sibi commisso grege; cap. Si quis vult, d. 36. cap. Quia sacerdotes, 10. q. 1. tum apud homines, cum quibus subditos adiuuat, & defendit. cap. Monachi 16. q. 1. cap. Ex parte, de post. Prælat.

25. 9. Habet officium militis armati, sed arma eius sunt orationes, & lacrymæ, 23. q. 8. his defendit subditos, arcet luporum truculentam rabiem; rigat, confonet.

26. 10. Habet officium gladiatoris. Est autẽ excommunicatio mucro illius; cap. Visis, in fine, 16. q. 2. cap. Si quis, de reb. eccl. non alien. Quo quomodò vtendum, docet Trid. sess. 25. de refor. cap. 3. Vide pro pœnis contra malè vsurpantes, cap. Nemo 2. q. 1.

27. 11. Habet Prælatus officium agricultoris; cap. Solitæ §. Potuisses, de ma. & ob. vt euellat, destruat, disperdat, dissipet vitia, non solùm quò ad radicem, sed etiam quò ad machinationem malæ ordinationis, vitiosorum adulationem, atq; vitiorum defensionem, & hoc prædicando verbum, instando opportunè, importunè, arguendo, obsecrando, in omni patientia, & doctrina, vt dicitur 2. ad Tim. 4. Nec solùm debet destruere, sed etiam ędificare tamquam bonus architectus, de quo 1. Cor. 3. *Secundùm gratiam quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, quod est Christus Iesus.* AEdificet itaque, & plantet virtutes. Et notat Greg. 3. p. past. c. 35. quòd agricultor *D. Gregor.* priùs debet amputare malas radices, quàm plantare bonas. *Quia nisi priùs peruersa destrueret, ædificare vtiliter recta non posset.*

28. 12. Habet Prælatus officium Correctoris; cap. Transmissam, de elect. cap. Quanto, de his, quæ fiu. à Præl. cap. Qualiter, el 2. de accus. can. Ea, quæ, §. Si verò, de stat. monach. & in ordine nostro hoc nomine appellantur Superiores, vt patet ex nu. 44. Reg. vbi quale sit officium Correctoris, describitur. In hoc autem munere exequendo recordetur Prælatus aurei illius dicti Sen. 1. de clem. cap. 22. *Seneca.*
In alienis iniurijs vindicandis, tria sequi debet Princeps;

Princeps: aut vt eum, quem punit, emendet; aut vt pœna eius cæteros meliores reddat; aut vt, sublatis malis, securiores cæteri viuant.

29. Ad quæ officia tenetur Prælatus in conscientia, & de negligentia rationem redditurus est sibi, qui eum iudicaturus est; cap. 1. de off. archid. Ex quibus remanet probata nostra conclusio; Constat enim, quòd sine eminentis scientiæ gradu non possunt dicta officia rectè, & ritè exerceri: immò, & etiam cum illa est valde difficile, ait enim Naz. or. 1. apol. n. 31. *Sed sit sane aliquis non modo à vitiorũ contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium euectus, haud equidem video, quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus, huiusmodi præfecturam intrepidus suscipere queat.* & n. 64. *Qui præsidenti animo præfecturam suscipit, hunc ego solertia nomine admiror, ne dicam stultitiæ,* &c. Quæ ibi perbellè Naz. ad quæ remitto Prælatos. Si verò Generalis dictam eminentem scientiam non haberet, modò haberet competentem, toleraretur, per cap. Nisi cum pridem, §. Pro defectu, de renunc.

Nazianz.

30. Dico 6. in Prouinciali sufficit scientia mediocris, & in Correctore sufficiens. Probatur; quia licèt Prouincialis eadem habeat officia exercere in sua Prouincia, quæ Generalis in tota Religione; cum tamen melius suos subditos cognoscat, vtpote cum illis ordinariè contritus, & non tam ardua negotia passim illi occurrant, sufficit, si ordinaria negotia per se resoluere possit, & pro extraordinarijs libros, vel peritos consulere. Similiter Corrector pauca habet admodùm negotia, quæ & faciliter enodari possint; vnde sufficit, si in arduis sciat dubitare, & peritiores consulere.

31. Dico 7. Collegæ Generalis, Prouincialis, & Correctoris, debent habere eandem, vel paulò inferiorem scientiam, quam habent sui respectiuè Prælati. Quia, cum sint Prælatorum cõsiliarij, immò & in multis coniudices, vt probatum est supra q. 1. cap. 2. à nu. 13. non rectè suo muneri satisfacient, nisi intra eamdem saltem speciem fuerint doctrina, quam debent habere Prælati, insigniti. Et colligitur ex Trid. sess. 24. de refor. cap. 1. quatenus requirit in Cardinalibus, qui sunt consiliarij Pontificis, eamdem scientiam, quam in Episcopis. Et collige etiam ex hoc, quòd non potest tuta conscientia eligi in Collegam, qui dicta scientia non fuerit præditus, sub prætextu quòd alij duo Collegæ sint doctissimi, & quòd ipse illorum opinioni semper adhærebit, nam licèt hoc in cõcordi sententia fortè sustineri posset ex hoc capite, in discordi tamen, si indoctus sit, non poterit inter eorum sententias iudicare.

32. Dico 8. Qui diuturno vsu, & longa experientia ea nouit, quæ necessaria sunt ad sui muneris functionem, potest in Correctorem eligi, etiamsi grammaticam, & latinam linguam penitùs ignoret. Ita Azor p. 2. lib. 6. cap. 6. q. 6. Paris. lib. 5. de resig. q. 3. num. 109. Maiol. lib. 2. de irreg. cap. 32. nu. 10. Sigism. de elect. p. 1. dub. 62. num. 3. Regin. in praxi. lib. 3. tr. 3. nu. 173. Abb. in cap. vl. de æt. & qual. nu. 4. Probatur; quia experientia cum prudentia coniuncta, est magistra omnium scientiarum. Vnde etiam collige, quòd possunt electores eligere in Correctorem virum illiteratum, qui tamen, cum alias Corrector fuerit, bene se gesserit, supposito quòd Correctoriatus sint eiusdem, vel paruò superioris qualitatis; nam est aptus V. G. quis regere duodecim fratres, qui non est aptus regere quinquaginta, & est aptus quis regere fratres ordinarios, & seniores, qui non est aptus regere grauiores, & iuniores. Lamb. de iur. patr. lib. 2. p. 1. q. 9. ar. 14. nu. 6. ver. Et ibi dictis addo. Quod tamen limita; nisi alij doctiores, & expertiores adsint. Maiol. loc. cit. nu. 14. Azor. q. 9.

Azor.
Parisius.
Maiolus.
Sigism.
Reginald.
Abbas.

Lamber.

33. Dico 9. Ardens charitas, vitæ, morumq; probitas possunt supplere scientiæ defectum. Angel. ver. Clericus 2. nu. 4. fine. Sylu. eod. nu. 1. dicto 1. Salz. ad Diaz. cap. 82. ver. Aliquando tamen. Abb cap. Cum in cunctis, de elect. nu. 4. vbi Innoc. num. 3. Regin. loc. cit. nu. 172. Maiol. loc. cit. nu. 4. & 5. qui id illustrat exemplis. Paris. num. 112. Azor q. 8. Probatur ex cap. Nisi cum pridem, §. Pro defectu, in fine; vbi dicitur. *Scientia inflat, charitas autem ædificat, & ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis.* Ratio est; quia charitas est bonum notabile, recta voluntas, ab omnibus terrenis, & præsentibus prorsus auersa, inseparabiliter Deo coniuncta; cap. Charitas est, de penit. d. 2. Debet tamen esse coniuncta cum discretione, cap. Non solùm, de reg. in 6. vbi dicitur. *Puritati conscientiæ non debet deesse iudicium rationis, ne vnde spiritualis profectus quæritur, salutis dispendium subsequatur.* Vbi etiam nota, quòd quamuis quis sit idoneus in scientia, non ideo præcedere debet alios, quorũ mores sunt magis cogniti; nam cum Trid. sess. 24. de refor. cap. 18. non se fundet tantùm in scientia, sed etiam in moribus, & prudentia, vtrumq; requiri dicendũ est; &, si ex his aliquid desit, meliùs est, quòd desinat ex scientia, quàm ex moribus; scientia enim non ita eminens suppletur per virtutes morales coniunctas. Et ita declarasse sacram Congreg. refert Gonz. ad reg. 8. cancell. Gloss. 4. num. 218. his verbis. *Præferendus est minùs doctus, modò idoneus, quando eius mores sunt noti, & approbati, doctiori, cuius vita ignoratur.*

Angelus.
Syluester.
Salzede.
Innocent.

Gonzal.

34. Dico 10. Vbi non reperirentur viri literati, possent illiterati, & non sufficientis literaturæ præfici. Maiol. loc. cit. nu. 9. Menoch. de arb. lib. 2. casu 485. nu. 44. Abb. loc. cit. Probatur tum ex cap. 24. Esaiæ, vbi dicitur. *Et erit sicut populus, sic sacerdos;* tum ex c. Priscis, d. 55. vbi Glossa ver. Sufficientibus: & ex c. 1. d. 57. ibi. *Aut hominum raritas;* vbi Gloss. Tum ex communi dicterio, *Inter cæcos lusci dominantur:* & panem facimus de farina, quam habemus. Cauendum tamen hoc casu electoribus, ne ignorantem præsumentem scire eligant; nam nocebit multò magis, quàm ignorans, suam ignorantiam cognoscens; hic enim, consulendo doctos, veritatem attinget aliquando; ille semper perdet omnino. Vnde Quintil. lib. 1. Inst. or. cap. 1. *De pædagogis hoc amplius, vt aut sint eruditi planè, quam primam esse*

Maiolus.
Menoch.
Abbas.

Quintil.

esse curam velim; aut se non esse eruditos sciant; nihil enim peius est iis, qui paulum aliquid vltra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt: nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut iure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atque interim stultè sapientes, stultitiam suam perdocent.

35. Dico 11. vbi nulla ex dictis causis intercedit, nō potest cum illiteratis dispensari, vt ad dignitates assumantur, per quamcumq; potestatem, etiam papalem. Ita Gonz. ad reg.8.Gloss.4.nu.43. Pariſ.de resig.lib.5.cap.3. nu.100. Gutierr. de tutel. p.1. cap.18. num.2. Maiol. loc.cit. num.13. Diaz in praxi, cap.21. nu.5. vbi citat dictum Fel. dicentis, quòd si Papa scribat etiam ex certa scientia pro illiterato, obediendum non est; quia vitium illiteraturæ est de iure diuino. Constat ex cap.4. Oseæ, *Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* & 1.ad Tim. 3. Oportet Episcopum esse doctorem; & cap.4. Timotheo præcipit, vt lectioni, exhortationi, & doctrinæ attendat. Vide Azor.to.2. lib.6. cap.6.q.4.10. de Selua de benef.p.3.q.5.nu.6.

Gonzal. Parisius. Gutierrez. Maiolus. Diaz. Azor. Io. de Sel.

36. Quæres, cur permittat aliquando Deus viros ignorantes, & malos regnare? R. id Deum permittere in pœnam subditorum Greg. 1.p.past. cap.1 *Quæ Pastorum sæpe imperitia meritis congruit subditorum.* & 25.mor. cap.14 ad illa verba, Qui regnare facit hominem hypocritam, *Nullus, qui talem Rectorem patitur, eum, quem patitur, accusat, quia nimirum sui fuit meriti, peruersi Rectoris subiacere ditioni.* Et lib. 4. in 1. Reg. cap.1. ver. Non te abiecerunt, ait. *An fortasse abiectum se in Regis petitione conqueritur, pro reproba voluntate malè petentis populi, positur Rex, conceditur pro vindicta: vel fortaſse idcirco reprobus Rex eligitur, vt electus successor eius Rex Dauid in eo cognosceret, quid cauere debuisset.* Aug. psal. 51. sub. init. *Saul Rex non ad permanendum electus est à Domino, sed secundùm populi cor durum, & malum, datus ad eorum correctionem, non ad vtilitatem.* Eadem habet Cypr. ep.38. ad Rogat. Iren. lib.5. aduersùs hær. cap.24. *Cuius iussu homines nascuntur, huius iussu & Reges constituuntur, apti his, qui in illo tempore ab ipsis reguntur. Quidam enim illorum ad correctionem, & vtilitatem subiectorum dantur, & conseruationem iustitiæ; quidam autem ad timorem, & pœnam, & increpationem, quidam autem ad illusionem, & contumeliam, & superbiam, quemadmodum & digni sunt.* Isid. lib. 3. sent. cap. 48. *Reges quando boni sunt, muneris est Dei; quando verò mali sceleris est populi; secundùm enim meritum plebium disponitur vita Rectorum.* Vide D. Th. lib. 3. de reg. Princ. cap.7. & cap.11 in fine, ait. *Interdum dum populus non cognoscit beneficium boni regiminis, expedit exercere tyrannides; quia hæ etiam sunt instrumentum diuinæ iustitiæ.*

D. Gregor. D. August. Cyprianus D. Irenæus D. Isidorus D. Thom.

§. I. *Quas scientias in particulari deceat, & necesse sit habere Prælatum regularem.*


Ide Duar. de minist. Eccl. lib.4. cap.2. Sarr. in cine Reip. reg. consi.4. & seq. Lips. in not. ad lib.1. pol. cap.10.

Duarenus. Sarrenius Lipsius.

37. Noto, quòd studia, quib⁹ communiter incumbunt Religiosi, sunt grammaticæ, philosophiæ, & theologiæ. Theologiam, cuius præcipuè est Religiosorum institutum, in 5. partes diuido. In scholasticam, quæ malleus hæreticorum dicitur; in moralem, quæ dirigendis christianorum conscientijs inseruit, cui annectitur scientia Canonum; in scripturalem, quæ prædicatoribus inseruit, qui sunt anchora nauis Ecclesiæ; in mysticam, qua humana mens, his mundanis relictis, tota se per charitatem in Deum transfundit; & in asceticam, quæ est Religiosorum specialis, deq; ijs agit, quæ ad Religiosorum statum, tam perfectionis, quàm necessitatis peculiariter pertinent. Alias theologiæ diuisiones vide apud Sand. 1.p. theol. lib.1. comm.3. exer.1. vbi 14. Theologiæ diuisiones numerat.

Sandæus.

38. Dico 1. necessarium est, Prælatum religiosum, Generalem præsertim, & Prouincialem excellere in vna ex dictis theologijs, cæteras autem sufficit attingere. Ita Duar. loc.cit. Patet ex dictis nu. 16. & 30. Cum enim dixerimus, in his Prælatis requiri gradum scientiæ eminentis, & mediocris, nec possibile sit, omnes in summo gradu possidere, propter scientiarum difficultatem, & vitæ breuitatē; vnde querebatur Theophrast. quòd satis concedere teneretur, cum aliquid scire cœpisset: Et Medicorum coriphæus Hippocr. dicebat, illorum artem esse longam, & vitam breuem; vnde Sen. de breu. vi. cap.1. *Maior,* inquit, *pars mortalium de naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguum æui gignimur, quòd hæc tam velociter, tam rapidè dati nobis temporis spatia decurrant,* dicendum est, quòd eminenter doctus est ille, qui in vna excellit, & alias non ignorat.

Duarenus. Hippocr. Seneca.

39. Dico 2. non est necesse, Prælatum regularem habere scientiā iuris ciuilis; licet enim iuris canonici scientiam ignorare non debeat, ad dirimendas lites, ac controuersias, quæ in Religionibus quotidie occurrunt, & ad facienda iudicia, vltiaq; punienda, vt dicitur in cap. 1. §. Cæterum, de consang. & cap. Nulli, d.38. & cap. Qui Episcopus, d. 23. Et quamuis iuris ciuilis Doctores dicant, sine capitulis parum valere leges, & capitula sine legibus nihil; per quod significant, nihil prodesse scientiam canonū sine iuris ciuilis prudentia; non puto tamen, necessariam esse Prælatis regularibus legum scientiam, nec etiam attingere; cum omnia, quæ possunt illis in suis muneribus occurrere optimè possint resolui per scientiam canonum, & moralem theologiam. Hoc mihi satis persuadet cap. Super specula, ne cler. vel monac. vbi prohibetur Religiosis studere legibus, vel medicinæ, sub

pœna

pœnæ excommunicationis ipso facto; quod nõ fieret, si Religiosis studium dictarum facultatum esset necessarium. Et constat etiam experientia, qua videmus, multos Religiosos Prælatos rectè, & cum laude exercuisse Prælationes sine dictis scientijs. Valde tamen vtile erit Prælatis regularibus, si legibus priuatim quandoq; studeant, aliqualq; horas in eis consumant. Eodem modo dic de studio medicinæ; poterit enim hoc vti Prælatus in ordine ad bonum spirituale, & ex illa ingenti cura, quam corporales Medicos humani corporis vi debit habere, eliciet, quanta sibi erit adhibenda in sanatione spirituali animæ.

40. Dico 3. necesse est, Prælatum Regularium esse valde exercitatum in literis humanioribus, historijs sacris, atq; profanis, Philosophia, Poetis, Oratoribus. Ita D. Tho. lect. 3. in cap. 1. 1. ad Cor. Duar. loco cit. Probatur tum ex ijs, quæ dixi tom. 1. huius op. cap. 30. concl. 2. & 3. Tum quia ex his quamplurima eliciuntur necessaria pro vita spirituali. Tum quia, cum Prælati officium præcipuum sit docere, non poterit id munus rectè exequi, nisi magnam eruditionem, quæ in dictis literis cõtinetur, sibi comparauerit. Tum quia SS. PP, qui in dictis literis eminentes fuere, intelligere minimè poterit, & tamen in Patribus est fons, & origo omnis Theologiæ. Et Philosophicæ scientiæ mentem attollunt, & abducunt à vano metu, aut admiratione rerum. Et historia lux est veritatis, & magistra vitæ; in hac enim, tamquam in speculo, ornamus, & componimus vitam nostram ad alienas virtutes. Et Rhetorica, quatenus persuadendi, & disuadẽdi facultatem tribuit, Platoni, de sum. bon. paulò ante fin. visa est necessaria, cum dixit, *Persuadendi facultatem artibus cunctis excellere, quippe quæ cuncta non vi, sed sponte sibi subijciat.* Vnde de famoso illo Oratore Demosthene ait Sabel. lib. 1. exemp. cap. 6. *quòd, eo loquente, pacem, & bella suscepit Græcia, suscepta deposuit, fœdera cum Regibus iunxit, iuncta dissoluit.* Poesis etiã, & quatenus syllabas mensurare, & quatenus multa ad mores accomoda, & secundum moralem Philosophiam docet, & quatenus etiam defatigatum potest recreare ingenium, vtilis admodum erit. Tum etiam, quia cum habeat Prælatus instituere Lectores, tum Philosophię, tum humanitatis, non poterit id per se rectè facere, nisi dictas scientias calleat. Vnde refert Ammian. Marcel. lib. 22. & 25. Impium illum Imperatorem Apostatam interdixisse Christianis scholas Grammaticorum, Rhetorum, ac Philosophorum, sperans, quòd absq; liberali eruditione suam Religionem tueri nõ possent, *Proprijs*, inquiens, *pennis configimur, ex nostris enim libris arma capiunt, quibus in bello aduersus nos vtuntur.* Ex quo forte desumptum est iniquum illud decretum factum ab Henrico VIII. Angliæ Rege, quo fratribus quibusdam Carthusiensibus, contemnentibus in eius venire sententiam, mandatum est, vt ab eis omnes libri auferrentur, vt tradit Tor. in phil. moral. lib. 25. cap. 1. qui ad id probandum affert multa in prol. dicti op. num. 12. & lib. 19. cap. 7. versùs fin. Tandem hoc probat manifestè cap. Turbat, dist. 37.

D. Thom.

Duranus,

Plato,

Sabell.

Marcel.

Torres,

41. Dico 4. vtile admodùm esset, si Prælati regulares in linguis peregrinis, græca, hebraica præsertim, eruditi essent; hispanica, gallica, germanica Itali; & illi e contra Italica. Ita Duar. loco cit. Probatur tum ex clem. 1. de magist. vbi id expressè mandatur, & redditur ratio; quia etiam Christus suos Apostolos, eo quod seminatores esse deberent Euangelij, in omni genere linguarum eruditos esse voluit; Quod etiam præcepit sub pœna indignationis suæ Paulus V. vt dixi, constitutionem afferens, tom. 1. priu. in constit. 2. Iulij II. num. 19. & rigorosius decretum de mente Vrbani VIII. factum est a Congregatione de propaganda fide, quod affero in addit. ad priu. reg. cap. 3. nu. 11. Tum quia multi sunt libri his linguis conscripti, eruditione, & scientia pleni, quorum cognitio multum prodesset ad bene gerendum suum officium. Et Generali, qui habet sub se Gallos, Hispanos, Belgas, Germanos, est ferè necessarium eorum linguas tenere. Tum ad amorem sibi dictarum nationum conciliandũ; sumus enim tam rerum nostrarum amantes, vt statim ac videmus, extraneum lingua nostra loqui, eum & libentiùs audiamus, & teneriùs amemus, amariq; ab eo existimemus. Quo medio vsus est Rhapsaces Assyriorum Dux 4. Reg. 18. vt Iudæos sibi beneuolos redderet: & Paulo valde id profuit Act. 22. & volatilia ad sibi similia conuenire, docet Eccl. cap. 27. Tum ad suorum subditorum necessitatibus prouidendum; non enim omnes subditi linguam Europæis communem callent; & quando id esset, quod impossibile puto, non ita bene ea lingua omnes communites possunt animi passiones exprimere; vnde multi vt plurimum retardantur à colloquendo cum suis Prælatis, quando vident eos non intelligere linguam suam, quod vergit in maximum Religionis detrimentum. Quare laudatur magnopere Mithridathes Rex Ponti, vt dicit Chauass. de vera prud. lib. 3. cap. 10. §. 3. quòd, cum 22. nationes diuersarum linguarum subiectas haberet, vniuscuiusq; lingua liberè loquebatur. Nec contemnant ista Prælati, quasi parui sint momenti; nam, vt Hier. ait in epist. ad Lætam, de instit. fil. *Non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt*; Quod etiam docuit Quintil. lib. 1. inst. or. cap. 1. & certissimum puto, quòd Generalis, nisi linguas vulgares suorum subditorum intelligat, non possit plenè suo muneri satisfacere. Et præterea, vt ait. Veget. de re milit. in prol. lib. 1. *Neminem decet vel meliora scire, vel plura, quàm Principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis.*

Chauass.

D. Hieron.

Quintil.

Veget.

42. Dico 5. vtile etiam erit Prælato si geographicas, geometricas, astronomicas, physiognomicas scientias calleat. De Geographia patet; quia, cum hæc faciat situs terrarum, & magnitudines, atq; interualla nosse, ostendatq; portus, aditus, flumina, maria, montes, oppida, ciuitates, aliaq; quamplurima scitu dignissima, nemo ibit inficias, hanc facultatem futuram fore maximè vtilem ijs Prælatis regularibus, qui semper ferè sunt in cursu, suas amplas Religiones visitando. Geometrica etiam erit vtilis pro situandis

mona-

monasterijs, mensurandis distantijs, altitudinibus, & profunditatibus; ac etiam pro distribuendis honoribus, & oneribus Geometria est necessaria, vt ait Mersen. In Gen. cap. 1. ver. 1. contra Atheos ratione 17. Arithmeticā si non calleat, cogetur in computis conuentuum recipiendis, (negotium magni momenti ob innatam homini habendi cupiditatem) alienis dictis stare.

Mersenn.

43 Expatiemur autem aliquantulùm in Astronomia, pro qua Noto 1. quòd cælum per virtutem, quam à Deo accepit in sui creatione, agit in hæc inferiora, vt docet Ar. 1. meteor. cap. 2. vbi ait. *Virtutem omnem inferioris mundi à supernis lationibus gubernari* & 2. phys. tex. 26. *Homo*, ait, *hominem generat, & sol;* & probat D. Th. 1. p. q. 115. ar. 3. Et experientia constat, qua videmus, accessu, & recessu solis quadripartitam anni diuisionem fieri, ortu, vel occasu aliquorum astrorum, calorem, frigus, & alias qualitates augeri, vel minui; tempestates magis excitari, vel sedari; in morbis etiam curandis sapienter, & vtiliter expectari à Medicis tempus congruum, vt docet Gal. lib. 3. de dieb. crit. & Ouid. 1. de Ponto.

Arist. *D. Thom.* *Galenus.* *Ouidius*

Temporis cæli corpusq; animusq; iuuatur.

& Ar. 7. pol. cap. 7. ex climatum diuersitate diuersitatem complexionum colligit. *Nam, quæ frigidas*, inquit, *regiones incolunt, gentes, & quæ per Europam, animo quidem abundant, ingenij verò, & artificij parum habent*, &c.

Arist.

44. Noto 2. cælum per se, & directè nullam habere virtutem agendi in intellectum, & voluntatem, vt probat D. Thom. loc. cit. ar. 4. & 3. contra gen. cap. 84. & constat, quia, si quid posset producere in intellectum, vel voluntatem, vel id esset per modum habitus, vel per modum operationis. Non primum, quia quicquid recipitur in intellectu, vel voluntate, debet esse spirituale, vt sit proportionatum recipienti, cælum autem, cum sit corporeum, spirituale producere nequaquam potest. Neq; alterum quia operationes intellectus, & voluntatis vitales sunt, quæ non possunt esse nisi à principio habente vitam, vel ad summum à supernaturali agente, quale non est cælum. Tum quia si cælum per se causaret actum volitionis, sicut actio cæli est necessaria, ita etiam receptio illius actus in voluntate esset necessaria, & sic tolleretur libertas &c. Verum quidem est, quòd per accidens, & indirectè cælū potest aliquo modo agere in intellectum, & voluntatem; dum enim agit in organa, quæ inseruiunt ad operationes animæ, V. G. dum calefacit sanguinem circa cor, quo efferuescente excitamur ad iram, dicitur etiā cælum excitare ad iram. Et eodem modo, qui certis astris propitijs concipiuntur, magis dicuntur valere ingenio, quàm alij, quia per actionem illorum astrorum præcipua quædam organa sensuum internorum sunt magis apta, & disposita; ex quorum deinde operationibus multum pendet ipse actus intelligendi. Per hanc tamen indirectam actionem nulla voluntati infertur necessitas, sed semper, organis quomodocunq; dispositis, & alteratis, potest voluntas non sequi motionem cæli, & oppositum actum elicere, quidquid garriat Astrologorum vanitas. Vnde Ier. 8. dicitur. *A signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.*

D. Thom.

45. Noto 3. quòd 12. sunt signa Zodiaci, quæ his versibus continentur.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq; Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Aries regnat à die 21. Martij, vsq; ad 21. Aprilis, qui eo tempore nascitur, erit calidæ, & siccæ naturæ, ac consequenter cholericus. Taurus regnat à die 21. Aprilis, ad 21. Maij; qui eo tempore nascitur, terræ naturā induit, & erit frigidus, & siccus, ac melancholicus. Gemini à 21. Maij ad 21. Iunij, qui eo tempore nascitur, calidus, & humidus est, & sanguineus. Cancer à 22. Iunij ad 22. Iulij; qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & humidus, ac phlegmaticus. Leo à 22. Iulij ad 23. Augusti qui eo tempore nascitur solet esse calidus, & siccus, ac cholericus. Virgo à 23. Augusti ad 24. Septemb. qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & siccus, ac melancholicus. Libra à 24. Septemb. ad 23. Octob. qui eo tempore nascitur, solet esse calidus, & humidus, ac sanguineus. Scorpio à 23. Octob. ad 23. Nouemb. qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & humidus ac phlehmaticus. Sagittarius à 23. Nou. ad 22. Decemb. qui eo tempore nascitur, solet esse calidus, siccus, ac cholericus. Caper à 22. Decemb. ad 22. Ianuarij; qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & siccus, ac melancholicus. Aquarius à 22. Ianu. ad 19. Februarij; qui eo tempore nascitur, solet esse calidus, & humidus, ac sāguineus. Pisces à 19. Februarij ad 21. Martij; qui eo tempore nascitur, solet esse frigidus, & humidus, ac phlegmaticus. Distribuuntur itaq; ista signa quatuor elementis. Et igni tribuitur Aries, Leo. Sagittarius, quæ sunt signa ignea, & cholerica. Terræ tribuitur Taurus, Virgo, Capricornus, quæ sunt signa terrea, & melancholica. Aeri tribuitur Gemini; Libra, Aquarius, quæ sunt signa aerea, & sanguinea. Aquæ tribuitur Cancer, Scorpio, Pisces, quæ sunt signa aquea, & phlegmatica. & sic constat, quòd omnes homines, aut sunt cholerici, aut melancholici, aut sanguinei, aut phlegmatici; Cholericorum naturam hi tibi versus demonstrant.

Hirsutus, fallax, irascens, prodigus, audax,
Astutus, gracilis, siccus, croceiq; coloris.

Invidus, & tristis, fallax, luteiq; coloris.
Melancholicorum.
Non expers fraudis, timidus, dextraq; tenacis.

Largus, amans, hilaris, ridens, rubeiq; coloris,
Sanguineorum.
Constans, carnosus, satis audax, luxuriosus.

Hic somnolentus, piger, in sputamine multus,
Phlegmaticorum.
Nil retinens sensu, pinguis facie, color albus.

46. Cum ergo cum his omnibus humoribus habeat agere Prælatus, vtile erit, si studeat

quorum-

quorumcumque subditorum inclinationes cognoscere, vt sciat, quanti singulos expendere possit.

Et quid quisque ferat, quod quisque recuset.

Virgilius. vt ait Virg. apud Macrob. 5. Saturn. c. 16. iuxta illud Prou. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera.* Ad quem locum ait Beda. Hier. seu potius Beda lib. 3. *Diligenter adhibe curam eis, quibus te præesse contigerit, agnosce animos, actusq; singulorum, &, si quid in eis vitij sordidantis inueneris, citius castigare memento.* Licet enim hæ inclinationes liberam humanæ mentis naturam nequaquam cogere possint, & sciat sapiens astris dominari, & infirmitates quandoq; primariam hominis complexionem mutent; qui tamen parum prudentes sunt, & complexionem non mutarût, vt iuuenes, a suis se trahi sinunt inclinationibus. Cholerici ergo sunt superbi, impatientes, præcipitosi, iniuriosi, valde de se ipsis præsumentes. Hos conuenit frænare, reprimere, dum iuuenes, nec minima quidem eis condonare, humiliare pro posse; numquam, aut fere numquam se illis gratum, & iucundum exhibere, sed semper grauem, semper Superiorem; si enim illis des digitum, vt aiunt, sumunt & brachium. Nec dubitandum, cum adoleuerint, ne tibi sint infensi; nam, præterquamquod id timere non debes, præmium, & retributionem morum laborum à Deo expectans, cito obliuiscuntur iniuriarum. Melancholici sunt auari, meticulosi, impuri, rudes, duri, obstinati, inofficiosi, inciuiles, conuersationem fugientes, irresoluti, diffidentes, suspiciosi, non multum loquentes, dissimulatores, osores, vindicatiui, & inimici illorum, quos læserunt, iuxta illud Sen. 3. de ira, Seneca. cap. 33. *Quos læserunt, oderunt.* Cum istis agat valde prudenter Prælatus, & contraria vitijs adhibeat medicamenta virtutum, tardus sit ad illis concedendum aliquid ad vsum proprium, & numquam aliquid concedat in perpetuum, vel indefinitè, sed semper ad tempus præfixum; non permittat vincere, quæ obstinatè prætendunt, lentè tamen, ne frangat; tribuat aliqua officia, quæ eos officiosos, & ciuiles, & conuersabiles reddant; suspicantes, & diffidentes increpet durè; parum credat illorum dictis, nisi arbitros fingant, & priusquam iudicium ferat, arbitros audiat; semper enim addunt aliquid de sua imaginatione, & quandoque vendunt somnia, tamquam Euangelicam veritatem; isti reducendi, quantum fieri potest, vt sint timoratæ conscientiæ, alioqui solent esse valde perniciosi. Sanguinei amantes sunt recreationum, inimici mœstorum sermonum, fugientes rixarum, amantes pacis, benigni, affabiles, nō iniuriosi, nisi vi tracti, iniuriarum actiuè, & passiuè immemores, officiosi, liberales, pij, iusti: istos moderatè frui permittat recreationibus, difficulter permittat exire conuentu, attendat quibuscum conuersentur, hortetur sæpe ad studendum, & ad pœnitentiam. Phlegmatici sunt tardi in omni actione, tàm in motu, quàm in loquendo, in consilijs irresoluti, timidi in executionibus; amant, sed non ardenter; oderunt, sed non vehementer; modesti, moderati, ac obedientes. Isti calefaciendi sunt, vt scientias, & virtutes assequantur, prohibendi à conuersationibus, quæ eos ad aliquod vitium possunt trahere, nam faciles sunt ad virtutes, & vitia adipiscenda. Vide Sen. lib. 2. de ira, cap. 19. Seneca. cum quo cap. 20. concludo, quod licet *naturam mutare difficile sit, nec liceat semel mixta nascentium elementa conuertere, plurimum tamen potest consuetudo, plurimumq; salubriter institui,* vt dicit cap. 21. Immo tantum potest educatio, vt naturam vincat, vt ait Ambros. relatus à D. Ambros. Scrib. in pol. christ. cap. 5. & Cic. apud eumdem; Cicero. *In arte, & doctrina plus est præsidij, quàm in natura.* Et Plut. de lib. educ. col. 3. *Fons, &* Plutarcus. *radix virtutis, atq; honestatis vitæ, est institutio proba.* Vbi, vt patet, plus institutioni, quam naturæ tribuit. Et Sen. loco cit. cap. 18. *Facile* Seneca. *est teneros adhuc animos componere.* Nulla est ergò tanta malignitas, quam non assidua virtutis exercitatio corrigat. Cognoscat itaque Prælatus suorum intima subditorum, vt iuxta morbos sciat adhibere medicinas: non fidat tamen omnino signis naturalibus, sed præsentes obseruet mores; nam ait Sen. loco cit. cap. 15. *Tibi sæpe bonam indolem in malis quoque ostendam; sed non ideo vitia non sunt, si natura melioris indicia sunt.*

47. Circa Physiognomiam nota, quòd sicut anima nostra ad imaginem, & similitudinem Dei creata est, sic illam diuinam maiestatem imitari in operibus suis studet, quantum potest; vnde sicut Deus in productione creaturarum manifestauit suam gloriam, omnipotentiam, misericordiam, &c. dicente Basil. hom. 11. in exam. *Vniuersa hæc mundi moles perinde est, ac veluti liber literis exaratus, palam contestans, ac deprædicans gloriam Dei.* Et psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Vnde dixit Architas Tarent. Tarent. *quòd rerum vera contemplatio facit vt cognoscatur Deus.* Sic anima nostra in corpore, quod informat, curat imprimere suam omnimodam cognitionem, vt in eo appareant diligenter intuentibus, intimiora eius sensa, & secretiora secreta. Quare omnes, quas sentit, passiones amoris, vel odij statim per corpus exprimit. Adde, quòd, cum anima, & corpus vnum perfectum substantiale indiuiduum faciant, id non possit verificari, nisi partes essentiales, ex quibus componitur, haberent inter se correspondentiam, nec hanc haberent, nisi mutuò sibi suas communicarent passiones. Et sic videmus, quod ad dolorem corporis mœret anima, & ad mœrorem istius, dolet illud. Denique natura neminem fallere intendit, vnde cum videt aliquem futurum malum, ne quis de ea conqueri possit, signat, quare in prouerbio deductum est, *A signatis caue.*

48. Quapropter multi à pulchritudine corporis, animæ pulchritudinem collegere. Et D. August. ideo Augustinus 15. de ciuit. cap. 23. ait, *Consuetudo quippe Scripturæ est, etiam speciosos corpore, bonos vocare.* Et Eccl. 8. dicitur, *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Et inter alia egregia, quæ de Dauid enumerantur 1. Reg. 16. dicitur, quòd erat pulcher aspectu, & decora facie; ad quem locum Rang. describit, quæ Rangelius requirantur ad constituendum aliquem pulchrum secundùm longitudinem, latitudinem, & coloris suauitatem. Pulchritudo si cupis scire quid sit, accipe ex August. 22. de ciu. Dei, D. August. cap. 19. *Est apta figura, congruentia partium cum coloris suauitate.* Et Ouid. Ouidius.

Par animo quoque forma sua respondit in illo;
Et genus, & facies, ingeniumq; simul.

Menochius *Campanil.* *Cassiodor.* Plura huiusmodi vide apud Menoch. lib. 2. Inst. pol. cap. 30. num. 8. Campanil. in diuer. iur. rub. 11. cap. 17. Vide etiam Cassiod. lib. 8. var. ep. 4.

49. E contra verò ex corporis deformitate animæ deformitatem collegerunt. *Vnde enim facies est deformis, vix potest habere bonos mores*, dicebat *Rasis.* Rasis lib. 2. ad Almansorem, cap. 33. & *Martial.* Mart. lib. 12. epigr.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus;
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Et interrogatus Cassius Sophista, cur monstruosæ formæ homines insipientes essent? respondit, *Quia corporalibus consentiunt animalia, sicut animalibus corporalia.* Plura huiusmodi vide apud *Stobæus.* *Bongus.* Stob. serm. 88. Bong. de num. 4. pag. mihi 141. qui addit, quòd corporis defectus, quos casu, non natura quis patitur, nullam animi deformitatem indicant.

50. Sed ea est humanæ rationis vis, vt aliqua etiam naturali deformitate laborantes, possint, diuina adiuti gratia, & philosophiæ adminiculo, externas omnes, virtutiq; contrarias affectiones exuere, & rebus honestis inuigilare, qualis fuisse creditur deformis ille, quem sibi proximum accumbere iussit centurio ille Sambaulas, de quo *Xenophon.* Xenoph. lib. 5. de Cyrop. Et de Alano viro sapientissimo, dicit *Maiolus.* Maiol. canic. tom. 4. colloq. 4. pag. mihi 303. quòd erat fœdè deformis, & ea facie, qua pueri terreri possent. Et de Socrate dicit pag. 302. quòd erat simis naribus, recalua fronte, repandis cruribus: vnde ille canebat.

Si mihi difficilis formam natura negauit.
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Sicut è contra pulchros aspectu, moribus deformes persæpe videmus, qualis fuit ille iuuenis, ad quem turpia fabulantem, dixit *Diogenes.* Diogenes. *Non te pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium exerere.* Et ille, de quo *Virgil.* Virgil.

Non equidem ex isto sperani corpore posse
Tale malum nasci; forma, vel sidera fallor.

Vnde Eccl. 11. dicitur. *Non laudes virum in specie sua, neq; spernas hominem in visu suo.* Nam dat probitas speciem, sed non species probitatem.

51. Ex his constat, quòd anima nostra spargere solet in corpore proprias affectiones per aliqua exteriora signa, quæ cum obseruasset antiquitas ex longo vsu, & experientia, posteritatiq; tradidisset, eam facultatem Physiognomiam vocauit, quam callere nostrum Prælatum ad subditorum inclinationes cognoscendas diximus: non illi tamen fidendum, nam virtus naturales inclinationes coercet; vt de Socrate legitur, cui cum allouando hac arte peritus dixisset, quòd inclinabat ad furtum, & præposteram Venerem, & fuisset multùm obiurgatus à *Socrates.* discipulis, Socratis sanctitatem, & continentiam cognoscentibus; respondit Socrates. *Sinite, verum dicit; inclino etenim, sed contineo.* Sed prudens Prælatus, cognitis subditorum inclinationibus, super specula attendet opera; quæ si contraria inclinationibus perspexerit, dominam esse naturam intelligat; si conformia, sequi sciat: & sic eius erit prouidere non solùm pro statu præsenti, sed etiam pro futuro.

52. Hinc vnum Prælatos moneo, verecundiam in adolescente maximum esse virtutis indicium; ait enim Sen. epist. 11. *Verecundia bonum in adolescente signum.* Et Diogenes cernens aliquando adolescentulum erubescentem, *Confide, ait, talis virtutis est color*, & *Homer.* Homer.

Quos pudor est, plures sunt salui, quàm perierunt.

Et Cato, vt refert Plut. aiebat, adolescentulum se magis amare erubescentes, quàm expallescentes, & Menand.

Quisquis erubescit, censeo hunc esse probum.

Et *D. Bernad.* Bernar. ser. 6. de assumpt. *Gratissima, inquit, sanè gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi.* Et ser. 86. in Cant. *Quid amabilius verecundo adolescente, quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma morum in vita, & vultu adolescentis? quàm vera, & minimè dubia bonæ nuncia spei, indolis bonæ index*, &c. *D. Damasc.* Damasc. 2. de fide, cap. 15. *Verecundia metus est ob admissũ dedecus, ac ne hic quidem affectus extra spem salutis est.* Vide eius Com. ad hunc locum: & plura apud *Scribanus.* Scrib. lib. 2. pol. christ. cap. 5.

53. Dico 6. Prælatus debet habere scientiam ethicam, œconomicam, & politicam. Ita in specie *Sartonius.* Sart. in ciue Reip. reg. consid. 4. Ethica instruit hominem in ordine ad se ipsum; & de hac nos cap. sequ. œconomica instruit in ordine ad regimen vnius domus; & de hac dixi quæst. 1. cap. 5. à num. 5. Politica instruit hominem in ordine ad regimen plurium domorum; & de hac dico toto hoc libro, cum doceo modum regendi Regularium multitudinem. Et aduerte, quòd Politica præsupponit Ethicam; qui enim sibi præesse nescit, non potest bene præesse alijs. *Pessimus est enim Princeps, qui sibi ipsi imperare nequit*, ait *Stobæus.* Stob. ser. 44. Prælati ergo, qui, vt ait *Comines.* Comin. hist. lib. 9. *ita se comparant, vt maximam temporis partem serijs occupationibus, reliquum autem liberalibus, & honestis oblectationibus impendant, magnam illi sanè laudem merentur, & o felicem populum, cui talem contingit habere Pastorem.*

54. At inquies, cum breuitas humanæ vitæ vix patiatur, vt vnam bene scientiam adipiscamur, qui fiat, vt vnus Prælatus tot scientijs sit instructus? R. animas regere difficillimum esse, vt dicitur in cap. Cum sit ars artium, de æt. & qual. vnde non est mirandum, si in officio tam arduo, & laborioso rectè ministrando, tanta, & tam varia scientia requiratur. Et multò minùs mirandum, si consideremus, eamdem scientiarum collectionem requirere in suo Oratore Ciceronem, & in suo Architecto Vitruuium, vt dicit *Duren.* Duar. de minist. eccl. lib. 4. c. 2. Immò & in Coquo *Athenæus.* Athenæus, vt refert Rang in 1. Reg. cap. 9. vers. 23. Non ergo mirum, si in Prælato tot scientias requiramus, cum præsertim non omnes in summo gradu postulemus, sed vnam in summo, cæteras non ignorare contenti, secundùm mentem *Arist.* Arist. 8. pol. c. 2. *Sunt quædam ex liberalibus scientijs, quas vsque ad aliquid discere, honestum sit, penitus verò se illis tradere, ac ad extremum vsq; prosequi velle,* noxium.

§. *Secundus.* *Vtrum nobilitas suppleat defectum scientiæ.*

55. N hoc §. tria priùs nobis videnda sunt. 1. an nobilitas per ingressum Religionis perdatur. 2. an nobilioribus dandæ sint Prælaturæ. 3. vnde attendenda sit vera nobilitas. Ex quorum elucidatione respondebitur ad quæsitum. Videatur ergo pro his D. Tho. opusc. de erud. Princ. lib. 1. cap. 4. & 5. & Sen. epist. 44. Tiraquel. de nob. cap. 4. per tot. & cap. 5. nu. 9. & cap. 20. num. 1. & cap. 22. per tot. & c. 26. per tot. Menoch. lib. 2. de arb. casu 67. Rang. int. Reg. cap. 2. ver. 30. verb. *Erunt ignobiles.* Stob. ser. 84. Ant. & Max. ser. 139. Contz. 8. pol. cap. 20. P. Greg. lib. 6 synt. cap. 4. num. 2. & 3. Campanil. In diuers. iur. rub. 6. cap. 3. num. 29. 30. Gratian. decis. Match. decis. 40. in addit. num. 5. & 6. Petrar. de remed. vtr. fort. lib. 1. dial. 16. Cassian. in cat. par. 8. consid. 28. & 36. Graffius decis. aur. par. 1. lib. 3. num. 94. cap. 5. & in addit. ad dic. loc. à num. 1. Rom. disc. 5. de nob. Rebuff. in prax. tit. de dispens. cum reg. num. 30. pag. mihi 301. Sart. lo ciue Reip. reg. consid. 158. Maiol. dier. can. to. 4. colloq. 4. pag. mihi 306. Sylu. verb. Clericus 2. nu. 1. dicto 1. fine. Scrib. lib. 2. pol. christ. cap. 10. & lib. 1. cap. 40. Rom. sing. 37. Platina tract. de nob. lo. Trul. in eluc. can. reg. lib. 4. cap. 5. consid. 2. Sigism. de elect. dub. 32. num. 4.

D. Thomas. Seneca. Tiraquel. Menochius. Rangolius. Stobæus. Ant. et Max. Contzen. P. Greg. Campanil. Gratian. Petrar. Cassian. Graffius. Romanus. Rebuffus. Sarrouius. Maiolus. Syluester. Scribanus. Romanus. Platina. Trullus. Sigismũd.

56. Circa 1. Dico primò nobilitas per ingressum Religionis non amittitur. Roman. loco cit. num. 3. Tiraq. cit. cap. 26. num. 5. Graff. in addit. cit. num. 14. Grat. cit. num. 5. Addit. Panor. ad cap. Dudum, el 1. de elect. ad num. 2. lit. A. Bald. in c. Cum in magistrum, de elect. num. 3. G. Bened. in cap. Raynut. §. Et vxorem no. Adelasp. num. 210. Ludouic. Pont. sing. 58. Vech. de nou. disp. 13. dub. 1. num. 3. affirmans, id etiam censuisse Rotam Romanã Rosel. verb. Doctor, num. 4. qui de alia Rotæ decis. testatur. Sanchez 7. in decal. cap. 12. num. 13. qui affirmat neq. nobilitatem perdere, qui in seculo eam sibi comparasset. Probatur; tum quia nobilitas est quoddam ius sanguinis immutabile. l. Ius agnationis. ff. de pactis, l. Iura sanguinis, ff. de reg. iur. Tum quia ex bono opere nemo lapidari debet, arg. leg. Siue hæreditaria, ff. de neg. gest. Tum quia per ingressum Religionis non læduntur Religiosi in naturalibus, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 9. sub concl. 3. & cap. 12. notab. 4. & testimonium ferunt cap. Etsi Christus, de iur. iur. Tum quia militans ad latus Principis efficitur nobilis, l. 1. Cod. de prępos. labor. lib. 12. ergo multò magis militans Deo, arborem cum fructu ei dedicando. Tum quia Religiosus non desinit esse ciuis, vt dixi supra, quæst. 1. cap. 3. num. 12. Bart. in l. 1. ff. Ad municipia, Guliel. loco cit. statum enim suum per professionem mutauit in melius. Tum quia ordo clericalis, ad quem dirigitur Religiosus choro destinatus, nobilitat, & dicitur dignitas, & honor, cap. Denique, dist. 4. cap. Reperiuntur, 1. quæst. 1. Genuen. in praxi, cap. 73. num. 2. vbi multos citat, & colligit ex hoc, quòd clericus pœnis plebeiorum non debet affici, sed tantùm nobilium: ergo tantum abest, quòd perdatur nobilitas per ingressum Religionis, quòd immò potiùs acquiritur, & augetur.

Panormit. Baldus. G. Bened. Vechius. Rosella. Sanchez. Bartolus. Genuensis.

57. Dicò 2. licèt nobilitas per ingressum Religionis non perdatur, ea tamen non attenditur; Tiraq. cap. 26. n. 2. Grat. loc. cit. n. 6. Trul. loc. cit. n. 8. vers. finem. Abb. in cap. Dudum, el 1. de elect. num. 2. Perez reg. Sancti Benedicti cap. 2. num. 35. Tum quia Religiosis videtur dictum illud Deut. 1. *Siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum; ita paruum audietis, vt magnum; nec accipietis cuiusquam personam.* Tum quia Hier. ad Celan. ait. *Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas, nec obscuriore quoque, aut humiliore loco natos inferiores putes. Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum.* Tum quia S. Bened. in sua reg. cap. 2. ait. *Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat.* Tum quia omnes Religiosi sunt æquales tam in victu, quam in vestitu, ac pœnis subeundis; cap. fin. de stat. monach. §. Porrò, vbi Gloss. verb. Absq; personarum. Nec hic locum habet illud Ouid.

Tiraquel. Gratian. Trullus. Abbas. Perez. D. Hieron. D. Bened. Ouidus.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores.

Census amicitias, pauper vbiq; iacet.

Verum quidem est, quòd, si esset aliquis nobilis delicatus, qui cibis communibus vesci non posset, posset Prælatus cum eo indulgenter dispensare, iuxta cap. Cum ad monasterium, de stat. monach. §. In refectorio. Quod tamen intellige, postquam est professus; nam si tempore nouitiatus taliter delicatus probetur, quòd non posset communibus vti, expellendus esset; nisi aliter suaderet magna vel rei, vel nominis vtilitas. Pro quo facit Lamb. de iur. patr. par. 3. lib. 2. q. 5. art. 11. num. 3.

Lambert.

58. Dico 3. Religiosus per professionem perdit dignitates, quas habebat in seculo, Ducatus, Marchionatus, &c. Tiraq; de nob. cap. 16. num. 3. Guliel. Bened. loco cit. num. 218. Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 94. Et add. ad dictum locum, num. 10. Sanch. loc. cit. Probatur ex cap. Scripsit, iuncta Gloss. ver. Dignitate, 27. quæst. 2. & ex cap. Præsens, iuncta Gloss. ver. Comite, 20. quæst. 3. Nec solùm perdit dignitates seculares, sed etiam ecclesiasticas; cap. Beneficium, de reg. in 6.

Tiraquel. G. Bened. Graffius. Sanchez.

59. Dico 4. Religiosus, qui gloriatur de sua nobilitate, videtur, quod peccet mortaliter. Ita Tost. in cap. 19. Matth. quæst. 209. Trull. in elucid. sui Ordinis loc. cit. Probatur; tum quia D. Thom. in Boet. lib. 3. de consol. prosa 6. in fine, ait. *Nota; quia gloriandum non est de nobilitate; quia dicit Seneca, si pulcher es, lauda naturam; si nobilis, lauda parentes, si virtuosus, & sapiens, lauda te ipsum; si diues, lauda fortunam; si potens, expecta parumper, & nihil eris.* Et Basil. in ascet. ser. de abdic. rerum, col. 5. *Caue ne generis nobilitate subnixare, neuè ob eam causam honores consectere.* Tum quia, cum iam contempserit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, nobilitatem iactando, videtur velle mundum repetere. Sed qui, posita manu ad aratrum, retrò respicit, regno Dei aptus

Tostatus. Trullus. D. Thom. D. Basilius.

non est. Caueant igitur sibi isti gloriabundi Religiosi, qui, cum parum, aut nihil virtutis acquisierint in Religione, atauorum nobilitate prætendunt sustentari. In quos bene potest iactari dictum illud Herod. de quo Malol. canic. tom. 4. colloq. 4. in quemdam valde de sua nobilitate tumentem. *Tu ergo in astragalis gestas nobilitatem*; est autem Astragalus latinè talus: hinc nobilitatem in astragalis habere dicitur is, qui præstantia generis tumens, nulla ipse propria nititur virtute. Non esse tamen peccatum mortale, gloriari de nobilitate, etiam falsò, asserit Pet. Nauarr. lib. 2. de rest. cap. 4. num. 359. à graui tamen veniali non excusat, maximè si mentiatur. Quod verum existimo; ventosi enim Religiosi sine virtute, cum ventrem plenum habeant, nec possint gloriari de concionibus, nec de lecturis, de auorum nobilitate gloriantur, absq; eo quòd nec retrocedere intendant, nec iniuriam aliquam Religioni irrogent.

Malol.

P. Nauar.

60. Circa 2. an nobilioribus dandæ sint Prælaturæ. Dico 1. nobilitas sanguinis in dignitatibus conferendis in Religionibus non attenditur, sed virtus. Sequitur immediatè ex dictis num. 57. Et constat expressè, tum ex cap. Venerabilis, de præb. & cap. Nos, qui, dist. 40. tum ex 1. ad Cor. 1. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles*. Tum ex Patribus, Ambrosio lib. 5. in Lucam ad illud ex cap. 6. Elegit 12. ex eis. *Aduerte*, ait, *cæleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, eligit, &c.* Aug. ser. 59. de verb. Do. to. 10. *Magna*, inquit, *artificis misericordia; sciebat enim, quòd, si eligeret Senatorem, diceret Senator, Dignitas mea electa est; si eligeret diuitem, diceret diues Opulentia mea electa est; si Regem, diceret Rex, Potestas mea*, &c. Et Humb. in spec. relig par. 2. lib. 5. cap. 6. *Qui Congregationi præest, nobilitatem animi nobilitati carnis præponere debet, cuius contrarium multum nocuit aliquibus monasterijs*. Et si dicatur, quòd nobiles sunt aptiores ad defendenda bona Religionis, vt dicitur in cap. Officij, de elect. & acquirenda noua temporalia iura, vnde, etiamsi essent minùs digni, quam alij, propter nobilitatis prærogatiuam essent præferendi. Respondet Trotr. de perf. cler. lib. 2. par. 1. requis. vlt. fine, quòd nullis vtilitas temporalis præponenda est spirituali, & Religiosus tantò noxior est, quantò nobilior, si est malus. Vnde Humb. loco cit. ait. *Et notandum, quòd bonorum temporalium defensio videtur fuisse occasio, quod in monasterijs nobiles alijs præferantur; decepti tamen in hoc fuerunt Prælati; plus enim nocent nobiles mali, & fatui, monasteriorum bona fatuè expendendo, quàm prosint, ea defendendo; plus enim grauant monasteria carnales eorum amici, quàm facerent inimici*. Vnde memini, risisse quemdam è nostris senioribus, interrogatum à quodam viro nobili, an Prælatus conuentus esset nobilis, an multos nobiles haberent in illo conuentu? Quod cum aduertisset nobilis ille, dixit seni, Quare rides Pater? qui respondit. *Fatuitatem mundanam video, existimantem, bonum Religionem indigere, cum tamen non indigeat, neq; nobilium, neq; diuitum, neq; potentum, sed solùm virtuosorum,*

D. Ambr.

D. August.

Humber.

Trottus.

Humb.

61. Dicò 2. cæteris paribus, nobiles secundùm communem vsum loquendi, etiam in Religionibus, iuxta dicenda, sunt præferendi. Ita Tiraq. de nob. cap. 20. num. 10. 11. vbi multos citat. vide etiam num. 1. & 2. & cap. 5. nu. 6. Cassan. in cat. par. 8. consid. 36. Felin. in cap. Cum adeò, de rescr. num. 6. Bald. in cap. Statuimus, de man. & ob. num. 2. Lamb. de iure patr. par. 3. lib. 2. quæst. 5. art. 9. num. 1. Videtur etiam esse huius sententiæ D. Thom. lect. 2. in cap. 1. epist. ad Hebr. quatenùs requirit in idoneitate ad dignitates, sapientiam generis nobilitatem, virtutem, seu potestatem. Ioan. de Selua de benef. par. 3. quæst. 7. num. 20.

Tiraq.

Cassan.

Felinus.

Baldus.

Lambert.

D. Thom.

Io. de Sel.

62. Probatur 1. ex iur. can. cap. Considerunda, dist. 86. cap. Statuimus, iuncta gloss. verb. Potiorem, de ma. & ob. cap. Grandi, de suppl. negl. Præl. in 6. facit cap. De multa, §. fin. iuncta gloss. verb. Sublime, de præb. cap. Dudum, el 2. de elect. & est tex. clarus in l. Honor, ff. de mun. & honor. & licèt hic tex. loquatur de dignitatibus secularibus, in quibus magis attenditur nobilitas, quàm aliæ virtutes, & alij textus canonici loquantur de beneficijs, & dignitatibus ecclesiasticis dandis presbyteris secularibus, in quibus nobilitas habetur in consideratione; vnde etiam aliqui iuristæ voluere, quòd nobilitas suppleat aliqualem defectum scientiæ, vt videri potest apud Tiraq. cit. nu. 10. puto tamen, quòd probent etiam in casu nostræ conclusionis, non ratione nobilitatis præcisè, sed ratione connexorum; nobilitas enim secùdùm Boet. lib. 3. de consol. prosa 6. *est quædam veniens de meritis laus parentum*: vnde necessitantur quodammodò nobiles non degenerare à parentum virtute. Quare Sophocl. apud Ant. ser. 64. fine, ait. *Turpe viuere turpe est ijs, qui honesto loco nati sunt*. Et Plato in Alcib. paulò post med. *Consentaneum est, meliores esse naturas nobili in genere: quàm ignobili, & necesse est, vt bene nati, si bene etiam educantur, ita demum ad virtutem perueniant*. Et Arist. 3. pol cap. 8. ait, quòd *ex melioribus oriuntur meliores, & nobilitas virtus generis est*. Et Ber. epist. 113. ad Soph. ait. *Minimè quidem Deus est acceptor personarum; nescio tamen, quo pacto virtus in nobili plus placet; an fortè quia plus claret? siquidem ignobilis, cum caret gloria, non facilè liquet, vtrum quia nolit, an quia non possit habere. Laudo factam de necessitate virtutem, sed plus illam, quam eligit libertas, non indicit necessitas*. Et Steph. Episc. Tornac. in bibl. PP. tom. 3. epist. 150. ait. *Generis claritas, etsi sola non sufficit, cum alijs proficit ad virtutem*. Necessitas autem illa in nobilibus imitandi parentum virtutes, & claritas illa, quæ in nobilibus virtuosis magis relucet, sunt aliquid boni, vt docet Pen. in l. Mulieres, col 4. Cod. de dignit. lib. 12. ergo etiam in Religionibus æstimanda sunt. Quare Deut. 1. dicitur, *Tuli de Tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos Principes, &c.* Et Eccl. 10. *Beata terra, cuius Rex nobilis est*.

Tiraquel.

Sophocles.

Plato.

Arist.

D. Bernar.

63. 2. Probatur; quia vbi nobiles in Religione per virtutem mortificationis, & humilitatis exuerint illud innatum superbiæ, & ambitionis vitium, de quo Aristoteles 2. rhetoric. cap. 15. solent communiter esse magnanimiores, magnificentiores, dociliores, affabiliores alijs, sic Religionem

per

per operas magnas, & arduas, quas, intentant, condecorant; largiùs de bonis monasteriorum fratribus dispensant; &, cum sollicitiùs, & delicatiùs sint educati, solent esse perspicacioris ingenij, & flexibiliores; vnde facilè omnibus se ingenijs accommodant; &, cum sint assueti cum nobilibus, & honoratis viris conuersari, inde est, quòd sunt in conuersationibus dulciores, & vrbaniores, & subditos semper vrbanè, & cum respectu tractant. Non nego tamen per hoc, quid non nascantur in alpestribus môtibus, & ex parentibus rusticis viri, qui digni sunt mundum regere, & è contrà in magnis, & opulentis ciuitatibus, ac ex nobilissimis parentibus alij, quibus nec gregis porcorum cura committi possit. Quæ si vis exemplis illustrare, adi Fulgos. memor. lib. 3. cap. 4. & videbis plurimos sordido loco natos, qui ad primas mũdi dignitates, regias, imperatorias, &c. conuolarunt: & multos etiam huiusmodi refert Maiol. canic. to. 4. colloq. 4. pag. mihi 308. & P. Greg. lib. 6. synt. cap. 4. num. 5. Tiraq. de nob. c. 4. n. 6. & Scrib. lib. 2. pol. christ. cap. 10. & si curiosè scire desideras, qui ex claris parentibus sordidi fuere, & viles, adi eumdem Fulgos. loco cit. 5. Nobiles itaq; etiam in Religionibus anteponendi, cœteris paribus, & etiam quando illorum electio futura esset in vtilitatem Religionis, vel Ecclesiæ, vt tradit Sigism. de elect. dub. 32. num. 5. & habetur in cap. Officij, de elect. & tradit etiam D. Bened. in sua reg. loco supra cit. num. 57.

Fulgosius. Maiol. P. Greg. Tiraq. Scribanus Fulgos. Sigismũd.

64. Circa 3. vnde attendenda sit nobilitas; Dicendum est, nobilitatem in Religionibus solùm esse attendendam penès virtutem, ita vt ille sit nobilior, qui est virtuosior. Tiraq. de nob. cap. 4. nu. 1. P. Greg. lib. 6. synt. cap. 4. n. 7. Platina in opusc. de nob. Maiol. tom. 4. canic. colloq. 4. pag mihi 306. Cassan. in cat. par. 8. consid. 28. Pen. in l. Mulieres, Cod. de dign. col 4. lib. 12. Boet. lib. 3. de consol. metro 6. Menoch. de arb. lib. 2. casu 67. num. 2. Petrar. de rem. vtr. fort. lib. 1. dial. 16. Contz. 8. pol. cap. 20. §. 2. & 5, Rang. in 1. Reg. cap. 2. vers. 30. Seneca epist. 44. Scriban. lib. 2. pol. christ. cap. 10. Campanil. in diuers. iur. rubr. 6. cap. 3. num. 31. Trull. in eluc. sui Ord. lib. 4. cap. 5. consid. 1.

Tiraq. P. Greg. Platina. Maiol. Cassan. Penna. Boetius. Menochius Petrarc. Contzen. Rangolius Seneca. Scriban. Campanil. Trullus.

65. Probatur 1. ex Scrip. & PP. 1. Reg. 2. *Quicumq; honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Sed contemnit Deum, qui virtutes non sequitur, ergo vitiosi ignobiles sunt, & consequenter virtuosi nobiles. Plura Scripturæ loca vide apud Bus. de stat. nob. cap. 2. in princ. Hier. ad Cel. *Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.* Chrysost. hom. 16. in cap. 9. epist. ad Rom. col. 9. fine. *Declarat*, inquit, *nobilitatem tum, quàm rars affert, nihil prodesse, sed animæ virtutem quærendam esse.* Naz. or. 11. num. 7. *Nobilitas est, quæ dam ratio, & virtus efficiunt, non genere, sed moribus designatur.* D. Thom. in Boet. lib. 3. de consol. prosa 6. *Melius est à patre ignobili descendere, & nobilem esse, quàm à nobili, & per vitia degenerare.* Et Anselmus de contemp. mun.

Busæus. D. Hieron. D. Chrys. D. Naz. D. Thom. D. Ansel.

Nobilis est, animi quisquis virtute refulget,
Degener est solus, cui mala vita placet.
Nec genus, at mores veneratur curia cœli,
Et cœlum sanctus, non generosus habet.

Plures PP. in hoc arg. refert. Bus. loco cit. Et Cresp. in summ. ver. Nobilitas. Crespetius

66. 2. Probatur ex iure can. & ciu. cap. Venerabilis, de præb. cap. Nos, qui præsumus; cap. Non loca; cap. Illud. autem, dist. 40. cap. Vndecumq; dist. 56. cap. Numquam, dist. eadem; cap. Vilissimus, 1. quæst. 1. ex l. ciuili plura citat Tiraq. loco cit. cap. 4. num. 1.

67. 3. Probatur ex Philosophis, & Poetis. Arist. 1. pol. cap. 4. ait, quòd *nullo alio, quàm virtute, & vitio differunt seruus, & liber, nobilis, & ignobilis.* Eurip. apud Stob. ser. 84. ait. Arist. Euripid. Stobæus.

De nobilitate parum laudis prædicare possum;
Bonus enim vir mihi nobilis videtur.
Qui verò non iustus est, licèt à patre meliore,
Quam Iuppiter sit, genus deducat, ignobilis mihi censetur.

Phalar. apud eumdem. *Ego*, inquit, *præter virtutem, nullam agnosco nobilitatem; reliqua verò causa fortunam existimo.* Seneca loco cit. *Non facit nobile atrium plenum fumosis imaginibus; nemo in nostram gloriam vixit; nec quod ante nos fuit, nostrum est; animus facit noblem*, &c. Et paulò ante refert dictum Plat. affirmantis. *Neminem Regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex Regibus.* Platina in lib. de nob. *Nobilitas est splendor quidem non aliunde veniens, quàm ex ipsa virtute.* Et Petrarc. loco cit. *Claritas non nascendo quæritur, sed viuendo.* Ouid. 1. de Pon. ep. 10. Phalaris. Seneca. Platina. Petrarc. Ouid.

Si modò non census, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos, ingenioq; facit.

Et Iuuen. saty. 8. Iuuenalis.

Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est, atq; vnica virtus.

Plura huiusmodi vide apud Stob. loc. cit. & Anton. ser. 139. Tiraq; cap. 4. num. 4. & 5. Scrib. loco cit. Bus. de stat. nob. cap. 3. Platin. Cassan. Contz. loco cit. Stobæus. Anton. Tiraq. Scrib. Busæus.

68. 4. Probatur ex eo, quòd omnes homines ab vno principio descendunt, vt dicitur Malach. 2. *Numquid non pater vnus omnium nostrum, numquid non Deus vnus creauit nos?* Et Hier. ad Cel. *Ex vno omnes generati sumus.* Thesp. apud Anton. ser. 139. *Maiorum nobilitate nequis insolentiùs se efferat; omnes limum habent generis authorem.* Et Petrar. loco cit. *Omnis propemodùm sanguis est concolor, sicubi fortè alter altero clarior inuentus sit, non id nobilitas, sed sanitas.* & Eurip. apud Stob. ser. 84. (dem vrigo Thespides. Euripid.

Peculiare nihil habemus, sed vna generis ex Nobiles, ac ignobiles produxit.

Ansel. loco cit.

Tu Reges atauos memoras, magnosq; parentes,
Et vana carnis nobilitate tumes.
Nescis confletam quòd sit communis origo
Nec fecus emergant Dauus, herusq; ferox.

Vide similia plura apud Boet. 3. de consol. metr. 6. Si ergo ex vno Adamo, & Eua ante diluuiũ & post illud, ex vno Noe, & vxore, ac filijs eius omnes nati sumus, & hoc de fide credimus, vnde tantus nobilitatis rumor, vt pauperes, & ignobiles, filij terræ; diuites, ac nobiles, filij cæli vocentur, quasi ex differenti specie materia creati sint; vel, si eiusdem speciei, longè tamen nobilissima diuites, vt de cœli materia cum Ar. disputant Philosophi. Sola itaque virtus nobiles ab ignobilibus discernat, vt in Religionibus sanctè obseruatur. Boetius.

Sylvester. Campanil. Tiraq. Ovid.

69. Ex his constat, quid dicendum sit ad titulum quæstionis, Si enim nobilitas in Religionibus non attenditur, sed ille solùm dicitur nobilior, qui est virtuosior, patet, quòd nobilitas defectum scientiæ nõ supplet: & in specie id docent Sylu. ver. Clericus 2. num. 1. dicto 1. fine. Camp. in diuers. iur. rubr. 6. cap. 3. nu. 30. Tiraq. loc. cit. cap. 5. num. 9. & cap. 20. nu. 16. & In Religionibus maximè attenditur doctrina Ouid. 13. met. dicta in persona Vlyssis, contendentis cum Aiace pro armis Achillis.

Sed neq; materno quod sum generosior ortu,
Nec mihi quod pater est fraterni sanguinis insons,
Proposita arma peto; meritis expendite causam.

§. 3. *Vtrum Prælatus fauere teneatur viris literatis.*

Gonzal. Mandos. Torres. Conizen. Patritius. Penna.

Videatur Gonz. ad reg. 8. cancell. Gloss. 4. à nu. 8. Mandos. ad reg. 32. q. 14. num. 30. Tor. phil. mor. princ. lib. 6. c. 3. Contz. lib. 4. pol. cap. 9. & cap. 14. & 15. Patr. de reg. lib. 2. tit. 5. Pen. in l. Omnea iudicer, col. 8. Cod. de decur. lib. 10.

Aristotel. D. Thom.

71. Noto 1. quòd homo naturaliter scire desiderat, vt docet Ar. 1. met. cap. 1. & hoc propter tria, quæ ibi affert D. Th. 1. quia vnaquæq; res appetit perfectionem suam, vt materia formam: cum autem intellectus, à quo homo est omne id, quod est, fit, secundùm se consideratus; omnia in potentia, nec reducatur ad actum, nisi per scientiam, inde fit, quòd vnusquisq; desiderat scientiam, sicut materia formam. 2. quia qualibet res naturalem inclinationem habet ad suam propriam operationem, sicut calidum ad calefaciendum; graue, vt moueatur deorsum; propria autem operatio hominis vt sic, est intelligere; per hoc enim ab alijs omnibus differt, vnde naturaliter desiderium illius inclinatur ad intelligendum, & consequenter ad sciendum. 3. quia vnicuiq; rei desiderabile est, quòd suo principio coniungatur, sic motus circularis est perfectissimus, quia finem coniungit initio; substantijs autem separatis, quæ vel per creationem, vt Deus, vel per illuminationem, vt Angeli, vel per motionem obiectiuam, vt transcendentia, sunt principia intellectus humani, homo non coniungitur, nisi per intellectum, & cognitionem ideo naturaliter homo desiderat scientiam. Cum ergo sapientiam, & doctrinam stulti despiciant, Prou. 1. sequitur, quòd ignorantes non sint homines, sed bestiæ, vnde illos Superiores, qui literas non fouent, sed persequuntur, non esse homines, sed bestias, secundùm Ar. & D. Th. sententiam dicendum est.

D. Thom.

72. Noto 2. quòd ignorantia est duplex, 1. est prauæ habituationis. 2. simplicis negationis. 1. est, quæ oritur ex voluptatibus corporalibus, vel pigritia, quando scilicet aliquis naturaliter bene dispositus ad discendum, per vitia tamen, voluptates, & pigritiã illam naturalem dispositionem peruertit, & remanet insipiens, & ex illis, qui scientiam præcipuè contemnunt, cum tanto erga literas odio, vt nunc insipientes esse peroptet. De his dicit Naz. in vita Basil.

D. Naz.

Multi, vellent omnes esse ignorantes, vt illorum ignorantia in communi lateat, ne ipsi deprehendi, aut ab alijs taxari possint. 2. vero ignorantia est, quæ oritur ex naturali impotentia ad discendum, vel à necessitatibus vitæ, vel statu præsenti; quando scilicet aliquis ex mala organorum dispositione, vel occupatus in negotijs vel propter paupertatem non habet commoditatem studendi. Illi vt sic non solent esse tam literis infensi, nisi etiam ipsi per vitia contraxerint malam illam habituationem.

D. August. Plato.

73. Noto 3. quòd ignorantium etiam sunt duo gradus: Vnus eorum, qui nesciunt, & se nescire sciunt; Alter eorum, qui nesciunt, & putant scire, de quibus Aug. relat. in cap. Quamuis, d. 38. & Plato 9. de leg. vbi ait, *duas esse ignorantiæ species, simplicem, duplicemq; Priorem, cum quod nescimus, non scire nos scimus: alteram, cum aliquis ignorans, non ignorantia solum implicitus, sed sapientiæ opinione.* Primi ignorantes sunt tolerabiles, quia, ex quocunq; capite ignorantia prouenerit, cum non se æstiment plus, quàm valeant, seq; ipsos cognoscant, non ignorantes dixerim, sed nescientes; vnde faciliè edoceri possunt, faciléq; acquiescunt doctorum dictis. Illi autem, qui se omnia scire existimant, verè ignorantes, & insulsi sunt; de quibus Ier. 10. *Stultus factus est omnis homo à scientia.* Et Apost. ad Ro. 1. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Cum namq; omnia scire se putent, studere, & ab alijs inquirere negligunt, & siquid congregauerunt, amittunt, & stulti fiunt. vt dicitur in cap. De Constantinop. d. 22. Et Cassiod. in præf. lib. 11. var. *Agnoscit profectò ingenium, nisi ingi lectione reparetur, citò expendunturi horrea, quæ assidua non fuerint adiectione fulcita: thesaurus ipse facilè profunditur, si nullis iterum pecunijs compleatur. Sic humanus sensus, cum alieno non satiatur inuento, citò potest vtiamueri de proprio.* Et Sen. de tranq. cap. 1. *Puto multos potuisse ad sapientiam peruenire, nisi putassent se peruenisse.* Ad quem loc. refert Lips. dictum Quintil. *Magnos perfectus frequenter perdit arrogans de se persuasio.* De his Mart.

Cassiodor. Seneca. Quintil. Martialis.

Vis dicam quid sis? Magnus es Ardelio.

D. Chrys.

Et de vtrisq; Chrysost. hom. 5. in ep. 2. ad Cor. *Qui plura sciunt, nõ sustinuerint, vt facilè discant; qui autem nihil sciunt, quæ dicuntur facilè admiserint: indocti, & imperiti magis persuadentur, quia non habent arrogantiam vt se putent esse sapientes.* Notentur versus apud Ar. 1. eth. cap. 4.

Arist.

Optimus ille, potest qui ex se cognoscere cuncta;
Ille bonus, monitis qui alterũ obtemperat æquis.
Ex se nec nouit, nec quæ bene consulit alter,
Percipit, admittitq; animo, est ignauus vterq;

German. Tor.

74. Dico 1. Prælati tenentur honorare viros literatos. Ita omnes DD. cit. num. 70. quibus adde Germ. de sacr. imm. lib. 2. cap. 4. num. 4. Rem exemplis illustrant Patrit. & Tor. Probatur; tum quia Sap. 8. dicitur, *Habeo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores, & facies Principum mirabuntur me.* Tum quia virtuti debetur honor, vt Ar. 4. eth. cap. 3. & D. Th. 2. 2. q. 63. ar. 3. corp. & q. 144. ar. 2. ad 2. Tum quia, vt ait Sen. apud Tor. loc. cit. num. 7. *Philosophiæ etiam apud pessimos honor est. nunquam tantũ conualescit nequitia, vt non philosophiæ nomen venerabile, & sacrum maneat.* Sic Dionys.

Aristotel. D. Thom. Seneca. Dionys.

Ille Syracusanorum tyrannus in magno pretio, & honore Philosophum Aristippum habuit, vt ait Patritius. Tum quia id non obscurè colligitur ex l. Semper, §. Quibusdam, de iur. imm. & ex l. Per hanc, §. Quidquid insuper, Cod. de aduoc. diuer. iud.

75. Sed aduerte, quòd iste honor consistit non solum in extrinseca reuerentia, sed etiam in illis fouendo in quibusuis occasionibus, eis benefaciendo, & plus, & prius, quam alijs, de bonis temporalibus monasterij, religiosè, & modestè attribuendo; ita tamen, vt alij non indigeant; merentibus enim conuenit virtutum merita tribuere; cap. Non loca, dist. 40. cap. Vulterranor. 12. q. 2. vbi Glossa ver. Locum; & qui magnos labores sustinet, magnis præmijs remunerari debet,

Patritius. Gonzalez.

vt multis probat Parisi. lib. 5. de resig. quæst. 3. num. 424. & Gonz. ad reg. 8. cancell. gloss. 9. nu. 24. & patet manifestè ex 1. ad Thes. 5. vbi dicitur. *Rogamus vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, vt habeatis illos* [in summo honore] *abundantius in charitate propter opus illorum*. Sed viri literati in vinea Domini laborant; cap. Super specula in fine de magist. & benefacientibus benefacere lex naturæ docet. Vlteriùs literati viri vltra beneficia honoris, &c. quæ in Religiones conferunt, eas etiam augent in bonis temporalibus; non enim dubitari potest quin viri seculares magis inclinent dare bona temporalia illis Religionibus, in quibus viri literati degunt, quam vbi non; vt patet experientia; & exemplis probant Tor. & Patritius. Et constat ex illo Eccl. 7. *Hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo*, idest id, quo sustentatur vita. Ad quod facit Auth. de hær. & falcid. §. fin. in fine. Ex quibus credo moti fuere Patres nostri, quando statuerunt in cap. Val. 4. num. 6. sub merito sanctæ obedientiæ, & pœna priuationis officiorum, quòd Prouinciales studentibus nullam inferrent molestiam, sed in omnibus eos haberent immunes; multum enim interest Religionis studiorum fauores ampliare, vt habet Gloss. in l. 1. Cod. de stud. lib. vrb. Ro. ver. Augeat. Quare, qui sapiunt, Superiores, amicitias virorum literatorum aucupantur; sic olim fecisse legimus multos Imperatores, & Reges, quos referunt Patritius; & Tor. loco cit. qui autem eos abijciunt; statim ignorantissimos se esse protestantur, vnde certum prognosticum mali regiminis ego semper habui, cum vidi, ignorantes Prælatos sibi consimiles Socios ascifcere.

Torrec. Patritius. Tor.

76. Aduerte hic etiam, quòd veri literati, de quibus loquor, sunt illi, qui cum literis habent virtutem coniunctam; nam literæ sine virtute inflant, vt ait Apost. 1. Cor. 8. cum charitate verò coniunctæ ædificant; quem locum explicans Aug. 9. de ciu. Dei, cap. 20. ait; *Quod rectè aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse, cum charitas inest; sine hac autem inflare, idest in superbiam inanissimæ quasi ventositatis extollere*. Et ex hoc colligit, dæmones ita inflatos esse, quasi sine charitate multam habent scientiam. Quod etiam experientia constat in hæresiarchis Luthero, Caluino, &c. isti quippè literati fuere; sed quia literas sine charitate habuere, euanuerunt in cogitationibus suis; & cum multum sibi fidebant, & piorum correctiones dedignarentur admittere, tot, tantaque malorum semina in Ecclesia Dei seminauere. Quare ait Chrysost. hom. 40. *Nihil tam possibilius, quàm illum corrigere, qui malus fuit, & tamen consentiens bonum, diligit malum*. Loquitur verò de viro literato, qui cum literis charitatem habet, ait hom. 1. ad popul. Antioch. in hoc. *Sufficit vnus homo fidei zelo succensus totum corrigere populum*. Vnde constat, quam multum allucinentur ij, qui, cum valde studeant, multasque congregent literas, populi auram in disputando de abstrusissimis theologiæ scholasticæ quæstionibus obtineant, sibi deberi de iustitia putant omnem honorem, omnem fauorem, & omnem dignitatem, cum alioqui licentiosè, & irreligiosè viuant; tantum enim abest, vt illis hi debeantur gradus, vt existimem mortaliter peccare qui conferunt; isti enim sunt indomabiles, & incorrigibiles, vt dicebat Chrysost. vnde illis dignitates conferre, non est aliud, quàm igni ligna addere, & furioso dare gladium, quo suos necet benefactores: non cognoscunt enim, quando sunt in dignitate, quem quam, omnia suis meritis attribuunt; Ego feci me ipsum, prædicant: ad quod aduertant electores; præstat enim, vt notat Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 23. num. 125. eligere Superiorem minùs literatum, sed humilem, quàm magis literatum, sed superbum, qui nolit intelligere, vt bene agat. *Vt enim non ij*, ait Laer. in Ar. *qui plurimum comedunt, & exercentur, melius valent ijs, qui modicè; ita non qui plurima, sed qui vtilissima legerint, docti censendi sunt, & studiosi*. & Sallust. in Iug. *Earum mihi placent ea bona, quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt*. Et Cic. 1. de off. *Quidam nimis magnum studium, atque operam in res obscuras, ac difficiles conferunt, easque non necessarias*: quæ autem, adde, necessaria sunt, vt humilitas cordis, prætermittunt. Cum istis loquitur Aug. 10. de ciu. cap. 29. *Videtis vtcumque, etsi de longinquo, etsi acie caligante, patriam, in qua manendum est; sed viam, qua eundem est, non tenetis*.

D. Chrys. Lessius. Laertius. Cicero. D. August.

77. Ex dictis colligo, non esse ab his viris, qui literas sine pietate possident, discendum; *Bonum est enim tibi*, vt dicitur Marci 9. *luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis*: & scias, quòd solum is, *qui fecerit voluntatem Patris mei, cognoscet de doctrina mea*, Io. 7. Nec te demulceat suauis loquentia in dicendo, facilitas in docendo, subtilitas, & promptitudo in respondendo, claritas in explanando, si periculum sit, ne moribus peruersis, malisque exemplis inficieris; nam nec in aureo quidem poculo expedit venenum bibere. Et Apost. ad Rom. 16. ait. *Per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium*. Et Prou. illud, *Visio, sed à doctis*. Et illud.

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos.

Intellige de doctis, & pijs. Et caueant bene Prælati, ne munus docendi tribuant, quibus cum literis non sit coniuncta pietas, vt etiam monuit tom. 2. p. 1. in const. 2. Iul. II. num. 21. quòd si alij non adsint, præstat habere subditos pios, & literarum inscios, quàm literatos, & vitiosos, in cœlum enim admitti sine doctrina possumus, sine pietate non possumus. Vnde Religiosè multum R. P. Aegidius Camart nostri Ordinis Generalis, dicebat. *Maledictum*

lectum studium, quod impedit devotionis fervorem. Digna tanto Patre sententia, aureis litteris in quolibet studiorum conuentu describenda. At, inquiunt aliqui, Rosam sumam, & cauebo spinam. Sed difficile incautæ, & æstuanti iuuentuti; periculum, si adest, vitandum, perit qui amat. In Domino, aiunt, confido. Lætor, sed noli tentare. A vitijs, etiamsi aliquo inquiner, cum gratia Dei me liberare possum; at, si hanc perdo commoditatem studendi, eam amplius habere non potero. Hæ malorum Christianorum, non Religiosorum sunt excusationes. Ergo ne licebit tibi malum facere, vt litteras addiscas? & quis te certificauit, quòd poteris à vitijs liberari? cum dicat Sapiens, *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea*. Et quo stipulante notario se obligauit Deus, ad tibi pro tuo libito hanc, qua liberteris, gratiam concedendam.

78. Colligo etiam, posse tuta conscientia, immò debere Prælatos regulares, quos nouerint subditos corruptissimæ indolis, à studijs amouere; cum ex eis vix aliud sint reportaturi, quàm ampliorem solertiam in excogitandis, perficiendisq; nequitijs. Immò, inquies, isti sunt magis in studijs exercitandi; cum enim inclinentur ad malum, occupatione studiorum naturam emendabunt. Fateor, si pariter crescat in eis scientia, & pietas; seu saltem si quò plus scientiæ acquirunt, eò plus de malis moribus perdunt; sed, si hæc non appareant, omnino amouendos censeo; est enim in ignem insufflare, & iolle omnium vitiorum ventos premere, & equo currenti calcaria addere, ac veluti si ebrietatem patienti generosum vinum potandum tribues. Quod in nostro Ordine est expressè mandatum Prouincialibus cap. Paulæ, num. 18.

79. Collige etiam, non esse à Prælatis ad studia admittendos, quos stolidos natura nouerint. Tum quia locum occupabunt magis vtilium. Tum quia tempus perdunt, & contra conscientiam fruuntur gratijs, & priuilegijs studentium: ait enim Salom. Prou. 27. *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius*, & *Petrar.* Petrar. de remed. &c. lib. 1. dial. 41. *Omnes, qui sunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari non posse vnum ingenium accendere, nisi aliquæ intùs in animo scintillæ sint, quæ praeceptoris spiritu excitatæ, & adiutæ, generosum disciplinæ fomitem arripiant, alioqui algidum in cinerem nequidquam flabis*. *Nazianz.* & Naz. in carm. ad Nicob.

Quid prodest asinis auri gestare talenta?
Auro namque, & nummis oneratus asellus,
Mero rudis tamen ipse fuit.

Exercendi itaque hi sunt in alijs operibus manualibus, eos enim docere nihil est aliud, quàm Aethiopem lauare, asinum tondere, & in arena seminare. Nec hic valet illud Iob. 14. *Lapides excauant aquæ* nec *Damasc.* Damasc. parall. lib. 3. cap. 58. *Gutta continua lapidem excauat*. nec *Ouidius* Ouid. 4. de Ponto, eleg. 10.

Gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo:
Gutta cauat lapidem, consumitur annulus vsu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Tum quia excauari non sinit propter libertatem arbitrij. Tum quia, esto sineret, non præstat cum tanto Religionis incommodo, & aliorum studentium detrimento. Tum quia ait quidam Poeta.

Indocile ingenium si pergis velle docere,
Infelix operam perdes.
Desine, nam nunquam ars naturam vincit; equusq;
Nusquam ex degenere fiet generosus asello;
Et nunquam e stolido cordatus fiet in arte.

80. Dico 2. tenentur Prælati studentibus, Lectoribus cæterisq; literatis viris, qui pro bono publico student, & laborant, aliqua priuilegia religiosa concedere, vt faciliùs, & commodiùs id facere possint. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti; inter fauores enim numerantur priuilegia, & dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 30. concl. 7. Et Coutz. 4. pol. cap. 14. & 15. *Coutz.* refert ex Rebuffo 180. priuilegia concessa à summis Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus, viris literatis. In Religionibus varia sunt, secundùm vniuscuiusq; viuendi modum. Quæ in Ordine nostro, videre poteris cap. Bonon. 1. num. 17.

81. Dico 3. tenentur Superiores studiosis aliquas honestas recreationes concedere, immò renuentes cogere. Ita D. Tho. 2. 2. q. 168. art. 2. *D. Thom.* A. Gabr. comm. op. tom. 1. tit. de relig. & sumpt. *A. Gabr.* num. 3. ver. Sunt etiam aliqui; & dixi tom. 1. huius op. loco cit. ver. Quare debent. Probatur: Tum quia cùm humana mens limitatas, & finitas vires habeat, nisi quiesceret, frangeretur. Tum quia ait Apul. lib. 1. de mag. quòd *Apuleius.* *continuatio literati laboris omnem gratiam à corpore detergit, habitudinem tenuat, succum exsorbet, calorem obliterat, vigorem debilitat, tristitiam parit*, quæ naturam corrumpit, vt ait Arist. 3. eth. *Arist.* cap. 11. Tum quia Arist. 4. eth. cap. 8. ait. *Requies, & iocus in vita esse necessaria videntur*. & 10. eth. cap. 6. *Cum nequeant homines assiduè operari, requie indigent*. Et Aug. 2. de musica, cap. 12. *Volo* *D. August.* *tibi parcas; & apertum ire per auras animum permittas, nam sapientem interdum remittere mentis aciem rebus agendis decet intentam*. Hic congruit vetus illud. *Festina lentè*. Et illud, *Canis festinans cæcos parit catulos*. & Pythagoras in symb. *Cor non edito*, idest curas abijce aliquando. & Ouid. *Ouidius.*

Quod caret alterna requie, durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaq; membra leuat.

Et Cato,

Interpone tuis interdum gaudia curis.

De vtilitate, & necessitate harum recreationũ fecit tractatum Nigr. in ascet. quem videbis c. 1. *Nigr.* 2. & 3. & quomodò Prælatus in ijs se gerere debeat, vide apud Scrib. in Super. relig. lib. 2. *Scriban.* cap. 16. & 17. Si ergo Prælatus tenetur necessaria suis subditis tradere, & hæ recreationes sunt necessariæ, has dare debet.

82. Si quæras, quænam dicendæ sint honestæ recreationes, quas concedere tenetur Superior viris studiosis. R. Nemes. Episc. Emissen. in *Nemesius.* bibl. PP. tom. 2. G. L. pag. mihi 516. quòd simpliciter illæ honestæ esse voluptates putandæ sunt, *Quæ non sunt implicatæ dolori, neq; pœnitendi causam afferunt, neq; vllo alio detrimento afficiunt eos, qui perfruuntur, nec vltra modum progrediuntur; neq; nos multum à grauioribus negotijs abstrahunt, aut sibi seruire cogunt*. D. Th. loc. cit. has recreationes iustificat cum tribus conditionibus,

1. quòd

2. quòd delectatio, quæ in his prætenditur, non quæratur in operationibus, vel verbis turpibus aut nociuis. 2. quòd grauitas animæ totaliter nō resoluatur. 3. quòd recreatio congruat personæ, tempori, & loc. Vt autem sciatur magis in particulari, quænam sint recreationes licitæ, sit.

§. IV. *Quanam sint recreationes, quas possunt, & tenentur Prælati regulares suis subditis, præsertim studiosis, concedere.*

83. NOTA, quod Religiosorum recreationes possumus considerare, vel in conuentibus, vel extra illos. In conuentibus sunt duo genera recreationum 1. est recreationum ordinariarum, quæ fiunt quolibet die, hebdomada, vel mense. 2. extraordinariarum, quæ semel, vel bis ad summum in anno. Et similiter extra conuentus habent ordinarias, & extraordinarias. Recreationes ordinariæ, & quotidianæ in conuentibus, sunt religiosa illa colloquia, quæ à Prælatis conceduntur post quamlibet comestionem; ludi, quibus, in die intra singulas hebdomadas feriato, studentes, Superiore mandante, se dedunt: Extraordinariæ in conuentibus tempore vacationum brumalium sunt religiosæ repræsentationes spirituales, aut morales: In vacationibus æstiuis fiunt hic Genuæ à singulis studentibus theologiæ sermones. Extra conuentum concedi solent singulis quibusq; mensibus, vel quindecim diebus, deambulationes per montes, & campos, & sunt recreationes ordinariæ. Extraordinariæ autem sunt, ter, aut quater in anno ire ad aliquam villam, vel conuentum vicinum primo mane, & non reuerti, nisi de sero; & aliquando in loco recreationis, si adest ibi conuentus, remanent duobus diebus, & has vocant nostri studentes recreationes magnas, quæ tamen rarò concedi solent. Nunc de his singulis aliquid breui dicendum est. Sed priùs, monendum id, quod dicit Arist. 10. eth. cap. 6. *Ludere vt serio agas quispiam, videtur rectè se habere; quippe cum ludus requiei similis sit.* Ad quem locum ait D. Thom. *Videtur rectè se habere, quod aliquis ludat ad horā ad hoc quod postea diligentius studeat. Quia in ludo est quadam relaxatio, & requies.* Itaque his recreationibus debent vti vt viatores, qui quiescunt, vt surgentes velociùs currant; & vt portitores, qui onera deponunt, non vt deponant, sed vt faciliùs ferant. Ad quod facit illud Pythagoræ. *Onus simul tollito, non simul deponito,* quo docemur, onera studiorum non deponenda per recreationes, sed releuanda. [Arist.] [D.Thom.]

84. Primo ergo quotidiana illa colloquia post comestionem debent esse iucunda, sed religiosa. Ait enim Arist. 8. pol. cap. 5. quòd *iocus gratia requietis est, ac requietem necesse est esse iucundam; est enim medicina molestiæ illius, quæ per labores suscipitur; & ratio degendi non solùm honestatem habere debet, verum etiam voluptatem.* Et Basil. in const. monast. c. 13. *Cæterùm,* inquit, *si vsus etiam incideris aliquando, vt remittenda aliquantulùm tristitiæ causa, sermone ad hilaritatem excitemur; Enim verò danda omnino opera est, vt spirituali lepore referta sit oratio nostra, & Euangelico sale condita, vt rectè, quæ interius sit sapientiæ, gratum foras odorem aspiret, dupliciterq; auditorem, & animi relaxatione, & intelligentiæ festiuitate delectet.* Absit in primis ab illis colloquijs de rebus philosophicis, aut theologicis, quæ in scholis tractantur, disceptatio; hæc enim grauat, non subleuat animum, tristitiam, non lætitiam, gignit: absit etiam pertinax cuiuscumq; rei contentio, quæ clamores sine vtilitate excitat; sed *disceptatio,* si interceda *, sit sine ira,* vt ait Ambr. 1. de off. cap. 22. *suauitas sine amaritudine, monitio sine asperitate, & hortatio sine offensione.* Sint itaque illa colloquia de dictis, & factis illustrium virorum nostri Ordinis, de Religionis progressu, de Deo, de Sanctis, de rebus diuinis, de obseruatione regulæ, de virtutibus acquirēdis, vitijs extirpandis, de tētationibus superandis, de remedijs adhibendis; his enim nutritur charitas, deprimitur superbia, custoditur humilitas, augetur deuotio, & bene operandi desiderium excitatur. Iucunda etiam erunt, si religiosis salibus sint condita. V. G. dicēti aliquādo quòd vita quadragesimalis vitam abbreuiabat, quia sal naturam corrodit, dixi, Immò sale condiuntur carnes, vt longiùs conseruentur. Et alteri interrogāti, an in illo monasterio fratres conseruarentur sani? Equidem, respondi. Et quomodò, respondit ille, cum tanta vitæ asperitate? Electuario, dixi, quod faciebat noster Corrector. Et cum iterum interrogasset, quodnam illud esset? respondi, Dieta. Et cuidam grauibus tentationibus laborāti, & interrogāti, quomodò non consentiret? Herbam me illi daturum promisi, quam dum secum ferret, consētire non posset, etiamsi vellet; anhelanti vt darem, dixi, Hæc herba timor Domini est. Et alteri interroganti, quid prandebimus, Pater, hoc mane? More Regum, respondi, mensa peto. Et replicanti, quisnam esset ille mos? dixi, Numquam sciunt, quid sint comesturi. His, & similibus salibus condienda sunt claustralium colloquia; non salibus, sodalem præsentem, vel absentem mordentibus. Contra quos Sen. de tranquil. cap. 4. *Quidam vrbanitatem nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus.* obliti illius Publij sententiæ, *Amicum lædere ne ioco quidem licet.* Et alterius. [Arist.] [D.Basilius] [D.Ambr.] [Seneca.]

Quare tolle iocos, non est iocus esse malignum;
Numquam sunt grati, qui nocuere, sales.

Et Sen. epist. 15. de se ipso loquens, ait. *Auersissimus ab istis sum: si quando fatue delectari volo, non est mihi longè quærendus, me video.* Lege Iustin. lib. de discipl. mon. conuer. cap. 15. vbi ait, *In omni loco, & tempore adhibeant oris custodiam, & præcipue cum humanitatis gratia simul congregantur, tunc nihil indiscussum proferant, sed, quod ædificet, loquentur.* Possunt tamē opportunè dici aliquando quædam verba ridiculosa, vt ait idē Iust. ibid. paulò infrà. *Sunt tamē multa verba, quæ in se ridiculosa, & vana esse videntur, quæ interdū prudenter, & opportuno dicuntur tempore, vel pro propria subleuanda fragilitate, vel proximorum amouenda tristitia. Hæc nempe talia ab infirmis mentibus nequaquam redarguenda sunt, quia vitiosa non sunt: plerumq; huiusmodi magis fructificant, quàm spiritualia, & diuina. Non autem in consuetudinem deducenda sunt sub intentione subductionis, sed rarò suo loco, & tempore pronuncianda.* [Iustin.]

Vt si

Vt si non grauiter infirmo, in lecto tamen decumbenti, eum visitando, dicas. Et ego soleo aliquando sic ægrotari, vt visitêr à sodalibus, & delicatiùs nutriar à Prælato: & tacto pulsu, dicas; Confide, non morieris hac infirmitate. Et sternutanti dicas, Surge citò, iam non es infirmus.

85. 2. In conuentibus studiorum solet vnaquaq; hebdomada concedi studentibus dies recreationis, quem paripatericum dicunt. Illo die studentes ludis honestis, & religiosis, aptis ad animum relaxandum intendunt. De his ait *Cicero.* Cic. 1. de off. *Ludo, & ioco vti quidem licet, vt somno, & cæteris quietibus ita, si grauibus, seriisq; rebus satisfecerimus.* *Seneca.* Et Sen. de vi. be. c. 12. *Miscenda sunt recreationes vitæ, tamquam ludus, & iocus inter seria.* Et nota, quòd ludus est sal, saccharum, & sol recreationum omnium. Sal, qui condit; saccharum, quod dulcorat; sol, qui illuminat: sine ludo enim insipidæ, amaræ sunt recreationes omnes. Quod accidit, tum propter naturæ inclinationem, auctam per consuetudinem ab ineunte ætate. Tum propter victoriam, quam ex ludo speramus. Tum propter quietem, quam animo affert. Qui autem ludi in particulari sint liciti, qui non, dicam §. sequenti.

86. 3. In diebus vacationum brumalium dicebam posse fieri à studentibus religiosas aliquas repræsentationes de vita alicuius Anachoretæ, de pœnis Inferni, de miserijs huius vitæ, seu de alia materia morali. Atq; ita id docet *D. Thom.* D. Tho. 2. 2. quæst. 168. art. 3. ad 3. & quæst. 167. *Richardus* art. 2. ad 2. Richard. in 4. dist. 16. art. 3. quæst. 1. *Durandus.* vbi Dur. quæst. 5. *Argentin.* Argent. quæst. 1. art. 3. qui approbant non solum repræsentationes de Sanctis, sed etiam indifferentes, quando sunt necessariæ pro animis pœnitentium Religiosorũ *Angelus.* relaxandis. Ang. ver. Ludus, num. 2. *Conizen.* Contz. 3. pol. cap. 13. § 7. *Raynaud.* Raynaud. de virt. lib. 6. cap. 10. num. 204. §. Non omne theatri. Sunt enim hæ repræsentationes specula vitæ, & imagines veritatis. Præterea iuuenes hic memoriam exercent, dicere in publicum assuescunt, agilitantur ad actionem membra, & sic illa dulcedine allecti, vacando, non vacant, &, non studendo, student. Nec hæ prohibentur in cap. Cum decorem, de vita & hon. cler. vt Glossa ibi, ver. Monstra laruarum: & Gloss. in cap. His igitur, dist. 23. ver. Non spectaculis. Nec in cap. Non oportet, el. 2. de consecr. dist. 5. nec in cap. Presbyteri, dist. 34. Nec in Trid. sess. 22. de refor. c. 1. *D. Bernar.* Nec de his loquuntur Ber. ser. de conuer. ad cler cap. 22. quando ait. *Cæterùm vana spectacula, rogo, quid corpori præstant, quidue animæ conferre videntur?* *D. Basilius* Nec Basil. serm. de leg. lib. gen. *Oportet nec oculos spectaculis, nec vanis præstigiatorum ostentaculis tradere, nec per aures corruptricem animarum melodiam audire;* *D. Chrys.* Nec Chrys. hom. de Dau. & *Clem. Alex* Sau. to. 1. Nec Clem. Alex. 3. pædag. cap. 11. *Prohibeantur spectacula, & acroamata, quæ nequitia, verbisq; obscœnis temerè profusis vana sunt.* Sed solum à sacris canonibus, & SS. PP. prohibentur Religiosi interesse vanis, obscœnis, & turpibus spectaculis, vt dicunt Glossæ in dictis locis; & manifestè constat ex cap. Presbyteri, d. 34. In ijs enim solùm dicta turpia spectacula vetantur, ergo honesta, & modesta approbantur; eo enim ipso, quòd negatur vnum, cætera conceduntur, cap. Qualis, d. 25. Potest etiam eo tempore honestè saltari, absq; motione turpi corporis, & modò seculares absint; nulla enim in hoc videtur deformitas. Non tn se; quia Dauid etiam Rex saltauit ad gloriam Dei, 2. Reg. 6. nec ab extrinseco, vt suppono. Et hoc concessum esse videtur in Concil. Senon. c. 25. apud Cresp. *Cresp.* in summ. ver. Ludus, vbi dicitur, *Non se admisceant clerici choreis publicis, tripudiationibus, aut saltationibus* Et eo ipso quòd publica vetatur saltatio, conceditur secreta, vt constat ex dicto cap. Qualis; & docet expressè Ang. ver. Ludus, *Angelus.* num. 2. dicto 4. Ant. Gabr. comm. op. to. 1. tit. 29. *A. Gabr.* de relig. & sumpt. fun. num. 2. ver. Et hinc est. Plus tamen laudandum videtur exercitium illud concionum, quod fit in vacationibus æstiuis; cum enim prædicare sit proprium Religiosorum mendicantium, vtilitati proximorum incumbentium, ibi prædicandi modum addiscunt, prædicare assuescunt, discunt etiam modum ludendi sacræ Scripturæ. Et præterea, cum plures sint studentes, vnusquisq; habet, quod reprehendat in socio, & emendet in se. Vnde vbi cursum theologicum consumauerint, tutò possunt mitti ad prædicandum populis iuxta talentum.

87. 4. Singulis quibusq; 15. diebus, vel singulis quibusq; mensibus conceduntur studentibus recreationes extra conuentum, in quibus omnes cum morum Magistro, vel alio ex senioribus conuentus procedunt statim à prandio per istos vicinos montes. Quæ quidem recreatio, & animis, & corporibus studentium maximè solet esse solatio; cum enim totis diebus, & noctibus occupentur, vel in seruitio chori, vel in studijs, vel alijs domesticis exercitijs ad temporis mensuram, ita defatigantur, vt, nisi his deambulationibus refocillentur, non dubitandum sit, quin breui oneri concedere cogendi sint. Quare etiam has deambulationes laudauere summi Pontifices Clem. VIII. Paulus V. Greg. XV. Vrb. VIII. vt constat ex const. to. Vrb. VIII. in tom. 2. nostr. priu. §. 97. & esse Religiosi necessarias, dixit Bonau. in q. circa *D. Benedi.* reg. Frat Min. quæst. 6 *Vt infirmi refocillentur, sani conseruentur, & lassi in spiritualibus studijs recreentur.* In his deambulationibus possunt de rebus varijs loqui, honestis tamen, & religiosis, &, cum ad omnimodam solitudinem secesserint, ludendo honestis ludis, & canendo psalmos, vel alios canticos spirituales, seu morales, se exercere; ludi enim multum lætificant, vt iam dixi. Quòd verò multùm etiam lætificet musica, & cantus, dicit Eccl. cap. 40. *Vinum, & musica lætificat cor.* Et Arist. 8. pol. cap. 5 *Musicam omnes fatemur esse ex iucundissimis, siue nuda sit, siue cum modulatione. Inquit profectò & Musæus, carmen dulcissimum esse mortalibus; quapropter & ad cœtus familiarum, & ad vitam in otio degendam rationabiliter illam recipiunt, vt potentem lætitiam afferre.* *Arist.* De Musicæ vtilitate plurima Mersen. in cap. 4. Gen. vers. 21. *Mersen.*

88. 5. Bis, aut ter in anno procedunt iuuenes in aliquem conuentum viciniorem, ibiq; permanent per duos, aut tres dies, seu ad aliquam villam recreationis, & discedunt summo mane, & reuertuntur sero. In istis recreationibus colloquendum, ludendum, cantandum, saltandum, iuxta dicta, Sed monendus est Magister 1. vt

non

non permittat, vllum extraneum ibi interesse; tum quia adimitur libertas, non enim potest modesta iuuentus, spectantibus extraneis, ea facere, quæ alioqui illi licita essent. Tum quia seculares, qui putant, Religiosos non esse homines, sed angelos, solent in multis offendi: & quò magis spirituales, atq; amiciores sunt, eò magis secludendi, spirituales enim delicatiores habent aures, & oculos, faciliores q; sunt ad offensionem; amiciores verò præbent interdum Religiosis ansam maioris libertatis. Et hoc omnino prohibetur in concilio Senon. cap. 25. apud Cresp. ver. Ludus: & docet Host. in sum. de excess. præl. §. Licet tamen. 2. monendus est Magister, vt iuniores præsertim numquam sinat sine sua, vel sui substituti, vel alterius senioris præsentia, qui vel aspectu, vel auctoritate eos contineat in officio. Ita Nigr. in tract. de an. relax. cap. 14. nu. 84. 3. monendus est, vt primo mane ante omnia cum iuuenibus recitet diuinum officium vsq; ad vesperas exclusiuè; deinde celebret, vel celebrari curet missam, cui omnes intersint; inde poterit ad deambulandum per villam cum illis procedere. Moneo etiam, vt semper pares in ætate cum paribus vniat, tum in deambulando, tum in ludendo, tum in canendo, tum in comedendo, &c. ætatis enim paritas pares parit mores; vnde quietiùs omnia succedunt. Moneo denique, quod priùs monuit Clem. VIII. cit. num. 87. vt in his recreationibus notet Magister iuniorum mores, vt remedijs curare possit, nam hic magis, quam vmquam, se latentia bonorum, atq; malorum semina produnt, & in amica sibi prono cursu, cum suæ relinquuntur naturæ, feruntur: cum enim nondum dissimulare didicerint, pecorum more in optata proruunt, vt Lyricus de ar. poet.

Crespetinus. *Hostien.* *Nigron.*

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram.
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

§. V. *Qui ludi dicendi sunt honesti, & liciti, vt Religiosis concedi possint.*

D. Thomas. *Nigron.* *P. Greg.* *Patritius.* *Ab. Alex.* *Tiraquel.* *Vancius.* *Chauass.*

89. IDE D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 3. & 4. Nigr. loc. cit. c. 14. num. 86. P. Greg. synt. iur. lib. 39. cap. 3. & 4. Patrit. de reg. tit. 9. 10. 12. Ab. Alex. lib. 3. gen. cap. 21. vbi Tiraq. Vanc. de discipl. cler. lib. 4. tit. de lud. Chauass. de ver. prud. lib. 4. cap. 7. §. 5.

D. Thom. *Durand.* *Richardus* *Argentin.* *Arist.*

90. Dico 1. licitum est Religiosis ludere ludis honestis, modo tamen, & tempore congruo. Ita D. Thom. loco cit. art. 2. Duran. in 4. d. 16. quæst. 5. vbi Richard. art. 3. quæst. 1. Argen. q. 1. art. 3. Probatur, tum ex Scrip. Eccl. 3. vbi dicitur. *Tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi*, non enim Scriptura approbaret post fletum, & planctum, idest post opera laboriosa, tempus ridendi, & saltandi, idest moderatæ iucunditatis, atq; recreationis, nisi in ludis huiusmodi posset esse aliqua virtus. Tum ex Arist. 4. ethic. cap. 8. vbi dicto modo ludere ait pertinere ad virtutem eutrapeliæ: & 2. eth. cap. 2. ait. *Nam ob quæ oportet, & sicut oportet, lætari, & dolere, ad virtutem spectat*: Et multa exempla sanctorum virorum, qui huiusmodi honestis ludis lusere, affert Iustin. in Tob. cap. 3. ver. 17. docum. 1.

Iustinian. *D. Thom.* *D. Thom.* *Caietanus.*

91. Dixi, modo, & tempore congruo; quia si quis ludat etiam ludis licitis, pro aliquo tamen tempore prohibitis a Superiore, peccat, quia delectationem ludi præponit dilectioni diuinæ contrafaciendo præcepto Superioris. Ita D. Th. loco cit. art. 3. corp. Quod peccatum potest esse mortale, & veniale, iuxta modum, quo à Superiore prohibitus est ludus; & iuxta ea, quæ ex tali ludo consequuntur. Si quis etiam vel plus ludat, vel maiori affectu, quam recta ratio dictat, peccat venialiter; quia in his excedere, quæ a recta ratione diriguntur, peccatum est, vt docet D. Tho. loc. cit. Similiter qui luderet tempore passionis dominicæ, vel in Ecclesia, vel in claustro, ita vt posset audiri, vel videri à secularibus, peccaret saltem venialiter, quia hæc contra rectam rationem sunt. De his circumstantijs vide Caiet. ad locum cit. D. Thom. ad 3. dub. qui notat art. 2. quòd peccant Prædicatores, qui inter prædicandum recreationis gratia dicunt aliquod verbum ridiculum; quod intellige, si passim id affectent, vt aliqui, qui magis histrionum, quàm Prædicatorum partes agunt.

D. Thom.

92. Dico 2. potest Superior præcipere tempore recreationum subdito nolenti ludere, vt ludat, & nolenti stare ad videndum, vt stet. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 168. art. 4. corp. Probatur; quia non ludere modo, & tempore congruo, vitiosum est, cum sit contra rectam rationem, quòd aliquis se onerosum exhibeat, recreationem aliorum impediendo, nolendo ludere, vel videre. sed potest Prælatus omne vitiosum tollere; ergo.

Farinac. *Valentia.* *Nauar.* *Crespetinus.* *Maschar.* *Barbosa.* *Molina.* *Menochius*

93. Dico 3. non possunt Religiosi in dictis recreationibus ludere aleis, absq; mortali, etiam ioco, propter scandalum, & periculum infectionis. Ita Farinac. to. 3. prax. crim q. 109. num. 98. Per aleas intellige eos ludos, qui magis nituntur casu, & fortuna, quàm industria, & arte, vt ludos taxillorum, follorum, seu chartarum. Ita Val. tom. 3. disp. 5. quæst. 6. p. 5. col. 31. vers. Ratione autem; Nau. in summ. cap. 10. n. 6. P. Greg. loco cit. cap. 3. num. 14. Probatur; tum ex cap. Episcopus, dist. 35. & cap. Clerici, 2. de vit. & honest. cler. vbi prohibentur Religiosi etiam dictis ludis interesse; quod etiam præcipitur in concil. Senon. cap. 25. apud Cresp. verb. Ludus. Et in 6. Synod. Constant. c. 50. iubentur lusores alearũ excõmunicari, vt refert P. Greg. loco cit. nu. 11. quæ omnia confirmatur in concil. Trid. sess. 22. de reform. cap. 1. Tum ex lege Solent, ff. de aleæ lus. & aleat. & auth. Alearum lusus, Cod. de relig. & sumpt. fun. Tum quia ludentes huiusmodi ludis censentur infames, vt probat Mascard de prob. concl. 998. Barbos. de off. episc. par. 1. alleg. 43. num. 11. & cap. Inter dilectos, de excess. præl. nu. 3. Mol. tract. 2. de iust. disp. 159. fine. Menoch. de arb. lib. 2. cas. 399. num. 3. & const. ex cap. Inter dilectos, de excess. Præl. & de his vagatur versus.

Infamis semper, semper egenus erit.

94. Et si vis scire, quot, & quanta mala oriantur ex huiusmodi ludis, adi Speculum fatuor. turba 77. Raum Inuectiua 20. & 21. Busæum in pan. ver. Ludus aleæ. A. de Gueuara. lib. 4. ep. ad D. Gar.

D. Garcia. Manriq. Spelta. Paßnus. Hostien. D. Anton.

ad. D. Garciam Manriq. & Spelt. lib. 2. fatuit. cap. 9. & Passum disc. 7. de hominum sordibus; & Host. in sum. de excell. Præl. §. Clericus, n. 4. vbi 16. enumerat crimina, quibus inquinatur lusor. Et Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 23. §. 6. multa dicit contra lusores: & 1. quòd non est aliud vitiũ, quod reddat homines ita infames, & abominabiles, sicut ludus. 2. quod lusores christianitatem vituperant. 3. quòd lusores vituperantur ab hominibus propter multa scelera enormia, quæ reperiuntur in ludo, & ipse enumerat triginta vnum. 4. quòd lusores largiuntur ad præceptum taxilli, quod non largirentur ad præceptum Dei. 5. quòd tot sunt in taxillis scelera, vnum peius altero quot puncta. 6. concludit sic. *Non debes ergo dici Christianus, qui deditus est ludo, cum vituperet nomen Christi.* Et Perald. in sum. tom. 2. tit. de auar. cap. 25. enumerat 16. crimina, quæ in huiusmodi ludis interueniunt: & subdit, quòd in ludo potest accidere transgressio totius decalogi; & deinde enumerat 15. iustitias lusorum.

Peraldus.

95. Et hoc vitium tam malignantis, & abominandæ naturæ, vt de nullo mihi vitio constet contra quod tam acriter acuant linguas suas scriptores, sicut contra istud. Cyp. librum scripsit contra aleatores, in quo perpulchre eorum delicta aperit. Inter alia; *Alea est, quam lex odit; alea est, quam sequitur crimen ignobile; alea est alueus mali, supplantatis amici; aleator, quicumq; es, christianum te dicis, quod non es, nec amicus Christi potes esse, qui cum inimicis Christi tenes amicitiam.* S. Ephræm de abrenunc. in bapt. facta tom. 1. *Væ alearum lusoribus; quandoquidem se à corpore, & sanguine Domini nostri IESV CHRISTI alienos reddunt.* Berna. Senen. de Euang. æter. ser. 16. art. 3. cap. 2. circa med. vt refert Ant. Gab. tom. 1. comm. op. lib. 3. tit. 19. de relig. & sumpt. num. 4. *Ludus nihil est aliud, nisi fames iniquitatis, & cupiditatis, domestica prædatis, vsuraria labes, mendaciorum, atq; nugarum sedula mater, fons diuinæ negationis, crudelis blasphemiæ pater, corruptio populorum, scandalum proximorum, peruicax inobedientiæ filius,* &c. Et Patritius de reg. tit. 10. ait, quòd apud Aegyptios, *Aleator omnibus accusare volentibus obnoxius erat. Qua quidem lege,* subdit, *declaratur, quàm suspecti sint omnibus mortalibus aleatores, quamq; proni ad singula quæque flagitia, ac scelera.* Est enim lusor omni peccatorum genere spurcatus, deq; eo quidquid mali dicitur, absq; temeritate credi potest, & bene licet argumentari, Lusor est, ergo omnium vitiorum plenus. Et Scriptura istorum amicitiam detestatur, Tobiæ 3. *Numquam cum ludentibus miscui me.* Et Ier. 15. *Non sedi in concilio ludentium.* Vnde vitis honoratis aleatorum amicitia tamquã pestis fugienda est.

D. Cyprian. D. Ephram Ber. Sen. Ant. Gab. Patritius.

96. Et aduerte, quòd habet hoc vitium illud particulare, vt insanabile sit; crescit enim cum ætate, & accipit à tempore vires; tamq; altas iacit radices, vt, nisi igne comburas, semper virescat: alia vitia vel relinquunt, vel relinquuntur, at hoc neutrum; est veluti auaritia, de qua dicit Arist. 1. eth. cap. 1. quòd *est incurabilis*: & veluti hedera semper virens, atq; frondens, ad sitas irrepens arbores, quibus ita validè circumuoluitur, & adhæret, vt ne ramis quidem fatiscentibus, aut arefactis, recedant, nisi ferro, aut igne dissipes. Vnde Cypr. loco cit. *Alea est diaboli venabulum, & delicti vulnus insanabile.* Quare concludo, quòd, si qui sint illius canaliæ in Religionibus, sunt omnino ab eis absq; misericordia exterminandi, tamquam de facto incorrigibiles; vituperant enim non solùm se ipsos, sed totam Religionem simul. Vnde intrat illud Plau. in Bacch. sce. 8.

Arist. Cypr. Plautus.

Cura, & concastiga hominem probè,
Qui dedecorat te, me, amicosq; alios flagitijs suis.

97. Dico 4. licitum est Religiosis ludere recreationum tempore trocho, pila minori, aut ad scapulum lapide rotato, aut globis ligneis, per annulum versatilem in terra defixum impellendis cum malleis ligneis oblongi manubrij, vel etiam sine istis, vbi quæ pars citiùs ter, quinquiesuè, prout inter ipsas conuenerit, in circulum coniecerit suos globos, victrix censetur. Ludere etiam possunt pyramidulis ligneis, pila pariter lignea iaciendis. Hos ludos concessit suis Clericis S. Carolus Borromæus act. Eccl. Mediol. par. 5. princ. par. 3. cap. 3. Nigr. tract. de an. relax. cap. 24. num. 8. licèt ludum pilæ non probet vndequaque: sed pilam probant omnes, & est valetudini tuendæ valde salutaris, vt dicunt Medici Corn. Cels. lib. 1. c. 2. Gal. lib. de lu. par. pilæ, cap. 4. & Ab. Alex. gen. dier. lib. 3. cap. 21. ait, quòd ludus pilæ apud antiquos fuit præcipuæ commendationis, & magni studij, & Tiraq; ibi dicit, quòd ludus pilæ res antiquissima est, & omni iure permissa. Et hunc ludum valde laudant Ant. Gab. loc. cit. num. 3. Et Patrit. de reg. lib. 3. tit. 9. & laborem pilæ studium ludendi fallit, & attenuat, vt ait Hor. lib. 2. sat. 2.

Nigronus. Corn. Cels. Galenus. Ab. Alex. Tiraquel. Patritius. Horatius.

Seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem.

Probatur ergo nostra conclusio; quia isti ludi iucundissimi sunt, & valde animum sublevant, corpus præterea exercent, vnde mali humores desiccantur; cum enim partim sint ab industria, & partim à fortuna, prout ab euentu pendent, non turbant, prout ab ingenio, valde ludentem lætificant, tum nobilissima ingenij actione, tum victoria præstantiore, quæ acquiritur per industriam. Pilæ autem maioris, seu lolis ludum semel in anno, si locus religiosus adsit aptus & ludo, & personis, non prohibeo; est enim maximæ recreationis, nec lassat, nec soluit nimis, si alternis vicibus ludatur, vt nostri faciunt, ita vt inspectores actores fiant, ludo finito. De hoc ludo Homer.

Homerus.

Ille pilam dextra missurus, ad astra reflectis
Terga retro, sursumq; ad magnum prominens ictum
Consurgens, terram procumbit pronus ad imã.

98. Dico 5. Ludus tabularum cum tesseris, quem Sbaraglinum vocant Itali, qui materiam totam habet à fortuna, & formam ab ingenio, est quidem valde vsitatus in aulis Prælatorum ecclesiasticorum, & etiam in aliquibus Religionibus, & communiter existimatur licitus, & honestus, si circumstantiæ eum non deturpent. Non concederem tamen in Religionibus reformatis Iuuenibus. Tum quia contrectare taxillos semper malè sonat apud personas spirituales. Tum quia excitat valde choleram, & quandoque vsque ad excandescentiam, cum enim toto ingenio, & arte non semel ludum ita dis-

posue-

posueris, vt tibi infallibilem victoriam promittas, ecce rabidus canis ita omnia commouet, vt nulla industria reparare possis; & sic ex victore aduersario cedere cogeris. Senioribus tamen, & ægris aliquibus quandoque posse permitti, existimat Caiet. 2. 2. q. 168. art. 3. versus finem; ludus enim in se cum vt plurimum pendeat à fortuna, licitus est, & valde delectabilis, & cholera vitatur plurimum; si nullum deponatur victori præmium, vt in omnibus religiosis ludis conuenit, ita vt sola victoria sit victoris præmium. *Caiet.*

99. Dico 6. ludus tabulatum, quem Damam vocant, est omnino licitus, & religiosus, & eo vti video omnes, quantumuis reformatos, Religiosos; est enim ludus totus ab industria, qui non fatigat intellectum multum, nec apparet in eo quidquam inconuenientiæ.

100. De ludo scacchorum, seu latrunculorũ, an sit licitus, & Religiosis permissus, dubitant DD. Caiet. 2. 2. q. 168. art. 3. ad dub. 3. dicit, quòd ludus scacchorum pessimus est in ordine ad finẽ ludi, sed optimus ad fugandum otium, & somnum, propter industriæ diligentiam magnam in eo requisitam. Nauarr. in man. cap. 19. n. 3. vers. Neque ex eo ait, quòd ludus latrunculorũ est ineptissimus ad animi relaxationem. Nigr. de an. relax. cap. 14. num. 87. vituperat, quantum potest; huiusmodi ludum; & ab eo tamen esse abstinendum docet Bus. in Pan. ver. Ludus alex, num. 7. & affert contra hunc ludum auctoritatem Ber. ad mil. temp. cap. 41. vbi eos laudat, quòd à ludo scacchorum, & alearum abhorrent. Richard. in 4. dist. 15. art. 5. q. 8. vers. Sinemais, quòd ludus schacchorum non est prohibitus, quia ibi exercetur humanum ingenium, nisi forte cum homines agunt pœnitentiam, at Religiosi sunt in statu pœnitentiæ. Rosel. ver. Ludus, §. vlt. dicit, hanc opinionẽ esse honestiorem; ne detur Religiosis materia relaxationis. Contra hunc ludum affertur auctoritas P. Dam. lib. 1. ep. 10. ad Alex. II. vbi reprehendit Episcopum Florentinum, eique grauem pœnitentiam imponit, quòd huic ludo interfuisset. Quod factum refert etiam Belloуac. in spec. hist. lib. 25. cap. 52. *Caietanus. Nauarrus. Nigron. Busæus. Richard. Rosella. P. Damian. Belluac.*

101. E contra verò hunc ludum esse Religiosis permissum, docent Innocen. in cap. Latores, de homic. Archid. in cap. Episcopus, d. 35. num. 1. Panor. in cap. Clerici, el 2. de vi. & hon. Cler. no. 4. Ang. ver. Ludus, §. 2. dicto 4. Tab. eod. n. 6. Salon. 2. 2. tract. de dom. rer. q. 5. art. 6. tit. An per ludum, &c. concl. 1. Rebell. de obl. iust. lib. 12. q. 1. nu 9. Sylu. verb. Ludus, q. 14. Ant. 2. p. tit 1. cap. 23 § 7. Sayr. in clau. reg. lib. 11. c. 12. num 5. Palud. in 4. d. 15. q. 3. art. 5. sub concl. 2. P. Greg. lib. 39. synt. cap. 4. num. 8. Ant. Gab. comm. op. co. 1. lib 3. tit. 29. de relig. & sumpt. nu. 3. Less lib. 4. cap. 4. dub. 13. nu. 98. Farin. 3. par. prax. q. 109 n. 116. Cui opinioni subscribo, eâ tamen lege, vt, nullo proposito præmio ludatur, horis fasis, & tẽporibus cõgruis, & absque arbitris extraneis, & modo cultus diuinus non omittatur; cum enim non sit iure aliquo prohibitus; immò concessus; cum industria nitatur, Religiosis, qui dicto modo viuntur, non est denegãdus. Ille Episcopus reprehensus est à Dam. quòd tempore officium diuinum recitandi, secularibus in pecunia eo ludo ludentibus, & altercantibus interfuisset, vt colligitur ex illis verbis; *Ego me in presbyteri cella semouiss, autem in spatiosa domo cum comeantium turba residit.* Bernar. non reprehendit illos monachos, sed laudat, sicut laudantur, qui vitam matrimonialem religioso cælibatui postponunt. *Innocentius. Archid. Panormit. Angelus. Tabiena. Salon. Rebellus. Antonin. Sayrus. Paludan. P. Greg. A. Gab. Lessius. Farinac.*

102. Dico 6. possunt etiam Religiosi causâ virtutis probandæ sponsiones facere, Ita Host. in summ. tit. de excess. Præl. §. Licet, num. 5. V. G. quòd meliùs recitabo memoriter, vel vulgariter declarabo, quam alter, hymnum, *Ales diei nuncius*. Numquam tamen licuit Religiosis, siue viris, siue fœminis sponsiones facere hic Genuæ super extractione Senatorum, quia tales sponsiones solum fiebant ob cupiditatem lucri, quæ omnino abesse debet à pectoribus Religiosorum. Atque ita Syl. verb. Negotium, quæst. 4. fine; quòd verò secularibus permitti possit (licet neget Sylu. loco cit. quia nullam affert Reipublicæ vtilitatem) docet Azor 3. par. lib. 11. tit. de spons. c. 1. dub. 1. Dixi, numquam licuisse, quia post decretum nouissimum serenis. Collegiorum sub 22. Aprilis 1617. certissimum est, non posse; neque clericos, neque moniales, neque regulares, neque seculares sub mortali tali ludo ludere, ob grauissima, & enormia scandala, & delicta, quæ inde proueniebant; & est casus reseruatus illustriss. Archiepiscopo; & quòd Ecclesiastici teneantur obseruare leges ciuiles in communem vtilitatem indictas, dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iulij II. num. 13. & Diqued ibi ad id probandum adduxi, vide Salon. tom. 2. de iust. contr. 10. q. 77. art. 1. Sa in aph. ver. Clericus, num. 6. Med. 1. 2. q. 96. art. 5. dub. vlt. Sot. lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 7. concl. 1. Suar. de leg. lib. 3. cap. 34. num. 8. Sayr. in cla. reg. lib. 3. cap. 4. num. 17. 18. & constat ex cap. Intelleximus, de no. op. nunc. & ex cap. Historia, 33. quæst. 2. ex quo ea ratio colligitur; quia si sunt prohibita secularibus, multo magis ecclesiasticis. *Hostiensis. Syluester. Azor. Salon. Medina. Sotus. Suarez. Sayrus.*

103. Dico 7. non rectè ludi à Religiosis pias aliquas preces pro victore dicẽdas, vel pro animabus purgatorij. Ita Lop. 2. par. instr. cap. 32. fine. Vega 1. par. summ. ver. Ludus, casu 14. contra Nauarr. in summ. cap. 20. num. 7. vers. Dixi quo luditur; Rebellum de ob. iust. lib. 12. cap. 1. num. 11. Salas de contr. iud. dub. 13. Sed nostra conclusio probatur; Tum quia hoc est miscere sacra profanis, contra illud. *Lopez. Vega. Nauarrus. Rebellus. Salas.*

Publica priuatis se scernere, sacra profanis.

Tum quia est grandis irreuerentia rerum sacrarum, vt ijs vti velimus in ludis relaxationis gratia assumptis. Tum quia illæ preces communiter non dicuntur ea, quæ decet, deuotione, & reuerentia, præsertim à iunioribus. Tum quia si non licet vti rebus ad cultum diuinum dicatis, V. G. calicibus, planetis, &c. ad vsus profanos, multò minus illis precibus, quas Christus ipse docuit, vt illum deprecaremur. Tum quia Greg. lib. 6. reg. epist. 7. reprehendit quosdam clericos, qui in electione cuiusdam Episcopi clamauerunt, *Hæc dies, quam fecit Dominus*, &c. quod etiam vetuit. Trid. sess. 4. de edit. sacr. lib. in fine: At maior videtur irreuerẽtia preces ludere. Poterit ergo proponi aliquid temporale pro victore, V. G. quòd victus coram victore genuflexus, victum se ab eo ter fateatur; quòd victus vnico pede, aliô *D. Greg.*

suspenso, ad certam aliquam metam procedat; quòd victus victori portionem vini, aut pictātiæ tribuat; quòd victor ad libitum possit victo vnam ex dictis pœnis, vel similē iniungere, &c. quæ non minùs sunt religiosa, quàm iucunda. Et tandem quomodò recreandus animus, vide apud Raynaud. de virt. lib. 6. cap. 10. à num. 194. *Raynaud.*

104. Ad vltimum studiosi studentes notent hic præcepta D. Tho. qui interrogatus à quodā studendi studioso, quo modo posset salubriter scientiam acquirere? Respondit opusc. 68. 1. quòd esset tardiloquus, & tardè ad locutorium ascenderet. 2. quòd puritatem conscientiæ amplecteretur, orationi vacare non desineret, & cellam diligeret. 3. quòd omnibus se amabilem exhiberet, nihil penitus quæreret de factis aliorum; nemini se multum familiarem ostenderet, & de verbis, seu factis secularium nullatenus se intromitteret. 4. quòd discursum super omnia fugeret, sanctorum, & bonorum Religiosorum vestigia imitari non desineret, & non respiceret à quo audiret, sed quidquid boni audiret, memoriæ commendaret. 5. vt illa, quæ ageret, & audiret, studeret intelligere, & de dubijs se certificaret, & quidquid posset, in armariolo mentis reponeret diligenter.

CAP. III.

Quas virtutes debeat habere eligendus in Prælatum Religiosorum.

Lipsius. Contzen. Miranda. Gonzales. Lessius. Bellarm. Busæus. Aegidius. Lopez. Scribanius.



1. VIDE Lips. lib. 1. pol. à c. 1. Contz. 3. pol. cap. 1. & lib. 2. cap. 10. Mir. tom. 2. man. q. 5. art. 2. Gonz. ad reg. 8. cancell. gloss. 4. nu. 109. 110. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 23. num. 125. Bell. lib. 1. de off. princ. christ. cap. 7. Bus. de stat. præl. cap. 3. AEgid. de reg. princ. par. 2. lib. 1. cap. 31. Lop. de Rege, lib. 1. princ. Scrib. toto lib. de Super. rel.

2. Dicendum est, eligendum in Prælatum debere esse ornatum omnibus virtutibus, tū theologalibus, tum cardinalibus, cum illis annexis. Ita DD. cit. Probatur 1. ex Scriptura sacra, Exo. 18. *Prouide de omni plebe viros timentes Deum, & constitue ex eis tribunos, &c. sed qui timet Deum faciet bona,* Eccl. 15. *& qui timet Deum, nihil negligit,* Eccl 7. *& nihil* [virtutum] *deest timentibus eum,* psal. 33. & Eccl. vlt. *Deum time. & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo.* Plura vide Eccl. 1. Ex quibus colligitur, quòd qui timet Deum, mādata illius obseruat, & iustus est; vnde de iusto Iob dicitur cap. 1. sui lib. quòd erat *simplex, & rectus, ac timens Deum.* & de Cornel. Act. 10. quòd *erat religiosus, ac timens Deum.* & de Simeone dicitur Lucæ 2. quòd erat *iustus, ac timoratus.* Sed qui iustus est, habet omnes virtutes, cum bonum ex integra causa constituatur, & quod timenti Deum nihil deficiat quò ad perfectionem, Cassian. coll. 11. cap. 103. *Qui Dominum metuit, perfectioni eius certum est nihil deesse.* Cum ergo Scriptura in Prælato timorē Domini requirat, certum est, omnes virtutes requirere; & præterea Domini timorem in Prælato requirunt Canones, cap. Omnis, qui, d. 45. c. Si quis Abbas, 18. *Cassianus.*

q. 2. vnde bene dixit Specul. de Iud. deleg. lib. 1. §. vl. nu. 17. quòd Prælatus potest tamquam iudex recusari ex hoc solùm, quod Deum non timeat, eumq; præ oculis non habeat. *Speculator*

3. 2. Probatur ex sacris Can. c. Cum in cūctis, cap. Innotuit, de elect. in quibus requiritur in Prælato grauitas morum, vitæ virtus, & fama personæ. Et in cap. Vilissimus, 1. q. 1. requiritur scientia, & sanctitas; sed sanctitas omnes virtutes includit, cap. Quærendum, de pœnit. d. 2. & nomine virtutis omnes intelligo, cū indefinita vniuersali æquipolleat; sicut etiam nomine morum omnes virtutes, etiam intellectuales, & infusas posse intelligi, docet Val. tom. 2. disp. 5. q. 3. par. 1. col. 1 ver. Iam si, & Trid. sess. 24. de reform. c. 18. requirit in Prælato prudentiam, quam etiam requisierat Christus Matth. 24. dicens. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Sed prudentia non potest esse sine omnibus reliquis virtutibus. Tum quia ad prudentiam spectat in omni materia, & in omni casu rectè statuere, quid sit agendum, vt suppono ex D. Th. 2. 2. quæst. 47. art. 7. & 8. & illum solùm communiter existimamus prudentē, qui id præstare valet. Tum quia ex communissima omnium sētentia virtutes sunt ita inter se connexæ, vt vna perfecta non possit esse sine alijs; de quo D. Th. 1. 2. q. 65. art. 1. Bellou. in spec. mor. lib. 1. d. 10. p. 3. dub. 1. Val. to. 2. disp. 5. q. 7. p. 2. Aegid. de reg. lib. 1. p. 2. cap. 35. Contz. 3. pol. cap. 1. § 2. Eustach. in summ. phil. p. 3. tract. 3. q. 5. Quod etiā docuerūt PP. Ambr. 1. de off. c. 27. *Lignes cognatas sibi esse virtutes,* & probat, vnam non posse esse sine alia, Aug. ep. 29. tom. 2. *Certè hinc persuadent, qui vnam virtutem habuerit, habere omnes, & omnes deesse cui vna defuerit; quod prudentia nec ignaua, nec iniusta, nec intemperans potest esse, &c.* Greg. 22. mor. c. 3. *Omnes quippe virtutes in conspectu conditoris vicaria esse se supplemant, & quia vna virtus sine alia, vel nulla est omnino, vel minima, vicissim sua coniunctione fulciantur.* Vide etiam lib. 22. c. 1. & Hier. ad Fab. de 42. mans. mansione 38. *Hærent sibi, & inter se connexa sunt virtutes, vt qui vna caruerit, omnibus careat.* Philo lib. 3. de vit. Mos. col. 2. *De virtutibus dicitur, enim, qui vnam habet, habere omnes.* & Arist. 6. eth. cap. 13 ait. *Fieri non posse, vt sine prudētia sit homo propriè bonus, et absq; morum virtute prudens.* & cap. 12. ait. *Quare patet, prudentem neminē esse posse, nisi sit bonus.* Cic. lib. 2 Tusc quæst. *Virtutem si vnam amiseris, etsi amitti non potest virtus* (neq; etiā per obliuionē directè, vt D. Th 2. 2. q. 48. art. 16. potest tamē per passiones corrumpi, vt ibid. S. D.) *sed si vnam confessus fueris te non habere, nullam te esse habiturum.* Similia habet Sen. ep. 67. & Claud. in paneg. 2. Stilic. *Valentia. D. Thomas. Bellouac. Aegidius. Contzen. Eustachius. D. Ambros. D. August. D. Greg. D. Hieron. Philo. Arist. Cicero. D. Thomas. Seneca. Claudian.*

Omnes præterea, puro quæ crimina pellunt
Ore, Deæ iunxere choros, vnoq; receptæ
Postare, diuersos secum singuntur in vsus.

4. Si quæras, an virtutes morales possint esse sine charitate. R. cū D. Th. 1. 2. q. 65. ar. 2. & 2. 2. q. 23. ar. 7. Bellou. loc. cit. dub. 2. quòd, si considerētur in ordine ad finē naturalē, possit quidē esse sine charitate, & alijs virtutibus theologalibus, quo pacto fuerunt in multis gentilibus, at sic sunt solùm virtutes secundùm quid. Si verò considerentur in ordine ad finem supernaturalem, non possunt esse sine charitate, quia nullus actus virtutis *D. Thom.*

tutis sine gratia potest vitam æternam mereri. *D. August.* Vnde ait Aug. 19. de ciu. Dei, cap. 20. *Sapientia non est vera sapientia, quæ intentionem suam in his, quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, iusteq; distribuit, non in illum dirigit finem, vbi erit Deus omnia in omnibus, æternitate certa, & pace perfecta.* *D. Greg.* Greg. 20. moral. cap. 9. *Virtus in manu est, magnitudo in operatione, sed virtus manuum hæreticorum sanctæ Ecclesiæ pro nihilo ducitur, quia nullius esse meriti conspicit, vera fide perdita, quidquid operantur.* *Iauellus.* Vide Iauell. tom. 2. suor. op. de phil. christ. par. 1. cap. 6. vbi probat, Philosophos antiquos nullam habuisse veram, & perfectam virtutem, nec modò vllam haberi posse, nisi actus illarum referantur in Deum, tamquam finẽ; & dub. 2. probat, nullum posse dari perfectum actum moralem, nisi vltimatè fiat propter verum Deum. Cum ergo Prælatus debeat esse ornatus virtutibus in ordine ad finem supernaturalem, ad quem se ipsum, & alios dirigere tenetur, sequitur quòd requirens Concilium in Prælato prudentiam, cæteruam omnium virtutum, tum moralium, tum theologalium requirat, nam prudentia *D. Thom.* non potest esse sine charitate, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 65. art. 2. corp. & charitas non potest esse sine alijs virtutibus, vt probat D. Tho. ibi, art. 3. & 4. & docet Greg. 1. mor. cap. 11. *Ex charitate virtutes oriuntur.* De his ergo omnibus nobis morali modo agendum est.

§. I. *De virtutum omnium diuisione.*

D. Thom. Bellouac. Aegidius. Penna. Berito. Valentia. Lessius. Eustach. Peraldus. Azor. Arist. Macrobius Cicero. P. Greg.

5. DE virtutum diuisione tractat D. Thom. 1. 2. à q. 57. Bellou. in spec. mor. lib. 2. par. 3. à dist. 3. Aegid. de reg. lib. 1. par. 2. cap. 2. & 3. Pen. in l. vn. Cod. de metrop. Berito, lib. 11. Val. tom. 2. disp. 5. quæst. 3. par. 1. Lessius in princ. lib. 1. de virt. Eustach. in summ. phil. par. 3. tract. 3. quæst. 4. Peral. in summ. de vir. & vit. tom. 1. par. 2. & 3. Azor tom. 1. lib. 3. cap. 15. quæst. 1. & cap. 16. à quæst. 1. Videatur Arist. 2. ethic. cap. 7. Macrob. lib. 1. in somn. Scip. cap. 8. Cic. lib. 2. de inuent. propè finem. P. Greg. lib. 4. synt. cap. 7.

6. Dicendum est, 7. esse virtutes, tres theologales, fidem, spẽ, charitatẽ, & quatuor cardinales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam: ad quas reducuntur omnes aliæ virtutes, vel tamquam partes integrales, vel *D. Thom.* subiectiuæ, vel potentiales. Ita D. Tho. in prol. 2. 2. & alij communiter.

7. Noto 1. vt hæc conclusio explicetur, quòd præter dictas virtutes, dantur etiam aliquæ virtutes intellectuales, & 5. enumerat Aristot. 6. ethic. cap. 3. *Sunt autem*, inquiens, *ea, quibus anima, affirmando, vel negando, verum dicit, numero quinque. Hæc verò sunt ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus. Scientia est habitus demonstratiuus circa res necessarias, quæ non* *Arist.* *possunt aliter se habere.* Ars, vt idem Arist. ibi cap. 4. *est habitus cum ratione vera effectiuus, versans circa ea, quæ & esse, & non esse possunt, quorumq; principium est in eo, qui facit, non in eo, quod* *Arist.* *efficitur.* *Prudentia*, vt idem Arist. cap. 5. *est habitus cum vera actione actiuus, circa ea, quæ & bona & mala homini sunt.* & antea dixerat, *Prudentis viri esse proprium, posse consultare rectè de ijs, quæ sibi ipsi bona sunt, atq; vtilia, non ex parte, sed quæ ad bene viuendum in vniuersum.* Intellectus, vt idem cap. 6. *est habitus principiorum*, idest quo assentimur primis, & per se notis principijs scientiarum. *Sapientia*, vt idem cap. 7. *est quædam exactissima scientia, qua non solùm sciuntur conclusiones deductæ ex principijs, sed etiã principia ipsa probantur, ac defenduntur contra impugnantes.* De istis scientijs agit Burid. 6. eth. tract. 1. D. Th. & Bellou. loc. cit. Val. par. 1. Sunt autem partim speculatiuæ, vt intellectus, scientia, sapientia, & de his non ago; & partim practicæ, vt ars, & prudentia; sed ars non pertinet ad scientiam moralem, quę circa agibilia versatur, vt ait D. Th. in prol. 2. 2. cum ars sit recta ratio factibilium. De prudentia autem, quatenus inter virtutes morales numeratur, agemus. *Burid. D. Thom. Bellou. Valentia.*

8. Noto 2. quòd in vnaquaq; virtutum solent assignari 3. genera partium, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 48. art. vn. Aliæ enim dicuntur partes integrantes, aliæ subiectiuæ, aliæ potentiales. Integrantes appellantur, non quòd virtutem ipsam constituant, seu componant, sed quòd ad perfectum ipsius virtutis actum desiderentur. Subiectiuæ verò sunt hæ, quæ sub illa virtute tamquã species sub genere subijciuntur; quia scilicet virtus de illis, tamquam de subiecto, prædicatur. Potentiales denique sunt, quæ virtute, & potestate in eadem præcipua virtute continentur, & in quas ipsius præcipuę, ac totalis virtutis vis, & potentia distribuitur. *D. Thom.*

9. Noto 3. quòd hic agere nõ intendo de fide virtute theologica; indubitatum enim est, Prælatos regulares nõ solùm debere esse catholicos & ex catholicis ortos, iuxta ea, quæ dicam hinc infra, cap. 5. §. 6. & 7. sed etiam numquam fuisse de dicta fide suspectos, ita vt qui fuerint vnquã ab Inquisitoribus pœnitentiati, non possint dictas Prælaturas obtinere, etiam post pœnitẽtias expletas, nisi fuerint à Rom. Põtifice habilitati, iuxta decretum Congreg. S. Officij, quod affero to. 2. nostr. priu. in const. 9. Pauli V. n. 29. Sed de fide, quatenus necessaria regnantibus sit, de qua D. Th. de erud. princ. lib. 2. c. 2. & 3. Neq; agere intẽdo de spe virtute theologica, certum namq; etiã est, Prælatos regulares debere omnes eorũ actiones dirigere in æternã beatitudinẽ consequendã, nõ per diuitias, aut dotes corporis, vel fauores, aut humanas amicitias, sed per merita passionis Saluatoris nostri Christi, per vitã innocenter actam, per copiosã Dei misericordiã: cumq; subditos suos amare tamquã filios teneãtur, debere eos etiam in dictã beatitudinẽ dirigere; eãq; illis desiderare, iuxta doctrinã D. Th. 2. 2. q. 17. art. 3. de ista spe D. Th. loc. cit. c. 6. Agã igitur solùm morali modo de reliquis. *D. Tho.*

10. Noto 4. quòd charitas 6. parit effectus, 3. interiores, qui sũt gaudiũ, pax, misericordia, & 3. exteriores, qui sũt beneficẽtia, elemosyna, & correctio fraterna. De quibus D. Tho. 2. 2. à q. 28. Peccatur autem contra charitatem multis modis, odio scilicet, accidia, inuidia, discordia, sed præcipuè ad nostrum propositum scandalo; de quibus D. Tho. loc. cit. à q. 34. Prudentia 8. habet partes integrales, vt ait D. Tho. loc. cit. quæst. 48. ar. vn. quę sunt memoria, intelligẽtia,

docilitas, solertia, prouidentia, ratio, circumspectio, cautio. Et de his D. Tho. q. 49. Partes subiectæ prudentiæ sunt duæ. Vna dicitur priuata, quæ voluntatis, & mores moderatur: altera gubernatiua, quæ in 4. species diuiditur, nimirùm in regiam, politicam, œconomicam, militarem, de his D. Tho. quæst. 50. Partes autem potentiales sunt 3. eubulia, Synesis, & gnome. de his D. Th. quæst. 51. Peccatur autem contra prudentiam 2. modis, per defectum, & per excessum. Per defectum 4. modis, præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, & negligentia; de quibus D. Tho. q. 53. Per excessum, seù potiùs per quamdam speciem, seu imaginem prudentiæ, 6. modis, prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & sollicitudine futurorum; de quibus D. Thom. quæst. 55. Iustitiæ partes integrales sunt 2. declinare a malo, & facere bonum: de his D. Tho. quæst. 79. Partes vero subiectiuæ sunt iustitia commutatiua, & distributiua; de his D. Thom. à q. 61. Partes potentiales sunt religio, pietas, obseruantia, veritas, gratitudo, vindicatio, affabilitas, liberalitas, epicheia; & de his D. Thom. quæst. 80. Peccatur autem contra iustitiam per vitia illi, & eius partibus potentialibus opposita: de quibus omnibus exactissimè D. Thom. statim post tract. singularum virtutum. Fortitudinis partes integrales, si referantur ad propriam fortitudinis materiam, scilicet ad pericula mortis, sunt fiducia seu magnanimitas, magnificentia, patientia, ad quam spectat longanimitas; & perseuerantia, ad quam spectat constantia; si verò referantur ad aliquas alias materias difficiles, sunt partes quasi potentiales; & de his agit D. Thom. à quæst. 129. Partes subiectiuas fortitudini assignare nō possumus, quia ipsa est species specialissima, vt D. Thom. quæst. 128. Peccatur contra fortitudinem varijs modis, prout sunt vitia opposita cuicumque virtuti, vt constabit ex dicendis. Temperantiæ partes integrales sunt 2. verecundia, & honestas: de quibus D. Tho. à q. 144. Partes subiectiuæ sunt 4. abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia; de his D. Tho. à q. 146. Partes potētiales sunt 4. principales, continentia, mansuetudo, clementia, modestia; de quibus D. Th. à q. 155. Similiter contra temperantiam varijs modis peccatur, prout varia sunt vitia opposita virtutibus. Et de his omnibus nobis breuiter agendum est.

D. Thomas

D. Thomas

D. Thomas

D. Thomas

§. II. *Quòd in Prælato regulari maximè debet resplendere charitas, seu amor erga suos.*

Bellarm. Scriban. Contzen. à S. Maria

11. VIDE Bellar. de off. princ. christ. lib. 2. c. 7. Scrib. in Super. Relig. cap. 1. & in pol. christ. lib. 1. cap. 12. Contz. 3. pol. c. 21. Io: à S. M. in pol. christ. cap. 27. §. 2. & 3.

12. Nota I. quòd charitas, de qua hic loquor, est non solùm amor honestus, quo gratuito subditos suos prosequitur Prælatus, potēs vicissim ab eis redamari, qualis est amor patris in filios, quo modo de charitate loquitur Cic. lib. de amic. cū ait, *Charitatem, quæ est inter parentes, & liberos, dirimi nisi detestabili scelere non posse*. Sed

Cicero

præter ea iste amor debet esse assūptus à Prælato propter Deum, vt scilicet subditos non propter se ipsos vltimatè diligat, sed propter Deum: sicut etiam ipse debet a subditis diligi, & honorari propter Deum, abstrahendo a bonis fortunæ, & naturæ. De hac charitatē dixit Paul. 1. ad Tim. 1. *Finis autem præcepti est charitas.* Quasi dicat, Charitas est perfectio, & consummatio omnium præceptorum. Vnde Prælatus, cui longa, vel difficilia videntur, quæ de eius munere perfectè implendo toto hoc libro dicimus charitatem solam habeat, subditos suos diligat, & sufficit illi; est enim charitas summum fidei sacramentum, & fidei christianæ thesaurus, est summus Dei cultus, omnia continet, præcipuum est hominis bonum, & tessera Christianorum, fundamentum est pacis, & vnitatis vinculum, sine quo nec ipsæ virtutes placent, omnibus donis Dei præstantior, columna sanctitatis, pariter & fastigium, mors criminum, vita virtutum. Hæc si adsit, non magna opus est arte: satis bene, & politicè regit, qui cum charitate regit; est enim hæc virtus regendis hominibus suapte natura idonea. Hæc primum docuit omnem politicam sciētiam. Vnde Aug. tract. 32. in Io: versùs finē. *Charitatē habeto*, inquit, *& cuncta habebis*. & in psal. 79. *Sit in te charitas, & necesse est plenitudo scientiæ consequatur. Quid .n. nescit, qui charitatē scit?* & ser. 39. de tēp. *Si ergo non vacat omnes paginas sanctas perscrutari, omnia inuolucra sermonum euoluere, omnia Scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, vbi pendēt ota, &c.* & paucis interpositis, *Quapropter sectamini charitatem, dulce, ac salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est*, &c. vide etiā ser. 42. de tempor. & Chrysost. hom. 23. in epist. ad Rom. *Charitas est virtutum principium, & finis, ipsa est radix, fundamentum, & fastigium.* Et D. Tho. 2. 2. q. 23. art. 6. corp. ait, quòd charitas est excellentissima omnium virtutum; hinc Christus Matth. 22. *Hoc est primum, & maximum mandatum.* & ar. 8. ait, quod est veluti forma cœterarum virtutum. Vnde ad Gal. 5. dicitur, fidem operari per charitatem. Habeat itaque noster Prælatus charitatem, & nullum aliud ei imponimus præceptum cum Ansel. enar. in cap. 14. euang. Lucæ. *Quisquis charitate flagrat, non necesse est, vt ei præcipiatur, nisi vt faciat quidquid voluerit.* Charitas enim, vt ait Apost. 1. Cor. 13. *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Ac si dicat, Prælatus charitate flagrans, patienter tolerat subiectorum defectus, benignè parcit ipsum offendentibus, non æmulatur aliorum bona terrena, cum cælestia solùm meditetur, inuidet tamen piè aliorū virtutibus, & eas adipisci curat. Nō inflatur; quia, cū præmij æternæ retributionis anxiè desideret, de bonis se exterioribus non exaltat. Non agit perperā; quia cū solùm in subditorum bonum propter Deum intendat, quidquid à rectitudine discrepat, ignorat. Non est ambitiosa; quia solùm, quæ Dei, & proximi sunt, quærit. Non quærit quæ sua sunt; quia cuncta, quæ possidet, tamquam aliena retinet, & nihil sibi esse proprium putat, nisi

Timoth.

D. Aug.

D. Chrysost.

D. Thomas

D. Ansel.

quod

quòd ſecum permanet. Non irritatur; quia iniu- alijs laceſſitus, ad nullos ſe vltionis motus excitat, cum pro magnis laboribus maiora poſt præmia expectet. Non cogitat malum; quia in amore munditiæ mentem ſolidans, dum omne odium radicitùs eruit, verſare in animo, quod inquinet, neſcit. Non gaudet ſuper iniquitate; quia, cum ſola dilectione erga omnes inhiet, nec de perditione aduerſantium exultat. Congaudet autem veritati; quia cum, vt ſe, cæteros diligat, per hoc quòd rectum in alijs conſpicit, quaſi de augmento proprij profectus hilareſcit; Hæc fere Greg. 10. mor. cap. 8. *D. Greg.*

13. Noto 2. quòd iſta excellentiſſima virtus eſt omnino neceſſaria Prælato pacificè, & rectè gubernare volenti. De qua re Chryſoſt. hom. 29. in epiſt. ad Rom. *Oportet autem, vt ante reliqua omnia charitatem habeat in ſe Paſtor. Vnde Petro dicebat Chriſtus, Paſce oues meas, Chriſtum enim diligens, & gregem illius vtique diligit. Et Moyſem tùm primùm ſuper populum Iudæorum poſuit, quando qua eſſet in illum beneuolentia, re ipſa iam declarauerat. Dauid autem ſimili modo inauguratus eſt*, ſeu regni gubernationem ſuſcepit, *poſtquam apparuerat, quàm amico eſſet in populum affectu. Ita quippe iuuenis adhuc, populi cauſa doluit, ac zelauit, vt animam ſuam exponeret, cum videlicet barbarum illum è medio tollebat. Et Samuel quoque benignus erat, & amator populi; vnde dicebat, Abſit autem hoc à me peccatum, vt ceſſem pro vobis orare Dominum. Ita & Paulus, immò non ita, ſed multò plus omnibus ardebat erga ſubditos, & Chriſtus optimi Paſtoris canonem ferens, dixit, Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus.* *D. Chryſoſt.* & Bonau. de ſex al. Seraph. cap. 7. *Ad benignitatis partem plus declinet, per quam reddatur ſubditis magis amabilis, & ob quam ei libentiùs obtemperent, & audaciùs ad eum recurrant, in quibus indigent, & alacriùs eum imitentur.* *D. Bonau.* Et Sen. de clem. cap. 19. *Vnum eſt inexpugnabile munimentum amor ciuium. Quid pulchrius eſt, quàm viuere optantibus cunctis?* *Senecæ.* Et Syneſ. lib. 3. de reg. col. 13. *Et quod verò tutius imperium eſt, quàm illud, quod amore, & charitate munitur? Quiſnam priuatus, quantumuis mediocri conditione ſecurior, aut ab inſidijs tutior, quàm Rex ille, quem non metuunt, ſed cui metuunt ſubditi?* *Syneſius.* Amet itaque Prælatus ſubditos ita, vt redametur ab ipſis, iuxta illud. *Amate diligentes, vt cum amatis amemini.* Amabitur autem, cum intelligent ſubditi amari ſe à Prælato. *Nulla eſt*, ait Auguſt. de catech. rud. cap. 4. *maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando:* licèt enim, vt ait Plin. in paneg. *poſſit Princeps odio eſſe nonnullis, etiamſi ipſe non oderit, amari, niſi ipſe amet, non poteſt:* cum autem amabitur, ſecurè dormiat, nihil dubitans, dicebat enim M. Anton. Imper. apud Herod. lib. 1. hiſtor. quòd *Neq. pecunia vis, aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri Principem poſſunt, niſi illi ipſi, quos regit, animum imperanti, beneuolentiamq; accommodent.* *Plinius.* *Herodot.*

14. Sed quæ tandem, dices, debet eſſe charitas, qua Superior ſubditos amare tenetur. Hãc delineat ad viuum Paul. 1. ad Tim. 1. *De corde puro conſcientia bona, & fide non ficta.* Quem locum ſic explicat Ber. de trib. ord. Eccl. *Neceſſaria eſt, & omnino neceſſaria noſtris iſta* [charitas] *Prælatis, tribus compacta lateribus, vt ſit nimirum iuxta Pauli doctrinam charitas de corde puro conſcientia bona, & fide non ficta. Puritatem quidem cordis in eo Prælatus habet, vt prodeſſe deſideret, non præeſſe, vt ſcilicet proprium commodum, vel honorem ſeculi, ſeu aliud quidpiam ſuum in Prælatione non quærat, præter ſolum beneplacitum Dei, & animarum, ſalutem. Sed cum intentione pura irreprehenſibilis quoque neceſſaria eſt conuerſatio, vt forma factus gregis incipiat facere, & docere, vt ea, quæ arguit in diſcipulos, vitet ſummopere in ſe ipſo. Ob hoc qualis eſt in conuerſatione, talis ſit, neceſſe eſt etiam in occulta cogitatione; ne videlicet foris humilis, intus elatus ſit, in corde ſuo præſumens de ſapientia, ſeu virtute, aut ſanctitate ſua, quæ eſt ſine dubio fides ficta.* *D. Bernar.* Debet ergo charitas Prælati eſſe de corde puro, ita ſcilicet, vt ſubditos propter ſolum Deum amet, non propter aliquod temporale, quod in eis ſperat; nam tunc charitas non eſt, ſed concupiſcentia; 1. Ioa. 2. *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo, quoniam omnia, quæ ſunt in mundo, concupiſcentia eſt:* concupiſcentia autem ex cordis impuritate procedit. Debet etiam eſſe de conſciẽtia bona, ideſt debet Prælatus habere non ſolùm bonum teſtimonium ſui ipſius ad ſe, quòd ſecundùm Dei legem viuit; ſed etiam ſuorum ſubditorum, qui videntes illius opera bona, de eis, bene operando, bonum teſtimonium perhibeant; & hæc vitæ innocentia debet eſſe non ficta, non ſimulata, vt de quibuſdam dicebat Iuuen. ſat. 2. verſ. 3. *Iuuen.*

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.

Sed ſincera, ſed vera, ex corde puro, & conſcientia bona procedens.

§. III. *De effectibus charitatis.*

15. DE his agit D. Thom. 2. 2. q. 28. Bellou. in ſpec. mor. lib. 1. p. 3. diſt. 30. Iauell. rom. 2. ſuor. op. par. 1. phil. chriſt. tract. 3. cap. 7. Val. tom. 3. diſp. 3. q. 6. & alij. *D. Thomas. Bellouacen. Iauellus. Valentia.*

16. Dico 1. gaudium in propoſito eſt actus amoris, ſeu charitatis, quo Superior diligens ſubditos in ordine ad Deum, gaudet, videns eos ambulare in via Domini, ſperatq; inde futurum, vt æterna beatitudine, ad quam eos dirigit, perfruantur, quod eſt in Domino gaudere iuxta illud Apoſt. ad Philip. 4. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Vbi nota, quòd gaudere in Domino, eſt mandata Domini obſeruare, ſecundùm Baſil. in reg. breu. q. 193. *In his, quæ ſecundum mandatum Domini fiunt, gaudere, eſt in Domino gaudere; quocirca quandocumq; mandata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere, & gratulari inter nos debemus.* *D. Baſilius.* Sic Prælatus in Domino gaudet, cum videt ſubditos mandata Dei ſeruare, Deũ timere, in Domino ſperare, & de receptis donis gratias agere; ſicut è contra triſtatur, ſi eos cõtraria facere perſpiciat: Gaudere autem in mũdo, eſt gaudere de rebus mundanis, ſecundùm Chryſoſt. hom. 54 ad pop. *Non licet ſecundum mundum gaudentẽ, pariter & ſecundùm Deum gaudere; qui enim ſecundũ mundũ gaudet, gaudet in diuitijs, in delicijs, in gloria, in poteſtate, & elatione; qui verò ſecundũ Deũ, in ignominia ꝓpter eũ, in paupertate, in ieiunio, & mo-* *D. Chryſoſt.*

destia. Sic Prelatus gaudet secundũ mũdũ, quãdo videt subditos opulentos, gloriosos, potentes secundum seculum. Non nego, quòd non possit, & debeat Prælatus aliquando gaudere de bonis temporalibus, vel sui monasterij in communi, vel suorum subditorum etiam in particulari; cum scriptũ sit Eccl. 9. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum*. Sed hoc debet ordinari primò ad gloriam Dei, vnde sequitur, *quia placent Deo opera tua*. Quare sanctè quidam ex nostris senioribus audiens aliquid gloriosum secundùm seculum, vel de Religione in communi, vel de aliquo fratre in particulari, semper dicebat, *Ad laudem, & gloriam Dei*.

17. Dico 2. pax est vnio plurium appetituum in aliquo bono possidendo, cum proposito re-
D. Thoma. pugnandi contrarija. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 29. art. 1. Est autem triplex, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 4. cap. vlt, 1. inter hominem, & Deum. 2. Inter hominem, & proximum. 3. inter appetitum interiorem, & superiorem eiusdem hominis: & omnes istæ paces à charitate procedũt. Pax enim, quæ est inter Deum, & hominem, in eo consistit, quòd homo velit, quæ Deus vult; at hoc procedit ex amore hominum erga Deũ; quo se vult illi omnino conformare, & oĩa sua in eũ referre. Pax verò, quę est inter hominẽ, & hominẽ, procedit etiã ex charitate, ex qua proximum sicut nos diligimus: cum ergo ex hoc, quòd nos ipsos diligamus, sequatur, quòd nostras velimus implere voluntates, ex hoc etiã, quòd proximum diligimus, sequitur, quòd velimus similiter eius implere voluntates, & per consequens in idem velle conuenimus, quæ cõuenientia pax est, vt dictum est. Et quòd tertia pax ex charitate procedat, sic declaratur; Homo hanc habet pacem, quando pars superior inferiori dominatur, quando autem pars superior ita dominatur, seruantur diuina mandata, quorum primum est charitas; ergo homo ex eo, quod habet charitatem, habet pacem in se ipso. Vnde sequitur, quòd beneficio pacis omnes in nobis conseruentur virtutes, diffluãtq; sine illa, quòd omnis aditus ad animam obstruatur diabolo, quòd deniq; ea certam nobis ad æternam felicitatem paremus viam.

18. De pace decies centena millia encomiorum dicunt Scripturæ sacræ, & profanæ. Nobis pauca sufficient. Et 1. quòd pax est Christianorum finis, iuxta illud psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem*. & 1. ad Tim. 6. *Fuge contentiones*. Et Christianorum hæreditas, iuxta illud Io: 14. *Pacem relinquo vobis*: vnde *pacifici filij Dei voca-*
D. August. *buntur*, Matt. 5. & Aug. ser. 2. ad fr. in ere. *Scire debetis, fratres, quòd quædam sunt bona, quæ non sunt iucunda; quædam iucunda, quæ non sunt bona. V. G. bona sunt ieiunia, vigiliæ, macerationes, & similia; hæc enim bona sunt, sed non iucunda, quia caro in his non iucundatur, sed læditur. Iucunda quippe sunt comessationes, ebrietates, sed non sunt bona. O monache vix poteris inuenire in præsenti vnum, quod sit bonum, & iucundum. Cupis tamen illud inuenire? Persequere pacem, & amplectere eam; hæc est enim sola virtus, quæ habet bonum, & iucundum: hæc est illa bonitas, quæ nos habitare facit vnius moris in domo, vt simul viuere, simulq; mori semper optemus. O pax, tu mentis serenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatisq; consortium; Hæc est illa summa felicitas, quæ bella compescis, iras comprimis, discordes sedas, inimicos concordas, cunctis places, à cunctis optatur: beatus, qui te habet: maledictus, qui te odit, & frangis inter homines, quoniam antichristus est, & filius perditionis*. Vnde meritò odientes pacem dissipari optabat Dauid psal. 67. dicens. *Dissipa gentes, quæ bella volunt*. Et Greg. 3. par. past. admon. 23. D. Greg.
Discordes namq; admonendi sunt, vt certissimè sciãt quia quantislibet virtutibus polleãt, spirituales fieri nullatenus possunt, si vniri per concordiam proximis negligunt. & Sil. lib. 11. de 2. bell. pun. vers. 609.

Pax vna triumphis

Innumeris potior, pax custodire salutem,

Et ciues æquare potens.

Et Ant. Car. ser. 45. sic canit de pace.

Pax hominum genitrix, pax est custodia rerum;
Pax aperit iuris, insidiasq; forum.
Gloria pace minor, minor est victoria pace,
Atque aliquid plus pace triumphus habet.
Nulla quies hominum, nulla est sine pace voluptas.
Nullus amor, nullum Religionis opus.
Pax vrbes, pax regna ligat, pax congregat orbem.
Fiat vt ex multis vrbibus vna domus.
Secula pax renouat, pax aurea tempora portat,
Et mores priscæ simplicitatis habet.

19. Quare deploranda est miseria illorum conuentuum, Prouinciarum, seu Religionum, si quæ reperiantur, in quibus inuenta illa dæmonum, factiones scilicet, reperiuntur, & vigent, in quibus nullum bonum potest reperiri, vt ait Greg. loco cit. *Pensemus, quanta sint mala* D. Greg.
discordiæ, quæ nisi extincta funditus fuerint, bonũ subsequi non permittunt. Et verè ita est; odio enim se inuicem habent factionarij, de se inuicem continuè murmurant; alter alterius notat actiones, inuestigat, socios interrogat, speculatur, in calendario scribit, ne obliuiscatur, & socijs nunciet, vt suo tempore Superioribus propalet; interim diuulgat, curat adhibere testes, si non fuerint, nec desunt, qui se offerant, etiamsi nihil viderint; semper alter in alterum machinatur, irridet, subsannat; actiones, & quidquid à quocumq; factionis contrariæ factũ fuerit, culpat, maculat, & profitetur se aduersarijs non credere, nisi cum dicunt, Domine non sum dignus. Suns vnumquodq; factioola caput defendit, eorum occultat vitia, protegit, ne puniantur, immò fouet secundùm inclinationes, quas nouerit, ne ab eo resiliant, & ad aduersarium transeant; vnde ambitiosos spe dignitatum nutrit, superbos blandiendo inflat, incontinentes excusat, culpam in humanam fragilitatem proijciendo, exemplo aliorum cooperiendo; auaros præsenti, & futura pecunia, expungẽda ex officijs, quæ promittit, subleuat; iracundis obsecundat, phlegmaticos vrget, & tolerat; malencholicos irritat; scurras gratiosos vocat, obscœna loquentes, ciuiles, iracundos strenuos, auaros, prouidos, prodigos liberales: ijs autem, qui non sunt in aperto mali, vtitur tamquam scuto inexpugnabili, ad factionis sanctitatem defendendam, probando, quòd ea sit aggregata ex melioribus, & dignioribus, &; quòd solùm sit congregata in bonum commune, ad resistendũ aduersario, illud destruere conati. Hinc regularis disciplina eneruatur

fundi-

funditùs destruitur, immò ne nominatur quidem: nouitios enim nondum habitum Religionis indutos conatur vnusquisq; in suam factionem trahere, extraordinarijs diligentijs tractos fouet, nutrit, nec finit in eos inuehi magistrum, vnde ipsi facti insolentes, ruptis vinculis timoris Dei, & Superioris, omnia attentant, omnia audent, omnia præsumunt; istisq; discordijs nutriti, cum professi fuerint, sunt intolerabiles, vitiosi, & scandalosi, ita vt nec Superiores, nec Deum, nec honorem proprium, nec Religionis timeant. Hinc etiam fit, vt minùs, his immersis discordijs, studijs, quæ quietem requirunt, incumbant, &, si quid incumbant, solùm id fit vt aduersarijs resistant, hoc enim nõ desinunt inculcare factionum capita. Hinc Superiores, si quandoq; occurrat, quòd ex aliqua factione non sint, non timentur, non æstimantur, suum exercere non possunt officiũ, nec malos castigare, nec bonos subleuare queũt; Si enim errantem subditum secundùm Deum, & regulam punire voluerint, illicò accurrit caput, & vel errorem excusat, si potest, vel, si non, excusat fragilitate, iuuentute, gratiam petit, fide iubet de futura emendatione: Quòd si Superiores resistant, profundiùs se humiliat, si casus ferat, si non, acriùs alloquitur, minatur, quandoque tuba canit ad bellum, ita vt Superiores, his importunitatibus victi, ne quid peius succedat, obsecundare conentur; sic errans in errore permanet, & ad peiora patranda animatur, iuxta illud Pub. apud Marc. 1. Satur. c. 7.

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Si verò subleuare voluerint, alterum factionis accurrit caput, & loquitur subleuandi plagas, mortuas exsuscitat, ignotas aperit, falsas fingit, testes ad omnia adhibet: si Superiores resistant, proponit articulos, iustitiam petit. Infinita prætereo, quæ præ cordis angustia enarrare nõ valeo, lugenda relinquo cogitationi, quæ nequeo exprimere calamo. Laxet se solùm vox in ea Ber. verba epist. 126. *O stulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam.* O factionum capita, ò incarnati dæmones, ò antichristi; Væ vobis, qui peccare facitis populum Dei; Væ vobis, qui iustificatis impium, & iustitiã aufertis à iusto. Væ vobis senes, scandala iuuenum; ò pueri centum annorum, ò senes fatui. Væ vobis, quia, vt vosmetipsos pascatis, fame perire facitis oues pretioso Christi sanguine redemptas. Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini altissimi, quia retributio vestra dabitur vobis. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, ambitionis, superbiæ, & inuidiæ, quibus quasi loris astricti, plaustrum peccatorũ trahitis. Væ qui dicitis malo, Bonus es, & bono, Malus es, vocantes tenebras lucem, & lucem tenebras, & ponentes amarum in dulci, & dulce in amaro. Væ vobis, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Væ vobis, etiam filijs sceleratis, genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam. Væ vobis qui tales sectamini patres. Væ qui peccatum vestrum, talia esse capitis profitentes, quasi Sodoma prædicatis. Væ animabus vestris, quoniam reddita sunt eis mala; Caue frugi iuuentus, nam qui te beatam dicunt, ipsi te decipiunt, & viam benè cœptam gressuum tuorum dissipant; duces tui infideles, & socij furum, Nonne venisti, plangenda iuuentus, vt Iesu Christi esses, nõ Cephæ, neq; Apollo, quare respicis retro misella? Quare non consummas cœptum cursum? fidem promissam seruas? bonum certamen certa, vt corona iustitiæ capiti tuo reponatur. Væ vobis omnibus, quia terra vestra desertabitur, conuentus, & prouincias vestras ignis odiorum, & discordiarum succendet, desolabitur, quantum est ex vobis, regula, & Religio vestra, & extranei dominabuntur vobis. Heu miseri, non videtis, quia sacrificia vestra non aspicit Deus, & holocausta vestra nauseat, calandas, & solemnitates vestras odit; nec vos respiciet, cum in extremis manus vestras extenderitis, & cum orationem multiplicaueritis, non exaudiet. Lauamini, quæso, lauamini, cum tempus habetis, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite iam agere peruersè, discite aliquando benefacere, vt conuertat Deus manũ suam, & restituat vobis pristinam charitatem suam. Mementote, quòd non percussistis fœdus cum morte, & quòd cum inferno non fecistis pactum, vt cum flagellum inundans transierit, super vos venire non debeat.

20. Alioquin obtestor vos, Religionum capita, per sanguinem Iesu Christi Saluatoris nostri, vt capita talium factionum euellere non tardetis, eaq; in malam crucem amandetis; vestrum enim est, subditis pacem facere; quod nõ obscurè insinuauit David psal. 132. dicens, *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Ad quem locum ait Basil. *Quemadmodùm à capite vsq; ad barbam, & summitatem indumenti, sacrum vnguentum decurrens, sacerdotum bona fragrantia replebat, ita & à Principe vsque ad subditos concordiæ vtilitas descendit.* Et Philo lib. de leg. ad Cai. col. 8. *Quid autem optari possit pace melius? pacem verò prouenire ex bene administratis imperijs; id verò non posse verè administrari, nisi absq; contentionibus Principum, quibus cessantibus, omnia manere in officio.* Vnde in iure, cuius custodes debent esse Superiores, habentur tit. de pace seruanda inter subditos, lib. 2. feud. tit. 53. & tit. 27. de pace tenenda, & eius viol. & in l. 1. Cod. de seditios. mulcta grauissima, idest morte, mulctari iubentur, qui aduersùs publicam disciplinam quemquam defendere tentauerint. Nec vos moueat personarum grauitas, nec canis debita reuerentia; nam ignobilissimi, & vilissimi sunt, qui legem Dei cum proximi scandalo pessundant, vt isti; & cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata, & sola virtus, & non elementa, æstimanda. Nec frangamini potentum precibus, ad quos tamquam ad asylum, vt se in ista tyrannide conseruent, semper confugiunt ista factionum capita; nam scriptum est Eccl. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrũpere iniquitates, ne extimescas faciem potentis, & ponas scandalum æquitate tua.* Nihil non facite, vt has in malo congregatas societates dissipetis, dispergatis, annihiletis, vt pacem veram, concordiam sanctam, charitatem perfectam vestris Religionibus restituatis.

21. Resistentia autem, quantum capio, 8, capitibus amputatis, tria vitia extirpare curabitis: primò est inuidia, propter quam filij Iacob Io-

seph

D. Bernar.

D. Basil.

Philo.

ſeph fratri ſuo non poterant pacificè loqui. Hoc vitium licèt ſere inſanabile ſit, poteſt tamen aliquantò deliniri humilitate, fraterna charitate, contemptu terrenarum rerũ, amore æternæ beatitudinis. Sed melius, ſi diſtribuantur honores ſecundùm merita, & pœnæ ſecundùm demerita. 2. eſt ſuperbia, vnde Prou. 30. *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia.* Hoc vitium falce ſolùm humilitatis præſcinditur, & villipendio perſonæ. *Loquimini plagas eius*; Eſa. 16. 3. eſt cupiditas habendi; vnde dici ſolet, quòd quietiſſimè viuerent homines, ſi hæc duo pronomina tollerentur, Meum, & Tuum. Hoc vitium tollitur per ſtrictam obſeruantiam voti paupertatis per æqualem diſtributionem bonorum monaſtij. Quibus extirpatis, redeunt ſaturnia regna, & bonis pacis perfruuntur omnes cum gaudio, canentes dotoribus pacis.

Sint faciles ſemper Diui, ſint miſia vobis.
Numina, qui paci contribuiſtis opem.
Viuite concordes tranquilla per otia pacis;
Viuite felices, molliſsimosq; dies.

22. Pax reſtituta non conſeruatur diſſimulatione peccatorum. Ait enim Greg. 3. par. paſt. adm. 23. *Admonendi ſunt pacati, ne, dum nimis humanam pacem deſiderant, prauos hominum mores nequaquam redarguant, & conſentiendo peruerſis, ab auctoris ſui ſe pace diſiungant.* Neq; ſunt peccata diſſimulanda, ne amici perdantur; nam ait idem Greg. *Malorum cum incautè amicitijs iungimur, culpis ligamur*, &c. Neq; etiam diſſimulãda peccata, ne nos ipſos perturbemus; nam idem Greg. ibid. ait, *Admonendi ſunt pacati, ne, ſi ad increpationis verba proſiliant, temporalem pacem ſibi perturbari formident.* Sed ſola iuſtitia, æquali miniſtrata lance, pax conſeruatur. Quod dixit Eſa. cap. 32. *Et erit opus iuſtitiæ pax, & requies vſque in ſeculum*, vt ex Hebreo legitur. Et Menand. apud Stob. ſer. 42.

D. Gregor.

Menander

Non omnino concedendum eſt maliſt
Sed reſiſtendum: ſin minus, ſurſum, atq; deorsũ
Vita noſtra inopinato tota peruertetur.

Bufane. *Labata.* *P. Greg.* De pace tractant Bul. in vir. ver. Pax; & Lab. in appar. tom. 1. vet. eod. Stob. ſer. 40. P. Greg. de Rep. lib. 3. c. 1. Pro pacis coronide hic nota dictum cuiuſdam ſenioris ex noſtris, loquentis de pace cum filijs, & fratribus ſuis, eoſq; ad illam adhortantis, *Filij omnia veſtra intra cedite, vt pacis dulcedine perfruamini.* Et quòd ad Prælatos ſpectet, pacem Religionis procurare, conuincunt cap. Diſſidentes; cap. Studendum, cap. Placuit, cap. Præcipimus, diſt. 90 & probat Lud. Carbon. de repacif. cap. 38. tom. 12. tract. Et quòd poſſint Prælati diſſidentes cenſuris, mulctis, & pœnis ad pacificationem cogere, idem Carb. cap. 39.

Carbon.

23. Dico 3. Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio, qua vtique, ſi poſſimus, ſubuenire compellimur. Ita Aug. 9. de ciu. cap. 5. D. Tho. 2. 2. quæſt. 30. ar. 1. Val. to. 3. diſp. 3. quæſt. 7. par. 1. Ex qua definitione habes, quòd ad miſerendum requiritur malum proximi à nobis ſaltem exiſtimatum tale, cui, ſi poſſumus, remedium adhibere tenemur. Sicut enim ex charitate de bono proximi gaudemus, ita ex eadem triſtamur de malo illius. Malum autem poteſt proximo noſtro accidere dupliciter. 1. ex propria voluntate eligente malum, vel in ſe, vel in cauſa, vt ſi eligat ſibi mortem; vel aliquid, vnde ea ſequatur; & hoc malo non excitamur ad miſerendum, niſi fortè præcedat aliquis error in intellectu proximi. 2. ſi aliquid mali ei accidat præter, ſeu contra ſuam voluntatem; vt ſi contingat illi aliquod infortunium, de quo nunquam cogitauerat, vel accidat aliquid, quod toto poſſe euitare curauerat, & hoc malo excitamur ad miſerendum. Vtrumq; bene docet Ariſt. 2. rhet. cap. 8. dicens, *Mala illa miſeranda ſunt, quorum non propria voluntas, ſed fortuna eſt cauſa.* Vt Regularium Prælati ad miſerendum ſubditis inducantur, ſufficere poſſet, quòd illi ſunt illorum filij, & fratres; vnde ſicut fratribus, & filijs carnalibus, natura dictante, compati tenemur, ita fratribus, & filijs ſpiritualibus. Colligitur ex illo Zach. 7. *Miſericordiam, & miſerationes facite vnuſquiſq; cum fratre ſuo.* Sed dic etiam, quòd miſereri tenentur, quia & ipſi miſericordia egent apud Deũ, & eam certò ſciant, ſe non conſecuturos, niſi vſi fuerint, quia *iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam*, Iac. 2. Præterea eſt miſericordiæ opus ſuper omnia gratiſſimum Deo, ad illud Mich. 6. *Indicabo tibi, o homo, quid bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam.* Et Matt. 9. *Facere miſericordiam, & iudicium, gratius eſt Domino, quàm victima.* & Naz. or. de paup. amor. col. 4. *Neq. enim vllus omnino cultus Deo perinde gratus eſt, vt miſericordia, quandoquidem nec aliud quidquam eſt, quod Deo magis conueniat.* Et ita gratum eſt Deo miſericordiæ opus, vt actus illius ad vſuram accipiat. Prou. 19. *Feneratur Domino, qui miſeretur pauperis.*

Ariſt.

Nazianz.

24. Sit itaque miſericors Prælatus, ſed cum illis, qui miſericordia digni ſunt. Qui autem iſti ſint, docet Eurip. apud Stob. ſer. 44.

Euripid.

Miſereri oportet inſtorum hominum, non improborum.
Nemo malus eſt, qui peccauerit inuitus.
Miſericordia digni ſunt non malefici, ſed probi homines.
Malos homines caſtigare bonum eſt.
Quæ nunc à quibuſdam benignitas nominatur
Vitam omnem remiſit ad improbitatem.

Pythagor. *Saluſtius.* Et Pythag. apud eumdem Stob. ibi, *Qui de malis pœnas non ſumunt, bonos affici volunt iniurijs.* Et Saluſt. in Iug. *Ignoſcendo quidem malis, neceſſario perduntur boni.* Et habetur. In c. Eſt iniuſta, 23. quæſt. 4. Et qui ſunt nequam propter ſpem veniæ, fiunt nequiores, cap. Vt famæ, de ſent. excom. Vide plura apud Io. Redin. de maieſt. princ. §. Ad clementiam pronum, à nu. 14. Iuſtis ergo per fragilitatem peccantibus ſit Prælatus miſericors; obſtinatis autẽ, & ſcandaloſis ſeuerus; ſeu, vt dicebat quidam ſenior è noſtris, *Illis, qui habent animam, vel honorem, ſit pius, ſit miſericors Prælatus; qui vero vtraq; profuderunt, ſit rigidus, ſit ſeuerus*, iuxta illud Eurip. apud Stob. cit.

Redin.

Stob.

Iuſtis quidem æquus, & iuſtus; malis verò
Omnium maximus hoſtis in terra.

25. Dico 4. Beneficentia, quæ eſt primus effectus externus charitatis, in propoſito eſt executio actus interni charitatis, qua benefacimus proximo noſtro propter Deum amato voluntariè, decenter, & in gratiam ipſius, non noſtri, abſq; etiam retributionis ſpe. Ita colligitur ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 31. art. 1. & 4; Iauell. tom. 2. par. 2.

D. Thom. *Iauellus.*

Valentia. par.2.tract.3. de christ.char.cap.7. Val. tom.3. disp.3. quæst.8. par.vn.

26. Noto 1. quòd beneficentia, de qua hic, est executio quædam actus interni, eliciti à charitate erga alterum: nam actus internus charitatis est velle alteri bonum; huius autem actus executio est bonum alteri facere propter Deũ.

27. Noto 2. quod ista beneficentia, ad hoc vt sit effectus charitatis, non debet esse coacta, sed voluntaria, non in actu 1. voluntatis, sed in *Ambros.* actu 2. idest in affectu; ait enim Ambr. 1. de off. cap.30. *Non satis est bene velle, sed etiam benefacere: Nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona voluntate, proficiscatur.* Et *Seneca.* Sen. lib.1. de benef. cap.5. *Nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ à proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas.* Et quòd non satis sit ad actum beneficentiæ, velle bonum, seu promittere, si non actualiter *Martialis.* detur, perbelle cecinit Mart. lib.10. epig.16.

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai.
Vincam te donis, muneribusq; meis.
Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in aruis
Aurea quidquid habet diuitis vnda Tagi, &c.

28. Noto 3. quòd benefaciens animo benefaciendi benefacere debet, alioqui non est be*D. Ambros.*neficium; ait enim Ambr. 1. de off. cap.30: *Pulchrum est igitur bene velle, & eo largiri consilio, vt prosis, non vt noceas.* Et beneficium debet esse *Plautus.* gratum illi, cui datur. Plaut. in trin. act 3. sce.1. *Nullum beneficium esse duco id, quod cui facias, non placet.* Faciendum item beneficium hilariter, 2. Cor.9. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et Eccl. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuũ.* *Nazianz.* Et Naz. or. de paup. am. in fine. *Quod mœstè, vel coactè animo defertur, ingratum est, minimeq; Aristot.* præclarum. Arist.4. eth. cap.1. *Liberalis dabit iis quibus oportet, & quod oportet, tam in paruis, quàm* *Seneca.* *etiam in magnis, atq; cum voluptate.* Et Sen.2. de benef. cap.1. *Sic demus beneficium, quomodo vellemus accipere, ante omnia libenter, citò, sine vlla dubitatione.*

29. Noto 4. quòd debet etiam beneficium celeriter dari. Prou.3. *Ne dicas amico tuo, Vade, & Nazianz.* *reuertere, cras tibi dabo, cũ statim possis dare.* Naz. loc. cit. *Beneficij gratia promptitudine, & celeritate conduplicatur.* & Publ. *Qui citò dat, bis dat.* & *Ausonius.* Auson. epigr.81.

Gratia, quæ tarda est, ingrata est; gratia nãq;
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Seneca. Et Sen.1. de benef. cap.1. *Errat, si quis sperat, responsurum sibi, quem dilatione lassauit.* Et lib.2. cap.1. *Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est* &c. 5. *Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis citò dare; tarde velle nolentis est.* *Martialis.* Et Mart. lib.7. epist.42.

Primum est, vt præstes, si quid te Cinna rogabo
Illud deinde sequens, vt citò Cinna neges.
Diligo præstantem, non odi Cinna negantem:
Sed tu nec præstas, nec citò Cinna negas.

30. Noto 5. quòd beneficium potest esse vel in gratiam dantis, vel in gratiam recipientis, vel in gratiam vtriusq; 1. non magis est æstimandum, quàm æstimarent boues saginationem, illis à Domino procuratam, vt cariùs vendantur: quare istud non vocatur beneficium, sed negotiatio. 2. habet veram rationem beneficij, quia procedit a charitate. Et similiter, 3. si dans eo animo dat vt benefaciat, & non coactè quò ad personam, sed liberè. Omnia Sen.6. de be- *Seneca.* nef. cap.12. *Multum interest, vtrum aliquis beneficium nobis det sua causa, an nostra, an sua, & nostra; ille, qui totus ad se spectat, & nobis prodest, quia aliter sibi prodesse non potest, eo loco mihi est, quo qui pecori suo hybernum, & æstiuum pabulum prospicit.* Et infra. *Rursus non sum tam iniquus, vt nihil ei debeam, qui cum mihi vtilis esset, fuit & sibi.* Ex qua doctrina colliges, quòd illi Prælati regulares, qui conferunt aliquod beneficiũ suis subditis eo fine solùm, vt eos adiuuent ad se conseruandum in dignitatibus, in quibus per se solos conseruare non possunt, non sunt vllo modo benefici, si alios non reperiant, qui eo fine velint sua beneficia recipere, quia id solùm sua causa faciunt: Si verò alios reperiant, & hos potiùs, quam illos eligant, tunc sunt quidẽ aliquo modo benefici, sed illa beneficentia non procedit ex charitate, sed ex cupiditate. Vnde incautæ iuuentuti vitanda consulo huiusmodi beneficia, quæ potiùs insidiæ, quam beneficia sunt, iuxta illud Mart. lib.4. epig.56. *Martialis.*

Qui potes insidias dona vocare tuas.

Et viscata beneficia ea vocat Sen. epist.8. *Quis- Seneca.* *quis nostrum tutam agere vitam valet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia deuitet: In quibus hoc quoque miserrimi fallimur, habere nos putamus, & habemur.* Colliges 2. quòd Prælatus, qui facit, quod debet, non meretur nomen benefici, sed officiosi; beneficium enim venit à mera charitate, quæ non supponit vllum debitum iustitiæ; Et est dictum Sen. relatum in *Seneca.* eius loc. comm. eth. ver. Beneficium. *Non est beneficium, sed officium, facere quod debeas.*

31. Noto 6. quòd dans beneficium non debet cogitare de retributione, vt eam ab illo accipiat, à quo omnis bona venit retributio, ait enim Christus Luc.14. *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; cognatos neq; vicinos diuites, ne forte te & ipsi re inuitent, & fiat tibi retributio; Sed, cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim in resurrectione iustorum.* Et Sen.1. de benef. cap.1. *Seneca.* *Demus beneficia, non fœneremur; dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, dum daret.* & c. 4. *Qui præstiterint, obliuiscantur; pertinax sit memoria debentium,* & c.2. *Numquã illa vir bonus cogitat, nisi admonitus à reddente; alioqui in formam crediti transeunt.* Et multò minùs dans beneficium, post datum, debet illud habenti exprobrare; lacerat namq; animum, & premit frequens beneficiorum commemoratio; vnde plerumq; beneficiarius ingratus redditur. Sen.1. de benef. c.1. *Seneca.* *Multos experimur ingratos, plures facimus, quia graues exprobratores, exactoresq; sumus.* Vnde Mart. *Martialis* lib.5. epig. 53.

Crede mihi, quamuis ingẽtia, Posthume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Et Ambr. 1. de off. cap. 30. *Nec illa perfecta est D. Ambros* *liberalitas, si iactantiæ causa magis, quàm misericordiæ, largiaris; perfecta autem est liberalitas, vbi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occultè subuenit, quem laudat os pauperis, & non labia sua.*

32. Noto 7. quòd beneficentia multis modis exercetur. Sen.1. de benef. cap. 2. *Alium fide, Seneca.* *alium gratia, alium consilio, alium præceptis salubri-*

Senecæ. Plato.

lubribus adiuua. Plat. ex Later. apud Lipf. ad dictum cap. 2. Seo. *Beneficentia quadrifariam exercetur, opibus, corporibus, disciplinis, sermonibus. Opibus. cum egenos pecunijs, aut alia re iuuamus. Corporibus, cum iniuria affectos tuemur, aut vindicamus. Disciplinis, cum docemus, medemur, aut arte aliqua ornamus. Sermonibus, cum in iudicio defendimus, solamur, aut talo.* Hæc sibi dicta putet noster Prælatus. Et per fidem lo loco Sen. intelligat spem, qua subditos adiuuet, dando illis spem de benefaciendo in temporè, cum non possit de præsenti, quod est optimum medium ad continendos subditos in officio, secundùm

Plutarc.

illud Plut. de puer. educ. *Hæc duo perinde, ac virtutis elementa sunt, spes honoris, & formido pœnæ, nam cum illa ad egregia honestatis opera promptiores efficiat, hæc ad perpetranda vilissima segniores reddit.* Et per gratiam, intelligat comitatem, & affabilitatem, quibus multum recreantur subditi; seu vrbanitatem, & reuerentiam, quibus cum videant se affici à Superioribus, maximè subleuantur.

33. Noto 8. quòd ista beneficentia non est exercenda cum omnibus indistinctè, sed solùm habita ratione circumstantiarum, personę, temporis, necessitatis, dignitatis, & ordinis, vt ait.

D.Thom. D.Ambros.

D.Tho. 2.2. q.31. ar.2. & Ambr. 1. de off. c.30. ait *Officere istud est, non prodesse alteri, si largiaris ei, qui conspiret aduersus patriam, qui congregare cupiat suo sumptu perditos, qui impugnet Ecclesiam. Non est hæc probabilis liberalitas, si adiuues eum, qui aduersùs viduā, & pupillos graui decernit iurgio, aut vi aliqua possessiones eorū eripere conatur.* Sit ergo beneficus Prælatus illis, qui beneficentia non sunt abusuri, & qui per virtutes ea digni sunt; Immeritis autem solùm quantum necessitas naturæ patitur, ne crudelis appareat. Et sciat Prælatus, quòd *Qui largiuntur indignis*, vt

Anton.

ait Ant. ser. 58. ad Stob. *ea, quæ dignis conferri debebant, tria committunt absurda. Nam & ipsi iacturam faciunt, & in bonos contumeliosi sunt, & malos roborant, materia vitiorum suppeditata.* Duo moneo Prælatum nostrum in subditis benefaciendo 1. est vt consideret locum illum Prou. 29 *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* 2. vt consideret locum il-

Tacitus.

lum Tac. lib. 4. hist. vt referunt, *Beneficia eò vsq; læta sunt, dum videntur exolui posse, vbi multùm antecenore, pro gratia odium redditur.*

34. Noto 9. quòd beneficentia in homine est illa imago diuina, ad quam creatus est, vnde nunquam magis ad imaginem Dei esse creatum monstrat, quam quando beneficentiam exercet.

Nazianz.

Naz. or. de paup. amor. col. 18. *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando; nihil enim tam diuinum homo habet, quàm de alijs benemereri.*

D. Chrys.

Chrysost. relat. ab Ant. ser. 58. *Benefaciendo Deū imitari te puta.* Et interrogatus Demosthenes, vt refert idem Ant. quid homo simile Deo hababeret? Dixit *Benefacere, & vera dicere.*

35. Noto 10. quòd plus accipit, qui beneficiū dat, quàm qui recipit. Tum quia hominem sibi deuincit, & seruum reddit, ad illud Prou. 22. *Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera; animam autem aufert accipientium*; quia scilicet accipiens ita obstringitur danti, vt animæ potentijs in gratiam potiùs dantis, quàm sui, vti cogatur. Tum quia si amore Dei dat, vsque etiam ab eo potest prætendere retributionem. Audi Chrysost. hom. 27. in Gen. quem refert etiam Ant. ser. 58. *Ipsi sumus, qui beneficio fruimur, & multum lucri inde nobis conciliamus, nec putemus aliud, dum benefacimus, quam quod magnum beneficium apud Deum deponamus.* Et Theob. apud Ant.

Thebid.

loco cit. *Opes non absumuntur beneficentia, dando enim accipitur, & spargendo colligitur.*

36. Noto 11. quòd beneficus magis diligit suum beneficiarium, quam diligatur ab ipso. Ita

Aristot. D.Thom. Buridan. Lignan. Tassou.

Arist. 9. eth. cap. 7. D. Thom. 2.2. quæst. 26. ar. 12. Burid. 9. ethic. tract. 2. cap. 4. Io: de Lign. in tr. de amic. §. An benefactor magis amare debeat beneficiatum, quàm è contra. Alex. Tass. lib. 6. var. cap. 23. Probatur, tum quia omnis factor plus diligit opus suum, quàm diligatur ab ipso, etiamsi animatum sit. Tum quia benefactor beneficiariū diligit, quatenus in illo videt quoddam bonum honestum, quòd est suum, scilicet opus illud liberalitatis, beneficiatius autem benefactorem diligit propter bonum vtile, quod ab illo accepit; sed bonū honestum ex se magis mouet ad diligendum. Tū quia benefactor habet se vt agens; est autem procliuius agere, quā pati. Tum quia laboriosius est benefacere, quam beneficium accipere; solent autem ea magis diligi, in quibus magis laboramus. Vide Abul.

Abulen.

lo 6. par. Matth. cap. 22. quæst. 314.

37. Noto deoique 12. quòd naturaliter homines facillùs beneficiorum, quàm iniuriarum obliuiscuntur, vt ait Sen. lib. 1. de benef. cap. 1.

Senecæ.

Nā ita natura comparatū est, vt altius iniuria, quā merita, descendant, & illa citò defluant, illas tenax memoria custodiat. Et Herod. in or. Pertin. *Iniu-*

Herod.

riarum, si quā facta sunt, loquit, *semper est memoria, & quidquid offendit, agrè eximitur, aut obliteratur: At beneficiorum vnà cum ipso fructu, vsq; memoria perit.* Et Petrar. lib. 1. de remed. dial. 93.

Petrarc.

Est autem, nescio quidem vnde, firmior offensarum, quàm beneficiorum, tenaciorq; memoria. Huius rei

Tacitus.

rationem affert Tac. 4. ann. *Procliuius est iniuria, quàm beneficiū, vicem exoluere; quia gratia oneri vltio in quæstu habetur.* Et Dio Cass. lib. 46. *Non*

Dio Cassius

eodem modo aduersùs eos, qui benè, & qui malè fecerunt, afficiuntur homines: sed ira, atq; iniuria vel inuiti reminiscuntur, beneficij, & gratiæ vltrò obliuiscuntur. Atq; illud quidem, quòd dedignantur videri beneficio affecti, tamquam minores. Illud autem, quod ignauiæ suspicionem de se præbere videantur, nisi malum malefactoribus reponant. Et

Tullius.

Tull. in or. ad Quir. post. red. *Etenim iniuriæ vlciscendæ facilior ratio est, quàm beneficij remunerandi; propterea quod superiorem esse contra improbus, minus negotij est, quàm bonis exæquari.*

38. Ex his omnibus discet noster Prælatus omnibus benefacere, sciens præterea, quòd ex omnibus rebus creatis, nulla est efficacior ad sibi animos subditorum conciliandos, quàm beneficentia (licèt negare non possim, quin multi ita exorbitent ab ista naturali inclinatione, vt, cum eis magis benefeceris, peiores fiant, & tibi

Philo.

semper sint magis infensi) Vnde Philo lib. de præm. & pœn. col. 12. ait. *Hæc tria plurimùm faciunt ad constabiliendum imperium. Maiestas, grauitas, & beneficentia; nam maiestas parit reuerentiam; grauitas metum; beneficentia verò amorem. Quæ res quoties in vnum pectus conueniunt, egregiè continent subditos in officio.* Et omnibus prodesse, & nemini nocere, principantiū est proprium, vt

Redin.

multis probat Io. Redin. de maiest. princ. §. fin.

39. Dico

39. Dico 5. Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti, quod illum subleuare possit, siue quò ad animum, siue quò ad corpus ex cõpassione, seu motiuo misericordiæ propter Deũ. Ita D.Tho.2.2.quæst.32.art.1.Val.tom.3.disp.3. quæst.9. par.1. Est autem duplex genus eleemosynæ, corporalis scilicet, & spiritualis. Quod vtrumq; etiam multiplex est, & memoriæ causa D.Tho. art.2. & Nauar. in sum. cap. num.4. his versibus comprehendunt.

D.Thomas. Valentia. Nauarrus

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Et sic in vniuersum 14. sunt eleemosynæ, seu 14. opera misericordiæ; nam sub illa dictione, Cõsule, intellige etiam, Doce, in quibus se debet exercere Prælatus, sciens, quòd vt ait Chrysost. hom.33. ad pop. Antioch. *Melius est hanc artem dandi eleemosynam scire, quàm esse Regem, & diademate coronari.* & hom. 36. ait *Multò maius est, quàm in nomine IESV mortuos suscitare, esurientem pascere Christum. Nam hic quidem tu de Christo bene mereris: illic autem ipse de te.*


D.Chrysost

40. Dico 6. Correctio fraterna est actus charitatis, quo quis subuenit necessitati proximi delinquentis, cuius finis est ipsius emendatio, non per coactionem, sed per hortationem. Ita D. Thom. 2.2. quæst. 33. art.1. Val. to.3. disp.3. quæst.10.par.1. Fraternam correctionem facere, ad Prælatos specialius, quàm ad alios, spectat; Dicit enim Paul. Tim. Prælato 2. ad Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* & probat Ioseph de S. M. in tribun. S. Relig. tract. 1. cap.10. Vide supra q.1.c.7.à nu.19.

De S. M.

§. 4. *De bono exemplo, quod tenentur dare Prælati.*

Labata. Aluarez. Chauass. Scribanus. Busæus. Sarmien. Trullus. Tiraquel. Rangel. Torres. Menochius

41. IDE Lab. in appar. conc. to.1. & 2. & in loc. com. ver. Exemplum. Aluar. de vt. relig. ioll. lib. 6. cap. 20. Chauass. de ver. prud. lib. 2. cap. 11. §.1. Scrib. in Super. relig. lib.2. cap.10 & in pol. christ. lib. 2. cap.5.6. & 25. Bus. de stat. Præl. §. 2. & in Panor. ver. Exemplum; Sart. in ciue Reip. reg. consid.61. Trull. in ehic. lib.4. cap.25. nu.10. Tiraq. de pœn. temp. à n 96. Rang. in 1. Reg. cap.8 ver.20. tendens ad fin. Tor. phil. mor. Princ. par. 1. lib.1. cap.1. 2. & 3. & lib.3. cap.14. & 15. Menoch. lib.2. inst. pol. cap.10.

42. Dico 1. bonum exemplum Prælatorum, quod nihil est aliud, secundùm D.Tho. q.8. de ver. art.8. ad 1. quàm id, ad cuius imitationem fit aliquid ex intentione agentis, multùm iuuat ad introducendas virtutes in animos subditorum, sicut malum ad introducenda vitia:

D.Thomas

43. 1. Pars prob.1. ex 1. ad Tim. 4. *Exemplum esto fidelium.* & ad Tit.2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Ad quæ loca vide Chrysost. Et Matth.5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* & ex his, tamquam ex luce, illuminentur ad bene operãdum & ipsi. Et Prou. 24. *Exemplo didici disciplinam;* idest, Exempla Prælatorum sunt magistri subditorum, eosq; regularem docent disciplinam. Esa.49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ,* idest, Constitui te Prælatum, vt esses lux gentium tibi subditarum, & tua vita esset speculum illarum. Et Eccles. 10. *Secundùm iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & habitantes in ea.* Et 1. Esdræ 9. *Cum audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mærens, &c. conuenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israel.* Ad quem locum dicit Glossa. *Nota, quantum exempla doctorum iuuant, nihil scribitur Esdram locutum esse, sed tantum audisse scelera, lacrymasse, & turbam ad se fidelium, non vociferando, sed lacrymando traxisse.*

D.Chrys.

44. 2. Prob. ex PP. Chrysost. hom.10. explicans illud ex cap.3. 1. ad Tim. Oportet Episcopũ irreprehensibilẽ esse, ait, *Hoc vnico verbo genus omne virtutis expressit; eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar Solis, cæteros, veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret: debet huiusmodi vitam habere immaculatam, atq; compositam, vt omnes in illum, & in eius vitam, veluti in exemplar aliquod excellens, intueantur.* Ambr.2. de off. c.29 *Forma esse debemus cæteris, non solùm in opere, sed etiam in sermone, in castitate, in fide. Quales haberi volumus, tales simus, & qualem affectum habemus, talem aperiamus.* Hier. in epi. Nep. ad Heliod. *In te omnium oculi diriguntur, domus tua, & conuersatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid feceris, id sibi homines faciendum putant. Caue, ne committas quod aut qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur, aut qui imitari coguntur, delinquere.* Greg.2. par. past. cap.3. *Sit rector operatione præcipuus, vt vitæ viam subditis viuendo denunciet; & grex, qui pastoris vocem, moresq; sequitur, per exempla meliùs, quàm per verba gradiatur, &c.* & 3. par. past. cap.vl. *Plus actibus, quàm vocibus, insonet, & bene viuendo vestigia sequacibus imprimat.* Chrysol. ser.167 *Docenda faciens obedientem perficit auditorem* Et in Trid. sess.25. de refo. c.1. *monet sãcta Synodus Episcopos, vt factis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: In primis verò ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, &c. exempla petere possint* & sess.5. cap.1. de reform. dicitur, quòd *Integritas Præsidentium salus est subditorum.* Quod idem habetur in cap. Miramur, dist.61.

D.Chrysost. D.Ambros. D.Hieron. D.Greg. D.Chrysol.

45. 3. Prob. ex Philosophis, Arist.1. œcon. cap. 6. *Nisi quis bonum exemplum de se præbuerit, imitatorem diligentiæ habiturum non existimant, neq; in re familiari, neq; in alijs: Quoniam impossibile sit, non diligentis domini diligentes esse vicarios.* Plat. 6. de leg. *Qui circa mores, actionesq; seruorum nihil vmquam facit impiè, nihil iniquè, atq; ita in his se seruat immaculatum, ad producendas virtutis fruges erit aptissimus.* Cic. de or. lib.3 *Duo illa nos maximè mouent, similitudo, & exemplum.* Sen. epist.6. *Plus tibi & viua vox, & conuictus, quàm oratio proderit: In rem præsentem venias oportet. Primum, quia homines ampliùs oculis, quàm auribus, credunt; deinde, quia longum iter est per præcepta, breue, & efficax per exempla.* Vell. lib. 2. *Rectè faciendo Princeps ciues suos facere docet.*

Arist. Plato. Cicero. Seneca. Velleius.

46. 2. Pars prob. 1. Esa. 52. *Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur.* Sicut enim, ait D. Thom. l. 4. in ep. ad Rom. *legis obseruantia in bonis operibus est occasio*

D.Thomas.

casio videntibus, vt honorẽt Deũ, ita etiã transgressio legis per mala opera, occasio est videntibus blasphemandi. Et Leu. 9. *Si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo,* &c. Quem locum explicans Pelus. lib. 2. epist. 121. vt ibi refert Lor. ait. *Tantum enim lex pro sacerdote peccante sacrificium offerri præcipit, quantum pro vniuersa plebe; quod si par non esset peccatum, idem vtique sacrificium minimè indixisset. Maius porro peccatum efficitur, non ob naturam, sed ob perpetrantis dignitatem; nam qui id sibi sumpsit, vt aliorum mores componat, ac moderetur, si ipse labatur, maius ob dignitatis suæ gradum peccatum reddit.* & 1. Paral. 14. narratur de Saule, & armigero eius, *quod cum vidisset armiger eius, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiã ipse in gladium suum, & mortuus est:* quia mors animæ Prælati mortem causat animarum subditorum. Greg. 1. par. past. cap. 2. *Scriptum est per Prophetam* [Oseam cap. 9.] *Laqueus ruina populi mei sacerdotes mali. Hinc rursum de sacerdotibus malis per prophetam* [Ezech. 44.] *Dominus dicit, Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis. Nemo quippe in Ecclesia amplius nocet, quàm qui perversè agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet: delinquentem namq; hunc nemo redarguere præsumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.* & 2. par. past. cap. 7. *Languente capite, in cassum membra vigent. & in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur.* Et lib. 6. reg. epist. 7. *Mala actio præsidentis valde nocet subditis.* Vide D. Thom. 1. 2. quæst. 73. art. 10. Ioseph. lib. 8. antiq. c. 10. *Cum moribus Principum corrumpitur conuersatio subiectorum; & cum viderint illorum luxurias, suæ castitatis merita despuentes, quasi virtutem, eorum imitari nituntur illecebras; non enim opera Principum approbare videntur, nisi etiam similiter hæc agãtur.* Et Philo lib. 1. de vi. Mos. *Si Princeps totũ se dans voluptatibus, ad vitam delicatam deflectit, vniuersa propemodum subditorum multitudo ad voluptates proclinat.* Cic. lib. 3. de leg. *Peccare Principes tantum mali non est, quamquam est hoc malum per se ipsum magnum, quantum illud, quod permulti imitatores Principũ existũt.* & Iuuẽ. sat. 14. vers. 38.

Sic natura iubet; velociùs, & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exẽpla domestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus.

Et huius rei rationem reddit Greg. 21. mor. c. 1. *Quia rationales nostri spiritus, dum in Prælatorũ intentione defixi sunt, singulis quibusq; actionibus permiscentur, vt tales fœtus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum videns.*

47. 2. Prob. ex Iure can. cap. Magnæ, de vo. *Quod agitur à Prælatis, facilè trahitur à subditis in exemplum.* Colligitur ex cap. Qualiter, & Quando, el 1. de accus. & ex cap. Sicut, 2. q. 7. Habetur in cap. Ex merito, 6. quæst. 1. *Capite lãguescente, cætera corporis membra inficiuntur.* & in cap. Præcipuè, 11. quæst. 3. dicitur, *quòd tot mortibus digni sunt Prælati, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

48. Dico 2. parum refert, quòd Prælatus multa dicat ad continendos subditos in officio, si quæ dicit, non facit, immò & contrarium facit. Vt ista conclusio explicetur, nota doctrinã Hug. de S. Victore de clau. an. cap. 15. vbi distinguit 3. species Prælatorum negligentium. Quidam enim sunt, qui bene viuunt, & subiectos malè viuere permittunt. Alij, qui male viuunt, & subiectos benè viuere cogunt. Tertij, qui malè viuunt, & subiectos malè viuere volunt. Primi licet exemplo præcedant, quia tamen errantes non corrigunt, delinquunt, & similes Heli sũt 1. Reg. 2. quia, vt ait Chrysost. hom. 16. in Math. *non sibi ipsi tantum vnusquisque vtilis esse debet, sed etiam cæteris.* Filij autem Heli similes sunt illi tertij, siue potius Diabolo, qui non est contentus facere malum per se, sed etiam suggerit alijs, quantum potest. Secundi autem errantes quidem reuocant, sed fortes occidunt, reuocãt verbis, occidunt exemplis, Religiosi videri student, quia Religiosos sub se habent; gloriantur de eorum patientia, non de sua; Quod operari nolunt, imperant, operantur ipsi, quod alijs operari licitum esse non putant. Inter hos tamen negligentes Prælatos hos minùs malos cẽseo, quàm primos, & tertios; Nam licèt in exẽplis vis magna sit ad introducendas virtutes, & vitia in animos subditorum, vt dictum est; id tamen frequẽtiùs accidit in subditis simplicioribus; ait enim Macr. lib. 7. Satur. cap. 4. quòd *plebeia ingenia magis exemplis, quàm ratione capiuntur;* nam in sapientioribus, & qui magis respiciunt in Prælato id, quod deberet facere, quàm quod facit, exempla nec attollunt multum, nec deprimunt. Colligunt enim isti flores, & spinas cauent: &, vt dicit Chrys. hom. 43. op. imperf. *sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, sic & auditores doctrinam accipiant, & mores relinquant; frequenter enim de homine malo bona doctrina procedit.* Quod etiã dicitur Mat. 23. *Omnia ergo quæcumq; dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere.* Vnde I. P. & DD. cit. & citandi, licet dicant, plus prodesse doctrinam factis comprobatam, solam tamen aliquid etiam prodesse non negant.

49. Prob. ergo conclusio. Quia Christus cœpit facere, & deinde, docere, Act. 1. & Io. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et Hier. ad Fab. *Multo plus intelligitur, quod oculis videtur, quàm quod aure percipitur.* Et Greg. hom. 38. in euang. Matth. *Nonnumquã mentes audientium plus exempla fidelium, quàm docentium verba conuertunt.* Chrysost. hom. 16. in Math. *Qui doces, atq; operibus, te ipsum condemnas.* S. Leo in ser. de S. Laur. *Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum; validiora tamen sunt exempla, quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce.* Ber. ser. 3. de resur. *Sermo viuus, & efficax est exemplum operis; facilè persuadet, quod intendimus, dum factibile esse probat, quod suademus.* D. Thom. 1. 2. q. 34. art. 1. corp. *In operationibus, & passionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, magis mouent exempla, quàm verba.* Bonau. de 6. al. Seraph. cap. 6. *Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce aridum, & inualidum.* Plutar. in opusc. de puer. educ. in fine. *Ante omnia, debent parentes, nihil peccando, omniaq; pro officij rationibus agendo, euidens sese liberis exemplum præbere, vt in istorum vitam tamquam in speculum intuentes, à turpibus dictis, factisq; auertantur; etenim qui peccata filiorum increpantes, ipsi in in eadem prolabuntur vitia, ij se non sentiunt sub illorum nomine semetipsos accusare.*

Margin notes (left column): Pelus. — D. Greg. — D. Thom. — Ioseph. — Philo. — Cicero. — Iuuena. — Greg. — De S. Vict.

Margin notes (right column): D. Chrysost. — Macrobius — D. Chrysost. — D. Hieron. — D. Greg. — S. Leo. — D. Bernard. — D. Tho. — D. Bonau. — Plutarc.

50. Dico

D. Thom. *Valentia.*

50. Dico 3. grauissimum est peccatum scandali, in Prælato præsertim. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 2. vbi expositores, Val. to. 3. disp. 3. quæst. 18. par. 2. Prob. 1. ex Scrip. Matth. 18. *Væ mundo à scandalis, væ homini illi, per quem scandalum venit; qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Vide cap. 5. eiusdem Matth. & Petro suis sermonibus scandalum danti auditoribus (materialiter tamen solum propter ignorantiam) dixit Christus Matth. 16. *Vade post me Satana, scandalum es mihi*: vbi, vt apparet, Satanas vocatur scandalosus. Et Io. 8. vocatur filius Diaboli. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio*: homicida fuit Dæmon ab origine mundi, non armis, sed sermonibus, suadens Euæ transgressionem præcepti Dei: & homicidæ, & filij Diaboli sunt, qui dictis, aut factis præbent proximis occasionem ruinæ. Et hic nota, quòd plus peccat, qui suadet alteri malum, quam qui malum ipsum facit; quia non solùm consentit malo, sed etiam est causa, vt malum fiat. Et docuit Gloss. in cap. Deteriores, ver. Deteriores 6. quæst. 1. Vnde Chrysost. hom. 25. in epist. ad Rom. ait. *Serpens magis punitus est, quàm mulier, sicut & mulier plus quàm vir; & Iezabel maiores pœnas dedit, quam Achab vineæ raptor, ipsa quippe negotium texuerat vniuersum, & Regi lapsus dederat occasionem. Igitur & tu, si reliquis proditionis causa fueris, grauiora patieris, quàm qui per te subuersi sunt.*

D. Chrys.

51. 2. Prob. ex PP. Chrys. ser. contra concub. tom. 5. *Quid si etiam admirabile quiddam dicendum. Etiamsi grauiter quis peccat, atque etiam hoc faciat, & neminem scandalizet, minorem dabit pœnam, quàm qui leniter peccauit, idque impudenter, & cum scandalo multorum.* Basil. in reg. breu. quæst. 64. *Sanè scandalizat aliquis, quandocumque dictis, factisuè legem violat, & exemplo suo ad legis violationem inducit, vt serpens Euam, & Eua Adam; vel quandocumque prohibet ex æquo voluntatem Dei, vt Petrus Dominum; vel quando ædificat animum imbecilli ad aliquid eorum, quæ vetita sunt.* Et infra. *Si in ijs, quæ in potestate nostra sunt, res adeo formidabilis est fratrem scandalizare, quid de ijs dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis, loquendisuè scandalizant maximè quando vel scientia maiore præditus videtur, vel in gradu aliquo censetur sacro, vt cæteris tamquam regula, exemplarnè propositus esse debeat.*

D. Basil.

52. 3. Prob. ex Iur. Can. vbi propter scandalum existimatus innocens punitur; c. Ex literis, el 1. de homic. cap. De rectoribus, cap. Tua nos, de cler. ægr. cap. Cum teneamur, de præb. Et multa debent prætermitti, quæ sine scandalo fieri non possunt; cap. 2. de nou. op. nunc. cap. Quoniam, de iure patr. Nec permittitur aliquis eligi ad dignitatem, etiamsi bonus sit, & nullam det occasionem, propter scandalum vitandum. Fusc. lib. 2. de visit. cap. 28. num. 6. vbi multos textus, & DD. affert.

Fuscus.

53. Ex dictis sequitur 1. quòd, cum scandalum sit dictum, aut factum, præbens alteri occasionem ruinæ, peccato scandali speciali distincto ab actu, peccat Prælatus, & quilibet alius quando facit aliquid malum, vel bonum, vel indifferens, sed secundùm speciem, & apparentiam malum, ea intentione in publico, vt alijs sit occasio peccandi. V.G. est Prælatus Minimorum licentiatus ad comedendas carnes, comedit eas in publico eo animo, vt fratres prouocet ad eas etiam comedendas, hic licet opus faciat in se bonum, cum ipse sit legitimè licentiatus; quia tamen eo animo comedit, vt prohibiti comedere, alliciantur ad comedendum, peccat speciali peccato scandali. Similiter stridet Prælatus aliquem Religiosum, vel de eo publicè murmurat, vt alij eadem faciant, hic etiam peccat speciali peccato scandali. Atque ita docet D. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 1. ad 4. Immo addo, quòd Prælatus peccat speciali peccato scandali, quando facit aliquid publicè, quod potest inducere subditos ad peccatum, etiamsi ipse non habeat talem intentionem. Cum enim Prælatus sit exemplar, ad quod respiciunt omnes subditi, etiamsi intentionem nocendi non habeat, cum tamen auctoritate personæ actualiter noceat, culpam peccati scandali non euitat. Ita Nauarr. in man. cap. 6. num. 19. ver. Vndecimo; Viu. in cand. tract. de confess. num. 48. & alij multi, quos citat, licèt non sequatur, Fagund. in 2. præc. Eccles. lib. 4. cap. 4. num. 5. Et huius sententiæ est sine dubio D. Thom. loco cit. vbi ait, quòd *dictum, & factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi. Vno modo per se; alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamsi ipse hoc non intendat, & ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductiuum ad peccandū.* Et hanc esse mentem D. Th. docent Val. to. 3. disp. 3. q. 18. p. 2. Syl. ver. Scandalum, q. 2. ver. Tertium: Mald. 2. 2. q. 43. dub. 2. art. 1. & alij, qui vniuersaliter docent, ad constituendum speciale peccatum scādali, non esse necesse, peccantem habere formalem intentionem ad peccatum inducēdi. Quod conuincitur; quia qui in loco sacro, vel cum persona sacra mœcatur, etiamsi solùm intendat suæ libidini satisfacere; tamen sacrilegus realiter est.

D. Thom. *Nauarrus* *Viualdus.* *Fagund.* *D. Thom.* *D. Thom.* *Valentia.* *Syluester.* *Malderus.*

54. Sequitur 2. quò Prælatus continuè, & publicè lineas deferens, vel nudus dormiens in Ordine nostro mortaliter peccat, etiamsi illa ex sui natura nullam inducant culpam. Quia suo malo exemplo alios ad idem faciendum inducit, & sic patitur graue detrimentum Regula; Ita Mont. in Chron. Minim. lib. 1. cap. 1. reg. §. 7. pag. mihi 273. quia hæc sunt etiam prohibita iure communi; cap. Cum ad monasterium, de sta. monach. Et potest hoc confirmari ex illo Sap. 6. *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Quasi dicat, In criminis paritate, subditorum, & pusillorum miserebitur Deus; Prælatorum autem, & potētium non miserebitur, sed isti maximè cruciabuntur, quòd eorum transgressiones multarum transgressionum sint causa: vnde iuxta delictorum mensuram erit plagarum modus. *Quidquid enim Prælati exemplo,* ait Abb. Bo. Spel epist. 13. *committunt subditi non verentur, quidquid damnationis, præualente huiusmodi commisso, promerentur; nimirum iustus Iudex districtius exigit à Prælato, qui sic illos vel ad peccandum impulit, vel saltem non repulit à peccato.* Vide sup. q. 1. cap. 5. num. 63.

Montoya. *Abbas.*

55. Sequitur 3. quòd Prælatus turpia proferẽs verba, vel narrans publicè turpia gesta, peccat mortaliter, etiamsi ipsa verba de se aliàs tantùm venialẽ culpà inducerẽt, inficit enim suo malo exẽplo simpliciores fratres, qui & ipsi ad talia proferenda animatur, cũ procliuiores simus ad imitanda vitia, quàm virtutes, vt ait Naz. or. 1. num. 23. (Nazianz.) *Nihil tam facilè est, quàm malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat; rara tamen, & ardua est virtutis adeptio, quamuis multa sint, quæ nos ad eam trahant, & inuitent.* Ad quem locum ait Elias Cret. (E. Cretus.) *hanc virtutis esse naturam, vt eam homines non facili negotio consequi possint, contra ad vitium contrahendum homines maxime ex parte promptos, atq; idoneos esse.* Præterea in hoc perdit Prælatus multum de odore bonæ famæ, tam illi necessariæ. Quæ enim libenter loquimur, libenter etiam facimus; & mores hominum lingua pandit, cum sit secretaria cordis; & sermo est vmbra actionis, vt aiebat Democr. (Democrit.) apud Plutarc. de puer. educ. Idem dic, si Prælatus audiat subditum turpia loquentem, seu detrahentem proximo, & non corrigat: ait enim Arist. (Aristot.) 4. ethic. cap. 8. *Quæ quisque audire patitur, eadem queq; facere videtur.* Idem dic, si ipse detrahat, vel murmuret. Quare ad hæc multùm debent Prælati aduertere, ne sint petra scandali suis subditis, præsertim simplicioribus. Vide quæ dico sup. q. 1. cap. 7. num. 24.

§. 5. *De Prudentia Regularium Prælatis necessaria.*

D. Thom. Valentia. Iauellus. L. Iustian. Raymund. Eustachi. Lessius. Stobæus. A. et Max. A. Carmel. Chauassius. Rosignol. Busæus. Bellarm. Torres. Aegid. Centzen. Menoch. Trullus. P. Greg. Lipsius. Sartonius. Ribeid. Patritius.

56. De prudentia agit D. Thom. cum suis 2. 2. à quæst. 47. Val. tom 3. disp. 4. Iauell. tom. 2. par. 2. phil. christ. tract. 4. B. Laurentius Iust. in lig. vi. tract. de prud. Raym. in sum. lib. 3. tit. de qual. ord. Eustach. 3. p. sug eth. t. 3 disp. 2. lect. 1. Less. lib. 1. de virt. Stob. ser. 3. Ant. & Max. ser. 26. Ant. Car. serm. 4. Chauass. de prud. volumen edidit; vide in specie lib. 2. cap. 12. §. 1. Rosig. de act. virt. lib. 2. cap. 1. & de discipl. christ. perf lib. 3. cap. 9. Bus. in virid. ver. Prudentia, & specialiùs in casu nostro, de statu Episc. § 4. Bell. de off. princ. lib. 1. cap. 8. Tor. phil. mor. princ. lib. 8. Aegid. de reg. Princ. par. 1. lib. 1. à cap. 6. Contz. 2. pol. cap. 2. Menoch. inst. pol. lib. 2. cap. 31. Trul. in elucid lib 4. de reg. Præl. cap. 25. consid. 5. num. 8. P. Greg. lib. 10. de rep. cap. 4. Lips. 1. pol. à cap. 7. & lib. 3. à cap. 1. & in not. ad lib. 1. cap. 9. & in exemp. pol. lib. 1. cap. 8. Sart. de rep. reg. consid. 68. Ribald. de Princ. christ. lib. 2. cap. 33. Patrit. do reg. lib. 6. tit. 8.

57. Nota, quòd prudentia est regina, ac ductrix omnium virtutum, earumq; norma, ad quam omnes aliæ diriguntur. Chrys. (D. Chrys.) hom. in psal. 13. *Prudentia est lucerna animæ, regina cogitationum, magistra rerum, quæ bona sunt, & honesta.* Et Greg. (D. Greg.) 2. mor. cap. 25. *Cæteræ virtutes, nisi, ea quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.* Et Bernar. (D. Bernar.) ser. 49. in cant. *Est ergo discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixq; affectionum, & morũ doctrix; tolle hãc, & virtus vitiũ erit; ipsaq; affectio naturalis in perturbationẽ magis conuertetur, exterminiumq; naturæ.* Et in clem. Pastoralis §. Verum, de re iud. & in cap. Prælentium, 1. quæst. 5. discretio, seu prudentia, vocatur mater virtutum. Nec solùm dirigit prudentia virtutes morales, sed etiam si spiritualis sit, & finem supernaturalem respiciat, prout de ea loquitur. D. Thom. (D. Thom.) 2. 2. quæst. 47. art. 14. dirigit virtutes theologales. Quomodò enim credenda à non credendis discernas, quo incentiuo ad credendum mouearis, quid in actu credendi obserues, quando, & quomodò actum fidei elicias, quando, & quomodò fidem exteriùs profitearis, quando sperare debeas, quomodò dimices aduersùs pusillanimitatem, & desperationem; quomodò, & quo tempore sit diligendus Deus, & proximus, ad prudentiam spectat. De his late Chauass. (Chauass.) de ver. prud. lib. 1. à cap. 5. Rosig. (Rosignol.) de act. virt. lib. 2. cap. 2.

58. Dicendum itaque est, quod prudentia, quæ secundùm Aug. (D. August.) lib. 1. de lib. arb. cap. 13. nihil est aliud, *quàm scientia rerum appetendarum, & fugiendarum*, est ita regnanti Prælato necessaria, vt alimentum viuenti. Prob. 1. ex Scrip. 1. Paral. 22. *Det tibi Dominus prudentiam, & sensum, vt regere possis Israel.* 3. Reg 3. *Dabis seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere* (quod est munus prudentiæ) *inter bonum, & malum*; quæ petitio quantùm placuerit Deo, vide in cap. 4. Prou. 16. *Posside sapientiam, quia auro melior est, & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* & Prouer 28. *Dux indigens prudentia, multos per calumniam opprimet*, & 1. ad Tim. 3. *Oportet Episcopum esse prudentem.*

59. 2. Prob. ex PP. & Phil. Ber. (D. Bernar.) epist. 42. ad Henric. Sen. *Quamobrem & Petro cuteam ouium crediturus, prius eius studiis probare beneuolentiã, ter sciscitans, si se diligeret, probauit & prudentiã, quando errantibus hominibus, & putantibus ipsum esse quempiam ex Prophetis, ille prudenter veritatẽ aduertens, Deum potiùs Prophetarum confessus est.* Synes. (Synesius.) de reg. col. 7. *Nec enim ad felicitatem imperium sufficit, neq; in potentia est à Deo constituta beatitudo, sed accedat prudentia, vel potius præcedat oportet, quamquam optimè possessionem exerceat.* B Iust. in lig. vi. tr. de prud. cap. 3. *Qui non habet prudentiam, licèt sit magnæ sanctitatis, similis est homini in altum respicienti, & vbi ponat pedem suum nõ videnti, qui de facili potest ruere.* Aegid. (Aegid.) de reg. lib. 1. p. 2 c. 7. tria ad hoc propositũ dicit, & probat. 1. quòd sine prudentia Prælatus non est Prælat⁹ secundũ rei veritatẽ, sed nomine tantũ. 2. quòd sine ea facilè Prælatus vertitur in tyrannum. 3 quòd sine prudentia non potest aliquis naturaliter dominari. Arist. (Aristot.) 3. pol. c. 3. in med. *Prudentia propria virtus est præsidentis. Nam cæteræ quidem virtutes videntur communes, tàm eorũ, qui præsunt, quàm eorum, qui subsunt; at prudentia non est virtus eius, qui subsit.* Plato (Plato.) ep. 17. ad Dionem, *Nulla ciuitas potest esse felix, nisi vbi cum prudentia sub iustitia viuitur.* Et Xenophon de mag. equ. *Ac prudentem sanè quemuis esse conuenit, qui cum imperio sit.*

§. 6. *De partibus integralibus Prudentiæ.*

D.Thom. Valentia. Conizen. Iauellus. Patritius. Lessius. Aegid.

60. RO hoc §. vide D.Thom. 2. 2. quæst. 49. Val. tom. 3. disp. 4. quæst. 3. Coniz. 2. pol. cap. 2. à §. 4. Iauell. to. 2. phil. christ. par. 2. cap. 4. Patrit. de reg. lib. 6. à tit. 9. Less. lib. 1. cap. 2. dub. 2. Aegid. de reg. lib. 1. par. 2. cap. 8.

61. Suppono, quod 2. præcipue modis acquiritur prudentia. 1. experientia, quæ docet de similibus, aut dissimilibus similiter, aut dissimiliter iudicare; experientia autem temporis longitudine comparatur. Ita Arist. 6. eth. cap. 8. vbi ait. *Particularium est prudentia, quæ ex experientia nobis innotescunt, experientiam autem temporis affert longitudo.* 2. eruditione, & exemplo seniorum sapientum, qui, cum experimentati sint, supplent, si audiantur, experientiæ defectum: Vnde Arist. 6. eth. cap. 11. *Quare peritorum hominum, & seniorum, seu prudentium pronunciationibus, & opinionibus absq; demonstratione, non minùs quàm demonstrationibus attendendum est: quia namq; ex ipsa experientia visum habent, principia intuentur.* Et Eccl. 8. dicitur. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsũ.* *(Arist.)*

62. Dicendum est, 8. esse partes integrales prudentiæ, memoriam, intelligentiam, docilitatem, solertiam, rationem, prouidentiam, circumspectionem, cautionem. Ita D.Thom. loco cit. quæst. 48. & quæst. 49. Aegid. & alij cit. Memoria est recordatio eorum, quæ legimus, audiuimus, vidimus, aut aliter experti sumus: prudentia enim versatur circa contingentia operabilia, & in his vt plurimum futura sunt præteritis similia. Vnde Arist. 1. rhet. cap. 9. fine ait. *Ex præteritis futura coniicientes iudicamus.* Et Isoc. or. ad Nicocl. *Si præteritorum memineris, de futuris etiam rectius deliberabis.* Et Sen. epist. 83. *Consilium futuri ex præterito venit.* Et Dion. Halic. lib. 10. antiq. Rom. *Nec aliunde meliùs consilia petũtur, quæ in futurum prosint, quàm à præteritarum rerum exemplis.* Et Polyb. lib. 3 hist. *Præterita quippe res optima gerendarum rerum documenta sunt, faciliq; nobis ostendunt vniuscuiusq; rationis, consilia, machinas, quid nobis gratiam, opem, beneficium parare possit, quid quemquam aduersus nos mouere, quid ad misericordiam, quid ad indignationem, quid ad iustitiam, atq; æquitatem impellere: quæ omnia publicè, & priuatim plurimum in vita mortalium momenti habent.* Et Greg. 1. par. past. cap. 9. *Mentis oculos ad opera transacta reuocet, penset quisque, quid subiectus egerit, & repentè cognoscet, si Prælatus bona agere, quæ proposuerat, possit.* Præteritorum ergo memoria habere necesse est prudentia præditum, vt ex illis, quid in præsenti, vel futuro negotio agendum sit, iudicare possit. Et in primis studeat Prælatus regularis scire quidquid boni, vel mali egerit illius antecessor, quod gratum, vel ingratum subditis fuerit, vt illud amplecti, vel vitare possit. Notat autem D.Tho. loco cit. quæst. 49. art. 1. ad 2. quòd 4. valent ad corroborandam memoriam.

(D.Thom. Aegid. Arist. Isocrates. Seneca. D. Halic. Polybius. D. Greg. D. Thom.)

63. Intelligentia significat notitiam præsentium; vt enim prudenter iudices, necesse est, præsentem statum rei tibi probè esse perspectum. Potest etiam hoc nomine significari notitia principiorum moralium, vt scilicet sciat leges, & bonas consuetudines, quæ possunt esse principia, & regulæ agendorum, iuxta illud Eccl. 34. *Vir in multis expertus cogitabit multa & qui multa didicit, enarrabit intellectum.*

64. Docilitas significat affectum, & promptitudinem ad discendum, cum enim nullus sit sufficiens ad excogitandum omnia, quæ possunt esse vtilia suo regimini, oportet quòd, qui prudentiam affectat, sit docilis, aliorum consilijs acquiescendo. Vnde dicitur Prou. 8. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* & Prou. 11. *Salus, vbi multa consilia.* Et Iob. 4. *Consilium semper à sapiente exquire.* Qui verò consilia negligit, superbus, vel ignorans est. Vnde Prou. 12. dicitur. *Via stulti recta in oculis eius; qui autem sapiens est, audit consilia.* Et Liu. lib. 4 decad. 5. vt referunt, *eum, qui de sua vnius scientia omnia gerat superbum magis, quàm sapientem iudico.* Et Caiet. 2. 2. quæst. 49. art. 3. ait, quòd *tam negligentia, quàm contemptus audiendi vitæ, vel vitæ functos, mater est imprudentiæ.* Ratio autem, quare sint tam proficua consilia, est. Tum quia non facilè potest humana mens regentis excogitare omnia, quæ possunt prodesse, vel obesse rei determinandæ, vident enim plus oculi, quàm oculus, & plus duo sciunt, quàm vnus. Tum quia affectus, & passiones non sinunt discernere verum. Quare, si Prælatus sibi soli fidat, in multos, & graues errores dilabi necesse est, quos euitabit, si veridicos, & fidos consiliarios adhibeat, qui rem dilucidiùs intuentes, verum à falso discernant: ait enim Naz. ep. 121. quòd *faciliùs est in alienis, quàm in proprijs philosophari.* Et Cic. 1. de off. *Fit, nescio quo pacto, vt magis in alienis cernamus, si quid delinquitur, quàm in nobismetipsis.* Et Q. Cur. lib. 7. de vi. Alex. *Natura mortalium hoc quoque nomine praua, & sinistra dici potest, quod in suo quisque hebetior est, quàm in alieno.* Quare ridendi sunt illi Superiores, seu potiùs illorum subditi lugendi, qui omnia per se posse autumant, sibi solos sufficere prædicant, auxilio egere, non consilio, clamant. O animalia bruta, ò truculentas bestias? Audite Esa. cap. 5. *Væ vobis, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Indigni, quibus grex porcorum credatur. Verè subditis vestris dictum illud Itali Poetæ concinit, *Misera mandra, à chi sei data in guida.*

(Liuius. Caiet. Nazianz. Cicero. Q. Curtius.)

65. Solertia est habitus, ex quo repentinè, & ex improuiso medium prouenit congruum in negotio agendo, vel vitando. Quare prudens debet multa scire, & inuestigare, vt possit in arduis, & intricatis negotijs medium inuenire ex improuiso congruum, quo ea extricentur, & desinantur. Ad quod multum iuuat naturalis viuacitas intellectus, adiuta multa lectione, & auditione;

66. Ratio est quædam promptitudo ratiocinandi, & vnum ex alio colligendi; quare impossibile est, hominem non bene ratiocinãtem esse prudentem. Tum quia prudentia versatur circa res particulares, & minimè per se notas; vnde oportet eas per alias notiores cognosci, quod nõ nisi per discursum fieri potest. Tum quia necesse est, prudentem esse bene consiliatiuum, sed

consilium fit per discursum, & inquisitionem, vt docet D.Tho.2.2. q.49. art.5. corp.

67. Prouidentia est consideratio futurorum euentuum, qui possent sequi ex opere; applicatioq; mediorum pro intento fine consequendo. Prouidus enim cum futura præuidet, ita præsentia disponit, vt facilè illa intelligantur, &, cum præsentia intuetur, ea, quæ ventura sunt, iudicat; vnde cum videt futurum malum, abscondit se, & cum videt periculum, fugit: cum è contra simplex, & improuidus dispendia sustineat, & damna recipiat, vt dicitur Prou.22. *Callidus vidit malum, & abscondit se; innocens pertransijt, & afflictus est damno.* De hoc locutus
D.Chrys. videtur Chrysost. hom. 51. in Matth. cum ait, *Prudentem autem dico, non scientem, & doctum, sed sensatum, & mente acutam, qui potest rerum ponderare naturas, & secundùm quod potest, rationabiliter omnia agere.*

68. Circumspectio est accurata consideratio circumstantiarum. Cum enim prudentia, vt sæpe dictum est, circa singularia versetur, non sufficit prudenti rem ipsam bonam, vel malam esse, sed debet etiam attendere, an hic, & nunc illud, quod est deliberandum, sit bonum, vel malum, cum humanarum actionum bonitas, vel malitia ex circumstantijs maximè pendeat. Vnde bonum secundùm se redditur malum ob circumstantias, vt patet in exemplo allato à
D.Thom. D. Thom. loco cit. art. 7. ostendere enim alicui signa amoris per se est bonum ad conciliandam eius beneuolentiam; malum autem est ex circumstantijs, si ob id ille superbiat, aut suspicetur, te id facere adulandi gratia. De hac
D.August. circumspectione ait August. de spir. & an. c.51. *Valde si quidem est necessaria nobis circumspectio examinationis, quatenus per experientiam eorum, quæ fecimus, ad ea, quæ agenda sunt, tutiores reddamur: Sæpe namq; opus, quod bona intentione inchoari credimus, tantò citiùs in deceptionis laqueum nos præcipitat, quantò de intentionis nostræ principio securi, finem actionis non obseruamus: & imprudentes quasi via plana ad foueam currimus, quia videmus, quid facimus, sed quid finem nostrum sequi debeat, non attendimus.*

69. Cautio est animaduertentia, qua scit homo eligere bonum, & reprobare malum, & ne decipiatur in eligendo malum sub specie boni, aut ne refutet bonum, quia repræ-
Seneca. sentatur ei sub specie mali. De hac Sen. lib.4. de benef. cap. 34. *Multa interueniunt, per quæ & mala pro bonis subrepat, & bonum pro malo displiceat; fallaces enim sunt rerum species, quibus credimus. Hæc vt quàm diligentissimè æstimem, operam dabo, ne citò illis as-*
D.Greg. *sentiar.* Et Greg.1. mor. cap.25. *Nonnulla prouidens agere nititur; & sæpe dum cautus futura subtiliter præuidet, incautus damna præsentia nequaquam videt.*

§. 7. *De partibus subiectiuis Prudentiæ.*



70. DE his D. Thom.2.2. q.50. D.Thomas
Less. lib.1. de prud. cap.2. Lessius.
dub.1. Iauell. to.2. phil. Iauellus.
christ. par. 2. tract.4. cap.
2. Val. tom. 3. disp.4. q.3. Valentia.
par. 2. Eustac. 3. par. suæ Eustachius.
eth. tract. 3. q.6.

71. Dicendum est, partes subiectiuas prudentiæ primarias esse 2. priuatam nimirum, & publicam. Hæc in quatuor species diuiditur, in regiam, politicam, œconomicam, & militarem. Priuata est, qua quis in singulis actionibus spectat, quid agere debeat, proprium intendens bonum, & hæc sola simpliciter, & absolutè vocatur prudentia, vt ait Arist. 6. eth. cap. 8. quia is solus absolutè Aristot.
prudens est dicendus, qui sua præ cæteris omnibus curat, se ipsum omni virtute exornans. Regia est, qua quis idoneas condit leges in commune bonum gentium, quas regit, & circa hanc dicit Philo 1. de vi. Mos. col.2. Philo.
quòd *quatuor sunt legislatori necessaria, charitas erga proximos, iustitia, amor virtutum, & vitiorum odium.* Politica est, qua ministri Regis rectè communitatem administrant, Regisq; leges obseruari curant debitis, & proportionatis medijs. De hac dicitur 2. Paral. 19. *Cum constituisset iudices in cunctis ciuitatibus munitis, monuit eos, dicens. Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium; sed Domini, & quodcumq; iudicaueritis, in vos redundabit.* Oeconomica est qua quis rectè gubernat familiam, eius bonum solùm spectans. De hac dixi supra, quæst.1. c.5. à num.5. Militaris est, qua militia ritè administratur. Et de hac dicit Val. lib.7. cap.2. quòd Val.Max.
Scipio Africanus turpe esse aiebat iure militari dicere. Non putaram. Et idem negabat, aliter cum hoste confligi debere, quam aut si occasio obuenisset, aut necessitas incidisset, æquè prudenter. Nam & prosperam gerendæ rei facultatem omittere, maxima dementia est, & in angustias vtique pugnandi compulsum, abstinere se prælio, pestifera ignauia afferi exitium.

72. Sed quoniam prudentia priuata est fundamentum aliarum omnium prudentiarum, nullus enim prudenter populum, aut familiam reget, qui se, & sua imprudenter pertractet: qui namq; sibi nequam est, alijs non potest esse
bonus: Vnde Isocr. ad Demoniacum. *Cum quod de re ipse consilium ab aliquo es capturus, aduerto priùs quomodò in suo ipse se negotio gesserit; nam qui perperam suas res administrauerit, vix est, vt quidquam rectè consultet in alienis.* Quod etiam habetur in cap. Sicut ij, ver. Necesse est, d.47. Et inter primas partes, quas debet habere prudens, absolutè prima est cognitio sui ipsius, vt colligitur non obscurè ex illo 1. ad Tim. 4. *Attende tibi.* & ex illo Prou.16. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens*, idest, Qui se ipsum sapit, prudentis nomen meretur. Vnde Eurip. relat. Euripides.
à Patrit. lib.6. de reg. tit 8. *Odio habeo sapientem, qui sibi ipsi non est sapiens.* Ideo pauca hic de sui cognitione mihi dicenda esse existimaui.

§. 8. *Quid Prælatus regularis debet ante omnia sui ipsius cognitioni studere.*

D. Basilius. S. Ephrem. D. Thom. D. Bernar. Ab. bo Spei. A. Carmel. Busans. Chauasse. Sarsonius. Stobaus.

73.  IDE Basil. hom. 3. ad pop. ex varijs, in illa ver. *Attende tibi* Ephr. tom. 2. in ead. ver. pag. mihi 308. D. Thom. de erud. princ. lib. 3. cap. 1. 2. & 6. Ber. lib. 2. de consid. à cap. 3. Abb. bon. spei ep. 13. col. 9. ver. Ne ergo; Ant. Carm. serm. 5. Bus. in vit. ver. Cognitio sui. Chauass. de ver. prud. lib. 1. cap. 3. §. 2. & lib. 2. cap. 1. §. 1. Sart. de ciue reip. reg. consid. 63. Stob. serm. 21.

74. Dico 1. cognitio sui ipsius est omnium cognitionum, & disciplinarum pulcherrima. Prob. ex PP. Clem. Alex. lib. 3. pæd. *Est, vt videtur disciplinarum omnium pulcherrima, & maxima, se ipsum nosse; si quis enim se ipsum nouit, Deum cognoscit.* Aug. 4. de Trin. cap. 1. *Scientiam cælestium, & terrestrium rerum æstimare solet genus humanum, in quo profecto meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos. Laudabilior siquidem animus est, cui nota est miseria sua, quàm qui, ea non aspecta, vias syderum, & naturas rerum scrutatur.* Vide cap. 51. de sp. & an. Phil. lib. de somn. versùs finem. *Est principium inuisibilis sapientiæ non obliuisci sui ipsius, & habere semper præ oculis suas origines.* Et Iuuen. sat. 11. ver. 28. ait, è cœlo descendisse *Nosce te ipsum*, & versu 35.

Cl. Alex. D. August. Philo. Iuuenal.

Noscenda est mensura sui, spectandaq; rebus
In summis, minimisq;

Et verè è cœlo descendit; Deut. enim 4. dicitur, *Custodi temetipsum, & animam tuam sollicitè*; seu, vt ex Græco legunt, Attende tibi ipsi. Et Cant. 1. *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres.* Et Eccl. 11. *Ambula in vijs cordis tui, & intuitu oculorum tuorum, & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Quam sententiam sic vertit Anton. ser. 80. ad Stob. *Ambulato in vijs cordis tui inculpatus, & nosce te ipsum, nam de omnibus istis Deus à te rationem postulabit.* Ex quibus locis Gentiles suffuratos fuisse celebrem illam sententiam, ante fores templi Appollinis Delphici aureis inscriptam literis, affirmat Orig. hom. 2. in Cant. Et Ambr. in psal. 118.

Anton. Origenes. D. Ambr.

75. Dico 2. cognitio sui ipsius est omnium difficillima. Constat ex communi dicterio. *Quæcumq; pulchra, difficilia.* Et Basil. in const. mon. cap. 23. fine. *Illud firmissimè tenendum, rem omnium esse difficillimam se ipsum cognoscere, & curare, propterea quòd naturaliter se ipsum quisq; amat; & quilibet, propterea quòd in se ipsos propensi sunt, in veritatis iudicio falluntur.* & Greg. Niss. in or. de mor. col. 6. *At non est facile, vt ij, qui verè, & ex animo cupit se ipsum cognoscere, id assequatur*, &c. Et Thales Miles. apud Anton. ser. 80. *Difficile est se nosse, sed beatum, quòd hoc fit secundum naturam viue.* Et Chilo apud Stob. ser. 21. Interrogatus quid esset difficillimum omnium, *Se ipsum nosse*, respondit: quia vnusquisq; ex cæco sui amore sibi attribuit. Et Arist. 2. magn. mor. cap. 18. *Quoniam igitur difficillimum est se se cognoscere, & suauissimum; nam se nosse iucundum, ex nobis ipsis certè non possumus inspicere; id verò fit, aut quia bona volumus bonis, aut propter affectū.*

D. Basil. Greg. Niss. Milesius. Arist.

76. Dico 3. cognitio sui est peculiariter necessaria Prælatis propter multa bona, quæ inde proueniunt. Constat ex PP. Greg. Niss. loco cit. *Nos igitur ipsos, vt prouerbium iubet, cognoscamus, hac enim cognitione expiantur peccata, quæ ab ignorantia proficiscuntur.* Ansel. de mensur. crucis, cons. 5. *Ad profundum humilitatis cogit nos primò propria cognitio, satis enim est homini ad humilitatem cognoscere se ipsum, maximè si recordatur iniquitatum nostrarum antiquarum.* & in lib. de simil. cap. 100. *Primus gradus in monte humilitatis est cognitio sui.* & Basil. hom. 3. ex varijs, in illa ver. Attende tibi, versùs finem. *Si attenderis tibi ipsi, incandescentem iram coercebis, linguam rursus cohibebis*, &c. Bern. ser. 36. in Cant. *Volo proinde animam primò omnium scire se ipsam, quod id postulet ratio & vtilitatis, & ordinis; & ordinis quidem, quoniam quòd nos sumus, primum est nobis; vtilitatis vero, quia talis scientia non inflat, sed humiliat; porro ad humiliandum nihil anima inuenire viuacius, seu accommodatius potest, quàm si se in veritate inuenerit.* Sen. ep. 83. in princ. *Obseruabo me protinùs, &, quod est vtilissimum, diem meum recognoscam. Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit.* Et Socr. apud Stob. ser. 21. *Hoc quoque manifestum est, quod propter sui scientiam, homines multorum bonorum, sunt propter ignorantiam, multorum malorum causa fiunt.* Et Plato apud eumdem. *Se ipsum vero cognoscere, prudentiam esse concedimus prorsus; si autem nec nos ipsos cognosceremus, nec prudentes essemus, nec possemus nostra, seu bona, seu mala nosse.* Et Xenoph. apud Ant. serm. 87. *Qui se ipsos noscunt, necessaria sibi norunt, & discernunt, et quæ possint, et quæ non possint.* Et Philemon apud eumdem. *Cum sis homo, scito hoc, & semper eris homo.* Plura huiusmodi vide apud Stob. & Ant. loc. cit.

D. Ansel. D. Basilius. D. Bernar. Seneca. Socrates. Plato. Xenoph. Philemon. Antonius.

77. Dico 4. cognoscere se ipsum, est considerare primordia suæ originis, & finem, & media suæ peregrinationis. Constat ex PP. Amb. ser. 2. in psal. 118. *Quid est se noscere, nisi vt scias vnusquisq; hominem ad imaginem, & similitudinem Dei factum, rationis capacem, qui terram suam excolere tamquam bonus agricola debeat aratro quodam, & falce sapientiæ, vt vel dura findantur, vel luxuriantia rescindantur?* Chrys. hom. 26. in Mat. *Ille est maximè se ipsum sciens, qui se esse nihil existimat.* Aug. de spir. & an. cap. 51. *Scito te ipsum, scito vnde venisti, aut quò vadis, quomodo viuis, quantū proficis, vel deficis, quā longè es à Deo, vel quam propè, non interuallis locorum, sed similitudine, aut dissimilitudine morum. Scito, quomodò homo es, cuius conceptio culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori necesse. Certum est, quia morieris, sed incertum quomodo, vel quando, vel vbi, quoniam mors vbiq; te expectat; & tu, si sapiens fueris, vbiq; eam expectabis*, &c. Ber. de consid. lib. 2. cap. 4. *Hæc tui consideratio in tria quædam diuiditur, si consideres, quid, quis, & qualis sis. Quid in natura; quis in persona, qualis in moribus*, &c. vide etiam c. 3. & c. 5. Abb. bo. Spei. ep. 13. vers. Ne ergo. *Scit autem se ipsum, qui prudenter intelligit, quid, & ad quid factus sit, in quo denique sit gradu, vel ordine constitutus, & eidem ordini quis modus viuendi lege obedientiæ attribuitur.* Menand. apud Stob. ser. 21. *Nosces te ipsum, si negotia inspexeris tua, & quid faciendum tibi.* Et Xenoph. apud eumdem. *Non ille se ipsum cognoscit, qui nomen suum solum nouit, sed qui se ipsum considerat, qualis nempe sit, quantumq; in rebus humanis, aut vsu earum valeat.*

D. Ambros. D. Chrys. D. August. D. Bernar. Ab. bo Spei. Menander.

Philelph.

Philelph. in or. consol. ad Iac. Ant. Marc. hæc grauiter dicit. *Quum me delectant duo illa præcepta, quæ vocantur Delphica, Cognosce te ipsum; & Ne quid nimis: hæc talia sunt, vt alterum moneat ab altero, & inuicem se commitent, nã & qui se nouit, nihil nimis neq; cogitat, neq; facit: & qui nihil nimis aut dicit, aut vult, se ipsum nouit, &c.* Prælatus noster perfectam habebit sui ipsius cognitionem, si illa quatuor consideret, quæ considerãda proposuit Eugenio Bernar. lib. 2. de

D. Bern.

consi. c. 3. scilicet. *Te, Quæ sub te, Quæ circa te, Quæ supra te.* Primum, *Te* scilicet, vt consideret ortum, & occasum suum. 2. *Quæ sub te.* Quòd illius subditi homines sunt, qui voluntariè pro Dei amore illi manus dedere. 3. *Quæ circa te;* Quia illum circumdant vndiq; angustiæ, labores, oculorum myriades ad illius actiones iudicandas. 4. *Quæ supra te;* Quia supra se habet Deum, qui illius actiones etiam minutissimas iudicaturus est.

D. August.

78. Dico 5. cognitio sui acquiritur frequenti meditatione miseriarum humanæ naturæ. Cõstat ex August. de sp. & an. cap. 52: *Redeamus ergo ad nos, vt possimus ascendere ad nos. Tres siquidem ascensus sunt. In 1. ascendimus ab istis exterioribus, & inferioribus ad nos. In 2. ascendimus ad cor altum, quantò namq; ampliùs proficimus, tantò ampliùs ascendimus; qui enim non ascendit, descendit, & qui non proficit, deficit. In 3. ascensu ascendimus ad Deum. 1. ascensus fit consideratione mundi, & contemptu, considerando namq; quam caduca, & transitoria sint ista terrena, contemnimus ea, & redimus ad nos. 2. ascensus fit cognitione, & contemptu nostri; cum enim cognoscimus, quàm proni simus ad malum, & quàm inualidi ad bonum, contemnimus, & ascendimus supra nos. 3. ascensus fit cognitione, & amore Dei, &c.*

D. Thom.

79. Dico 6. ex cognitione sui oriuntur in piorum animis multi affectus, & motus, qui sunt actus humilitatis, & 1. oritur contemptus sui; per quem cognitor sui se quò ad ea, quæ ex se ipso habet, nihil æstimat. 2. reputat se omnibus viliorem, etiam absq; falsitate, vt docet D. Thom. 2.2. quæst. 161. art. 6. ad 1. considerando scilicet in se defectus proprios, & in alijs virtutes proprias, & dona Dei etiam occulta. 3. non cupit ab alijs æstimari, quia in se non recognoscit aliquid æstimatione dignum, sed, si quid est, totum recognoscit à Deo, & illi tribuit gloriam, 4. desiderat etiam vilis haberi, & contemptu sui gaudet, & hoc

Bernard.

solo superbus est, vt ait Bern. serm. 16. in Cant. quòd laudes contemnit. 5. dolet, si se magni fieri, vel honorari videt. 6. subijcit se velut mancipium Deo, & ab eo se duci sinit quò ad sanitatem, mortem, & vitam, &c. 7. de rebus externis, & functionibus, quantum est in se, semper amplectitur id, quod est abiectius; sed quia Prælatus, humiliter decorem officij seruat. Beatus; qui se exercet in ista scientia. Beatus Prælatus, qui illi studet. Beati subditi, qui tali Prælato subduntur.

§. 9. De partibus potentialibus Prudentiæ.

D. Thomas. Eustath. Lessius. Valentia.

80. PRO isto §. vide D. Thom. 2.2. quæst. 51. Eustach. 3. par. eth. tract. 3. quæst. 7. disp. 2. sect. 1. Less. lib. 1. c. 2. dub. 3. Val. to. 3. disp. 4. q. 3. par. 3.

81. Nota ex D. Thom. loc. cit. quæst. 47. art. 8. quòd triplex est munus prudentiæ. 1. est bene consultare, seu inquirere media necessaria ad hoc vt opus fiat honestè, & secundùm virtutem. 2. est rectè iudicare, seu ex inuentis medijs diligere, quænam sint aptiora. 3. est, rectè imperare, idest præcipere, quòd, quæ inuenta sũt, & iudicata apta ad finem, sollicitè, & diligenter executioni mandentur. Ad consultandum, & iudicandum de medijs, magna eruditione opus est, vnde oportet, vt consiliarij in promptu habeant maximam copiam sententiarum virorum sapientum, & in primis quæ in Prou. Salomonis, & Eccl. continentur; quia ad omnem prudentiam in omni vita hominem informant. Ad executioni verò mandandum dicta media

D. Thomas. Arist.

electa, requirit D. Thom. quæst. 47. art. 9. sollicitudinem, & diligentiam. Et Arist. 6. eth. cap. 9. ait, *Cito agenda esse, quæ consultaueris; tardè verò, ac diu consultandum.* Et Isocr. ad De-

Isocrates. Salustius.

mon. *Delibera tardè, perfice autem citò, quæ visa sunt.* & Salust. in proœm. Catil. *Priusquam incipias, consulito, vbi consulueris, maturè facto opus est.* Nocuit enim semper tardare paratis.

D. Thomas.

82. Dicendum est 3. esse partes potentiales prudentiæ, nimirum eubuliam, synesim, & gnomen. Ita D. Thom. quæst. 51. ad illam enim tria munera prudentiæ ritè, & rectè præstanda hos tres assignat D. Tho. habitus. Per eubuliam intelligit habitum præbentem facultatem rectè consultandi, seu media facilè inueniendi in rebus dubijs, & perplexis. Per synesim intelligit habitum rectè iudicandi de consultatis, idque ex consideratione communium principiorum practicorum, scilicet legum naturaliũ, & positiuarum. Per gnomen intelligit habitum rectè iudicandi ex principijs quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, ad mentẽ tamen legislatoris, V. G. Lex dictat, reddendũ esse depositum, si per synesim consultandum sit, depositum reddendum est; si autem depositum esset reddendum patriæ impugnatori, quo fortificaretur ad ciuitatem validiùs impugnandã, puta si depositum essent arma, vel puluis tormẽtaria, tunc adhibitus ad consultandum prudens per gnomen iudicabit, iniquum esse depositum reddere, & hoc non per leges communes, quæ contrarium dictant, sed per altiora principia naturalia. Seu per gnomen intelligi potest habitus ad iudicandum de his, quæ non sunt lege aliqua determinata, & tamen in praxi veniunt; vnde oportet, quod tunc prudens per principia rationis ea iudicet. Quam doctrinam etiam

Seneca. Buridan.

docuit Sen. 4. de benef. cap. 9. *Depositum reddere per se res expetenda est, non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore: aliquando nihil interest, vtrùm inficier, an palam reddam; intueber vtilitatem eius, cui redditurus sum, & nociturum illi depositum negabo.* Vide Burid. 6. eth. tract. 3. cap. 4.

§. X. Dan-

§. X. *Dantur quædam monita Prælatis, ex quorum obseruantia resultabit prudens subditorum regimen.*

LIBER hic totus huiusmodi præceptis plenus est; hoc est enim, quod intendimus, bonum, & prudentem formare Prælatum; hic tamen affero quædam generalia monita ad prudentiã pertinentia.

83. Monitum 1. Nullum negotium aggrediendum, nisi omnibus, quæ illud circumstant, diligenter consideratis. *Qui enim festinus est, pedibus offendet*, Prou. 19. & Greg. hom. 37. in euang. *Omne, quod agimus, præuenire per studium considerationis debemus.* Et Plato in Cratyl. propè finem. *Debet quisque circa rei cuiusque principium plurimum differere maxime, diligentissimeq; considerare, verum recte discernat*, nec no, & Tac. 8. an. vt aiunt, *Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipublica vtile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum.* Et notæ sunt illæ illustriũ virorũ sententiæ. *Festina lentè*; & dictum Sophocl. *Periculosa est præpropera prudentia.* Et Menand. *Multis malorum causa festinantia est*: Et Liuij, *Omnia non properanti clara, certaq; sunt, festinatio improuida, & cæca.* Hoc ab experto accipe, Prælate, Locum ingredere nullum, quin apertus tibi pateat exitus, nec aliquò eas, quin videas, vnde redeas.

D. Gregor. *Plato.* *Tacitus.* *Sophocles.* *Menand.*

84. Monitum 2. Consilium aliquando mutandum, si negotium exigat. Dicitur enim Esther 16. *Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate, & necessitate temporum, vt Reipublicæ poscit vtilitas, ferre sententiam.* Sen. 4. de benef. cap. 34. *Non mutat sapiens consilium, omnibus his manentibus, quæ erant cum sumeret; cæterùm ad omnia cũ exceptione veniet, si nihil inciderit, quod impediat*, &c. Quare omnino imprudens existimandum est, & procul ab officijs arcendum illud hominum genus, qui quod semel apprehendunt, numqam dimittunt. Quod si nõ cogniti dignitatem aliquam nacti fuerint, rogandus Deus, vt optima quæq; primò apprehendant, nam si deteriora, numquam amoueas, & vitam potiùs, quam opinionem deponent. Hos pertinaces, ineruditos, obstinatos, & rusticos vocat Ar. 7. eth. c. 9. *At sunt quidem pertinaces, qui suæ sunt sententiæ homines, & ineruditi, & rustici.* Facilitate autem, & flexibilitate nihil est in homine melius, rationi parere, ratione flecti, ratione duci hominis sapientis est. Vnde Sen. ep. 37. *Vis tibi omnia subijcere, subijce te rationi.* Et Greg. lib. 8. regist. ep. 11. *Illa Præpositorum sollicitudo vtilis, in qua totum ratio agit.*

Seneca. *Aristot.* *Seneca.*

85. Monitum 3. Ingruenti necessitati parendũ. Eccl. 20. *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.* Et Chrysol. ser. 35. *In desperatis causis est sæpe magistra necessitas, inuenit ipsa sibi passio medicinam.* Ar. 6. eth. cap. 1. *De ijs, quæ non possunt aliter se habere, consultat nemo.* & Sen. ep. 95. *Optimum est pati, quod emendare non possis.* & Q. Cur. lib. 8. *Rationem belli necessitas mutat.* Et Hispani.

D. Chrysol. *Q. Curtius*

Soffro, y callo por lo tiempo, en que me hallo.

86. Monitum 4. Non facilè credendum. Est hic neruus, atq; artus imperij. Eccl. 19. *Qui citò credit, leuis est corde.* & ibid. *Non omni verbo credas.* Ber. lib. 2. de consid. cap. vl. *Est vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes, quos noui, ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis solitarius*, &c. *Facilitas credulitatis hæc est, cuius callidissimam vulpeculam magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentes.* Et Ouid. lib. 3. de ar. am.

D. Bernar. *Ouidius.*

Nec citò credideris, quantum citò credere lædat,
Exemplum vobis non leue Procris erit.

Et multò minùs credendum inimicis reconciliatis de nouo, iuxta illud Eccl. 12. *Non credas inimico tuo in æternum*, &c. quod intellige de ijs, qui ex inimicitia formali amici recenter facti sunt, non de ijs, qui ex intimis amicis inimici facti, deinde reconciliati sunt; illa enim inimicitia, seu rixa, est quasi renouatio amicitiæ, iuxta illud Ter. *Amantium iræ amoris est redintegratio.* Quare caueat prudens Prælatus, ne facilè credat huiusmodi discordatis, nam, cum concordauerint, postea sibi inuicem referent, quidquid singuli ab eo audierint. Sed curabit Prælatus, vt dicti reconcilientur, sicq; illis maximè gratus erit, cum nihil magis desiderẽt. Vide Menoch. Inst. pol. lib. 2. cap. 31. §. 4.

Terentius *Menoch.*

87 Monitum 5. Nihil sine consilio faciendũ. Eccl. 32. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* & Prou. 1. *Audiens sapiens sapientior erit.* Et Hor. lib. 3. ode 4. *Vis consilij expers mole ruit sua.* Vide plura hic supra, §. 6. num. 64. Vide etiam Ribad. lib. 2. de princ. christ. cap. 24.

Horatius. *Ribaden.*

88. Monitum 6. Consilia ab euentu non metienda. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*, dicitur cap. 9. Sap. Et Liu. dec. 3. lib. 2. *Euentus stultorum magister est.* Et Sen. lib. 4. de benef. cap. 33. *Sequimur, quà ratio, non quà veritas trahit.* & Ouid. ep. 2.

Liuius. *Seneca.*

Exitus, acta probat, careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Et sic prudens Prælatus spernet stultorum nugas, cum aliquid prudenter institutum, malum fortitum fuerit exitum; sunt enim vulgares, & plebei homines illius opinionis, vt ea consilia bona iudicent, etiamsi indiscreta fuerint, quæ bonum successũ habuerunt, & è contra ea mala, licèt maximè discreta, quæ malum. De quo conqueritur Plin. lib. 5. ep. ad Ruf. ep. vl. *Est omnino iniquum, sed vsu receptum, quod honesta consilia, vel turpia, prout malè, aut prosperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. inde plerumq; eadem facta modò libertatis, modò furoris nomen accipiunt.* Et Cic. lib. 9. ad Att. ep. 7. *Nedum hominum humilium, vt nos sumus, sed etiã amplissimorum virorum consilia ex euentu, non ex voluntate à plerisq; probari solent.*

Plinius. *Cicero.*

89. Monitum 7. A cõsiliario cauendum; Eccl. 37. *A consiliario serua animam tuam, priùs scito, quæ sit illius necessitas*; idest Vide, ne cui temerè, re non satis cõsiderata, fidas. Probanda priùs, & experienda fidelitas, tentanda sensim mens eius, rebus adhuc integris. Vide quibus indigeat, an interesse ducatur, an consilio tibi dato, proprio, an tuo commodo studeat, nam tum eius verbis standum non est, iuxta illud Greg. lib. 1. regist. Ind. 9. ep. 33. *Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quàm qui non tua, sed te diligit.* Et Ar. 8. eth. cap. 4. *Qui sunt ob vtilitatem amici, hi simul cum vtilitate dissoluuntur; non enim hi se inuicem, sed vtilitatem amabant.*

D. Gregor. *Aristotel.*

90. Et

90. Et si cupis scire, quas conditiones debeat
Nazianz. habere bonus consiliarius, lege Naz. in car. de
vir. iamb. 18.

> *Nam terna cum sint, vt vetus sensit cohors,*
> *Pollere debet optimus monitor quibus.*
> *Rerum vsus ingens charitas, os liberum.*

Seu dic, quòd in primis debet esse senex, quocum creuerit pariter virtus, & ætas. Iob. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore pruden-*
Nazianz. *tia*, & Naz. in or. 1. apol. *Senectus enim prudentia coniuncta, imperitæ iuuentuti anteponenda est, & consulta tarditas inconsultæ temeritati.* 2. debet esse probus. Prou. 12 *Cogitationes iustorum iudi-*
Plato. *cia, & consilia impiorum fraudulenta.* Et Plato 4. de leg. *Qui se improbis immiscet, necesse est eadem pati, & agere, quæ tales agere, & loqui inter se consueuerunt.* 3. debet esse expertus in ea re, de qua ab eo petitur consilium. Eccl. 38. *Vnusquisque*
D. Cypr. *in arte sua sapiens est.* & Cypr. in prol. ser. de na.
Dom. *Non facilè de artibus rectè iudicat, qui artes*
Arist. *ignorat.* & Ar. 8. pol. cap. 6. *Impossibile est, vel certè admodùm difficile, vt, qui opera ipsa non tractat, peritè valeat iudicare.*

91. Monitum 8. In quocumq; negotio omnia,
D. Greg. quæ possunt accidere, mala pensanda. Greg. 13. mor. c. 8. *Infirmi dum ventura mala præuidere nesciunt, tantò eis grauiora fiunt, quantò ab eis inopinatò tolerantur; prouidis autem repente aduersa non*
D. Ambros. *veniunt.* Ambr. 1. de off. cap. 38. *Nisi explorentur aduersa, citò occupant, vt in bello improuisus hostis vix sustinetur, si & imperatos inueniat, facilè opprimit, ita animum male inexplorata plus frangunt.*
Seneca. Sen. ep. 95. *Nemo non fortiùs ad id, cui se diu composuerat, accessit, & duris quoque, si præmeditata*
Cicero. *erant, obstitit.* & Cic. philip. 11. *Magna laus, meoq; iudicio omnium maxima (est enim sapientis) quidquid homini accidere potest, id præmeditari.* Et
Terentius. Ter. in adelph. sce. 3. act 3.

> *Istuc est sapere, non quod ante pedes modò est*
> *Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,*
> *prospicere.*

Semper itaque id, quod deterius est, cogitandū; absit modò præiudicium tertij, & quia minus iacula feriunt, quæ præuidentur; & quia in quæstu est bonum, si quod accidat.

92. Monitum 9. Lingua cohibenda; verba enim Prælati notantur attentè & circumferuntur velociter, & multam faciunt in animis sub-
L. Iustin. ditorum impressionem. Vide Laur. Iust. in lig. vi. 11. de prud. c. 4. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Diu igitur considerandum est, quid loquendum sit, & adhuc tacitè prouidendum, ne quid dixisse pœniteat*, &c. Nec alio cognoscitur ab imprudente prudens, quàm ab ore, vt idem Lau. ait. *Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur.* Quod ita verum est, vt, si stultus tacere sciat, prudens iudicetur. Prou. 17. *Stultus quoque, si tacuerit, sapiens reputabitur. & si compresserit la-*
Alciatus. *bia sua, intelligens.* Et Alciat. embl. 11.

> *Cum tacet, haud quicquam differt sapientibus amens.*
> *Stultitiæ est index linguaq; voxq; sua.*

93. Monitum 10. Delatores non audiendi.
Prou. 4. *Remoue à te os prauum, & detrahentia*
D. Hieron. *labia sint procul à te.* Hier. ad Cel. ep. 14. col. 6. *Nihil tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem, mentem, & leuem faciat, quàm facile totum credere, & obtrectatorum verba temerariis mentis assensu sequi; hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur, hoc est, quod sæpe de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maligna lingua dissociat.* Ber.
D. Bernar. lib. 4. de consid. cap. 6. *Clandestinas, & susurratas delationes non recipias, & hanc velim generalem tibi constituas regulam, vt omnem, qui palàm veretur dicere, quod in ore locutus est, suspectum habeas. Quòd si, te iudicante dicendum coram, ille renuerit, delatorem iudices, non accusatorem.* Et
Tacitus. Tac. 4. an. *Sunt delatores genus hominum publico exitio repertum, pœnis quidem numquam satis coercitum.* Per Delatorem, intellige, qui falsis delationibus cum aliqua mixtione veritatis Superioris gratiam aucupatur, aures semper illius pulsans, de quibuscumq; etiam minutissimis rebus monens: nam eos, qui zelo charitatis ducti, de malefactis Superiorem monent, vt prouideat, esse audiendos nemo negat, quando id bono cōmuni sit necessariū, cum omnia namq; scire conueniat Superiorem, nec possit, vbiq; enim esse nequit, nisi moneatur, gregis infirmitates ignorans, eis remedium adhibere nequibit. His tamen, quantumuis grauibus, nolo Prælatum plenam adhibere fidem, nec iudicium firmare, sed solùm cautum reddo. Plura pro hoc monito vide apud Scrib. in Super. relig. lib. 1.
Scribanus. cap. 20. Menoch. Inst. pol. lib. 2. cap. 30. Patr.
Menochius. de reg. lib. 4. tit. 4. Roleum in princ. christ.
Patritius. cap. 22.
Resens. 94. Monitum 11. Subditorum nimia familiaritas vitanda; parit enim ea contemptum, vt habet tex. in l. Obseruandum ff. de off. præsid.
Panormit. docet Glossa in cap. Nullā, 18. q. 2. Panor. in cap.
Apuleius. Dilectus, nu. 2. de pœnis. Et Apul. de Deo Socr. *Parit conuersatio contemptum, raritas conciliat ipsis rebus admirationem:* continuus enim aspectus minùs verendos homines ipsa facietate facit.
Tacitus. Et Tac. 1. ann. *Maiestati maior ex longinquo reuerentia.* Non debet itaq; Prælatus se contemnì pati, vt dicit dicta lex Obseruandum, sed debet habere curam suę dignitatis conseruandę: l. 1. ff. de postulat. & scire, quòd omni familiaritati est dignitas præferenda, vt constat ex exemplis al-
V. Maxim. latis à Val. Max. lib. 2. cap. 2. exempl. 4. vnde omnibus magistratibus secundùm ius potestatis suæ concessum est suam iurisdictionem defendere etiam pœnali iudicio; l. vn. ff si quis ius dic. nō obtemp. gloss. cap. Quod super his, verb Obedientiā, de ma. & ob. Illi igitur grauitate vtendum, idest constantia, quatenus à leuitate contradistinguitur, ita vt non quacumq; re leui moueatur ad ridendum, loquendum, murmurandum, currendum. Et de ista in cap. Tua, de sponf. dicitur, quòd iudices magis mouentur ex grauitate personæ, quàm ex dictis leuioribus; & de hac loquitur Apostolus ad Titum 2. *In omnibus præbe te exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Et de hac
Io. Redin. loquitur dictus tex. in l. Obseruandum. Vide Io. Redin. de maiest. princ. §. Graue.

95. Monitum 12. Liberalitas in subditos exercenda. Hæc enim amorem conciliat, corda rapit subditorum, defectus, si quos habet Prælatus, extinguit; hæc Prælatum firmat, & securum in statu tuetur; hæc inimicos amicos reddit; inuidos quietat, & seditiosos pacificat: hæc facit, vt Prælatus ametur à subditis, & grauitas, de qua in monito 11. facit, vt timeatur. Atq; ita habet hic Prælatus duas regulas, quas si seruauerit,

uerit, amabitur, & timebitur à subditis. Quod parum non est. De beneficentia; vide quæ dixi hic sup. §. 3. à nu. 25. Plura prudentiæ monita, & præcepta vide apud A Lap. in cap. 4. ep. Pet. vers. 7.

§. XI. *Qua debeat vti prudentia Prælatus in ferendi subditorum murmuribus.*

D. Thomas. Malderus. Valentia. Salon. Molina. Romanus. P. Nauar. Naldus. Lessius. Sotus. Nauarrus. Trullus. Ammirat. Sarton. Busæus. Menoch. Scribanus.

96. Vide D.Th. 2.2.q.73.ar.4. Mald. de iust.tr.7. c.1. dub. 15. Val. to.3. disp.5.q.17.p.4. Salon. 2.2.q.73.ar.4. Mol. to.5. tr.4. de iust. disp.34. num. 4. & 5. Rom. sing. 678. P. Nau. lib.2. de rest. cap.4. n.337. Nald. in sum. ver. Superior, nu. 18. Less. lib. 2. de iust. cap. 12. dub. 13. Sot. lib.5. de iust. q.10. ar.4. Nau. in sum. cap. 18. nu. 37. Trull. in enuc. sui Ord. lib. 2. cap. 34. Ammir. in Tac. lib.3. disc.7. Sart. in ciue Reip. reg. confid. 129. Bus. in pan. ver. Detractio, Menoch. inst. pol. lib.2. c.19. §.4. Scrib. in Sup. relig. lib. 1. c.18. & cap. 21. De subditorum murmuribus satis dixi to.2. huius op. q.1. cap. 18. à §.1. Nunc agendum, quomodò debeat ea tolerare Prælatus.

97. Dico 1. maximæ prudentiæ signum est, si Prælatus patienter ferat subditorum murmurationes, easque studiosè ignoret, & spernat. Prob. 1. ex Scrip. Eccl. 28. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Et ps. 111. dicitur de iusto, quòd *Ab auditione mala non timebit.* Et Christus Matth. 15. flocci fecit murmurationes Iudæorū, dicens, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Et Matth. 5. *Beati estis, cum maledixerint vobis,* &c. Et Lucæ 6. *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Et 1. Cor. 4. *Maledicimur, & benedicimus, blasphemamur, & obsecramus.* Et 2. Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.*

D. Gregor. 98. 2. ex PP. Greg. hom. 9. in Ezech. *Cum linguæ derogantium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia toleranda nec obtrectationis sermo timendus est, ne, dum vituperatio peruersorum metuitur, via recti operis deseratur.* *D. Bernar.* Ber. ser. 25. in Cant. explicans illud. *Nigra sum, sed formosa,* & laudans sponsam, quòd exprobrantibus suā nigredinem, non sit succensa, sed eos patienter tulerit, ait, *Omnibus quidem optanda est ista perfectio; propriè autem optimorum forma est Prælatorum.* Et Nicol. Papa I. ep. ad Mich. Imp. *Cresp.* vt refert Cresp. in sum. verb. Iniuria hil. an. *Et quidem nos iniurias nobis specialiter irrogatas, maximè pro iustitia laborantibus, & à iustitiæ impugnatoribus ingestas libenter ferimus: discipuli enim sumus illius, de quo Apostolorum Princeps ait, Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.*

Suetonius. 99. 3. Ex Gentilibus, Suet. in Tib. cap. 28. *Aduersùs conuitia, malosq; rumores, & famosa de se, ac suis carmina, firmus, ac patiens; subinde iactabat, in ciuitate libera linguam, mentemq; liberas esse debere.* *Seneca.* Sen. 3. de Ira, cap. 23. *Contumeliarum patientia ingens instrumentum est ad tutelam regni.* Quo etiam cap. & præced. exemplis Antigoni, Philippi Macedonis, & Augusti, docet iniurias ferre. Et 1. de clem. cap. 20. *Magni animi est, iniurias in summa potentia pati, nec quidquam est gloriosius Principe impunè læso.* *Tacitus.* Tac. 4. ann. *Conuitia, si irascare, agnita videntur, spreta exolescunt.* Et Philem. apud Stob. ser. 19. *Nihil est iucundius, & docto viro dignius, quàm ferre posse conuitiantē, quoniam si ille, cui conuicium fit, dissimulauerit, in ipsum auctorem redundat.*

100. Sed qui fiet, vt delatas mihi iniustas detractiones feram, dicet aliquis, cum his tam naturaliter succenseat animus? quomodò spernam, cum possim vindicare cum mei maximo solatio, & in futurum securitate, quòd talibus non impetar? Punctus verè difficilis; Res ardua. Durum negotium, parum practicatum. Sed 4. accipe modos, quibus demulctus, cōuitia feres, & spernes. 1. est, Si recorderis, te aliquando etiam alios consimilibus conuitijs affecisse, iuxta illud Eccl. 7. *Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias seruum tuum, maledicentem tibi; scit enim conscientia tua, quia, & tu crebrò male dixisti alijs.* 2. Si cōsideres, in te reperiri maiora fortè mala, quàm illa, quæ tibi per calumniam imputantur. Vnde insignis ille Stoicus Epictet. in *Epictetus.* enchir. cap. 44. ait, *Si quis ad te deferat, ille de te maledicit, ne excusa quæ dicuntur, sed respondeo, Ignorat ille, & alia, quæ mihi adsunt mala, alioquin non sola hæc diceret.* 3. Si consideres, opinionem esse vulgi, putare iniuriam esse, quando aliquis tibi maledicit. Quod idem Stoicus docet cap. 26. *Memento, non qui conuitiatur, iniuriā facere, sed opinionem de hoc veluti iniuriam facere. Cum te igitur quisque irritat, tua te opinione scito irritari.* 4. modum docuit Sen. lib. 3. de ira, cap. *Seneca.* 24. *Ignouerunt multi hostibus, ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primùm offendit? cogitemus quādiu placuerit. Sæpe, & aliàs offendit? feramus, quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit. Inimicus est? fecit, quod debuit. Prudentiori cedamus, stultiori remittamus.* Adde etiam 5. modum; Nam vel verum est, vel falsum, quod dicitur. si verum, irasci nō debes, quòd dicatur, sed quòd feceris, vnde in pœnam patienter ferendum. Occultum erat, propalauit; ò stulte nondum sciebas, quòd omnis homo mendax, & ideò nemini fidendum? Lue ergo tuæ stultitiæ pœnas. Si falsum est, quòd dicitur, ride, gaudens in serenitate tuæ conscientiæ. Quod tibi persuadet Ius canonicum cap. Senti; cap. In cunctis, cum 3. seqn. 11. q.3. & cap. Non vos, 2. q.5. in quibus cap. concluditur, quòd parum æstimandæ sunt murmurationes externæ, cum conscientia intùs non accusat.

101. Dico nihilominus 2. Prælatum audientē sibi detrahi in re graui, ex qua per malū exemplum subditi scandalizati, occasionem peccandi sumunt, non posse dictas detractiones, ex quib⁹ deperditur illius fama, negligere, sed teneri sub mortali suam famam defendere. Ita D.Th. *D. Thom.* 2.2. q. 73. ar.4. ad 1. vbi ait, *Possunt tamen ad notitiam alicuius detractiones contra ipsum factæ, aliorum relationibus peruenire, & tunc suê arbitrij est, detrimentum suæ famæ pati; nisi hoc vergat in periculum aliorum.* Thrithem. grad. 4. homil. in cap. 7. reg. S. Bened. qui huius rei duas affert rationes. 1. vt audacia obloquentis reprimatur.

Sotus. Valentia. Molina. P. Nauar. Lessius.

matur. 2. ne bonum audientis impediatur. Sotus lib. 5. de iust. q. 10. ar. 2. sub assert. 1. Val. to. 3. disp. 5. q. 16. p. 3. Mol. to. 5. tr. 4. de iust. disp. 37. nu. 6. P. Nau. lib. 2. de rest. cap. 4. nu. 223. Salon. 2. 2. q. 73. ar. 1. contr. 3. Less. lib. 2. de iust. cap. 11. dub. 6. nu. 31. Et habetur in quodam tract. de honore à Relig. ruen. qui est annexus Spec. relig. Humber. Prob. tum ex Scrip. Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine*: & *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, Prou. 22. Tum ex D. Greg. hom. 9. in Ezech. *Hi, quorū vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentiū sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant*. Tum ex iure can. cap. Non sunt audiendi, 11. q. 3. Tum ex Plau. in Must. *Et si bonam famam mihi seruabo, sat diues ero*. Et Phileph. in Saty.

D. Gregor. Plautus.

Omnia si perdas, famam seruare memento;
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Baldus.

Tum ratione; quia famam suam habet obstrictā regendis subditis, quibus dedecus est ex infamia Prælati. Deniq; Bald. in l. 1. Cod. de confessis, nu. 9. ait, quòd *Bona fama est thesaurus hominis inæstimabilis, & iucundus, & sicut lilium dat suauitatem odoris*. Vnde sequitur, quod peccaret Prælatus remittens suis detractoribus restitutionem famæ, vt aduertit Mol. loc. cit. illi tamen non ampliùs tenerentur restituere: quia fama vere Prælati est, licèt sit obstricta subditis. Addit etiam Mol. quòd, si Prælatus ex hac infamatione redderetur non idoneus suo muneri obeundo, teneretur Prælatiæ renunciare, vel posset à Superioribus ea priuari. Puto tamen, quòd, si detractio solùm sit inter fratres, & non sit periculum, ne subditi inde occasionē peccandi sumant, possit Prælatus detractionem spernere, iuxta 1. conclusionem: quia fratres plus, minusue se cognoscunt, & istæ murmurationes ex otiositate, & ventris plenitudine, atq; calore vindictæ ob aliquam receptam correctionem proueniunt. Vnde multi Sancti eas spreuerunt, vt dicam hic infra, cap. 5. § 4. nu. 52.

102. Dico 3. Potest Prælatus punire iniuriam sibi vt Prælato illatam, vel per detractionem, vel aliàs, si detractio sit publica, & ipse sit communiter existimatus vir probus, & prudens, & non zelo vindictę procedat, sed ad emendationem peccantis, vel eius cohibitionem, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei honorem. Ista conclusio habet 3. partes. Prima pars, quòd iniuria debet esse illata Prælato, vt Prælato, est Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 4. num. 6. Gloss. in cap. Si quis ab Episcopo, 2. q. 7. Aldr. de discip. relig. l. 1. c. 17. §. 1. nu. 15. Abb. in cap. Dilectus, nu. 3. de pœnis. Prob. ex dicto cap. Si quis; & cap. Romana, de pœnis in 6. cap. Guilisardus, 23. q. 3. Iniuria autem dicitur illata Prælato, vt Prælato, quando illi non fuisset illata, si Prælatus non fuisset, vt declarat Graff. 1. p. decis. lib. 2. cap. 49. nu. 55. atq; ita iniuria infertur officio, non personæ, vt V. G. si quis dicat, Ad despectum Prouincialis hoc faciam; Prouincialis est latro, simoniacus, &c. Iniuria censetur illata Prouinciali vt sic. Si verò dicat, Iste Prouincialis est filius rustici, literis non studuit, iniuria non est illata Officio, & sic eam punire non potest.

Graffius. Aldrete. Abbas.

103. 2. Pars, quòd dicta detractio debet esse publica, est eorumdem DD. Abb. Aldr. Graff. 2. p. decis. cit. nu. 4. Iul. Clar. in praxi crim. lib. 5. §. fin. q. 35. nu. 26. Et constat ex dicto cap. Romana, vbi Glossa marg. habet, quod secundum Host. & Arch. posset etiam Prælatus punire, si detractio esset occulta, modò posset sufficienter probari.

Graff. Clarus.

104. 3. Pars, quòd debeat Prælatus esse communiter existimatus bonus, ita, vt non possit esse suspicio, quòd zelo vindictæ puniat, &c. est D. Th. 2. 2. q. 108. ar. 1. corp. & ad 4. Arag. 2. 2. q. 72. ar. 3. vbi ait, quòd contumeliæ illatæ Prælatis vergunt in iniuriam Dei, & Ecclesiæ & ideò possunt per ipsosmet Prælatos iniuriatos puniri. Est etiam Tiraq. de pœnis temp. causa 51. nu. 6. vbi quamplurimos citat. Docet etiam Graff. loc. cit. sed solùm extra iudicium. Quam tamen limitationem non admitto; si enim Prælatus est talis qualitatis, vt non possit quis suspicari, quòd zelo vindictæ sit puniturus reum, non est cur dicamus, eum non posse dictum reum iudicialiter punire; si autem non existimatur bonus, immo quòd debeat se vindicare, iam non potest punire, neq; iudicialiter, neq; extra; quòd si tentet, poterit vt suspectus recusari.

D. Thomas. Aragon. Tiraq.

105. Sed quæres, an Prælatus possit punire subditum, qui non animo confitendi sua crimina, sed animo illi metum incutiendi, ad eum accedit fictæ confessionis causa; & cum ante illū est, facto signo crucis, querimonias, & iniurias in ipsum iactat, minaturq; ei mortem, & percussionem, dicendo, Nisi à me persequendo absistas, iuro te à me occidendum. R. posse Prælatum hoc casu absq; periculo frangendi confessionis sigillum, hoc factum propalare, & ea notitia vti in foro externo ad dictum subditum puniendum eo ipso modo, quo illum posset punire, si extra illum actum fictæ cōfessionis dicta verba in eum effudisset: hæc enim confessio non est, sed sacrilega inuentio. Ita Graff. 1. p. decis. cap. 23. nu. 18. ver. Quod nota; Fagund. in 2. præcept. eccl. lib. 6. cap. 4. nu. 22.

Graffius.

106. Sed quamuis dicta procedant, vt dixi, quia tamen tantus est amor sui, vt quisque, etiā sanctissimus, cæcutiat in proprijs, vt probat Tiraq. de pœn. temp. causa 51. à nu. 81. consulendum est Prælatis regularibus, vt in dictis casibus causam remittant, vel Superiori suo, vel etiam ipsi committant suis Collegis, vel alijs iudicibus, etiam inferioribus, exemplo Christi, qui sponte se humano iudicio subdidit. Quod docet D. Th. 2. 2. q. 67. ar. 1. ad 2. sic enim vitabūt, & nouas murmurationes, & occasionem vindictæ; vnde Ar. 3. pol. cap. 6. ait, quòd *Qui de se ipsis iudicant, vt plurimum non recti sunt iudices*: & ait ibi D. Th. quòd id prouenit ex nimia affectione, quam homo habet ad se ipsum, quæ iudicium peruertit rationis. Vnde 2. 2. q. 64. ar. 5. ad 2. ait, quòd nemo est iudex sui ipsius, & nemo iudex esse potest in causa propria; l. Qui iurisdictioni, ff. de iurisd. omn. iud. Plura huiusmodi vide apud Scac. de iud. c. 1. gloss. 4. q. 7. à num. 2.

Tiraq. D. Thomas. Aristotel. Scaccia.

107. Dico 4. Prælatus audiens aliquem detrahentem subdito suo, & non resistens, peccat mortaliter. Ita D. Th. 2. 2. q. 73. ar. 4. corp. vbi Arag. Sot. lib. 5. de iust. q. 10. ar. 4. Sal. ad locum D. Th. tit. An Prælatus audiens, concl. 1. Mol.

D. Thom. Aragon. Sotus. Salon. D. Thom. Molina.

Valentia. P. Nauar. Naldus. Malderus.

to. 3. de iust. tr. 4. disp. 34. nu. 5. Val. to. 3. disp. 5. q. 17. p. 4. vers. Secundo notandum; P. Nau. lib. 2. de rest. cap. 4. nu. 337. Nald. ver. Superior, nu. 18. Mald. 2. 2. tr. 7. de iust. cap. 1. dub. 15. Constat tum ex cap. 1. ep. ad Rom. vbi Paulus ait, quòd *Susurrones, & detractores digni sunt morte, & non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

P. Bernar.

Tum ex PP. Ber. lib. 3 de consid. cap. 13 *Porrò detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.* & ser. 27. de modo bene viu. *Qui detrahit, & qui detrahentem libenter audit, vterq; peccat.*

D. Chrys.

Chrys. hom. 3. ad pop. de detract. col. 6. to. 5. *Non solos autem maledicentes, sed & alijs detrahi audientes, admoneo aures obstruere.*

D. Hieron.

Hier. ad Nep. *Caue, ne aut linguam habeas, aut aures prurientes, ne aut ipse alijs detrahas, aut alios detrahentes audias.* Et in prouerbio dicitur, quòd Malæ aures faciunt malas linguas. Tum quia nō obstans damno proximi, ad quod tenetur ex officio, vt Prætor non resistens latroni furanti bona subditi eius, peccat contra charitatem, & contra iustitiam, & tenetur restituere. Sed Prælatus tenetur ex officio curare bona temporalia, & spiritualia suorum subditorum, vt dictum est sup. Ergo, cum fama sit excellentissimum omnium bonorum temporalium, maximè necessarium ad conseruationem, & augmentum bonorum spiritualium, cum fama amissa, prorumpant homines facillime in quæcumq; flagitia, ex debito iustitiæ tenebitur eam suo subdito defensare; & consequenter non defensans in re graui, mortaliter peccabit, & tenebitur restituere detracto famam, in casu, quo ipse detrahens non restitueret; qui enim vult finem, consequenter vult media non tam necessaria, quàm vtilia ad illum. Si ergo Prælatus vult salutem spiritualem subditi, consequenter debet velle illius famam, sine qua vix illam consequitur, vel cum qua facilius consequitur.

Sum. Mald.

Atq; ita docent omnes DD. cit. præter Sot. & Mald. cap. 2. dub 2.

108. Dico 5. Tenetur Prælatus sub mortali, instante illo, cui ab alio detractum est, compellere detrahentem, vt detracto famam restituat. Ita Mol loc. cit. Less. loc. cit. nu. 132. Constat, tum quia Superior tenetur ex officio iustitiam ministrare suis subditis, vt multis probant

P. Greg. Pænitn.

P. Greg. lib. 6. de rep. c. 6. & Pen. in l. Neminem, de suscep. & Archar. Cod. lib. 10. Vnde Cic. lib 2. de off. *Mihi quidem non apud Medos solum, vt ait Herodotus, sed apud maiores nostros iustitiæ fruendæ causa videntur olim bene morati Reges constituti.* Tum quia tenetur procurare bonum spirituale illorum; at quamdiu detrahens non restituit, est in malo statu, ergo tenetur Prælatus illum ab eo liberare. Tum quia tenetur compellere furem vt restituat, ergo multò magis famam, cum deteriores sint, qui famam nostram, quàm qui bona nostra tollunt; cap. Deteriores, 6. q. 1. Quòd si non faciat, tenetur ipse restituere, & dicunt Less. & Mol. loc. cit. quia tunc censetur causa moralis damni. Circa modum in Ordine nostro, vide cap. Val. 1. nu. 6. Et noteot Prælati documentum Soti lib. 5. de iust. q. 10. nimirum

Sum.

esse maximè necessarium ad pacem, & salutem religionis, vt Prælati detractoribus vbique obuiam eant.

109. Ex his collige differentiam, quæ est inter famam, & alia bona temporalia. Nam Prælatus potest, inuito subdito, remittere restitutionem bonorum temporalium, ipsi sublatorum, quia dicta bona sunt subiecta illius dispositioni. At vero famam, inuito infamato, remittere non potest; quia subditus eam à se per professionem non abdicauit, sed sibi retinuit, sicut alia omnia dona, & bona naturalia, vt dixi to. 1. huius op. q. 1. c. 12. Licet contradicant P. Nau. lib. 2. de rest. cap. 4. nu. 398. Sayr. in clau. reg. lib. 11. cap. 7. nu. 15. Portel. in add. ad dub. reg. ver. Religiosus, nu. 2. existimantes, Prælatum infamiam remittere posse, etiam subdito non remittente.

P. Nauar. Sayrus. Portel.

Sed vel audiendi non sunt, vel intelligendi, quod possit Prælatus remittere, subdito non contradicente, & quando id bono communi expedire Prælatus prudens iudicauerit. Nec est semper verum, quod magis honoretur Religiosus ratione Religionis, quam personæ; vnde licet pro ea parte, quæ Religionem tangit, possit Prælatus, cum expedire iudicauerit, remissionem facere; pro ea tamen, quæ Religiosum, nequit, ipso omnino cōtradicente, sed conuincendum est subditis, vt voluntatem suam voluntati Prælati accommodent, præsertim si cum secularibus agendum sit. Videatur Less. 2. de iust. cap. 11. dub. 24. num. 124. 129.

Lessius.

110. Dico 6. Prælatus audiens subditum suum detrahentem alteri extraneo, peccat mortaliter contra charitatem, & iustitiam, & tenetur detractorem compellere ad restituendam famam detracto; Quod si detractor non restituat, ipse restituere tenetur. Ita Sal. 2. 2. q. 73. ar. 4. cit. An Prælatus audiens, concl. 2. Nald. in sum. ver. Superior, num. 18. Mol. to. 5. de iust. tr. 4. disp. 34. num. 5. licet in hoc agnoscat peccatum mortale contra charitatem, nō tamen agnoscit peccatum contra iustitiam, nec consequenter obligationem restituendi, si detrahens non restituat.

Salon. Naldus. Molina.

Constat tamen conclusio. Tum quia tenetur Prælatus ex officio, & iustitia obstare, ne sibi subditi alijs noceant, ergo, si non obstat, est causa moralis damni, & consequenter resarcire tenetur. Sicut Prætor videns subditum suum furari aliquid ab extraneo, si, cum impedire possit, non impedit, restituere tenetur. Tum quia iudex tenetur in territorio suo vnumquemq; in demnem seruare. Tum quia omnino idem est detrahere, & detrahentem cū gustu audire, iuxta illud S. Procli ep. 3. *Secundùm veram rationem non prohibere flagitia, agentis cognatum est.*

S. Proclus.

111. Sed quid, in aliqua Religione est imposita detractoribus pœna excommunicationis ipso facto, audientes incurrent ne? Negat P. Nau lib. 2. de rest. cap. 4. nu. 339. quia est pœna, quæ non extenditur. Et nota etiam, quòd licèt detractor nō animo detrahendi detrahat, & ita protestetur, nihilominus tamen si in facto detrahat in re graui, mortaliter peccat, & restituere tenetur, vt ait dictus P. Nau. loc. cit. & constat ex cap. Qui negligunt 24. q. 3. & quia restitutio attenditur ex damno dato, non ex intentione.

112. Dico 7. Illæ excusationes, quæ excusant subditos à mortali, si quandoq; detrahenti non resistant, puta timor, verecundia, negligentia, dubium non proficiendi, non habent locum in Prælato. Ita D. Th. 2. 2. q. 73. ar. 4. corp. Nald. in sum. loc. cit. quia nec timere, nec verecundari,

D. Thom. Naldus.

dare, nec negligere debet facere officium suum, nec etiam est periculum non proficiendi, cum vim coerciuam habeat. Nec etiam potest Prælatus excusari à mortali ex eo, quo illum excusat Mol. loc. cit. si nemirum adeo esset collapsa disciplina regularis in aliquo monasterio, vt merito dubitaret Prælatus nihil proficere, si se detractoribus opponeret, immò inde esse secutura maiora mala. Quia hic casus, meo iudicio, est metaphysicus, ibi enim non esset Religio, sed confusio. Si tamen daretur, posset excusari.

Molina.

§. 12. *Quomodò peccatur contra Prudentiam.*

D. Thomas
Lessius.
Valentia.
Lauelius.



VIDE D. Thom. 2. 2. q. 53. 54. 55. Less. lib. 1. cap. 2. Val. to. 3. disp. 4. quæst. 5. lauell. tom. 2. par. 2. phil. christ. tract. 4. cap. 5.

113. Dico 1. Duobus modis peccatur contra prudentiam, per defectum, & per excessum. Ita D. Thom. q. 53. Prob. quia omnis virtus consistit in medio, medium autem habet extrema, parum, & nimium, quæ semper vitiosa sunt. Vnde Ber. 3. de consid. cap. 10 *In te consistito, non infra deijci, non attolli supra, non euadere in longius, non extendi in latius; tene medium, si non vis perdere modum: locus medius tutus est: medium sedes modi, & modus virtus, omnem extra modum mansionem sapiens exilium reputat.*

D. Bernar.

114. Dico 2. per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter. Præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, & negligentia, quæ comprehenduntur sub vnica ratione imprudentiæ. Ita D. Thom. loco cit. quæst. 53. art. 2. Præcipitatio est impetuosus motus voluntatis, aut appetitus sensitiui, imperantis homini, quòd opus propositum aggrediatur, omisso consilio, & iudicio de medijs, est autem duplex. 1. si quis opus aggrediatur, nulla habita consideratione, vel discursu, & dicitur simpliciter præcipitatio. 2. quando licèt alicui proponatur medium, secundùm quod debet operari, ipse tamen spernit, & facit contrarium, & dicitur præcipitatio cum contemptu, & temeraria. Quam doctrinam monet esse aduertendam Cai. 2. 2. q. 53. art. 3. ad secundum, quando incurratur pœna alicuius legis, seu canonis, decreta in facientes aliquid temerè: non enim eã incurrunt facientes quomodocumq; præcipitãter, sed solùm facientes temerè ex contemptu; quia, scilicèt, licèt habeant notitiam talis præcepti, illud tamen nolunt obseruare. Aduertit etiam Syl. verbo Temeritas, quem sequitur Val. loco cit. par. 1. col. 5. eos etiam censeri temerè facere, & incurrere talem pœnam, qui scienter sub prætextu aliquo fraudulento exercent actũ à iure prohibitum, quod constat ex cap. Per venerabilem, 6. Videbatur, Qui filij sint legit.

D. Thom.

Caiet.

Sylu.
Valentia.

115. Inconsideratio est defectus rectè iudicij intellectus de re agenda, & modo agendi, proueniens ex eo, quòd quis negligit, aut contemnit ea obseruare, ex quibus rectum iudicium procedere potest. Ita D. Thom. quæst. 53. art. 4.

D. Thomas

116. Inconstãtia est recessus à priori bono proposito rectè consiliato, ac rectè rationis iudicio determinato, incipiens à virtute appetitiua, & consummatus per rationis defectum repudiãtis bonum, quod priùs approbauerat, & iudicauerat agendum. Ita D. Thom. art. 5.

117. Negligentia est in proposito rationis tarditas in efficaciter imperando eo, quod est iam bene consultatum, & iudicatum. D. Thom. quæst. 54. art. 1. & 2. quæ negligentia vitanda prudenti omnino est, Nam ait Sen. epist. 1. *Turpissima iactura est, quæ per negligentiam fit. Et, si volueris attendere, magna pars vitæ elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.*

Seneca.

118. Circa hæc aduerte cum Less. loc. cit. n. 10. quòd præcipitatio, & inconsideratio non sunt peccatum mortale, nisi ratione periculi alicuius peccati mortiferi, cui se homo exponit præcipitanter, vel inconsideratè iudicando, vel agendo. Inconstantia numquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto, vel præcepto teneatur persistere in sententia, vel ob aliquam causam extrinsecã, vt aduitandum scandalum. Negligentia non est peccatum mortale, nisi negligas id, ad quod sub mortali teneris, vel ita sis animo remisso ad ea, quæ salutis sunt, vt euidenti periculo aliquid tale negligendi te exponas.

Lessius.

119. Dico 3. Per excessum peccatur contra prudentiam 6. modis, scilicet prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & sollicitudine futurorum. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 55. Prudentia carnis est machinatio rationis solers, accommodata ad consequendum aliquem finem, conformem deprauato appetitui carnali. Ita D. Thom. loco cit. art. 1. quem finem si sibi quis proponat vt simpliciter vltimum, huiusmodi prudentia erit peccatum mortale. Et de hac dicitur ad Rom. 8. *Prudentia carnis inimica est Deo.* Alias erit venialе.

D. Thom.

120. Astutia est cogitatio mediorum, quæ ad finem aliquem, seu bonum, seu malum consequendum sint ita idonea, vt videantur quidem verè bona, sed re vera falsa sint, & simulata. Ita D. Thom. art. 3. & 4. Est autem peccatum mortale, vel veniale pro ratione falsorum, & simulatorũ mediorum, quæ astutè ad finé aliquẽ ordinantur. Vide plura de astutia apud Contz. lib. 3. pol. cap. 4. à §. 1. Dolus est quædam executio astutiæ, siue verbis, siue factis. D. Thom. ar. 4. & 5. Et fraus est etiam executio astutiæ, sed determinata per facta. D. Thom. art. 5. & maximè dedecet Prælatũ, iuxta illud Thucy. lib. 4. *Fraus cum omnibus fœda sit, iis verò is, qui maiori sunt dignitate præditi, fœdior est, quàm aperta violentia.* Sunt autem fraus, & dolus peccatum mortale, vel veniale pro ratione materiæ, vt ait Cai. in sum. verb. Fraus: Val. tom. 3. disp. 4. quæst. 5. par. 2. col. 2. ver. Fraus.

Contzen.
D. Thom.
Tucydides
Caietanus.
Valentia.

121. Sollicitudo temporalium est studium immoderatum circa res temporales vel acquirendas, vel conseruandas, proueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. Ita D. Thom. art. 6. Sollicitudo futurorum est nimia occupatio circa futura intempestiua, maximè vt vitæ necessaria habeantur, coniuncta cũ anxietate, & parua fiducia diuinæ prouidentiæ, cum quis plus, quàm par est, est sollicitus de victu, & vestitu, & alijs rebus necessarijs in futurum annum, mensem, vel diem. Ita D. Thom. art. 7. Istæ autem sollicitudines sunt peccatum mor-

D. Thom.
D. Thom.

mortale, quando cõstituitur vltim⁹ finis in reb⁹ tẽporalibus, & illis plus fiditur, quam prouidẽtiæ diuinæ, & etiam quãdo propter temporalia violatur de facto, vel in animi pręparatione aliquod præceptum omissionis, vel commissionis; aliàs solum sunt peccatum veniale. Ita Less. loc. cit. num. 31. Val. loco cit. ver. Sollicitudo. — *Lessius. Valentia.*

122. Vitandæ ergo sunt Prælatis regularibus immoderatæ sollicitudines, cum ortum habeãt ex auaritia, vt ait D. Thom. art. 6. & auaritia, 1. ad Tim. 6. *est radix omnium malorum.* Et Christus has sollicitudines acriter damnat Matth. 6. *Nolite esse solliciti, dicentes, Quid manducabimus,* &c. *scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Et nolite solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi: sufficit diei malitia sua.* Vnde ego esse in malo statu iudico eos Prælatos, qui plus ista temporalia, quàm spiritualia, curant: & in pessimo, qui nihil spiritualia, & plurimùm temporalia, etiamsi temporalia in vtilitatem monasteriorum conuertant. Et quid dicemus de pudenda illa cupiditate, qua premuntur quidã Superiores, qui fratres suos extra conuentus mittunt, quo vadant, non curantes, modò extra conuentus comedant? Et qui ad aduentum hospitis tremunt, mussitant, murmurant, frontem caperant, rustico, & toruo illum recipientes aspectu, &, si possunt, ad cauponã mittunt? Quidq; omnes suos fratres ad quæstuandum ire iubent; & numquam rident, nisi cum aliquid in penu introditur, & semper mœrent, cũ ex eo aliquid extrahitur, etiam necessarium pro fratrum sustentatione, atq; ita quando accipiunt, gaudent; quando reddunt, plorant? Quiq; fratribus infirmis etiam necessaria denegant, vt muros monasteriorum extollant? Hi, inquam, sunt in malo statu, tum propter nimiam rerum temporalium cupiditatem. Tum quia sunt causa multarũ murmurationum, & maledictionum, quas maledictiones exaudit quandoq; Dominus, iuxta illud Eccl. 4. *Maledicentis sibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius.* Tum quia inde proueniũt peculia, proprietates, vagationes, nõ attenditur vitæ spirituali, immò hæc maximè relaxatur; ait D. Greg. lib. 2. regist. Ind. 11. ep. 17. *Necesse est enim vt cessio aut desides faciat, aut robur Religionis infringit.* Et sẽper ego existimaui, duo maximè Religiones destruere, Superiorũ auaritiã, & subditorũ ãbitionẽ. Sed 1. fouet, auget, gignit istud secũdũ. — *D. Greg.*

123. Aduerte tamen, quòd tempestiua, & moderata cura temporalium, & futurorum non est prohibita, sed commendata Prou. 6. *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam; quia, cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.* Et Prou. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autẽ stertit æstate, filius confusionis.* Et aduerto etiam, quòd permittit aliquando Deus, aliquos Superiores impensiùs tẽporalibus rebus attendere, vt cœteri quietiùs spiritualibus vacẽt. Quod monuit Greg. 25. mor. c. 16. *Quia potestas regiminis ministrari nõ potest sine studio cura temporalis, aliquando omnipotẽs Deus mira dispensatione pietatis, vt teneræ spiritualium mentes à terrena cura dissimula sint, onus regiminis duris, ac laboriosis cordibus iniungit, vt tantò illa ab hoc mundo securiùs lateant, quantò hæc in terrenis sollicitudinibus valenter elaborant.* Potest tamen Prælatus manum temporalibus stringere ad soluẽda monasterij debita; & tũc æquũ est, vt omnes patientiã habeãt; viadat enim sic iustitia.

§. 13. *De iustitia Prælatis regularibus necessaria.*

124. VIDE Arist. 5. eth. à c. 1. Lact. lib. 5. inst. c. 5. D. Tho. 2. 2. à q. 57. Less. toto lib. 2. de iust. Val. to. 3. disp. 5. Ianell. to. 2. p. 2. phil. christ. tr. 5. Ant. Carm. ser. 11. Stob. ser. 9. Peraldo in sum. vir. to. 1. p. 3. princ. tract. 5. Eustach. in eth. p. 3. tract. 3. lect. 1. disp. 1. Aegid. lib. 1. de reg. par. 2. cap. 10. Patr. de reg. lib. 8. à tit. 1. Sart. in ciuc Reip. reg. à consid. 30. Ribad. de Princ. christ. lib. 2. cap. 5. Io: Tor. 1. par. phil. mor. princ. lib. 7. à cap. 1. F. Tor. phil. mor. Eccl. lib. 3. cap. 25. 26. P. Greg. lib. 10. de rep. cap. 1. Bell. de princ. christ. lib. 1. c. 9. Menoch. Inst. pol. lib. 2. c. 9. Scrib. in Sup. relig. lib. 1. cap. 15. & in pol. christ. lib. 1. c. 9. Cõtz. lib. 3. pol. c. 6. Lips. lib. 2. ciu. doct. c. 10. — *Arist. Lactanti⁹ D. Thomas Lessius. Valentia. Ianellus. A. Carmel. Stobæus. Peraldus. Eustachi⁹ Aegidius. Patritius. Sartonius. Ribaden. Io: Torres. F. Torres. P. Greg. Bellarm. Menochius Scribanus. Contzen. Lipsius.*

125. Dicendum est, iustitiam, quæ nihil est aliud, iuxta D. Tho. 2. 2. q. 58. art. 1. & l. Iustitia, ff. de iust. & iur. quàm Constans, & perpetua voluntas tribuendi vnicuiq; quod suũ est, esse Prælatis regul. simpliciter necessariã. Ita Bell. loc. cit. Aegid. loc. cit. cap. 11. & 12. Sart. consid. 30. & alij communiter. Constat 1. ex Scrip. Prou. 16. *Iustitia firmatur solium.* & cap. 20. *Misericordia, & veritas,* idest iustitia, *custodiunt Regem, & roboratur iustitia* [iuxta 70] *thronus eius.* Eccl. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Sap. 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terrã.* Ps. 98. *Honor Regis iudicium diligit,* idest honorabilem hoc Regẽ reddit, quòd iustitiã diligit, explicat Basil. & Prou. 16. *Initium viæ bonæ facere iustitiã.*

126. 2. Constat ex PP. Aug. 2. de ciu. cap. 21. ait, *Rempublicam regi, aut stare non posse sine iustitia.* & lib. 4. c. 4. *Remota itaq; iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Greg. lib. 7. regist. ep. 111. & refertur in c. Si seculi, 11. q. 2. *Summum in Regib⁹ bonum est, iustitiam colere, ac sua cuiq; iura seruare.* D. Th. lib. 3. de reg. princ. c. 5. *Consonũ videtur naturæ, vt dominium sit concessum pro pace, & iustitia conseruanda, & iurgiis, ac discordiis resecandis.* & in princ. e. ait, ideò Romanos dominiũ orbis terrarũ fuisse consecutos, quia iustitiã zelabãt. Bern. ser. ad Past. in synod. cong. *Sine iustitia non solum Respublica, sed nec parua dom⁹ subsistere potest.* Quã ppositionẽ latè probat Aegid. loc. cit. c. 11. & 12. — *D. August. D. Greg. D. Thomas D. Bernar.*

127. 3. Constat ex Philosophis, Plat. lib. 1. de Rep. vers⁹ finem. *Seditiones iniustitia, inimicitias, contentionesq; parit: Iustitia verò concordiam, & amicitiam.* Xenoph. de exped. Cyri, lib. 7. *Ego verò nullam arbitror esse homini, ac præsertim qui cum imperio sit, possessionem vel pulcriorem, vel splendidiorem virtute, iustitia, generositate animi.* Cic. 2. de off. *Tanta huius* [iustitiæ] *vis est, vt nec ij quidem, qui scelere, aut maleficio pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere.* Plut. ad princ. inerud. *Sicut autem in cælo pulcherrimũ posuit sui documentum [Deus] in quo tamquã speculo quaris se cernendum præbet. Ita in ciuitatibus iustitiæ splẽdor quidam diuinæ sapiẽtiæ imaginẽ reddit.* Ad quod etiã respexit Ar. 5. eth. c. 1. *Iustitia est virtutũ præstantissima, & neq; hesperus, neq; lucifer sit adeò admirabilis.* — *Plato. Xenophon. Cicero. Plutarc. Aristot.*

Vbi aduerte, quòd hesperus, & lucifer sunt vna, & eadem stella, quæ propter suam pulchritudinem Venus dicitur: hæc semper cum Sole ambulat, aliquando tamen, idest mane, eum præcedit, & dicitur lucifer; aliquando subsequitur, idest sero, & dicitur hesperus. Puto itaque, quòd intentum Arist. fuerit dicere, quòd quia Prælatus est in Republica velut Sol, vt dixit Christus Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, sicut Solem hunc comitatur semper splendidissimum aliud sidus, Venus vocatum, ita Prælatum comitari semper debet iustitia: & sicut Venus aliquando præcedit, & exhilarat mundum, aliquando subsequitur, & contristat: Ita eadem iustitia præcedit Prælatum, quando præmiat virtutes, & virtuosos, vnde isti gaudent; subsequitur autem, quando punit vitiosos, qui lucem oderunt.

128. 4. Constat ratione. Tum quia Prælati debent esse regula agendorum. Tum quia iustitia est præclarissima virtus, quæ in se omnes continet virtutes. Tum quia iniustitia turpissima, & pudentissima res est. Quas rationes prosequitur Aegid. loco cit. Tum quia sicut sanitas in humano corpore consistit in debita humorum temperatura, ita Reipublicæ, & Religionis salus in debita Religiosorum contemperatione; ita vt in honoribus, & oneribus omnes parificentur, quod iustitia facit. Vnde Philo de princ. creat. col. 3. *Tali autem Principi legitimo, ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum principatum Propheta proponit loco præmij. Non quòd annosam ætatem polliceatur rectè administrantibus Rempublicam, sed vt nos doceat, legitimum Principem viuturum etiam post obitum, relicta post se immortali virtutis, rerumq; à se gestarum memoria.* Et Hesiod. de op. & dieb. lib. 1.

Philo.

Hesiodus.

Verùm vbi iustitiæ sancti seruantur honores;
iuditioq; pares & ciuis, & aduena pendent,
Vrbs viget, augetur soboles, pax læta vagatur,
Pax iuuenum nutrix. Numquam his fatalia bella
Præparat Altitonans: Nullis in rebus egestas
Imminet.

§. 14. *De partibus integralibus iustitiæ.*

D. Thom.
Valentia.
Eustachius.

DE hia D. Th. 2. 2. q. 79. ar. 1. Val. tom. 3. disp. 5. q. 26. p. 1. Eustach. 3. par. eth. tract. 3. disp. 2. sect. 3. quæst. 2.

129. Dicendum, partes integrales iustitiæ esse 2. Declinare à malo, & facere bonum, iuxta illud psal. 33. *Declina à malo, & fac bonum.* Ad quod potest etiam adaptari illud Esa. 1. *Quiescite agere peruersè, discite bene facere.* Et illud Tertull. lib. 1. ad vx. c. 3. *Recedit autem à malo, qui non facit, quod obest; facit bonum, qui addit insuper, quod prodest.* & Hilar. in ps. 144. *Solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur.* Sed cum iustitia sit ad alterum, vt ait Arist. 5. eth. c. 1. istæ partes integrantes iustitiæ etiam in ordine ad alterum intelligendæ sunt, vt declinare à malo, idem sit, ac abstinere à faciendo malum proximo; & facere bonum, idem sit, ac facere proximo bonum debitum ex legali iustitia, ratione boni communis, seu ex iustitia commutatiua, ratione boni particularis. Vide Val. loco cit.

Tertull.
D. Hilarius.
Aristot.

§. 15. *De partibus subiectiuis iustitiæ.*

130. VIDE D. Tho. loco cit. q. 61. Val. q. 5. Less. lib. 2. de iust. c. 1. dub. 4. Eustach. quæst. 3. Sar. consil. 31. Bell. de princ. christ. lib. 1. cap. 10. Ianell. to. 1. p. 1. phil. christ. tr. 5. c. 3.

D. Thom.
Lessius.
Sarsonius.
Bellarm.
Ianellus.
Aristot.
D. Thom.

Noto 1. ex Arist. 5. eth. cap. 2. D. Tho. loco cit. art. 1. quòd iustitia particularis (linquo illam generalem, seu legalem, quę vel omnes in se cōtinet virtutes, vel bonum pluribus commune considerat, vel leges condit, vel obseruat) habet 2. partes subiectiuas, nempe distributiuam, & commutatiuam. 1. tota posita est in distribuendis præmijs, honoribus, & alijs bonis communibus ad æqualitatem, attenta ratione meritorum, & non personarum. Commutatiua est duplex. Alia, quæ in commutationibus, emptionibus, venditionibus posita est, & de hac hic nō loquor. Alia, quæ cōsistit in inflictione pœnarū. Quæ distinctio sumitur ex D. Th. 2. 2. q. 108. ar. 2. ad 1. & Bell. de regim. lib. 1. cap. 10. Alij distinguūt distributiuam iustitiā in remuneratiuam, quæ præmia distribuit, & in punitiuam, quæ delicta castigat. De quo duplici munere hic aliqua dicam, eo quòd illud sit maximè Prælatis commendatum, Ier. 1. *Constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & plantes, & ædifices, & disperdas.* Euellas scilicet, & disperdas vitia; plantes, & ædifices per condignam retributioné virtutes.

D. Thomas.

131. Noto 2. quòd iustitia distributiua tota posita est, vt euitetur acceptio personarum, de qua D. Thom. q. 63. vbi Arag. Sal. & Val. q. 7. & Less. lib. 2. c. 32. à dub. 1. Acceptio autem personarum est vitium, quo Prælatus in distributione bonorum communium, quę ex iustitia debentur, non considerat veram causam meritorum, sed loco causę considerat aliquam qualitatem, vt cognationem, patriam, amicitiam, vel aliquid aliud huiusmodi, quod ad rem non pertinet. Ita Bell. loco cit. Est autem acceptio personarum ex genere suo peccatum mortale: quia prohibetur in Script. Deuter. 1. *Nulla erit distantia personarum, nec accipietis cuiusquam personam*, & Iacob. 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem.* Cū ergo in Scrip. sacra non prohibeantur de ordinatio nisi sola peccata mortalia, vt ait Sal. loc. cit. ar. 1. concl. 1. de fide est, acceptionem personarū esse peccatum mortale ex genere suo. Quod addo, quia ex leuitate materię, vt notant Arag. & Val. p. 1. col. 2. ver. Ex hoc facile, potest aliquādo esse veniale, vt si quis amicum digniori præferat in electione ad aliquod officium parui momenti, vel etiam aliquid plus ex bonis communibus amico conferat, quàm alijs.

D. Thomas.
Aragonus.
Salzedo.
Valentia.
Lessius.
Bellarm.
Salzedo.
Aragon.
Valentia.

132. Aduerte autem, quòd iustitia distributiua non exigit, vt bona communia æqualiter omnibus dispensentur secundùm portionem arithmeticam; sed solum secundum geometricam, ita vt detur magis, & minùs secundum exigentiam debiti, & meriti, vt notat Eustach. 3. par. eth. tract. 3. disp. 2. sect. 2. quæst. 5. & dixi sup. pluries.

Eustachius.

133. Ad-

133. Aduerte etiam, non accipere personam illum Prælatũ, qui amicũ, conciuem, &c. magis, & libentiùs ad honores, & dignitates anteponeret, quam alium æquè dignũ, si amicitia, &c. sit solùm causa impulsiua, nõ principaliter motiua; si verò nominet amicos non idoneos, tum acceptor est personarum, & mortaliter peccat, quia non merita, sed amicitiam respicit, vt notat in specie Bell. de princ. christ. lib. 1. cap. 10. *Bellarm.* Item si in nominatione præponat probandos probatis, vt aduertit Ber. lib. 4. de consid. cap. 3. *D. Bernar.* *Ad officia viros probatos oportet deligi, non probandos.* Non putarem tamen, peccare mortaliter, qui conuentibus paruis non probatum iuuenem præponeret, ad faciendum de eo experimentum, probato postposito. Tum quia nisi quis probetur, nunquam poterit dici probatus. Tum quia illæ Prælatiæ conuentuum minorum non requirunt Prælatum tam vndequaq; rotundum, cum paucos habeant sub se subditos.

134. Aduerte etiam, quòd non esset acceptor personarum ille Prælatus, qui ex bonis suo vsui cõcessis donaret aliquid amico minùs digno, & minùs indigenti, quam alij, vt aduertit Val. loc. cit. ver. *Valentia.* Porrò; quia illa bona non sunt bona communia formaliter, sed per assignationem facta sunt quodammodo particularia; nec distribuuntur ex iustitia, sed ex mera liberalitate; & in gratuitis non est acceptio personarum, vt aduertit D. Thom. 2. 2. q. 63. ar. 1. ad 3. *D. Thomas*

135. Aduerte etiam, quòd potest Prælatus peccare peccato acceptionis personarum in exhibendis honoribus suis subditis, tam in publico, quam in priuato, V. G. si in capitulo debitum locum vnicuiq; non assignet, sed vnum alteri præferat, si titulum suum cuiq; non tribuat. Similiter in priuato, si non salutet quem debet, & eo modo, quo debet, sed in hoc respiciat, nõ merita, sed alias qualitates, quibus honor non debetur. Ita D. Thom. Arag. Sal. loc. cit. ar. 3. *D. Thomas Aragon. Sal.* quod peccatum erit mortale, vel veniale, iuxta iniuriam, quam priuatus tali loco, vel titulo, vel honore sibi debito patitur. Ita Sal. loc. cit. controu. 1. concl. 1. *Salzeds.*

136. Aduerte quoque, quòd Prælatus etiam in his, quæ commissa sunt illius arbitrio, potest peccare peccato acceptionis personarum. Vt si vni remittat pœnitentiam, & non alteri, stantibus eisdem omnino circumstantijs. Si cum vno dispenset, & nolit cum alio in pari causa. Si in iudicijs vni concedat copiam processus, alteri neget. Ita Sot. lib. 3. de iust. q. 6. ar. 5. *Sotus.* Arag. loc. cit. ar. 4. *Aragon.* Val. to. 3. disp. 5. q. 7. p. 4. col. 3. ver. *Valentia.* Ad hanc dubitationem; Sal. 2. 2. q. 63. ar. 4. controu. 1. col. 2. *Salon.* Nam vsus potestatis, quem habet Prælatus, est in bonum publicum, & vtilitatem subditorum ordinatum, ergo ex iustitia distributiua tenetur illud dispẽsare, & applicare subditis secundũ dignitatem vniuscuiusq; Et Prou. 18. dicitur, *Accipere personam in iudicio, non est bonum.* & *In iudicijs non est habenda acceptio personarum*, per reg. 12. de reg. iur. in 6.

137. Circa iustitiam punitiuam, Dico 1. tenetur Prælatus delicta subditorum punire. Est communis cum D. Thom. 2. 2. q. 67. ar. 4. corp. *D. Thom.* Menoch. Inst. pol. lib. 2. cap. 12. num. 1. *Menochi* Bell. lib. 1. de princ. christ. cap. 10. *Bellarm.* Constat. tum ex Scrip. Esa. 1. *Quærite iudicium, subuenite oppresso*, &c. Deut. 13. interfici iubetur, qui persuadet Dijs alienis seruire, *Nec parcat*, dicitur, *oculus tuus, vt miserearis, sed statim interficies.* Et de homicida Deut. 19. dicitur. *Morietur, & non misereberis eius.* Et ad Ro. 13. *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Tum quia Prælatus est custos iustitiæ, qui proinde ius suũ vnicuiq; reddere debet. Tum quia ad bonum Religionis pertinet, quòd malefactores puniãtur, & leges custodiantur. Tum ex cap. Non est crudelis, cum 4. sequ. 23. q. 1. & c. Non innocentiæ, cum 2. seq. ead. cau. & q. Facit etiam cap. Si is, qui 23. q. 4. cap. Legi Sitomastem, 23. q. 8. & cap. 1. cum 2. sequ. d. 86. Tum ex PP. Chrysost. lib. 3. aduers. vitup. vi. mon. loquens de Sacerdote Heli, ait. *D. Chrys.* *Minas addere debuerat, & à suo eos conspectu amouere, & verberibus afficere, multóq; illis grauius, & durius instare. Sed cum incompetentius illis parceres; & suam, & illorum salutem perdidit.* Et Ber. ep. 178. ad Innoc. Papam, conquerens quòd nõ reperiatur Romæ iustitia in Prælatis ecclesiasticis, ait. *Qui flagitiosi, & contentiosi de populo, siue de clero, aut etiam ex monasterijs currunt ad vos pulsati, redeuntes iactant, & gestiunt, se obtinere tutores, quos magis vltores sensisse debuerant. Proh pudor! quos cachinnos res ista mouet Ecclesiæ inimicis?* & P. Dam. ep. 11. ad Gotif. lib. 7. *P. Dam.* *Illud etiam mihi non mediocriter displicet, quia in plectendis flagitijs, & temerarijs iniquorum hominum ausibus coercendis, remissior cerneris esse, quã decet, & dum peccatoribus parcis, augere peccata conuinceris, eneruato quippe rigore iustitiæ, status euertitur disciplinæ: & dum vltoriæ seueritatis censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur. Inordinata sanè pietas nutrit impietatem, & timida manus medici vulnus auget ægroti*: & ep. 12. eiusd. lib. probat, quòd rigor iustitiæ vtilis est bonis, & malis.

138. Nota autem, quòd propter 3. debent Prælati delinquentes punire. 1. quia id meretur; sicut enim nullum bonum irræmiatum, ita nullum malum debet esse impunitum. 2. vt corrigantur; cap. Prodest, 23. q. 5. 3. propter pacem, & quietem Religionum; cap. Res omnes, ead. cau. & q. Duas alias addit Gel. lib. 6. cap. 14. *Gellius.* *Puniendis peccatis tres esse debere causas, existimatum est. Vna est, cum pœna adhibetur castigandi, atq; emendandi gratia, vt is, qui deliquit, attentior fiat, correctiorq; 2. cũ dignitas, auctoritasq; eius, in quem peccatũ est, tuenda est, ne prætermissa animaduersio contemptum eius pariat, & honorem leuet. 3. propter exemplum, vt cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitùs interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur.* Sed hæ duæ ad 3. illam nostram reduci possunt: & de ea Prou. 9. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Et aduerte, quòd non possunt Prælati pœnas à iure delictis inflictas excedere, vel minuere, absq; causa legitima, l. Si ita stipulatio, ff. de verb. obl. Red. de maiest. Princ. ver. *Redin.* Sed etiam per legitimos tramites, à n. 26. & à n. 48. Causæ autem legitimæ sunt ætas, tempus, locus, rei conditio, criminum vniuersitas, peccatorũ qualitas; Red. n. 77. Et multò minùs potest Prę-latus veniam dare; l. Si apparitor, in fine, Cod. de cohartali, lib. 12. Hæc enim non datur delinquentibus nisi in casibus à iure expressis, iuxta notata in l. Si quis legatum, §. Si patro-

nus, in gloss. ver. Impetrata, ff. de fall. Red. cit. §. Ad clementiam pronum, num. 14.

139. Ex his colliges. quod Prælatus non eo demnans reum ad soluendas pœnas a lege positas, sed illum absoluens, aut pœnas minuens, mortaliter peccat, & restituere tenetur communitati, vel parti læsæ damnum datum, præsertim in bonis temporalibus. Ita D. Tho. 2.2. quæst. 67. art. 4. vbi Arag. & idem Aragon. quæst. 62. art. 7. col. 16. ex eo enim quòd peccatores manent impuniti, aut non debitè puniti, audaciores, & promptiores hunt ad noua scelera patranda. Vnde Esa. cap. 26. *Misereamur impis, & non discet iustitiam*. Et quòd Prælati restitutioni obnoxij sint, conuincitur ex 3. Reg 20. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius*. Et dictus Prælatus infamiæ pœnam incurrit; l. Seruos, in fine, Cod. ad legem Iuliam, de vi publ. Rom. sing. 77. qui addit præterea, dictum Prælatum puniendum ea pœna, qua puniendus, erat reus. Ita Rod. ... cit. num. 49. Limita tamen nisi locum habeat epicheia, vt Arag. loco cit. quæst. 67. art. 4. vel nisi magna perturbatio in Religione oriunda, suaderet ad tempus dilatandam esse peccatorum integram punitionem; cap. Tolerandi, cap. Quid ergo; cap. Quidam verò, cap. Cum quisque, 23. quæst. 4. & docet D. Tho. 2.2. quæst. 108. art. 1. ad 5. fine.

D. Thom.
Aragon.

140. Collige 2. quàm malè faciant, qui precibus importunis conatur eripere reos e manibus Prælatorum, ne pœnas debitas illis infligant, vt notat Val. tom. 3. disp. 5. quæst. 11. par. 4. fine. 1. enim sunt causa, quòd Prælatus eorum precibus victus, iustitiam deserat cum aliorum scandalo, & animæ suæ detrimento. 2. priuant dictos reos vtilitate, quæ capitur ex punitione, vt dicitur in cap. Serpens, de pœnit. dist. 1. cum enim puniuntur in hac vita, non puniuntur in futura; cap. fin. §. Sed etiam sic, de pœnit. dist. 7. & docet Dam. lib. 7. ep. 12. *Vbi autem non est solutum vindicta peccatum, manet æternis ignibus extinguendum*. Et certum est, quòd quò plus quis pœnitentiam differt, eò plus patientiam Dei prouocat ad seueriùs vlciscendum; cap. Si ea, 23. quæst. 4. Grauissimum itaq; flagitium fauere iniquis; cap. Qui consentit, 11. quæst. 13. vbi dicitur, *Qui defendit delinquentem, maledictus erit apud Deum, & homines*. Nec valet, quod dicunt, misericordia se motos id facere: nam optimè Aug. relat. cap. Si res, §. Illud verò, 14. quæst. 6. *Misericordiùs opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendamus*. & Greg. 3. par. past. admon. 17. & 16. mor. cap. 19. *Cùm immoderatiùs custoditur virtus mansuetudinis, soluuntur iura regiminis; & fiunt in subditos grauiter impij, cum circa impios sunt sine discretione pij*.

Valentia.
P. Dam.
D. August.

141. Dico 2. Debet Prælatus in puniendo semper rigori miscere misericordiam. Ita Red. de maiest. Princ. ver. Seuerum, num. 7. Trull. in eluc. lib. 3. cap. 15. A. Carm. ser. 14. F. Tor. phil. mor. Eccl. lib. 3. cap. 25. & 26. Menoch. inst. pol. lib. 2. cap. 12. §. 7. Bell. de princ. christ. lib. 1. cap. 10. Scrib. lib. 2. pol. christ. cap. 9. Constat 1. ex Scrip. Eccl. 7. *Noli esse iustus multum, neq; plus sapias, quàm necesse est*. Eccl. 4. *In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm mater*. Qui locus de omnibus intelligitur; nihil enim aliud est reus sub iudice, quàm pupillus, patre, & protectore destitutus, & psal. 84. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculata sunt*. Iob. 29. *Cum sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator*. Ad quem locum dicit Greg. *Disciplina enim, vel misericordia multùm destruitur, si vna sine altera minuatur*.

Redin.
Trullus.
A. Carm.
F. Torres.
Menoch.
Bellarm.
Scribanus.
D. Gregor.

142. 2. Ex PP. Aug. lib. 5. hom. hom. 4. explicans illud psal. 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. *Hæc est*, inquit, *oratio eorum, qui præsunt, vt doceat illos Deus bonitatem, qua faciat disciplinam; quàm exerceant, amabilem; disciplinamq; qua inculpabilem faciat, quam exercent, bonitatem. Quia bonitas, idest benignitas, & facilitas sine disciplina, mater est vitiorum; disciplina sine bonitate, tristis quadam amaritudo viuendi. Scientia opus est, vt nouerint scienter, sapienterq; distinguere, qui sint termini bonitatis, & quam disciplina debeat tenere mensuram, nè fortè aut nimiæ remissionis vitio bonitas inconsulta sordeat, aut disciplina durior ipsa seueritate crudelescat*. Greg. 20. mor. cap. 8. *Hinc Dauid ait, Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur, & baculo sustentamur: Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit vigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæuiens; sit pietas, sed non plus, quàm expediat, parcens*. Basil. in procem. reg. fus. disp. *Animaduertis quanta cum discretione misericordia Dominus vtatur; siquidem neq; citra iudicij discretionem clemens est; neq; inclementer iudicat, misericors enim, & iustus Dominus est*.

D. August.
D. Greg.
D. Basili.

143. 3. Constat ex sacris Can. Trid. sess. 13. de reform. cap. 1. *Sint, autem, att, ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est*, &c. cap. Ponderet, dist. 50. fine; cap. Omnis; & cap. Vera, dist. 45. Et Cic. pro Clu. ait, *Sapientis iudicis est, meminisse se hominem, cogitare sibi tantum à populo esse permissum, quantum commissum, & creditum sit; & non solum sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse*. & infra, *Sapientis iudicis est, habere in consilio legem, religionem, æquitatem*. Et tandem veram existimo Aug. sententiam ser. 26 ad fr. in er. tom. 10. *Melius est, vt redarguamur de misericordia, quàm de crudelitate in die nouissimo, superexaltat enim misericordia iudicium*, Iac. cap. 2. & Boet. lib. 4. de consol. met. 4. *Vis aptam meritis vicem referre? dilige iure bonos, & miserere malis*. Et quidam è nostris dicebat, quòd, *Rigidus Prælatus rigidos facit subditos*; duriores enim sunt in exequendis mandatis, & aliquando rebelles, cum animus generosus hominis non nisi amore trahatur.

Cicero.
Boetius.

144. Sed dices, quomodò poterit Prælatus esse misericors, cum dictũ sit, quòd tenetur delicta punire, nec potest pœnas relaxare, aut minuere? Ad hoc gloss. in c. Omnis, quid. 45. *Ideò dicitur iudex seruare rigorem, & misericordiam, non quòd simul exerceat eam circa aliquem; sed quia, si opus fuerit, & causa subest, debet esse misericors in dispensando; si causa non subest, debet esse rigidus in iudicando. Valdic, quòd iudex semper habebit*

mise-

misericordiam, etiam occidendo hominem, etsi non per mitigationem pœnæ, saltem per compassionem, vt infra eodem cap. Vera. Item ex hoc facis misericordiam, cum facis, vt ille conteratur inter flagella, & ne fiat deterior. Vnde eo ipso quod iudex punit aliquem, misericordiā fecisse dicitur in cap. Tria, eadem caus. & q. vbi dicitur, quòd delinquentes corrigere, eleemosyna est. Et qui facit finem peccato, misericors est; cap. fin. de pœnit. dist. 7. fine. Vel denique dic, quod erit Prælatus iustus, & misericors, si æquitatem seruet; est enim æquitas *iustitia dulcore misericordiæ temperata*, vt ex Cypr. Panor. in cap. Magnæ, de voto, num. 3. & vir æquus secundùm Arist. 5. eth. cap. 10. fine, est, *Qui non est exactus iuris executor in peiorem partem, sed imminuit potius.* & 2. mag. mor. cap. 1. ait, *Est nimirum æquitas, & æquus, qui descripta legibus iusta diminuit, ac moderatur: nam quæ legislator particulatim examinare, & ad vnguem definire non potest, sed in vniuersum loquitur, hic in eisdem intercedens, deligit quæ legislator particulariter quidem definire volebat, verum ei facere non licuit. Huiusmodi certè æquus, non omnino iusta diminuens, quandoquidem quæ natura, ac verè iusta sunt, non diminuit, sed ea duntaxat, quæ legislator deseruit, cum explere non posset.* Si ergo Prælatus in fauorem rei semper leges interpretetur in dubijs, easque quantum illarum substantia patitur, minuat, iustus, & misericors erit. Quando vero pœna est expressa in iure, & circumstantia non minuit, cum nec ipse minuere possit, ita se gerat, vt intelligat quilibet, inuitum illum ad illa descendere; iuxta illud Claud.

Panormit.
Aristotel.
Claudius.

Sit piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox
Et doleat quoties cogitur esse ferox.

145. Sed quomodò, inquis, persuadebit subditis, inuitum se ad pœnas descendere? Id persuadebit primò, si intelligant subditi, æqua se lance omnibus iustitiam ministrare solitum, *Nam statera dolosa, abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius.* Prou. 11. ad quem locum ait Beda tom. 4. *Qui aliter causam pauperis, aliter causam potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera vtique librat iniqua.* Et Amb. 2. de off. cap. 24. *Sed nec personam alterius accipiamus in iudicio, gratia absit, causam merita decernant. Nihil sic opinionem, immo fidem, grauat, quàm si in iudicando potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, & diuitem excuses reum culpæ.* 2. Si non iratus iudicet; Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.* Licèt enim impossibile sit, quòd non irascatur Prælatus ad vitia subditorum, præsertim si in commune damnum vergant; vnde Dauid dicebat psal. 40. *Irascimini, & nolite peccare.* & Lact. lib. de ira, cap. 17. *Ira, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest; quia vtilis est rebus humanis, & necessaria.* Et Arist. 4. eth. cap 6. *Qui non irascitur pro quibus oportet, & vt oportet, & in quos oportet, is procul dubio fatuus, & stupidus est.* Iratum tamen iudicare periculosum, cum furor, iraque mentem præcipitent, iuxta illud, *Impedit ira animum, ne possit cernere verum.* & Greg. lib. 8. reg. epist. 12. Ind. 3. *Restringenda ergo sub ratione potestas est. Nec quidquam agendum priusquàm concitata ad tranquillitatem mens redeat.* Et referunt Platonem dixisse, *Iracundos ad disciplinas discendas idoneos, ad regendam Rempublicam prorsus inutiles.* 3. Curet potiùs peccatum, quam peccatorem tollere, secundùm monitum Sen. 1. de ira, cap. 16. *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur.* 4. Si occasiones peccandi tollat, & malum succidat, quando incipit pullulare, vt ait Hier. ad Eustoc. de cust. virg. *Dum paruus est hostis, interfice, nequitia, ne zizania crescat, elidatur in semine.* & Sen. epist. 86. *Vt initia morborum quamuis leuia serpunt: ita si vitia, & affectus vel leuissimo semel admissa, crescunt, & augescunt,* & ibid. *Facilius est initia affectuum prohibere, quàm impetum regere.* & Hor.

Beda.
D. Amb.
Lactantius.
Aristotel.
Greg.
Seneca.
D. Hieron.
Horatius.

Principijs obsta, sero medicina paratur.
Cum mala per longas conualuere moras.

5. Si non sit nimiùm anxius in delictis subditorum conquerendis, nec quærit impietatem in domo iusti. Licet enim debeat esse vigilans, & curare pro posse, vt regula, & constitutiones seruentur; non tamen debet esse importunus quæstor, nec multò minùs occultus insidiator; immò præstat aliquando habere oculos, & non videre, aures, & non audire, Tac. in Agric. vt referunt, ait, quòd Princeps, *omnia scire debet, non omnia persequi. paruis peccatis veniam, magnis seueritatem accommodare; nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse.* Et Arist. 12. met. tex. 5. *Quædam meliùs est non videre, quàm videre.* Quòd obseruasse videtur Sapiens Prou. 7. *De fenestra domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos, considero vecordem iuuenem.* Ecce diligens Prælatus. Videt subditos aliqua minutiora committere, & tacet, seù tacitè monet; Non vt aliqui patùm prud ntes, immò maligni, & venenati Prælati, qui de quacumque etiam leuissima culpa processus formant, &, si non formant, tàm venenatis verbis mordent, vt acerbam putent sibi subditi eam esse vitam. Isti sunt Prælati parùm prudentes, minùs misericordes, multùm maligni, in summo gradu superbi, & hypocritæ peruersi, à consortio hominum arcendi. Nam, vt sanctè Greg. lib. 8. reg. epist. 16. ind. 3. *Plerumque plus virium habet discreta in correctione remissio, quàm in exequenda vltione districtio; adeo vt nonnumquam hæc fideliorem, atque subiectum, illa vere obstinatum faciat, & æmulam.* Quoniam verò solent Prælati solis verbis minutiora corrigere, ideò sequ. pono §.

Tacitus.
Arist.
D. Greg.

§. 16. *Vtrum liceat Prælatis verbis contumeliosis subditos redarguere.*

146. IDERI potest D. Thom. 2. 2. quæst. 72. at. 2. corp. vbi Cai. & Sal. concl. 2. Sot. lib. 5. de iust. quæst. 9. art. 2. Val. to. 3. disp. 5. quæst. 16. par. 2. col. 2. Nauar. c. Inter verba, concl. 6. perf. num. 126. & in man. cap. 18. num. 12. Turrecr. in regula S. Bened. tract. 12. cap. 2. Corrad. 1. par. cas. quæst. 73. & quæst. 97. in add. Spat. de mo. cor. reg. tract. 10. cap. 23. Rodriq. tom. 2. quæst. regul. quæst. 41. Sylu. verb. Contumelia, quæst. 3. Th. à Iesu de vis. reg. tract. 1. c. 20. Mol. tract. 4. de iust. disp. 38. num. 3.

D. Thomas. Caietanus. Salon. Sotus. Valentia. Nauar. Turrecrem. Corradus. Spat. ... Rodriq. Syluester. Tho. à Iesu. Molina.

147. Dico 1. licitum est Superioribus regularibus conuitijs increpare subditos errantes. *D. Thom. Rodriq. Spat.* Ita D.Tho.cum alijs loc.cit. Rodriq.art.2.Spat. num.3. Constat. Tum quia Christus discipulos suos vocauit stultos Lucæ 24. & Paulus Galatas vocauit insensatos, ad eos c.3. Tum quia si licèt causa disciplinę eos verberare, vel in rebus dãnificare, ita etiam poterit eis conuitia dicere. Tum quia potest illos reprehendere .2.ad Tim. 4. *Argue, increpa*, at reprehensio est medicamentum mordicans secundùm Basil. immò Paulum ad Tit. 1. *Increpa illos durè, vt sani sint in fide.* *D. Basilius* Tum quia Basil. in cap.2. Esa.ver. Et arguet, ait. *Si quidem reprehensio omnis palam attingens eum, qui reprehenditur, ipsius animum peracri dolore excruciat, ob oculos ponens turpitudinem peccati.* Et *Tullius.* Tull.lib.1. de off. de obiurgationibus loquens, ait, *In quibus vtendum est fortasse, & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore, vt ea facere non videamur irati, sed vt ad vrendum, & secandum medici.* & paulò post. *Atq; etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius causa, qui obiurgatur, susceptum esse.*

148. Notat autẽ Sal. quòd ad hoc, vt dicta reprehensio contumeliosa fiat sine peccato, debẽt concurrere tria. 1. quòd contumeliæ dicantur solo animo corripiendi, non principaliter ex ira: nam si ex ira principaliter procederet cõtumeliosa reprehensio, ita scilicet quòd si Prælatus non esset iratus contra talem, eum non reprehenderet, esset peccatum mortale, vt aduer- *Nauarr. Syluester.* tunt. Nauar. in man. cap. 18. num.12. Sylu. ver. Contumelia, quæst.3. Si verò ira non sit causa principalis, sed solùm coadiuuans, tunc non erit peccatum, nisi excedat. 2. debet fieri dicta reprehensio cautè, modestè, & cum magna necessitate, quæ certò speretur profectura. Quam *D. Thom.* conditionem ponit D.Tho. loco cit. ad 2. vnde omnino peccat mortaliter ille Prælatus, qui reprehendit suum subditum cum graui contumelia coram vel secularibus, vel extraneis, vel etiam nouitijs (nisi fortè coram dictis peccasset) ex qua reprehensus multùm grauatur apud illos, præsertim si dicti non satis animum Superioris agnoscentes, eum animo perturbato loqui existimarent; nihil enim cum scandalo faciendum est, cap. Nihil, de præscrip. 3. debet ijs verbis fieri, quibus intelligat subditus, non ex ira aut passione ea dici, sed solùm ex animo, & desiderio illum corripiendi. 4. quod est com- *Nauarr.* plementum, seu epilogus omnium, ponit Nau. loco cit. quòd vt absq; peccato dicta reprehensio fiat, solùm debet significari vitium, cuius correctio prætenditur, non alia vitia iam correcta, & emendata, & iam ex hominum memoria elapsa, seu etiam numquam patrata. Quod parùm aduertunt aliqui Prælati, qui litaniam sibi vitiorum faciunt, quam propter quamcumq; causam subditis in faciem cantant. Quam con- *Rodriq. Spat.* ditionem laudant valde Rodriq; loco cit. art.2. & Spat. etiam cit. num.5.

149. Ex quibus collige, quòd, cum tam difficile sit dicto modo sine peccato contumeliari, *Caiet. Sotus. Spat. Corradi. Caiet.* optima est doctrina Caiet. Soti, Spat. Corradi loco cit. vt scilicet numquam subditi cum contumelijs reprehendantur, nisi suggerente Spiritu Sancto. Quoniam, inquit Caiet. *repræsentatur subditis, quòd non ex charitate, sed ex passione procedant; fiuntq; deteriores, non suscipientes disciplinam, leniùsq; verbera, quàm contumeliosa verba, suscipiunt.* Et Sot. lib.5. de iust. quæst.9. *Sotus.* art.2. *Consultissimè cuiq; etiam Prælatis, abstinendum est à conuitijs, quæ humanos animos amarulentiùs, quàm corporalia vulnera exulcerant.* Quam doctrinam multis confirmat Nauar. cap. Inter *Nauar.* verba, concl. 6. perf. à num. 127. Nec ab ea abhorret Ambr. lib. 6. exam. cap. 3. *Verbera, &* *D. Amb.* *verba parùm differunt, immò non differunt. Verbera enim flagellant corpus, & verba animam.* Vnde Trid. sess. 13. de reform. cap. 1. *Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia; cum sæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm austeritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm potestas.*

150. Dico 2. licet Prælati regulares in corripiendo ira concitati excedant, non tenentur tamen petere veniam ab ijs, quos læserunt. Ita Nauar. in cap. Inter verba, concl.6. perf. nu.129. *Nauarrus* & com.3. de reg. num.4. Sylu. ver. Correctio, *Sylu.* num.12. & ver. Contumelia, quæst.4. Ang. ver. *Angelus.* Correctio Prælat. §.2. Sal. 2.2. quæst. 72. art.2. *Salon.* concl. 4. tit. Contumelia ver. Illata; Corrad. 1. *Corradus.* par. cas. quæst. 73. Rodriq; tom. 2. quæst. reg. *Rodriq.* quæst.41. art.3. Constat. Tum ex cap. Quando, dist. 86. quod est desumptum ex cap. 12. reg. Aug. vbi id habetur expressè. Tum ex Greg. *D. Greg.* par.2. past. cap.10. versùs finem, vbi ait. *Dum ad increpationem se mens defleris exasperat, difficile valde est, vt non aliquando, & ad aliquid, quod dicere non debet, erumpat. Vnde necesse est, vt exasperatus Rector, cum subditorum mentem plus se, quàm debuit, percussisse considerat, apud se semper ad pœnitentiam recurrat, vt per lamenta veniam in conspectu Veritatis obtineat, ex eo etiam quod per zeli eius studium peccat.* Tum quia periculum est, ne, dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas; quando autem hoc non timeretur, tunc laude dignum, magniq; meriti esset, veniam etiam à subditis petere, exemplo Saulis cum Dauid 1. Reg.24. *Iustior, tu es, quàm ego. Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Notant autem Gloss. in dicto c. Quando, ver. Dura. Ang. & Sylu. loc. *Angelus. Syluester.* cit. Quòd, si Prælatus ex odio, vel malignitate excederet in dicta reprehensione, mortaliter peccaret, & teneretur veniam petere, ac restituere; quia tunc teneretur actione iniuriarum.

151. Dico 3. quando subditus subdito contumeliatus, tenetur Prælatus cogere contumeliantem, vt à contumeliato etiam genuflexus veniam petat, & honorem illi per contumeliã ablatum restituat. Sal. loco cit. Sylu. ver Con- *Sal.* tumelia, quæst 4. Corrad. loco cit. quæst.73. & *Syluester.* add. ad quæst.97. Val. tom. 3. disp.5. quæst.16. *Valentia.* pat. 1. col. 3. ver. Per se enim: quam veniæ pe- *Caietanus.* titionem in Religiosis admittit etiam Caiet. 2.2. quæst. 73. art.2. licèt in alijs neget, id esse necessarium, sed sufficere restitutionem, quomodocumq; eam fieri contingat. Satisfactio- nia rario fundatur in iustitia commutatiua, quę obligat lędentem ad satisfaciendum. Contumelia autem aduersatur iustitiæ commutatiuæ, vt in specie docet Val. loc. cit. col.2. ver. Quartò *Valentia.* sequitur. Quòd autem hæc satisfactio debeat hoc modo fieri, scilicet per petitionem veniæ, est communis DD. sententia, quam consuetudo

appro-

approbauit; quæ tamen veniæ petitio solùm inter pares intelligitur, vt aduertunt Val. & Corrad.add.ad q.97. in disparibus sufficiet restitutio honoris quomodocunque. Cum ergo Prælatus teneatur suis subditis iustitiam ministrare, & consuetudines laudabiles seruare, sequitur, quòd à contumeliatis, teneatur facere, vt contumeliantes veniam petant. Si autem duo subditi inuicem sibi iniurias dicant, seu vnus calumniam calumnia explodat, nulli danda est satisfactio; nec qui per calumniam à calumnia se defendit, etiamsi irritatus aliquantò excedat, non videtur ad restitutionem teneri; quia non videtur fraudem facere, qui fraudem excludit; l. Cum pater, §. Titio fratri, in
De Marsil. fine ff. de legat. 2. Hipp. de Marsil.sing. 177.nu.1. glossa in cap. Cupientes, ver. Malignantium,
Redin. de elect. in 6. Red. de maiest. princ. ver. Sed etiam per legitimos tramites, num. 143. Alij communiter dicunt, quòd notatus infamia non potest per modum vindictæ vicissim infamare infamatorem. In iudicio tamen, si iniustè sit accusatus, potest occultum alterius crimen sine culpa prodere, ad se iustè tuendum, si talis criminis manifestatio ad hoc necessaria sit. Ita
Bonacina. Bonac. de rest. disp. 2. q.4. p. vlt. nu. 4. Addit.
Portel. Toleti ad cap. 70. impress. Venet. 1614. Portel. in dub. reg. ver. Correctio fratrum, nu. 30. Ego tamen primam sententiam puto veram, etiam in conscientia, ob rationes, quas doctè ad id
Bannes. adducit Ban. 2.2.quæst.70.art.3.dub.1.concl.3.
Vega. quem sequitur Vega 1. par. sum. cap. 101. cas. 2. Quare qui calumniam calumnia explodit, non ratione vindictæ, sed iustæ defensionis, non peccabit plus quàm venialiter, ratione mendacij. Nec ad restitutionem vllam tenebitur, vt sen-
Cruz. tiunt Crua in direct. confe. p. 1. præcep. 8.q.3. dub. 17. qui addit hanc doctrinam quo ad restitutionem esse veram, siue reus accusetur de crimine falso, siue de vero, sed occulto; Quod autem peccatum nō sit plusquam veniale, docet
Ledes. etiam Ledes. in summa tom. 1. tract. 8. cap. 15. concl. 11. dub.3.pag.mihi 557. qui etiam asserit id esse verum, quando, licet crimen obiectum sit verum, sed iniustè obijcitur, quia occultum, & probari non potest.

152. Notet etiam Prælatus, quòd non debet subdito peccanti exprobrare vitia, seu defectus naturales, aut originales. V.G. cocles frangit silentium, non debet statim illi conuitiari, dicendo, Si guercius bonus sit, inter miracula scribe; Quid luna cum cancris? quam connexionem habet esse coclitem cum fractione silentij? si vocaret illum loquacem, garrulum, bene quidem: at coclitem, non puto posse sine peccato. Nec minùs potest illi exprobrare principia natiuitatis, hæc enim nullam habent vim ad fratrem corrigendum (nisi eo peccato peccaret, quo publicè, & iuridicè notati fuere sui antecessores, vt si ipsi titubassent in fide, & ipse titubaret) quia semper præsumuntur procedere ex odio, & malignitate, seu lubricitate linguæ,
Aristotel. ad vituperandum proximum semper paratissimæ. Tantò magis, quod dicit Ar.3.eth.cap.5. quòd, *Qui ex natura deformes sunt, eos reprehendit nemo, sed illos, qui per otium, & negligentiam tales euaserunt. Simili modo si turpitudo vel ex infirmitate, vel ex membri alicuius mutilatione contigerit: nullus enim ei, qui vel ex natura, vel ex morbo, vel ex vulnere factus sit cæcus, cæcitatem exprobrabit, sed miserebitur potius. At eum obiurgant omnes, qui ex temulentia, vel alia quapiam intemperantia excæcatus fuerit. Atque ita vitia corporis, quæ in nostra potestate sunt, vituperentur, quæ non sunt, minimè.* Ex quibus colliget Prælatus, quæ sibi liceant in similibus.

153. Nota etiam, quòd sicut multi Prælati excedunt in reprehendendo, ita multi deficiunt, & vtrique malè agunt, quia virtus in medio cōsistit. Illos iam satis, vt puto, tēperauimus, istis fortè medebimur, si suam infirmitatem vsque ad radices discooperiamus. Sciant itaque Prælati, Prælatias non esse illis datas, ad impinguandum se, ad deambulandum, spatiandum, & lætandum omnibus vijs, & modis, sed solùm in bonum subditorum. Vnde tam peccant, si minùs quàm oportet reprehendant, quàm si plus, cum custodes sint iustitiæ. Ex multis verò capitibus oritur iste defectus non reprehendendi subditorum vitia, vt notat Turrec. tr. 12. in reg. *Turrecremata.*
S. Bened. 1. ex pigritia, & negligentia, quæ est multùm vituperabilis in Prælato, cum neque dormitare permittatur, cum cura exigit Prælatiæ, iuxta illud, *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* 2. ex verecūdia, quia, cū ipsi reprehensibiliter viuant, sciātque carere omni vitio debere, qui paratus est in alium dicere, dubitant, ne sibi dicatur, Medice cura te ipsum. 3. ex superstitiosa humilitate, qua apud subditos auctoritatem amiserint, vnde sequitur reprehensionis contemptus. 4. quia toti secularibus curis intenti, nihil spiritualia curant 5. ob timorem alicuius temporalis incommodi, verentes nimirum, ne in indignationem incurrant subditorum, à quibus deinde contra se prouocatis non possint obtinere suffragia ad se in Prælatija conseruandum. 6. quia credunt, sic futurum, vt benigni existimentur, non curantes impij esse in Deum, vt sint crudeliter pij in malefactores. 7. ex cordis pusillanimitate; sed ista foueri debet charitate, aut Prælatia relinqui. 8. ex diffidentia proficiendi, & malè se res habet, si est vera, non imaginaria, vt plerumque sic se exonerare curantes, reiecta in subditos culpa. 9. ex ignorantia, quia nimirum culpas fratrum ignorant, & non curant scire, sed non excusatur pastor, si lupus oues rapit, & ipse nescit. 10. propter pacem propriam, quam nolunt turbare, immemores, quòd plus subditorū, quam sui ipsorū sunt. 11. ob defectum zeli. 12. ex insufficientia, quia scilicet, cū sint ignorātes, nō audent reprehēdere viros literatos, sed renunciare tenantur.

§. 17. *De partibus potentialibus iustitiæ.*

154. E his agit in communi D. Th. 2.2. q. 80. & in particulari à q. 81. Val. to. 3. disp. 5. q. 26. p. 2. Eustach. 3. p. eth. tr. 3. disp. 2. sect. 2. q. 6. Less. lib. 2. c. 47. Arag. 2. 2. q. 80. Iauell. to. 2. p. 2. phil. christ. tr. 5. c. 4.
D. Thom. Valentia. Eustach. Lessius. Aragon. Iauellus.

155. Dicendum est, quòd 9. sunt partes potentiales, seu virtutes annexæ, iustitiæ nimirū religio, pietas, obseruantia, veritas, gratitudo, vindicatio, affabilitas, liberalitas, epicheia. Ita D. Th. cum alijs loc. cit.

156. Re-

D. Thom. 156. Religio itaque, de qua D. Th. q. 81. est virtus quędam moralis, quæ hominem inclinat, vt Deo debitum cultum, & honorem exhibeat; *Valentia.* vt Val. loc. cit. disp. 6. q. 1. p. 1. Actiones huius virtutis sunt quædam interiores, deuotio, & oratio; quædam exteriores, adoratio, sacrificiũ, votum, iuramentum, adiuratio, laus, seu cantus. Deuotio est actus voluntatis paratæ ad præstanda ea, quæ ad Dei cultum, & gloriam spectant. Oratio est petitio decentium à Deo. Adoratio est, qua nõ solùm mente, sed etiam externa corporis significatione Deo reuerentiam exhibemus. Sacrificium, est oblatio rei alicuius externæ, Deo religiosè facta, qua nos ipsius imperio subditos esse profitemur. Votum est promissio facta Deo de aliquo bono. Iuramentum est assumptio diuini nominis in alicuius rei testimonium. Adiuratio est inuocatio diuini nominis, qua quempiam deprecando, aut compellendo, ad aliquid faciendũ, vel nõ faciẽdũ inducimus. Laus est assũptio diuini nominis in vocali cantu. Ita Eust. & de his fusè D. T. cũ alijs à q. 81. cit.

157. Sciat ergo Prælatus, ipsius esse colere non solùm Deum interiùs in seipso, sed etiam exterius, & curare, vt omnes sui subditi eum debito modo, cum debitis cæremonijs colant. Quare debet satagere, vt in primis orationi mentali omnes vacent; hac enim mens subleuatur ad colloquendum cum Deo, & sine hac Religio vix nomen Religionis meretur, vt *Scriban.* Scrib. de Sup. relig. lib. 2. cap. 11. Nam cum oratio id sit animæ, quod cibus corpori, facilè videas non posse diu animam stare alimẽto suo destitutam. Curare debet etiam Prælatus, vt diuinæ laudes in choro debitis horis, cum proportionatis pausis, deuotè recitentur: vt missæ deuotè, & vniformiter celebrentur, & pro quibus stipendium receptum est, cum paramentis proportionatis, & mundis, iuxta morem Romanæ Ecclesiæ. Et denique vt omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent, cum decore tractentur, iuxta illud 1. Cor. 14. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant.* Et quòd hoc sit Prælatorũ munus speciale, ipsisq; solis reseruatum, colligitur ex illo Exodi 18. *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinet, vt referas, quæ dicuntur, ad eum, ostendasq; populo cæremonias, & ritum colendi, viamq; per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe,* &c. Vnde collige, quòd potest bene Prælatus administrationem politicam suæ Prælaturæ alteri cõmittere, spiritualem autem, & quæ ad Deum colendum pertinet, per se ipsum exercere debet; alioquin violatæ Religionis est reus.

158. Pietas, de qua D. T. 2. 2. q. 101. *Est* Aug. *D. August.* lib. 83. qq. q. 31. *per quam sanguine iunctis, patriæq; beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus.* Hæc virtus potiùs respicit subditos, quàm Prælatos; quatenus autem respicit Prælatos, eos admonet, vt subditos tamquam filios diligant, eis alimenta, & vestimenta necessaria ministrent, senes honorent; iuuenes cohibeant, exaltent humiles, superbos deprimant, disciplinam regularem promoueant, studia foueant, Religionem ament. De hac Basil. lib. 9. in exam. *D. Basilius* *Vos porro filij amate, & colite parentes: vos parentes nolite ad iracundiam filios prouocare: numquid natura ea non dicit? nihil noui D. Paulus dicit, sed naturæ vincula vincit, insuperq; præstringit,* &c. Quod pietas regnantibus sit necessaria, quatenus misericordiam sonat, D. Th. lib. 1. de erud. princ. cap. 15. & plura videri possunt apud Scrib. in Sup. relig. lib. 1. cap. 18.

159. Obseruantia, de qua D. Th. 2. 2. q. 102. *Est* Cic. lib. 2. de inuen. ante finem, *per quam* *Cicero.* *homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam, & honore dignamur.* Hæc similiter virtus subditos potiùs respicit, quàm Prælatos. Verùm; quia viri literati, & probi per virtutem, & scientiam redduntur ad gubernandum apti, ideo etiam ipsi debent honorari per hanc virtutem, vt D. Th. loc. cit. ar. 1. ad 2. Quare Prælati habentes sub se huiusmodi viros, tenentur eos honorare, & curare vt honorentur.

160. Gratitudo, de qua D. Th. 2. 2. q. 106. *Est virtus, qua ijs, qui de nobis benemeriti sunt, gratias non solùm habemus, & agimus, sed etiam, cum possumus, referimus.* Ita Eustach. loc. cit. num. 154. Sunt autem gratitudinis officia quinque, de quibus Less. lib. 2. cap. *Lessius.* 47. dub. 1. num. 5. 1. est beneficij æstimatio, nõ ex ipso in se, sed ex animo dantis. Sen. 2. de *Seneca.* benef. cap. 9. *Beneficium non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, & facientis animo.* 2. benigna acceptatio, si enim repudies, vel absq; indicio, quo significes gratum esse, acceptes, videris contemnere, vel parui facere. Sen. lib. 2. de benef. cap. 35. *Vis reddere beneficium? accipe benignè,* & cap. 24. *qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit.* 3. est gratiarum actio, de qua 1. ad Thes. 5. *In omnibus gratias agite.* 4. est grata beneficij commemoratio, occasione oblata. Sen. lib. 3. c. 1. *Ingratissimus omnium est, qui beneficij oblitus est,* 5. est beneficij repensio; quæ tamen statim facienda non est, sed opportunum tempus expectandum. Sen. 4. de benef. in fine. *Quidam, cum aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestiuè remittunt, & nihil se debere testantur. Qui festinat vtique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et breuiter dicam; Qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet; qui inuitus debet, ingratus est.* Ista verò repensio non debet fieri ad æqualitatem rei receptæ, sed ad morem benefacientis, & semper plus rependendum est, si facultas subsit, quam sit acceptũ; Cic. 1. de off. *In referenda gratia, si modò Hesiodo credimus, imitari debemus agros fertiles, qui plus multò afferunt, quàm acceperint.* Gratitudo tangit omnes, & præsertim Prælatum, qui si beneficiorum immemor, illa ingrata tegat obliuione, putans omnia sibi deberi, nullaq; merita inferioris in superiorem esse, & à se animos suorum alienabit, & contemptui ipsis erit, & despectui. *Est* enim Ber. *ingratitudo* ser. 51. in Cant. *inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis,* *D. Bernar.* *rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Est ingratitudo duplex; formalis, quando scilicet contemnitur beneficium, vel sinistrè interpretatur, eo quòd benefactoris est; & materialis, quando quis est ingratus, non ex contemptu, sed ex aliqua alia causa. Sed vide de his latiùs D. Th. 2. 2. *D. Thomas* q. 107. ar. 3. Less. lib. 2. cap. 47. dub. 3. à num. *Lessius.* 25. Val. tom. 3. disp. 7. q. 4. p. 4. *Valentia.*

161. Vindicatio, de qua D. Th. q. 108. *Est* Aug. lib. 83. qq. q. 31. *virtus, per quam vis, aut iniuria,*

iniuria, & omnino omne, quod futurum est, defendendo, aut abijciendo propulsatur. De hac satis dix. sup. § 15. a num. 137. Et nota, quòd ad hoc vt vindicatio sit recta, debet fieri per publicam potestatem, & seruatis omnibus iustitiæ modis, & terminis.

162. Veritas, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 109. *Est virtus, qua quis verbis, & factis talem se demonstrat, qualis in se est.* Ita Eustach. loco cit. num. 154. Nota 1. ex D. Thom. 2. par. quæst. 107. ar. 1. ad 1. quod hominis interior conceptus duobus clauditur obstaculis, propter quæ ab alio videri, aut intelligi non potest. 1. quidem est ipsa volũtas, quæ conceptum intellectus potest interiùs retinere, & ad libitum exprimere. 2. est grossities, & corpulentia corporis; nam quamuis voluntas vellet conceptum mentis alijs fieri notum, nõ tamen statim cognoscitur ab ijs propter impedimentum corporis, sed oportet adiũgere aliquod signum sensibile, puta verbum, seu aliquos alios nutus. Et hoc est, quod dicit Greg. 2. mor. cap. 4. in princ. *Alienis quippe oculis intra secretum mentis, quasi post parietem stamus, sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, vt quales sumus intrinsecus ostẽdamus.* Cum ergo homo sit animal sociabile, vt D. Tho. 2. 2. quæst. 109. art. 3. ad 1. & dixi sup. quæst. 1. cap. 1. nu. 1. naturaliter vnus homo debet alteri id debito saltem morali, & honestatis, vt D. Thom. loco cit. corp. sine quo humana societas seruari non posset. Non possunt autem homines ad inuicem conuiuere, nisi sibi inuicem credant, propter multa negotia, quæ simul gerunt, & tractant: nec possunt sibi inuicem credere, nisi sibi inuicem verum dicant, ad quod etiam instituta sunt verba, vt ait Aug. relat. in c. Is autem, 22. q. 2. sequitur, quòd homines naturaliter veritatem dicere debeant. Vnde Arist. 1. rhet. cap. 1. post med. ait, quòd *homines satis ad veritatem nati sunt, & vt plurimùm veritatem consequuntur.*

Eustach.
D. Thom.
D. Greg.
D. Thom.
D. August.
Aristotel.

163. Sed quomodò potest esse, quòd homines natura ad veritatem inclinentur, cum veritas secundum Teren. in Adr. odium pariat? *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Et Cic. lib. 1. de amic. vt referunt. *Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ.* Et Hier. contra Iou. *Amara est veritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine.* Et ad Gal. 4. *Factus sum vobis inimicus, verum vobis dicens.* Ad hoc dicit Aug. 10. confess. cap. 23. quòd homines amant veritatem lucentem, & oderunt eam redarguentem. Habet itaque veritas duos effectus, scilicet illuminare, & redarguere. Quãtum ad 1. omnes veritatem amant. 3. Esdræ c. 4. *Omnis terra veritatem inuocat, cælum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam.* Et Ambr. 1. de off. cap. 26. *Omnibus hominibus inest secundum naturam humanam verum inuestigare, quod ad studium cognitionis, & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem, in quo excellere vniuersis pulchrum videtur.* Quantum autem ad 2. mali veritatem oderunt, Io. 3. *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucẽ, vt nõ arguantur opera eius; qui autem facit veritatem, venit ad lucem,* &c. Oderunt autem veritatem propter 3. rationes, quas affert D. Thom. 1. 2. quæst. 29. ar. 5. corp. 1. quia nollent illud esse verum, quod verum est. 2. quia nollent cognoscere veritatem, vt liberiùs, & sine remorsu conscientiæ peccarent. 3. quia volentes iacere in peccato, oderunt, quod aliquis veritatem circa peccatum suum cognoscat.

Terentius.
Cicero.
D. Hieron.
D. August.
D. Amb.

164. Noto 2. quod quamuis veritas sit cunctis hominibus necessaria ad rectè, & pacificè conuiuendum, Prælatis tamen, & Superioribus regularibus est necessarijssima. Cum enim quotidie cum subditis agant, si aliud ore, & verbis enuncient, & aliud corde premant, fallaces deceptores suorum erunt; quod si semel subditi olfecerint, iam fides illorum euanuit, indeq; contemptus, inde etiam cautiones, quibus vnusquisq; sibi cauet, inde etiam discordiæ, diffidẽtiæ, &c. Hæc ex Scrip. & DD. constant, Prou. 17. *Non decet Principem labium mentiens,* & cap. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Eccl. 41. *Erubescite à patre, & matre de fornicatione, & à præsidente, & à potente de mendacio.* D. Thom. lib. 1. de erud. princ. cap. 7. *Cauendum est Principi mendacium, vt venenum, eo quod ei multum noceat, Deo multum displiceat, & eum opprobrium hominum faciat. Cauere debet Princeps mendacium, non solum, in his, quæ asserit cum iuramento, sed etiam verbo simplici.* & infra, *Princeps mendax est velut denarius falsus respectu boni, & sicut centum falsi non valent vnum bonum, sic Princeps mendax parui valoris est.* Et Hier. epist. 37. ad Iul. *Antiquus sermo est, Mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur.* Basil. in procem. lib. de Spir. S. *Rerum omnium potentissima est veritas, & extrema malitiæ linea mendacium.* Et Orig. tr. 35. in Matth. Prælatos mendaces proditores vocat. Et Pind. apud Stob. ser. 11. *Ingenui viri est vera dicere.* & Hom. apud eumdem.

D. Thom.
D. Hieron.
D. Basil.
Origenes.
Pindarus.
Homerus.

Ille mihi tam exosus est, quàm inferni portæ,
Qui aliud animo occultat, aliud ore profert.

Sit itaque Prælatus verax, & ita in aperto, vt ipsi potius iniurato, quàm iurato alteri, credatur, & sciat, nullum esse vitium Prælato religioso indignius, quam mendacium, fallere socium, circumuenire, amicitiam mentiri, obsequia fallaci dextera deferre: virtutem, probitatem, benignitatem, mansuetudinem, præ te ferre, qua careas, viri non est. Pater non est, qui verbis in dolum compositis filium in fraudem inducit: Non est mater, quæ pro vberibus scorpionem, aut lapidem porrigit, venenaq; pro lacte propinat. Facit hoc Superior omnis, qui, pulso candore, animiq; sinceritate, aliud promittit ore, aliud mente destinat, aliud verbis loquitur, vultuq; præfert, aliud animo versat; patrem fronte simulat, inimicum pectore souet. Quæ vbi semel eruperint (vt diu latere simulatio non potest) hostiles exurgunt animi, nulla arte, aut annis ponendi, exulcat fiducia omnis, & pro religiosa, simplicią; ac non fucata sapiẽtia, ingens diffidentia nascitur. Vnde Scot. in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 2. ait, quòd mendacium officiosum, & iocosum in Prælato, qui est in statu perfectionis exercendæ, est peccatum mortale, si sit continuatum, ex his enim diminuitur Prælati auctoritas, quod est communitati perniciosum. Plura pro veritate à Superioribus colenda, vide apud D. Thom. loco cit. cap. 7. & cap. 13. Tor. phil. mor. princ. lib. 24. Menoch. inst. pol. lib. 2. cap. 15. Scrib. in Sup. relig. lib. 1. cap. 6. & 7. Aegid. lib. 1. de regim. par. 2. cap. 29. Sart. in exerc.

Scotus.
D. Thom.
Torres.
Menoch.
Scribanus.
Aegidius.
Sartorin.

Aristoteles. Busæus. Chauass. A. Carm. Rossignol. in exerc. pol. ex loc. Ezech. cap. 17. Ar. 4. eth. cap. 7 Bus. in vit. ver. Veritas; Chauass. de perf. prud. lib. 4. cap. 5. & 6. A Carm. ser. 18. 19. 20. Iauell 4. eth. q. 7. Rossign. de discip. christ. perf. lib. 4. cap. 16.

166 Nota tamen 3. quòd licèt mentiri numquam liceat, licet tamen aliquando veritatem occultare, quando scilicet illius manifestatione indignos se reddunt auditores, vel inde occasionem sumunt deteriora faciendi, vel veritatē ipsam sunt oppugnaturi, iuxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, & ne proijciatis margaritas ante porcos.* Occultare etiam licet, quando ex vna parte nec ad Dei gloriam necessaria est, nec ad salutem proximi, ex altera incommodum magnum incursurus est, qui eam dixerit; ardua enim esset lex, quæ tunc obligaret; & cum veritatem fateri, præceptum sit affirmatiuum, quod non obligat ad semper, certum est, in dictis casibus non obligare. Atq; *Malderus. Lessius.* ita docent Mald. de restr. ment. cap. 10. reg. 6. & cap. 12. ver. De ver. rect. Less. lib. 2. de iust. c. 47. dub. 6. num. 39. Ant. Carm. ser. 18. de ver. *D. August.* Chauass. loc. cit. cap. 5. §. 3. vnde Aug. in ps. 5. ait. *Verum autem occultauit, & Dominus, cum discipulis nondum idoneis dixit, Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa.* Similiter dic, quòd in dictis casibus, siue vltrò siue interpellatus loquatur Prælatus, vel alius quicunq; potest vti vel verbis æquiuocis, vel mentali restrictione; extra verò illos casus semper tenetur loqui eo sensu, quo sonant simpliciter verba, & ad mentem audientis, alioquin peccat venialiter, vel mortaliter, iuxta leuem, vel grauem læsionem Dei, vel proximi. Dicitur enim Eccl. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Sed de hac materia vide Mald. loc. cit.

S. Doroth. 167. Noto 4. ex Doroth. ser. 9. quòd triplex est genus mendacij. *Quidam*, inquit, *animo mentiuntur, quidam verbo, alij vita ipsa mendaces sunt. Ille animo, & cogitatione mentitur, qui quascumq; suspiciones facilè admittit; is enim cum aliquos fratres inter se colloquentes cernit, suspicatur illico, & dicit, De me isti loquuntur*, &c. *Sermone mentitur aliquis, cum ob ignauiam ad matutinas vigilias assurgere detrectat, cunctaturq; nec fateri vult torpedinem, & ignauiam suam, sed dicere non veretur, Febrem passus sum, & vertiginem, ideò assurgere nequiui*, &c. *Ille in suam ipsius vitam mentitur, qui, cum intemperatus sit, ac incontinens, ac gulæ, luxuiq; deditus, continentiam tamen, & temperantiam simulat*, &c.

168. Peccatur contra veritatem 1. mendacio, quod nihil est aliud, quàm contra mentem locu- *D. Thom.* tio, de quo D. Thom. 2. 2. q. 110. 2. simulatione, seu hypocrisi, quæ nihil est aliud, quàm mēdacium in actionibus vitæ, de qua D. Th. q. 111. 3. iactancia, quæ est prædicatio propriarum rerum, maior, quam verè sint; de qua D. Thom. q. 112. 4. ironia, quæ est negatio, vel diminu- *D. Thom.* tio propriarum laudum, de qua D. Thom. q. 113. Mendacium, si est contra honorem Dei, vel proximi, peccatum mortale est ex genere suo; ex imperfectione actus, & paruitate materiæ est veniale; alias iocosum, & officiosum veniale tantùm. Hypocrisis ex se veniale est; transit tamen in mortale ratione finis, vt si quia sanctitatem fingat, vt aliquem decipiat, vel legem Dei sic contemnat. Iactantia ex se veniale est; fit autem mortale, quando quis se iactat cum iniuria Dei, vt si sibi attribuat, quod est Dei proprium, vel glorietur de donis Dei, tamquā sibi debitis, vel se iactet cum contemptu proximi, vel intentione illi nocendi, aut ab eo pecunias iniustè emungendi, vt cum dicit se præclarum Medicū, &c. Est etiā mortale, si quis sit ita affectus iactantiæ, vt sit paratus mortaliter peccare. Similiter mortale est, cum quis narrat peccatum suum, se de illo vanagloriando, secùs si solùm enunciatiue ad ostendendam fortitudinem, dexteritatem, &c. Ironia de se venialis est; transibit tamen in mortale, quando id fieret in infamiam sui, vel proximi, vt si Religiosus cum pueris loquens, dicat, Ego sum peior quolibet infami sicario, vel sēper sui malus Religiosus, & de religioso nihil vnquam habui, nisi nomen, & vestem. Est etiam mortale, si voce loquatur quidem de se humilia, corde autem intumescat, iuxta illud Eccl. 19. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo.* Sed de his vide D. Thom. loc. cit. & Less. *Less.* lib. 2. de iust. cap 47. dub. 6.

169. Affabilitas, de qua D. Thom. 2. 2. q. 114. *Est virtus, quæ quis in communi consuetudine mediocriter, &, vti decet, se habet, studetq; quantum potest, omnibus benignè obsequi.* Habet hæc virtus vim conciliandi amicos etiam ex inimicis; Eccl. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis* (gratiosa) *in bono homine abundat.* Amb. 2. de *D. Ambr.* off. cap. 7. *Incredibile est, quantum profuerit etiam in ipsis Regibus facilitas blanda affabilitatis.* Et Tull. 2. de off. *Difficile dictu est, quantoperè conciliet animos hominum comitas, affabilitasq. sermonis.* *Tullius.* Affabilitas regimina perpetuat, & maiora tribuit; Prou. 16. *Qui dulcis est eloquio, maiora percipiet.* Hæc plus potest ad amicos conciliandos, quàm beneficentia. Eccl. 18. *Non ne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius, quàm datum.* Hæc seu ros inimicorum animos demulcet, amicos reddit. Eccl. 45. *In verbis suis monstra placauit.* Hæc sola Prælatum præclarum reddit. Claud. in con- *Claudian.* sul. Manl. declinans ad finem:

Se iactent alij, studeant feritate timeri,
Adductoq; hominum cumulent æraria censu;
Iene fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
Vtilior.

Et paulò infra. *peragit tranquilla potestas,*
Quod violenta nequit, mādataq; fortiùs vrget
Imperiosa quies.

Et Ouid. lib. 2. de ar. am. *Ouidius.*

Este procul lites, & amara prælia linguæ;
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.

D. Th. opusc. 71. de vit. & virt. *Quatuor*, ait, *D. Thom.* *sunt, quæ ritè cuiq; regnanti conueniunt; scilicet paterno regimine subditos regere, meritis amicos acquirere, placabilem, atq; affabilem se præbere quibuscumq; orantibus, & cum clementia iustitiam ministrare delinquentibus.*

170. Aduerte tamen, quòd huiusmodi affabilitas debet esse ita temperata, vt grauitati religiosæ nō officiat; & propterea prudentia maxima opus est in vtēdo illa, vt scilicet Prælatus affabilem se exhibeat, non cum omnibus nec in omnib⁹ locis, vel tēpore, sed solū, vt notat Cai. *Caietanus.* 2. 2. q. 114. ar. 2. considerata qualitate personarum, quibuscum loquitur, negotiorum etiam,

& tem-

& temporum. Vnde malis, vel superbis affabilem se præbere non debet Prælatus, nisi ad eorum emendationem; ij enim ea lenitate sumunt audaciam, & fiunt deteriores; præterquã quod offendunt bonos, & odio habent Prælatum; necessario enim odio habetur a bonis, qui malis amicus esse intelligitur. Quare nihil minuet de affabilitate Prælatus, qui in aliquo negotio, & cum aliquo in aliquo loco seuerum se, ac tristem exhibebit, vt habet Arist. 4. eth. c. 6. Vnde Augustin. relat. in cap. Prodest. 24. q. 5. *Ministerio seueritatis, nostra quies adiuuatur*, & Veget. de re mil. lib. 1. cap. 1. ait, quod Romani tot bella vicere, *seuere in desides vindicando*. Vide pro hac virtute AEgid. lib. 1. de reg. p. 2. cap. 18. Contz. 3. pol. cap. 11.

D. August. Vegetius. Aegid. Contzen.

171. Aduerte etiam, quod contra affabilitatem peccatur dupliciter; excessu nimirum delectandi, & defectu, seu blanditia, & morositate; quidam enim nimiùm student in conuictu esse blandi, & placidi, vnde in omnibus se omnibus accommodant, omnia laudant, omnia probant; qui si id faciant vtilitatis gratia, vocantur adulatores. Alij nimis parum curant placere, sed vbiq; sunt difficiles, vbiq; contradictores, nusquã se accõmodant; Hi vocantur morosi. Blanditia est ex suo genere venialis; transit tamen in mortale, quando aliqui nimium blandi esse affectantes, omnibus se moribus, bonis, vel malis, ne cuiquam displiceant, accommodant; & sic mentiuntur cum mendacibus, bibunt cum bibentibus, & peccant cum peccantibus, perperam interpretantes illud 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum*; non considerantes expositionem Aug. ep. 9. & 19. vbi ait, *non mentiendo, sed compatiendo, non simulantis actu, sed commiserantis affectu, omnia omnibus factus est*. Adducunt etiam isti illud ad Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*; non aduertentes, locum istum intelligi de fraterna charitate, qua bonum, & malum fratris, vt proprium sentimus. Adulatio etiam ex se venialis est; fit autem mortale tripliciter secundùm D. Thom. 2. 2. q. 115. ar. 2. Primò ratione materiæ, vt si laudes alicuius peccatum. 2. ratione intentionis, vt si laudes aliquem ad hoc vt fraudulenter ei noceas spiritualiter, vel corporaliter. 3. ratione affectus, vt quum per adulationem præbetur occasio alicuius grauis peccati, etiam præter intentionem adulatoris. Et nota, quòd dicitur quis adulari tripliciter. 1. attribuendo alicui bonum, quod non habet. 2. nimium extollendo bonum, quod habet. 3. approbando malum, quod habet. 1. & 2. simpliciter venialia sunt. 3. est mortale. Ita gloss. in cap. Vnum orarium, ver. Adulari, d. 25. Morositas ex se venialis est. Vide de hac materia D. Tho. loc. cit. Ar. 4. eth. c. 6. Less. 2. de iust. cap. 47. dub. 7. Chasaff. de ver. prud. lib. 4. c. 7. Bus. in vir. ver. Affabilitas; Menoch. Inst. pol. lib. 2. c. 24. Tor. phil. mor. princ. lib. 23.

D. Thomas. Aristotel. Lessius. Chasaff. Busæus. Menoch. Torres.

172. Liberalitas, de qua D. Th. 2. 2. q. 117. est habitus, qui in quærendis, erogandisq. pecunijs; seu ijs, quæ pecunijs comparantur, decorem seruat, vt Speusippus apud Bus. in vir. ver. Liberalitas. Hæc nomine benignitatis, & beneficentiæ quandoq; appellatur à DD. Amb. lib. de off. c. 28. Cic. 1. de off. De hac dixi hic sup. §. 3. num. 25. Qui plura desiderat, adeat D. Th. loc. cit. Tor. lib. 25. Menoch. c. 16. Ar. c. 1. AEgid. de reg. lib. 1. p. 2. cap. 17. Contz. 3. pol. cap. 9.

173. Contra liberalitatem peccatur auaritia, de qua D. Th. q. 118. & prodigalitate, de qua idem D. Th. q. 119. Auaritia, licet inter peccata capitalia ponatur, non est tamẽ semper mortale, sed solum cum propter diuitias cõsequendas, vel retinendas quis est paratus violare præceptum obligans ad mortale. Hæc multum dedecet principantes, vt habetur in §. 1. vers. Administratores, auth. vt iudi sine quoquo suffragio, coll. 2. qui enim hoc morbo tanguntur, omnia venalia habent, Prælatias vendunt. De hac ait Val. lib. 9. cap. 4. *Auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima vorago, nec habẽdi fructu felix, & cupiditate quærẽdi miserrima*. Vnde illud, *æris seruus eris, si te spes tenet æris*. Prodigalitas in Prælato regulari semper est peccatum mortale, cum enim hoc vitium consistat in dando quibus nõ oportet, vt adulatoribus, histrionibus, &c. vel in faciendis magnis expensis, vbi paruæ sufficerent, vel in eroganda pecunia in rebus friuolis, & Prælatus regularis non sit dominus sed administrator illarum rerum, si ita expendat, absq; dubio mortaliter peccabit, si materiæ paruitas non excuset. Potest etiam peccare lethaliter ex alio capite, eo quòd scilicet superflua pauperibus non eroget secundum legem euangelicã. Alios casus, in quibus prodigalitas est peccatum mortale, vide apud Less. lib. 2. c. 47. dub. 8. nu. 61. Et aduerte, quod prodigus non potest in Prælatum eligi. Bald. in cap. Cum in cunctis, num. 16. de elect. De Bais. in direct. elect. p. 2. cap. 32. num. 1. pro quo facit lex fin. Cod. de sententiam passis, & restit.

D. Thomas. V. Maxim. Lessius. Bald. De Baisio.

174. AEquitas, de qua D. Th. 2. 2. q. 120. est iustitia dulcore misericordiæ temperata. Quæ definitio potiùs conuenit regulæ ipsam æquitatem dirigenti, quam æquitati ipsi, cuius munus est præcisè agere contra verba legis, quando bonum commune, vel ratio virtutis id postulat. Cum enim leges vniuersaliter proponantur, & regulæ vniuersales multas patiãtur exceptiones, sæpe casus incidunt, in quibus malum esset verba legis sequi. Sed tunc Prælatus non secundũ suum cerebrum, sed secundùm rationem iure fundatam, procedere debet, si æquitatem vult seruare. Ita Red. loc. cit. §. Omnibus æquum, num. 9. Vide quæ de gnomi, quæ hanc virtutem dirigit, hic sup. dixi §. 9. num. 85. Vide etiam Ar. 5. eth. cap. 10. vbi Burid. q. 1. Less. dub. 9. Arag. 2. 2. q. 58. ar. 5. col. ante penul.

§. 18. *De fortitudine Prælatis Regularium necessaria.*

175. VIde D. Amb. 1. de off. 2. cap. 35. D. Th. 2. 2. q. 123. Ar. 3. eth. à c. 6. Stob. ser. 7. Ant. & Max. ser. 39. AEgid. de reg. Princ. lib. 1. p. 2. c. 13. Iauel. to. 2. p. 3. phil. christ. tr. 6. Patr. de reg. lib. 7. titl. 1. Val. to. 3. disp. 8. q. 1. Less. lib. 3. cap. 10. dub. 1. & c. 2. per totum: Tor. phil. mor. princ. lib. 9. Contz. 3. pol. cap. 17. Eustach. 3. p. eth. disp. 2. tr. 3. sect. 3. A. Carm. ser. 23. Rosig. de act. vir.

D. Amb. D. Thom. Aristotel. Stobæus. Anton. & Maxim. Aegid. Iauellus. Patritius. Valentia. Lessius.

Torres. Contzen. Bustach. A. Carm. Rispgul. Ribaden. Bellarm. Busaus, Scribanus, Chauass. Menoch. Sarterin. D. August. Seneca,

act. vir. lib. 2. cap. 11. Ribad. lib. 2. de princ. c. 34. Beli. de off. princ. lib. 1, c. 11. Bus. to vir. ver. Fortitudo; Scrib. in sup. relig. lib. 1. cap. 12. Cauass. de vera prud. lib. 3. cap. 5. Men. inst. pol. lib. 2. c. 19. Sart. in ciue reip. reg. consid. 117.

176. Noto 1. quod duæ communiter circumferuntur fortitudinis definitiones, in idē omnino recidentes. Vna D. Aug. lib. 83. qq. q. 31. quæ sic habet. *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Altera est Ar. 3. eth. c. 6. *Fortitudo est mediocritas circa metum, & audaciam.* Quibus adde tertiam Sen. 2. de benef. c. 34. *Fortitudo est virtus, pericula iusta contemnens, aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocandorum.* Ex quibus constat, quòd duo sunt maximè fortitudinis munia, Sustinere molesta, & Agredi fortia, vt insinuatur 1. Reg. 17. *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum quia puer es.* Ex quibus, vt ait Ar. 3. eth. c. 9.

Aristotel. D. Amb. D. Thom.

Amb. 1. de off. c. 41. D. Th. loc. cit. ar. 6. primū est principalius, quia fortitudo versatur circa difficilia, & difficilius est bene sustinere, quàm aggredi; nam aggrediens videt malum vt futurum, & agreditur debiliorem se, ac subitò; Sustinēs autem videt vt præsens, & sustinet à fortiori se, & diuturniùs, vt D. Thom. loc. cit. ad 1. AEgid. cap. 13. Bus. cap. 6. §. 6. & Chauass. loc. cit. §. 5.

D. Thom. Chauass.

177. Noto 2. quòd licèt Ar. 3. eth. cap. 6. & D. Th. loc. cit. ar. 4. videantur docere, fortitudinem propriè solùm versari circa rem omniū terribilissimam, quam dicunt esse mortem, id tamen non ita intelligitur, quasi fortitudo non versetur etiam circa alia terribilia; sed solùm quòd versetur circa mortem primariò; quia qui mortem sustinere potest, potest etiam alia inferiora terribilia contemnere, licèt non è cōtra. Vnde qui hæc inferiora intrepidè sustinet, non potest verè fortis dici, nisi sit ita animo paratus, vt possit contemnere mortem in rebus præclaris. Atq; ita declarant Val. loc. cit. p. 1. Less. dub. 1. num. 9. Contz. §. 7. Quare ad fortitudinem etiam spectabit sustinere infamias, orbitates, exolationes, inuidias, irrisiones, cōtemptus, odia, calumnias, infestationes dæmonum; atq; etiam concupiscentiæ motus, morti comparatos ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hæc autem omnia, vt virtutem fortitudinis induant, non quomodocumq; sustinenda sunt, sed propter finem aliquem honestum, puta pro salute religionis, vel proximi, aut pro honore Dei, vel defensione virtutis, aut etiam pro corporali salute amici egregij. Quæ omnia docet Ar. 3. eth. c. 7. *Fortis vir erit interritus, timebit tamen etiam ipse huiusmodi mala, sed vt oportet tamen, & vt ratio præscribit, honestatis causa sustinebit, ac feret.* Vnde collige cum Iosepho lib. 3. de bell. Iud. cap. 14. quod se ipsum occidere, timidissimi hominis est, non enim confidit posse sustinere superstantia mala. *Timidus est habendus, qui mori non vult cum opus est, & qui vult cum non oportet, non viri est fortis semetipsum occidere, immò verò ignauissimi, nam & gubernatorem timidissimum puto, qui tempestatem metuens, ante vim turbinis nauem sponte submergit.*

Valentia. Lessius. Contz.

Arist.

Iosephus.

178. Noto 3. quòd licet, vt dictum est, duo sint actus fortitudinis, Sustinere; & Aggredi, tertius tamen, immo primus, & principalior est, se ipsum vincere, ac passiones suas domare. Vnde Amb. 1. de off. c. 36. *Est ergo fortis, qui se in dolore aliquo consolatur. Et re vera inter ea fortitudo vocatur, quando vnusquisq; se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atq; inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis*, &c. Greg. in ps. 2. pœnit. *Quid enim fortius, quàm omnes animi sui motus rationi subijcere, omnia carnalia desideria spiritus feruore frenare, proprias voluntates abijcere?* D. Prosp. lib. 3. de vit. contempl. c. 20. *Animi fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diuersis pulsata molestijs, inconcussa permanet, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbat.* Lact. lib. 1. instit. cap. 9. *Animum vincere, iracundia cohibere fortissimi viri est.* & Prou. 16. *Melior est patiens viro forti* [ideft iracundo] *& qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Ad quem locum dicit Greg. Hom. 35. in Euang. *Minor est ergo victoria vrbes expugnare, quia extra sunt, quæ vincuntur. Maius autem est, quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus separatur, & semetipsum sibimetipsi subijcit, quando cum patientia in humilitate tolerantiæ sternit.* Vnde A. Carm. ser. 24.

D. Amb.

D. Greg.

D. Prosp.

Lactant.

D. Gregor.

A. Carm.

Dignior est qui se, quàm qui fortissima vicit
Oppida, nec virtus altius ire potest.

Et ratio esse potest. Tum quia homo vincit omnia, iuxta illud Iac. 3. *Omnis anima bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum animalium domantur, & domita sunt à natura humana*, Sed nulla est maior fortitudo, & potentia, quàm vincere illum, qui vincit omnia; tum quia fortitudo circa difficilia versatur; quò ergo est victoria difficilior, eò est fortitudo vincens gloriosior. Sed victoria sui ipsius est omnium victoriarum difficilior, vt constat ex Chrysol. serm. 41. de ieiun. & eleem. *Bella gentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen carnis pugnas legimus non vicisse, & audiuimus eos dedisse delicijs pectora, qui dorsa hostibus non dederunt.* Et Senec. 5. de benef. cap. 7. *Facilius est gentes barbaras impatientesq; alieni arbitrij regere, quàm animum suum continere, & tradere sibi.* Et ep. 113. fin. *Imperare sibi maximum imperium est.* Et Plin. in paneg. *Nec verò laudauerim ego magnoperè duritiem corporis, ac lacertorum, sed si his validior toto corpore animus imperitet.*

D. Chrysol.

Sen.

Plin.

179. Dicendum est, quòd animi fortitudo est maximè, & omnino necessaria Prælatis Regularium. Ita Scrib. Sart. loc. cit. Contz. à §. 4. Chauass. §. 5. Menoch. §. 1. Red. de maiest. Princ. verb. In aduersis firmum. Constat, tum quia fortitudo est necessaria ad extirpanda vitia, quod proprium Prælati est. Dicitur enim Eccl. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates;* Et 1. ad Tim. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Et Amb. 1. de off. c. 39. *Fortitudo inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, & dura aduersus illecebras.* Tum quia fortitudo omnes virtutes, quæ in Prælato esse debent, defendit, & custodit; Amb. loc. cit. *Non est igitur mediocris animi fortitudo, quæ discreta à cæteris animi fortitudo, quæ bellum*

Redinus.

D. Amb.

Amb.

cum

tum virtutibus gerat, sed quæ sola defendat ornamenta virtutum omnium, & iudicia custodiat. Et *[D. August.]* Aug. ser. 3. ad fr. in er. *O monache nihil valet cursus tui brachij, nihil tua operatio, nisi columna fortitudinis roboretur; nihil valet ædificium boni operis, nisi columna fortitudinis amplexeris.* Tum *[Seneca.]* quia ait Sen. epist. 113. quòd *fortitudo est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit sibi, securus in hac vita obsidione perdurat.* Tum quia Prælatum fortem timent insidiantium turbæ, leporum exercitus, inuidentium, detrahentium, mala imprecantium, molientium (quæ tamquam famulæ dignitates sequuntur, honoribusq; ita annexæ sunt, vt illorum proprietates dicas quarto modo) myriades; *[Vegetius.]* *In omni enim conflictu*, ait. Veget. 1. de re mil. cap. 8. *non tam prodest multitudo, quàm virtus.* Timent etiam fortem Prælatum leonum legiones; si enim fortis impingat in fortem, ambo cadent; & qui aggreditur, prosternere inimicum prætendit, non prosterni; & nihil est tam durum, quod duriori cedere non cogatur; & Prælatus vltra vires proprias, quas sibi suis virtutibus quæsiuit, habet etiam vires Prælaturæ; vnde durior, si virtuosus sit, communiter est, quam quilibet durus subditus, immò quàm multi duri subditi. Hic vnum monitos velim nostros Prælatos, vt in ferendis calumnijs, quibus singulis momentis impetuntur à subditis, non conturbentur, non plangant, non suspirent, non signa doloris monstrent, ne causam lætitiæ aduersarijs tribuant (licèt hæc agere ipsis aliquando posse non negem, cum scilicet agitur de damno graui communitatis, *[Menochius]* vt probat Menoch. lib. 2. inst. pol. cap. 19. §. 3. *[D. Greg.]* ex Greg. 2. mor. cap. 16.) Quod monuit Hier. *[D. Hieron.]* ad Pammac. dicens. *Prima Monachi virtus est contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari, dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et Tull. 1. de off. *[Tullius.]* *Nam & ea, quæ eximia plerisq; & præclara videntur, parua ducere, eaq; ratione stabili, firmaq; contemnere, fortis animi, magniq; ducendum est. Et ea, quæ videntur acerba, quæ multa, & varia in hominum vita, fortunaq; versantur, ita ferre, vt nihil à statu naturæ discedas, nihil à dignitate, sapientis, robusti, animi, magnæq; constantiæ.*

180. Quòd si quæras, quomodo poterit noster Prælatus hanc sibi fortitudinis virtutem cõ- *[Bussus.]* parare? R. videndos esse Buf. in vir. ver. For- *[Menoch.]* titudo, cap. 4. Menoch. Inst. pol. lib. 2. cap. 19. *[Chauassius]* §. 6. Chauass. de vera prud. lib. 3. cap. 5. §. 4. *[Contzen.]* Contz. 3. pol. cap. 17. à §. 9. In primis illam petendam esse à Domino existimo, iuxta illud Esa. 12. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, factus est mihi in salutem.* Ad quod facit precatio illa cuiusdam senis è nostris. *Precor, Domine, infinitam bonitatem tuam, vt me regi non permittas, nisi à Prælato prudenti, & discreto; quòd si aliter propter peccata mea, vel alias tibi notas causas iudicaueris, mihi Domine precor fortitudinem ad illum tolerandum concedere non dedigneris.* Deinde cogitanda iugiter, & mente voluenda omnia aduersa, quæ euenire possunt, ex ijs, quæ antecessoribus, vel simili dignitate præditis euenere, & tamquam præsentia toleranda; vt cum deinde verè præsentia fuerint, minùs sentiantur, & valentiùs sufferantur. Quod remedium *[Cassianus.]* consuluit Cassian. coll. 19. cap. 16. Et illo vsus est Dauid psal. 26. *Si consistant aduersùm me castra, non timebit cor meum;* quia iam sæpe ea præuidi in mente mea. Et Sen. epist. 107. *[Seneca.]* *Contemnes, si sæpe cogitaueris, & futura præsumpseris; nemo non fortius ad id, cui se diu composuerat, accessit, & dura quoq; si præmeditata erant, obstitit.* Cic. 1. de *[Cicero.]* off. *Magni ingenij est præcipere cogitatione futura, & aliquando ante constituere, quid accidere possit in vtramq; partẽ, & quid agendũ sit.* Et Virg. Aen. 6. *[Virgilius.]*

Nulla mihi noua nunc facies, inopinaue surgit:
Omnia præcepi, atq; animo mecum ante peregi.

Vide Amb. 1. de off. cap. 38. Iuuat etiam multum *[D. Amb.]* ad virtutem fortitudinis adipiscendã lacta fortia malorum considerare. De quo Amb. loco cit. cap. 40. & dixit Virg. 12. Aeneid. *[Virgilius.]*

Sis memor: & te animo repetentẽ exẽpla tuorũ,
Et pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

181. Peccatur contra fortitudinem 3. modis. Primò timore, de quo D. Th. quæst. 125. secundo intimiditate, de qua quæst. 126. & audacia, seu temeritate, de qua q. 127. Timiditas, seu ignauia est vitium in timendo excedens, quando scilicet quis timet, quod non oportet, vel quando non oportet, vel plusquàm oportet, vt sunt aliqui, qui laruas, vmbras, atq; ipsasmet cogitationes, & phantasiæ suæ simulacra timent. Quod vitium numquam mortale est, nisi retrahat ab eo, quod est de necessitate præcepti, vel disponat ad faciendum aliquid, quòd sit mortale. Intimiditas est vitium in timendo deficiens, quãdo scilicet quis non timet, quod timendum, vel quomodo timendum, vel quando timendum est. Quomodo faciunt aliqui stulti ventosi, in lingua, manibusq; fugaces. Hoc vitium est mortale, vel veniale, ratione mali, vel periculi proprij, vel alieni, quod quis incurrit propter ipsum. Audacia, seu temeritas, est vitium oppositum fortitudinis per excessum, quando scilicet quis temerè audet, & aggreditur, quod non debet, aut sicut non debet, aut quando non debet. Et potest esse peccatum mortale, vel veniale, pro ratione materiæ, magis, vel minùs grauis, & periculosæ, quam quis re ipsa temerè aggreditur. Audaces vt plurimum timidi sunt, vt ait Arist. 3. eth. *[Aristotel.]* cap. 7. *Audaces quidam præcipites sunt, voluntq; ante ipsa pericula periclitari, in ipsis verò constituti absistunt; sed fortes in operibus ipsis acres, ac celeres, antea quieti sunt.* Vide D. Thom. 2. 2. quæst. 125. *[D. Thomas]* art. 3. & q. 126. art. 1. & q. 127. art. 1. Val. tom. 3. *[Valentia.]* disp. 8. q. 3. p. 1. Less. lib. 3. cap. 1. dub. 6. *[Lessius.]*

§. 19. De partibus fortitudinis.

182. De partibus fortitudinis in communi agit D. Tho. 2. *[D. Thom.]* 2. q. 128. in particulari, à q. 129. Less. lib. 3. c. 1. dub. *[Lessius.]* 1. Val. to. 3. disp. 8. q. 3. p. 1 *[Valentia.]* Iauel. to. 2. p. 2. phil. christ *[Iauellus.]* tr. 6. c. 6. Eustach. 3. p. sũ eth. disp. 2. tr. 3. sect. 3. q. 3.

183. Dicendum est, quòd partes fortitudinis integrales, seu partiales diuersimode consideratæ, vt dictum est sup. hoc cap. §. 2. nu. 10. sunt magnanimitas, ad quam fiducia, vt D. *[D. Thom.]* Thom. q. 129. art. 6. quia non potest quis magna aggredi generosè, nisi multùm confidat se

posse conficere. Magnificentia, patientia, ad quam spectat longanimitas, ut D.Thom. q.136. art. 5. quia sine anxietate expectare, quæ diu differuntur, quod est proprium longanimitatis, ad patientiam pertinet; & perseuerantia, ad quã spectat constantia, vt D.Thom. quæst.137.art.3. quia, non obstantibus difficultatibus prouenientibus, in proposito stare, quod est proprium constantiæ, ad perseuerantiam spectat. Ita D. Thom. quæst.138, ex Cic. lib.2. de inuen.

184. Magnanimitas est virtus, ad opera magna, & heroica in omni virtutum genere inclinans. Ita Arist. 4 eth. cap, 3. vbi ait. *Videtur igitur magnanimitas quasi ornamentum quoddam esse virtutum; nam & maiores ipsas reddit, & sine ipsis esse non potest; at propterea reuera esse magnanimum difficile est, cum id existere sine integritate nullo modo queat.* Hæc virtus maxime reperitur

Aristot.

in Religiosis, vt ait Less. loc. cit, dub.8. nu.12, Magnitudo enim animi, quam dicit magnanimitas, in 2. potissimum consistit. In contemptu scilicet earum rerum, quæ maximè vulgo æstimantur, vt sunt diuitiæ, voluptates, & honores; & in conatu ad ea, quæ sunt maximè ardua, & honore cœlesti digna, vt sunt consilia Domini, quæ obseruare profitentur Religiosi. Et quia, vt ait Patr. lib.7. de reg. tit.8 *Magnanimitas ea est virtus, sine qua Reges, ac Principes nequaquam rectè imperare possunt.* Et Sen. lib. 1. de clem. cap. 5. *Decet magnanimitas quemlibet mortalē, etiā illum, infra quem nihil est. Quid enim maius, aut fortius, quàm malam fortunam retundere? Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna laetiorem locum habet, meliùsq; in tribunali, quàm in plano conspicitur.* Colligitur ex cap. Grandi, de suppl. negl. Præl. in 6. ibi *Magnanimitate.* Ideò hic ad nostrum Prælatum instruendum, Insinuabimus eas conditiones, quas de magnanimo docet Arist. loco cit. de quibus Less. loco cit. num.14. Iauel.4.eth. tract.3.cap.3. vbi Bur. tract.3. Aegid. de reg. lib.1.par.2.cap.23. Contz. 3. pol.cap.10.

Lessius. *Patritius.* *Seneca.* *Aristot.* *Lessius.* *Ianellus.* *Buridan.* *Aegid.* *Contz.*

185. Primò itaque magnanimus nec pro paruis rebus, nec frequenter adit pericula, quando autem adit, id constantissimè facit, non parcēs vitæ suæ, quasi non sit dignum viuere, vbi salus Religionis, & patriæ periclitatur. 2. Libenter confert beneficia, non libenter suscipit, quia illud superioris, istud inferioris, vbi autem beneficia acceperit, largissimus retributor existit. Data autem beneficia commemorari libenter audit, licèt ipse in se eorum non ampliùs recordetur. Neminem item nisi difficulter precatur, promptè tamen precantibus obsequitur. 3. Cum præclaris viris magnum se præbet, cum honesto tamen decore, non adulatione, cum mediocribus mediocrem. Item magnanimus honores non venatur, nec vltrò se offert, vt honoretur, sed expectat, vt sibi vltrò deferantur, & æquo animo fert, vel potiùs despicit, si ei non exhibeantur, animi magnitudine ductus. 4. Non mouetur pro quacumq; re leui, sed solùm pro rebus maximis; vnde dedignatur se in rebus parui momenti ingerere, ad eaq; vocari. 5. Manifestè amat, & odit, quæ amore, vel odio digna sunt; turpe enim putat quemquam decipere, bonus amicus, & bonus inimicus existit. Vnde etiam magis æstimat veritatem, quàm opinionem, idest magis æstimat esse bonum, quàm videri, & veritatem, quandò dicenda est, aperte dicit absq; timore, suamq; voluntatem intrepidè fatetur, voluntas enim aut non est, aut libera dicenda est; scit tamen etiam prudenter celare, quando opus est, non enim decet omnibus omnia patere. Vnde etiam sequitur, quòd non potest ad alienum viuere arbitrium, nisi forte amici, cuius sit idem velle, & nolle, à quo etiam cum libertate dicta accipit non grauatè, iuxta illud Naz. epist.169. *Est hominis animi magnitudine prædi[ti], amicorum potiùs libertatem, quam inimicorum blanditias amplecti.* 6. Non est admiratiuus, quia nihil existimat magnum in rebus istis humanis, caducis, & externis; admiratur tamen magnam Dei potentiam, & bonitatem, magniq; facit, & admiratur virum summis virtutibus præditum. 7. Non est memor iniuriarum, quia parui pendit iniurias sibi non digno illatas. Quare viles sunt Aristoteli, qui iniurias priuatas sine fine persequuntur; immò omnino bestias vocat tales Muson. apud Stob. serm.19. *Sanè animo cogitare, qua via in eum, qui momordit, morsum retorqueas, & retalies iniuriam auctori, ferarum, quam hominum, magis proprium existimo.* 8 Non multum loquitur de hominibus, aut laudando, aut vituperando, nec etiam de se ipso, quia non curat, vt laudetur, neq; vt alij vituperentur. Contomelijs autem in se ipsum collatis moderatè respondet, si sine scandalo id fieri potest. 9. Non queritur, si illi necessaria, vel parua desint, nec est facilis ad ea postulanda, quia hæc illi minùs sunt cordi. 10. Potiùs vult possidere res præclaras, & infructuosas, quam utiles, & fructiferas. 11. Magnanimi motus, & incessus est tardus, uox grauis, oratio stabilis, & sedata, unde non est festinus in loquendo, nec contentiosus, nec uehemens.

Nazianz. *Musonius.*

186. Peccatur contra magnanimitatem dupliciter ut ait D Thom.2.2.quæst.130. 1. per excessum. 2. per defectum. Per excessum. 3. modis. 1. præsumptione, de qua D. Thom. loco cit. 2. ambitione, de qua idem quæst. 131. 3. inani gloria, de qua idem quæst. 132. Per defectum peccatur pusillanimitate, de qua D. Tho. q. 133. Præsumptio est nimia suarum uirium confidentia, qua fit ut quis aggrediatur aliquid, uel sit paratus aggredi, quod est supra suas uires. Est autem peccatum mortale, uel ueniale, pro ratione materiæ, magis, uel minùs grauis, aut etiam pro ratione nocumenti proprij, uel alieni, quod inde sequitur. Mortale erit sine dubio, si quis absq; debita peritia suscipiat officium Confessoris, uel Parochi, aut Lectoris, uel Superioris; tunc enim uiolatur ius naturæ, quod docet, neminem debere assumere sibi facienda, quæ illius capacitatem superant. Ambitio est appetitus inordinatus honoris. Tripliciter autem potest inordinatè appeti honor, ut ait D. Thom. quæst. 131. art.1. Primo quandò appetitur honor, qui appeti non debet, quia est supra dignitatem propriæ personæ. Vt si quis uelit honorari ob gradum, quem non habet. 2. si appetatur honor eo modo, quo non debet, ut si quis ita honorem amet, ut paratus sit propter ipsum Deum offendere. 3. si appetatur honor inutiliter, non referendo scilicet illum ad utilitatem aliquam propriam, uel alienam. In 1. casu est peccatū ueniale tantū,

D. Thom. *D. Thomas*

nisi

nisi fiat iniuria proximo. In 2. est mortale, vel veniale, pro ratione mediorum, quibus vtitur, vel paratus est vti. In 3. est veniale. Si autem appetitus honoris sit vndequaq; moderatus, nullum erit peccatum, vt ait D. Thom. quæst. 131. art. 1. ad 3. *D. Thomas* cum honor sit virtutis imago. Vnde Arist. 4. eth. cap. 3. ait. *Aristotel.* *Immo neq; honore quidem erit dignus, si sit malus; quippe cum virtutis præmium sit honor, bonisq; tribuatur.* Vanagloria est inordinatus appetitus gloriæ vanæ, & inutilis. Potest autem tripliciter iste appetitus gloriæ vanæ esse inordinatus, vt D. Thom. quæst. 132. art. 1. Primò si de simulata excellentia quæratur opinio, vel fama, vt illi, qui se fingunt esse peritos, vel eadem quæratur de re fragili, & caduca, vt iactabundi faciunt. 2. si quæratur apud eos, qui de rebus non possunt rectè iudicare, vt si quis disputaret apud imperitos. 3. si quis ponat in ea vltimum finem, quia scilicet parata sit peccare mortaliter. In 1. casu, si cum detrimento aliorum vtatur, erit mortale, vel veniale, ratione detrimenti, magis, vel minùs grauis. In 2. si non habeat aliquem effectum mortalem, est solùm veniale. In 3. est mortale, vel veniale, pro ratione peccatorum, quę paratus est agere propter vanam gloriam assequendam. Pusillanimitas est vitium, quo quis diffidens de suis viribus, refugit officia, ad quæ est idoneus, & detrectat facere bona opera aliquid difficultatis habentia, quæ alioquin facile præstare posset. Est autem mortale, vel veniale, pro ratione rerum, quas detrectat facere, vt si id, quod detrectat, tale sit, quòd ad id sub mortali suscipiendum teneatur, mortale erit; si autem teneatur sub veniali, veniale. Videatur. Val. to. 1. disp. 8. quæst. 3. par. 1. Less. lib. 3. cap. 2. dub. 3. Contz 3. pol. cap. 10. §. 4. Iauell. 4. eth. tract. 3. cap. 4. & ante omnes D. Thom. loco cit. q. 130. 131. 132. 133. semper art. 1.

Valentia. *Lessius.* *Contzen.* *Iauellus.* *D. Thom.*

187. Magnificentia, de qua D. Tho. 2. 2. q. 134. *D. August.* Est Aug. lib. 83. qq. quæst. 31. *rerum magnarum, atq; excelsarum cum ampla quadam, & splendida propositione cogitatio, atq; administratio.* Et Ar. 4. eth. cap. 2. *Nam etiam ipsa esse quædam virtus videtur, quæ circa pecunias versatur, non in omnes tamen, quæ ad pecunias spectant, actiones, sicut liberalitas, diffunditur, sed in sumptuosas tantùm.* Officium huius virtutis primarium est res magnas, ad quas magno sumptu opus est, efficere, quando ratio id postulat, vel suadet. Sex autem *Aristotel.* proprietates magnifici assignat Arist. loco cit. 1. quòd magnificus scienti assimilatur, quia scilicet circa materiam suam scit inuenire quid deceat, & sumptus conuenientes rebus accommodare. 2. quòd honesti causa (quod omnibus virtutibus commune est) magnos sumptus faciat. 3. eos facit cum voluptate. 4. dictos sumptus facit sine parsimonia. 5. non curat quanti constet opus, modò pulcherrimum sit, & maximè decens. 6. magnificus semper est liberalis, & ex æquali sumptu facit opus magis præclarum, quàm liberalis.

188. Sed inquies, hanc virtutem non posse conuenire Prælatis regularibus, qui votum paupertatis fecere; quod & insinuauit Arist. loco *Arist.* cit. dicens. *Propter quod inops quidem non vtiq; erit magnificus, non enim sunt ei à quibus magna consumit decenter, tentans autem insipiens.* Rx. ad hoc D. Thom. quæst. 134. art. 3. ad 4. *D. Thomas* quòd licèt pauper quò ad actum exteriorem huius virtutis, qui non potest exerceri nisi per magnam pecuniarum quantitatem, tamquam per instrumentum necessarium, magnificus esse non possit, potest tamen esse magnificus quò ad actum interiorem, qui est principalis virtutis actus, idest quò ad electionem magnorum sumptuum circa opera admiratione digna, in honorem, & ornamentum Dei, vel communitatis, vel familiæ, actu ponenda, si facultas adesset. Seu potest esse magnificus, odiendo vitia huic virtuti opposita. Seu potest etiam pauper esse magnificus, non in ijs, quæ sunt magna simpliciter, sed solùm in ijs, quæ sunt magna per comparationem ad aliquod opus; quod licet in se paruum sit, tamen potest magnificè fieri secundum proportionem illius generis, v. G. fabricatio coquinæ, seu latrinarum potest fieri magnificè in suo genere. Vnde etiam Arist. loc. *Arist.* cit. ait. *Propter quod est magnifici; in quo vtique faciat genere, magnificè facere.* Vide Bur. 4. eth. *Burridan.* tract. 1. cap. 3. quæst. 1. dub. 3. in resp. ad arg.

189. Sed hic nota, quòd puto, illam virtutem esse non minùs Prælatis Regularium necessariam, quam alias. Tum propter connexionem, quam inter se virtutes habent. Tum propter splendorem, & ornamentum. Tum quòd huius virtutis duo præcipuè sunt actus ad meum propositum secundùm Arist. loc. cit. Vnus circa res diuinas; alter circa humanas. Circa res diuinas, ad magnificum spectat templa ædificare, reparare, ornamenta necessaria Ecclesijs munda, & magnifica contribuere, & omnia, quæ ad Dei cultum pertinent, cum decore, & iuxta facultates, quas possidet, vel ministrat, præparare. Circa res humanas, tenetur magnificus iuxta easdem suas facultates splendidè eleemosynas pauperibus erogare, hospites læte recipere, & largè, ac magnificè tractare, benemeritos remunerari, suis magnifica conuiuia facere. Hęc omnia tenetur etiam Prælatus regularis facere, tū quæ ad cultum Dei, tum quæ ad hospites, tum quæ ad pauperes, tum quæ ad benemeritos. Quò ad conuiuia tenetur Prælatus Superiores suos aduenientes magnificè tractare. Quod videtur insinuari in noll. Correct. num. 61. Et tenetur etiam suis fratribus bis, ter, aut quater in anno in Refectorio splendidiùs mensam præparare. Quod in Ordine nostro est in vsu diebus reconciliationum. Tenetur etiam totidem vicibus suis Religiosis religiosas recreationes concedere, & inibi abundantiùs refocillare. Hæc tamen intellige, saluis semper paupertate religiosa, & facultatibus monasterij. Quod etiam Arist. docet loco cit. cum dicit, *Aristotel.* *In omnibus autem, sicut dictum est, ad agentem quoque haberi relatio debet, quisnam, & ex quibus facultatibus agat; digni enim his esse sumptus debent, & non solùm operi, verumetiam facienti decenter esse accommodati.* *Patritius.* Et Patr. lib. 7. de reg. tit. 11. *D. Thom.* *Idcircò magnificus quinis esse poterit secundum opes, ac potentiam suam, dummodò animum ex virtute promptum ad benignitatem, beneficentiamq; habeat.* *Aristot.* *Patritius.* Vide D. Thom. Arist & Patr. loco cit. Bur. 4. ethic. tract. 2. Iauell. 4. ethic. tract. 2. Chauass. de ver. prud. lib. 4. cap. 3. §. 3. Menoch. inst. pol. lib. 2. cap. 21. 22. Less. lib. 3. c. 2. dub. 4. Aegid. de reg. lib. 1. par. 2. cap. 19. Ribad. lib. 2. de princ. christ. cap. 10.

Buridan. *Iauellus.* *Chauass.* *Menoch.* *Lessius.* *Aegid.* *Ribad.*

D. Thomas

190. Peccatur autem contra hanc virtutem, 2. modis, nimirum profusione, & paruincentia, vt D.Thom.2.2.q.135. art. 1. ad 2. Profusio est, cum plures sumptus fiunt, quàm requirat opus. Paruificentia est, cum minores sumptus fiunt, quàm opus institutum exigat. Profusio, si sit in detrimentum graue alicuius, peccatum mortale est; sin minùs, veniale. Paruificentia peccatum veniale est; poterit tamen esse mortale, si ex voto, vel testamento quis ad opus teneatur. Vel etiam, si operis perfectio necessariò exigat aliquos sumptus, alioquin ruitura. Vel etiam, si in opere conficiendo non reponantur omnia necessaria, ad hoc vt stabile, & durabile fit videatur. Val. tom. 3. disp. 8. q. 3. par. 2. Less. loco cit. num. 35. 36. Ianell. loc. cit. cap. 4.

Lessius. Valentia. Ianellus.

D. Thomas. D. August.

191. Patientia, de qua D. Thom. 2. 2. q. 136. est Aug. lib. 83. qq. quæst. 31. *Voluntaria, ac diuturna perpessio rerum arduarum, ac difficilium, honestatis, aut vtilitatis causa.* Hæc est virtus dulcissima, quam de cœlo misit Dominus in refrigerium, imm*o* in conseruationem generis humani. Hæc est omnibus hominibus omnino necessaria. Hæc debet esse nostris Prælatis charissima; hæc ab ipsis amplexari, nec vnquam dimitti debet, quia sine ipsa impossibile est, Prælatos subditos regere. Hæc est Index, quo Prælatorum sufficientia probatur. De hac dicit Aug. in lib. de pat. cap. 1. quòd est *tam magnum Dei donum, vt etiam ipsius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur.* Et Cyp. de bon. pat. *Patientia est, quæ nos Deo & commendat, & seruat; ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet,* &c. P. Dam. lib. 6. epist. 30. ver. fin. *Inter omnia, quæ diuina nobis sunt lege mandata, nihil est Monacho propensiùs enitendum, quàm vt patientiam in omnibus habeat, qua videlicet alienæ prauitatis iniuriam æquanimiter ferat. Hæc planè virtus ad perfectionis culmen Monachum prouehit, & terribilem in Dei hostibus animum dimicantem facit,* &c. Et ibid. epist. 31. in princ. vocat patientiam reginam virtutum, & illam doceri ait in tota sacra Scriptura. Chrys. hom. 15 in ep. ad Tim. *Est enim Prælatus linguis innumeris propositus ad lacerandum. Alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius compositionem in ius trahit, magnaq; illi patientia, & constantia ad ista toleranda opus est.* Et Prou. 14. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Et 2. Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia.* Et ad Hebr. 10. *Patientia vobis necessaria est.* Et quidam senior è nostris. *Patientia est bonorum, & malorum solamen, illos enim probat, istos purgat.* ad illud Hier. ad Rusf. *Aut sancta es, & probaris, aut peccatrix, & iniustè quæreris, minora sustinens, quàm merearis.* Plura apud Cass. coll. 18. c. 16. A. Carm ser. 25. 26. 27. Chauass. de ver. prud. lib. 3. cap. 6. Trull. lib 4. cap. 25. consid. 3. Rosig. de discipl. christ. perf. lib. 4. cap. 31. & de act. virt. lib. 2. cap. 18. Patr. de reg. lib. 7. tit. 14. vbi ait. *Qui varios hominum mores nequit tolerare, aut nimis delicatus est, aut à communi mortalium consortio se extrudit.* Peccatur contra patientiam insensibilitate, quando scilicet quis non tangitur, neq; proprijs, neq; alienis malis, & veniale est, & raro potest esse mortale. Peccatur etiam impatientia, quando scilicet quis nimiùm dolet, aut ex dolore à recto discedit, & veniale est; potest tamen esse mortale, vel ratione scandali, vel ratione mali, quod quis ex impatientia facit. Vide Less. lib. 3. c. 2. dub. 5. num. 41.

D. Cyprian. P. Damian. D. Chrys. D. Hieron. Cassianus. A. Carm. Chauass. Trullus. Rosignol. Patritius. Lessius.

D. Thom. D. August.

192. Perseuerantia, de qua D. Tho. 2. 2. q. 137. Est Aug. lib. 83. qq. quæst. 31. *in ratione bene considerata stabilis, & perpetua permansio.* De hac Eccles. 27. *Homo sanctus in sapientia manet, sicut sol; stultus autem sicut luna mutatur.* Aug. ser. 8. ad fr. in er. *O fratres mei non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseuerantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit omnes ad portum.* Ber. epist. 129. ad Genuenses. *Prorsus absq; perseuerantia neq; qui pugnat, victoriam, neq; palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est patientiæ, constantiæ filia; amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculũ sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.* Sen. epist. 22. *Turpe est cedere oneri; luctare cum officia, quod semel recepisti.* Et epist. 35. *Ante omnia hoc cura, vt constes tibi.* Et epist. 20. *Maximum hoc est, & officium sapientiæ, & indiciũ, vt verbis opera concordent, & vt ipse vbique par sibi, idemq; sit.* Et paucis interpositis. *Vnam semel, ad quam viuas, regulam prehende, & ad hanc omnem vitam tuã exæqua.* Et infra. *Quid est sapientia? Semper idem velle, atq; idem nolle.* Sciat itaq; Prælatus, magnam rem esse, & magni decoris apud Deum, & homines, vnum virũ agere, idest semper stabilem, atq; firmũ, vt monuit Hier. in princ. lib. Iob. E cõtra verò muliebris; atq; puerilis animi, instabilem, & inconstantem esse: & nihil esse regnantibus opprobriosius, quã mẽtis inconstantiam: denotat enim stultitiam, & stoliditatem, vt ait Sen. loco cit. epist. 120. *Maximum indicium malæ mentis, fluctuatio.* Et *turpius nihil iudicio, Impar sibi est.* Vnde maximè Prælatis dicta inconstantia cauenda est, & corrigẽda natura, alioquin in contemptũ venient subditorum, reuerentiamq; perdent, qua maximè manutenentur regimina. Non est tamen contra perseuerantiæ virtutem, à cognito errore recedere. Sen. 4. de benef. cap. 38. *Non est leuitas, à cognito, & damnato errore discedere, & ingenuè fatendum est, Aliud putaui, deceptus sum. Hæc verò superbæ stultitiæ perseuerantia, est, Quod semel dixi, qualecumq; est, fixum, ratumq; sit. Non est turpe cũ re mutare consilium.* Vide Patr. de reg. lib. 7. tit. 18. Menoch. inst. pol. lib. 2. cap. 50.

D. Bernard. Seneca. D. Hieron. Seneca. Patritius. Menoch.

193. Peccatur autem contra perseuerantiam duobus modis. 1. animi mollitie, siue inconstantia, de qua D. Thom. quæst. 138. 2. pertinacia, de qua idem quæst. 139. Inconstantia est, cum quis ob occurrentes difficultates, maximè ob tristitias, desistit à bono opere incepto; & est peccatum mortale, si ad illud opus tenebaris ex voto, vel præcepto, & materia est grauis; si leuis erit tantùm veniale. Si nullo modo tenearis, non erit peccatum mutare propositum, & relinquere prius exercitiũ. Pertinacia est, cum quis

per

perseuerat in proposito firmo, siue sentiendi, siue agendi, vbi non oportet, vel plusquā oportet; estq; veniale, vel mortale, pro grauitate materiæ, vt si Prælatus nolit obstinate mutare legem, quam vsus probauit perniciosam. Vide *Lessius.* *Valentia.* Less. lib. 3. cap. 2. dub. 6. num. 49. Val. tom. 3. disp. 8. quæst. 3. par. 2.

194. Monendi hic sunt Prælati de duobus, 1. vt semel datam fidem constanter seruent. Nihil est enim, quod vehementiùs subditos contineat quam fides, quæ, si semel violetur, seditiones parit, euersionesq; regiminum; patientiùs enim sustinent subditi, sibi, quod petunt, denegari, vel sibi non dari, quod non quærunt, quam à promissis cadere, & datam sibi fidem violari; nam in hoc contemni se maximè credunt. Vnde referunt, solitum fuisse dicere Franciscum I. Galliarum Regem, quod si fides toto orbe terrarum exularet, in Superioribus tamen seruanda esset. *Xenophon.* Et Xenoph. in or. Agesil. *Magna, & perpulchra res est, cum alijs omnibus, tum vero Principi, fidem seruare, & se talem esse cognosci.* Et Cic. pro Q. Rosc. *Perfidiosum, & nefarium est, fidem frangere, Thucydid.* *quæ continet vitam.* Et Thucyd. lib. 4. in or. Brasidæ. *Fraus tum in omnibus fœda est, tum vero in his, qui maiori dignitate sunt prediti, fœdior est, Aristot.* *quàm aperta violentia.* Et Arist. 1. rhet. cap. 15. *Infirmatis, violatisq; pactis, tollitur inter homines Silius.* *commerciorum vsus.* Et Sil. Ital. lib. 4. Superiores alloquens.

Non rumpite fœdera pacis:
Nec regnis postferte fidem.

D. August. Et Aug. epist. ad Bonif. *Fides quando promittitur, etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico, pro quo pugnatur?* Vnde Deut. 23. *Si nolueris polliceri, absq; peccato eris; quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti.* Et omnia promissa deo̅ta esse, statuitur in l. vl. Cod. Ad leg. Falcid.

Cauenda tamen hic sunt multùm Prælatis 3. domestica mala, quæ honorato prudentiæ, seu sagacitatis nomine vestiunt aliqui barbari Superiores. 1. est cum promiserunt, occasiones quærere non seruandi, reiecta causa in promissarium. 2. non habuisse voluntatem se obligandi. 3. more aulicorum promisisse. Hæc fraudolentium, & barbarorum Superiorum sūt. Hæc indigna sunt viro vtcumq; non Superiore religioso. His technis magis rumpitur, quàm in aperto, fides, magis contristatur frater, cui facta est promissio, frangitur enim illi non solùm fides, sed & illuditur. Quid interest inter frangere fidem, & occasionem frangendi quærere? Quippè nil. Nisi quòd ad infidentiam per- *Liuius.* fidia additur, & fraudulentia. Vnde Liu. lib. 9. hist. *Et perfidos numquam causa deficiet cur pacto non stent, semperq; aliquam fraudi speciem iuris imponent.* Et quid interest inter fidem non seruare, & in mente æquiuocare? Quippè nil. Nisi quòd ad fallentiā fidei additur dolus, & irrisio. Quis enim cogit vt promittas? Ergo si promittis, eo teneris sensu verba proferre, quo ea percipit promissarius, qui Deus non est, vt mentem tuā *Redina.* scrutari possit. *Quis enim hominum scit, 1. Cor. 2. quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Et si roges, an possint Prælati suadere reis, vt veritatem fateantur in iudicio, promittendo eis impunitatem, quam concedere nec volunt, nec possunt. R. negatiuè, quidquid aliqui inquè dicant, vel faciant, nam graue est fidem fallere; l. 1. in fine princ. ff. de const. pecu. Ita Red. de maiest. Princ. ver. Sed etiam per legitimos tramites, num. 13. Et concludit Dec. in l. Ea est na- *Decius.* tura cauillat. ff. de reg. iur. num. 7. & ante ipsum Imol. consil. 107. quod ex ea confessione per do- *Imola.* lum sic a iudice extorta, reus condemnari non potest. ita etiam Hippol. de Marsil. sing. 501. n. 4. *De Marsil.* Ang. in sum. ver. Fides: & Addit. Derij plura *Angelus.* cumulat ad dictum locum. Et licet Iciani, iam multo ante exulasse ad pœnam capitis fidem à curijs, ita vt non intret vmquam regum limen, eamq; seruantes ibi in egestate viuere, è contra autem violantes ditari, impijssimum tamen est, nefandos illos mores tam Reipublicæ perniciosos velle in Religiones introducere, in quibus omnia tam dicta, quàm facta, Prælatorum præsertim, decet esse sacrosancta; sciatq; qui talia intentant, quod luent perfidiæ suæ pœnas; ad illum Hom. lib. 4. Iliad. *Homerus.*

Etsi perinros violato fœdere Troas
Iuppiter è cælis præsenti haud puniat ira.
At tandem grandes magno cum fœnore pœnas
Hi cum coniugibus, & tota stirpe rependent.

Nolo tamen Prælatum tam promissorum tenacem, vt si ea iniusta sint, obseruet, in malis enim promissis fidem non expedit obseruare, reg. 69. In malis, de reg. iur. in 6. Et Amb. 1. de off. c. 50. *D. Ambros.* *Est etiam contra officium nonnumquam soluere promissum, sacramentum custodire.* Vide plura huiusmodi causa 22. q. 4. & refertur dictum Agesilai. *Si iustum est, quod petis, promisi; si non iustum, non promisi.* Et Tull. 1. de off. aliquos casus refert, quibus non tenemur seruare promissum. *Nec promissa igitur seruanda sunt ea, quæ sint ijs, quibus promiseris, inutilia; nec, si tibi plus ea noceant, quàm illi prosint, cui quidem promiseris; contra officium est, maius damnum anteponi minori.* Et paucis interpositis, *Iam illis promissis non standum esse, quis non videt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit?* Vide Chauass. de ver. prud. lib. 4. c. 1. *Chauassius* §. 3. Scrib. in Sup. relig. lib. 1. c. 9. & in pol. christ. *Scriban.* lib. 1. cap. 15. Sen. 4. de benef. cap. 34. 35. Ribad. *Seneca.* de princ. christ. lib. 2. cap. 15. Lips. lib. 2. ciu. *Ribadeneil* doctr. cap. 14. *Lipsius.*

195. 2. Quod moneo, est, vt commissa sibi secreta fide seruet Prælatus custodia. Est tanti momenti monitum istud, vt qui illud seruare nesciat nesciat regnare. In hoc consistit summa magnarum rerum. Primaq; regula bene, prudenterq; regnandi est secretorum obseruatio. Vnde Prou. 11. *Vir prudens tacebit, qui reuelat secretum, ambulat fraudulenter; qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Et Prou. 20. *Ei, qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.* Et vna ex causis, quare iustè possit amicus dimitti, est reuelatio secreti; Eccl. 22. *In reuelatione mysterij effugiet amicus.* Et Eccl. 28. *Quod si denudaueris absconsa illius, non persequeris post eum.* Vnde Sen. epist. 88. *Vre, cæde,* *Seneca.* *occide, non prodam, sed quò magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condam.* Et lib. 5. de benef. c. 21. *Querar cum eo, qui arcanum sermonem non continuerit, & fidem datam, nec seruatam indignabor.* Tacendum ergo Prælato, nam lubrica lingua facilè mysteria pandit. Vide plura apud Scrib. *Scriban.* in pol. christ. lib. 1. c. 16. & in Sup. relig. lib. 1. c. 10

§. 20. *De Temperantia, Prælatis Regularium necessaria.*

D. Amb. D. Thom. Aristotel. Patritius. Iauellus. Valentia. Lessius. Aegid. Peraldus. A. Carm. Io Torres. Contz. Scriban. Bellarm. Eustachi. Menochius. Ripagnol. Sartonius. Stobæus. A. et Max. D. August. D. Bernar. Aristotel.

196. VIDE D. Amb. lib. 1. de off. c. 43. D. Th. 2. 2. q. 141. Ar. 3. eth. c. 10. & 1. magn. mor. c. 20. Patr. lib. 6 de reg. tit. 18. Iauell. 3. eth. tr. 3. & p. 2. phil. christ. tract. 7. Val. tom. 3. disp. 9. q. 1. Less. lib. 4. c. 1 Aegid. de reg. lib. 1. par. 2. a cap. 15. Perald. in sum. de virt. tom. 1. par. 3. proc. tract. 3. A. Carm. lecm 18. 10. Tor. opos. phil. princ. lib. 10. 11. 12. 13. &c. Contz. 3. pol. c. 12. Scrib. lib. 1. pol. christ. c. 11. & in Sup. relig. lib. 1. cap. 16. Ribad. lib. 2. de princ. christ. c. 21. 22. Bell. lib. 1. princ. christ. cap. 11. Eustach. in sua eth. 3. par. disp. 2. tract. 3. sect. 4. Menoch. inst. pol. lib. 2. cap. 14. Roig. do discipl. christ. perf. lib. 4. cap. 33. Sart. 10 ciu. resp. reg. consid. 135. Stob. ser. 5. Ant. & Max ser. 64.

197. Noto 1. quod temperantia, *Est affectio coercens, & cohibens appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur.* Ita Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 13. & lib. 83. qq q. 31. *Temperantia est rationis in libidinem, atq; adeo non rectos impetus, firma, & moderata dominatio.* Ber. hom. in Dom. 10. post Pent. de vill. iniq. *Temperantia est refrenatio cupiditatis aduersus ea, quæ carnaliter delectant.* Arist. lib. 1. magn. mor. cap. 5. & 3. eth. cap. 10. *Temperantia est mediocritas circa voluptates gustus, & tactus.* Quã definitionem approbat D. Tho. loco cit. art. 4. Et ex his collige, quòd primarium, & proprium officium temperantiæ est moderari voluptates versantes circa tactum, & gustum; & licet etiã videatur versari circa moderationem voluptatum in alijs sensibus occurrentium, vt visu, auditu, olfactu, id tamẽ nõ est per se, nisi quatenus ordinantur tamquam ad finem vltimum ad dictos sensus gustus, & tactus, vt omnes cum D. Th. & Arist. loc. cit. Aduertit autem D. Thom. art. 2. quòd temperãtia sumitur dupliciter. 1. pro moderatione, quam ratio actionibus, & affectionibus humanis imponit, & sic virtus generalis est; & de temperantia hoc modo loquutur plurimi PP. & DD. 2. pro virtute, quæ refrænat appetitum in his, quæ maximè alliciunt, vt sunt gustus & tactus, & sic est specialis virtus.

D. Bernar. S. Ephræm. Seneca. Iamblich. Stobæus.

198. Noto 2. quòd temperantia est multùm celebrata, tam à Scrip. sacra, & PP. quàm à DD: prof. Eccl. 31. *Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, vt non cum manducas multùm odio habearis.* & cap. 37. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas.* Ber. de ord. vit. post med. *Sed inter has temperantia semper amplexãda est; est enim modus vitæ in omni verbo, vel opere. Hæc humilitatis regulam custodit; tranquillitatem animi seruat; continentiam, & castitatem diligit; fouet decus, & honestatem; restringit ratione appetitum, irã contemnit, nec rependit contumeliam.* Ephr. de tim. Dei. *Temperantiam sanitas sequitur, & sobrietas, atq; vigilantia.* Sen. epist. 88 *Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, atq; abigit, alias dispensat, & ad sanum modum redigit, nec vmquam ad illas propter ipsas venit. Scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere.* Iambl. apud Stob. ser. 5. *Fundamentum virtutis est, vt Socrates aiebat, continentia, & moderatio voluptatis; ornamentum verò bonorum omnium temperantia spectatur, vt Plato asseruit; munimentum denique honestissimarum animi affectionum, vt ego dico.*

Scriban. Menoch. Aegid. Bellarm. Ribad. Sartonius. Patritius. A Lapide. Magal. D. Bernar. D. Hieron.

199. Dicendum est, temperantiam esse simpliciter necessariam Prælatis Regularium. Ita Scrib. in Sup. relig. lib. 1. cap. 16. Menoch. lib. 2. inst. pol. cap. 14. Aegid. de reg. lib. 1. par. 2. c. 16. Bell. Ribad. Sart. Patr. loco cit. Constat. 1. ex Scrip. 2. ad Tim. 1. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis;* vbi per sobrietatem datam Apostolis primarijs Ecclesiæ Prælatis, intelligitur temperãtia, vt notant ibi A Lap. & Magal. & 1. ad Tim. 3 *Oportet Episcopum sobrium esse.* 2. ex PP. Ber. ep. 26 ad Guid. Ep. *Postremo temperantia opus est, ne qui alijs prædicas, ipse, quod absit, reprobus fias.* Et Hier. relat. in cap. Ecclesiæ, d. 35. reprehendens Ecclesiæ Primates, qui delicijs, & impudicitijs vacant. *An non confusio, & ignominia est, IESVM Crucifixum, magistrum pauperem, atq; esurientem farsis prædicare corporibus, ieiuniorumq; doctrinam rubentes buccas, tumentiaq; ora proferre?* &c. 3. ratione Tum quia intemperantia est vitiũ maximè bestiale, vt ait Ar. 3. eth. c. 11. his enim solùm duobus sensibus delectãtur bestiæ, ergo maximè dedecet Superiores. Tum quia intemperantia est vitium puerile, vt ait ibidem Arist. quia intemperati vt pueri, impetu, absq; discursu feruntur in ea, quæ oblectant. *Væ autem terra, cuius Rex puer est;* Eccl. 10. Tum quia intemperantia vitiũ maximè turpe est, vt Arist. ibid. Fit enim per eã quis mancipium ventris, & gulæ, ergo Prælatis maximè vitanda, ne suo malo exemplo alios ad similiter viuendum alliciant. Et obserua hic vnum, quod ego attẽtè obseruaui, quòd omnes, & quotquot Prælati Prælatijs priuati vmquam fuere, id illis propter hoc vitium euenit, nauseam enim generat, & maximum contemptum, intemperatum habere Prælatum, & dedignantur subditi tali bruto animali subdi, cum alia vitia tolerabiliùs sufferant, & patientiùs. *Curabunt* itaq; Prælati, vt bene Patr. lib. 6. de reg. tit. 18. *vt hac virtute in primis fulgeant, qua eorum vita, moresq; castigatiores omnino erunt, & eorum exemplo cunctos sibi emendatiores reddent.* *Patritius.*

300. Peccatur contra temperantiam 2 modis; stupore, seu insensibilitate, de qua D. Tho. 2. 2. q. 142. ar. 1. & intemperantia, de qua ibid. ar. 2. Stupor est, cum quis ita auersatur, & fugit delectationes tactus, & gustus, vt nolit eis vti, quando, vel vbi, vel quantum secundùm rectam rationẽ oportet. Intemperantia est excessus in concupiscendis, vel fruendis delectationibus gustus, vel tactus, vt cum appetuntur, vel vsurpãtur, quãdo vel vbi non oportent, vel plus quam oportet, vel nõ eo modo, quo oportet, vel quas nõ oportet. Insensibilitas est peccatum mortale, vel veniale, ratione, materiæ, quam repudiat; Nam si repudiet delectabiles operationes necessarias ad conseruationem vitæ, vel in specie, vel in indiuiduo, vt D. Tho. ar. 5 peccatum mortale erit. Si vero repudiet delectationes necessarias tantum sub veniali, veniale erit. Intemperantia est peccatum mortale, vel veniale, pro ratione materiæ, in qua versatur. Vide Val. tom. 3. disp. 9. quæst. 3. par. 1. Less. lib. 4. cap. 1. dub. 3. Iauel. to. 2. par. 2. phil. christ. tract. 7. cap. 3. *D. Thomas. Valentia. Lessius. Iauellus.*

§. 21. *De partibus integralibus temperantiæ.*

201. Ide D. Tho. 2. 2. q. 143. 144. 145. Iauel. loc. cit. cap. 4. Eustach. eth. p. 3. disp. 2. tr. 3. sect. 4. q. 1. Val. to. 3. disp. 9. q. 1. p. 1. Less. lib. 4. cap. 1. dub. 4.

202. Dicendum est, 2. esse partes integrales temperantiæ, verecundiam, per quam refugitur turpitudo temperantiæ contraria, & honestatē, per quam temperantiæ pulchritudo amatur. Ita D. Th. q. 143. & alij. Est igitur verecundia non virtus propriè, sed quædam laudabilis passio, qua turpia fugimus, & ea quæ probro digna sūt, vitamus, qualia maximè sunt peccata intemperantiæ; & hac ratione iuuat virtutē temperantiæ, vt D. Th. ar. 1. & Ar. 2. eth. c. 7. Et est Da- *Damasc.* masc. lib. 2. de fide orth. cap. 15. *Passio timoris* *Aristotel.* *de turpi actu*. Et Arist. 4. eth. cap. 9. *Est timor dedecoris, siue verè, siue existimatè.* 2. & rhet. cap. 6. *Verecundia est dolor quidam, atq; perturbatio ex malis, aut præsentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant.* Dicitur autem quandoque virtus a SS. PP. quatenus, vt D. Th. loc. cit. communiter virtus dicitur omne id, quod est bonum, & laudabile in humanis actibus, & passionibus. Est verò duplex. Vna de bono, quatenus scilicet quis erubescit bonum facere, vt cum Religiosi erubescunt prædicare euangelium, mendicare, pauperem vitam agere. Altera de malo, vt cum erubescimus de malo aliquo perpetrato. 1. mala est. 2. bona. *D. Greg.* De his Greg hom 10. in Ezech. *Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono, erubescere enim malum sapientiæ est; bonum vero erubescere, fatuitatis.*

203. Nota 1. quòd verecundia, & timor sunt corporei affectus, vnde non fiunt sine corporis mutatione; contrario tamen modo; nam in verecundia fit motus à corde ad partes extrinsecas, quasi à centro ad circumferentiā; in timore verò ab externis partibus ad internas. Et id prouenit, quia natura semper transmittit spiritus, vbi sentit defectum, vt deficienti subueniat. Et quoniam in corde est fons vitæ, inde est, quòd quando timetur periculum, & maximè periculum vitæ, spiritus, & sanguis ad cor confluant, relictis partibus externis sine colore, qui ex sanguine oritur, vnde ex timore pallescunt homines. Et quoniam honor, & confusio stant in exterioribus, & non in corde, ideò quando homo confusionem, & inhonorationem timet, spiritus, & sanguis ad exteriora, & præcipuè ad faciem, currunt, & sic homo rubescit in facie, quæ erubescentia verecundia dicitur. De qua cum certum sit quòd in facie sedem habeat, in qua tamen parte, dubitatur. *D. August.* Aug. ser. 8 de ver. Apost. eam in fronte collocat; *In fronte illam* [crucem] *figat, vbi sedes* *D. Amb.* *pudoris est*. Amb. de ob. Imp. Val. in genis. *Isti sunt, in quibus solet nitere verecundia.* *Abulensis.* Abul. c. 10. in Gen. q. vir. in fronte, & oculis *Verecundia apparet in fronte, & in oculis ideò homines verecundiam patientes, oculos deprimunt.*

204. Nota 2. quòd verecundia magis apparet in iuuenibus, quia plus habent caloris, & pellis sunt tenerioris. In mulieribus autem magis apparet, quam in viris, quia habent & pellem teneriorem, & sanguinem subtiliorem. Cur autem improbi non erubescant, docet D. Thom. 2. 2. q. 144. ar. 4. quia, cum sint in malis profundati, non apprehendunt turpia, vt turpia, sed potius de his gloriantur. *D. Thomas*

205. Dubitabis, an huiusmodi laudabilem passionem in Prælatis reperiri necesse sit; cum Arist. 4. eth. cap. 9. dicat in senioribus verecundiam non reperiri, quia nihil pudore dignum agunt: nec similiter in virtuosis; at Prælatos seniores esse decet, & virtuosos, R. quod licet senes, & virtuosi, quamdiu operantur vt senes quorum est omnia cum maturitate agere, & vt virtuosi, quorum est nihil non honestum patrare, verecundari non habeant, quia tamen vt homines cadere possunt in aliquo, vel verbo, vel facto, vel gestu, vel nutu minus honesto ideo decet eos tunc verecundari. Quod docet D. Thom. loco cit. cum ait, quòd licet senes, & virtuosi verecundia careant, quatenus eam non sibi facilem apprehendunt, sunt tamen sic dispositi, vt si in eis esset aliquid turpe, de hoc verecundarentur. Quo pacto intelligendū esse ait Ar. loc. cit. verecundantur autem Prælati 3. de causis. 1. ex aliqua turpitudine commissa ab aliquo suo subdito, quam refundi in propriam personam existimant. 2. ex specie, vel opinione alicuius turpis; ad virtuosum enim virum spectat non solum vitare turpia, sed etiam omnem similitudinem, & apparentiam turpitudinis 1. ad Thes. 5. *Abstinete vos ab omni specie mali* 3. ex infamatione sibi falsò data, nam turpe putant, quòd de se tale quid suspicentur homines. Et alioquin quòd etiā senioribus verecundia conueniat, docet Amb. 1. de off. c. 19. *Quæ cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta, tamen adolescentes, iuueniles q; annos maximè decet*. Et Sen. ep. 11. *Inter hæc & ruborem esse scio, qui grauissimis quoque viris subitus effunditur; magis quidem in iuuenibus apparet, quibus plus caloris est, & tenera frons, nihilominùs veteranos, & senes tangit.* *Aristotel.* *D. Amb.* *Seneca.*

206. Nota 3. quòd verecundia debet seruari in voce, in modo loquendi, & canendi, in oculis, in oratione ipsa, in motu, in gestu, in incessu, in habitu, de quibus Amb. lib. 1. de off. cap. 18. Ber. de ord. vi. Humb. in spec. Relig lib. 1. p. 1. Hugo de S. Vict. t. 2. de instit. nou. Meritò itaq; ait Patr. lib. 6. de reg. tit. 20. quòd *verecundia est artifex, effectrixq; diligentiæ; non enim tantùm ne quis peccet cauet, sed vt honestè, decenterq; agat, omni studio, omniq; diligentia nititur.* & paulò infrà. *Negligenda non est verecundia haud parua virtus, quæ emendatrix omnium actionum nostrarum, & expultrix improbitatis, ac temeritatis esse cernitur.* Et Tull. in part. or. ait, *Verecundiam esse virtutem omnium custodem, dedecus fugientem, & laudem maximam consequentem.* Plura videri possunt apud Arist. 4. eth. cap. 9. 2. rhet. cap. 6. Amb. Patr. D. Th. loc. cit. Bus. in vir. ver. Verecundia, Iauel. 4. eth. tr. 9. & phil. christ. p. 2. tr. 7. cap. 4. tit. De verecundia. Stob. ser. 31. Torres phil. mor. princ. lib. 2. cap. 15. Huic passioni contrariam non assignat D. Th. ea tamen assignat Ar. 2. eth. c. 7. fine; nimirum pauditatem, quando quis in omnibus verecundatur. *D. Bernar.* *Humbert.* *Hug. de S. Vict.* *Patritius* *Tullius.* *Aristot.* *Busæus.* *Iauellus.* *Stobæus.* *Torres.*

Et

Et impudentiam, quando quis in nihil omnino verecundatur.

D. Thom.

207. Honestas de qua D. Th. 2.2. q. 145. est animi electio firma, & stabilis ea omnia agendi cum decore, & venustate, quæ secundum virtutem sunt. Ita Patr. lib. 6. de reg. tit. 23. Quæ definitio colligitur ex Arist. lib. rhet. ad Alex. cap. 1. vbi ait, *Honesta sunt; ex quibus splendor aliquis, atq; illustris honos in eos, qui aliquid gesserint, emanaturus sit.* eadem habet 7. mor. eudem. cap. 9. & D. Thom. loc. cit. ar. 1. probat, quòd honestum idem est cum virtute; & art. 2. quòd idem est cum decore. & Amb. 1. de off. cap. 45. *Non mediocre est, rebus in singulis modum seruare, atq; impartiri ordinem, in quo vere prælucet illud, quod decorum dicitur, quod ita cum honesto iungitur, vt separari non queat.* Et est tantæ pulchritudinis honestas, vt, *si oculis cerneretur,* ait Cic. lib. 1. de off. *mirabiles amores excitaret sapientiæ.* Et Sen. 4. de benef. cap. 22. *Est magna in ipso opere merces rei, & ad alliciendas mentes hominum ingens honesti potentia, cuius pulchritudo animos circumfundit, & delinitos admiratione luminis, ac fulgoris sui rapit.*

D. Amb.

Cicero.

Seneca.

208. Dupliciter autem sumitur honestas 1. prout significat vniuscuiusq; virtutis rectitudinem, atq; adeo ipsum bonum honestum in materia cuiuslibet virtutis, Vnde qui in cunctis studijs suis, & verbis, & gestis, & scriptis nihil indecore, aut irreprehensibiliter agit, honestus dicitur; & qui in contractibus, ac negotijs se tractabilem, atq; facilem exhibet, siue emendo, siue vendendo, seu alio quocumq; modo, honestus similiter dicitur 1. Cor. 14. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis.* 2. sumitur specialiter pro eo, in quo elucet decor temperantiæ. Vnde qui comedit, bibit, colit, quando, quantum, vbi, & quo cum debet, honestus dicitur. Et hoc pacto honestas est pars temperantiæ. Quæ distinctio sumitur ex Amb. 1. de off. cap. 46. *Est igitur decorum, quod præminet, cuius diuisio gemina est. Nam est decorum quasi generale, quod per vniuersitatem funditur honestatis, & quasi toto spectatur corpore. Est etiam speciale, quod in parte aliqua enitet.* Assignatur autem honestas pars potius integralis temperantiæ, quam aliarum virtutum, quia opera temperantiæ facilius, & communius fœdantur, & dehonestantur, quam opera aliarum virtutum.

D. Amb.

209. Cum itaq; Prælatus sit lucerna ardens in monte suæ Religionis, ad quam respiciunt omnes, & quotquot sunt subditorum mentes, atq; oculi, conuenit, ipsum non solùm recta agere, sed rectè, debito scilicet ordine, debito, & conuenienti modo, tempore, cum debitis, & opportunis circumstantijs; & id in omnium virtutum materia, sed præsertim in temperantia, quatenus nutritionem dicit indiuidualem: nam, quatenus dicit generis humani conseruationem, eam exercere non potest. Quod si fecerit, sciat se maximè sibi deuincturum subditorum animos; ait enim Patr. loc. cit. *Sola honestas est, cuius opus, & artifex simul probatur, & adeò ad se homines allicit, vt imitator eius, & auctor vnusquisq; esse desideret.* Vide Bus. in vir. ver. Honestum Iauel. p. 2. phil. christ. tr. 7. cap. 4. tit. De honestate: Less. lib. 4. c. 1. dub. 6. Causs. de vera prud. lib. 1. cap. 3. §. 3.

Busæus.

Iauellus.

Lessius.

Caussinus.

§. 22. *De partibus subiectiuis temperantiæ.*

D. Thom.

Eustach.

Valentia.

210. IDE D. Th. 2.2. q. 146. Eustach. 3. p. eth. tr. 3. sect. 4. q. 2. Less. lib. 4. c. 1. dub. 4. Val. to. 3. disp. 9. q. 1. p. 2. Dicendum est, partes subiectiuas temperantiæ esse 4. abstinentiam, sobrietatem, castitatem, & pudicitiam. D. Th. loc. cit. q. 143. ar. vn. Eustach. & alij. Abstinentia, de qua D. Th. q. 146. est virtus, qua homo à cibis abstinet prout oportet, pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate. D. Th. ar. 1. corp.

211. Nota 1. quòd natura paucis contenta est. Nam Eccl. 29. *Initium vitæ hominis panis, & aqua, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Et 1. ad Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Sen. ep. 17. *Natura minimum petit.* & ep. 21. *Venter præcepta non audit, poscit, appellat; non est tamen molestus creditor, paruo dimittitur, si modò das illi quod debes, non quod potes.* & ep. 16. *Si ad naturam viues, numquam eris pauper; si ad opiniones, numquam eris diues; exiguum natura desiderat, opinio immensum.* Et Luc lib. 4.

Seneca.

Lucanus.

Discite, quàm paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat.

212. Nota 2. quòd ex crapula multæ proueniunt infirmitates. Eccl. 37. *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Et Luc. 21. *Attendite ne fortè grauentur corpora vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa.* Et huius rei rationem reddit Chrysol. ser. 41. *Nam quoties ciborum cruditas vitalia deijcit, infirmat stomachũ, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremum febris gignit incendiũ, toties æger mentẽ perdit, amittit sensũ, fertur desiderijs, contrarijs vrgetur, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curam, & tandẽ vitam perdit, & mortem inuenit.* Basil. hom. 1. de laud. ieiun. *Siquidem habitudo corporis extremò bona sensim mutatur, & in diuersum recidit, nimirùm succumbente natura, nec valente corpulentiæ pondus sustinere.* Philo lib. de mun. opif. *Immoderata ciborum congestio est letifera naturaliter.* Vnde Iuuen. sat. 1.

D. Chrys.

D. Basilius.

Hinc subitæ mortes, atq; intestata senectus:
It noua, nec tristis, per cunctas fabula cœnas.

Hinc etiam videmus, quamplurimos Prælatos, qui, cum subditi essent, sanissimi erant, grauibus torqueri infirmitatibus, & citiùs fortè decedere, quàm decessissent, si fuissent subditi; licèt hoc multi tribuant, & non immeritò, grauibus animorum curis, quibus premuntur; sed in his habet etiam suam crapula partem; E contra verò abstinentes longissimè vitam producunt, vt de Essenis testatur Ioseph. lib. 2. de bel. Iud. cap. 7. *Viuunt quàm longissimè, ita vt plurimi eorum vsq; ad centenariam proferantur ætatem, propter simplicitatem victus, ut equidem puto, & institutionem bene in omnibus ordinatam.* Isti Esseni vitam quadragesimalem, magis tamen seuerè, quàm nos Minimi, obseruabant, vt constat ex Ioseph. loc. cit. & Phil. lib. Quòd om. prob. sit lib. Vnde ridiculum est, quod dicunt

Iosephus.

Philo.

aliqui

aliqui, abstinentiam nostram vitam abbreuiare. Cum ergo nullæ diuitiæ meliores sint sanitate corporis, vt Eccl. 30. *& summum bonu sit hominibus viuere, mors autē calamitas*, vt Ioseph. loc. cit. lib. 7. cap. 28. & frustra quæratur amissa sanitas, vt

D. Greg. Greg. 3. p. past. adm. 13. *Salus corporis quando ad bene operandum accepta despicitur, quanti sit muneris, amissa sentitur, & infructuose ad vltimum quæritur, quæ congrue concessa tempore vtiliter non habebatur.* Debet noster Prælatus abstinentiæ, ex qua & sanitas tantùm illi necessaria, & vitæ prorogatio prouenit, multum studere. Non erit tamen contra abstinentiæ virtutem aliquãdo plùs comedere, temporum attenta diuersitate, modò temperantiæ regula non excedatur. Eccl. 10. *Beata terra, cuius Principes comedunt in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam;* Quod denotat illa particula, In tempore suo.

Hippocr. Hippocr. enim aphor. 17. lib. 1. sect. 1. dicit. *Dandum aliquid est tempori, regioni, ætati, & consuetudini.* Et aphor. 15. *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi; quapropter in his temporibus alimenta plura exhibenda*

Aristotel. *sunt.* Et Arist. sect. 1. probl. 40. *Hinc etiam cibus parcus, potio liberalis per æstatem admittitur.* Et infra. *Parsimonia cibi communis temporum omnium est, sed magis æstati conuenit, ne ob habitũ temporis feruentē, corpus cibo immodico pressum exæstuet.*

Rosignol. *Chauassius* *Menoch.* *Busæus.* *Ianellus.* *Torres.* *D. Thomas*

Vide Rosig. de discipl. christ. perf. lib. 4. c. 34. Chauass. de perf. prud. lib. 3. c. 1. Menoch. Inst. pol. lib. 1. cap. 14. à §. 10. Bus. in vir. ver. Ieiunium; Ianel. phil. christ. p. 2. tr. 7. c. 4. tit. De abstinentia: Tor. phil. mor. princ. lib. 11. à cap. 1.

213. Peccatur contra abstinentiam per gulã, de qua D. Th. 2. 2. q. 148. quatenus accipitur nomen gulæ vt contradistinctum ab ebrietate. Est autem gula tunc peccatum mortale, cum quis ita immoderate expetit, aut vsurpat cibos, vt illorum causa paratus sit violare leges obligantes ad mortale; aliàs tantùm est veniale, vt D. Thom. loc. cit. ar. 2. nisi fortè afferat aliquod nocumentum graue, quod gulosus potuerit, &

Valentia. debuerit præcauere, vt Val. tom. 3. disp. 9. q. 3. p. 1. Gulæ peccatum in 5. species diuiditur, de quibus D. Thom. ar. 4. & explicantur isto versiculo.

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

D. Greg. Qui modi desumpti sunt ex Greg. 30. mor. cap. 27. Cũ ergo quis ex his quinq; modis ita peccat vt paratus sit transgredi leges ad mortale obligantes, speciale peccatum mortale gulæ committit. Vide Val. loc. cit. Less. lib. 4. cap. 3. dub. 1.

214. Sobrietas, de qua D. Th. 2. 2. q. 149. est

D. Thomas virtus moderatiua potus, valentis sua fumositate caput conturbare, & inebriare. Ita D. Tho. loc. cit. ar. 1. & 2. Hanc virtutem specialiter requiri in Prælatis, docet D. Th. ar. 4. quia, cũ ipsorũ sit vacare orationi, sacræ lectioni, subditorũ eruditioni, debent habere mentē puram, serenam, ac vigilãtem. Vnde 1. ad Tim. 3. & 2. ad Tim. 1. ea requiritur in Prælatis Eccl. Et Prou. 31. *Noli Regibus dare vinum.* Et verè ebrietas est vnum ex illis vitijs, quod quam maximè est in Prælatis abominabile, & quod eos maximè reddit contemptibiles. Hinc Plato lib. 3. de

Plato. Rep. *Ab ebrietate itaq; ipsis diximus abstinendum. Vnicuiq; enim magis conceditur, quàm custodi, vt ebrietate grauatus, vbi terrarum sit nesciat. Nempe ridiculum esset, custode indigere custodem.* Quare inter leges à Solone datas Lacedemonijs, (vt

Laertius. Laer. in eius vi.) hæc erat. *Princeps, si deprehendatur ebrius, morte mulctetur.* Et refert Alex. ab

Ab Alex. Alex. lib. 3. cap. 11. apud Indos lege cautũ esse, vt concubina, vel alia quælibet mulier, Regem temulentũ occidens, hoc conaretur munere, vt successori nuberet. Et lib. 4. c. 6. ait, quod Carthaginensibus, ne insolescerēt magistratus, toto imperij tēpore vinũ interdicebatur. Et lib. 3. c. 11. de Romanis ait, quòd vino dediti a muneribus publicis arcebantur. Id autem fiebat ob damna, quæ secũ affert ebrietas, de quibus latè Niss.

G. Nissen. hom. 3. in Eccl. col. 5. Et Amb. de Helia, & ieiun.

D. Amb. cap. 16. *Ebrietas fomentum libidinis; ebrietas incentiuum insaniæ, ebrietas venenum sapientiæ. Hæc sensus hominum mutat, & formas, & per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes.* Chrysol.

D. Chrys. ser. 26. ait, quòd vinum est, *Dæmon blandus, iucundus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria.* Hier. in c. 1. ep. ad Tit. in illud, Non vinolen-

D. Hieron. tum. *Longum est, ire per singula, & insanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Videas aliquos pocula in tela vertentes, scyphum in faciem iacere conuiuæ; alios, scissis vestibus, in vulnera aliena proruere; alios clamare, alios dormitare; qui plus biberit, fortior computatur.* Et infra. *Numquam ego ebrium castum putabo.* Quare bene 1. Cor. 6. *Ebriosi regnum Dei non possidebunt.*

215. Cum ergo ebrietas sit tam abominabilis, totq; tantorumq; malorum causa, certissimum est, quòd sobrietas illi cõtraria, est nostris Prælatis omnino necessaria. Ego quippe existimo, hoc ebrietatis morbo laborantem non posse tuta conscientia Prelaturam recipere, nec retinere receptam; nec posse à confessarijs absolui, nisi firmiter proponat, vel Prælatiæ renunciare, vel abstemius omnino euadere. Pro ebrietate vide to. 1. huius op. q. 1. cap. 17. §. vn. Ianel. phil. christ. p. 2. tr. 7. cap. 4. tit. De sobriet. Contz. 3. pol. cap. 14. Menoch. Inst. pol. lib. 1. c. 24. §. 5. Tor. phil. mor. princ. lib. 11. c. 9. Ant. & Max. ser. 68. Diaz in pract. crim. c. 80. Tiraq. de nob. cap. 31. à num. 174. P. Greg. lib. 39. synt. cap. 8. Camp. in diuers. iur. rub. 4. à num. 3. Gutier. can. qq. lib. 2. cap. 4. Vide etiam totam d. 35.

Ianellus. *Contz.* *Menochius* *Torres.* *Antonius, & Max.* *Diaz.* *Tiraq.* *P. Greg.* *Campanil.* *Gutierez.*

216. Peccatur contra sobrietatem ebrietate, de qua D. Thom. 2. 2. q. 150. Ebrietas autem est immoderata vini potatio causa voluptatis, priuans potatorem rationis vsu. Qui ergo ita inebriatur, vt vsu careat rationis, peccat sine dubio mortaliter, vt D. Th. loc. cit. ar. 2. & Val.

Valentia. tom. 3. disp. 9. q. 3. p. 2. quia priuat se vsu rationis, & exponit se mille periculis peccãdi, & hoc licèt intentionem formalem non habeat se inebriandi; sufficit enim quòd potuerit ebrietatem vitare. Censetur autem quis potuisse ebrietatem vitare, quando præuidit, vel potuit præuidere imbecillitatem sui cerebri, facilitatem inebriandi, fumositatem vini faciliter inebriatiui, quantitatem, quæ facillimè eum inebriare poterat. Vnde si quis iam aliquotiès sit expertus inebriari se ex tali, vel simili potu quò ad quantitatē, qualitatē, &c. meritò censetur potuisse præuidere ebrietatem secuturã; atq; adeò mortaliter peccasse se inebriãdo. Cognoscetur autem, quem in talem ebrietatem incurrisse. 1. quando postridie non meminerit, quid tum di-

xerit,

xerit, egerit, quomodò domum, aut cubitum ierit, a quo ductus, &. si ea dixerit, vel fecerit, quæ non solet, vt *Reginald.* Regin. lib. 10. num. 57. Si autem quis non ita inebrietur, vt vsum perdat rationis, licet sciat quod facit, si tamen sit aliquantò hilarior solito, & aliquantulum perturbetur illius phantasia, ita vt videatur ei, quòd domus gyretur, & homines habeant duo capita, putat *Valentia.* Val. loc. cit. col. 3. vers. Item diximus, quod *Syluester.* non sit mortale. Meliùs tamen Sylu. ver. Ebrietas, q. 1. contrarium censet, si scienter id egerit, & sine aliqua causa, tractus solùm dulcedine vini; quia notabiliter lædit vsum rationis sine causa, & cum periculo peccandi. Prælatos autem in hoc &. casu nulla ratione puto posse excusari à mortali, quia positi sunt in exemplum subditorum, & huiusmodi ebrietas deturpat plurimũ Prælatiam, vnde perditur respectus, & subditi licentiosiores fiunt, & minùs obedientes. Et videtur docere Turrecr. in cap. fin. d. 35. num. 4. quando ait, quòd ebrietas est maius peccatum in Prælatis, qua in subditis, ob illud 1. ad Tim. 3. quod Prælatus non debet esse vinolentus. Videatur *Lessius.* Val. loc. cit. Less. lib. 4. c. 3. dub. 3. *Comitolus.* Comit. lib. 5. q. 5. Regin. loc. cit. à num. 55. *Farinac.* Farin. 1. p. fragm. crim. lit. C. num. 155. *Abbas.* Abb. in cap. A. crapula, de vit. & hon. cler. num. 2. P. Greg. loc. cit. num. 2.

D. Thom. 217. Castitas, de qua D. Thom. 2. 2. q. 151. est virtus moderatiua affectuum, & actuum venereorum. Et est triplex, virginalis, vidualis, & *D. Cypr.* matrimonialis, vt docent SS. PP. Cypr. de bo- *D. Amb.* no pudic. Ambr. de virg. lib. 3. & in lib. de *D. Hieron.* vid. Hier. in cap. 13. Matth. in illud de fructu *D. August.* seminis, cuius aliud centesimum, &c. Aug. de virg. cap. 45. vbi præter dictam triplicem castitatem, agnoscit alios castitatis gradus, scilicet Monachorum, & Clericorum, qui ad virginalem, & vidualem referri non possunt. Pudicitia vel est idem cum castitate, vt D. Th. loc. cit. ar. 4. corp. vel est moderatiua actuum circumstantium ipsum actum venereum, vt sunt aspectus, oscula, amplexus, vt idem D. Thom. ibid. Quid sit castitas, quomodò côseruetur, de laudibus ipsius, vide tom. 1. huius op. q. 3. Quàm hæc virtus sit Prælatis necessaria, clarius est, quã vt probatione indigeat, cum eam omnes voueant. Caueant ergo sibi ab aspectibus, osculis, amplexibus, cogitationibus, &c. deturpant enim hæc non minùs, quàm actus ipsi, & plurimùm subditos scandalizant. Nec solùm caueant ab his, sed omnem etiam horum suspicionem tol- *D. Chrys.* lant; ait enim Chry. hom. 4. in ep. ad Tim. *Non modò obscæni congressus vitium caue, verùm etiam suspicionis, vel etiam obscuræ, aditum claude.* Sciantq; nostri Prælati, luxuriam talis esse naturæ, vt quò semel ingreditur, nisi citò expellatur, ita serpat, vt totum occupet; &, si radices figat, necet virtutum omnium semina, nec eas secum *D. Gregor.* patiatur. Audiant Greg. 3. Reg. cap. 11. *Salomon quippe immoderato vsu, atq; assiduitate mulierum ad hoc vsque perductus est, vt templum idolis fabricaret, & qui prius templum construxerat Deo, assiduitate libidinis, & perfidiæ subtractus, idolis templa construere non timuit.* Et venerem maximè *D. Thom.* obstare studiosis, docet D. T. 2. 2. q. 15. ar. 3. corp. quia, inquit, per luxuriam *intentio hominis maximè applicatur ad corporalia, & per consequẽs debilitatur operatio hominis circa intelligibilia.* Et subdit. *Et ideo ex luxuria oritur cæcitas mentis, quæ quasi totaliter spiritualiũ bonorũ cognitionem excludit.* Et Ant. 2. p. tit. 5. c. 1. §. 1. vers. Quarto con- *D. Anton.* luit; relato dicto Senecæ, quòd nihil est ta mortiferum ingenijs, quam luxuria, ait. *Siquidem rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam eneruat, obliuionem immittit, errorem infundit, ignorantiam inducit, & hominem quasi bestiam facit* (Quod vltimum etiam docet Ar. 7. eth. cap. 11.) De hoc Probus in cap. 1. de vir. & *Probus.* hon. cler. num. 7. quæ ex se transcripsisse testatur Tiraq. in l. 15. conub. glos. 1. p. 15. num. 66. quem vide num. 53. Et quòd voluptates venereæ multo sint impedimento prudentiæ, quæ est regiminum anima, docet Ar. loc. cit. *Voluptates etiam prudentiæ sunt impedimento, atq; eo magis, quò quis magis oblectatur, vt in venereorum voluptate contingit, in qua consistentes nemo intelligere quidpiam potest.* Et tandem voluptatibus deditI contemptibiles fiunt (quod super omnia vitandum Prælatis, vt Chrysost. hom. 14. in ep. *D. Chrys.* ad Tim. *Oportet eum, qui doctoris officium suscipit, ita se agere, vt despici, contemniq; non possit*) vt docet Arist. 5. pol. cap. 10. versus finem. *Aristot.* *In voluptatibus enim viuentes efficiuntur facilè contemnendi, ac multas præbent occasiones opprimendi sui.* Vnde 2. eth. cap. 9. præcipit omnibus, vt à voluptate caueant. *In omnibus autem à iucunditate, & voluptate maximè cauendum est.* Et cap. 3. ait, hominem voluptatibus deditum, malum sine iniuria prædicari posse.

218. Quòd si a morbis animæ ad morbos corporis transire velimus, tot, tantorumq; morborum est libido causa, vt ex ea omnes ferè morbos gigni putent cũ Philosophis, & Theologis accurati Medici. Boet. lib. 3. de consol. prosa *Boetius.* 7. ait. *Quid autem de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietas vero pœnitentiæ? Quantos illæ morbos, quàm intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ fruentium solent referre corporibus? quarum motus quid habeat iucunditatis ignoro.* Et Propert: lib. 3. eleg. 11. *Propertius.*

Certa quidem tantis causa est manifesta ruinis,
Luxuriæ nimiùm libera facta vita.

Et in particulari nihil est, quod magis vires corporis debilitet, quàm luxuria, vt patet experientia. Et ratio est, quam affert Ar sect. 4. probl. 6. & probl. 21, Quia *semen omni ex parte corporis secretio est.* Quã propositioné probat 1. de gener. an. cap. 17. & 18. Et 7. de hist. an. cap. 1. ait. Quod *senescunt celeriùs mares salaces, & mulieres, quæ frequentiùs pariunt.* Et Auic. lib. 3. de an. cap. *Auicenna.* vlt. ait, *hominem ex coitu vsq; adeò debilitari, ac discolorari vt, si quadragies tantum sanguinis emitteret, non tantum pallesceret, atq; tabesceret.* Et Ant. loc. cit. versu Tertiò, ait, vnam ex rationibus, quare antiqui Patres tantum viuebant, & robusti, nunc autem tam paruo tempore, & pleni debilitate, hanc esse, quòd erant magis continentes. Nocet inter cœtera mẽbra præcipue coitus stomacho, ut docet Gal. *Galenus.* lib. 3. epid. Hippocr. comm. 1. Nocet etiam ce- *Hippocr.* rebro, ut Gal. ibid. ad fin: dict. lib. Vnde etiam aliqui putarunt, semen ex cerebro per genitales uias in infima uoluptate defluere, ut loquitur Aug. lib. de ue. relig. cap. 40. Ex quo etiam fit, *D. August.* quòd spadones calui effici nequeunt, ut docet Ar. sect. 10. probl. 56. *Quia rem veneream non agunt,*

agunt; semen enim labi per spinam è cerebro videtur; nec non & mulieres, & pueri cur calui non sint, eadem ratio esse creditur. Neruis quoque nocet venus, vt Gal. ad fin. lib. 3. comm. aphor. Hipp. Oculis etiam nocet luxuria, vt Arist. sect. 4. probl. 2. & 3. Vnde non exactè videre conspicitur eos, qui venerem sectantur. Nocet similiter renibus, & eorum infirmitatibus secundùm eumdem Arist. loco cit. sect. 4. cap. 2. vbi ait. *Sunt autem & oculi, & renes omnium pinguea, atq; obesi, ergo quòd partes hæ rem veneream efficacius adiuuant, caloris participes sunt, cuius tabifica vi extenuantur, multumq; sui succi ad seminis excerni patiuntur.* Ex libidine oritur podagra, & orta augetur, & exacerbatur; oriuntur pariter chiragra, & omnes iuncturarum ægritudines. Ita Cor. Cels. lib. 1. cap. 9. vbi ait. *Si cui verò dolere nerui solent, quod in podagra, chiragraue esse consueuit, huic venus semper inimica est.* Idem docet lib. 4. cap. 24. vbi addit, quosdam cum toto anno sibi à vino, & venere temperassent, hoc malum euasisse. Et memini, me aliquando legisse Hier. dicentem, multos proscriptione bonorum dolore pedum conualuisse Medici dicunt communiter, podagram prouenire ex otio, crapula, & coitu. Sed multa exempla Sanctorum, præsertim Greg. Magni, qui hoc morbo grauiter affligebatur, vt de se ipso multis in locis scribit, quos refert Bus. in Pan. ver. Impatientia in podagra id prohibent credere esse vniuersaliter verum, cum eos temperatissimo sciamus, simulq; vigilantissimos. Vnde bene ait Maiol. lib. 2. de irreg. cap. 21. in fine, quòd hic morbus non semper est signum intemperantiæ; nam sæpe nos inuadit ex paterno sanguine, & ideo quodammodò hæreditarius morbus dicitur, vt docet Demetrius Pepagomenus in lib. de pod. cap. 6. quo laborauit S. Iulianus mart. Alexandrin. eodem quoq; laborauit S. Mauritius Cattucensium Episcopus. Et Gregorius Naz. vt refert Maiol. Vnde Alchimistæ, qui tantum tribuunt suæ illi chimeræ, quam lapidem philosophorum vocant, vt velint eum valere ad omnes morbos depellendos, contra hæreditariam podagram nihil valere fatentur. Causat item venus, morbum comitialem, vt Gal. lib. 6. mor. pop. Hipp. comm. 6. Causat itē epidemiam, seu morbum contagiosum Cels. lib. 1. cap. vlt. Item tabem, Cels. lib. 3. cap. 22. fine. Item hydropem, Cels. lib. 3. cap. 21. fine. Item distillationem, & grauedinem; Cels. lib. 4. cap. 2. Item apoplexiam, atq; paralysim; Cels. lib. 3. cap. vlt. Item lepram. Quod probat cap. Ex parte, de corp. vit. vbi Panor. Alopeciā quoque; Cæl. Aurel. lib. 5. chron. cap. 4. vbi rationem reddit, Quoniam venus trahit secum rotius corporis vexationem. Et tandem infinita morborum genera ex venere prouenire, docēt passim Medici. Et ideò Arist. vt refert. Tiraq; in l. 15. conub. glos. 1. par. 15. num. 50. in lib. arcan. ad Alex, ait, *Coitum esse destructorem virtutum, legis transgressorem, morborumq; sæuissimorum generatiuum.* Vide Tor. phil. mor. princ. lib. 13. Ianel. phil. christ. par. 2. tract. 7. cap. 4. tit. De castitate. Contz. 3. pol. cap. 12. Perald. in sum. virt. to. 1. p. 3. tr. 3. de temper: à cap. 10. Patrit. lib. 6. de reg. tit. 22. Ant. & Max. ser. 64. Chauasl. de perf. prud. lib. 3. cap. 4. Menoch. inst. pol. lib. 2. à cap. 25. A. Carm. serm. 29. De cælibatu sacerdotum vide Campeg. in opusc. de hac re.

Arist. *Cor. Celsus.* *Busæus.* *Maiol.* *Dem. Pep.* *Cæl. Aurel.* *Aristotel.* *Tiraquel.* *Torres.* *Ianellus.* *Contz.* *Patritius.* *Peraldus.* *Antonius,* *Maximus.* *Chauasl.* *Menoch.* *A. Carm.* *Campegius*

219. Peccatur contra castitatem luxuria, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 153. quæ, si deliberata sit, semper est peccatum mortale contra 7. præcep. decal. quod est negatiuum. Nec in ea potest assignari minimum, quia actus voluntatis eo ipso, quòd deliberati sunt, habent totum suum complementum. Luxuriæ species sex assignat. D. Tho. loco cit. quæst. 154 art. 10. Vide Val. tom. 3. disp. 9. quæst. 3. par. 3. Less. lib. 4. cap. 3. à dub. 5.

D. Thom. *D. Thomas* *Valentia.* *Lessius.*

§. 23. *De partibus potentialibus temperantiæ.*

220. DE his in genere agit D. Tho. 2. 2. q. 143. art. vn. in speciali à q. 155. Val. tom. 3. disp. 9. quæst. 1. par. 2. Less. lib. 4. c. 4. Ianel. par. 2. phil. christ. tr. 7. c. 4. tit. De continentia. Eustach. in eth. par. 3. disp. 2. tract. 3. sect. 4. quæst. 2. Dicendum, partes potentiales principales temperantiæ esse 4. continentiam, mansuetudinem, clementiam, modestiam. Ita D. Thom. & alij loco cit.

D. Thomas *Valentia.* *Lessius.* *Eustachius* *D. Thom.*

221. Continentia hic est firmum animi propositum, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactus, & præsertim venereas, impellitur. Ita Less. loc. cit. dub. 1. de ista continentia D. Thom. quæst. 155. & art. 1. docet, nomen continentiæ dupliciter sumi. 1. perfectè, pro ea virtute, qua quis se ab omni delectatione venerea cohibet, quomodo de ea loquitur Scrip. Eccl. 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Et Hier. 1. contra Iou. *Omnes virtutes spiritus quasi solidissimum fundamentum, & sublime culmen continentia sustentat, & protegit.* 2. sumitur pro ea dispositione, qua quis firmiter continet voluntatem, ne à motibus sensualibus insurgentibus vincatur. Illa 1. continentia idem est cum castitate. Ista est potiùs dispositio, quàm virtus, vt Arist. 4. ethic. cap. 9. fine. *Sed neq; continentia virtus est, sed quoddam aliud mixtum.* Licèt largiùs virtus etiam dici possit, quatenus est principium operum laudabilium, vt D. Th. loco cit. De continentia hoc 2. modo agit Arist. 7. eth à cap. 1. D. Thom. & Less. loco cit. Oppositum huius virtutis est incontinentia, quando scilicet passio vincit rationem; de qua D. Tho. quæst. 156. & art. 2. probat, quòd sit peccatum; Tum quia turpe est, rationem vinci à passione. Tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quæ homini cum brutis sunt communes. Est autem hoc peccatum mortale, vel veniale, ratione materiæ. Vide Less. loco cit.

D. Thomas *D. Hieron.* *Aristotel.* *D. Thomas* *Aristotel.* *Lessius.*

222. Mansuetudo, de qua D. Thom. 2. 2. q. 157. promiscuè agit cum clementia, est virtus moderatiua passionum iracundiæ, vt ait Arist. 4. eth. cap. 5. *Mansuetus est, qui perturbatione vacat, & ab affectu minimè ducitur, sed quemadmodum ratio ipsa statuerit, ita et ob id, et tamdiu succenset.* Glos. in cap. 5. Matt. in illud Beati mites, ait. *Mansuetudo est dulcedo animi, quam non vincit amaritudo.* De hac Basil. in psal. 33. *Maxima omnium virtutum mansuetudo, eaq; in beatitudinum numerum relata est.* Et Eph. de vir. & vit. *Beatus, ac felicissimus*

Aristotel. *D. Basilius* *S. Ephræm*

D. Chrys. *cissimus verè est vir ille, qui mansuetus est.* Chry. hom. 33. in Gen. *Tantum est mansuetudinis robur, vt sola hæc virtus sufficiat se colentem diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere, immo omni hominum generi præferre.* Seneca. Sen. ep. 95. *Magna laus est, si homo mansuetus homini est.* Vnde constat, quam sit huiusmodi virtus Prælatis necessaria, cum eam illis inesse Scriptura requirat, & leges, & canones, l. Hac nostræ mansuetudinis; l. Sancimus, Cod. de præpos. sacri cubicul. lib. 12. l. Hi qui fisco, Cod. de conuenien. fisci debitori, lib. 10. cap. Recedit, dist. 45. Et verè beatissimus est Prælatus qui mansuetus est, cum internis careat seditionibus, quæ sapiétem quandoque vel inuitum perturbare solent. Et beatissimi sunt etiam illi, qui ei subduntur; cũ certi sint, subditos se nõ passioni, sed rationi esse. Et nota ex Arist. loc. cit. quòd nõ definit quis esse mansuetus ex eo quod irascatur in his, in quibus oportet. Ait enim. *Qui igitur ob quæ oportet, & quibus oportet irascitur adde etiam quomodo, & quando, & quousque debet, laudatur, esseq; his mansuetus potest.* Immo ibi stolidum vocat, qui nõ irascitur quando, & quibus oportet. Plura apud Iauel. p. 2. phil. christ. tr. 7. c. 4. tit. De mansuet. Io. Red. de maiest. princ. §. Mansuetũ Rosig. de disc. christ. perf. lib. 4. c. 36. & de act. vir. lib. 2. cap. 13. Less. lib. 4. c. 4. dub. 3. Aegid. lib. 1. de reg. p. 2. c. 27.

Iauellus. Resignel. Redin. Lessius. Aegid.

223. Peccatur contra mansuetudinem ira, & lentitudine, seu stupore. Et nota, quòd ira est per se quid indifferens, quo bene, & malè vti possumus. Et bene vtimur ad ardua facta post diligentem consultationem exequenda. Et licitè appetimus, vt secundùm rationis ordinem vindicta fiat, vt D. Th. 2. 2. q. 158. ar. 2. corp. & ar. 1. ait, quòd irasci secundùm rectam rationem laudabile est. Vnde Nemes. lib. de nat. ho. cap. 21. vt referunt, iram vocat rationis satellitium; si tamen modum à ratione præscriptum non seruat, peccatum est. Quod dupliciter contingit, vt D. Th. loc. cit. ar. 3. 1. ex parte obiecti, vt si quis appetat puniri eum, qui non meretur, vel vltra quam meretur, vel non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conseruatio iustitiæ, & correctio culpæ, vt D. Th. ar. 2. Ita hoc pacto peccatum mortale est ex genere suo, quia contra charitatem, & iustitiam. Potest tamen fieri veniale ob imperfectionem actus, vt cum motus iræ perfectum rationis iudicium præuertit: vel cum quis modicam vindictam appetit. 2. potest esse peccatum ex parte ipsius motus, vt quũ quia nimis ardéter irascitur interius, vel si nimis exterius signa iræ manifestet. Quo pacto ira secũdùm se non habet de suo genere rationẽ peccati mortalis; potest tamẽ cõtingere quòd sit peccatũ mortale, vt si quis ex uehementia iræ excidat à dilectione Dei, eũ blasphemando, & proximi, eũ maledicendo, uel non succurrẽdo in necessitate; potest etiam esse peccatum mortale talis ira ratione scandali in Prælato, ut notat Less. lib. 4. cit. num. 25. Vide Val. tom. 3. disp. 3. q. 3. p. 1.

D. Thomas. Nemes.

Lessius. Valentia. Arist.

224. Nota quòd Arist. 4. eth. cap. 5. & D. Th. loc. cit. ar. 5. ponunt 3. species iracundorum. Quidam enim sunt excandescentes, siue acuti; & sunt illi, qui prædominanti cholera, subitò ebulliunt; citò tamen desistunt, nec patiuntur solem occidere super iracundiam suam. Et reddit rationem huius rei Arist. quia tales iram interiùs non retinent, sed eam statim exterius manifestant. Secundi dicuntur amari; & sunt illi, qui sulua bili abundantes, quæ uiscosa est, & non facile resolubilis, difficulter iram deponunt, nisi uindicentur; post vindictam tamen quiescunt. Et hi, ait Philosophus, *sunt tum sibi ipsi molestissimi; tum ijs, qui maximè ipsis sunt amici.* Tertij dicuntur difficiles, seu solenti; & sunt illi, qui atra bili, seu melancholia abundãtes, quæ est frigida, & sicca, & materia grossa, ac difficillimæ dissolutionis, numquam iram deponunt, nisi post uindictam, & sic in ea perseuerant usque ad mortem. Hi ab amaris differunt, quòd illi etsi difficiles sint, tempore tamen sanantur; solenti autem numquam, nisi uindicentur. Vnde de his ait Ar. quòd placari sine ultione non possunt. Vide Iauel. loc. cit. & Bur. ad cap. 5. 4. eth. & Less. loc. cit. nu. 29. Buridan.

225. Iram esse fugiendam Prælatis, multis probat Red. de maiest. princ. §. Ad iracundiã tardum, à num. 3. vt quæ eos maximè iustitiam rectam exequi impediat; eamq; vt fugiant hortor, vt quæ eos maximè dehonestet, eorumq; virtutes deturpet. Compatiendum quidem iracundis subitis, est, vtpote qui naturaliter ad id impellantur. Sed negari non potest, quod multũ obscurentur virtutes illius, qui tali se sinit passione trahi. Vnde etiam consulo, vt qui difficilè ira abstinent, à Prælatijs etiam abstineant, nam hæ homines requirunt maximè phlegmaticos, & patientes. Præterquam quòd Prælati sine amicis viuere nequeunt, & iracundo nõ commisceri præcipitur Prou. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso.* Remedia contra irã afferunt Bus. Io Pan. ver. Ira. Tor. phil. mor. princ. lib. 7. c. 11. & Less. loc. cit. nu. 33. Maximũ, & principale est iræ dilatio. Ouid. Redin. Busæus. Torres.

Vt fragilis glacies interit ira mora.

Et notent etiam consiliarij, & amici Prælati, quòd non debent statim exequi mandata Prælati irati, sed debent expectare quousq; cesset illius ira vsq; ad 30. dies, si negotium patiatur; pro quo est textus mirabilis in l. Si vindicari C. de pœnis. Et notent vlteriùs quòd mandatum Prælati, quod de se est generatiuum scandali, exequendum non est, sub quacumq; pœna, & verbis fiat; cap. Si quando, de rescr. vbi Panor. & Fel. Stupore autem peccat Prælatus, quando defectu iræ, & animositatis prætermittit aliquod officium iustitiæ, vel charitatis, ad quod est obligatus: vt monere, corripere, castigare, contumaces retundere, malis occurrere. Non habet tamen stupor distinctam malitiam ab ea, quæ est in omissione officij debiti, cuius est causa; vt Less. loc. cit. num. 35. Panorm. Felinus.

226. Clementia, de qua D. Thom. 2. 2. q. 157. agit promiscuè cum mansuetudine, est secundũ Sen. 2. de clem. cap. 3. *Temperantia animi in potestate vlciscendi. Vel est lenitas Superioris aduersùs inferiorem in constituendis pœnis. Seu est inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. Vel clementia est moderatio aliquid ex merita, & debita pœna remittens. Et demiq; clementia est, quæ se flectit citra id, quod meritò constitui posset.* Ex quo loco collige 1. quòd hæc virtus est solùm propria Superiorum, qui solùm habent potestatem puniendi delicta. Collige 2. quòd ad clementiam pertinet mitiorem irrogare pœnam, quàm lex præscribat; intellige de lege ab D. Thom. Seneca.

ipso

ipso Superiore lata. Nam circa leges latas à regula, vel Superiorum maiorum, tunc inferior auctoritatem non habet, nisi arbitrium inferioris admittat, nam tunc clementia vti potest, mitiùs leges interpretando. Collige 3. debere id facere Superiores ex animi lenitate, non ex aliquo interesse rerum, vel sanguinis; nam tunc non est actua clementiæ, nisi materialiter. Clementia roborat, & confortat Prælatorum officium. Vnde Prou. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Et Salust. ad Cæs. vt referunt, *Qui benignitate, ac clementia imperium temperauere, his candida, & læta omnia fuisse; etiam hostes æquiores, quàm alij ciues.* Et Sen. 1. de clem. cap. 5. *Est ergo clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maximè tamen decora imperatoribus. Clementia in quamcunque domum peruenerit, eam felicem, tranquillamq; præstabit; sed in regia quo rarior, eo mirabilior.* & cap. 11. *Clementia non tantum honestiores, sed tutiores præstat, ornamentumq; imperiorum est.* & cap. 19. *Excogitare nemo quidquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quàm clementia; quocumq; modo is, & quocumq; iure præpositus cæteris erit.* Et infra. *Non est opus instruere in altum editas arces, nec in ascensum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris, turribusq; sepire. Saluum Regem in aperto clementia præstabit. Vnum est inexpugnabile munimentum, amor ciuium.*

Salustius. *Seneca.*

Rodinus. Menoch. Scribanus Anton. & Maximus. Contz. Lypsius. Rosæus. Peraldus. Lessius. Tucydid.

Plura apud Rod. loco cit. §. Ad clementiam pronum. Menoc. inst. pol. lib. 2. cap. 13. Scrib. in pol. christ. lib. 1. cap. 2. & in Sup. relig. lib. 1. cap. 4. Ant. & Max. serm. 98. Conta. 3. pol. c. 16. Lips. lib. 2. ciu. doct. cap. 12. & 13. Roseum in princ. christ. cap. 23. De medijs ad acquirendam clementiam Peral. in sum. virt. tract. de temper. cap. 6. Less. lib. 4. cap. 4. num. 40. Noter hic noster Prælatus Thucyd. dictum lib. 3. *Nati omnes peccare, & labi sunt, quàm priuatim, quam publicè, neq; lex est, quæ satis valide vetet, aut capiat modum*

Lessius.

227. Aduertit tamen Less. loco cit. num. 41. quòd in quibusdam casibus magis expedit vti seueritate, quæ est inflexibilis animi rigor, nihil de merita, vel statuta pœna remittens, quàm clementia. V. G. si subditi sint maligni, & refractarij, qui aliter in officio contineri non possint. Item quando crimen ex pura malitia commissum est: Item quando pluriès remissè punitus est delinquens. Item si delictum sit publicum, & scandalosum, præsertim apud seculares. Denique seueritate vtendum, quando id magis iudicatur expediens, vel ad emendationem delinquentis, vel ad publicam disciplinam sanciendam, qui est punitionis finis, ac proinde ab eo mensura uindictæ sumenda est. Et constat ex l. Si hominem ff. depositi. l. Eleganter §. idem Labeo ff. de dolo. l. Obseruandum ff. de off. præsid. cap. 2. in fine, de maled. cap. Est iniusta, 23. quæst. 4.

D. Thom. *Seneca.*

228. Opponitur clementiæ per excessum crudelitas, de qua D. Thom. quæst. 159. quæ secundùm Senecam 2. de clem. cap. 4. *Nihil est aliud, quàm atrocitas animi in exigendis pœnis.* Et infra. *Illos crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent.* Per defectum opponitur ei nimia lenitas, quæ non minùs est rebus publicis perniciosa, quàm crudelitas; nam ex ea criminosi, & perturbatores pacis conualescunt. Crudelitas peccatum mortale est, quia notabiliter lædit proximum, excedendo regulam rectæ rationis, & iustitiæ, vt Val. tom. 3. disp. 9. quæst. 3. par. 1. col. 6. grauitas nimiæ lenitatis pensanda est ex magnitudine officij, quod omittitur, & ex damnis inde communitatis secutis. Vide Less. loco cit. num. 44. Fugienda nostris Prælatis crudelitas, & menti semper tenendum dictũ Aug. ad fr. in er. ser. 26. *Melius est, vt redarguamur de misericordia, quàm de crudelitate.* & dictum Cassiod. lib. 1. var. epist. 3. *Benigni quippe Principis est, non tam delicta velle punire, quàm tollere, ne aut, acriter vindicando, æstimetur nimius, aut leniter agendo, putetur improuidus.* & sumendum consilium Ber. lib. 3. de consid. cap. 3. *Tene medium, si non vis perdere modum; alioquin recordor illius sententiam Salu. ad Cæs. Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quàm diuturna arbitror, neq; quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat.*

Valentia. *D. August.* *Cassiodor.* *D. Bernar.*

229. Modestia, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 160. *est quædam animi moderatio, atq; compositio, à qua ad exteriora procedit in dictis siue ioco, siue serio, & actis, & corporis gestibus laudabilis decentia, atq; ornatus.* Ita Iauell. phil. christ. par. 2. tract. 7. cap. 4. tit. De modestia. Ber. epist. 113. *Disciplina* [modestia] *mentem, & corpus componit, ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum. Modestia,* inquit Basil. apud Ant. serm. 34. *est modestè sentire, alterum contristantem ferre, agnoscere peccatum, accusationes pati.* Cic. 1. de off. ait, quòd modestia *est scientia earum rerum, quæ aguntur, aut dicuntur, loco suo collocandarum.* Seu est virtus, externos motus, & gestus corporis ex præscripto rectæ rationis temperans. Hanc esse Prælatis regularibus in primis necessariã suadetur. Tum quia Prælatus debet esse paratus reddere rationem omni poscenti 1. Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem,* &c. Sed hæc ratio debet reddi cum modestia, vt ibi subditur, *sed cum modestia.* Tum quia Sap. 6. dicitur. *Si delectamini sedibus, & sceptris, ò Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Sed Iac. 3. *Quæ de sursum est sapientia, pacifica est, modesta,* &c. Tum quia Prælati lux mundi, & subditorum sunt, Math. 5. *Vos estis lux mundi; sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Ergo Prælatorum opera debent esse modesta; ad Philipp. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Tum quia Prælati debent habere apud subditos opinionem virorum proborum, ad Philipp. cit. *Oportet autem illum* [Prælatum] *testimonium habere bonum;* hanc autem habere non potest, nisi exteriùs præbeat exempla, & signa modestiæ, vt Amb. 1. de off. cap. 18. *Habitus enim mentis in corporis statu cernitur; hinc homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur.* Et Eccl. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Et Greg. 3. par. past. adm. 24. *Interior est custodia, quæ ordinata seruat exterius*

D. Thom. *Iauellus.* *D. Bernar.* *D. Basilius* *Cicero.* *D. Ambros.* *D. Greg.*

D. Basilius. Tertull. Cicero. Tacitus. Patritius.

membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter fœdè inconstantia motionis fluit, atq; exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice stabilitatis subsistat. Tum quia Basil. in reg. fus. disp. quæst. 22. ait. *Qui vitæ genus ab omni parte absolutum profitetur, hunc, si vel latum vnguem ab officio suo recedere visus sit, omnes confestim obseruant, ipsiq; probri loco illud obijciunt, & faciunt, quod in Euangelio scriptum est, conuersi dirumpent vos.* Ergo debet Prælatus viuere non solùm honestè quò ad essentiam, sed etiam modestè, quò ad modum. Adde, quòd debet Prælatus obnixè curare, vt ei placeat, cui se probauit; at nihil est acceptius Deo modestia, vt Tertull. de virg. vel. cap. 16. *Disciplina quid magis Deo ratum sit, ostendit. Nihil est illi charius humilitate, nihil acceptius modestia, nihil perosius gloria, & studio hominibus placendi.* Adde, quòd Cic. philipp. 8. ait, *Persona Principis non solùm animis, sed etiam oculis seruire debet ciuium.* Et Tac. 15. an. *Modestiæ famam neq; summis mortalium aspernenda.* Et Patr. 6. de reg. tit. 19. *In principis quidem vultu eam modestiam laudant, quæ grauitatem præseferat, non autem tristitiam, & eam hilaritatem, quæ grati animi index sit, non autem leuitatis.*

D. Amb. D. Bernar. Laertius. Peraldus. Cauass. A. et Max. Rosignol. Muscha. Lipsius. Scriban. Menoch.

230. Ego modestiam omnibus Religiosis, & Superioribus præsertim, censeo esse maximè necessariam; ita vt vitiosas putem omnes eorum actiones, quæ modestia carent. Vnde soleo modestiam comparare sacharo, quod dapes non vitiat; sali, qui omnia condit; & Soli, qui omnia illuminat. Quare amaras censeo eas Religiosorum actiones, quæ sacharo modestiæ non dulcorantur; insipidas, quæ sale modestiæ non condiuntur; obscuras, quæ Sole modestiæ non illuminantur. Est virtus modestia, quæ Prælatum venerandum reddit, amabilem facit, uirtuosum ostendit, humilem prædicat, charitatiuum designat. Est virtus modestia, quæ hominum animos attrahit, vincit, subiectat: est virtus apud Deum diues, apud quem nemo diues; & diues est, quia portio Dei est, vt ait Amb. 1. de off. cap. 18. Est virtus modestia, quæ nulli insidias machinatur, ipsa non irascitur, de nullo sinistrum suspicatur, vt ait Bernar. de ord. vitæ. Studeat ergo Prælatus hanc virtutem acquirere. Acquiret autem, si æstimet, hominem se esse mortalem, hominibusq; præesse. Si cogitet in hoc exerceri Deum, vt exaltet humiles, vt superbos deprimat, vt dicebat Chilon apud Laer. in eius vi. Si recordetur fortunæ instabilitatis, vnde qui hodie magnus est, cras esse potest paruus, vel nullus; Plura apud Peral. in sum. virt. tract. de temp. cap. 7. Chauass. de vera prud. lib. 3. cap. 11. Ant. & Max. serm. 24. Rosig. de discipl. christ. perf. lib. 4. cap. 27. Musch. de perfect. relig. lib. 4. à cap. 29. In casu nostro quòd sit Superioribus necessaria, vide Patr. loc. cit. Lips. lib. 1 ciu. doctr. cap. 15. & in not. ad hunc locum; Scrib. in Sup. relig. lib. 1. cap. 3. Menoch. inst. pol. lib. 2. cap. 29.

† †
†

§. 24. De Speciebus modestiæ.

D. Thomas. Valentia. Lessius.

231. IDE D. Tho. 2. 2. quæst. 160. art. 2, Val. tom. 4. disp. 9. q. 1, par. 2. col. 4. Less. lib. 4. cap. 4. dub. 6. Dicendum est, species modestiæ esse 4. humilitatem; studiositatem, modestiam motuum exteriorum, ad quam eutrapelia, & modestiam externi apparatus, quæ parcitas, seu simplicitas; & moderatio dicitur. Ita D. Tho. cum alijs loc. cit.

D. Basilius. D. Bernar. D. Thom. D. Augusti. D. Chrysost. D. Hieron. D. Greg. D. Chrys. Aegid. Chauass. Peraldus. Rosignol. Iauellus. Menoch. Scribanus.

232. Humilitas, de qua D. Thom. quæst. 161. *est depositio vani sensus, qui ab elatione vanæ de se existimationis proficiscitur*; vt Basil. in cap. 2. Esa. & in reg. breu. *Humilitas est, cum quis cæteros omnes se ipso superiores existimat.* Bernar. epist. 48. *Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ*; & de gradu humil. *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit.* D. Thom. loco cit. art. 1. ad 2. *Humilitas est virtus, qua quis defectum suum considerans, se in infimis secundum modum suum continet.* Ex quibus collige, quòd humilitas fundatur in cognitione sui, quæ, vt sit perfecta, postulat etiam cognitionem Dei; vnde fit vt coniunctissimæ sint humilitas, & charitas; hæc enim ex cognitione Dei prouenit, illa ex cognitione sui. Vnde Aug. in lib. de vit. bea. *Nouerim te, nouerim me, vt amē te, vt contemnā me.* De hac virtute mira dicūt PP. & in primis, quòd est fūdamentū omniū virtutum. Bernar. lib. 5. de consid. in fine. Chrysost. hom. 30. in Act. Ap. *Nihil conferendum humilitatis virtuti; ipsa enim mater est, ac radix, & alumna, & fulcimentum, & vinculum bonorum*, & hom. 35. in Gen. *Virtus non est, nisi coniunctam habeat humilitatem.* Est autem humilitas duplex. Vna interna; alia externa; hæc, si illa desit, vitium est, non virtus. Vnde Hier. ad Cel. *Humilitatem sequere, non quæ ostenditur, aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur; aliud enim est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem.* Quòd hæc virtus sit nostris Prælatis necessaria, constat tum Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* & Matth. 23. *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* & Eccl. 32. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex ipsis.* & Eccl. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Tum quòd humilitas est fundamentum virtutum, vt dictum est, & Prælatus eas omnes habere debet. Vnde Greg. lib. 2. regist. epist. 54. ad Io. Ep. Rauenn. *Nihil splendidius fulget in Episcopali ceruice, quam humilitas.* Tum quòd Chrys. hom. 3. in Matth. ait, quòd *nihil sic est amicum Deo, quàm si quis minimis se annumeret.* Minimus ergo esse debet Prælatus, qui cupit esse amicus Dei. Tum denique quia superbia, quæ est vitium oppositum humilitati, est maximè Deo odibilis, & hominibus; Eccl. 10. *Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia.* Vide circa hoc Aegid. de regim. lib. 1. par. 2. cap. 26. Et de humilitate Chauass. de vera prud. lib. 3. cap. 9. Perald. in sum. virt. tom. 1. tit. de beatit. à c. 1. Rosig. de act. virt. lib. 3. c. 14. & de discip. christ. perf. lib. 4. c. 38. Iauell. phil. christ. p. 2. tract. 7. c. 4. tit. de humil. Menoch. Inst. pol. lib. 2. c. 29. Scrib. in pol. christ. lib. 1. cap. 9.

233. Pec

D. Thomas. 233. Peccatur contra humilitatē superbia, & nimia sui abiectione. De 1. D. Thom. 2. 2. q. 162. Est autem superbia Aug. lib. 14. de ciu. Dei, cap. 3. *appetitus peruersæ celsitudinis*. Et species superbiæ secundum Greg. 23. mor. cap. 4. & D. Thom. art. 4. 4. sunt, de quibus sic Greg. *Quatuor quippe sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur; cum bonum aut à semetipsis habere se æstimant: aut, si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certè cum iactant se habere, quod non habent: aut, despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent.* Superbia ex suo genere mortale peccatum est, vt D. Thom. art. 5. & art. 6. dicit quod est grauissimum peccatum; quod intellige de superbia perfecta, quæ excludit omnem subiectionem Deo, immò Deum ipsum contemnit. Superbia autem imperfecta, quæ scilicet subiectionem erga Deum non excludit, tunc solum est mortale, quando quis ita appetit propriam excellentiam, vt sit paratus potiùs legem diuinam, aut humanam, vel præceptum Superioris transgredi, quam a sua excellentia cadere; vel etiam est mortale, quando ita se amat, vt proximum contemnat, infamet grauiter, vel alia iniuria eum afficiat, quæ sit peccatum mortale. In alijs casibus est solùm veniale. *Lessius.* Vide Less. lib. 4. cap. 4. dub. 9. nu. 68. *Toletus.* Tolet. de 7. pecc. mor. cap. 4. de superb. num. 2. *Valentia.* Val. tom. 3. disp. 9. quæst. 3. par. 1. col. 6. Fugienda regularium Prælatis superbia, tamquam vitium à suo statu omnino abhorrens; audiantq; *D. Bernar.* Bernar. hom. 4. super Missus est. *Video post spretam seculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere; quodq; magis peruersum est, pleriq; in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt, vt saltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.* O quàm indecens, & ridiculum est, videre in Religionibus Prælatum superbum, & fastuosum, sibi in omnibus blandientem, & complacentem, mirantem se se, erecta incedentem ceruice, & passu obliquo, ansatumq; quandoq; quasi aureum funiculum de cœlo demissum, & alterius speciei indiuiduum, intraq; se dicentem, Quis vt ego? non sum sicut cęteri hominum? Hic amicos non habet, nisi adulantes.

234. Alterum vitium est inordinata sui abiectio. Licèt enim humilitas ad sui abiectionem inclinet, id tamen fieri debet cum debitis circumstantijs, ne scilicet abiectio redundet in iniuriam status, vel officij. Quare cauendum est Prælato, ne prætextu humilitatis suæ debitos dignitati honores recuset; potest tamen non indignari, nec exigere, si ex negligentia, vel rusticitate non offerantur; secus autem si ex fastu, vel malitia. Hoc autem peccatum erit mortale, aut veniale, vel ratione iniuriæ, quæ fit status, vt si V.G. Prouincialis proponat sibi aliquem fratrem simplicem, aut nolit, vt occurrentes eum salutent. Vel ratione incommodi, quod sequitur ex recusatione officiorum sibi debitorum, vt si V.G. nolit, quòd fratres exeuntes flexis genibus benedictionem sumant, & similiter suam culpam dicant. In his casibus, & similibus, quia Prælatus recusat id, quòd suę dignitati debetur, & quia ex his sequitur magnum in Religione incommodum, scandali nimirum, & relaxationis disciplinæ, puto quòd mortale esset. Si autem id, quod detrectat, tale sit, vt ad illud suscipiendum non teneatur, vel solùm sub veniali, nullum, vel veniale peccatum erit. Vide Less. loco cit. num. 64. *Lessius.*

235. Studiositas de qua D. Thom. 2. 2. q. 166. est D. Thom. loco cit. art. 2. corp. virtus temperans humanum appetitum circa rerum cognitiones, & studia. *D. Thom.* Officium huius virtutis est primò moderari appetitum sciendi, vt quis non velit plura, aut altiora scire, quam ipsius conditioni, & capacitati conueniat: nec pluris faciat scientiam, quam oportet, illam scilicet pręponendo ijs, quæ sunt necessaria ad salutem. 2. moderari ipsam acquisitionem, & vsum studij, vt scilicet quis studeat ea diligentia, qua oportet, eo fine, quo oportet, illis rebus, quibus oportet, & illis locis, & temporibus, quibus oportet. Denique huius virtutis est, animum propter laborem annexum studia refugientem, vel in ijs languidè, & remissè se habentem impellere, & calefacere. Ita Less. *Lessius.* lib. 4. cit. dub. 11. num. 78. vide tom. 1. huius op. cap. 30. & Suar. tom. 4. de relig. tract. 3. de *Suarez.* societ. lib. 5. Circa sanitatem tuendam viris studiosis, vitamq; producendam, vide Marsil. Ficin. in opusc. de hac re, lib. 1. & 2. *M. Ficin.* & quæ obsent viris studiosis, vide lib. 1. cap. 7. & qua hora sit inchoandum studium, vide cap. 8.

236. Contra studiositatem peccatur curiositate, & negligentia. De 1. D. Thom. loco cit. *D. Thomas* quæst. 167. & consistit in desiderio quodam, seu studio immoderato cognoscendi pluſquàm expedit, aut sicut non expedit, consideratis circumstantijs rei, personæ, & officij, & per se est solùm peccatum veniale, quia non est magna inordinatio, quòd homo appetat scire quæ ad se non pertinent; potest tamen fieri mortale. 1. ratione prohibitionis, vt si quis legat libros prohibitos, vel spectet duella, vel ludos spectari vetitos in publico (non tamen si in occulto, nam spectatores communiter dicuntur, qui in publico spectant) Si Religiosus exeat monasterium ad studendum medicinæ, vel legibus; secùs tamen si priuatim in bonum finem ijs studeat, vt bene Less. loco cit. num. 83. *Lessius.* 2. ratione materiæ, vt si sit per se illicita, vt magia, vel periculosa, vt libri amatorij; vel improportionata intellectui, vt si quis velit de mysterijs fidei iudicium ferre. 3. ratione mediorum, vt si quis scire, vel videre uelit aliqua Dæmonis arte. Item si uelit scire arcanum, quod alter sine mortali patefacere non potest. 4. ratione praui finis, ut si scire uelit intentione nocendi, ut faciunt illi, qui quærunt alienos defectus, non ut eos corrigant, ad illud Hebr. 10. *Considerate vos inuicem in prouocationem charitatis.* Sed cum intentione despiciendi, detrahendi, uel obiectandi, contra illud Prou. 24. *Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti.* Quæ sanè curiositas odiosissima est, & humanæ societati perniciosissima: nec tam curiositas, quàm malignitas dici meretur; unde de ea dicitur. Curiosus nemo est, quin sit maleuolus; & Nemo prudens curiosus. 5. denique potest esse curiositas mortale peccatũ ratione incõmodi connexi, ut si quis studio minùs utili incũbat, & prætermittat discere,

vel exequi, quæ ad salutem necessaria sunt; quo pacto non possunt excusari a mortali Prælati illi, qui semper student scire quid noui in mundo, vel in ciuitate fiat, ab omnibusq; id diligenter inuestigant, vt alijs referre possint, & per hoc relicto choro, cui necessario deberent interesse, vel relictis studijs sacrarum literarum, cursitant per ciuitates, & domus, & ad aliquando etiam cum scandalo deuotorum secularium qui scandalizantur videre in Religiosis tam ardens desiderium sciendi ea, quæ illorum statui sunt omnino inutilia; officium enim Religiosorum est contemplationi vacare, mysterijs diuinis insistere, proximorum saluti incumbere: Ad hoc autem impertinens est scire, quid in Belgio agatur, quid Romæ sit actum, quid in ciuitatibus singulis horis occurrat. Negligentia etiam peccatur contra studiositatem mortaliter, vel venialiter, ratione materiæ, cui studere teneris sub mortali, vel veniali. Vnde dixi tom. 1. huius op. loco cit. concl. 4. quod religiosi scholares, ad studendum deputati, si sunt notabiliter in studendo negligentes, peccant mortaliter. Quod etiam docent

Bannes. Reginald. Lambert.

Bann. 2. 2. q. 33. art. 3. dub. 3. concl. 3. Reginald. in prax. lib. 2. num. 55. & Lambert. de iur. patr. lib. 2. par. 1. q. 9. art. 24. num. 6.

D. Thom.

237. Modestia in motibus exterioribus, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 168. art. 1. est virtus, decorem in externis motibus, & gestibus seruans; cuius officium est ordinare externos motus, quales sunt incessus, statio, sessio, motus capitis, contractio, & explanatio vultus, membrorum iactatio, vox, risus, aspectus secundùm conuenientiam personæ propriæ, & secundùm conuenientiam personarum, cum quibus, vel coram quibus agitur, & loci, & temporis, & negotiorum, de quibus agitur. Vnde Amb. 1. de off. cap. 19.

D. Amb.

Hoc est pulchritudinem viuendi tenere; conuenientia cuiq; sexui, & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Quæ eadem habet Bernar. lib. de ord. vitæ. Et Cic. 1. de off.

Cicero.

Tanta vis est temporis, & loci, vt si quis, cum causam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione secum ipse meditetur, non reprehendatur: At, hoc idem si in conuiuio fiat, inhumanus videatur. Quò ad modestiam in gestu, ait Bonau. in spec. discipl. ad nou. par. 1. cap. 19.

D. Bonau.

quòd *duplex in eo custodia est adhibenda. 1. vt vnum membrorum alterius officium non vsurpet, aut eius ministerium sui admixtione confundat. Si os loquitur, caput non agitetur, manus non moueatur, &c. aut, si opera eius illi necessaria esse cognoscitur ad operandum, ordinatè moueatur. 2. vt quelibet membrum in eo, quod facit, debitum modum teneat, nec temperantiæ limitem, aut honestatis formam excedat, hoc est, vt in paucis exempla prebemus, videre sine apertione dentium, videre sine defixione oculorum, loqui sine extensione manuum, sine contorsione labiorum, sine agitatione capitis, sine eleuatione superciliorum, incedere sine modulatione gressuum, sine ventilatione brachiorum, sine gesticulatione scapularum, iacere sine deiectione membrorum, sedere sine alterutra superiectione pedum, & sine alterutra accubatione laterum, sine diuaricatione, seu dilatatione crurum, sine extensione, vel agitatione tibiarum.* In particulari quò ad vocem ait Amb. loco cit:

D. Amb.

quòd esse debet *non remissa, non fracta, nihil fœmineum sonans, qualem multi grauitatis specie simulare consueuerunt; sed formam quamdam, & regulam, ac succum virilem reseruans.* Et Plutar. de tuen. val.

Plutarc.

Animis commotis vociferationibus, & iurgiosis clamoribus est temperandum; siquidem inæquales illæ spiritus intensiones, & impetus rupturas, & spasmos solent inducere. Quò ad risum Basil. in reg. fus. disp. quæst. 17.

D. Basilius

Vsq; ad hilarem risum animæ lætitiam detegere, non indecorum est, vt indicetur solum id, quod scriptum est, Cordis læti facies floret. Verùm cachinnari voce, & ebullire corpore, non est eius, qui animam sedatam habet, neq; eius, qui sui ipsius potens est. Confirmat autem hunc sermonem Salomon, dum ait. Stultus in risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix quietè videbis. Et Trithem. in cap. 4. reg. Sancti Benedicti inst. 55.

Trithem.

Risus excussus leuitatem, & dissolutionem mentis indicat, nec tantùm animæ, sed & corpori nocet. In risu enim sanguis recedit à corde, & ex valido risu homines sæpe suffocantur. Quò ad modestiam in gressu, Amb. 1. de off. cap. 18. & Bern. de ord. vitæ dicunt ijsdem verbis.

D. Ambros. D. Bernar.

Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisq; pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit, atq; affectatio, sed motus sit purus, ac simplex, nihil enim fucatum placet. Sed de his dicam pleniùs, si Deus dabit, cum de disciplina claustralium. Interim videatur Bonau. in spec. discipl. ad nouit. par. 1. Ambr. 1. de off. cap. 18. & 19. Bernard. de ord. vitę. Hugo tom. 2. de inst. nouit. Humb. in spec. relig. lib. 2. par. 3. à cap. 3.

D. Bonau. D. Amb. D. Bernar. Hugo. Humbert.

Contra hanc virtutem peccatur per excessum, petulantia, seu insolentia, quando scilicet motus externi, vel gressus communem modum excedunt; vel quando non assumitur modus congruens, vt si Religiosus moribus vtatur aulicorum, vel quando ficto animo modestia vtimur. Per defectum peccatur rusticitate. Petulantia ex se peccatum veniale est; potest tamen esse mortale ratione praui finis, vel scandali, aut alterius grauis nocumenti. Rusticitas ex se etiam est veniale; potest tamen esse mortale ob scandalum, vel quando quis sic se putaret contemni. Ita Less. lib 4. cap. 4. dub. 12. n. 92.

Lessius.

238. Eutrapelia, quæ est species modestiæ, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 168 art. 2. est virtus, quæ ludis, & iocis rationis modum imponit, seu quæ in ludicris decorem seruat. Ita Less. loco cit. dub. 13. De decore in iocis, & ludis seruando, satis hic sup. cap. 2. § 4 nu. 83. & vide Less. loco cit. Nigron. de his facit tractatum, quem vocat, De animi relaxatione, videbis præsertim à cap. 9. vide etiam Amb. 1. de off. cap. 23. vbi omnes iocos Religiosis, & Ecclesiasticis vetare videtur. Ait enim. *Nam licèt interdum honesta ioca, & suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula.* Et infra. *Non solùm profusos, sed omnes etiam iocos declinandos arbitror.* Sed loquitur Amb. de iocis, in quibus interueniunt obscœna, vel in quibus contristatur proximus. Nam alioquin subdit, *Plenum tamen suauitatis, & gratiæ sermonem esse non indecorum.* Quod nos iocos religiosos vocamus. Et quòd hæc virtus sit Prælatis necessaria, probat Aegid. lib. 1. par. 2. de regim. c. 30. Interponenda enim sunt gaudia curis. Et per istos iocos quiescimus, vt velociùs, & ardentiùs curis insistamus.

D. Thomas Lessius. Nigron. D. Amb. Aegid.

239. Contra hanc virtutem peccatur per excessum, cum quis amplius sibi in illis indulget, quàm recta ratio permittat. Per defectum, cum minùs. *D. Thomas* Per excessum dupliciter, vt D. Thom. loco cit. art. 3. 1. ex actione ipsa, vt cum quis causa ludi vtitur verbis, vel factis, quæ de se sint peccata mortalia, vt si quis verba obscœna cum scandalo audientium, etiam per iocum, diceret, & turpia facta narraret animo ad libidinem prouocandi; seu fraudibus in nocumentum graue colludentium vteretur. 2. potest esse excessus etiam mortalis propter vehementiam affectus ad ludum ex circumstantijs, scilicet personæ, vt si Religiosus aleæ ludat; loci, vt si ludatur in loco sacro, cum scandalo, & impedimento diuinorum; temporis, vt si propter ludum, quis in die festo missam non audiat; finis, vt si quis, ludat animo ad malum pertrahendi. Per defectum peccatur, quando quis eget animi relaxatione, & eam admittere non vult; vel quando sua rusticitate alijs molestum se exhibet; & in his casibus est peccatum de se solùm veniale; nisi grauiter offendat ex hoc sanitatem propriam, vel socios. Vide *Valentia.* Val. tom. 3. disp. 9. quæst. 3. par. 1. *Lessius.* Less. lib. 4. cap. 4. dub. 13. à num. 97. *Caietanus.* Caiet. 2. 2. quæst. 168. art. 3.

240. Et aduerte, quòd qui peccant in iocis per excessum primo modo, scurræ dicuntur. *Aristotel.* Qui per defectum, agrestes, & rustici; vt Arist. 4. eth. cap. 8. *Qui in ridiculis excedunt, scurræ esse, atq; importuni videntur, qui ridicula potiùs affectant adeò, vt studeant potius risum mouere, quàm honestè loqui*, &c. *Qui autem neq; ipsi quidquam ridiculi dicunt, neq; alios dicentes æquo animo patiuntur, rustici, & duri sunt*. Hanc scurrilitatem ablegandam esse à republica regulari, & *Clē. Alex.* consequēter à Prælato principaliùs, docet Clē. Alex. lib. 2. pædag. cap. 5. dicens, *Si ergo qui risum mouent, sunt exterminandi à nostra republica, longè abest, vt nobis permittas risum mouere. absurdum enim esset, quorum auditores esse prohibitum est, eorum imitatores inueniri; multò autem* *D. Basilius* *est absurdius studere, vt ipse sis ridiculus*. Et Basil. in const. monast. cap. 13. *Vitandæ omnes omnine in sermone facetiæ, & scurrilis dicacitas sunt.* Nec solùm scurrilitate prohibitum est vti, sed *Aristotel.* etiam scurriles audire. Ait enim Arist. loco cit. *Quæ quisq; audire patitur, eadem quoque facere videtur*. *Epict.* Et Epict. in enchir. cap. 49. *Cum igitur tale quidpiam incideris, aut si feret opportunitas, obiurgabis eum, qui sermonem illum iniecerit, aut taciturnitate saltem, & rubore, vultuq; ostendens, eam orationem tibi displicuisse*, vide plura *Nigron.* apud Nigr. loco cit. cap. 13. Videatur pro ista *Raynaud.* virtute Raynaud. de virt. lib. 6. sect. 2. cap. 10.

241. *Modestia*, seu parcitas corporis in or- *D. Thomas* natu, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 169. *est virtus, quæ decorem in cultu corporis, & alio rerum* *Lessius.* *externarum apparatu seruat*. Ita Less. lib. 4. c. 14. dub. 14. n. 100. Officiū huius virtutis est ex affectu honestatis moderari corporis ornatum, & domus, seu cellæ, habita ratione personæ, consuetudinis, temporis, loci, negotij præsentis, &c. Qualem deceat esse Religiosorum habitum *Hugo.* docet Hugo Instit. nouit. cap. 11. Nimirum quòd *in habitu quinque modis disciplina custoditur. In genere, ne scilicet vestimenta nostra sint nimis pretiosa, In qualitate, ne nimis sint subtilia, vel mollia. In colore, ne nimis sint nitida, siue quolibet alio modo supra quàm propositi religiosæ conuersationis expetit, fuscata. In formatione, vt sint decenter, & religiose composita, & humilitatis signum habentia, idest non nimis magna, aut dependentia, aut fluxa, nec nimis stricta, siue quolibet alio modo secundum seculi vanitatem deuota. In coaptatione; coaptatio autem ad modum portandi pertinet; nam sunt quidam stulti, qui stultis placere cupientes, quodam artificio vestimenta sua circa se componunt. Alij verò maiori scurrilitate ridiculosè transuertunt: alij antè, vt pompā de se faciant explicātes ea, & quantum possunt, latius distendunt: alij temerè corrugata in vnum colligunt: alij contorquentes, & complectentes inuoluunt*, &c. *Alij incedentes sinuoso syrmate, terram verrunt, & limbis dependentibus, immò retro consequentibus caudis, in similitudinem vulpium vestigia sua obducunt*. Et contra vanos Monachos ait Ber. ser. 1. super Missus est. *D. Bernar.* *Quid de ipso habitu dicam? In quo non iam calor, sed color, requiritur, magisq; cultui vestium quàm virtutum, insistitur. Pudet dicere. Vincuntur in suo studio mulierculæ, quando à Monachis pretium affectatur in vestibus. Non splendeat itaque toga, nec sordeat*, vt ait Sen. epist. 5. *Seneca.* Immò Hier ep. 2. ad Nep. *D. Hieron.* *Ornatus, vt sordes pari modo fugienda sunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet*. Vide Bonau. in spec. disc. ad Nouit. cap. 25. *D. Bonau.* & tom. 1. huius op. quæst. 2. cap. 3. versu Quò ad vestimentum. Quod hęc virtus sit Prælatis necessaria, constat. Tum quia si ipsi non sint in hoc modesti, multò minus erunt in eo subditi, nam à boue maiori discit arare minor. Tum quia dicit Basil. apud Anton. serm. 34. *D. Basilius* quòd *est hominis ciuilis officium, vt omnia faciat, & dicat, ex quibus ab alijs gloriam consequatur*. At ex vestium vanitate non gloria, sed vituperium reportatur.

242. Peccatur contra istam virtutem per excessum, & per defectum. Per excessum dupliciter. 1. quia ornatus fit contra receptam consuetudinem, & contra id, quod faciunt sibi pares religiosè viuentes; turpis enim est pars, quæ non congruit suo toti. vt D. Thom. 2. 2. quęst. 169. *D. Thom.* art. 1. corp. Vnde ex hoc puto, mortaliter peccare eos Prælatos, qui gerunt habitus ex pannis pretiosis, V. G. Segobiensibus, vel Ciuitatensibus in partibus Italiæ, & præsertim hic Genuæ, vbi panni fabricantur, ex quibus omnes alij fratres vestiuntur; adest enim tunc scandalum Religiosorum, & secularium. Hinc Cassian. lib. 1. *Cassianus.* instit. cap. 3. ait, *Sint vestimenta ita vilia, vt nulla coloris, vel habitus nouitate inter cęteros huius propositi viros habeantur insignia; ita à studiosis accurationibus aliena, vt nullis rursum sint affectatis per incuriam sordibus decolora*. Idem dic de ijs Prælatis, qui ornamenta cellæ habent extraordinaria, & sumptuosa. 2. peccatur contra istam virtutem per excessum, ex nimio, & inordinato affectu utentis. Quod tripliciter contingit; uel enim ex hoc ornatu quærit quis uanam gloriam apud homines, uel quærit apud se delitias, quatenus ornatus uestium ordinatur ad fomentum carnis; ad quod pertinet, si per talem ornatum intendat pellicere ad impuros amores; uel 3. quia sollicitiùs, & diutiùs, quàm par est, quis in se ornando occupetur, etiamsi ex nullo malo fine id faciat,

In istis casibus, si absit scandalum, & propter ornatum non omittatur, quæ sub mortali fieri debent, non puto peccatum mortale interuenire, nisi quando intendit pellicere ad amores impuros. Per defectum peccatur contra istam virtutem dupliciter. 1. ex negligentia, quando qui in se ornando est negligentior, quàm recta ratio dictet, aut consuetudo, vel conuersatio illorum, quibuscum viuit, patitur. Et exemplificat Arist. 7. eth. cap. 7. *Si quis pallium trahit, ne si, ipsum tollat, dolorem sibi laborando creet.* Et hoc communiter est veniale, nisi ex tali negligentia generetur scandalum, vel aliquod notabile damnum proprium, vel alienum. 2. per defectum ex malo fine, vt si quis ex ista vilitate cultus vanam gloriam quærat; & hoc pertinet ad hypocrisim. Vnde Aug. lib. 2. de serm. Dom. in mon. cap. 19. *In hoc capitulo maximè aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore, atq; pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiorem, quò sub nomine seruitutis Dei decipit.* Vide Lauel. phil. christ. par. 2. tract. 7. cap. 4. tit. de parc. Val. tom. 3. disp. 9. quæst. 3. par. 1. fine Less. lib. 4. cap 4. dub. 14. à num. 102. Regin. in prax. lib. 22. à num. 63.

Aristot. *D. August.* *Lauellus, Valentia. Lessius. Reginald.*

CAP. IV.

De corporali habilitate, quæ requiritur in eligendo ad Prælatias regulares.

D. Thom. Garcia. Suarez. Henriq; Lambert. Conarr. Tiraq. Menoch. Parisius. P. Greg. Borgasius. D. Anton. Maiol. Diaz. Rebuffus. Auila. Lessius. Reginald. Molina. Valentia. Salon. Aragon. Sotus. Mandosius Hostiensis. Nauarrus Campanil. Sigismūd. Duarenus. Barbosa.

1. VIDE D. Thom. 3. par. quæst 82. art. 10 & addit. ad 3. par. q. 39. art. 6 Garc. de benef. p. 7. cap. 12. Suarez to. 5. in 3. p. disp. 51. sect. 2. Henriq; lib. 14. cap. 8. Sayr. lib. 6. de cens. à cap. 7. Lamb. de iur. patr. par. 1. lib. 2. quæst. 7. art. 12. Couarr. in clem. Si furiosus, 1. par. init. nu. 4. Tiraq. in l. 2. connub. glos. 1. par. 2. nu. 59. Menoch. de arb. lib. 2. cas. 226. Paris. de resign lib. 5. quæst. 3. à nu. 13 & quæst. 6. à nu. 3. P. Greg. lib. 47 synt. cap. 9. à nu. 3. & cap. 10. à num. 19. & tom. 2. decr. de elect. cap. 11. nu. 10. Borgas. de irreg. p. 5. tit. de corp. vit. pag. 108 Ant. 3. par. tit. 28 cap. 5. Maiol. de irreg. lib 1 à c. 13. Diaz in pract. crim. cap. 17. Rebuff. in prax. tit. de disp. cum corp. vit. Auil. de cens. par. 7. disp. 3. Less. lib. 2. c. 34. dub. 25. Regin. in praxi lib. 30. tract. 1. à nu. 44. Mol. tract. 3. de iust. disp. 70. Val. tom 4. disp. 7. q. 19. tit. de irreg. ex def. corp. Sal. 2. 2. q. 65. art. 1. contr. 4. Arag 2. 2. cit. Sot. lib 5. de iust. q. 2. ar. 1. Mandos. de sign. grat. tit. de disp. cū corp. vit. Host. in sum. tit. de corp. vit. Nauar. in man. cap. 27. à num. 198. & lib. 1. cons. tit. de corp. vit. Campanil. de diuers. iur. rubr. 11. cap. 17. Sigism. de elect par. 2. dub. 88. 89. Duar. lib. 4. de benef. c. 3. & 4. Barbos. de off. ep. p. 2. alleg. 44.

Lessius. Garcia. Panormit.

2. Dicendum est, eam habilitatem corporalem de iur. nat. requiri in eligendo ad Prælatias regulares, quæ est necessaria ad decenter exercendum munus Prælatiæ, ad quod eligitur, ita vt, si hæc desit, electio nihilominùs secuta sit nulla. Ita cit. DD. & in specie Less. loc. cit. Garc. par. 7. cit. num. 3. Panor. in cap. 2. de cler. ægrot. num. 2. & dixi tom. 1. huius op. q. 4. cap. 6. quæsito 14. Constat 1. ex Scrip. Leu. 21. *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Nec accedat ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem,* &c. 2. ex cap. Nisi cum pridem, §. Alia verò, de renunc. ibi, *Per quam impotens redditur ad exequendum officium Pastoris* Et ex cap. 2. de cler. ægr. & ex cap. Exposuisti de corp. vit. & ex cap. Thomas monac. eod. tit. & ex multis cap. quæ habentur in dist. 55. & ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 4. de refor. in fine, vbi ait. *Nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam ætatē, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit prouisio.* Qui autem impotens est ad decenter exercēdum officium, ad quod assumitur, non habet omnes habilitates requisitas. Et Concilium ibi loquitur non solùm de dignitatibus, & beneficijs cathedralium, & collegiatarum; sed etiam de dignitatibus, & personatibus Regularium, vt Comit. lib. 6. resp. mor. quæst. 64. num. 2. Et confirmatur ex decr. Clem. VIII. confir. à Paulo V. Greg. XV. & Vrb. VIII. pro reform. Reg. to. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 53. vbi sic. *Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & constitutiones obseruare.*

Comitolus.

3. Ex his colligitur 1. valetudinarios (qui scilicet malo corporis habitu, & affectu sæpè malè valent, atq; ita frequenter ægrotant, vt declarat Menoch. lib. 2. de arb cas. 6. num. 5. & qui valetudinarij dicantur in regula Minim. dixi to 1. huius op. loco cit. Et habetur etiam in cap. Val 5. num. 16) non posse eligi ad Prælatias; quia muneri sibi iniuncto satisfacere non possunt; cum enim Prælati munus sit vigilare super sibi commisso grege, & isti languentes vix sibi inuigilent, sunt omnino inepti ad dignitates recipiendas; & cum in multis sint priuilegiati, vt Menoc. loco cit. num. 3. & Paris. de resig. lib. 5. quæst. 3. à num. 29. & in Regula nostra Correct. num. 56. Prælati autem debeant esse forma gregis, isti nullo modo poterunt suo muneri satisfacere. Vnde erunt ineligibiles, &, si eligantur, electio erit nulla, iuxta cap. fin. de resc. in 6. & electi tenentur renunciare in conscientia, nec aliter possunt absolui. Nauarr. in man cap. 25. num. 133. Paris. loc. cit. quæst. 6. nu. 9. Suar. to. 5. in 3. par. disp. 51. sect. 2. num. 17. D. Tho 2. 2. q. 185. art. 4. Quo loco vnum notat Cai. quod hic etiam pro toto hoc cap. notandum est, nimirum, quòd illæ causæ, quæ obligant Prælatum ad renunciandum Prælatijs (de quibus ibi D. Th. ex cap. Nisi cum pridem, de renunc.) obligant multò magis ad non suscipiendum, etiam sponte oblatas; atq; etiam obligant electores ad non offerendas, cum causa notoria est. Et aduerte, quòd semel reprobatus ab aliqua dignitate propter infirmitatē, vt eam iterum possit habere, debet probare se sanum glos. cap. Inter canonicos, verb. Recusatus, de elect. vbi Io. And. & Panor. P. de Baisio in direct. elect. par. 2. cap. 5. num. 5.

Menoch. Valentia. Menoch. Parisius. Nauar. Parisius. Suarez. D. Thomas Caietanus. *Io: Andr. Panormit. P. de Baiso.*

4. Notandum tamen hic est, quòd si detur aliqua dignitas, quæ compatibilis sit cum infirmitate, etiam perpetua, ad illam talis infirmus assumi poterit. Solùm enim prohibent Canones, eos infirmos assumi, qui ex infirmitate impotentes redduntur ad exequendum

offi-

officium suum, ut docet Glossa in cap. Nisi cum pridem cit. uer. Impotens. Paris. lib. 5. de resign. q. 3. nu. 18. Quod etiam est uerum in Ordine nostro; licet statutum val. 5. cit. uideatur dictos inhabilitare ad omnia officia, cum tamé se referat ad statutum Barchin. num. 19. ubi hi inhabiles solùm declarantur ad officia superioratus exercenda, dicendum est, quod etiam in Ordine nostro currit dicta reg. iur. commun. scilicet, quòd ualetudinarij non possunt habere ea officia, quæ non possunt exercere. Quod etiam innuit dictum statutum Val. dum ait. *Declaramus eos inhabiles ad officia quæcumq; etiam Generalatus*. Puto itaq; posse aliquem Patrem benemeritum, licet infirmũ, in Collegam Prouincialis assumi; hic enim consilijs iuuando Prouincialem, munus suũ secundũ Regulam n. 40. implebit, ad tex. in l. ult. cum ibi not. Cod. Qui morb. lib. 10. Nec obstat, quòd Collegæ debeant uisitare Prouincias cum Prouincialibus secundùm determinationem Clem. VIII. tom. 2. nostr. priuil. in eius const. 2. §. 9. Cum enim Prouinciæ in Ordine nostro communiter non sint iam amplæ, & magnæ, quid impedit, quòd qui per sex menses comedit carnes, eo tẽpore, quo non comedit, nõ possit cum Prouinciali uisitare? Adde, quod secundum determinationes Capitulorũ generalium, quibus forté nõ derogant dicta decreta, salté parte non instãte, potest Prouincialis cum duobus solis Collegis Prouinciam uisitare. Quod etiam consuetudo approbare uidetur. Et quod dixi de Collegis Prouincialis, intellige de Senioribus, de Scribis Capitulorum, de Discretis ad Capitulum prouinciale, & de Definitoribus; non tamen de Collegis Generalis, quia isti sunt in continuo motu, & debent esse ualde sani & mente, & corpore. Atq; ita uidetur docere Suar. loc. cit. nu. 18. An autem debiles sint ineligibiles ad dignitates, distingue. Si debilitas prouenit ex mala corporis dispositione, & temperie, ineligibiles sunt; est enim idem cum infirmitate; aliàs non. Ita Menoch. lib. 2. de arb. cas. 6. num. 14. Paris. loc. cit. q. 3. nu. 86. Idem dic de præpinguibus: Hi pigri, & desides communiter esse solent, somnoq; atq; gulæ multùm deditij, vnde inhabiles sunt ad regimen animarum, cum uix uentrem gubernare possint. Ita Camp. in diuers. iur. rubr. 11. cap. 17. nu. 124. Qui tamen limitat; nisi carnositas naturaliter cuiqnam aduenerit, presertim si in toto corpore æqualiter adsit, nam tunc sunt satis habiles ad dignitates sustinendas.

Parisius. *Menoch.* *Campanil.*

5. Colligitur 2. esse ineligibiles eos senes, qui sunt inhabiles ad munus, ad quod assumuntur, exequendum. Habetur in cap. Nisi cumpridem, §. Alia verò, de renunc. Docet D. Thom. 2.2. q. 185. ar. 4. Paris. lib. 5. de resign. q. 3. nu. 51. Qui autem dicantur hi senes, licèt non possit certò determinari, cum non omnes homines vnius sint complexionis, & temperamenti, nec sub eodem climate viuant; vnde prouenit, quòd aliqui in quinquagesimo, alij in sexagesimo, alij in septuagesimo, alij in octogesimo anno cõsenescant; & hoc dicunt Menoch. lib. 2. de arb. cas. 59. num. 3. & Paris. loc. cit. q. 6. nu. 7. esse relinquendum prudentis arbitrio. Puto tamen quòd in Ordine nostro senes septuagenarij sint ineligibiles: quod etiam censuit Abb. in cap. Quoniam frequenter, num. 18. vt lit. non contest. Moueor, nam licet hic Genuæ ob aeris puritatem homines diu viuant, vnde batiti septuagenarij ex sudore viuunt vultuum suorum; in Ordine tamen nostro, ob asperam pœnitentiam ab eo tempore languescere incipiunt; quare censeo, eos esse absolutos ab oneribus Prælaturarum. Non nego tamen, quod, si reperiantur aliqui senes septuagenarij robusti, & fortes, vt multos cognoui, & cognosco adhuc viuentes, robustiores me, qui nec à longè quinquagesimum attingo, eligi non possint; immo alijs iunioribus sunt præferendi, quia in eis viget, & vigor ætatis, & deuotionis, iuxta cap. 1. de renunc. vbi Abb. nu. 6. præsumuntur etiam prudentiores iuuenibus, vt pote qui vsu rerũ docti, prudentia sibi comparare potuerunt; l. Si vt certo loco, §. Custodiam, ff. Commod. Pen. l. 2. Cod. de consul. lib. 10. vnde sunt etiam maioris auctoritatis, cap. Domino sancto, dist. 50.

D. Thom. *Parisius.* *Abbas.* *Penna.*

6. Colligitur 3. leprosum esse ineligibilem. Constat ex Leuit. cap. 13. cap. Tua nos, de cler. ægr. vbi leprosus reijcitur propter scandalum, & abominationem; Atq; ita D. Thom. p. 3. q. 82. ar. 10. ad 3. & in 4. dist. 9. art. 4. q.la 3. Sayr. lib. 6. de cens. cap. 9. num. 7. Camp. loc. cit. à num. 153 Maiol. de irreg. lib. 2. cap. 18. num. 1. Paris. loc. cit. q. 6. num. 15. Borgas. de irreg. p. 5. tit. De cler. ægr. num. 5. Addunt autem Maiol. num. 3. & Camp. num. 163. scabiosum non esse facile admittẽdum, quia est valde suspectus de luxuria, vt Greg. 1. p. past. cap. 11. Et refertur in cap. Hinc etiam, d. 49 Non puto tamen, laborantem scabie, etiam herculea (quæ scilicèt ex atra bile, sicut lepra, ortum ducit, & illi affinis admodùm est, & difficile excutitur) si alias sit idoneus, & periculum sit, ne, eo neglecto, minùs dignus assumatur, esse arcendum; nam scabies nec impotentem reddit, nec multùm abominabilem. Fauet Sayr. loc. cit. nu. 9.

D. Thom. *Sayrus.* *Maiolus.* *Borgasius.*

7. Colligitur 4. laborantem morbo gallico notoriè esse ineligibilem. Sunt enim hi abominabiles valde; & prætereà conflictantur assiduè meritis doloribus, & tamquam publicè concubinarij omnino arcendi, per cap. Sacerdotes, dist. 50. Atq; ita Maiol. loc. cit. cap. 19. num. 1. Borgas. loc. cit. num. 1. Sayr. cit. nu. 5. Paris. de resig. cit. nu. 28. Regin. in prax. lib. 30. n. 56. Auila de cens. par. 7. disp. 3. dub. 4. concl. 1. Henriq. lib. 14. c. 8. nu. 8. & hoc licèt ulcera non appareant foras, modò notoriũ sit crimé. Quod notat Sayr. sunt enim isti infames ex notoria libidine. In Ordine nostro hoc non habet difficultatem, propter statutum cap. Foriul. 1. num. 3. Aduerte tamen, quòd morbus gallicus quandoq; prouenit solùm ex aeris corruptione; quandoq; ex solo tactu, & osculis, vt aduertit Io. Almenar in suo trat. de mor. gall. cap. 2. Quare, nisi præcedant libidinis indicia, poterit quandoq; excusari Religiosus eo laborans. Ita Camp. loc. cit. num. 168.

Parisius. *Reginal.* *Auila.* *Almenar.*

8. Colligitur 5. eum esse ineligibilem, cui ex nimia venere ceciderunt barba, & capilli; sunt enim publici peccatores, & notoriè infames; vnde omnino arcendi; per dict. cap. Sacerdotes, dist. 50. Secus autem, si ei ceciderint propter aliam causam, vt humorem salsum, & notabilem non inducant deformitatem, ita vt ridiculum hominem omnino non faciant. Ita

Maiol.

Maiolus. Maiol. lib. 2. de irreg. cap. 19. num. 4. Sayr. loc. cit. num. 6. Regin. cit. num. 49.

9. Colligitur 6. phthisi laborantes, seu tabidos, esse omnino ineligibiles, extenuat enim hic morbus totum corpus, & contagiosus est Medicis, & incurabilis; licèt aliqui dicant Cardano talem non fuisse. Constat ex cap. Ex parte tua, de cler. ægr. ubi morbo incurabili laborantes, præsertim si contagiosus sit, ineligibiles sunt. Ita Maiol. loc. cit. cap. 20. num. 10. *Henriq.* Henriq. loc. cit. Sayr. cit. num. 13.

10. Colligitur 7. podagrosos continuos, uel quasi continuos esse ineligibiles. Et quia morbus incurabilis est, iuxta illud *Ouidius.* Ouid. 2. de Pon.

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Vnde militat tex. in cap. penul. de cler. ægr. Et quia Prælati debent omnino esse expediti ad prospiciendum, & prouidendum necessitatibus subditorum, iuxta illud Zacch. 3. *Dabo tibi ambulantes, de his, qui nunc hic assistunt.* *Altisidor.* Vbi pro Ambulantes, legit Remig. Altisiodor. Ministros. Et notat Hugo in cap. 20. Io: quòd quinquies apparuit Dominus in illo die Resurrectionis, vt necessitatibus discipulorum prouideret, ad denotandam Prælatorum diligentiam: Podagra autem reddit omnino impotentem. *D. Thomas* Ita ex D. Thom. 3. par. quæst. 82. art. 10. *Sayrus.* ad 3. Expressè Maiol. loc. cit. cap. 21. num. 1. *Parisius.* Sayr. lib. 6. de cens. cap. 9. num. 4. Paris. lib. *Campanil.* 5. de resign. q. 6. num. 3. Regin. in prax. lib. *Abbas.* 30. num. 57. vers. Tertius morbus. Campan. in diuers. iur. rubr. 11. cap. 17. num. 137. Si autem podagra non sit continua sed intermedier, non impedit. Paris. quæst. 3. num. 4. Camp. cit. Facit Abb. in cap. Cum inter canonicos, de elect. num. 7. cum non præbeat impedimentum perpetuum, non est cur perpetuò à dignitatibus arceat.

11. Colligitur 8. paralysi, & apoplexia laborantes esse ineligibiles. Habetur in cap. vlt. de cler. ægr. & istæ infirmitates impediunt vsu, vel totius corporis, vel aliquorum membrorum, & abominationem faciunt; vnde generant impotentiam, & indecentiam. Ita Maiol. lib. 2. de irreg. cap. 24. num. 1. Sayr. loc. cit. num. 10. Paris. cit. quæst. 6. num. 22. 23. Campanil. num. 164. Qui autem solùm habent manus tremulas, aut caput, aut linguam, si tremor non sit ita magnus, vt decentem dictorum membrorum vsum impediat, & abominationem, & risum non moueat, non puto esse ineligibiles.

12. Colligitur 9. morbo comitiali, seu caduco, laborantes esse ineligibiles, etiamsi semel tantùm hoc modo vexati sint. Tum quòd is morbus vix sanabilis sit; & currit tex. in cap. penul. de cler. ægr. Tum quòd horrorem gignit, & stomachum, timoremq; videntibus incutit. Et expressè prohibetur, hos assumi ad dignitates cap. Communiter, d. 33. Ita Maiol. loc. cit. cap. 16. num. 1. & 2. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 9. num. 11. Paris lib. 5. de resign. q. 6. *Valentia.* num. 105. Val. tom. 4. disp. 7. quæst. 19. par. 3. *Nauarrus* de 2. specie irreg. Nauarr. in man. cap. 27. nu. *Sanctarell.* 202. Sanctarell. var. resol. par. 1. quæst. 78. num. *Campanil.* 1. Campanil. in diuers. iur. rubr. 11. cap. 17. nu. 172. Idem dic de furiosis, & lunaticis, qui lucida interualla patiuntur; quia militat eadem ratio, vt Maiol. loc. cit. num. 1. cap. 14. & P. *P. Gregor.* Greg. lib. 47. synt. cap. 9. num. 12. & 14. & *Molina.* Molin. trat. 3. de iust. disp. 70. num. 12. Camp. num. 179. qui num. 182. ait, electionem de istis furiosis, &c. factam, esse ipso iure nullam; *Sigismun.* quod etiam dicit Sigism. de elect. dub. 89. num. 4. Idem dic de dæmoniacis; quod probat tex. in cap. Communiter, cum 2. sequ. dist. 33. & *Maiolus.* docent Maiol. loc. cit. cap. 15. num. 2. Sayr. *Sayrus.* num. 14. Borgas. de irreg. par. 5. tit. de corp. *Borgasius.* vit. num. 15. Paris. loc. cit. num. 94. Cam- *Parisius.* panil. loc. cit. à numero 188. & de his om- *D. Thom.* nibus D. Thom. 3. par. quæst. 82. art. 10. ad *D. Anton.* 3. Anton. 3. par. tit. 28. cap. 5. versùs finem. *Henriq.* Henriq; lib. 14. cap. 8. nu. 8. & 9. Aduerte autem, quòd qui patiuntur lucida interualla, vel non laborant perpetua amentia, vel furia, licèt eligi non possint, possunt tamen extra tempus amentiæ eligere, iuxta cap. Quamuis, 7. quæst. 1. Sigism. de elect. loc. cit. num. 6. quod idem dicit de dæmoniacis num. 11.

13. Colligitur 10. stultos, fatuos, stolidos, seu simplices, & cæteros huiusmodi farinæ homines esse omnino ineligibiles; hi enim omnes inepti sunt ad regimen animarum, nec illud exequi possunt, nec rectè, nec decenter; qui enim alios regit, debet esse illis eminentior, & ab illis differre tamquam Pastor ab ouibus; & non est homo, qui dominatur, sed ratio. Et probatur ex cap. Petrus, dist. 39. & d. 36. in princ. stultus autem est secundùm D. Thom. 2. 2. quæst. 46. art. 1. corp. qui propter stuporem non mouetur iniuria, & differt à fatuo, quia stultus dicit hebetudinem cordis, & obtusionem sensuum: fatuus verò dicit totalem spiritualis sensus priuationem. Fatuus ergo caret sensu iudicandi; stultus autem habet sensum sed hebetatum. Vnde Archid. in cap. De Con- *Archid.* stantinop. refert Affranij cuiusdam dictum. *Ego me esse stultum existimo, fatuum esse non opinor.* Vel dic secundùm eumdem, Archid. ibidem, quod stultus est quasi extultus, ab extollo quia se extollit: uel stultus, quasi statim vltus dicitur ab vlciscor; quia stultus statim vltionem expetit, nec deliberat. Fatuus autem secundum eumdem in cap. Legimus, dist. 93. num. 2. dicitur à faris, vel fare, fatur, quia imperitiam suam ostendit, fando quidquid latet in animo, vel respondendo ad interrogata. Et ideo dicitur fatuus à fando, quia nec quod ipse fatur, nec quod alij dicunt, intelligit. Vel dicitur fatuus, quasi insulsus, idest sine sale, & sine condimento discretionis. Atq; ita de his omnibus secundùm dictas significationes asserit Maiol. lib. 2. de irreg. cap. 13. num. 6. Henriq; lib. 14. cap. *Azor.* 8. num. 9. & de amentibus Azor. tom. 2. lib. 6. *P. Greg.* cap. 2. quæst. 4. De fatuis P. Greg. tract. de elect. cap. 11. num. 9. Et si cupis scire, quot sint dementiæ species, adi P. Greg. lib. 13. synt: cap. 5. à num. 1. ad 22. Et si etiam cupis scire signa, qui- *Maiolus.* bus homines insanire incipiunt, lege Maiol. loc. cit. à num. 2.

14. Colligitur 11. eos esse ineligibiles, qui sunt à communi hominum statura, & habitu, siue excedant in magnitudine, siue in paruitate, ita alieni, vt cæteris contemptibiles, & ridiculi habeantur; hi enim non possunt decenter munera exequi. Et constat ex cap. 2. & cap. 21. Leuit. & cap. 15. Deut: quorum verba repe-

tun-

tuntur cap. Hinc etenim, dist. 49. Prob. etiam ex cap. 2. de cler. ægr. vbi Glosa verb. Deformitatem; & cap. fin. de corp. vitiat. vbi Glossa. Ita Innoc. in cap. Ex parte, eod. tit. Tiraq. in l. 2. conub. gloss. 1. par. 2. num. 59. Abb. in cap. 2. de cler. ægr. num. 2. & 3. Et deformē puto, qui habet cicatricem in facie. Maiol. lib. 1. de irreg. cap. 21. num. 1. Salon. 2.2. quæst. 65. art. 1. contr. 4. conclus. 2. Regin. in prax. lib. 30. num. 51. vers. Postremo. Campanil. in diuers. iur. rubr. 11. cap. 17. num. 47. nisi propter defensionem fidei, vel alterius virtutis eam recepisset. Similiter illum ineligibilem existimo, qui faciem ita haberet abhorrentem à consuetis, vt risum moueret: vt etiam Campanil. loc. cit.

Innocen. Tiraq. Abbas. Maiol. Salon. Campanil.

15. Colligitur 12. eum esse ineligibilem, qui careret manibus, aut digitis. Tum propter impotentiam exequendi officium. Prælatus enim multa scribere debet ad absẽtes subditos, signare literas, patentes, &c. Tum propter deformitatem, quæ in carentibus digitis, & manibus consideratur; cap. fin. de corp. vit. & in cap. 2. de cler. ægr. & habetur in cap. Qui in aliquo, dist. 51. ibi, *Aut decisione aliquid minus*, &c. & in cap. Pœnitentes, dist. 55. Ita D. Thom. 3. par. quæst. 82. ar. 10. ad 3. Maiol. lib. 1. cit. cap. 14. num. 8. Borgas. de irreg. par. 5. tit. de corp. vit. num. 4. Sayr. lib. 6. de cens. cap. 8. num. 18. Reginald. in prax. lib. 30. num. 53. Campanil. in diuers. iur. rubr. 11. cap. 17. à num. 104.

D. Thom. Borgasius. Sayrus. Reginald. Campanil.

16. Colligitur 13. claudos non esse ineligibiles, quia nec magnam abominationem generant, etiamsi valgi, & varij sint, quorum scilicet crura sint in diuersum acta, quia turpitudo illa habitus longitudine cooperitur, & sunt habiles ad munus exequendum. Ita in cap. Si quis infirmitate, dist. 55. Maiol. cit. cap. 18. nu. 2. Sayr. cit. num. 22. Si autem sint ita claudi, vt pedibus stare non possint, nec sine sustentaculis ambulare, vel non nisi ridicule, sunt ineligibiles, propter impotentiam decenter exequendi, vt dicunt Maiol. & Sayr. & præterea Anton. 3. par. tit. 28. cap. 5. vers. Nota quòd. Regin. cit. num. 54. Campanil. cit. num. 127. & Plato dial. 7. de Rep. col. 14. monet, claudos Philosophiæ sacris non initiandos, nec Reipub. præficiendos; quia requisitorum laborum tolerantes non sunt.

D. Anton. Plato.

17. Colligitur 14. eos gibbosos esse ineligibiles, qui curui omnino sunt, nec oculos in cœlum sine magna difficultate eleuare possunt. Constat ex cap. Hinc etenim, dist. 49. ver. Gibbosus. Eos verò posse eligi, quibus dorsum tumore magno creuit, corpore recto. Docet Maiol. lib. 1. de irreg. cap. 19. num. 1. Anton. loc. cit. Campanil. cit. num. 103. & vidi ex huiusmodi gibbosis multos Prælatos. Sed ego numquam illis meum darem suffragium, non enim sine quare signati sunt, supposito, quòd id illis naturaliter euenerit: Neminem enim naturam velle decipere credendum est.

18. Colligitur 15. cæcum esse ineligibilem cap. Hinc etenim, §. Cæcus, dist. 49. Ita D. Thom. 3. par. quæst. 82. art. 10. ad 3. Campanil. in diu. iur. cit. num. 51. Maiol. cit. cap. 20. num. 1. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 8. num. 5. Garc. de benef. par. 7. cap. 12. num. 22. P. Greg. lib. 47. synt. cap. 10. num. 19. & 20. Regin. cit. num. 40. Paris. lib. 5. de resign. quæst. 6. num. 36. Et ratio est, quia est impossibile, vt cæcus Prælaturæ munus, quæ hominem oculatum ante, & retro requirit, rectè exequatur. Vnde bene quidam è nostris Poetis.

D. Thom. Campanil. Maiolus. Sayrus. Garcia. P. Greg. Reginald. Parisius.

Chi piglia il cieco in guida, mal consigliasi.

Cœteri autem patientes defectum in oculis, vt lusci, strabones, lippi, si in eis nõ sit tanta deformitas, quæ scandalum, & risum moueat, non sunt ineligibiles, vt Sayr. loc. cit. à num. 8. Moneo tamen semper electores, vt à signatis caueant.

19. Colligitur 16. Carentes naso esse ineligibiles, ob deformitatem. Ita Maiol. cit. cap. 22. lib. 1. Sayr. cit. num. 14. Mol. trat. 3. de iust. disp. 70. num. 7. Regin. cit. num. 50. Campan. num. 84. Cœteri autem, qui sunt distorto, paruo, grandi, simo, aut contuso naso, non sunt ineligibiles, nisi eius magnitudo, vel paruitas, &c. deformitatem pariat. Campan. nu. 85.

Molina.

20. Colligitur 17. surdum non posse esse Prælatum, siue sit surdus naturaliter, siue casualiter, durante surditate. Cum enim debeat audire subditos auxilium implorantes, huic muneri non potest satisfacere. Ita P. Greg. loco cit. cap. 9. num. 3. Maiol. lib. 1. cap. 25. num. 1. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 8. num. 17. Reginal. cit. num. 50. Paris. lib. 5. cit. quæst. 3. num. 25. Campanil. num. 39. Idem dic de ijs, quibus propter delictum abscissæ essent aures; quia carere auribus maximè propter delictum plurimam deformitatem dicit. Auila de cens. part. 7. dispu. 3. dub. 1. corol. 2. Campanil. num. 4. Surdastri autem non censentur ineligibiles. Maiol. num. 5. Sayr. loc. cit. Nauarr. lib. 1. cons. de corp. vit. cons. 7. num. 3.

P. Gregor. Maiolus. Sayrus. Reginald. Parisius. Campanil. Auila. Nauar.

21. Colligitur 18. mutos esse ineligibiles. Cum enim habeant subditos monere, corrigere & docere, ea præstare non possunt. D. Thom. 3. par. loc. cit. P. Greg. lib. 47. synt. cap. 9. nu. 10. Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 26. num. 2. Sayr. loc. cit. num. 21. Balbutientes autem non censentur communiter ineligibiles. Ita ijdem DD. nisi talis esset defectus, vt vix possent verbum integrum efformare. Regin. in prax. lib. 30. tr. 2. num. 51. vers. 7. Campanil. loc. cit. nu. 90.

D. Thom.

22. Colligitur 19. quòd hermaphroditus non potest eligi; quòd si in eo magis vigeat, aut pariter vigeat sexus fœmineus iure diuino ineligibilis est: si magis in eo vigeat virilis, iure canonico; cum hi hoc iure habeantur tamquam infames; cap. Si testes, 4. quæst. 4. §. Hermaphroditus. Ita Azor par. 2. lib. 6. cap. 2. q. 3. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 51. sect. 2. num. 1. Auila de cens. pat. 7. disp. 3. dub. 5: An autem dicto eius standum sit, quinam sexus in eo præualeat, affirmatiuè respondet Alb. Trot. lib. 2. de perf. cler. par. 1. requis. 2. num. 10.

Azor. Suarez. A. Trotius.

23. Ad vltimum nota, quòd licet multa cap. cit. & DD. loquantur de inhabilitate ad ordines, nos tamen ea reduximus ad inhabilitates ad Prælatias, quia qui prohibetur ordinari, & ordinatus suspenditur, prohibetur etiam eligi, & electus deponitur, arg. cap. Accepimus, de æt. & qual. ord. Docet Lambert. de iur. patr. par. 1. lib. 2. quæst. 7. art. 12. nu. 2. & art. 12. num. 4. Insinuat Suar. tom. 5. in 3.

Lambert.

par. disp. 51. sect. 2. num. 18. Et ratio est; quia Prælatus debet esse sacerdos quare si non potest sacerdotio fungi, neq; etiam Prælatia. Verum quidem est, quòd si quis post acceptam Prælatiam, in vnam ex dictis infirmitatibus incideret, non per hoc esset inuitus remouendus, nec renunciare cogendus; sed ei deberet dari coadiutor, iuxta cap. penul. & vlt. de cler. ægr. & cap. Scripsit mihi, & cap. Quamuis triste, 7. quæst. 1. Docet P. Greg. lib. 47. synt. cap. 9. num. 9.

P. Greg.

24. Aduerte tandem, quòd declarare, quinam sint corpore vitiati, vt possint ordines recipere, vel non, pertinet ad Prælatos admissorias concedentes, quicquid alij dicant. Habent enim dicti Prælati auctoritatem quasi episcopalem. Ita Angel. ver. Corp. vit. §. 5. Suar. loc. cit. num. 16. fine. P. de Bais. in direct. elect. par. 2. cap. 19. num. 2.

Angelus. de Baisio.

CAP. V.

Quòd eligendus ad Prælatias regulares nulla debet esse censura, vel pœna ecclesiastica ligatus.

P. Greg. Sayrus. Lãbertin. Ricciull. Azor. Parisius. Couarr. Garcia. Campanil. Miranda. Reginald. Suarez. Henriq. Lessius. Barbosa. Sigismũd. Auila. Comitolus. Nauarrus Sa. Ricciul. Borgasius. Toletus. Filliucius. Castellin. Paludan. Bonacina. Sotus. D. Anton. Rebuffus. Vasquez. Rodriq. De Baisio.

1. VIDE pro hoc cap. P. Greg. to. 2. in decr. tr. de elect. cap. 7. nu. 8. & c. 9. nu. 18. Lambert. de iur. patr. par. 1. lib. 2. qu. 9. art. 1. Sayr. de cẽs. lib. 2. c. 5. 6. & 12. Ricciul. de iur. pers. lib. 4. c. 6. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. Paris. de resig. lib. 5. quæst. 6. à num. 67. & lib. 4. quæst. 3. à num. 44. Couar. in cap. Alma mater, de sent. exc. par. 1. §. 7. num. 1. Garc. de benef. par. 7. cap. 13. Camp. in diu. iur. rubr. 12. cap. 15. à num. 11. Miran. tom. 2. man. quæst. 23. art. 11. conclus. 5. Reginald. in prax. lib. 32. trat. 1. à num. 43. & num. 143. Suarez. tom. 5. in 3. par. disp. 13. sect. 1. & disput. 24. sect. 2. à num. 13. Henriquez. lib. 13. cap. 3. §. 3. & cap. 13. §. 1. Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 22. num. 116. Barb. in cap. Postulastis, de cler. exc. à num. 2. Sigismund. de elect. dub. 65. 66. Auil. de cens. par. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 2. Comit. resp. mor. lib. 6. quæst. 28. num. 4. & quæst. 64. num. 1. & 2. Nauarr. in man. cap. 25. num. 134. & cap. 27. nu. 21. & num. 273. Sa in aph. ver. Beneficium, num. 29. & ver. Excommunicatio, num. 28. Ric. 1. par. prax. decis. 183. & 184. à num. 161. & 2. par. resol. 314. & 3. par. resol. 119. & 4. p. decis. 343. num. 2. Borgas. de irreg. par. 6. tit. An excom. ab vno Ep. perd. & cap. num. 2. pag 337. Tol. in sum. lib. 1. cap. 13. nu. 2. & 4. Filliuc. trat. 11. cap. 5. à nu. 113. & tract. 13. cap. 2. à num. 28. tom. 1. Castell. de elect. cap. 11. num. 1. & cap. 5. num. 23. Palud. in 4. decis. 18. quæst. 4. Bonac. de cens. disp. 2. quæst. 2. par. 4. Sot. in 4. dist. 22. quæst. 1. ar. 4. sub concl. 2. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 76. ver. Octauò excom. Rebuff. in prax. tit. Forma, & declar. nouæ prouis. pag. mihi 145. Vasq. tom. 4. in 3. par. tract. de exc. dub. 6. Rodriq. in sum. par. 1. cap. 29. à num. 5. P. de Bais. in direct. elect. par. 1. cap. 9.

2. Dico 1. Excommunicatus maiori excommunicatione non potest eligi ad dignitatem ecclesiasticam; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. Ita omnes cit. Ricciul. num. 23. Barbos. num. 13. Suar. disp. 13. num. 10. Garc. num. 14. Prob. 1. ex cap. Constitutus, de appell. & cap. Nos in hominem. 9. quæst. 2. & cap. Postulastis, de cler. exc. & cap. 1. de rescr. in 6. Secundò, quia cum beneficium detur propter officium; cap. Cum secundum, de præb. cap. vlt. de rescr. in 6. & excommunicatus sit ipso iure suspensus ab officij executione, cap. 1. §. fin. cap. Is, cui, de sent. exc. in 6. cap. 1. de sent. & re iud. eod. lib. nõ potest ei dari ecclesiasticum beneficium.

3. Nota 1. quòd iura omnia, quæ loquuntur de collatione, intelliguntur etiam de electione; quia vtrobiq; currit eadem ratio. Ric. tom. 1. prax. decis. 183. num. 164. Sigismund. de elect. dub. 66. nu. 2. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 13. sect. 1. num. 10. Filliuc. tom. 1. trat. 10. cap. 5. num. 120. Sayr. de cens., lib. 2. cap. 5. num. 35. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 22. num. 116. vers. Notandum 1. Azor par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 8.

4. Nota 2. quòd dicta conclusio intelligitur, siue excomm. sit a iure, siue ab homine, siue per sententiã generalẽ, siue specialẽ siue sit publica, siue occulta, siue sciatur ab excõmunicato, & electoribus, siue ignoretur ab vtrisq; siue excommunicatus sit denunciatus, siue non. Quia iura vniuersaliter loquuntur, & vniuersaliter inhabilitant ad dictas dignitates excommunicatum; vnde vniuersaliter intelligenda sunt, absq; vlla exceptione. Atq; ita Suar. loc. cit. num. 3. Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 7. num. 1. 2. & 3. Ricciul. de iur pers. lib. 4. cap. 6. a num. 9. vbi quãplures DD. citat. pro singulis punctis; Barb. in cap. Postulastis, à num. 3. Vasq. tom. 4. in 3. par. trat. de excom. dub. 6. num. 6. Auil. de cens. par. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 2. Reginald. lib. 32. tract. 1. num. 44. Sigismund. loc. cit. num. 3. Putant tamen aliqui, quòd electio facta in persona excõmunicati, ignorantis probabiliter talem excõmunicationẽ, sit valida, & quòd post absolutionem potest retinere. Ita Nauarr. in cap. Fratres, de pœnit. dist. 5. Ric. tom. 1. prax. decis. 184. num. 173. & tom. 3. resol. 110. nu. 2. Sa in aphor. ver. Excommunic. num. 28. probabilem putat. Less. licet contrariam censeat veriorem, loc. cit. num. 117. Sed verè hæc sententia sustineri non potest. Nam licet ignorantia inuincibilis excuset à culpa, & aliquando etiam à pœna, non tamen validat actum ab Ecclesia irritatum, nec habilitat inhabilem, vt Couarr. loc. cit. num. 3. ver. Decimo. Suar. loc. cit. num. 2. Sayr. cit. cap. 5. num. 9.

Suarez. Barbos. Vasquez. Nauarrus. Lessius.

5. Noto 3. quòd non solùm excommunicatus est inhabilis ad recipiendas dignitates ecclesiasticas habentes curam animarũ; sed etiamsi curam animarum non habeant; Couar. loc. cit. num. 2. vers. Nonò idem in pens. Reginal. cit. num. 45. Ricciul. cit. num. 29. Barb. num. 17. Filliuc. num. 117. Et ratio desumitur ex cap. Postulastis, de cler. excommun. quia excommunicatus est extra omnẽ ecclesiasticam cõmunionẽ; assumptio autẽ ad quãlibet ecclesiasticã dignitatem est magna communicatio ecclesiastica, vt Henriq. lib. 13. cap. 13. num. 1. & Panor. in dicto cap. Postulastis, num. 1. ergo illius est incapax excommunicatus. Quæ ratio militat in omni munere ecclesiastico. Quare excommunicatus erit incapax non solum Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, sed etiam Collegatus, Definitoriatus, Discretatus, &c.

Panormit.

6. Noto 4. quòd non potest aliquis licitè re-

tinere-

nere dignitatem obtentam in excommunicatione, etiam post absolutionem, sed debet ei illa dignitas de nouo dari, vel super ea cum illo legitime dispensari. Ita Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 13. sect. 1. num. 2. Ricciul. lib. 4. cap. 6. num. 32. Garc. de benef. par. 7. cap. 13. num. 8. Sayr. loco cit. num. 7. Reginald. in prax. lib. 32. tract. 1. num. 44. ver. Quartò vt procedat; Barb. loco cit. num. 10. Et ratio est, quia cum electio ex eo sit nulla, quòd electus, quando fuit facta, erat incapax, non validatur per subsequentem absolutionem, per reg. 18. Non firmatur, de reg. iur. in 6. Quæ doctrina procedit etiam in foro conscientiæ, vt in specie Barb. loco cit. num. 5. Ricciull. num. 31. Sayr. num. 11. Panor. in cap. Postulastis, de cler. excomm. num. 2. Quia non acquirit titulum, neq; etiam coloratum, vt Ricciul. num. 30. Vnde licèt certum sit, quòd acta ab excommunicato non valent, cum desit intrinsecum principium illorum, si tamen ille defectus publicè ignoretur, & officium publica auctoritate possideatur, propter bonũ cõmune auctoritate Ecclesiæ talis defectus suppletur. Auila de cens. 2. par. cap. 6. disp. 6. dub. 7. Sa in aphor. ver. Excomm. num. 30. Suarez. loco cit. num. 31. qui dubitat, an excommunicatus occultus, si eligatur, teneatur se prodere, si non possit aliter se excusare ne acceptet. Et respondet, quòd si excommunicatio talis sit, vt eius manifestatione non creetur scandalum, vel infamia, tenetur se prodere, si aliter se excusare non potest. At verò ad se infamandum numquam tenetur, & ideò potest tunc acceptare, & quam primùm dispensationem procurare. Quod vltimum docuerunt etiam Regin. in praxi, lib. 31. num. 49. Garc. de benef. par. 7. cap. 13. num. 71. Vide Henriq; lib. 13. cap. 14. §. 1. Azor par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. ver. Si quæras.

Suarez. Ricciul. Garcia. Sayrus. Reginald. Barbosa. Barbosa. Ricciull. Sayrus. Panormit. Auila. Sa. Suarez. Reginald. Garcia. Henriq. Azor.

7. Sed quæres, à quonam erit petenda dispensatio, si excommunicatus eligatur in Prouincialem V.G. vel Generalem? ℞. ab eo, qui habet potestatem conferendi talem dignitatem absq; aliqua electione, quia talis dispensatio est virtualis Prælaturæ collatio; vnde, ea secuta, nulla alia requiritur electio. Hic autem, qui talem potestatem habet, videtur esse solùm summus Pontifex, quia nullus Superior, præsertim in Ordine nostro, potest per se solus vllam ex prædictis dignitatibus conferre. Atq; ita Suarez tom. 5. cit. num. 34. Barb. in cap. Postulastis, num. 27. Ricciul. lib. 4. cap. 12. num. 3. licèt alij teneant, quòd obtenta absolutione ab eo, qui potest dare, etiamsi hic sit solus Papa, possit deinde super retentione beneficij dispensari à proprio Episcopo. Ex qua doctrina inferri potest, quòd etiam in Regularibus nulliter electus propter excommunicationem, secuta absolutione, possit dispensari super retentione à proprio Prælato. Et probant ex illa regula, quam tradit Innoc. in cap. Dilectus, de temp. ord. quòd scilicet omnis dispensatio, quæ non reseruatur Papæ, possit concedi ab Episcopo. Cum ergo in dicto cap. Postulastis dispensatio non sit Papæ reseruata, sequitur, quòd eam dare possit proprius Prælatus. Quam sententiam vt communem nobis tradunt Reginald. loco cit. num. 50. Couarr. in cap. Alma mater, par. 1. §. 7. num. 8. Ricciul. cit. num. 5. Garc. cit. num. 74. Sayrus lib. 2. de cens. cap. 5. num. 21. ita tamen limitant, vt videatur non posse habere locum in electionibus Regularium, nisi in casu, quo electio excommunicati nulla deuolueretur ad ipsum Prælatum regularem, per se ipsum solum tunc facienda. Quod in Ordine nostro non puto posse euenire, nisi in electione Vicariorum, quorum electio ad ipsum solùm Prælatum spectat. Quo casu dictam doctrinam posse tueri puto, etiamsi Prælatus eligens sciret, electum esse excommunicatum, sed tunc erit potiùs noua electio, quam dispensatio. Vide Suarez. tom. 5. in 3. par. disp. 13. sect. 1. nu. 36. Portel. in dub. reg. ver. Officia Ordinis, nu. 7.

Suarez. Barbosa. Ricciullus. Reginal. Couarru. Ricciull. Garcia. Sayrus. Suarez. Portel.

8. Noto 5. quod electio ad aliquam dignitatem facta in persona illius, qui tempore electionis erat habilis, si postea dictam electionem acceptet tempore, quò est excommunicatus, valide acceptat. Ita Azor par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 9. Vasq; tom. 4. in 3. par. de excomm. dub. 6. num. 9. Filliuc. tom. 1. tract. 12. cap. 5. num. 151. Garcia de benef. par. 7. cap. 13. à num. 35. Ricciul. lib. 4. cap. 10. Suar. cit. à num. 15. Henriq; lib. 13. cap. 23. §. 8. Auila de cens. par. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 6. Campanil. in diuer. Iur. rubr. 11. cap. 15. num. 19. Et ratio est, quia id nullo iure vetitum reperimus; vnde, cum simus in pœnalibus, non est cur iura de collatione, & electione loquentia, ad acceptationem extendamus. Qua ratione ruit difficultas, quam mouent, licèt communem opinionem sequantur, Couar. loco cit. num. 4. & lib. 3. var. cap. 16. num. 4. Suarez cit. num. 15. Less. lib. 2. cap. 34. dub. 22. nu. 118. quòd scilicet acceptatio electionis sit quoddam ius spirituale, cuius assecutione priuatur excommunicatus, ℞. enim negando, dari aliquod ius prohibens excommunicatum non posse acceptare collatam sibi dignitatem. Verum quidem est, quòd non potest talis excommunicatus possessionem collatæ sibi dignitatis acquirere, quin priùs absoluatur, cum hæc possessio sine communicatione fieri nequeat; quæ est illi prohibita cap. Cum excommunicato, 11. quæst. 3. nisi necessitetur, ne perdat, & per ipsum non stet quin absoluatur, vt Filliuc. tom. 1. tract. 12. cap. 6. num. 162. Si tamen tempore excommunicationis possessionem accipiat, validè accipit, quia ista possessionis receptio in facto, non iure, consistit. Ita Azor loco cit. quæst. 10. An autem dictus excommunicatus acceptans dignitatem, peccet; dic, quòd non, nisi habeat animum exercendi officium absq; absolutione. Ita Henriq; lib. 13. cap. 13. §. 3. Garc. cit. num. 46. Sayr. cit. cap. 5. num. 11. fine. Suar. loco cit. num. 22. qui nec in hoc veniale peccatum agnoscit, nam non acceptat pro illo statu, in quo est excommunicatus, sed pro illo, in quo erit absolutus.

Azor. Vasquez. Filliuc. Garcia. Ricciullus. Suarez. Henriq. Auila. Campanil. Couar. Suarez. Lessius. Azor. Garcia. Sayrus. Suarez.

9. Noto 6. quòd electio ad aliquam dignitatem, facta in persona excommunicati, est nulla, etiamsi fiat motu proprio à Papa. Quia licèt motus proprius plurimum operetur ad tollendam subreptionem, non tamen inducit dispensationem aliquam, nec tollit impedimentum personæ. Ita Ricciul. de iur. pers. lib. 4. cap. 6. num. 6. Barbos. in cap. Postulastis, de cler. excom. num. 6. Verum quidem est, quòd si Papa sciret, aliquem esse excommuni-

Ricciul. Barbosa.

municatum, &c. & nihilominùs ei cooferret aliquam dignitatem, censeretur saltem quò ad illum effectum tacitè eum absoluere, vel dispensare. Ita Sayr. & Henriq. loco cit. Couar. in cap. Alma mater, par. 2. §. 7. num. 2. Auila de cens. par. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 2. ver. Quintò nota; quamuis contrarium sentiat Parif. de resign. lib. 4. quæst. 3. num. 63. Et aduerte, quòd hodio solet Papa in quacumq; gratia, vel iustitiæ concedenda, vel in beneficio cooferendo, ad ambiguitates tollendas, apponere clausulam, Teq; absoluentes, &c. vt dicunt præfati Couarr. Auil. Sayr. Ric. in praxi, par. 3. resol. 119. num. 4. Nauarr. in man. cap. 27. num. 273. Garc. loco cit. à num. 59. Ad cuius imitationem in Ordine nostro ante quamcumq; canonicam electionem, fit absolutio à censuris, ad effectum, &c. sub forma tradita in nostro Rituali par. t. cap. 14. Circa quam aduerte 1. quòd dicta forma non absoluit nisi à censuris, non autem dispensat super irregularitate. Vnde, si quis aliqua irregularitate teneretur, nihil illi iuuaret dicta absolutio, sed electio de illo facta, esset ipso iure nulla, vt dicam hic infra §. 3. num. 44. Quare consultum esset, si dictæ formæ adderetur, Dispensoq; vobiscum super omni irregularitate, &c. vt fit in generali absolutione tempore reconciliationum. 2. aduerte, quòd, si aliquis esset ligatus aliqua censura, cuius absolutio non esset commissa Superiori præsidenti Capitulo, ille non frueretur beneficio absolutionis, neq; posset in dicta electione eligi, vt benè Garc. de benef. par. 7. cap. 13. num. 68. & 71. Nauar. tom. 4. in cap. Ita quorumdam, de iud. gloſ. vlt. num. 18. Ricciul. de iur. perf. lib. 4. cap. 9. num. 9. Quod etiam insinuatur in forma dictæ absolutionis, quæ fit in Ordine nostro, per illam clausulam. *In quantum se extendunt priuilegia, & gratiæ Ordini nostro concessa.* 3. aduerte, quòd illa absolutio non prodest ei, qui absens eligeretur. Nam licèt absolutio ab excommunicatione absenti per literas dari possit, vt Nauarr. in man. cap. 26. num. 14. Sylu. ver. Absolutio 3. num. 9. Henriq. lib. 13. cap. 19. §. 1. Hæc tamen solùm in præsentes fertur.

10 Noto 7. quòd valet electio facta in persona nulliter excommunicati, vel licèt validè excommunicati, possessoris tamen triennalis; vel excommunicati post interpositam validam appellationem. Ita Ricciull. lib. 4. de iur. perf. cap. 13. Barbos. loco cit. num. 19. 20. 23. Suarez tom. 5. in 3. par. disp. 13. sect. 1. num. 32. 33. Sayr. de cens. lib. 2. cap. 5. num. 10. Regin. in praxi lib. 32. num. 47. Garc. de benef. par. 7. cap. 13. num. 13.

11. Noto 8. quòd habens aliquam dignitatem, ad quam legitimè electus fuit, si deinde aliquam excommunicationem incurrat, non per hoc est ipso facto priuatus ipsa dignitate, quia nulla talis priuatio in iure reperitur, immò in eo contrarium supponitur, vt bene probat, adductis tex. Suarez loco cit. nu. 1. Garc. cit. num. 90.

12. Dico 2. electio facta ab excommunicato, est ipso iure nulla. Ita Castel. de elect. cap. 5. num. 16. Sayr. loco cit. cap. 6. num. 4. Sigismund. de elect. dub. 46. num. 5. Ricciull. lib. 4. cit. cap. 3. num. 9. Auila de cens. disp. 5. par. 2. cap. 6. dub. 1. Filliuc. tom. 1. tract. 12. cap. 6. à num. 150. Couarr. in cap. Alma mater, par. 1. §. 7. num. 9. ver. Duodecimus excomm. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 14. sect. 2. num. 6. Prob. 1. ex cap. Constitutis, et t. de appell. cap. Tanta, de excess. Prel. cap. 1. Ne sede vac. in 6. cap. Pastoralis, §. fio. de appell. Secundò, quia excommunicatus est suspensus non solùm ab officio; cap. Clerici, cap. Latores, de cler. excom minist. sed etiam à beneficio; cap. Audiuimus, 24. quæst. 1. cap. 1. de off. vic. in 6. in c. Si is, cui, de off. deleg. eod. lib. cap. 1. de suppl. negl. Prel. eod. lib. Probant Suarez loco cit. num. 1. Sayr. cit. num. 1. Ergo nihil eorum agere valet, quæ ratione officij, aut beneficij illi conueniunt, quorum vnum est eligere.

13. Noto 1. quòd conclusio intelligitur solùm de excommunicato non tolerato, scilicet aut nominatim denunciato, aut publico clerici percussore. Mandag. de elect. par. 1. cap. 6. Ricciul. loco cit. num. 14. Suarez cit. num. 3. & 18. Filliuc. num. 151. vers. Sextò prædicta. Couar. ver. Quid autem. Sayr. num. 4. & 6. Sigismund. & alij locis cit. Et probatur ex extrau. Ad euitanda, quam refert Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. Nauar. in man. cap. 27. num. 35. de qua Antonin. 3. par. tit. 25. cap. 3. & Sigismund. loco cit. num. 1. Ex qua, vt communiter receptaeſt, constat quòd solum teneamur vitare excommunicatum non toleratum. Vnde sequitur, quòd, si excommunicatus toleratus eligat, electio valida est, vt Auila loco cit. disp. 6. dub. 3. ver. Ex dictis sequitur t. Sigismund. loco cit. nu. 10. Suarez, & alij modò cit. Quia licèt dicta extrau. Ad euitanda, nullum intendat fauorem impartire excommunicatis; hoc tamen, quod est eligere, non est in fauorem eligentis, sed electi, & Ecclesiæ, ad quam eligitur. Et hoc intellige, etiamsi electus à dicto excommunicato tolerato habeat cognitionem dictæ excommunicationis, vt Sayr. lib. 2. de cens. cap. 6. num. 6. Sigism. loco cit. Couar. loco cit. ver. Quid autem; Suar. cit. num. 3. qui addit, validam esse dictam electionem, etiamsi dictus excommunicatus sit publicus, modò non sit nominatim denunciatus, vel publicus clerici percussor, & num. 4. addit, quòd, si excommunicatus huiusmodi conferat beneficium, vel dignitatem solùm ad petitionem alterius, & in illius fauorem, non peccat; quia alioquin illa concessio vel esset frustra, vel scandalum potiùs, & occasionem peccandi daret. Secus autem, si sponte se ad eligendum cum alijs intromittat, nam tunc peccat, exercendo actus, à quibus est suspensus; &, cum simus in re graui, mortaliter: Hi autem, qui cum eo electionem, etiam voluntariè, celebrant, non peccant, quia non tenentur eum vitare. Suarez loco cit. num. 18. & tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 4. num. 9.

14. Noto 2. quòd, si excommunicatus non toleratus, scienter, & voluntariè admittatur ad eligendum cum alijs, qui sunt habiles, electio secuta est ipso facto nulla, in odium excommunicationis; vt constat ex cap. Ad probandum, de sent. & re iudic. cap. vlt. de procur. Secus autem, si ignoranter, & per vim. Atq; ita docet, hanc esse opinionem commu- nem,

Suarez. nem, Suar. de cens. disp. 14. sect. 2. nu. 17. Auila *Auila.* de cens. disp. 5. dub. 1. concl. 3. par. 2. Sayr. lib. 2. *Sayrus.* de cens. cap. 6. num. 5. & 6. Nauar. lib. 1. consil. *Nauar.* de elect. conil. 1. Sigismund. de elect. dub. 66. *Sigismund.* num. 5.

15. Ex quo sequitur, quòd licèt in capitulo esset aliquis excommunicatus toleratus, & cæteri capitulares id scirent, & tolerarent voluntariè, non per hoc electio secuta esset inualida; tales enim non tenemur vitare, vt dictum est num. 13. Et in his terminis docent Sigism. loco cit. num 10. Suar. loco cit. num 18. Peccaret tamen mortaliter, qui dictum excommunicatum eligeret. Tum quia actionem moralem efficere tali modo, vt irrita, & inanis sit, illicitum est, & in materia graui, graue peccatum. Tum quia eligere personam inhabilem, & incapacem, est intrinsece malum. Ita Suar. loco cit. disp. 13. sect. 1. num 26.

16. Si quæras, an electio in illo casu sit valida, posito quòd dicto excommunicato tolerato ab aliquo electore talis exceptio objiciatur? R. ante electionem posse quemlibet de capitulo taliter excommunicato suam excommunicationem objicere, & eum à capitulo repellere. Tum quia dicta extrau. nullum fauorem fecit excommunicatis, nec vllum ius eis contulit. Tum quia licèt permittat aliis communicationem cum excommunicato, neminem tamen ad hoc obligauit; vnde quilibet de capitulo potest eum repellere, nec ipse habet ius aliquod, quo se tueatur. Si verò post electionem fiat dicta exceptio, valida nihilominus est electio, & suffragium excommunicati computatur in numero eligentium, tamquam si excommunicatus non esset; quia licet quò ad se sit priuatus iurisdictione, quamdiu tamen non repellitur, sed toleratur, Ecclesia iurisdictionem supplet: Ita Sigismund. loco cit. nu. 11. Suar. de cens. disp. 14. sect. 2. num. 18.

17. Sed quid, si vnus, aut duo de capitulo tantùm se opponant, vt talis excommunicatus repellatur, cæteri autem nolint eum repellere, electio nihilominùs secuta erit ne valida? Dico, quòd talis electio erit irritanda, nam in ea admissus est aliquis, qui admittendus non erat contra voluntatem vnius, qui primò cogi non potuit communicare cum excommunicato. 2. quia ius eligendi spectat ad singulos de capitulo pro parte sua; vnde singulorum interest, *Panorm.* ne admittantur extranei. Pro quo cito Panor. *Passarel.* in cap. Scriptum, de elect. num. 3. Passarell. in schol. ex Auen. de elect. dub. 6. Vide quæ dico tom 1. huius op. quæst. 1. cap. 31. §. 8. concl. 9. vide etiam Sigism. loco cit.

18. Sed quid, si aliquis electorum occultè, & solus sciat, aliquem esse excommunicatum, poterit ne illum eligere? R. si hoc sciat per sacramentalem confessionem, quid possit, & debeat facere, dixi tom. 1. huius op. cit. §. 2. quæstio 1. Si autem extra Sacramentalem confessionem id sciat, distinguendum est. Si enim occultè dentur suffragia, nullo modo eum debet eligere; quia quamuis actus eligendi fit ex publica potestate, quatenus tamẽ occultè fit, regulatur per scientiam occultam, & personalem; vnde ad quemlibet electorum pertinet informare se de persona eligenda, vt docet Sayrus *Sayrus.* lib. 2. de cens. cap. 5. nu. 34. Si verò electio fiat publicè, & nulla sit alia publica causa sufficiens ad negandum suffragium, denegare non potest. Quia vel cogeretur infamare peccatorem occultum, vel scandalum præbere, denegando suffragium ei, cui publice debetur. Ita Suarez tom. 5. in 3. par. disp. 13. sect. 1. num. 31. *Suarez.*
Bonacina de cens. disp. 2. quæst. 2. §. 1. num. 13. *Bonacina.*

19. Noto 3. quòd qui scienter excommunicato suffragatus fuerit, non solum mortaliter peccat, vt dixi, & docet etiam Sayr. loco cit. num. 33. sed etiam tamdiu debet voce actiua priuari, donec veniam consequi mereatur à suo Superiore, vt puniatur in eo, in quo delinquere præsumpsit. Ita in cap. Postulastis, de cler. excom. In cap. verò Cum in cunctis, §. fin. & in cap. Cum Vintoniensis, de elect. tales eligentes scienter excommunicatum, seu aliàs indignum, sunt ipso facto priuati pro illa vice potestate eligendi, & per triennium suspensi ab officiis, qui autem ignoranter, nullam pœnam incurrunt, vt Panor. in dicto cap. Postulastis, num. 3. Suar. loco cit. num. 34 & num. 27. putat, quòd pœna dicti cap. Postulastis, post extrau. Ad euitanda, incurri non possit, nisi ab eo, qui scienter eligeret excommunicatum denunciatum, vel publicum clerici percussorem. Pœna autem cap. Cum in cunctis, est in suo vigore; quia non fertur magis in eligentem scienter excommunicatum, quàm in quemcumq; alium indignum.

20. Aduerte tamen, quòd illa pœna cap. Cum in cunctis, non habet modò ampliùs locum in electione Superiorum regularium, per cap. Si compromissarius, §. Huiusmodi, de elect. in 6. & docet Glossa in summ. illius cap. & glossa in cap. Quamquam, ver. Secùs, eod. tit. & lib. & Sigismund. de elect. dub 67. nu. 4. *Sigismund.*
Vide Suar. loco cit. disp. 27. sect. 1. nu. 35. Barb. *Suarez.*
in cap. Cum in cunctis, §. Clerici, num. 35. Al- *Barbosa.*
ter. tom. 2. disp. 13. cap. 1. vers. Dubitatur secundò. *Alterius.*

21. Dico 3. Ligatus excom. minori non potest eligi ad dignitates. Ita Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 24 sect. 2. num. 13. Henriq; lib. 13. cap. 3 §. 3. Sigismund. dub. 65. num. 1. Filliuc. tom. 1. tract. 13. cap. 2. num. 27. Couar. in cap. Alma mater, 1. par. §. 8. num. 3. Less. lib. 2. *Lessius.*
de iust. cap. 34. dub. 22. num. 116. Azor instit. mor. par. 1. lib. 6. cap. 7. quæst. 7. Garc. de benef. par. 7. cap. 13. num. 27. Ricc. 1. par. prax. decis. 184. num. 169. Lamb. de iur. patr. lib. 2. *Lambert.*
par. 1. quæst. 9. art. 1. num. 2. Sayr. lib. 2. de cens. cap. 22. num. 22. Reginald. in prax. lib. 32. *Reginald.*
tract. 2. num. 143. Constat ex cap. Si celebrat, de cler. excom. vbi dicitur. *Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda, pro eo quòd ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à SS. PP. est priuatus.*

22. Noto 1. quòd electio excommunicati minori excommunicatione, non est ipso iure irrita, sed irritanda, vt loquitur tex. Atq; ita Reginal. loco cit. Barbos. in add. ad dictum cap. Si celebrat. Auila de cens. par. 2. cap. 6. *Auila.*
disp. 12. dub. 4. concl. 2. Filliuc. loco cit. num. *Filliuc.*
31. Suar. cit. num. 21. Vasq; tom. 4. in 3. par. tract. de excom. dub. 6. num. 12. Less. loco cit. Sayr. num. 23.

23. Noto 2. quòd talis electio ignoranter facta, siue ignorantia se teneat ex parte electo-

rum, siue ex parte electi, siue ex parte vtrorumque ita valida est, vt neq; etiam possit irritari. Constat clare ex eod. tex. qui dicit, tunc electionem esse irritandam, quando est facta scienter. Vnde colligitur aperte, quòd, si sit facta ignoranter inuincibiliter, neq; etiam erit irritanda. Ita Gabr. in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 1. Host. in sum. lib. 5. tit. de cler. excom. min. §. Qualiter puniantur, ad fin. ver. Quid ergo si ignoranter, & ibi. Quid si alter scit, alter ignorat. Sylu. ver. Excommunicatio 4. nu. 4. Vasq, loco cit. num. 13. Auila loco cit. concl. 4. Bonac. de cens. disp. 2. q. 3. num. 7. Sigismund. d. 0 65. in fine. Pet. Sot. lect. 4. de excom. ver. Restat vt de min. Sa ver. Excommunicatio, num. 33. Tol. in sum. lib. 1. cap. 18. num. 2. Barbos. loco cit. vers. Verùm contraria. Henriq; in summ. lib. 13. cap. 3. § 3. & in comm. lit. V.

Gabriel. *Hostiensis.* *Pet. Sotus.*

24. Noto 3. quod scienter eligentes excommunicatum minori excom. peccant mortaliter, & similiter ipse electus, si se eligi permittat. Ita Pet. Sot. loco cit. Auil. concl. 1. Tol. Henriq; loc. cit. Filliuc. num. 35. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 24. sect. 2. num. 31. Constat. Tum quia æque priuatur sic excommunicatus sacramentorum susceptione, atq; passiua electione, suscipiens autem illa peccat mortaliter, absq; difficultate, ergo. Tum quia contrauenire sacris Canonis in materia graui, peccarum mortale est; & hic sumus in materia graui, vt constat ex eo, quod talis electio scienter facta, irritanda dicitur. Tum quia facere actionem moralem, quæ iudicanda sit irrita, & inanis, peccatum est, & graue.


Auila. *Toletus.* *Henriq.* *Filliucius.* *Suarez.*

25. Noto 4. quòd excommunicatus minori, non est priuatus iure eligendi; dicto cap. Si celebrat, vbi. *Nec eligere prohibetur, vel ea, qua ratione iurisdictionis sibi competunt, exercere.* Et hoc est sine controuersia, vt videri potest apud DD. Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 8. num. 3. Vasq; loc. cit. dub. 6. num. 11. ver. De minori. Sayr. loco cit. Reginald. num. 144. Filliuc. tom. 1. tract. 13. cap. 2. num. 33. vnde eligendo, secundum aliquos nec peccat etiam venialiter, quia nullibi prohibetur. Ita Filliuc. num. 34. Henriq. lib. 13. cap. 3. §. 1. vbi in comm. lit. I. multos citat, Nauar. in man. cap. 27. num. 24.

Couarruu. *Vasquez.* *Sayrus.* *Reginald.* *Filliuc.* *Henriq.* *Nauar.*

26. Noto 5. quòd eligentes scienter excommunicatum minori, secundum Suar. tom. 5. de cens. disp. 24. sect. 2. num. 22. Auil. de cens. par. 2. cap. 6. disp. 18. dub. 4. concl. 4. Panor. in cap. Si celebrat, num. 8. nullam incurrunt pœnam suspensionis vocis actiuæ. Sed glossa in cap. Si celebrat, ver. Scienter, sentit incurrere pœnam cap. Cum in cunctis, §. Clerici, de qua dixi num. 19. Quod dictum glossæ puto verum, quia illa pœna est generalis contra omnes eligentes indignum indignitate canonica. Quòd si præfati DD. velint, eam non extendi vltra casus specificatos, dico, quòd ista indignitas clarè reducitur ad illum casum. *Qui etiam vita commendabilis demonstretur:* non enim est vita commendabilis, qui præcepta Ecclesiastica non obseruat. Opinio tamen Panor, est communior.

§. I. *An suspensus possit eligi ad Prælaturas regulares.*

27. IDE Lamber. de iur. patr. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 2. & quæst. 2. art. 3. Castell. de elect. cap. 5. num. 15. & 55. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 22. nu. 116. Tol. in sum. lib. 1. cap. 45. nu. 8. Rebuff. in prax. tit. For. & decl. nouæ prouis. ver. Teq; absoluentes, &c. num. 5. pag. mihi 145. Pet. de Baisio in direct. elect. par. 1. cap. 7. Malol. de irreg. lib. 3. cap. 19. num. 10. Comit. in resp. mor. lib. 6. quæst. 64. Auil. de cens. p. 3. disp. 2. dub. 1. concl. 5. Nauar. in man. cap. 25. num. 134. & cap. 27. num. 163. Ver. Sextò intertur. Bonac. de cens. disp. 3. quæst. 6. par. 2. n. 11. Sa in aphor. ver. Beneficium, num. 29. & ver. Suspensio, num. 10. Ricc. in prax. par. 1. decis. 183. & par. 4. decis. 343. num. 2. Ricciul. de iur. pers. lib. 4. cap. 3. num. 9. & cap. 6. num. 38. Filliuc. tom. 1. tract. 17. cap. 2. num. 16. 25. 45. 46. & tom. 3. tract. de benef. cap. 5. num. 17. Paris. de relig. lib. 4. quæst. 3. à nu. 59. & lib. 5. quæst. 6. à num 67. Campanil. in diuers. iur. rubr. 11. cap. 16. num. 11. 16. Barbos. in cap. Cum dilectus, de consuet. num. 12. Azor. 2. par. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. Miranda tom. 2. man. quæst. 23. art. 11. concl. 5. Sigismund. de elect. par. 2. dub. 67. Garc. de benef. par. 7. cap. 14. Sayr. lib. 4. de cens. cap. 6. num. 4. & 7. Pet. Greg. in decr. tom. 2. de elect. cap. 7. num 7. & cap. 9. num. 20. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 26 sect 3. num. 9. & sect. 4. num. 5. & disp. 27. sect. 1. num. 34.

Lambert. *Castellin.* *Lessius.* *Toletus.* *Rebuffus.* *de Baisio.* *Maiolus.* *Comitolus.* *Auila.* *Nauarrus* *Bonacina.* *Sa.* *Riccius.* *Ricciull.* *Filliucius* *Parisius* *Campanil.* *Barbosa.* *Azor.* *Miranda.* *Sigismun.* *Garcia.* *Sayrus.* *P. Greg.* *Suarez.*

28. Notandum, quòd suspensionis varias afferunt diuisiones DD. quarum vnaquæq; suum particularem producit effectum, vt videri potest apud Suarez. cit. disp. 25. sect. 2. à num. 1. Sayr. lib. 4. de cens. cap. 1. à nu. 4. Filliuc. to. 1. tract. 17. cap. 1. à num. 6. Auil. de cens. par. 3. disp. 1. dub. 3. Hic ad meum propositum diuido suspensionem secundùm mentem D. Tho. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 2. q. 3. in addit. ad 3 p. q. 22. art. 3. corp. quòd alia est suspensio ab ordine tantùm, & non à iurisdictione, alia à iurisdictione, & non ab ordine, alia ab vtroq; Suspensio indefinita ab ordine priuat omni vsu ordinum, tum minorum, tum sacrorum quia æquipollet vniuersali, ac si diceret, Ab omnibus ordinibus, vt Filliuc. loco cit. n. 23. Sylu. ver. Suspensio, q. 5. Suar. loc. cit. disp. 26. sect. 4. nu. 2. Henriq; lib. 13. c. 32. nu. 2. Priuat etiam ijs actibus, qui sunt necessariò connexi cum ordine, vt absoluere in foro pœnitentiali, extremam vnctionem conferre, baptismum solemniter ministrare, solemnem aliquam benedictionem, aut consecrationem efficere; Henriq; cit. n. 4. ver. Tertiò, qui in com. lit. F. multos citat. Prohibito enim vno, consequenter prohibetur, & illud, quod est connexum cum illo; glossa in c. Studeat, d. 50. ver. Vt tale. Non tamen priuat ijs actibus, qui sunt iurisdictionis, & non sunt connexi cum ordine, vt censuras ferre, ab ijs absoluere, beneficia conferre, iudicare, &c. Suar. loc. cit. n. 8. Nau. in man. c. 27. n. 160. Suspensio à iurisdictione indefinitè priuat vsu omnium actuum spiritualis iurisdictionis, vt excommunicare, corrigere, confirmare, beneficia conferre, eligere, iudicare, &c. Ita Fill. loc. cit. n. 30. Suar. nu. 16. Suspensio verò ab vtroq; priuat omnibus dictis actibus

D. Thom.

quam

quam ſuſpenſionem, ait Suar. diſp. 25. ſect. 2. num. 14. eſſe idem cum ſuſpenſione ab officio, de qua in cap. Sanè, 2. de off. deleg. & in cap. Quia pontificali, eod. tit. in 6. atq; ita ſuſpenſionem à beneficio, quæ eſt in iure frequentiſſima, vt in cap. Nihil, de elect. & in clem. 2. de vita, & hon. cler. non includi in dicta diuiſione. Sed ſi iuriſdictionem ſubdiuidamus in temporalem, & ſpiritualem, vt ſic poſſe diuidi cōſtat ex cap. 2. de ſolut. & ex extrau. Ambitioſæ, de reb. Eccl. non alien. vbi dicitur, *A regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, ſeu monaſterij, cui præſidet, in temporalibus, & ſpiritualibus, ſit eo ipſo ſuſpenſus*, certum eſt, quòd temporalis iuriſdictionis ſuſpenſio nihil eſt aliud, quam ſuſpenſio à beneficio; Nomine enim ſuſpenſionis à beneficio intelligit Suarez loco

Suarez.

cit. num. 11. & diſp. 27. ſect. 1. num. 2. prohibitionem ad percipiendum emolumentum temporalem, ſeu temporales fructus ad beneficium pertinentes, vt ſunt redditus ipſius beneficij, cuiuſcumq; conditionis ſint, ſiue per modum decimarum, aut oblationum, ſiue prouentus ex fundis, &c. de quibus Filliuc. loco cit. num. 44. Apud Regulares dicta ſuſpenſio à beneficio priuabit ſuſpenſum adminiſtratione bonorum temporalium, pertinentium ad conuentum, ſeu Prouinciam, vel Religionem, in qua talis erit Prælatus, ſiue per modum redditaum perpetuorum, ſiue per modum eleemoſynarum, ſiue per quemcumq; alium titulum: priuabit etiam prouiſionibus, quæ debentur ipſis Prælatis aliquo iuſto titulo, vt ratia in Ordine noſtro, in quo aluntur; Gloſſa in cap. Paſtoralis, de appell. ver. Subtrahuntur; Et non ſolùm iſtis actibus priuat dicta ſuſpenſio, ſed etiam omnibus alijs cum iſtis connexis, vt ſunt domuum, & prædiorum locationes, fructuum venditiones, debitorum exactiones, rerum temporalium permutationes, contractuum formationes, &c. vt Filliuc. loco cit. num. 45. & colligitur ex cap. 1. §. vlt. de elect. in 6. & docet Suarez de cen. diſp. 27. ſect. 1. num. 31. & Tol. in ſum. lib. 1. cap. 45. num. 9. Et ratio deſumitur ex cap. Si celebrat, de cler. excom. vbi ponitur illa generalis regula. Cui aliquid vetitum eſt, etiam illa ſunt prohibita, quæ ad illud ordinantur.

29. Dico 1. ſuſpenſus ſiue ab ordine ſolùm, ſiue à ſola iuriſdictione, tam temporali, quam ſpirituali, ſiue ab vtriſq; eſt inhabilis ad recipiendas Eccleſiaſticas dignitates; quòd ſi per electionem conferantur, electio eſt ipſo iure nulla, & hoc ſiue ſuſpenſio ſit à iure,

Filliucius

ſiue ab homine. Ita Filliuc. tract. 17. cap. 2. num. 16. & tract. 41. cap. 5. num. 15. tom. 3.

Pariſius.

Pariſ. de reſig. lib. 4. quæſt. 3. à nu. 59. & lib. 5.

P. Greg.

quæſt. 6. à num. 82. Pet. Greg. de elect. cap. 9.

Lambert.

num. 20. Lamb. & alij cit. num. 27. Conſtat tum ex cap. Cum dilectus, de conſuet. §. Quia nobis, cap. Cum inter R. §. fin. de elect. cap. Cum bonæ, de ætate, & qualitate. Tum quia ſuſpenſus non poteſt exercere vllam dignitatem, ſeu Prælatiam regularem, quia hæ, vt conſtat, requirunt exercitium ordinum, iuriſdictionis temporalis, & ſpiritualis, ergo ad nullam eligi poteſt, cum dignitates dentur propter ſeruitium, ſeu propter officium, vt dicitur in cap. Cum ſecundùm de præb.

30. Noto 1. quòd de ſuſpenſione proportionaliter loquendum eſt, ſicut de excommunicatione, vt Pariſ. lib. 4. de reſig. quæſt. 3. nu. 61.

Pariſius.

& Suar. tom. 5. de cenſ. diſp. 26. ſect. 1. num. 8.

Suarez.

vnde 1. ſuſpenſus ineligibilis eſt, etiamſi ſit occultus, & minime denunciatus. Ita in ſpecie Auila de cenſ. par. 3. diſp. 2. dub. 1. concl. 5.

Auila.

ver. Ex his ſequitur. Henriq; lib. 13. cap. 32.

Henriq;

num. 3. 2. ſaluatur electio ſuſpenſi præſentis, ſi ante illam fiat abſolutio à cenſuris; Pariſ.

Pariſius.

cit. num. 62. 3. mortaliter peccat ſuſpenſus dignitatem recipiens; Borg. de irreg. par. 6. tit.

Borgaſius.

de ſeot. ſuſp. nu. 8. Ric. tom. 1. prax. deciſ. 183.

Riccius.

num. 166. Nauar. in man. cap. 27. num. 163.

Nauarr.

31. Aduerte hic, quòd in Ordine noſtro ſacerdotes per ignorantiam non celebrantes, ſunt ſuſpenſi, ſeu priuati voce paſſiua quò ad officia curam animarum habentia; in cæteris autem habiles ſunt. Ita definitum eſt in cap. Ge-

Paſſarel.

nuen. 5. num. 12. & declarat Paſſarel. in ſchol. ex Genuen. Et aduerte, quòd per officia curam animarum habentia, intelligo etiam officium Collegatus, & Definitoriatus; nam Collegæ ſunt comparticipes officij cum ſuis Prælatis, & habent decidere multas, & graues cauſas, immò omnes cauſas Prouinciæ, ſi ſint Collegæ Prouinciales; & omnes cauſas conuentus, ſi ſint Seniores. Vnde hæc licèt directè, & primariò non ſint officia curam animarum habentia, ſunt tamen indirectè, & ſecundariò. Et hic militat eadem ratio prohibitionis.

32. Dico 2. ſuſpenſus, ſiue à iure, ſiue ab homine, non poteſt eligere, &, ſi eligat, electio eſt nulla. Ita P. Greg. loco cit. cap. 7. num. 7.

Pet. Greg.

Barboſ. in cap. Cum dilectus, de conſuet. nu. 12.

Barboſa.

& in cap. Quia diuerſitatem, de conceſſ. præb. num. 3. & in cap. Cum inter R. de elect. num. 4.

Riccinllus

Ricciul. de iur. perſ. lib. 4. cap. 3. num. 9. Ca-

Caſtellin.

ſtell. de elect. cap. 5. num. 15. Lamber. de iur.

Lambert.

patr. lib. 2. par. 1. quæſt. 5. art. 3. num. 2. Prob. ex cap. Cum dilectus, §. Quia nobis, de conſuet. vbi gloſſa ver. Caſſauimus, declarat, idest Caſſam denunciauimus; cap. Cum inter R. ſeniorem, de elect. cap. Quia diuerſitatem, de conceſſ. præb.

33. Noto 1. quòd hæc concluſio intelligitur

Filliucius

de ſuſpenſo denunciato nominatim. Filliuc.

Henriq;

tom. 1. tract. 17. cap. 3. num. 45. Henriq; lib. 13.

Suarez.

cap. 33. num. 2. Suar. tom. 5. in 3. par. diſp. 26.

Bonacina.

ſect. 2. num. 2. Bonac. de cenſ. diſp. 3. quæſt. 6.

Sa.

par. 4. num. 7. Sa in aphor. ver. Suſpenſio, num. 14. In occultis enim ſuſpenſis, ſeu toleratis, & non denunciatis ſupplet Eccleſia pro bono communi hunc defectum, & extrau. Ad euitanda, etiam in hac cenſura locum habet, vt ibid. Suar.

34. Noto 2. quòd ſuſpenſus toleratus licèt validè eligat, peccat tamen, quia ingerit ſe actibus, à quibus eſt ſuſpenſus; &, cum ſimus in materia graui, peccatum erit mortale. Suar. loco cit. num. 1. Henriq; cit. num. 1. Bonac. cit. num. 1.

35. Noto 3. quòd concluſio intelligitur de ſuſpenſo à iuriſdictione ſpirituali, ſeu, vt dicunt alij, de ſuſpenſo ab officio ratione ſpiritualis iuriſdictionis; nam eligere communiter ad ſpiritualem iuriſdictionem ſpectat, non ad ordinem; vnde etiam moniales eligunt;

cap. Indemnitatibus, de elect. in 6. & tamen ordinis incapaces sunt. Vnde si sit solum suspensus ab ordine, idest ab exercitio ordinum, seu, vt alij dicunt, à diuinis, bene eligere poterit, etiamsi denunciatus sit. Atq; ita Filliuc, loco cit. cap. 2. num. 85. Pet. Greg. cit. Henriq; loco cit. cap. 32. num. 4. Sayr. lib. 4. de cens. c. 6. num. 7. Suarez de cens. disp. 26. sect. 4. num. 5. Glossa in c. Presbyterum, ver. Habere, dist. 28. Glossa in cap. Cum Vintoniensis, ver. Admiserant, de elect. Et declarauit sacra Congregatio Concilij, anno 1628. die 22. Augusti instante Adm. R.P.F. Deodato Lomelino Zeloso Ord. Minim. his verbis. *Quæritur à DD. VV. Illustr. & Reuer. An Religiosus regularis suspensus à diuinis per annum, possit infra illud tempus habere vocem actiuam in electionibus canonicis Superiorum faciendis, cum in sua suspensione non exprimatur vlla priuatio voci. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij interpretum respondit. Regularem suspensum ad tempus à diuinis, absq; expressione priuationis voci, infra illud tempus voce actiua non priuari, ideoq; posse votum dare in electionibus Superiorum faciendis. A Cardinalis Vbaldinus, Franciscus Paulutius sacr. Congreg. Secr.*

Filliuc. Henriq; Sayrus.

36. Noto 4. quòd si aliquis sit suspensus à iurisdictione temporali, seu, vt alij dicunt, à beneficio, potest nihilominus eligere, & interesse illis electionibus, quæ illi competunt ratione iurisdictionis spiritualis, seu officij, à qua non est suspensus; non tamen poterit eligere, seu interesse illis electionibus, quæ illi competunt ratione dictæ iurisdictionis temporalis beneficij V. G. in ordine nostro nullus potest eligere, nisi sit sacerdos, per Reg. nu. 39. quod est conforme Trid. sess. 22. cap. 4. de refor. vbi ordinem sacrum requirit in eo, cui conferendus est actus eligendi, & clem. Ne in agro, §. Cæterum, de stat. mon. Vnde constat, quòd ius eligendi nobis Minimis competit ratione ordinis sacerdotalis. Si quis ergo suspendatur ab executione ordinum, est eo ipso suspensus, per Reg. à iure eligendi tam actiuè, quam passiuè. Vnde bene puto statuisse Patres cap. Barch. 1. num. 11. quando suspensos ab officio sacerdotali per ignorantiam priuauerunt voce actiua, licèt deinde hæc illis fuerit restituta in cap. Genuen. 5. vt dixi hic sup. num. 31. & solum nunc sunt priuati voce passiua, quod quomodò cohæreat Regulę, nolo hic subtiliter discutere; Nec similiter quomodò præfata declaratio Congregationis nobis Minimis possit adaptari. Solùm moneo, vt hęc saluentur, posse responderi ad tex. Reg. & Trid. quòd requirat ordinem sacerdotalem in electore, & eligẽdo, non quia dictus ordo sit principium talis actus, sed vt electio fiat à persona digniori, & sacerdotali dignitate insignita; alioquin sequeretur, quòd summus Pontifex, vel consuetudo non possent dare ius eligendi nullum sacrum ordinem habenti; quod esse falsum, constat ex declaratione Pij V. quam refert Sigismond. de elect. dub. 91. num. 2. in qua clerici etiam non subdiaconi, & laici ad electiones admittuntur in Ordine Minorum; & Fratres Io. Dei, qui laici sunt, suas electiones faciunt, & canonicas. Corrector ergo in Ordine nostro, vt veriùs censeo, suspensus à diuinis, non poterit habere vocem in electione Correctoris, quæ fit die 15. Septembris, quia hoc ius illi competit ratione ordinis sacerdotalis secundum Regulam; bene tamen poterit habere vocem in capitulo prouinciali, quia tale ius illi non competit ratione ordinis, sed ratione dignitatis. (Nisi etiam contendas hoc ius illi competere etiam ratione sacerdotij, saltem remotè) è contra verò si sit suspensus à iurisdictione temporali, seu ab exercitio Correctoriatus, habebit quidem vocem in electione dicti Correctoris, quæ illis competit ratione ordinis sacerdotalis, à quo suspensus non est; non tamen habebit vocem in capitulo prouinciali, quia hoc ius illi competit solùm ratione Correctoriatus, à quo suspensus est. Atq; ita docet in specie Sigismund. de elect. dub. 67. num. 8. Et colligitur aperte ex Suar. loco cit. disp. 27. sect. 1. num. 34. Sayr. lib. 4. de cens. cap. 6. num. 7. Henriq; lib. 13. cap. 32. num. 4. Nauarr. in man. c. 27. num. 163. ver, Sextò. Tolet. in sum. cap. 45. num. 7. lib. 1.

Sigismũd.

Suarez. Sayrus. Henriq. Nauarrus Toletus.

§. 2. *An interdictus possit eligi ad Prælaturas Regularium.*

37. VIDE Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 22. num. 116. Castell. de elect. cap. 5. num. 55. Azor. par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. Garc. de benef. par. 7. cap. 14. num. 5. Lambert. de iur patr. par. 1. lib. 1. quæst. 9. ar. 3. Filliuc. tom. 3. tract. 41. cap. 5. num. 15. P. Greg. de elect. cap. 7. num. 9. & cap. 9. num. 19. Mir. tom. 1. man. quæst. 13. art. 11. concl. 5. Borgas. de irreg. par. 6. tit. de sent. susp. num. 52. Sigism. de elect. dub. 68. Paris. de resign. lib. 5. q. 6. nu. 85. Comit. in resp. mor. lib 6. q. 64. Rebuff. in prax. tit. Forma, & decl. nou. prou. ver. Teq; absoluentes, nu. 7. Nauar. in man. c. 15. num. 134. Henriq; lib. 13. cap. 46. nu. 3. Pisan. ver. Interdictum 1. §. In quo conueniunt.

Lessius. Azor. Castellin. Garcia. Lamber. Filliucius. P. Greg. Miranda. Borgasius. Sigismũd. Parisius. Comitolus. Rebuffus. Nauarrus Henriq; Pisanella

38. Dico 1. singulariter interdictus non potest eligi ad dignitates Regularium; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. Ita P.G. cap. 9. cit. num. 19. & omnes cit. Prob. ex cap. Inter R. de elect. cap. 1. de post. præl. c. fin. de excess. præl.

39. Dico 2. personaliter interdictus eligere non potest. P. Greg. loco cit. cap. 7. num. 9. Nau. Azor, Less. Mir. Filliuc. Lamber. Pisan. loco cit. Sa in aphor. ver. Interdictum, num. 18. Host. in sum. tit. de elect. §. Quis possit eligere, P. de Bais. in direct. elect. par. 1. cap. 19. num. 1. Prob. ex dicto cap. Cum inter R. & ex cap. Tanta, de excess. Præl.

Sa. Hostiensis. P. de Bais.

40. Dico 3. neq; etiam eligere, aut eligi potest, qui in loco interdicto scienter celebrauit Pet. Greg. loc. cit. Sigism. loc. cit. n. 2. Syl. ver. Elect. 1. n. 15. Tab. eod §. 16. Lam. loc. cit. n. 1. Castell. de elect. c. 11. n. 10. Pet. de Bais. cit. c. 10. vbi aduertit, quòd sola fama facit in hoc casu probationem sufficientem, vt interdictum Superioris seruetur. Prob. ex cap. 1. de post. Præl. §. Nos igitur, vbi glossa ver. Personam. c. Is, qui, de sent. exc. in 6. & ex glossa fin. in cap. Per inquisitionem, de elect.

Sylvester. Tabiena.

41. Dico 4. electio facta in loco interdicto, & tẽpore interdicti à seruãtibus interdictũ, valet. Ang. ver. Electio, n. 12. Lãb. loc. cit. n. 9. Sigism. de elect.

Angelus.

de elect. dub. 16. nu. 5. de Baifio cap. 19. cit. n. 2. Prob. Tum quia electio est quidam contractus, qui non prohibetur celebrari in loco interdicto, vt constat ex cap. fin. de sent. excomm. in 6. Tum quia conceditur interdictis celebrare diuina officia, quod est malus, ergo etiam illis concedetur celebrare electionem, quod est minus.

42. Nota tamen, quòd dicta de interdicto procedunt, quando interdictum est denunciatum, vt dictum est de excommunicatione, & suspensione; per sæpe dictam extrau. Ad euitanda. Sa in aphor. ver. Interdictum, num. 3.

§. 3. *An irregularis possit eligi ad Prælaturas Regularium.*

Nauarrus

43. VIDE Nauar. in cap. Si quando, de rescr. num. 10. excep. 10. & lib. 1. cons. de homic. cons. 44. num. 3. & in man. cap. 27. nu. 251. & cap. 25. num. 134. Mol. tract. 3. de iust. disp. 78. num. 1. Lambert. de iure patr. lib. 1. par. 1. quæst. 9. art. 4. num. 5. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 22. num. 150. Couarr. in cap. Alma mater, par. 1. §. 7. num. 1. & in reg. Peccatum, 2. par. §. 8. num. 6. ver. Ad idem tendit. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 3. num. 31. Azor par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. Riccius in prax. par. 1. resol. 404 num. 1. & 2. & par. 1. decis. 185. Comit. in resp. mor. lib. 6. quæst. 64. Sa in aphoris. ver. Beneficium, num. 29. & ver. Irregularitas, num. 4. Suarez tom. 5. in 3. par. disp. 40. sect. 2. a num. 29. & tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 3. à num. 24. Sigismund. de elect. dub. 70. Garc. de benef. par. 7. cap. 11. num. 2. Petrus Greg. de elect. cap. 9. num. 11. Castellinus de elect. cap. 11. num. 19. Henriq; lib. 14. cap. 2. num. 5. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 2. num. 21. 22. Auila de cens. par. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 3. Bonacina de cens. disp. 7. q. 1. p. 3. nu. 6.

Molina. Lambert. Lessius. Couarr. Parisius. Azor. Riccius. Sa. P. Greg. Castellin. Henriq; Auila. Bonacina.

44. Dico 1. Irregularis est ineligibilis ad dignitates Ecclesiasticas; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. Suarez de cens. cit. nu. 36. & tom. 4. de relig. num. 24. Sayrus num. 25. Sigismund. num. 2. Bonacina loco cit. & alij omnes. Probatur. 1. ex cap. Si eo tempore, de rescr. in 6. & in cap. Is, qui, de sent. excom. eod. lib. cap. 1. de cler. pugn. in duel. cap. Studeat, dist. 50. cap. Dudum, el. 1. §. Cum autem, de elect. ibi, *Patereinr vel in ordinibus.* Trid. sess. 25. de reform. cap. 4. Inter cœteras enim habilitates canonicas, quæ ibi requiruntur, comprehenditur, quòd non sit irregularis. 2. quia irregularis est suspensus ab officio, cuius causa datur beneficium; c. fin. de rescrip. in 6.

45. Noto 1. quòd dicta conclusio procedit etiam in ignorante suam irregularitatem, vt sup. dixi de excommunicato. Ita Comit. loc. cit. num. 1. Riccius 1. par. prax. decis. 185. nu. 374. Auila loco cit. dub. 7. concl. 3. Bonacina de cens. disp. 7. quæst. 1. par. 3. num. 6. Citatur etiam Nauarr. in sum. cap. 25. num. 134. sed ipse loquitur de ignorante suam irregularitatem per ignorantiam crassam, vt se declarat cap. 27. num. 144. Nos autem per probabilem; huiusmodi enim ignorantia non reddit subiectum capax.

46. Noto 2. quòd dictus irregularis eligi non valet, etiamsi præcedat absolutio à censuris per clausulam *Teq; absoluentes*; quia debet fieri expressa mentio de irregularitate secundum Nauarr. in sum. cap. 27. num. 254. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 3. num. 40. In dicta autem clausula non fit nisi tacitè mentio de irregularitate, per illa verba *A pœnis*. Sed tu dic, quòd sufficit ad tollendam irregularitatem ad effectum electionis, quòd præcedat absolutio, siue facta sit à Papa, siue ab alio quocumq; habente auctoritatem dispensandi super irregularitatibus, cum clausula, A censuris, & pœnis; Nam taciti, & expressi eadem est ratio. Et Nauar. non loquitur in illo casu; immò ait Suarez tom. 5. in 3. par. disp. 40. sect. 2. num. 34. quòd summus Pontifex sciens aliquem esse irregularem, si ei nihilominùs dignitatem conferat, censetur ipso facto dispensare.

47. Noto 3. non esse morandum in eo, quòd Prælaturæ regulares non sint propriè beneficia Ecclesiastica, & iura, & DD. cit. de dictis beneficijs loquantur. Nam, vt bene Suar. tom. 4. de relig. cit. num. 24. esto quòd Prælatio regularis non sit propriè beneficium quò ad temporalem annexum, est tamen quò ad ius spirituale circa curam animarum, & in omni rigore est dignitas, vt in cap. 1. de fil. presb.

48. Dico 2. irregularem non posse eligere; Lamber. loco cit. n. 6. Sylu. ver. Electio 1. q. 4. fin. Io: Andr. in cap. Ne pro defectu, de elect. n. 13. Monach. in cap. Is, qui, num. 4. de sent. excom. in 6. vbi glossa fin. Probant ex dicto cap. Is, qui, vbi dicitur. *Is, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem, liberari; & adeò efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum alijs debebit admitti.* Alij autem, vt Suar. tom. 5. de cens. cit. num. 27. Filliuc. to. 1. tract. 19. cap. 3. num. 75. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 1. par. 3. n. 18. Sigismund. de elect. dub. 70. num. 8. Nauarr. in man. cap. 27. nu. 144. dicunt, quòd irregularis nō est priuatus iure eligendi. Probant, quia irregularis non priuatur iurisdictione, ad quam pertinet ius eligendi. Tum quia irregularitas solum priuat ordinum receptione; cap. Curandum, dist. 34. aut vsu iam receptorum; cap. vlt. de temp. ord. & est communis opinio, vt Suar. loco cit. num. 1. & 4. Filliuc. nu. 59. & 61. Tum quia irregularitas non priuat ipso facto dignitate obtenta; cap. Ex literis, de excess. Præl. cap. Fraternitati de cler. exc. Suar. loco cit. num. 15. Filliuc. num. 68. Auila de cens. par. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 4. Tum quia nō priuat administratione dignitatis in ijs, in quibus non est annexum exercitium ordinis, nec iurisdictione fori, contentiosi ex beneficio prouenientе, vt c. In tanta, de excess. Præl. Suar. loc. cit. n. 23. 24. Filliuc. nu. 73. 74. ergo neq; iure eligendi, quod ad ordines nullo modo spectat. Verū ista doctrina mihi placere non potest, propter tex. clarum in dicto cap. Is, qui. Vnum hic aduerto, quod ad hoc vt irregularis à capitulo excludatur, debet esse denunciatus, vt supra dixi de alijs censuris, propter dictam extrau. Ad euitanda, quam puto etiam habere locum in irregularitate per illa verba. *Suspensionis, aut prohibitionis à iure, vel ab homine.*

Lambert. Syluester. Io: Andr. Monach. Suarez. Filliuc. Bonacina. Sigismūd. Nauarrus

§. 4. *Vtrum infames possint eligi ad Prælaturas regulares.*

Sanchez. Penna. Syluester. Lambert. Castelin. Maiolus. Riccius. Bonacina. Azor. Duaren. P. Greg. Parisius. Garcia. Sigismun. Filliucius. Suarez. Borgasius. Barbosa. Tiraq. Gratian. Tabiena. Toletus. Campanil.

49. IDE Sanch. 5. in dec. cap. 5. num. 24. Pen. in l. Infamia, C. de decur. lib. 10. & in l. 2. C. de dign. lib. 12. Syluest. ver. Infamia, quæst. 3. Lambertin. de iur. patr. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 16. Castell. de elect. cap. 11. num. 58. Maiol. de irreg. lib. 3. cap. 1. num. 2. Riccius tom. 1. prax. decis. 676. nu. 4. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 4. num. 11. Azor par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 3. Duar. lib. 4. de benef. cap. 1. P. Greg. de elect. cap 9. à nu. 13. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 3. num. 43. Garc. de benef. par. 7. cap. 8. à num. 38. Sigismund. de elect. dub. 86. Filliuc. tr. 41. cap. 5. num. 14. tom. 3. Suar. tom. 5. in 3. p. disp. 48. sect. 1. num. 16. & sect. 2. num. 2. Borgas. de irreg. par. 6. tit. de infamibus, num. 1. & 3. Barb. de off. ep. par. 2. alleg. 43. num. 19. Auil. de cens. par. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 4. ver. Ex dictis collig. Tiraq. de nob. cap. 28. num. 2. Grat. discep. for. tom. 2. cap. 284. num. 23. Tab. verb. Infamia, num. 11. Tol. in sum. lib. 1. cap. 62. à nu. 1. fino, Camp. in diu. iur. rubr. 11. cap. 18.

Sayrus. Couarruu. Henriq. Salzedo. Nauar.

50. Noto 1. quòd duplex est infamia. Alia iuris, alia facti. Infamia iuris incurritur per delictum, cui à iure, siue ciuili, siue canonico, imposita est infamiæ pœna, & incurritur quando delictum est declaratum per sententiam definitiuam iudicis procedentis siue per modum accusationis, siue per modum inquisitionis, aut per confessionem ipsius rei, in legitimo iudicio, non extra illud, factam; cap. Testimonium, de test. Ita Suar. disp. 48. cit. nu. 6. Filliuc. tract. 19. cap 8. num. 204. ver. Tertia diuisio. Sayr. de cens. lib. 7. cap. 11. num. 3. Barbosa loc. cit. num. 19. Sigismund loc. cit. num. 2. Bonac. cit. num. 2. Sylu. ver. Infamia, q. 5. num. 8. Auil. loc. cit. dub. 5. in princ. Si verò delictũ est occultum, & ius apponat pœnam ipso facto incurrendam, dubitant DD. an dicta pœna incurratur ante iudicis sententiam. Couar. lib. 3. var. cap. 3. num 2. ver. Scribit tamen; Henriq. lib. 14. cap. 5. num. 3. Auil. loc. cit. Salz. ad Diaz, cap. 73 lit. D. Nauarr. in man. cap. 27. num. 248. contra multos, quos refert, & sequitur Sigismund. loc. cit. num. 3. dicunt, quòd non incurritur, sed quòd requiritur omnino notorietas, qua posita, statim incurritur dicta infamia, absq; alia declaratione iudicis; quia, aiunt, sicut fama oritur ex publica bonorum operum notitia, ita & infamia oriri debet ex publica perpetrati criminis notitia. Ego his DD. assentior, quatenus dicunt; quòd infamia non incurritur per delictum occultum; dissentio tamen, quatenus dicunt, quòd data notorietate, statim incurritur ante iudicis sententiam. Existimo enim, quòd infamia iuris numquam contrahatur, nisi post iuridicam declarationem criminis; quòd si crimen sit notorium, iam non est ampliùs infamia iuris, sed facti, unde parit effectus infamię facti non iuris. Atq; ita Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. ver. Sed uerius est: Sanch. lib. 2. in decal. cap. 26. num. 1. Farin. tr. de hær. quæst. 189. num. 56. Sa vers. Infamia, num. 2. Zerol. in prax. par. 1. ver. Priuatio, in princ. & ad 5. Arag. 2. 2. quest. 11. art. 3. col. antep. ver. Secunda, & alij penè innumeri, quos cumulat Garc. de benef. par. 11. cap. 10. num. 8. licèt ipse non sequatur num. 18. Infamia facti est, cum quis committit delictum ita manifestè, & notoriè, vt apud graues, & honestos viros reputetur infamis. Et aduerte, quòd si delictum ita manifestè commissum non habet iure annexam infamiam, quantumuis publicum, & manifestum sit, illam non generat, vt Suar. loc. cit. num. 11. Filliuc. num. 204. Coninck disp. 18. de irreg. dub. 7. num. 57. Sigismund. loc. cit. num. 4 & latè prosequitur Sayr. de cens. lib. 7. cap. 11. num. 14. Ratio desumitur ex cap. Is, qui, de sent. exc. in 6. ubi definitur, quod nulla irregularitas incurritur, quæ non sit determinata in iure; & probat Garc. de benef. par. 7. cap. 8. num. 64. ergo a simili nec vlla infamia, quæ iure non fulciatur.

Farinac. Sa. Zerola. Aragon. Coninck.

Azor. Borgas. Bonacina. Coninck.

51. Si autem quæras, quænam crimina iure ciuili, vel canonico annexam habeant infamiã? adi Maiolum, de irregul. lib. 3. cap. 1. à num. 4. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 3. vers. Sed quinam; Borg. de irreg. par. 6. tit. de infamibus num. 5. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 1. nu. 2. Coninck. loc. cit. num. 56. Adi etiam cap. Infames, 6. quæst. 1. Breuiter dic, quòd infames dicuntur periuri in iudicio, simoniaci, sodomitæ, vsurarij, sacrilegi, duellantes, hæretici, eorumq; fautores, raptores mulierum, apostatæ à fide, lenones, malefici, venefici, adulteri, qui fratres calumniantur, & non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam prouocant, &c. Vide Sayr. loc. cit. num. 10. & P. Greg. de elect. cap. 9. num. 13.

P. Greg.

52. Si etiam quæras, quodnam reputetur delictum sufficienter publicum ad inferendam infamiam iuridicam facti? R. à Suar. loc. cit. nu. 19. & Filliuc. num. 211. tria requiri. 1. quòd personæ habentes notitiam delicti, non sint leues, fatuæ, & malæ opinionis, sed sint viri cordati, prudentes, & bonæ opinionis; non enim sufficit ad istam infamiam inducendam, quòd maleuoli, inimici, inuidi, etiamsi plures sint, vanos rumores spargant contra famam virorũ honoratorum, nam tunc parum nocent. L. 1. §. Præterea, ff. de quæst. cap. Accusatoribus, 3. quæst. 5. Isti n. nec Christo Saluatori nostro pepercerunt, vocantes eum aliquando voracem Io: 9. aliquando dæmoniacum Io. 7. Apostolos vocauerunt ebrios, insanos, Act. 2. & Paulus 2. Cor. 6. in prædicatione euangelij se per bonam, & malam famam currere asseuerabat. Vnde in cap. Sunt plurimi, 6. quæst. 1. dicitur, quòd aliquando etiam viri probi hac infamia laborarunt, quod Deus permittit ad purgandã aliquam culpam, quam hi fortè contraxerunt, audientes ex ore hominum suæ sanctitatis laudes, vel aliam quamcumq; quod contigit Paphnutio, qui furti falsò accusatus fuit. Item & Ephræm, & Marinæ, ac Theodoræ, quæ fornicationis, & sacrilegij falsò insimulatæ sunt. Item S. Romualdo, qui infamis sodomiæ scelere in senectute decrepita accusatus fuit, vt refertur in tract. annexo spec. Relig. Humb. in quo agitur, vbi, & quando suum honorem tueri Religiosus debeat. Quam doctrinam sequuntur Sigismund. de elect. dub. 86. num. 6. ver. Ex hac conclusione. Barbos. cum multis, de

pot.

Diaz.

pot. ep. par. 2. alleg. 43. num. 17. P. Gregor. tract. de elect. cap. 9. num. 14. Diaz. in pract. cap. 151. num 8. Sa in aphor. ver. Infamia, nu. 1. Et notat Diaz loc. cit. quòd quando infamia ortum habuit ab infamibus, & maleuolis, nec pro ea abolenda indicenda est purgatio canonica, nisi in casu, quo scandalum gigneret: ita nu. 9. Cum verò ista purgatio canonica modò in vsu amplius non sit, nec ob humanam malitiam tutum sit ea ampliùs vti, vt notat Salz. ad dictum cap. Diaz in fine, isto casu putarem, quòd in Religionibus, ad consulendum communitati, & indemnitati infamati prospiciendum, Prælatus coram suis fratribus declararet, sparsum rumorem contra famam talis fratris fuisse, & esse falsum, & sparsum ab inuidis, & maleuolis; & hoc puto sufficere ad infirmandā infamiam facti ex hoc capite. Facit pro hoc puncto Lambert. de iur. patr. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 16. num. 5. qui addit, ad id etiam teneri Prælatum, quando infamia à maleuolis orta est, vel dubitatur, cum ignoretur auctor. Secundū, quod requiritur, est, quòd delictum sit publicum, vel in tota communitate, vel in maiori eius parte, ad quam spectet talis cognitio. Cōmunitas autem, vt delictum possit dici publicū, debet constare ex decem saltem personis, vt Nauarr. in sum. cap. 27. num. 255. Angel. ver. Notorium, num. 1. Sylu. eod. quæst. 4. Ita Suar. num. 10. Tertium, quod necessariò requiritur ad inducendā infamiam facti, est notorietas. Ita Auil. de cens. par. 7. disp. 4. dub 5. ante 1. concl. Et ratio est. Quia sicut bona fama fundatur in vera, & reali euidentia bonorum operum; ita & mala debet fundari in reali, & vera euidentia malorum. Pro quo nota, quòd Nauar. in sum. cap. 27. num. 255. ait, quòd publicum est triplex, scilicèt notorium, quod nititur scientia totius, vel maioris partis communitatis. Manifestum, quod nititur fama maioris partis communitatis, orta à scientibus. Et famosum, quod nititur fama maioris partis, orta ex vno sciente, vel indicijs, vel præsumptionibus illi æquipollentibus. Dico itaque, quòd ad hoc vt aliquis debeat dici infamis infamia facti, & pati ea, quæ dicta infamia parit, crimen ab eo commissum debet esse notoriū modo dicto, ita vt tota, vel maior pars communitatis tale delictum viderit, vel singulariter, vel vniuersaliter, iuxta dicta per Mascard. de prob. concl. 806. num. 3. & Farin. par. 1. prax. tract. de indic. & tort. quæst. 47. num. 304. Aut saltem debet esse manifestum. Nec enim adduci possum vt credam, quòd dictum vnius viri, quantumuis existimati probi, possit sufficere ad infamandum alionem infamia facti. Tum quia potest hic existimatus probus, interiùs esse malus, & inimicus infamati, iuxta illud, *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intùs autem sunt lupi rapaces.* Tum quia, si esset probus, delictū occultum fratris non manifestaret, nisi seruata forma euangelij. Tum quia sicut ad aliquem puniendum non sufficit dictum vnius testis, quantumuis grauissimi, vt dixi tom. 2. priu. in const. 3. Greg. XV. à num. 5. iuxta illud. *In ore duorum vel trium stat omne verbum.* Ita non video, quare ad arcendum aliquem à Prælaturis debeat sufficere dictum vnius viri, quantumuis grauissimi, receptum à multis, ex

Nauarr. *Angelus.* *Auila.* *Mascard.* *Farinac.*

quo resultet infamia facti. Nisi fortè dicatur, quòd ista non sit grauissima pœna viris honoratis? Quare in præsenti saltem materia non assentio opinioni illorum, qui dicunt, ad inducendam infamiam facti satis esse, delictum esse famosum; præsertim in Religionibus, & specialissime quando agitur de aliquo eligendo in Prælatum.

53. Si quæras, quomodò probetur illa infamia tam iuris, quam facti? R. quod ad probandam infamiam iuris, non sufficit testibus criminis probatio, sed requiritur proprij oris delinquētis confessio, in iudicio facta, vel iudicis sententia; quia non habetur quis pro tali, nisi fuerit pronunciatum eum esse talem. Ita Farin. 1. par. prax. de delict. & pœn. quæst. 23. num. 33. Et dum prætenditur, aliquem incurrisse hanc infamiam, non sufficit testibus probare, latam fuisse contra eum a tali iudice, tali tempore infamiæ sententiam, sed debet de illa sententia omnino constare. Ita Campanil. in diuer. iur. rubr. 11. cap. 18. num. 8. Barb. de off. Ep. par. 2. alleg. 43. num. 16. vbi addit, non probari dictā infamiam, etiamsi probetur, aliquem ductum esse ad furcas, nisi producatur ipsa sententia. Infamia verò facti probatur per duos testes habiles, etiam singulares, qui sint contestes in specie irrogatæ infamiæ; & debent dilucidè probare factum, ex quo infamia orta est, cap. Præsentium, §. Testes, de test. in 6. cap. Vt circa, de elect. in 6. Nec sufficit dicere, quòd de hoc sit fama publica in tota communitate, quia de voce populi curandum non est, l. Decurionum, Cod. de pœn. cap. Osius, de elect. Sed debent reddere rationem sui dicti, & nominare, auctores à quibus id audierunt. Ita Farin. par. 1. prax. tract. de ind. & tort. q. 47. à num. 302. Mascar. de prob. concl. 896. per totam. Hi autem nominati debent examinari, & interrogari à quo tempore orta fuerit hæc fama, & qua de causa, vt notat Ghisilet. de iud. reg. cap. 16. num. 91.

Campanil. *Barbosa.* *Ghisler.*

54. Dico 1. Infamis tam infamia iuris, quam facti, est ineligibilis ad Prælaturas regulares; quod si eligatur, electio est ipso iure nulla. Ita Auila de cens. par. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 4. ver. Ex dictis sequitur: Sylu. ver. Infamia, q. 10. num. 15. & quæst. 3. num. 4. Angel. eodem, num. 3. & 9. Tab. eodem num. 11. P. Greg. de elect. cap. 9. num. 11. & tract. de benef. cap. 17. num. 9. Archid. in cap. Testes, num. 8. 2. quæst. 7. Abb. in cap. Querelam, de iur. iur. num. 3. vbi Felin. num. eod. Rom. sing. 510. Penna in l. Infamia, col. 2. Cod. de decur. lib. 10. Lambertinus de iur. patr. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 16. num. 3. Suarez. tom. 2. de religion. tract. 5. lib. 3. cap. 20. num. 17. Sigismund. de elect. dub. 86. num. 5. Castell. de elect. cap. 12. num. 38. Campanil. in diuer. iur. rubr. 12. cap. 18. num. 1. Iac. A. S. Georg. in l. Testium fides, §. in lege Iulia, num. 25. ff. de test. Henriq. lib. 14. cap. 5. num. 7. Constat 1. ex reg. 86. Infamibus, de reg. iur. in 6. vbi dicitur, *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* cap. Infames, 6. quæst. 1. cap. Cum in cunctis, de elect. cap. Laici, dist. 33. cap. vlt. iuncta glossa, ver. Infamia, de furtis; cap. Qui in aliquo, iuncta glossa, ver. Infamis, dist. 51. l. 2. Cod. de dignitat. lib. 12. & l. Infamia, Cod. de decur. lib. 10. Constat 2. quia infamia

Auila. *Syluester.* *Angelus.* *Tabiena.* *P. Gregor.* *Archid.* *Abbas.* *Felinus.* *Romanus.* *Penna.* *Lambertin.* *Suarez.* *Sigismūd.* *Castellin.* *Campanil.* *A S. Geor.* *Henriq.*

Garcia. *Barbosa.* infamia facit irregularem; Garc. de benef.par. 7. cap. 8.num.44.vnde nec possunt ordines suscipere; Campanil. loc.cit.num.1.Barb. de pot. ep. alleg. 43. num. 29. neq; in susceptis ministrare; Campanil.num. 7. vers. Hæc autem, & num. 21. Sylu.cit.quæst. 3.nu.6.Ang.cit. §. 3. & *Speculator* 8. Tab. §. 4. Specul.lib.1.tit. de disp. §. 4. num. 18. Sed collatio beneficij facta irregulari est nulla, vt dictum est §. 3. num. 44. 3. quia infamatus infamia iuris modo declarato num. 50. est ipso facto priuatus dignitatibus vt Sylu. ver. Infamia, quæst. 10. num. 15. Ang. eod. num.9. Tab. §. 4. Garc. loc. cit. num.33. Barb. num.19.

55. Dico 2. infames tam iuris, quàm facti, modis supradictis, non possunt eligere. Ita Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 48. sect.3. num. 2. fine; Sigismund. loc. cit. num. 7. Gloss. in cap. Vt circa, ver. Eligentium, de elect. in 6. Prob. ratione dictæ gloss. quia infamibus sunt interdicti actus legitimi; l. Actus, ff. de reg. iur.cap. Scisitatus, de rescr. cap. Infamis, 3. quæst. 7. Pen. l. 2. in fine, Cod. de dign. lib. 12. sed eligere est actus legitimus,cap.Solet, de sent. exc. in 6. fine. Contrarium tamen censet Lamber. loc. cit. Sed intellige,quando infamia non fouetur iure, vt declarat Sigism. loc.cit. num. 8.

§. 5. *Vtrum aleatores, & ebrij sint eligibiles ad Prælaturas Regularium.*

56. DICO 1. publicus aleator est ineligibilis ad Prælaturas regulares; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. *Riccius.* Ita Ric.2.p. prax.resol.119. *Paris.* nu.2. Paris. de resig. lib. 4. *Panorm.* q. 3.num.67. Panor.in cap. Inter dilectos, de excess. Prel. num. 6. Tab.ver.Ludus,num.7. Castell.de elect. cap. 4.num.58. P. Greg. de elect. cap. 12. num.4. & cap.9. num.22.& lib. 39. synt. cap. 3. num.14.Farin.in prax.par.3. quæst.109.num. 96. *Menoch.* Menoch.de arb.lib.2.casu 399. num.3. Barb. de *Maiolus.* pot. ep. par. 2. alleg. 43. num. 11. Maiol. de *Diaz.* irreg. lib. 3. cap.1. num. 7. Diaz in pract. cap. *Medices.* 72.num.2. Campanil. in diu.iur.rubr.4.num.32. Medic. in sum. pec. capit. tit.7. de gula, quæst. 13. Prob. 1. ex cap. Inter dilectos, de excess. Prel. iuncta glossa ver. Aleatorem, & ex cap. Clerici, de vi.& hon. cler. elect. 2. & ex cap. Episcopus, dist. 35. qui canones innouantur in concil. Trid. sess.22. de refor. cap.1. ibi, *vt quæ aliàs*. & sess. 24. cap. 12. de refor. ibi, *ab illicitis*. 2. Prob.quia tales publici lusores reputantur infames, vt dixi supra hac quæst. cap. 2. §. 5.num.93.& vt tales priuantur sacra commu- *Henriq.* nione, Menoch. loc. cit. num.6. Henriq. lib.8. *Duarenus.* cap. 56.num.4. & quòd priuati sacra communione sint infames, Duaren. lib. 4. de benef. cap. 1. fine.

57. Dixi, Publicus aleator, 1. ad significandum, quòd conclusio intelligitur de eo, qui consuetus est ludere, non de eo, qui vna, aut aliquibus vicibus lusisset, vt colligitur ex illis verbis cap. Episcopus cit. *deseruiens, & definat*, nec dicitur publicus aleator, nisi sit *Farinac.* consuetus ludere; Abb. in cap. Clerici; elect. 2. cit. num. 11. Menoch. loc. cit. num. 19. Farin. cit. num. 102. 2. quia electio secreti aleatoris non est ipso facto nulla, potest tamen irritari, si monitus non resipiscat, vt dicunt omnes DD. cit. & probat cap. Episcopus, dist. 35. & docet etiam P.Damian.lib. 1. ep.10.ad Alex. II. *Prasertim cum canonica decernat auctoritas, vt aleatores Episcopi deponantur.* Quod dictum intelli- *P. Dami.* ge vel de secreto aleatore,vel de eo, qui habena beneficium, aleis etiam publicè ludit; nam non est priuatus ipso facto, sed priùs monendus est, vt Abb. loc. cit.& Lambert. de iure patr. lib. 3. quæst.2. ar. 9.num.10. par. 1. Farin. loc. cit. vbi plures. Et quòd pœnæ contra aleatores inflictæ multò magis habeant locum in Religiosis, Farin.loc. cit. num. 98.

58. Dico 2. vino deditus, & inebriare se consuetus, ineligibilis est ad Prælaturas regularium, quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. *Cenedus.* Cened.collect.33.ad decretum, num. 4. Aldret. *Aldrete.* de discipl. tuend. lib. 2. cap. 25. num. 40. Barb. *Barbosa.* de off. ep. par. 2.alleg. 28. num. 11. & in cap. A *Menochi.* crapula, de vi. & hon. cler. num.2. Menoch. de *Salzedo.* arb.lib.2.casu 404.num.4.Salz.ad Diaz,cap. 81. *Rebuffus.* ver. Vnde consuetus. Rebuff. in praxi, tit. de *Hostiens.* cler. ad sac.ord.mal. prom. gloss. 4. nu.5. Host. *Sayrus.* in sum. lib.1. tit. de temp.ord.num.17. Sayr. de *Tabiena.* cons.lib.5.cap.31 nu.12. Tabien. ver. Ebrietas, *Maiol.* §. 5. Maiol de irreg. lib. 5. cap. 3. num. 1. Spe- *Speculator* cul. lib.1.tit. de dispens. §. 4. num. 6. P. Greg. *P.Gregor.* de elect.cap.12.num.3 & lib. 39.synt. cap.8. Si- *Sigismun.* gismund.de elect.dub.89.num. 8 Medic.in sum. *Medices.* pec. cap. tit. 7.de gula, quæst. 13. Gutier. can. *Gutierr.* quæst. lib.2. cap. 4.num. 65.

59. Prob.1.ex cap. A crapula, de vi. & honest. cler. & cap. Episcopus dist. 35. Qui canones innouantur in concil.Trid.sess. 22. de refor. cap.1. & sess.24. cap. 12.eod. tit. Quibus cap.licet solùm dicatur,quòd clericus ebrietati deditus, nisi monitus destiterit, officio, vel beneficio priuetur; quia tamen magis est, aliquem officio priuare, quàm ad illud non assumere, iuxta illam reg. Facilius abdicatur à nobis iua quærendum, quàm ius quæsitum. l. Si sponsus, §. Si maritus,ff de donat.int.vir.& vxo. Quam regulam ad hoc probat Abb. in cap. Super eo, *Abbas.* de elect. num.2. Campanil. in diu.rubr.11. cap. *Campanil.* 17. num. 171.Lambertin. de iur. patr.par. 1. lib. *Lambert.* 2.quæst.9.art.16.num.3. & art. 15.num. 4.& art. 23.num.3.qui ad id etiam adducit illud ex cap. Quemadmodum, de iur. iur. Turpiùs eijcitur, quàm non admittitur hospes. Ideo dixi, quòd non potest ebrius ad dignitates assumi. Et quia per easdem regulas facilius est assumptum ante confirmationem deijcere, quam post; ideo etiam dixi,quòd electio ex illo cap. est ipso iure nulla.

60. 2. Prob. quia pari passu currunt ebrius, & aleator, vt constat ex cap. Episcopus, d. 35. vbi æquiparatur clericus ebrius clerico lusori; ergo eodem modo de vtrisq; dicendum est; sed de lusoribus diximus,quòd ineligibiles sunt,& electio nulla; ergo etiam de his.

61. 3. Prob.quia ebrius est irregularis. Gutier. can.quæst.lib. 2. cap.4. num. 80. Spec. lib. *Borgasius.* 1. tit. de dispen.§. 4. num.6.Borg.de irreg.par. *Rebuffus.* 2. quæst.7. num. 38.Rebuff. in prax.tit. de cler. *Barbosa.* ad sacr. ord. male prom.glos.4.num.8. Barbos. *Conszen.* loc.cit.Contx. lib. 6. pol.cap. 10. §. 7. Et prob. ex cap. Episcopus iuncta glossa in sum. dist. 35.

Quod

Quòd cap. fuit desumptum ex canonibus Apostolorum, can. 42. 43.

62. 4. Prob. ex cap. Inter dilectos, de excess. Præl. in quo dicitur, quòd personis vilibus portæ patere non debent dignitatum. At ebrij personæ viles sunt, vt constat. Tum quia reputantur infames, vt dicit Mol. tract. 2. de inst. disp. 159. ver. Nihilominus; vnde etiam excluduntur à testimonio ferendo. Farin. lib. 2. cons. cons. 141. num. 4. Mascat. de prob. concl. 580. A. Gabriel. comm. op. lib. 4. tit. 10. de test. num. 154. Gutier. loc. cit. num. 109. Tum quia ebriosi omni vitiorum genere sunt cõspurcati, vt in cap. Ante omnia, dist. 35. Tradit Campanil. in diuers. iur. rubr. 4. num. 7. Et valet consequentia, Ebriosus est, Ergo luxuriosus; cap. Luxuriam, dist. 35. cap. Venter; cap. Luxuriosa, d. ead. vnde 1. Cor. 5. vetatur cum his, tamquam infamibus, vilibus, & scandalosis, cibum sumere; & habetur in cap. Ad mensam. tr. quæst. 3.

Molina. Farinac. Mascard. A. Gabr.

63. 5. Prob. ex 1. ad Tim. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, non neophytum.* Quas conditiones sic concludit Host. in sum. lib. 1. de temp. ord. §. Et cui, num. 7.

Hostiensis.

Primùm præcipitur, quod sit sine crimine Præsul.
Monogamus, sobrius, prudens, ornatus, & hospes.
Casta docens, non percussor, non litigiosus.
Non cupidus, bene dispositus, non neophytus sed.
Talis apostolica quod præsit regula iussit.

Quas ipse conditiones sigillatim prosequitur, & Barb. par. 1. de off. ep. tit. 2. à glos. 3. vsq; ad finem. Contz. 6. pol. cap. 10. à § 4. Maiol. de irreg. lib. 5. à cap. 1. Raym. in sum. lib. 3. de qual. ord. à § 1.

Barbosa. Contzen. Maiolus. Raymund.

64. 6. Prob. ex l. Omne delictum, §. Per vinum, ff. de re mil. vbi miles terrestris militiæ ebriosus exauctoratur, & militia priuatur. Ergo multò magis miles cælestis militiæ ebriosus eligi non potest; &, si eligatur, statim est deponendus. Hanc l. ad hoc propositum afferunt P. Greg. lib. 39. synt. cap. 8. num. 3. Abb. in cap. A crapula, de vi. & hon. cler. num. 3. Gutier. lib. 2. can. quæst. cap. 4. num. 61. Menoch. de arb. lib. 2 casu 404. num. 5. quem adi casu 405. si cupis scire, qua pœna puniẽdus sit qui ob ebrietatem sacram Eucharistiam euomit. Et vide etiam casu 406. si optas scire, qua pœna puniendus veniat, qui ante dormitionẽ missam celebrauit. Et denique, si scire desideras, qua pœna puniatur sacerdos celebrans nõ ieiunus, adi Gutier. loc. cit. à num. 75.

P. Gregor. Abbas. Gutierr. Menoch.

65. Noto 1. quòd dixi in conclusione, Se inebriare consuetus; Ad excludendos eos, qui semel, aut aliquibus vicibus inebriantur. Quod significat nomen Vinolentum, vt declarat Grat. in princ. dist. 35. Quare pœnæ inflictæ in Ordine nostro contra vinolentos in Correct. num. 55. non habent locum, nisi in vinolentia consuetudinaria, & affectata, vt extitit declaratum per const. 17. Iulij II. §. 10. tom. 1. nostr. priu.

Gratian.

66. Noto 2. quòd Prælatus habens dignitatem ante ebrietatem acquisitam, si se inebriet, non potest statim ea dignitate priuari, sed debet priùs moneri bis, aut ter coram fratribus, vt se abstineat. Quòd si, dictis monitionibus peractis, adhuc perseuerauerit, poterit, & debebit Prælatura priuari. Ita in cap. Sacerdos, d. 35. & in cap. A crapula, de vit. & hon. cler. vbi Abb. num. 3. Host. in sum. loc. cit. num. 17. Tab. ver. Ebrietas, §. 5. P. Greg. loc. cit. num. 3. Gutier. cit. num. 65. 66. Et in nostro Ordine id expressis verbis statuitur dicto num. 55. Ethaduerte, quòd debet constare de dicta monitione super vinolentia, ad hoc vt possit Prælatus deinde, non secuta correctione, iuridicè procedere contra dictum vinolentum. Et hic modus procedendi in casu vinolentiæ seruandus est tam contra Superiores, quàm contra subditos. Aduerte etiam, quòd dicta admonitio debet fieri, etiamsi Religiosus sit solitus inebriari, vt Archid. in cap. Episcopus, d. 35. num. 1. & constat ex nostro Correct. loc. cit. Si dicas, quomodò potest esse, quòd electio ebrij sit ipso iure nulla, & quòd debeat bis, aut ter moneri post adeptam dignitatem? R. à Lamber. de iur patr. p. 1. lib. 2. quæst. 9. ar. 15. num. 4. quòd id est, quia faciliùs abdicatur à nobis ius quærendum, quã ius quæsitum, vt dictum est.

Abbas. Hostien. Tabiena. P. Greg. Gutierg. Archid. Lãbertin.

67. Si quæras quomodò probari possit ebrietas ad aliquem de ea condemnandũ? R. quòd videndus est de hoc Gutier. loc. cit. num. 113. Rodriq; tom. 2. quæst. reg. quæst 37. art. 2. Mascar. de prob. tom. 1 concl. 579. Pen. in l. 1. Cod. de erog. mil. ann. lib. 12. col 3. qui omnes concludunt, quòd difficilè probari potest ebrietas; & quòd testis super ebrietate deponens, etiam non interrogatus, debet reddere rationem sui dicti. Afferunt tamen aliqua signa, ex quibus cognoscitur ebrius. 1. est ex facie rubea inflammata vltra solitum, ex qua, ait Mascar. quòd Romani Imperatores ebriosos milites cognoscebant, & ex oculis scintillantibus, & lacrymantibus aliquando. 2. ex locutione, vt si plus solito, & insolita, & inordinata loquatur. Item si arcana referet; si balbutiendo, & cũ difficultate loquatur. 3. si cassabundus incedat. 4. si nimium bibere solitus sit, & vltra consuetudinem biberit. 5 si stupeat, vel nimium rideat, absq; causa, vel in furiam vertatur, vel mingat inuoluntariè. Videatur Barb. par. 1. de pot. Ep. tit. 2. glos. 1 in num. 6. Alia ebrietatis signa ponit Arist. sect. 3. probl. num. 9. quòd omnia ebrijs circumferri videantur; & quòd ea, quæ procul sunt, enumerare nequeant, num. 20. quòd vna res plures esse videatur, num. 10. quòd tremunt, num. 25. & solis calore gaudeant, num. 18. quòd sunt ad lacrymandum propensiores, num. 13. & alia, quæ Arist. tota illa sect. 3. Gal. lib. 2. de motu muscul. cap. 4. tom. 1. dicit, quòd ebriosi signa sunt, si supinus dormiat, hiet, stertat; & lib. 10. de simpl. med. facul. tit. Cohel. fel. tom. 5. dicit, quòd ebrijs vrina albida est.

Rodriq. Mascard. Penna. Barbos. Aristotel. Galenus.

68. Et si cupis curiose scire, quid ab ebrietate præseruet, vide Arist. sect. 3. probl. cit. in fine, vbi ait, quod oleum sorbitum ab ebrietate præseruat, & valet ad vinolentiam arcendam. Gal. lib. 2. de comp. med. secund. loc. post. med. tit. Archigenis, de ijs tom. 5. dicit, quòd Amethista ab ebrietate præseruat; & lib. 3. de med. facilè par. cap. 108. dicit, quòd si quis tutus vult esse ab ebrietate, edat folia rutæ, quorum esus etiam valet ad arcendum dolorem capitis, ex nimia ni potatione prouenientem. Et subdit, quòd ebrietate non tentatur, qui priùs aut septem,

Cato.

tem, aut nouem, aut vndecim amaras amygdalas ederit. Et qui pulmonem ouis elixum ieiunus ederit, quantumuis bibat, ebrietatem non sentiet. Et Cato lib. de re ruit, cap. 156. ait, quòd *si voles in conuiuiis multum bibere, cœnareq; libentor, ante cœnam esto crudam* [brassicam] *quantum voles ex aceto. Et item, vbi cœnaueris, comesto aliqua folia; reddent te quasi nihil ederis, biberisq; bibesq; quantum voles.*

69. Si quæras etiam, an lusores, & ebrij habeant vocem actiuam in electionibus? ℟. cum constet per supradicta, quòd dicti sint irregulares, & existimentur infames, philosophandum de ijs est, sicut de irregularibus, & infamibus. Vnde puto, quòd lusores non possint habere vocem actiuam, quia talis infamia videtur esse expressa in cap. Inter dilectos, de excess. Præl. quatenus vocantur Prælaturis indigni, & personæ viles. Et videtur posse argui ab indignitate passiua ad actiuam; quid enim boni sperari potest à tam indigna, & vili creatura? Et qui sibi nequam est, quomodò curabit ea per boni Prælati electionem, quæ ad Ecclesiam Dei spectant? Quò verò spectat ad ebrios: verè isti nō videntur priuati secundum ius commune à voce actiua præstāda tempore sobrietatis; per cap. Quamuis, 7. quæst. 1. Quod caput licet loquatur de furiosis, & patientibus lucida interualla, intelligitur tamen etiam de ebrijs, qui furiosis æquiparantur secundùm communem DD. Et colligitur ex cap. Venter, d. 35. vnde hos posse eligere extra tempus ebrietatis, docet

Sigismūd.

Sigism. de elect. dub. 89. num. 8. Sed in Ordine nostro aliter dicendū est; nam eo ipso quòd quis iuridicè damnatus est de ebrietate, est perpetuò priuatus voce capitulari, vt constat ex Correct. num. 55. Per vocem autem capitularem intelligitur vox actiua, & passiua, vt declaratū

Passarell.

est in cap. Genuen. 5. num. 17. Et firmat Passar. in schol. ex dicto cap. dicto num. 17. Et aduerte, quòd non possunt rehabilitari per vllum capitulum, etiam generale, nam super perpetuis priuationibus non habent capitula generalia auctoritatem.

70. Ad vltimum nota, quòd pro morientibus in ebrietate Ecclesia non orat, si erat assidua, quia existimatur culpa mortalis; cap. 1. de reliq. & ven. SS. cap. Pro abeuntibus; 13. quæst. 2.

P. Gregor.

Dicit P. Greg. lib. 39. synt. cap. 8. num. 2. Et 1. Cor. 6. *Ebrij regnum Dei non possidebunt.*

§. 6. *Vtrum circa fidem maculati possint eligi ad Prælaturas regularium.*

Sigismun. Miranda. Rodriq. Portel. Campanil. Garcia. Lambert. Sanchez. Parisius. Passarell. Bonacina. Auila. Diaz. Salzedo.

71. IDE Sigimund. de elect. dub. 82. & 83. Mirand. tom. 2. man quæst. 1. Rodriq; to. 1. qq. reg. quæst. 14. Portel. in dub. reg. ver. Electio, n. 11. & in add. ver. Nouitius, à num. 19. Campanil. in diuer. iur. rub. 11. cap. 26. à num. 5. Garc. de beneficio par. 11. cap. 10. à num. 59. Lambert. de iur. patr. par. 1. lib. 2, quæst. 9. art. 6. Sanch. lib. 2. in dec. cap. 26. 27. Paris. de resig. lib. 4. quæst. 3. à num. 14. Passar. in schol. ex Genuen. num. 31. & in not. priu. cap. 29. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 7. à num. 1. Auil. de cens. par. 7. disp. 4. dub. 2. à concl. 2. Diaz in pract. cap. 116. vbi Salz. Maiol. de ir. reg. lib. 5. cap. 46. Farin. de hær. quæst. 189. §. 6. à num. 70. & quæst. 191. §. 2. à num. 44. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 43. sect. 1. 2. & 3. Pegna in direct. in q. comm. 162. 163. 164. P. Greg. de benef. cap. 26. num. 5. Sanctar. de hær. cap. 33. & cap. 34. dub. 1. & 2. Ricciul. de iur. pers. lib. 5. cap. 19. Barb. in cap. Ad abolendam, de hær. num. 5. & 6. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. Sayr. in clau. reg. lib. 3. cap. 9. num. 30. vers. Sic etiam; Nauarr. lib. 5. cons. cons. 22. de hær.

Maiol. Farinac. Suarez. Pegna. P. Greg. Sanctar. Barbosa. Azor. Sayrus. Nauarrus

72. Dico 1. hæreticus ineligibilis est ad Prælaturas regularium; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. Nec solùm ipse hæreticus est ita ineligibilis, sed etiam eius receptatores, fautores, defensores. Sanch. cit. cap. 26. num. 4. Pegn. cit. com. 162. ver. Ad hæc. Farin. cit. q. 189. num. 71. 73. 74. P. Greg. & Sayr. loc. cit. Lambert. num. 7. Sanctar. cit. cap. 33. dub. vn. num. 4. Prob. 1. ex tex. claro in cap. Quicunq; §. Hæretici, de hær. in 6. & ex cap. Statutum el. 2. eod. tit. & lib. Tum quia 2. hæretici sunt excommunicati; cap. Nouerit, de sent. exc. cap. Achatius; cap. Audiuimus, 24. quæst. 1. cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus, 1. & 2. de hær. cuius absolutio est reseruata Papæ in bulla cœnæ. Plura Farin. de hær. quæst. 92. §. 1. n. 1. Sanctar. de hær. cap. 3. num. 1. Tum quia sunt extra Ecclesiam; c. Excommunicamus, elect. 2. c. Vergentis, de hær. vnde non admittuntur ad acquirendas dignitates ecclesiasticas; non enim debent aliquid Ecclesiæ catholicæ possidere, qui extra illam sunt; cap. Quo iure, §. Legantur, d. 8. cap. 1. & 2. 23. quæst. 7. & de his, qui foris sunt, nihil ad nos. Tum quia sunt infames; cap. Infames, 6. quæst. 1. cap. Alieni, 2. q. 7. Probant Sanctar. loc. cit. cap. 25. dub. 2. num. 10. Ricciul. de iur. pers. lib. 5. cap. 20. per totum. Farin. cit. q. 189. §. 4. à num. 40. Sanch. 2. in decal. cap. 26. num. 1. Tum quia sunt irregulares; cap. Saluberrimum, cap. Conuenientibus, 1. q. 7. cap. Nos consuetudinem, d. 12. Probant Suar. de cens. disp. 43. sect. 1. num. 2. Auil. de cens. p. 7. disp. 4. dub. 2. concl. 2. Sanctar. cit. cap. 25. dub. 1. num. 1. & 2. Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 26. num. 1. Sanch. cit. c. 25. nu. 2. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 7. num. 1. Farin. cit. num. 43. ver. Et hinc; & quæst. 192. §. 5. num. 67. Garc. de benef. par. 11. cap. 10. num. 81. Tum quia sunt ipso facto priuati dignitatibus, quas possident, quocumq; tempore obtentis; cap. Vt cum ips, ver. Priuandi, de hær. in 6. Ergo multò magis obtinendis, per dicta nu. 59. Sanch. cit. cap. 26. num. 6. Ricciul. num. 8. Sanctar. cap. 33. num. 1. & 2. Farin. quæst. 189. num. 69. Camp. num. 6. Barb. in cap. Ad abolendam, de hær. num. 5. & 6.

73. Noto 1. quòd conclusio intelligitur tam de hæreticis manifestis, quàm de occultis, iuxta dicta sup. de excommunicatis. Docet Farin. loc. cit. num. 72. Sanch. cit. cap. 25. num. 2. & 15. Bonac. loc. cit. num. 3. Suar. de cens. disp. 43. sect. 1. num. 4. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 7. Sanctar. cap. 3. num. 7. & 8. Dixi, occultis, non mentalibus, hos enim non puto esse excommunicatos, nisi signum aliquod exterius interioris hæresis natura sua manifestatiuū exprimant. Vide pro hoc Farin. de hær. q. 191. §. 3. à nu. 4. Garc. de benef. par. 11. cap. 10. à nu. 91.

74. No-

74. Noto 2. quòd conclusio intelligitur etiã post publicam hæretici emendam. Suar. loc. cit. num. 2. Sanch. 2. in dec. cap. 25. num. 2. Maiol. de irreg. lib. 5. cap. 46. num. 1. Campanil. in diu. Iur. rubr. 11. cap. 26. num. 3. Spec. lib. 1. tit. de dispen. num. 16. ver. Secundo. Garc. loc. cit. num. 81. Ricciul. lib. 5. cap. 18. num. 1. Triõ. de pecc. cler. lib. 2. par. 1. requis. 15. num. 79. Constat ex cap. Conuenientibus §. Ex hac auctoritate, 1. quæst. 7. cap. Nos consuetudinem, d. 12. Qui DD. & tex. concludunt etiam de ordinibus, ita vt qui lapsus est formaliter in hæresim, siue occultè, siue manifestè, etiam post absolutionem remaneat irregularis, non solum quo ad recipiendas dignitates, sed etiam quò ad recipiendos ordines, & etiam quò ad exercendum eos ipsos, quos habet. Vide Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. p. 7. à num. 6. Et nota, quod anno 1626. 1. Octob. exijt decretum, quod refero tom. 1. priu. in const. 9. Pauli V. num. 29. de mandato Vrb. VIII. quo cauetur, Regulares pœnitentiatos à S. Inquisitionis officio, Inhabiles esse ad dignitates, etiamsi pœnitentias compleuerint, & rehabilitatio reseruatur Papæ, vel Congregationi coram eo habendæ. Quod prius in Ordine nostro fuit decretum in cap. Val. 4. nu. 45 & confirmatum Auen. 1. num. 18. & innouatum Genu. 5. n. 29. Et propterea aduertunt Pegna in direct. inquis. par. 2. comm. 65. col. 3. ver. Illud. hoc loc. Farinc. de hær. quæst. 193. num. 69. Vecch. de nouit. disput. 3. dub. 16. num. 1. quòd pœnitentes hæretici, sine dispensatione Papæ Religionem intrare non possunt. Quod probant ex Concil. Narbon. cap. 18. vbi ea redditur ratio. Ne per tales Religionis simplicitas corrumpatur. Quod tamen limitat Vech. Nisi ante sententiam tacti dolore cordis, Religionem petant; nam tunc dispensatione nõ egent. Et aduerte, quòd hæc procedunt in conscientia, etiamsi nihil exteriùs feratur, vt ex dictis DD. colligitur, & tenet Portel. add. ad dub. reg. ver. Nouitius, num. 2.

Speculator

Triones.

Pegna;

Vechius.

Portel.

75. Dico 2. Filij hæreticorum, fautorum, receptatorum, & defensorum vsq; ad 2. generationem per lineam paternam, & vsque ad primam, per lineam maternam, sunt ineligibiles ad Prælaturas Regularium. Quòd si nihilominùs eligãtur, electio est ipso iure nulla. Quod est dicere, quòd quando sola mater est hæretica, soli filij, non nepotes, sunt ineligibiles, si autẽ pater sit hæreticus, non solum filij, sed & nepotes ineligibiles sunt, nepotes, inquam, ex filio, non ex filia, quia patris conditionem sequuntur, vt declarat Sanch. 2. in dec. cap. 27. num. 2. Ita Farin. de hær. quæst. 191. §. 2. à num. 48. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. ver. Quod autem dicitur. Pegna in direct. inquis. par. 3. comm. 163. & comm. 164. in princ. Auil. de cens. par. 7. disp. 4. dub. 3. concl. 1. Sanctar. de hær. cap. 34. dub. 2. num. 12. Suar. de cens. disp. 43. sect. 3. no. 1. Garc. de benef. par. 11. cap. 10. à num. 72. Maiol. de irreg. lib. 5. cap. 46. num. 5. Camp. in diu. Iur. rub. 11. cap. 26. num. 7. & 8. Ricciul. de iur. pers. lib. 5. cap. 19. num. 2. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 7. num. 9. Lambert. de iur. patr. par. 1. lib. 2. quæst. 9. art. 6. fine. Gomes. vac. to. 3. c. 2. nu. 4. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. nu. 123. Nauar. in man. cap. 27. num. 206. Constat ex cap. Quicunq; §. Hæretici; ex cap. Statutũ, el 2. & ex cap. Vt cum ipsi, de hær. in 6. vbi ad literam nostra conclusio.

Gomesius;

Lessius.

Nauarrus

76. Noto 1. quod conclusio intelligitur, tam de filijs legitimis, quam illegitimis; vbi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Farin. loc. cit. num 54. Sanch. cit. num. 1. Glossa in cap. Statutum, el 2. ver. Volumus, de hær. in 6. Pegna loc. cit. com. 163. col. 2. ver. In hac quæst. vbi eam reddit rationem; Quia aliàs melior esset conditio illegitimorum, quam legitimorum, & maius priuilegium haberet luxuria, quam castitas. Ita etiam Couar. lib. 2. var. cap. 8. num. 3. Auil. loc. cit. ver. Præterea, Ricciul. cit. cap. 30. num. 1. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 4. vers. Si quæras. Campanil. cit. num. 11.

Couar.

Azor.

77. Noto 2. quòd filij eorum, qui sunt reconciliati Ecclesiæ, & in tali reconciliatione recesserunt, non comprehenduntur in nostra concl. Ita in cap. Statutum, el 2. de hær. in 6. & declarauit Honor. IV. in sua 2 const. Exhibita, apud Cherub. tom. 1. bull. pag. mihi 125. Atq; ita Farin. loc. cit. num. 64. Less. num. 124. Suar. cit. Sanch. cit. num. 21. Garc. cit. num. 72. Auil. loc. cit. vers. Nihilominùs. Eos tamen reconciliatos ad hunc effectum non dicas, qui catholici licet obeant, traduntur tamen brachio seculari comburendi, eo quòd relapsi sunt; Nam hi præsumuntur decedere in eadem hæresi; & solùm fictè ad fugiendam viuæ combustionis pœnam illi abiurasse. Ita Sanch. loc. cit. num. 24. Azor loc. cit. ver. Si roges; & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3. vers. Dubiæ etiam quæst. est. Sigismund. de elect. dub. 82. num. 7. Auil. loc. cit. Farin. loc. cit. num. 65. Sanctar. de hær. cap. 34. dub. 2. nu. 16. Suar. cit. sect. 3. num. 4. Pegna cit. comm. 164. col. 2. ver. Oppositam. Glossa in cap. Statutum, el 2. de hær. in 6.

Cherubin.

Sigismun.

Sãctarell.

78. Et si cupis scire, quis sit hæreticus relapsus, vide cap. Ad abolendam, §. illos quoque; & cap. Excommunicamus 1. §. Adijcimus, de hær. vide etiam Eymer. 3. par. direct. num. 150. vbi Pegna comm. 38. col. 6. Salz. ad Diaz, cap. 116. ver. De qua abiur. Et ex his conclude, quòd hæreticus relapsus est, qui hæresim de vehementi abiurauit, & deinde ad eamdem, vel aliam hæresim reuersus est. Seu qui de hæresi grauiter infamatus, coactus fuit de ea se purgare tamquam vehementer suspectus, si postea deprehendatur, in eamdem hæresim, de qua se purgauit, incidisse, est verè relapsus. Si autem in aliam hæresim, de qua non se purgauit, inciderit, relapsus non est.

Eymericus

Pegna.

Salzeda,

79. Noto 3. grauissimam esse quæst. inter DD. an filij nati ante paternam hæresim, comprehẽdantur in nostra conclusione; quam difficultatem fusissimè tractat Sanch. 2. in decal. cap. 27. à nu. 6. Breuiter, puto comprehendi. Tum propter illud Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, & zelotes, visitans iniquitatem* (hæresis) *patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum.* Tum quia in cap. Statutum, el. 2. de hær. dicitur, quòd filij hæreticorum, quorum parentes hæretici decesserunt, afficiantur dictis pœnis, ergo ad eas incurrendas satis est, quòd pater hæreticus decesserit; &, cum non distinguat de natis ante, vel post hæresim, nec nos distinguere debemus; l. 2. ff. de off. præsid. præsertim in fauorem fidei. Tum quia filij

Sanchez.

hij sunt quid patris, vnde magis cruciantur patres pœna filiorum, quam propria, vt expresse dicitur l. ifti quidem, ff. de eo quod met. caus. Tum quia filij parentum mores imitari solent, vt probant illi versus Naz. ad Nicob. tom. 8.

Nazianz.

Gloria namq; patri natorum fama, decusq;
Vt rursus natis est gloria fama parentum:
Gratia communis, labes communis vtrisq;

Et constat ex l. Quisquis, §. Filij, Cod. Ad legem Iuliam maiest. Tum quia hoc videntur merito iussisse legislatores ob atrocitatem delicti in hæreticorum odium, vt colligitur ex eadẽ l. Atq; ita hanc sententiam defendunt Farin. loc. cit. nu. 52. 57. Suar. de cens. disp. 43. sect. 3. num. 8. Couar. lib. 2. var. cap. 8. num. 5. vers. Tertiò, Gom. tom. 3. var. cap. 2. num. 16. vers. Sed his non. Ricciul. de iur. pers. lib. 5 cap. 3. num. 28. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. vers. Octaua pœna; & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3. vers. Dubiæ quæst. est. Pegna in direct. par. 3. com. 163. col. 2. vers. Omissis tamen. Sigism. de elect. dub. 82. num. 3. Garc. de benef. par. 11. cap. 10. à num. 77. Et aduerto, quòd dicti filij hæreticorũ nati ante, vel post paterna hæresim, sunt ipso facto priuati dignitatibus, quas possident, vt tenent Farin. Couar. Ricciul. Garcia, Gomez. loc. cit. licèt negent Pegna col. 3. vers. In hac quæst. Azor ver. Si roges. Suar. Tum quia Ecclesia maximé odit talem progeniem. Tum quod iura in cap. Quicumq; §. Hæretici, & in cap. Statutum, el 2. de hær. In 6. eodem modo loquuntur quantum ad pœnas de hæreticis, ac de filijs eorum, sed hæreticos diximus esse ipso facto priuatos, (post tamen sententiam declaratoriam delicti, vt Farin. de hær. quæst. 189. num. 80. Sanch. 2. in decal. cap. 26. num. 7. quos videbis pro effectibus, quos parit priuatio ipso facto, & priuatio post sententiam declaratoriam delicti; Farin. quidem num. 79. Sanch. verò num. 9.) Tum quòd id mihi videtur expressum in cap. Vt commissi, de hær. In 6. ibi *priuandi, vel priuatos nunciandi*, licèt huius cap. vim eneruare conetur Campanil. in diuer. iur. rubr. 11. cap. 26. num. 21. sed ex hoc loco omnes DD. communiter concludunt, hæreticos esse ipso facto priuatos dignitatibus; id enim insinuat illa particula, *vel priuatos nunciandi*. Ergo cum hoc cap. eodem modo loquatur de hæreticis, ac de ipsorum filijs, eodem planè modo intelligẽdum est quò ad vtrosq; Nec propter pietatem à pio iure gratis est recedendum velle enim videri plum cum detrimento pietatis, impium est. Pietas enim summa est, quòd sancta mater Ecclesia suorum rebellium filios solùm dignitatibus priuet, ad quod facit cap. Vergentis, de hær. fine; & quæ habet Salz. ad Diaz. cap. 22. num. eodem.

Farinac. Suarez. Couarru. Gomez. Ricciullu. Azor. Pegna. Sigismũd. Garcia. Sanchez. Salzedo. Diaz.

80. Noto 4. quòd ad hoc vt filij hæreticorum dictis pœnis afficiantur, necesse est, quòd eorum parentes in iudicio fuerint conuicti, vel confessi, vel saltem vt res sit satis publica, & omnibus probata. Ita Suar. de cens. disp. 43. sect. 3. num. 2. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8. ver. Deinde quæres, Farin. de hær. quæst. 191. num. 69. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. num. 124. Sanch. 2. in decal. cap. 27. num. 28. Quod satis probat illa clausula posita in cap. Statutum, el 2. de hær. In 6. *Qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur*. Vnde filij hæreticorum occultorum, & qui nullo ex prædictis modis probati sunt hæretici, non incurrunt dictas pœnas, licet Azor tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3. videatur dicere, quòd etiam filius occulti hæretici, etiã si ante mortem resipuerit, non possit dignitates obtinere. Sed nullo nititur solido fundamento. Puto tamen, incurrere filios eorum, qui condemnati sunt in contumacia, & quorum statuæ combustæ sunt. Tum quia tales iudicio Ecclesiæ habentur tamquam pertinaces. Tum quia contumax habetur pro conuicto; Gloss. in cap. Cum contumacia, de hær. in 6. Atq; ita Pegna in direct. par. 3. com. 164. col. 3. ver. At in casu nostro; Sanctarell. de hær. cap. 34. dub. 2. num. 19. Riciul. lib. 5. cap. 3. num. 45. Farin. de hær. quæst. 191. num. 55. Sanch. cit. num. 19. An autem idem dicendum sit de filijs eorum, qui obiere suspecti de hæresi, affirmat Azor loc. vltimò cit. ver. Si roges. Quod durum videtur Sanch. loc. cit. cap. 27. num. 29. Quod non est durum, si de tali suspicione fuerint condemnati, scandalum enim, quod dant propter talem suspicionem, hanc pœnam meretur. Sed æquius transeo in opinionem Sanch. licèt enim remaneat infamia, non remanet tamen quò ad effectus, ob benignitatem canonum. Atq; ita sentit etiam Ricciul. loc. cit. cap. 19. num. 26. Sanct. cap. 33. dub. vn. num. 6.

Suarez. Azor. Farinac. Lessius. Sanch. Pegna. Sanctarel. Ricciullus

81. Noto 5. quòd filij hæreticorum sunt irregulares, atq; ita non possunt ordinari absq; dispensatione Papæ, quia ordines ad dignitates Ecclesiasticas sunt instituti; & habetur in cap. Quicumq; de hær. In 6. §. Hæretici. Vnde in Trid. sess. 7. cap. 23. de refor. Innouando cap. Quando, d. 24. præcipitur, vt Episcopi genus promouendorum ad ordines inquirant, idest, an promouendus sit ex filijs, aut nepotibus hæreticorum, fautorum, &c. vt exponunt Sanch. 2. in decal. c. 28. n. 15. Auil. de cens. p. 7. disp. 4. dub. 4. concl. 3. Henriq; lib. 10. cap. 17. num. 2. in com. lit. G. Campanil. rub. 11. cap. 26. num. 7. Atq; ita Sanch. cit. num 7. Auil. dub. 3. concl. 1. Suar. de cens. disp. 43. sect. 3. num 1. Salz. ad Diaz, cap. 22. num. 21. An autem filij hæreticorum sint infames, negat Sanch. loc. cit. num. 5. Affirmat Couar. 2. var. cap. 8. num. 3. quia filij læsæ maiestatis humanæ reputantur infames; l. Quisquis, §. Filij verò, Cod. ad legem Iuliam maiest. Ergo multò magis filij læsæ maiestatis diuinæ.

Sanchez. Auila. Henriq. Campanil. Suarez. Salzedo. Couar.

82. Dico 3. Neophyti sunt ineligibiles ad Prælaturas Regularium. Ita Trott. de pers. cler. lib. 2. par. 1. req. 8. num. 32. Suar. loc. cit. num. 5. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 13. nu. 10. Barb. de potest. Episcop. par. 1. tit. 2. glossa. 17. nu. 5. Sigismund. de elect. dub. 84. num. 2. P. Greg. de elect. cap. 12. num. 2. Auil. loc. cit. concl. 1. Nau. in man. cap. 27. num. 206. Paris. lib. 4. de resig. quæst. 4. num. 20. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 2. q. 2. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. par. 1. num. 5. Salz. ad Diaz. cap. 22. num. 2. Couar. in clem. Si furiosus, par. 1. §. 2. num. 7. Malol. de irreg. lib. 1. cap. 31. num. 1. Ricciul. de neoph. cap. 2. num. 4. Rom. sing. 679. Spec. par. 1. tit. de disp. §. Iuxtà, num. 13. Lamb. de iur patr. lib. 2. par. 1. quest. 7. art. 14. num. 2. Henriq; lib. 14. cap. 4. §. 7. Campanil. rub. 11. cap. 7. nu. 3. Host. in sum. tit. de temp. ord. nu. 31. Rodriq. tom. 1. q. reg. quæst. 14. art. 5. Prob. ex cap. Quoniam; cap.

Trottus. Sayrus. Barbosa. Sigismũd. P. Greg. Nauarrus Parisius. Azor. Bonac. Ricciullus. Romanus. Speculator. Lambert. Henriq. Hostien. Rodriq.

Sicut

Sicut neophytus, d. 48. cuius prohibitionis rationes reddit Grat. in princ. dictæ d. dicens, *Prohibetur neophytus in Episcopus ordinari, vt qui heri erat cathecumenus, hodie non fiat Episcopus. Qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in Ecclesia. Qui vespere erat in circo, hodie non ministret altario. Qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator virginum. Causa autem huius prohibitionis est secundum Apostolum 1. ad Tim. 3. ne elatus in superbiam, tamquam Religio Christiana plurimum eius egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namq; sacerdos nescit habere humilitatem, obseruare modos personarum, vel contemnere. Non ieiunauit, non fleuit, non se correxit, non pauperibus erogauit. In arrogantiam, quæ est ruina diaboli, incidunt, qui punctis hora, necdum discipuli, fiunt magistri*, &c. vbi, vt apparet, duæ assignantur rationes huius prohibitionis. 1. ne incidant in superbiam, putantes, fidem Christianam ipsorum indigere. 2. quia inexperti non poterunt obseruare ea, quæ ratione personarum, locorum, temporum sunt Prælatis obseruanda.

83. Noto 1. quòd per neophytum intelligo illum, qui ex iudaica lege, aut mahumetica, vel ethnica de recenti Christianæ militiæ nomen dedit. Dico de recenti, nam qui à multo tempore V. G. decennio, vt placet Nauar. loc. cit. Suar. num. 6. Campanil. num. 4. Sayr. nu. 11. Bonac. cit. vel à natiuitate, etiamsi a parentibus reprobatæ Religionis descendat, baptismũ suscepit, neophytus dicendus non est. Et multò minùs neophytus dicendus est, qui à patre conuerso natus est; immò nec neophytus dicendus est, qui à natiuitate baptizatus est, etiãsi pater eius adhuc in infidelitate persistat. Ita DD. communiter, in specie Sanch. 2. in decal. cap. 28. num. 11. Ricciul. loc. cit. c. 1. num. 2. & 3. Couarr. cit. num. 7. ver. 1. conclusio, Salz. num. 8. vnde excludendus non est à sacris ordinibus, nec ab Ecclesiasticis dignitatibus, qui à patre infideli descendens, ab infantia, vel saltem à decennio baptizatus est. Ita Couar. loc. cit. & num. 8. ver. 6. conclusio. Suarez loc. cit. num. 8. Salz. ad Diaz, cap. 22. num. 11. Campanil. num. 6. Cœteri autem omnes excludendi V. G. adulti à nouennio baptizati. Quod tamen adhuc limitandum est, nisi essent sanctæ, & approbatæ vitæ, vt de S. Ambrosio factum est. Ita statuitur in cap. Neophytus, d. 61. & docent Lambert. loc. cit. num. 7. Ricciul. cit. cap. 2. num. 13. Malol. de irreg. lib. 1. cap. 31. num. 4. Barb. de pot. Ep. p. 1. tit. 2. gloss. 17. n. 7. iudicare autem, an aliquis sit humilis, & sanctæ vitæ, ad Papam pertinet, vt colligitur ex præfatis DD. concludentibus, quòd dispensare super neophyto; ad Papam spectat. Vide Campanil. rub. 11. c. 7. num. 4.

84. Noto 2. quòd valde controuersum est apud DD. an valeant statuta, quibus infideles ad fidem conuersi, & descendentes ab eis, etiãsi ab infantia sint Christiani, repelluntur ab honoribus, & dignitatibus publicis. Pro quo vide Pet. Nauar. lib. 2. de rest. cap. 4. num. 450. & 451. Sanch. 2. in decal. c. 28. num. 14. & 7. de matr. disp. 37. num. 30. Suarez tom. 4. de relig. tr. 3. lib. 2. cap. 2. num. 6. & tom. 5. de cens. disp. 43. sect. 3. nu. 8. Sigismund. de elect. dub. 85. num. 4. Sorb. in com. priu. mendic. ver.

P. Nauarr. Sanchez. Suarez. Sigismun. Sorbus.

Nouitius, tit. de recept. nou. ad hab. fine, pag. mihi 432. Passar. in priu. not. 29. & in schol. ex Genuen. num. 31. Auil. de cens. p. 7. disp. 4. dub. 4. concl. 5. ver. Sed nota; Barb. de pot. ep. p. 1. tit. 2. gloss. 17. num. 20. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 13. num. 12. Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. art. 1. & quæst. 10. art. 3. Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 26. Cor. in q. theol. lib. 1. quæst. 54. Salz. ad Diaz, c. 22. à nu. 11. Ricciul. de neoph. cap. 6. qui omnes concludunt, neminem inferiorem Papa posse talia statuta condere, præter Suarez, qui licèt tom. 4. de relig. concedat num. 6. non posse talia statuta fieri quò ad dignitates consequendas sine licentia Papæ; negat tamen num. 4. non valere etiam sine licentia Papæ, quò ad receptionem ad Religionem. Et ratio est, quia nemo inferior Papa potest statuta condere contra ius commune; cap. Quod super his, de ma. & ob. Sed hoc esset contra ius commune; c. Eam te, de rescr. & latè id probant in specie pro Religione nostra Nauar. & Passar. loc. cit. Quare multa statuta in Ordine nostro facta ad excludendos dictos descendentes, non habent vim, nisi quatenus fuerunt confirmata à Papa. Vnde.

Passarel. Auila. Barbosa. Sayrus. Rodriq; Nauarrus Corduba. Salzeds.

85. Dico 4. In Ordine Minimorum non possunt excludi ab ordine, neq; à dignitatibus in eo consequendis descendẽtes ex gente Iudæorum, vel Mahumetanorum, neq; filij, & descendentes hæreticorum conuersorum, & Ecclesiæ vnitati restitutorum. Prob. ex const. 3. Greg. XIII. tom. 2. nostr. priu. in cuius §. 2. habetur. *Volentes, quod ij, qui ex Iudæorum, vel Mahumetanorum genere descendunt, cum post susceptum ab eis baptisma, Græci, & Iudæi distinctio esse non debeat, nullatenus defectus generis huiusmodi, quominus in Ordinem prædictum recipiantur, & ad consequendas in dicto Ordine dignitates, gradus, & officia Religionis, nocere possit, vel debeat. Quantum vero attinet ad filios, & descendentes hæreticorum, præcipimus, vt filijs, & descendentibus talium conuersorum, & Ecclesiæ vnitati restitutorum pariter minimè circa præmissa quidquam obstet.* Similem etiam constitutionem Pij V. habent Fratres Minores, publicatã in c. generali Romæ anno 1571. vt refert Sorb. loc. cit. pag. mihi 431.

86. Noto, quòd licèt in prælata const. Greg. non fiat mentio de descendentibus ex Gentilibus, non ideò hi possunt excludi ab ordine, & dignitatibus; iuxta cap. Cum sit nimis, de iud. Nam ideò missi sunt, quia casus erat minùs dubitabilis, & in maiori includitur minus: &, cum simus in fauorabilibus, potest fieri extensio de casu magis dubitabili ad casum minùs dubitabilem. Et dicti ex gentilitate cõuersi, seu illorũ descendentes, nõ comprehendũtur in const. pro Ordine Minorũ factis à Paulo IV. & cõfirmatis à Greg. XIII. (licèt, has nõ esse ampliùs in vsu, affirmet Auil. de cens. p. 7. disp. 4. dub. 5. in fine; Sanch. 2. in decal. c. 27. nu. 3.) de quibus Rodriq; to. 1. q. reg. q. 14. ar. 1. Mir. to. 2. man. q. 1. ar. 1. Portel. in dub. reg. ver. Electio, n. 18. quib⁹ cauetur, quòd descendentes ex Iudæis, seu hæreticis, vel Mauris vsq; ad 4. generationẽ, ad eorũ Religionẽ, & dignitates in ea nõ assumãtur. Vnde bene in ea possũt recipi præfati ex gẽtilitate cõuersi, vt dicũt Rodriq; cit. ar. 5. ver. Secũdò est ad. Mir. ar. 5. cũ istæ sint cõstitutiones pœnales, quæ vltra casus expressos nõ extendũtur. Quo casu

Auila. Sanchez. Rodriquez Miranda. Portel.

loquitur dictum cap. Cum sit nimis. In casu ergo nostro, cum simus in gratiosis, dicendum est, quòd dicti gentiles conuersi ex gentilitate, in præfata constit. Greg. comprehenduntur. Adde, quod ratio, qua mouetur Papa ad id statuendum, quæ est desumpta ex epist. ad Rom. cap. 10. *Non est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum*, militat tam in gentilibus, quam in Mauris, & hæreticis.

87. Dico 5. Descendentes per lineam paternam, vel maternam vsq; ad 4. generationem inclusiuè, ex Iudæis, Mahumetanis, & hæreticis relapsis, & per sententia in foro Ecclesiastico latam damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combustæ sunt, ad Ordinem Minimorum neq. in Conuersos, neq; in Clericos, nec ad vllas in eo dignitates consequendas admitti possunt. Prob. ex eadem const. Greg. XIII. vbi §. 3. dicitur. *Quò vero ad illos, qui ex Iudæis, ex eo quod post baptisma ab eis susceptum iterum à fide Catholica recesserint, per sententiam in foro Ecclesiastico latam damnatis; Mahumetanis item, & hæreticis similiter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combusta sunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam, vsq; ad 4. generationem inclusiue, in Ordinem ipsum recipi, & admitti non posse; & idem in ijs professoribus eiusdem Ordinis, qui ad sacros, etiam presbyteratus, ordines admittuntur, seruari decernimus.*

88. Noto 1. quòd in illis pœnis non includuntur filij eorum, qui damnati de hæresis suspicione perierunt; nam hi non sunt verè, & formaliter hæretici; in cap. Accusatus, in princ. de hær. in 6. & quòd statutum loquens de hæreticis, non habeat locum in suspectis de *Abbas.* hæresi, docuit Abb. in cap. Inter sollicitudines, de purg. can. num. 6. Et in particulari de statuto Ecclesiæ Hispalensis, huic nostro simili, *Puteus.* decidit Put. lib. 1. dec. 400. quòd non habeat locum in descendentibus ab ijs, qui fuerunt de hæresi suspecti.

89. Noto 2. quòd nostra conclusio non habet locum in collateralibus. Vnde ille, cuius frater, seu patruus ex parte patris, vel auunculus ex parte matris, fuerunt condemnati in tribunali Ecclesiastico, vel eorum imagines, seu ossa combusta, poterit ad Religionem admitti, & dignitates in ea consequi; cum dicta constitutio solùm, & apertè loquatur de descendentibus per lineam paternam, & maternam, nullamq; mentionem faciat de collateralibus, solùm de linea recta, non collaterali intelligenda est, secundum naturam legis pœnalis, quæ ad casum etiam similem non extenditur. Atq; *Rodriq. Miranda.* ita Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. art. 6. Mir. tom. 1. man. quæst. 1. art. 1. concl. 4. fine.

90. Noto 3. quòd Papa in exclusione istorum ab Ordine nostro, eos non excludit à dignitatibus casu, quo recipiantur ignoranter, vel scienter, nec annullat electiones, si de his fierent. Vnde videtur, quòd possint eas tali casu consequi, & retinere. Sed non fuit necesse, quòd excluderet; cum enim exclusisset ab Ordine, non erat necesse excludere à dignitatibus illius Ordinis, ad quem admitti non poterant; vnde si in aliquo casu propter ignorantiam recipientium, quis istorum profiteretur in Ordine nostro, non posset dignitates accipere, nec retinere, quia statuta Ordinis nostri, quæ eo casu relicta sunt in suo vigore, id vetant, vt constat ex cap. Rom. 3. num. 20. vbi si qui tales per ignorantiam, aut inaduertentiam sint in Ordine nostro recepti, sunt perpetuò priuati voce actiua, & passiua; Quare qui sciret, se ex illa linea prohibita descendere, non posset oblatas dignitates accipere, nec receptas in conscientia retinere. Quod tamen limitarem, Nisi ex renunciatione posset diuulgari eius inhabilitas; nam pro sui honoris defensa posset recipere, & retinere. Ita Mir. *Miranda.* tom. 2. man. quæst. 1. art. 5. concl. 2. & 3. Rodriq; *Rodriquez.* tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. art. 8. Qui tamen aduertit, quòd hoc casu dictus teneretur dispensationem petere, quàm citiùs foret possibile. Et vlteriùs notat, quòd qui non sunt in possessione dignitatum, si ad eas per electionem, vel alio modo admittantur, tenentur omnibus modis possibilibus ijs renunciare. Neq; excusantur, quòd fortè ex tali renunciatione possit oriri aliqua suspicio generis maculati; nam multa mouent homines ad dictas renunciationes faciendas. Et similiter, cum Papa non apponat pœnam Superioribus tales recipientibus, relinquit nostra statuta in suo vigore, vnde debent officijs priuari, per statutum in cap. Fotijui. 1. num. 14.

§. 7. *An qui abiurauit in S. Inquisitionis officio, possit eligi ad dignitates Regularium.*

91. NOTA, quòd abiurare est recedere ab aliqua re cum iuramento de non redeundo ad illam. Ita Nauar. lib. 5. cons. de hær. *Nauarrus.* cons. 18. num. 1. & cons. 19. nu. 1. ex cap. Accepta, & cap. Audita, de rest. spol. & ex cap. Super hoc, de renunc. & ex cap. Ad abolendam, de hær. Abiuratio autem est quadruplex secundùm Peg. in *Pegna.* direct. 3. par. com. 40. col. 2. ver. Abiurationē. 1. est de leui. 2. de vehementi. 3. de violenta suspicione, & 4. de hæresi formali; licèt secundùm vsum supremi tribunalis S. Inquisitionis de Vrbe, vt aduertit Masin. in pract. S. Officij, *Masinus.* abiuratio de violenta suspicione non fit in vsu, & secundùm modum procedēdi dicti tribunalis, idem fit cum abiuratione de vehementi. Indicitur autem ab illo tribunali abiuratio ob triplicem suspicionem de hæresi, quæ reperitur in iure, secundùm Eymer. 2. p. direct. inquis. *Eymeric.* quæst. 46. vbi Pegna comm. 80. col. 1. ver. Ad hanc; leuem scilicèt, vehementem, & violentā. Quas suspiciones explicat egregie Ioseph Sessa *Ioseph Sessa.* tertij Ordinis Minimorum professus, & conuentus de Fresneda in Prouincia Aragonensi Fundator Illustrissimus, in album Fundatorum receptus magno capitulantium applausu in cap. gener. dicti Ordinis Barch. celebrato, to. 4. suarū decis. decis. 450, 451. & 452. Leuis suspicio, sic dicta, quia ex leuibus oritur coniecturis, est animi applicatio, hominē mouēs ad aliquid credendū nō determinatè, & fixè, sed cū magna ambiguitate, & oritur ex signis exterioribus operum, aut verborū, ex quibus capitur coniectura, qua concludi potest, nō frequenter, sed rarò, seu

casu,

casu, quòd talia dicens, seu faciens sit hæreticus. Vt si quis V. G. deserit frequenter, si occulta faciat conuenticula, si vita, & moribus à communi fidelium conuersatione deuiet, vel si sacerdos in confessione sollicitet; vnde ad se purgandum ei indicitur abiuratio de leui. Suspicio vehemens, sic dicta, quia ex vehementibus oritur indicijs, est probabilis coniectura ex certo signo proueniens, quæ, contrario non adducto, pro veritate habetur, & oritur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequenter, & vt in pluribus, quòd qui talia dicit, vel facit, est hæreticus, vt si quis hæreticum occultet, fauorem ei impendat, associet, visitet, defenset, munera offerat, recipiat, si diebus prohibitis absq; necessitate, & Superioris facultate carnibus vescatur, aut docat propositiones fidei contrarias his, quæ explicitè scire debet, vel citatus in re fidei non compareat contumaciter, vel impediat scienter, & directè officium Inquisitionis, seu impeditoribus præstet auxilium, vel initiat citatum propter hæresim, ne dicat veritatem, vel exprimat falsitatem. Item si non reuelet hæreticos proprijs iudicibus, vel si in iudicio interrogatus eos scienter celet: istis autem sic vehementer suspectis indicitur abiuratio de vehementi. Suspicio violenta, sic dicta, quia violentat, & cogit iudicem ad credendum, nec defensatione repellitur qualitumq; & oritur ex violentis cōuincentibus coniecturis, est quædam legis dispositio aliquid præsumentis, & super præsumpto tamquam sibi comperto, & noto statuentis, & nascitur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus concludi solet efficaciter, & fere semper, quòd talia dicens, vel faciens est hæreticus; vt si quis hæreticos adoret, vel eis reuerentiam suo more exhibeat, consolationem in casu mortis, vel communionem ab eis recipiat, vel ad Iudeorum ritus transeat, vel in excommunicatione in causa fidei per annum obstinatè perduret; taliter autem suspectus condemnatur tamquam hæreticus conuictus. Ita Sessa loc. cit. decis. 458. num. 8. Eymer. in direct. par. 2. quæst. 46. nu. 7. & num. 16. vbi Pegna com. 8. col. vlt. ver. Violenta. Huic sic violenter suspecto indicitur, si velit resipiscere, abiuratio de hæresi. Pro his dictis vide D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 3. Menoch. lib. 1. de præsumpt. quæst. 7. à num. 41. & lib. 6. cons. cons. 538. à num. 19. Sanctar. de hær. cap. 41. dub. 3. num. 7. & 8. Delrium mag. disq. lib. 5. sect. 16. Farin. tract. de hær. quæst. 194. num. 1. & quæst. 187. num. 23. Salz. ad Diaz, cap. 116. ver. De qua abiuratione.

Sessa. Eymer. Pegna.

D. Thom. Menoch. Sanctarel. Delrius. Farinac. Salzedo.

92. Dico 1. abiurans de leui, vel vehementi non est ineligibilis ad dignitates Regularium, ex hoc solum quòd ita abiurauerit, abstrahendo à pœnitentijs impositis, quæ seruandæ sunt, & propter quas, si non sint salutares, inhabilitatur sub decr. Vrb. VIII. de quo §. præced. nu 74. Ita Nauar. lib 5. cons. de hær. cons. 18. nu 3. & cons. 19. num. 1. Ric. tom. 1. decis. 676. num. 6. Ricciul. lib. 5. de iur. pers. cap. 19. num. 27. Sanch. 2. in decal. cap. 25. num. 12. Henriq; lib. 13. cap. 56. num. 1. Pasif. lib. 4. de resig. quæst. 3. num. 17. Sanctarel. cit. cap. 33. num. 6. Sa ver. Hæresis, num. 5. Et ratio est, quia ita suspectus de hæresi non est hæreticus. Eymer. in direct. par. 2. quæst. 55. nu. 9. & 11. vbi Pegna comm. 80. col. 2. ver. Et ob hanc; Sessa tom. 4. decis. decis. 451. num. 4. & nullibi reperitur, quod possit vt hæreticus damnari, neq quod tales abiurantes sint ineligibiles, vt ait Nauar. cons. 18. cit. num. 5.

Nauarrus. Riccius. Ricciull. Sanchez. Henriq; Parisius. Sa.

Eymeric. Sessa.

93. Dico 2. qui abiurat hæresim, vel probatam, vel confessam, iurando se ad eam numquam rediturum, cum sit iam formaliter hæreticus, certum est, quòd ineligibilis est. Et hoc est, quod voluit. Nauar. loc. cit. num. 6. quem sequitur Sanch. loc. cit. quando dixit quòd duplex est abiuratio; Altera, quam cogitur facere hæreticus pœnitens de hæresi à se admissa iam confessa, vel probata, ad hoc vt misericordiam consequatur. Altera, qua suspectus de hæresi se purgat, & monstrat innocentem, iurando, quòd illam hæresim non incurrit, nec incurret vmquam, vnde illi nulla propter hæresim imponitur pœnitentia, sed quia propter gesta, vel dicta ab eo, maxima orta est suspicio de hæresi, ideò cogitur abiurare de vehementi, vel leui.

94. Nota hic, quòd ad impediendum, ne aliquis eligatur ad aliquam dignitatem propter hæresim, vel originem Iudaicam, &c. sufficit semiplena probatio, ad deijciendum autem aliquem iam electum, & confirmatum, requiritur plena probatio, ita Nauar. lib. 5. cons. de hær. cons. 22. num. 6. quam doctrinam sequuntur Mir. tom. 1. man. quæst. 1. art. 6. Portel. in dub. reg. ver. Elect. num. 19. Impugnat autem eam Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. art. 3. fine; Quia vbi agitur de honore Religiosi, & ipsius familiæ, non debet sufficere semiplena probatio. Sed magis placet opinio Nauar. quia, cum faciliùs deijciatur quis a iure quærendo, quàm quæsito, cum ad deijciendum aliquem ab hoc plena requiratur probatio, ab illo sufficere debet semiplena. Deinde ad impediendum, ne aliquis eligatur, sufficit mala fama, etiam non probata, cap. Omnipotens Deus, de accus.

Miranda. Portellus. Rodriq;

95. Ad impediendum autem eos, qui abiurauerunt, oportet diligenter inspicere formas absolutorias, quas solent cōcedere Inquisitores taliter abiurantibus, in quibus si sit appositum, quòd talis abiurauit talem, vel talem hæresim, de qua fuit conuictus, vel quam fuit confessus, etiam sponte, vt faciunt illi, qui, timore ne accusentur, se Inquisitoribus præsentant, confitentes suas hæreses, quas, licèt secretò, abiurare coguntur, vt notat Barb. in cap. Ad abolendam, de hær. num. 18. (quem etiam vide num. 21. vbi ait, quòd illi dicuntur sponte comparere, qui indicijs non præuenti comparent; secùs autem, si compareant timore ne accusentur, nam tunc non dicuntur sponte comparere, sed metu) Tunc illi ineligibiles sunt, quia hæreticus, etiam occultus, & post emendam irregularis est, vt dictum est §. præced. nu. 74. Si verò appositum sit, quòd, hæresi, de qua fuit accusatus, vel denunciatus, non probata, propter suspiciones coactus est de leui, vel de vehementi abiurare, tunc eligibilis est.

Barbosa.

96. Ex dictis collige, quid iuris de electione actiua istorum; hæretici enim eligere non possunt, quia excommunicati, infames, irregulares, extra Ecclesiam;

similiter nec eorum filij, quia irregulares, infames. Item nec eligere possunt neophyti, quia inexperti. Item nec filij Iudæorum, Mahumetanorum, & hæreticorum relapsorum cōdemnatorum, vel quorum ossa, seu statuæ combusta fuere, vsq; ad 4. generationem; quia, si nō possunt recipi ad Religionem, multo minus possunt admitti ad eligendum; quod si aliqui de gratia, vel per ignorantiam, seu etiam malitiam fuerint admissi, sunt priuati voce actiua, & passiua in perpetuum; per cap. Rom. 3. num. 20. An autem alij electores possint hos secum ad eligendum admittere, dic quòd non, si sint denunciati tales, alias sic, etiamsi sciantur, post extrau. Ad euitanda; qua non tenemur eos vitare, iuxta dicta sup. de excommunicatis non denunciatis; & in specie de hæreticis id docent Azor to. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 7. Nauarr. lib. 5. cons. de hær. cons. 21. num. 3.

Azor. Nauarrus

§. 8. *Vtrum bigamus sit eligibilis ad Prælaturas Regularium.*

D. Thom. Sanchez. Garcia. Raymund. Trottus. Lambert. Cauerru. Sayrus. Campanil. Azor. Henriq. Parisius. Suarez. Diaz. Salzedo. Hostiensis. Maiolus. Barbosa. Nauar. Auila. Bonacina.

97. VIDE D. Thom. add. ad 3. par. quæst. 66. art. 5. corp. Sanch. lib. 7. de matr. a disp. 83. Garc. de benef. par. 7 cap. 6. Raym. in sum. de qual. ord. lib. 3. §. 3. Trott. de pers. elect. lib. 2. p. 1. requis. 7. a nu. 28. Lamb. de iur. patr. p. 1. lib. 2. quæst. 7. art. 13. num. 7. & 18. Couar. in clem. si furiosus, par. 1. §. 2. nu 1. Sayr. lib. 6. de cens. cap 5. a num. 5. Campanil. in diu. iur. rubr. 12. cap. 6. a num. 29. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 4. q. 6. & 10. Pet. Greg. de elect. cap. 10. num. 1. Henriq. lib. 12. cap. 6. num. 9. & 11. Paris. de resign. lib. 4 quæst. 4. num. 17. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 49. sect. 6. num. 16. Diaz in pract. cap. 16. num. 2. vbi Salz. Hostien. in summ. lib 1. tit. de tem. ord. num. 15. & tit. de big. num. 5. Malol. de irreg. lib. 1. cap. 33 num. 1. Barb. par. 1. de potest. Episcop. tit. 2. glos. 4. Nauar. lib. 1. cons. tit. de big. cons. 3. & 4 & in man. cap. 27. nu. 195. Auil. de cens. pat. 7. disp. 8. dub. 1. Bonac. de cens. disp. 7 quæst. 2. par. 5. num. 3.

98. Dicendum est, bigamum esse ineligibilem ad Prælaturas Regularium. Ita DD. cit. Prob. 1. ex cap. 1. & 2. d. 33. & cap. 1. 2. & 3. de big. & ex Trid sess. 23. c. 17. de refor. Plura Concilia, & PP. nostram conclusionem probantes, vide apud Cresp. in sum. ver. Bigamus. Prob 2. ex 1. ad Tim. 3. vbi dicitur, quòd eligendus in Prælatum, vel debeat esse cælebs, vel vnam tantum habuisse vxorem. Rationes autem, quare bigami arceantur à dignitatibus Ecclesiasticis, & sacris ordinibus, ponit Host. in summ. de big §. 5. Barb. & alij communiter. Duas accipe breuiter. 1. quia qui duas contraxit nuptias, non potest apte significare vnionem Christi cum Ecclesia vnica eius sponsa. 2. quia est signum incontinentiæ; vnde non poterit efficaciter alijs persuadere castitatem; & hic quadrat illud Ennij. *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri commonstrant viam.*

Crespinus. Hostiensis. Barbosa.

99. Nota 1. quòd bigamus est, qui duas duxit vxores, vel vnam viduam. Quotuplex sit bigamia, dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iul. II. num. 220. vbi etiam dixi, quòd Prælati regulares possunt dispensare super bigamia similitudinaria, quando scilicet quis post votum solemne castitatis confessum, vel in professione Religionis, vel in susceptione sacrorum ordinum, vxorem duxit. Et DD. ibi ad hoc adductis adde Auilam loc. cit. dub. 4. concl. 5. Bonac. num. 15. Circa vero bigamiam veram, quando scilicet quis duas duxit vxores, & interpretatiuam, quando duxit viduam, vel alias corruptam, aut etiam vxorem adulteram scienter, vel ignoranter cognouit, dixi, quod non poterant Prælati Regularium dispensare; inuenio tamen Auilam loc. cit. concl. 8. & Henriq. lib. 12. cap. 6. num. 11, dicentes, quòd etiam in his bigamijs dispensat Prælatus regularis cum suo professo, per multa priuilegia, quæ ibi affert Henriq. in com. lit. Z. cui sententiæ fauet multum doctrina D. Thom. loc. cit. quem sequitur Armil. ver. Bigam. nu. 9. Fauet etiam illud priuilegium Martini V. relatū à Suar. to. 4. de relig. tr. 1. lib. 2. c. 25. n. 1. quo cōceditur, posse absoluere, & dispensare ab omnibus, & super omnibus, quantūuis grauibus censuris, & pœnis, etiamsi talia forent, propter quæ sedes Apostolica esset consulenda, vel quæ summus Pontifex reseruare consueuit. Quo casu dicunt Palud. in 4. d. 27. quæst. 4. art. 5. concl. 5. Tab. ver. Bigam. §. 7. Sayr. lib. 6. de cens. cap. 6. num. 14. quòd possent Prælati regulares cum suis subditis dispensare. Aduertunt tamen Palud. & Sayr. quòd licet possent dicti Prælati dispensare cum dictis bigamis quò ad ordines, non possent tamē dispensare quò ad dignitates suscipiendas, nisi etiam ad id priuilegium haberent; non enim sequitur, ait Palud. Dispensat quò ad maiores ordines, ergo quò ad dignitates; nam videmus, quòd illegitimus per ingressum Religionis dispensatur quo ad ordines, non tamen dispensatur quò ad dignitates, vt constabit ex §. seq. num. 133. Et ratio est, quia dispensatio est stricti iuris; cap. 1. in fin. de fil. presb in 6. cap. Non potest, de preb. eod. lib. Vnde non extenditur vltra casum expressum; & sic vides, quòd illegitimus dispensatus ad dignitates inferiores, non intelligitur dispensatus ad superiores. Addit tamen ibi Palud. quod sic dispensatus ad ordines poterit habere officia manualia Religionis.

Auila. Henriq. D. Thomas. Armilla. Suarez. Paludan. Tabiena. Sayrus.

100. Nota 2. quòd bigami non sunt prohibiti Religionem ingredi, & profiteri. Vech. de nou. disp. 5. dub. 3. num. 2. Nauar. lib 3. cons. de conuers. coniug. num. 2. cons. 8. Lamb. de iur. patr. lib. 2. p 1. quæst. 7. art. 13. num. 7. Burgas. de irreg. p. 5. nu. 62. tit. de bigam Non debent tamen admitti ad statum clericorum, quia ordinari nō possunt per cit. iura, & per Religionis ingressū non habilitantur. Ita Camp. in diu. iur. rubr 12, c. 6. nu. 38. Suar. to. 5. in 3. p. disp. 49. sect. 6. nu. 16. Azor. p. 2. lib. 6. c. 4. q. 10. Couar. in clem. Si furiosus, p. 1. §. 2. n. 6 Sanch. 7. de matr. disp. 86. n. 4. licèt habilitari dicant Anton. in cap. fin. n. 9. de bigam. & Abb. nu. 2. Henriq; & Auila per Prælatos habilitari posse putent. Quam sententiam non puto tutam in praxi, saltem quò ad forum externum. Posset tamen etiam admitti ad statum clericorum bigamus nobilis, & virtuosus, & à Prælato dispensari vt posset ordines minores suscipere, & sic choro, &

Vechius. Nauarrus. Lambert. Burgasius. Campanil. Suarez. Azor. Couarruu. Sanchez. Antoninus. Abbas. Henriq. Auila.

Eccle-

Ecclesiæ tamquam clericus inseruire, & alia minora officia exercere, iuxta opinionem, quam tenui tom. 1. priuil. cit. quod scilicet possint Prælati regulares dispensare cum bigamis quò ad tonsuram, & minores ordines; pro qua sententia citat Garc. de benef. par. 7. cap. 6. num. 13. quamplurimos DD. præsertim D. Tho. in 4. d. 27. quæst. 3. art. 3. & probabilem, ac in praxi posse seruari, putat Campanil. rubr. 11. cit. num. 29. Sanch. loc. cit. num. 11. & videtur probari euidenter ex cap. Lector, d. 33. immò expressum videtur in cap. 2. de bigam. *Garcia. D. Thom.*

101. Sed pone casum. Vxoratus post adulterium vxoris, eam nihilominùs cognouit, moritur adultera; ingreditur Religionem superniuens maritus, admittitur ad ordines, fit sacerdos, ingreditur electiones Superiorum, fit Superior. Quæritur, an hic, & quomodò peccauerit? R. quòd hic erat bigamus, per cap. Si culus vxorem; cap. Si laici, cap. Si quis viduam, d. 34. vnde peccauit mortaliter, sumens ordines sacros, & interessens electionibus, acceptensq; dignitates, quarum incapax erat, poterit tamen excusari per ignorantiam inuincibilem, qua depulsa, est in malo statu, nisi dispensationem petat à Pontifice secundùm communem opinionem, vel etiam à suo Prælato, secundum opinionem Aulæ, & Henriq; immò in hoc casu posse Prælatum talem dispensationem largiri, concedit Turrecrem. in cap. Lector, d. 34. art. 2. nu. 11. conclus. 5. & Reginald. in prax. lib. 30. tract. 2. num. 19. fine. Atq; ita ad hunc casum R. à Nauarr. lib. 3. cons. de conuer. coniug. cons. 8. num. 4. *Turrecremata. Reginald. Nauarrus*

102. Sed quid? In illo interim, quò iste petit dispensationem, antequam acquirat, accedit tempus electionis, ad quam ingreditur, & cum duæ in illo capitulo faciendæ essent electiones, in vna ipse fuit electus, & in altera elegit; & qui electus est, sciebat talem electoris inhabilitatem. R. Iste talis tenetur abstinere ab electione actiua, & passiua in illo interim, quò disponitur sua habilitatio, vnde, si se ingerat, mortaliter peccat. Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 7. num. 2. & quò ad electionem passiuam constat, quòd ipsa est nulla, propter incapacitatem personæ; vnde, si habilitationem non obtineat, quæ sit noua collatio dignitatis, tenetur ei renunciare. Pro quo facit doctrina Nauar. lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 3. num. 1. Quò verò ad electionem actiuam etiam mortaliter peccat, quia immiscet se actibus, in quibus nullum ius habet. Electus verò, qui scit inhabilitatem huiusmodi, etiamsi sciat, se tatione illius dignitatem obtinuisse, validè tamen, & licitè dignitatem retinet; quia licèt ille esset inhabilis re ipsa, & quò ad se, nihilominùs erat toleratus; vnde eius acta tenent, supplente pro bono communi defectum Ecclesia, iuxta reg. l. Barbarius, ff. de off. Præt. & habet hic locum extrau. Ad euitanda. Ita Suar. lib. 5. de leg. c. 9. n. 6. & 7. *Maiolus. Suarez.*

§. 9. *Vtrum illegitimi sint eligibiles ad Prælaturas Regulares.*

103.  IDE Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. Suar. de censf. disp. 50. Sigismund. de elect. à dub. 72. Azor par. 2. lib. 6. cap. 3. Pet. Greg. de elect. cap. 11. num. 1. & lib. 10. synt. cap. 3. & lib. 2. patr. iur. can. tit. 3. cap. 1. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 4. 3. num. 8. Couar. de matr. p. 2. cap. 8. à §. 1. Guliel. Bened. in cap. Raynutius, ver. eod. à num. 22. Cassan. in cat. p. 11. consid. 15. Coninck de censf. disp. 18. dub. 12. Trot. de pert. cler. lib. 2. par. 1. req. 1. Garc. de benef. par. 7. cap. 2. Sayr. de censf. lib. 6. cap. 10. Lamb. de iur. pat. par. 1. lib. 2. quæst. 7. art. 11. Passarel. in not. priu. cap. 24. Lup. de illeg. & nat. rest. Tiraq. de nob. cap. 15. à num. 10. Sanctarel. var. resol. à quæst. 20. vsq; ad 46. Rebuff. in prax. tit. de dispen. super def. nat. Auil. de censf. par. 7. disp. 3. dub. 6. Maiol. de irreg. lib. 1. à cap. 4. Diaz in pract. cap. 14. Bonac. de censf. disp. 7. quæst. 2. par. 3. Barb. de potest. Ep. par. 3. & alleg. 72. num. 83. & p. 2. alleg. 45. & cap. 1. 2. & 3. de fil. presb. Nauar. in man. cap. 25. num. 117. & lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 6. & com. 2. de reg. num. 60 Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 13. Mir. to. 2. man. quæst. 1. Less. l. b. 2. de iust. cap. 34. dub. 18. num. 85. Sanch. lib. 5. in dec. cap. 5. à num. 9. & lib. 3. de matr. à disp. 42. Vech. de nou. disp. 13. dub. 6. Reginald. in prax. lib. 30. tract. 2. à nu. 67. Duar. de benef. lib. 4. c. 5. Host. in sum. lib. 1. tit. de fil. presb. Sylu. & alios Summistas ver. Illegitimus. Henriq; lib. 14. cap. 8. nu. 10. Filliuc. tom. 1. tract. 19. cap. 5. Anton. 3. par. tit. 28. cap. 4. Specul. lib. 2. tit. de dispen. § 5. à nu. 31. Goff. in sum. tit. de fil. presb. Mol. tract. 2. de iust. à disp. 165. Cened. ad decr. collect. 48. A. Gabr. com. op. to. 3 tit. de illegit. Menoch. de arb. lib. 2. casu 201. num. 35. Vide etiam quæ dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iul. II. à nu. 89 Palæot. de noth. 10. 8. tract. par. 2. Ant. de Rosellis tract. de legit. præsertim lib. 1. in loc. cit. tract.

Campanil. Suarez. Sigismun. Azor. P. Greg. Parisius. Couar. Guliel. Bene. Cassanaus. Coninck. Trottus. Garcia. Sayrus. Lambert. Passarell. Lupus. Tiraq. Sanctarel. Rebuffus. Auila. Maiolus. Diaz. Bonacina. Barbosa. Nauarrus. Rodriquez. Miranda. Lessius. Sanchez. Vechius. Reginald. Duarenus. Hostiensis. Syluester. Henriq; Filliucius. D. Anton. Speculator. Goffredus. Molina. Cenedus. A. Gabriel. Menoch. Palæotus. De Rosellis

104. Noto 1. quòd illi filij censentur, & sunt legitimi, qui nati sunt ex matrimonio vero. 1. Cor. 7. c. Quod nobis, qui fil. sint legit. siue ab initio, siue ex post facto; cap. Conquestus; cap. Tanta, eod. tit. vel putatiuo, saltem ex parte vnius coniugis in facie Ecclesiæ celebrato, esto aliàs nullo propter occultum crimen; cap. Ex tenore; cap. Referente, qui fil. sint legit. Ita Rodriq; loc. cit. art. 1. Mir. tom. 1. man. quæst. 19. art. 3. Pet. Greg. lib. 2. part. iur. can. cap. 1. num 1. Filliuc. tom. 1. tract. 19. cap. 5. num. 131. Suar. de censf. disp. 50. sect. 1. num. 1. 2. 6. Mol. tract. 2. de iust. disp. 165. in princ.

105. Ex qua doctrina colligitur 1. quòd quādo mulier, habita notitia de morte sui coniugis, alteri bona fide nubit, proles ex hoc secundo matrimonio suscepta legitima est, priori marito verè viuente, ignorantia probabili ab illegitimitate excusante. Ita Maiol. de irreg. lib. 2. c. 5. num. 8. Sayr. de censf. lib. 6. cap. 10. num. 32. Sanct. var. quæst. 20. num. 3.

106. Colligitur 2. quòd filij nati ex matrimonio nullo ob aliquod impedimentum di-

Na 3 rimen-

gimen, legitimi sunt, non solùm quando vterq; coniux ignorat impedimentum, sed etiamsi solùm vnus ignoret, & alter sciat. Ita Barb. cap. Cum inter, qui fil. sint legit. num. 9. Filliuc. tract. 41. cap. 4. num. 5. fin. Mol. loc. cit. Maiol. loc. cit. num. 1. Azor par. 1. lib. 6. cap. 4. quæst. 22. Suar. cit. num. 6. Sayr. num. 31. Sanctar. nu. 4. Couar. par. 2. de matr. cap. 8. §. 1. num. 1. Henriq; lib. 11. cap. 10. nu. 1. Habetur in cap. Ex tenore; cap. Cum inter; cap. Peruenit, qui fil. sint legit. Et aduertit Couar. loc. cit. num. 4. quod semper præsumitur, dictos parentes tale matrimonium ignoranter, & bona fide contraxisse, dum non probatur, eos in mala fide fuisse.

107. Colligitur 3. quod filij nati ex parentibus, qui in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt, postea verò declaratur, matrimonium fuisse nullum, cum tamen ignoretur, an bona, vel mala fide contraxerint, legitimi censendi sunt. Suar. cit. sect. 4. num. 10. Sanctar. num. 6. colligitur ex cap. Peruenit, qui fil. sint legit. Idem dic, si quis habens votum simplex castitatis, matrimonium contrahat cum fœmina sibi coniuncta in aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, matrimonium dirimente; quod tamen impedimentum omninò ignoret, licèt peccet contra votum castitatis, proles tamen suscepta legitima est. Sanct. num 7.

108. Colligitur 4. quòd legitimi sunt ij filij, qui procreantur ex matrimonio clandestino valido. *Menoch.* Menoch. conf. 199. num 57. Sanct. nu. 8. Constat ex cap. 2. de eland. desponf. Item, si matrimonium clandestinum sit inualidum ob aliquod impedimentum, filij ex eo concepti antequam detegatur impedimentum, sunt legitimi, licet nati sint antequam tale matrimonium esset approbatum ab Ecclesia, modò postea approbetur. *Syluester.* Sylu. ver. Filij, quæst. 8. nu. 10. *Sanctarel.* Sanctar. num. 9. nam in pœnis benignior est interpretatio semper facienda, per reg. 49. In pœnis de reg. iur. in 6. Item filius illegitimus per subsequens matrimonium clandestinum validum legitimatur. *Sanchez.* Sanch. lib. 3. de matr. disp. *Garcia.* 44. num. 2. Garc. de benef. par. 7. cap. 2. num. 32. Illegitimi verò sunt filij nati ex matrimonio clandestino bona fide inito, quando tale matrimonium ob occultum aliquod impedimentum, quodcumq; illud sit, inualidum est; non enim præsumitur bona fides, vbi omittuntur ea, quæ sunt necessaria ad veritatem assequendam, cap. penul. in fine; cap. fin. d. 37. cap. fin. §. Si quis verò, de cla[n]d[e]st. de spons. Secus autem esset, si tale matrimonium postea ab Ecclesia approbaretur. Sanctar. num. 10. 11. Et nomine matrimonij clandestini intellige illud, quod quãuis celebratum sit coram Parocho, & testibus, fuerunt tamen absq. causa, & auctoritate omissæ denunciationes. *Auila.* Auil. de cens. par. 7. disp. 3. *Henriq;* dub. 6. in princ. Henriq; lib. 11. cap. 5. num. 1. *Barbosa.* Sanch. 3. de matr. [disp.] 2. num. 7. Barb. in cap. Cum inter. qui fil. sint. leg. num. 10.

109. Colligitur 5. quòd filius natus ex matrimonio nullo censetur legitimus, quousq; à *Maiolus.* iudice feratur sententia de nullitate. Malol. *Sayrus.* de Irreg. lib. 1. cap 5. nu. 7 Sayr. de cens. lib. 6. *Couarruu.* cap. 10. num. 33 Couar. loc. cit. num. 6. Constat ex cap. Cum inter, qui fil. sint legit. vbi Barb. nu. 13. immò est etiam legitimus post datam sententiam de nullitate matrimonij, interposita appellatione legitima, vt dicunt ijdem DD. Habetur in cap. Venientes, de iur. iur. cap. Non solum, de appell. in 6. & addit Couar. n. 7. quòd natus pendente termino decem dierum dato à iure ad appellandum, est legitimus; immò ait Sayr. num. 34. quòd etiam proles erit legitima, quando coniuges separantur quoad totum ante declarationem inualiditatis matrimonij, etiamsi prohibita sit copula sub pœna excommunicationis; quod etiam docet Maiol. loc. cit. num. 5. Constat ex cap. 1. & 2. de matr. contr. contra interd. Eccl.

110. Colligitur 6. quòd filij nati ex parentibus, qui de validitate matrimonij dubij erant, sunt legitimi, & censentur esse in bona fide; per reg. in cap. Si virgo, 34. quæst. 1. vbi ait Aug. bonæ fidei possessorem dici, qui se possidere ignorat alienum; malæ verò fidei, cum sciuerit, alienam rem esse, quam possidet. Vnde constat, quòd ad malam fidem inducendam requiritur, quòd positiuè sciatur vitium possessionis, seu impedimentum existens; ad bonam verò fidem sufficit ignorantiam vitij, seu impedimenti per negationem scientiæ; quæ ignorantia, & negatio reperitur in dubitante, non enim positiuè scit impedimentum, & consequenter ignorat. Atq. ita Barb. in cap. *Barbosa.* Cum inter, qui fil. sint legit. num. 18. Glossa in cap. vlt. de præscr. ver. Nulla temporis: Abb. *Abbas.* dicto cap. vlt. num. 40.

111. Colligitur 7. quòd filij nati ex parentibus, qui votum simplicis castitatis ex mutuo consensu emiserunt, sunt legitimi, nullo iure vetante, & odia restringi debent; cap. Odia, de reg. iur. in 6. Less. lib. 2. de iust. cap. 19. dub. 6. *Lessius.* num. 57. Sanctar. vai. quæst. 21. num. 1. *Sanctarel.*

112. Colligitur 8. quòd filij progeniti ex parentibus legitimo matrimonio inter se coniunctis, sunt legitimi, quamuis vir ex consensu vxoris sacros ordines susceperit, & post susceptos ordines carnaliter se cognoscentes, istos filios genuerint. Suar. de cens. disp. 50. *Suarez.* sect. 2. num. 4. Maiol. de irreg. lib. 2. cap. 4. *Maiolus.* num. 9. Sylu. ver Illegitimus, quæst. 4. num. 6. *Sylu.* Sanctar. loc. cit. num. 2. Hi enim vera nati sunt de legitimo matrimonio, & nullo iure vetante.

113. Colligitur 9. quòd si quis contrahat matrimonium cum aliqua, & postea sine consensu illius ordines sacros suscipiat, si vxorem suam cognoscat, proles suscepta erit legitima. Maiol. loc. cit. Host. in sum. lib. 1. tit. de fil presb. *Hostiensis.* num. 8. Suar. loc. cit. num. 3. Sayr. lib. 6. cap. 10. *Sayrus.* num. 40. de cens. Sanctarel nu 6. Proles enim non est sacrilega ex parte vxoris, sed licita. Contrarium tamen sentit Goffr. in sum. tit. de *Goffredus.* fil. presb. Item sunt legitimi filij nati ex parentibus legitimo matrimonio vnitis, quamuis alter coniux ingrediatur Religionem, altero coniuge ignorante, vel sciente quidem, sed contradicente, & in ea etiam professionem emiserit, si post professionem religiosus suam coniugem carnaliter cognoscat; non enim potest talis professio præiudicare vxori, cap. Quidam; cap. Placet, de conuers. coniug. Sanct. loc. cit. num. 8. quod est verum, etiamsi ambo coniuges ex mutuo consensu emiserint solemnem professionem in Religione,

& post

& post eam filios genuerint. Sanctar. quæst. 21. num. 9. quia matrimonium validum est, & nullum ius vetat in hoc casu. Contrarium tamen tenet Rebuff. in prax. tit. de dispens. sup. def. nat. num. 40. Item, si, vno coniuge profitente Religionem, alter in seculo remaneat, si hic continere non possit, potest coniugem iam professum repetere, quamuis professionem emiserit de consensu illius, & filius ex illis genitus erit legitimus. Sayr. lib. 6. cap. 10. num. 41. Sanctar. var. quæst. 21. num. 10. & supponitur in cap. 1. de conuers. coniug. iuncta glossa, ver. Reuocari.

114. Colligitur 10. quòd filius illegitimus legitimatur per subsequens matrim. cap. Conquestus; cap. Tanta, qui filij sint leg. l. Cum quisq; & l. Nuper, Cod. de nat. lib. §. vlt. Suar. de cens. dis. 50. sect. 1. num. 2. Garc. de benef. par. 7. cap. 2. nu. 58. modò tamé tempore conceptionis, vel natiuitatis parentes essent habiles secundũ naturam, & canones ad contrahendum, vt io. dicto cap. Tanta. Et legitimatur, etiamsi parens dicto tempore esset in minoribus ordinibus constitutus. Lud. De Sardis quæst. 4. num. 18. de nat. lib. §. De legit per verum matrim. immò etiãsi beneficium haberet ecclesiasticum; quia cum his non est prohibitum matrimonium contrahere. Sayr. lib. 6. cap. 10. num. 17. Lup. de illeg. comm. 4. §. 3 num. 5. Campanil in diu. rubr. 11. cap. 13. num. 125. 126. Maiol. lib. 2. de irreg. cap. 4. num. 15. Couarr. de matr. par. 2. cap. 8. §. 2. num. 5. Item genitus ex religioso, vel religiosa intra annum probationis fit legitimus per sequens matrimonium; Maiol. loc. cit. Sayr. num. 18. Couarr. loc. cit. num. 5. vers. Quartò ex his. Molin. tract. 2. de iust. disput. 172. Cened. ad decretales, collect. 68. num. 5. quia eo tempore parentes inter se legitimè contrahere poterant. Item legitimatur illegitimus per subsequens matrimonium, inter quod aliud matrimonium mediauit. Vt V. G. si duo se cognoscant, & prole suscepta; vel nata, vnus eorum, V. G. pater, contrahat cum alia fœmina, qua mortua, contrahit 2. matrimonium cum illa, ex qua filium habuit; ita Sayr. loc. cit. num. 19. Maiol. num. 16. Host. in sum. lib. 1. tit. de fil. presb. num. 6. Sylu. vers. Illegitimus, quæst. 3. num. 5. Cened. num. 4. Campanil. cit. num. 131. quia eo tempore parentes erant habiles ad contrahendum. Item legitimatur, etiamsi parentes contrahendo conuenirent de non legitimando filio nato. Couar. loc. cit. num. 18. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 10. nu. 23. Mol. tract. 2. de iust. disp. 172. col. 2. ver. Vt naturales: quia huic matrimonij fauori parentes renunciare non possunt. Et aduerte, quòd ad legitimandam prolem per subsequens matrimonium, sufficit, quod matrimonium sit ratum, licèt non consumatum. Sayr. lib. 6. de cens. cap. 10. num. 18 Henriq. lib. 11. cap. 10. §. 1. quia matrimonium ratum est verum matrimonium, & canones absolutè dicunt, quòd proles legitimatur per subsequens matrimonium.

Suarez. Garcia. De Sardis. Sayrus. Lupus. Campanil. Maiol. Couarru. Molina. Cenedus. Hostiensis.

115. Colligitur 11. quòd filius illegitimus habitus ex incestu, vel alio impedimento irritante, legitimatur per subsequens matrimonium celebratum cum dispensatione Papæ, cum clausula, *prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo.* Ita Garc. de benef. par. 7. cap. 2. num. 40. Sanct. var. quæst. 22. num. 12. Farin. par. 1. decis. 166. num. 5. Barb. in cap. Tanta, qui fil. sint leg. num. 38. colligunt ex dicto cap. Tanta; & cap. Per venerabilem, qui fil. sint legit. Et addit Barb. num. 39. hoc etiam habere verum, quando, obtenta dispensatione super celebratione matrimonij, & legitimatione prolis, illud per superuenientem mortem vnius coniugis, non potuit effectuari.

Garcia. Sãctarell. Farinac. Barbosa.

116. Colligitur 12. quòd filius illegitimus legitimatur per subsequens matrimonium contractum ab infirmo propè mortem, vel sene decrepito. Lud. De Sard. loc. cit. quæst. 1. Couar. de matrimonio par. 2. cap. 8. §. 2. num. 10. Henriq; loc. cit. Campanil. in diuers. iur. rubr. 11. cap. 13. num. 137. Sanctarell. var. quæst. 25. num. 3. Molin. loc. cit col. 5. ver. Dubium præterea est. Cened. coll. 68. ad decret. num. 2. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 10. num. 22. quia tale matrimonium est verum, vt probant dicti DD. ergo debet prolem legitimare, iuxta cap. Tanta, qui fil. sint legit.

De Sardis. Couarr. Henriq. Campanil. Sanctarel. Molina. Cenedus. Sayrus.

117. Colligitur 13. quod filij spurij, (de quibus dicam infra num. 121.) per subsequens matrimonium non legitimantur, etiamsi spureitatis causa ab altero, vel ambobus coniugibus ignoretur. Ita Garc. de benef. par. 7. cap. 2. num. 33. Molin. de iust. tract. 2. disp. 172. vers. Per subsequens. Suarez de cens. disput. 50. sect. 1. num. 5. Sanctar. var. quæst. 22. num. 14. Henriq; lib. 11. cap. 10. §. 3. Couarr. par. 2. de matrimon. cap. 8. §. 2. à num. 16. P. Greg. synt. iur. lib. 10. c. 4. nu. 4. Prob. ex cap. Tanta, qui fil. sint leg. Et quia danti operam rei illicitæ imputatur quidquid interuenit, etiam præter eius intentionem; cap. Continebatur; cap. Tua, de homic. nec id est contra illud, quod dictum est num. 106. nam ibi bona fides versatur circa consummationem matrimonij, hic autem solùm circa maius, vel minus, peccatum. Verùm contraria sententia, quòd scilicèt filij spurij per subsequens matrimonium legitimentur, quando spureitatis causa ab ambobus, vel altero coniugum ignorabatur, non est improbabilis, quam tenet Glossa in cap. Tanta, ver. Aliam; Innocent. in cap. Ex tenore, qui fil. sint legit. A. Gabriel. comm op. tom. 3. lib. 6. concl. 2. num. 5. tit. de legitim. Gloss. in cap. Non omnis, 32. quæst. 2. ver. Constituente. Cassad. decis. vn. de spons. Et tunc ad dictum cap. Tanta dic, quòd habet locum in casu, quando mala fides adest in vtroq; Immò Cassad. Gabriel. & Gloss. in cap. Non omnis, & gloss. in cap. Innotuit, ver. Coniugata, de elect. & P. De Bais. in direct. elect. par. 2. cap. 1. num. 6. videntur docere, quòd legitimentur dicti spurij per subsequens matrimonium, etiamsi ab ambobus sciatur dicta spureitatis causa. Et dicit dicta Glossa, cap. Non omnis, quod sufficit, quòd contrahentes sint habiles tempore matrimonij, etiamsi inter ipsos extiterit aliquod impedimentum irritans tempore procreationis prolis, quia sequens matrimonium omnia præcedentia purgat. Sed hoc non admitto, propter tex. dicti cap. Tanta; Nisi fortè ad illum respondeas, habere solum locum in casu, de quo loquitur, &, cum simus in pœnalibus, non pos-

Suarez. Pet. Greg. Innocen. A. Gabr. Cassador. P. De Bais.

tem, aut nouem, aut vndecim amaras amygdalas ederit. Et qui pulmonem ouis elixum ieiunus ederit, quantumuis bibat, ebrietatem non sentiet. *Cato.* Et Cato lib. de re rust. cap. 156. ait, quòd *si voles in conuiuio multum bibere, cœnareq; libenter, ante cœnam esse crudam* [brassicam] *quantum voles ex aceto. Et item, vbi cœnaueris, comeste aliqua folia; reddent te quasi nihil ederis, biberisq; bibesq; quantum voles.*

69. Si quæras etiam, an lusores, & ebrij habeant vocem actiuam in electionibus? ℞. cum constet per supradicta, quòd dicti sint irregulares, & existimentur infames, philosophandum de ijs est, sicut de irregularibus, & infamibus. Vnde puto, quòd lusores non possint habere vocem actiuam, quia talis infamia videtur esse expressa in cap. Inter dilectos, de excess. Prælat. quatenus vocantur Prælaturis indigni, & personæ viles. Et uidetur posse argui ab indignitate passiua ad actiuam; quid enim boni sperari potest á tam indigna, & vili creatura? Et qui sibi nequam est, quomodò curabit ea per boni Prælati electionem, quæ ad Ecclesiam Dei spectant? Quò uerò spectat ad ebrios: verè isti nõ videntur priuati secundum ius commune à voce actiua præstãda tempore sobrietatis; per cap. Quamuis, 7. quæst. 1. Quod caput licet loquatur de furiosis, & patientibus lucida interualla, intelligitur tamen etiam de ebrijs, qui furiosis æquiparantur secundùm communem DD. Et colligitur ex cap. Venter, d. 35. vnde hos posse eligere extra tempus ebrietatis, docet *Sigismūd.* Sigism. de elect. dub. 89. num. 8. Sed. in Ordine nostro aliter dicendũ est; nam eo ipso quòd quis iuridicè damnatus est de ebrietate, est perpetuò priuatus voce capitulari, vt constat ex Correct. num. 55. Per vocem autem capitularem intelligitur vox actiua, & passiua, vt declaratũ *Passarell.* est in cap. Genuen. 5. num. 17. Et firmat Passar. in schol. ex dicto cap. dicto num. 17. Et aduerte, quòd non possunt rehabilitari per vllum capitulum, etiam generale, nam super perpetuis priuationibus non habent capitula generalia auctoritatem.

70. Ad vltimum nota, quòd pro morientibus in ebrietate Ecclesia non orat, si erat assidua, quia existimatur culpa mortalis; cap. 1. de reliq. & ven. SS. cap. Pro abeuntibus; 13. quæst. 2. *P. Gregor.* Dicit P. Greg. lib. 39. synt. cap. 8. num. 2. Et 1. Cor. 6. *Ebrij regnum Dei non possidebunt.*

§. 6. *Vtrum circa fidem maculati possint eligi ad Prælaturas regularium,*

Sigismun. Miranda. Rodriq. Portel. Campanil. Garcia. Lambert. Sanchez. Parisius. Passarell. Bonacina. Auila. Diaz. Salzeds.

71. IDE Sigismund. de elect. dub. 81. & 83. Mirand. tom. 2. man quæst. 1. Rodriq; to. 1. qq. reg. quæst. 14. Portel. in dub. reg. ver. Electio, n. 11. & in add. ver. Nouitius, à num. 19. Campanil. in diuer. iur. rub. 11. cap. 26. à num. 5. Garc. de beneficio par. 11. cap. 10. à num. 59. Lambert. de iur. patr. par. 1. lib. 2. quæst. 9. art. 6. Sanch. lib. 2. in dec. cap. 26. 27. Paris. de resig. lib. 4. quæst. 3. à num. 14. Passar. in schol. ex Genuen. num. 31. & in not. prin. cap. 29. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 7. à num. 1. Auil. de cens. par. 7. disp. 4. dub. 2. à concl. 2. Diaz in pract. cap. 116. vbi Salz. Maiol. de irreg. lib. 5. cap. 46. Farin. de hær. quæst. 189. §. 6. à num. 70. & quæst. 191. § . 2. à num. 44. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 43. sect. 1. 2. & 3. Pegna in direct. in q. comm. 162. 163. 164. P. Greg. de benef. cap. 26. num. 5. Sanctar. de hær. cap. 33. & cap. 34. dub. 1. & 2. Ricciul. de iur. pers. lib. 5. cap. 19. Barb. in cap. Ad abolendam, de hær. num. 5. & 6. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. Sayr. in clau. reg. lib. 3. cap. 9. num. 30. vers. Sic etiam; Nauarr. lib. 5. cons. cons. 22. de hær. *Maiol. Farinac. Suarez. Pegna. P. Greg. Sanctar. Barbosa. Azor. Sayrus. Nauarrus.*

72. Dico 1. hæreticus ineligibilis est ad Prælaturas regularium; quòd si eligatur, electio est ipso iure nulla. Nec solùm ipse hæreticus est ita ineligibilis, sed etiam eius receptatores, fautores, defensores. Sanch. cit. cap. 26. num. 4. Pegn. cit. com. 161. ver. Ad hæc. Farin. cit. q. 189. num. 71. 73. 74. P. Greg. & Sayr. loc. cit. Lambert. num. 7. Sanctar. cit. cap. 33. dub. vn. num. 4. Prob. 1. ex tex. claro in cap. Quicunq; §. Hæretici, de hær. in 6. & ex cap. Statutum el. 2. eod. tit. & lib. Tum quia 2. hæretici sunt excommunicati; cap. Nouerit, de sent. exc. cap. Achatius; cap. Audiuimus, 24. quæst. 1. cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus, 1. & 2. de hær. cuius absolutio est reseruata Papæ in bulla cœnæ. Plura Farin. de hær. quæst. 92. §. 1. n. 1. Sanctar. de hær. cap. 3. num. 1. Tum quia sunt extra Ecclesiam; c. Excommunicamus, elect. 2. c. Vergentis, de hær. vnde non admittuntur ad acquirendas dignitates ecclesiasticas; non enim debent aliquid Ecclesiæ catholicæ possidere, qui extra illam sunt; cap. Quo iure, §. Legantur, d. 8. cap. 1. & 2. 23. quæst. 7. & de his, qui foris sunt, nihil ad nos. Tum quia sunt infames; cap. Infames, 6. quæst. 1. cap. Alieni, 2. q. 7. Probant Sanctar. loc. cit. cap. 25. dub. 2. num. 10. Ricciul. de iur. pers. lib. 5. cap. 10. per totum. Farin. cit. q. 189. §. 4. à num. 40. Sanch. 2. in decal. cap. 26. num. 1. Tum quia sunt irregulares; cap. Saluberrimum, cap. Conuenientibus, 1. q. 7. cap. Nos consuetudinem, d. 12. Probant Suar. de cens. disp. 43. sect. 1. num. 2. Auil. de cens. p. 7. disp. 4. dub. 2. concl. 2. Sanctar. cit. cap. 25. dub. 1. num. 1. & 2. Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 26. num. 1. Sanch. cit. c. 25. nu. 2. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 7. num. 1. Farin. cit. num. 43. ver. Et hinc; & quæst. 191. §. 5. num. 67. Garc. de benef. par. 11. cap. 10. num. 81. Tum quia sunt ipso facto priuati dignitatibus, quas possident, quocumq; tempore obtentis; cap. Vt cum ipsi, uer. Priuandi, de hær. in 6. Ergo multò magis obtinendis, per dicta nu. 59. Sanch. cit. cap. 26. num. 6. Ricciul. num. 8. Sanctar. cap. 33. num. 1. & 2. Farin. quæst. 189. num. 69. Camp. num. 6. Barb. in cap. Ad abolendam, de hær. num. 5. & 6.

73. Noto 1. quòd conclusio intelligitur tam de hæreticis manifestis, quàm de occultis, iuxta dicta sup. de excommunicatis. Docet Farin. loc. cit. num. 72. Sanch. cit. cap. 25. num. 2. & 15. Bonac. loc. cit. num. 3. Suar. de cens. disp. 43. sect. 1. num. 4. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 7. Sanctar. cap. 3. num. 7. & 8. Dixi, occultis, non mentalibus, hos enim non puto esse excommunicatos, nisi signum aliquod exterius interioris hæresis natura sua manifestatiuũ exprimant. Vide pro hoc Farin. de hær. q. 192. §. 8. à nu. 4. Garc. de benef. par. 11. cap. 10. à nu. 91.

74. No-

74. Noto 2. quòd conclusio intelligitur etiã post publicam hæretici emendam. Suar. loc. cit. num. 2. Sanch. 2. in dec. cap. 25. num. 2. Maiol. de irreg. lib. 5. cap 46. num. 1. Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 26. num. 3. *Speculator* Spec. lib. 1. tit. de dispen. num. 16. ver. Sexto. Garc. loc. cit. num. 81. *Trottus.* Ricciul. lib. 5. cap 18. num. 1. Trot. de perf. cler. lib. 2. par. 1. requis. 15. num. 79. Constat ex cap. Conuenientibus §. Ex hac auctoritate, 1. quæst. 7. cap. Nos consuetudinem, d. 12. Qui DD. & tex. concludunt etiam de ordinibus, ita vt qui lapsus est formaliter in hæresim, siue occultè, siue manifestè, etiam post absolutionem remaneat irregularis, non solum quò ad recipiendas dignitates, sed etiam quò ad recipiendos ordines, & etiam quò ad exercendum eos ipsos, quos habet. Vide Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. p. 7. à num. 6. Et nota, quod anno 1626. 1. Octob. exijt decretum, quod refero tom. 1. priu. in const. 9. Pauli V. num. 29. de mandato Vrb. VIII. quo cauetur, Regulares pœnitentiatos à S. Inquisitionis officio, inhabiles esse ad dignitates, etiamsi pœnitentias compleuerint, & rehabilitatio reseruatur Papæ, vel Congregationi coram eo habendæ. Quod priùs in Ordine nostro fuit decretum in cap. Val. 4. nu. 45 & confirmatum Auen. 1. num. 18. & innouatum Genu. 5. n. 29. *Pegna;* Et propterea aduertunt Pegna in direct. inquis. par. 2. comm. 65. col. 3. ver. Illud. hoc loc. Farinc. de hær. quæst. 193. *Vechius,* num. 69. Vecch. de nouit. disput. 3. dub. 16. num. 1. quòd pœnitentes hæretici, sine dispensatione Papæ Religionem intrare non possunt. Quod probant ex Concil. Narbon. cap. 18. vbi ea redditur ratio. Ne per tales Religionis simplicitas corrumpatur. Quod tamen limitat Vech. Nisi ante sententiam tacti dolore cordis, Religionem petant; nam tunc dispensatione nõ egent. Et aduerte, quòd hæc procedunt in conscientia, etiamsi nihil exteriùs sciatur, vt ex dictis DD. colligitur, & tenet Portel. add. ad dub. *Portel.* reg. ver. Nouitius, num. 2.

75. Dico 2. Filij hæreticorum, fautorum, receptatorum, & defensorum vsq; ad 2. generationem per lineam paternam, & vsque ad primam, per lineam maternam, sunt ineligibiles ad Prælaturas Regularium. Quòd si nihilominùs eligatur, electio est ipso iure nulla. Quod est dicere, quòd quando sola mater est hæretica, soli filij, non nepotes, sunt ineligibiles, si autẽ pater sit hæreticus, non solum filij, sed & nepotes ineligibiles sunt, nepotes, inquam, ex filio, non ex filia, quia patris conditionem sequuntur, vt declarat Sanch. 2. in dec. cap. 27. num. 2. Ita Farin. de hær quæst. 191. §. 2. à num. 48. Azor. tom. 1. lib 8. cap. 13. quæst. 8. ver. Quod autem dicitur, Pegna in direct. Inquis. par. 3. comm. 163. & comm. 164. in princ. Auil. de cens. par. 7. disp. 4. dub. 3. concl. 1. Sanctar. de hær. cap. 34. dub. 2. num. 12. Suar. de cens. disp. 43. sect. 3. nu. 1. Garc. de benef par. 11. cap. 10. à num. 72. Maiol. de irreg. lib. 5. cap. 46. num. 5. Camp. in diu. iur. rub. 11. cap. 26. num. 7. & 8. Ricciul. de iur. pers. lib. 5. cap. 29. num. 2. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 3. par. 7. num. 9. Lambert. de iur. *Gomesius;* patr. par. 1. lib. 2. quæst. 9. art. 6. fine. Gomes. *Lessius.* var. to. 3. c. 2. nu. 4. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. nu. *Nauarrus* 123. Nauar. in man. cap. 27. num. 206. Constat ex cap. Quicunq; §. Hæretici; ex cap. Statutũ, el 2. & ex cap. Vt cum ipsi, de hær. in 6. vbi ad literam nostra conclusio.

76. Noto 1. quod conclusio intelligitur, tam de filijs legitimis, quam illegitimis; vbi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Farin. loc. cit. num 54. Sanch. cit. num. 1. Glossa in cap. Statutum, el 2. ver. Volemus, de hær. in 6. Pegna loc. cit. com. 163. col. 2. ver. In hac quæst. vbi eam reddit rationem; Quia aliàs melior esset conditio illegitimorum, quam legitimorum, & maius priuilegium haberet luxuria, quam castitas. Ita etiam Couar. lib. 2. var. *Couar.* cap. 8. num. 3. Auil. loc. cit. ver. Præterea, Ric- *Azor.* ciul cit. cap. 30. num. 1. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 4. vers. Si quæras. Campanil. cit. num. 11.

77. Noto 2. quòd filij eorum, qui sunt reconciliati Ecclesiæ, & in tali reconciliatione recesserunt, non comprehenduntur in nostra concl. Ita in cap. Statutum, el 2. de hær. in 6. & declarauit Honor. IV. in sua 2 const. Exhibita, apud Cherub. tom. 1. bull. pag. mihi 125. Atq; ita Farin. loc. cit. num. 64. Less. num. 124. Suar. cit. *Cherubin.* Sanch. cit. num. 21. Garc. cit. num. 72. Auil. loc. cit. vers. Nihilominùs. Eos tamen reconciliatos ad hunc effectum non dicas, qui catholici licet obeant, traduntur tamen brachio seculari comburendi, eo quòd relapsi sunt; Nam hi præsumuntur decedere in eadem hæresi; & solùm fictè ad fugiendum viuæ combustionis pœnam illi abiurasse. Ita Sanch. loc. cit. num. 24. Azor loc. cit. ver. Si roges; & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3. vers. Dubiæ etiam quæst. est. Sigismund. de *Sigismun.* elect. dub. 82. num. 7. Auil. loc. cit. Farin. loc. cit. num. 65. Sanctar. de hær. cap. 34. dub. 2. nu. *Sãctarell.* 16. Suar. cit. sect. 3. num. 4. Pegna cit. comm. 164. col. 1. ver. Oppositam. Glossa in cap. Statutum, el 2. de hær. in 6.

78. Et si cupis scire, quis sit hæreticus relapsus, vide cap. Ad abolendam, §. illos quoque; & cap. Excommunicamus 1. §. Adijcimus, de hær. vide etiam Eymer. 3. par. direct. num. 150. vbi *Eymericus* Pegna comm. 38. col. 6. Salz. ad Diaz, cap. 116. *Pegna.* ver. De qua abtur. Et ex his conclude, quòd hæ- *Salzeds.* reticus relapsus est, qui hæresim de vehementi abiurauit, & deinde ad eamdem, vel aliam hæresim reuersus est. Seu qui de hæresi grauiter infamatus, coactus fuit de ea se purgare tamquam vehementer suspectus, si postea deprehendatur, in eamdem hæresim, de qua se purgauit, incidisse, est verè relapsus. Si autem in aliam hæresim, de qua non se purgauit, inciderit, relapsus non est.

79. Noto 3. grauissimam esse quæst. inter DD. an filij nati ante paternam hæresim, comprehẽdantur in nostra conclusione; quam difficultatem fusissimè tractat Sanch. 2. in decal. cap. 27. *Sanchez.* à nu. 6. Breuiter, puto comprehendi. Tum propter illud Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, & zelotes, visitans iniquitatem* (hæresis) *patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum.* Tum quia in cap. Statutum, el. 2. de hær. dicitur, quòd filij hæreticorum, quorum parentes hæretici decesserunt, affirlantur dictis pœnis, ergo ad eas incurrendas satis est, quòd pater hæreticus decesserit; &, cum non distinguat de natis ante, vel post hæresim, nec nos distinguere debemus; l. 2. ff. de off. præsid. præsertim in fauorem fidei. Tum quia filij

hij sunt quid patris, vnde magis cruciantur patres pœna filiorum, quam propria, vt expresse dicitur l. Illi quidem, ff. de eo quod met. caus. Tum quia filij parentum mores imitari solent, vt probant illi versus Naz. ad Nicob. tom. 2. *Nazianz.*

Gloria namq; patri natorum fama, decusq;
Vt rursus natis est gloria fama parentum:
Gratia communis, labes communis vtrisq;

Et constat ex l. Quisquis, §. Filij, Cod. Ad legem Iuliam maiest. Tum quia hoc videntur meritò iussisse legislatores ob atrocitatem delicti in hæreticorum odium, vt colligitur ex eadē l. Atq; ita hanc sententiam defendunt Farin. loc. cit. nu. 52. 57. Suar. de cens. disp. 43. sect. 3. num. 2. Couar. lib. 2. var. cap. 8. num. 5. vers. Tertiò, Gom. tom. 3. var. cap. 2. num. 16. vers. Sed his non. Ricciul. de iur. pers. lib. 5 cap. 3. num. 28. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. vers. Octaua pœna; & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3. vers. Dubiæ quæst. est. Pegna in direct. par. 3. com. 163. col. 2. vers. Omissis tamen. Sigism. de elect. dub. 81. num. 3. Garc. de benef. par. 11. cap. 10. à num. 77. *Farinac. Suarez. Couarru. Gomez. Ricciullu. Azor. Pegna. Sigismūd. Garcia.* Et aduerte, quòd dicti filij hæreticorū nati ante, vel post paterna hæresim, sunt ipso facto priuati dignitatibus, quas possident, vt tenent Farin. Couar. Ricciul. Garcia, Gomez. loc. cit. licèt negent Pegna col. 3. vers. In hac quæst. Azor ver. Si roges. Suar. Tum quia Ecclesia maximè odit talem progeniem, Tum quod iura in cap. Quicumq; §. Hæretici, & in cap. Statutum, el 2. de hær. In 6. eodem modo loquuntur quantum ad pœnas de hæreticis, ac de filijs eorum, sed hæreticos diximus esse ipso facto priuatos, (post tamen sententiam declaratoriam delicti, vt Farin. de hær. quæst. 189. num. 80. Sanch. 2. in decal. cap. 26. num. 7. quos videbis pro effectibus, quos parit priuatio ipso facto, & priuatio post sententiam declaratoriam delicti; Farin. quidem num. 79. Sanch. verò num. 9.) *Sanchez.* Tum quòd id mihi videtur expressum in cap. Vt commissi, de hær. In 6. ibi *priuandi, vel priuatos nunciandi*, licèt huius cap. vim eneruare conetur Campanil. In diuer. iur. rubr. 11. cap. 26. num. 21. sed ex hoc loco omnes DD. communiter concludunt, hæreticos esse ipso facto priuatos dignitatibus; Id enim insinuat illa particula, *vel priuatos nunciandi*. Ergo cum hoc cap. eodem modo loquatur de hæreticis, ac de ipsorum filijs, eodem planè modo intelligēdum est quò ad vtrosq; Nec propter pietatem à pio iure gratis est recedendum velle enim videri pium cum detrimento pietatis, Impium est. Pietas enim summa est, quòd sancta mater Ecclesia suorum rebellium filios solùm dignitatibus priuet, ad quod facit cap. Vergentis, de hær. fine; & quæ habet Salz. ad Diaz. cap. 22. num. eodem. *Salzedo. Diaz.*

80. Noto 4. quòd ad hoc vt filij hæreticorum dictis pœnis afficiantur, necesse est, quòd eorum parentes in iudicio fuerint conuicti, vel confessi, vel saltem vt res sit satis publica, & omnibus probata. Ita Suar. de cens. disp. 43. sect. 3. num. 2. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8. ver. Deinde quæres, Farin. de hær. quæst. 191. num. 69. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. num. 124. Sanch. 2. in decal. cap. 27. num. 18. *Suarez. Azor. Farinac. Lessius. Sanch.* Quod satis probat illa clausula posita in cap. Statutum, el 2. de hær. In 6. *Qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur.* Vnde filij hæreticorum occultorum, & qui nullo ex prædictis modis probati sunt hæretici, non incurrunt dictas pœnas, licet Azor tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3. videatur dicere, quòd etiam filius occulti hæretici, etiāsi ante mortem resipuerit, non possit dignitates obtinere. Sed nullo nititur solido fundamento. Puto tamen, incurrere filios eorum, qui condemnati sunt in contumacia, & quorum statuæ combustæ sunt. Tum quia tales iudicio Ecclesiæ habentur tamquam pertinaces. Tum quia contumax habetur pro conuicto; Gloss. in cap. Cum contumacia, de hær. in 6. Atq; ita Pegna in direct. par. 3. com. 164. col. 3. ver. At in casu nostro; Sanctarell. de hær. cap. 34. dub. 2. num. 19. Riciul. lib. 5. cap. 3. num. 45. Farin. de hær. quæst. 191. num. 55. Sanch. cit. num. 19. *Pegna. Sanctarel. Ricciullus.* An autem idem dicendum sit de filijs eorum, qui obiere suspecti de hæresi, affirmat Azor loc. vltimò cit. ver. Si roges, Quod durum videtur Sanch. loc. cit. cap. 27. num. 29. Quod non est durum, si de tali suspicione fuerint condemnati, scandalum enim, quod dant propter talem suspicionem, hanc pœnam meretur. Sed æquius transeo in opinionem Sanch. licèt enim remaneat infamia, non remanet tamen quò ad effectus, ob benignitatem canonum. Atq; ita sentit etiam Ricciul. loc. cit. cap. 19. num. 26. Sanct. cap. 33. dub. vn. num. 6.

81. Noto 5. quòd filij hæreticorum sunt irregulares, atq; ita non possunt ordinari absq; dispensatione Papæ, quia ordines ad dignitates Ecclesiasticas sunt instituti; & habetur in cap. Quicumq; de hær. in 6. §. Hæretici. Vnde in Trid. sess. 7. cap. 13. de refor. Innouando cap. Quando, d. 24. præcipitur, vt Episcopi genus promouendorum ad ordines inquirant, idest, an promouendus sit ex filijs, aut nepotibus hæreticorum, fautorum, &c. vt exponunt Sanch. 2. in decal. c. 28. n. 15. Auil. de cens. p. 7. disp. 4. dub. 4. concl. 3. Henriq; lib. 10. cap. 17. num. 2. in com. lit. G. Campanil. rub. 11. cap. 16. num. 7. *Sanchez. Auila. Henriq. Campanill.* Atq; ita Sanch. cit. num 7. Auil. dub. 3. concl. 1. Suar. de cens. disp. 43. sect. 3. num 1. Salz. ad Diaz, cap. 28. num. 11. *Suarez. Salzedo.* An autem filij hæreticorum sint infames, negat Sanch. loc. cit. num. 5. Affirmat Couar. 2. var. cap. 8. num. 3. *Couar.* quia filij læsæ maiestatis humanæ reputantur infames; l. Quisquis, §. Filij verò, Cod. ad legem Iuliam maiest. Ergo multò magis filij læsæ maiestatis diuinæ.

82. Dico 3. Neophyti sunt ineligibiles ad Prælaturas Regularium. Ita Trott. de perf. cler. lib. 1. par. 1. req. 8. num. 32. Suar. loc. cit. num. 5. Savr. de cens. lib. 6. cap. 13. nu. 10. Barb. de potest. Episcop. par. 1. tit. 2. glossa. 17. nu. 5. Sigismund. de elect. dub. 84. num. 2. P. Greg. de elect. cap. 11. num. 2. Auil. loc. cit. concl. 1. Nau. in man. cap. 27. num. 206. Paris. lib. 4. de resig. quæst. 4. num. 10. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 2. q. 2. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. par. 1. num. 5. Salz. ad Diaz. cap. 28. num. 2. Couar. in clem. Si furiosus, par. 1. §. 1. num. 7. Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 31. num. 1. Ricciul. de neoph. cap. 2. num. 4. Rom. sing. 679. Spec. par. 1. tit. de disp. §. Iuxtà, num. 13. Lamb. de iur patr. lib. 2. par. 1. quest. 7. art. 14. num. 2. Henriq; lib. 14. cap. 4. §. 7. Campanil. rub. 11. cap. 7. nu. 3. Host. in sum. tit. de temp. ord. nu. 31. Rodriq. tom. 1. q. reg. quæst. 14. art. 5. *Trottus. Sayrus. Barbosa. Sigismūd. P. Greg. Nauarrus. Parisius. Azor. Maiolus. Ricciullus. Romanus. Speculator. Lambert. Henriq. Hostien. Rodriqz.* Prob. ex cap. Quoniam; cap.

Sicut

Sicut neophytus, d. 48. cuius prohibitionis rationes reddit Grat. in princ. dictæ d. dicens, *Prohibetur neophytus in Episcopos ordinari, vt qui heri erat cathecumenus, hodie non fiat Episcopus. Qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in Ecclesia. Qui vespere erat in circo, hodie non ministret altario. Qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator virginum. Causa autem huius prohibitionis est secundum Apostolum 1. ad Tim. 3. ne elatus in superbiam, tamquam Religio Christiana plurimum eius egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namq; sacerdos nescit habere humilitatem, obseruare modos personarum, vel contemnere. Non ieiunauit, non fleuit, non se correxit, non pauperibus erogauit. In arrogantiam, quæ est ruina diaboli, incidunt, qui puncto hora, necdum discipuli, fiunt magistri*, &c. vbi, vt apparet, duæ assignantur rationes huius prohibitionis. 1. ne incidant in superbiam, putantes, fidem Christianam ipsorum indigere. 2. quia inexperti non poterunt obseruare ea, quæ ratione personarum, locorum, temporum sunt Prælatis obseruanda.

83. Noto 1. quòd per neophytum intelligo illum, qui ea iudaica lege, aut mahumetica, vel ethnica de recenti Christianæ militiæ nomen dedit. Dico de recenti, nam qui à multo tempore V. G. decennio, vt placet Nauar. loc. cit. Suar. num. 6. Campanil. num. 4. Sayr. nu. 11. Bonac. cit. vel à natiuitate, etiamsi a parentibus reprobatæ Religionis descendat, baptismũ suscepit, neophytus dicendus non est. Et multò minùs neophytus dicendus est, qui à patre conuerso natus est; immò nec neophytus dicendus est, qui à natiuitate baptizatus est, etiãsi pater eius adhuc in infidelitate persistat. Ita DD. communiter, in specie Sanch. 2. in decal. cap. 28. num. 11. Ricciul. loc. cit. c. 1. num. 2. & 3. Couarr. cit. num. 7. ver. 1. conclusio, Salz. num. 8. vnde excludendus non est à sacris ordinibus, nec ab Ecclesiasticis dignitatibus, qui à patre infideli descendens, ab infantia, vel saltem à decennio baptizatus est. Ita Couar. loc. cit. & num. 8. ver. 6. conclusio. Suarez loc. cit. num. 8. Salz. ad Diaz, cap. 22. num. 11. Campanil. num. 6. Cœteri autem omnes excludendi V. G. adulti à nonennio baptizati. Quod tamen adhuc limitandum est, nisi essent sanctæ, & approbatæ vitæ, vt de S. Ambrosio factum est. Ita statuitur in cap. Neophytus, d. 61. & docent Lambert. loc. cit. num. 7. Ricciull. cit. cap. 1. num. 13. Malol. de irreg. lib. 1. cap. 31. num. 4. Barb. de pot. Ep. p. 1. tit. 2. gloss. 17. n. 7. iudicare autem, an aliquis sit humilis, & sanctæ vitæ, ad Papam pertinet, vt colligitur ex præfatis DD. concludentibus, quòd dispensare super neophyto; ad Papam spectat. Vide Campanil. rub. 11. c. 7. num. 4.

84. Noto 2. quòd valde controuersum est apud DD. an valeant statuta, quibus infideles ad fidem conuersi, & descendentes ab eis, etiãsi ab infantia sint Christiani, repelluntur ab honoribus, & dignitatibus publicis. Pro quo vide Pet. Nauar. lib. 2. de rest. cap. 4. num. 450. & 451. Sanch. 2. in decal. c. 28. num. 14. & 7. de matr. disp. 37. num. 30. Suarez tom. 4. de relig. tr. 3. lib. 2. cap. 2. num. 6. & tom. 5. de cens. disp. 43. sect. 3. nu. 8. Sigismund. de elect. dub. 85. num. 4. Sorb. in com. priu. mendic. ver. Nouitius, tit. de recept. nou. ad hab. fine, pag. mihi 431. Passar. in priu. not. 29. & in schol. ea Genuen. num. 31. Auil. de cens. p. 7. disp. 4. dub. 4. concl. 5. ver. Sed nota; Barb. de pot. ep. p. 1. tit. 2. gloss. 17. num. 20. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 13. num. 12. Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. art. 1. & quæst. 10. art. 3. Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 26. Cor. in q. theol. lib. 1. quæst. 54. Salz. ad Diaz, c. 22. à nu. 11. Ricciul. de neoph. cap. 6. qui omnes concludunt, neminem inferiorem Papa posse talia statuta condere, præter Suarez, qui licèt tom. 4. de relig. concedat num. 6. non posse talia statuta fieri quò ad dignitates consequendas sine licentia Papæ; negat tamen num. 4. non valere etiam sine licentia Papæ, quò ad receptionem ad Religionem. Et ratio est, quia nemo inferior Papa potest statuta condere contra ius commune; cap. Quod super his, de ma. & ob. Sed hoc esset contra ius commune; c. Eam te, de rescr. & latè id probant in specie pro Religione nostra Nauar. & Passar. loc. cit. Quare multa statuta in Ordine nostro facta ad excludendos dictos descendentes, non habent vim, nisi quatenus fuerunt confirmata à Papa. Vnde.

P. Nauar. Sanchez. Suarez. Sigismund. Sorbus. Passarel. Auila. Barbosa. Sayrus. Rodriq; Nauarrus. Corduba. Salzedo.

85. Dico 4. In Ordine Minimorum non possunt excludi ab ordine, neq; à dignitatibus in eo consequendis descendẽtes ex genere Iudæorum, vel Mahumetanorum, neq; filij, & descendentes hæreticorum conuersorum, & Ecclesiæ vnitati restitutorum. Prob. ea const. 3. Greg. XIII. tom. 2. nostr. priu. in cuius §. 2. habetur. *Volentes, quòd ij, qui ex Iudæorum, vel Mahumetanorum genere descendunt, cum post susceptum ab eis baptisma, Græci, & Iudæi distinctio esse non debeat, nullatenus defectus generis huiusmodi, quominus in Ordinem prædictum recipiantur, & ad consequendas in dicto Ordine dignitates, gradus, & officia Religionis, nocere possit, vel debeat. Quantum vero attinet ad filios, & descendentes hæreticorum, præcipimus, vt filijs, & descendentibus talium conuersorum, & Ecclesiæ vnitati restitutorum pariter minimè circa præmissa quidquam obstet.* Similem etiam constitutionem Pij V. habent Fratres Minores, publicatã in c. generali Romæ anno 1571. vt refert Sorb. loc. cit. pag. mihi 431.

86. Noto, quòd licèt in prælata const. Greg. non fiat mentio de descendentibus ex Gentilibus, non ideò hi possunt excludi ab ordine, & dignitatibus; iuxta cap. Cum sit nimis, de iud. Nam ideò missi sunt, quia casus erat minùs dubitabilis, & in maiori includitur minus: &, cum simus in fauorabilibus, potest fieri extensio de casu magis dubitabili ad casum minùs dubitabilem. Et dicti ex gentilitate cõuersi, seu illorũ descendentes, nõ comprehendũtur in const. pro Ordine Minorũ factis à Paulo IV. & cõfirmatis à Greg. XIII. (licèt, has nõ esse ampliùs in vsu, affirmet Auil. de cens. p. 7. disp. 4. dub. 4. in fine; Sanch. 2. in decal. c. 27. nu. 3.) de quibus Rodriq; to. 1. q. reg. q. 14. ar. 1. Mir. to. 2. man. q. 1. ar. 1. Portel. in dub. reg. ver. Electio, n. 11. quib9 cauetur, quòd descendentes ex iudæis, seu hæreticis, vel Mauris vsq; ad 4. generationẽ, ad eorũ Religionẽ, & dignitates in ea nõ assumãtur. Vnde bene in ea possit recipi præfati ex gẽtilitate cõuersi, vt dicũt Rodriq; cit. ar. 5. ver. Secũdò est ad. Mir. ar. 5. cũ istæ sint cõstitutiones pœnales, quæ vltra casus expressos nõ extendũtur. Quo casu

Auila. Sanchez. Rodriquez. Miranda. Portel.

loquitur dictum cap. Cum sit nimis. In casu ergo nostro, cum simus in gratiosis, dicendum est, quòd dicti gentiles conuersi ex gentilitate, in præiata constit. Greg. comprehenduntur. Adde, quòd ratio, qua mouetur Papa ad id statuendum, quæ est desumpta ex epist. ad Rom. cap. 10. *Non est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum*, militat tam in gentilibus, quam in Mauris, & hæreticis.

87. Dico 5. Descendentes per lineam paternam, vel maternam vsq; ad 4. generationem inclusiue, ex Iudæis, Mahumetanis, & hæreticis relapsis, & per sententia in foro Ecclesiastico latam damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combustæ sunt, ad Ordinem Minimorum neq. in Conuersos, neq; in Clericos, nec ad vllas in eo dignitates consequendas admitti possunt. Prob. ex eadem const. Greg. XIII. vbi §. 3. dicitur. *Quò vero ad illos, qui ex Iudæis, ex eo quod post baptisma ab eis susceptum iterum à fide Catholica recesserint, per sententiam in foro Ecclesiastico latam damnatis; Mahumetanis item, & hæreticis similiter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combustæ sunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam, vsq; ad 4. generationem inclusiue, in Ordinem ipsum recipi, & admitti non posse; & idem in ijs professoribus eiusdem Ordinis, qui ad sacros, etiam presbyteratus, ordines admittuntur, seruari decernimus.*

88. Noto 1. quòd in istis pœnis non includuntur filij eorum, qui damnati de hæresis suspicione perierunt; nam hi non sunt verè, & formaliter hæretici; in cap. Accusatus, in princ. de hær. in 6. & quòd statutum loquens de hæreticis, non habeat locum in suspectis de hæresi, docuit Abb. in cap. Inter sollicitudines, de purg. can. num. 6. Et in particulari de statuto Ecclesiæ Hispalensis, huic nostro simili, decidit Put. lib. 2. dec. 400. quòd non habeat locum in descendentibus ab ijs, qui fuerunt de hæresi suspecti.

Abbas. Puteus.

89. Noto 2. quòd nostra conclusio non habet locum in collateralibus. Vnde ille, cuius frater, seu patruus ex parte patris, vel auunculus ex parte matris, fuerunt condemnati in tribunali Ecclesiastico, vel eorum imagines, seu ossa combusta, poterit ad Religionem admitti, & dignitates in ea consequi; cum dicta constitutio solùm, & apertè loquatur de descendentibus per lineam paternam, & maternam, nullamq; mentionem faciat de collateralibus, solùm de linea recta, non collaterali intelligenda est, secundum naturam legis pœnalis, quæ ad casum etiam similem non extenditur. Atq; ita Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. art. 6. Mir. tom. 1. man. quæst. 1. art. 1. concl. 4. fine.

Rodriq; Miranda.

90. Noto 3. quòd Papa in exclusione istorum ab Ordine nostro, eos non excludit à dignitatibus casu, quo recipiantur ignoranter, vel scienter, nec annullat electiones, si de his fierent. Vnde videtur, quòd possint eas tali casu consequi, & retinere. Sed non fuit necesse, quòd excluderet; cum enim exclusisset ab Ordine, non erat necesse excludere à dignitatibus illius Ordinis, ad quem admitti non poterant; vnde si in aliquo casu propter ignorantiam recipientium, quis istorum profiteretur in Ordine nostro, non posset dignitates accipere, nec retinere, quia statuta Ordinis nostri, quæ eo casu relicta sunt in suo vigore, id vetant, vt constat ex cap. Rom. 3. num. 20. vbi si qui tales per ignorantiam, aut inaduertentiam sint in Ordine nostro recepti, sunt perpetuò priuati voce actiua, & passiua; Quare qui sciret, se ex illa linea prohibita descendere, non posset oblatas dignitates accipere, nec receptas in conscientia retinere. Quod tamen limitarem, Nisi ex renunciatione posset diuulgari eius inhabilitas; nam pro sui honoris defensa posset recipere, & retinere. Ita Mir. tom. 2. man. quæst. 1. art. 5. concl. 2. & 3. Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. art. 8. Qui tamen aduertit, quòd hoc casu dictus teneretur dispensationem petere, quàm citiùs foret possibile. Et vlteriùs notat, quòd qui non sunt in possessione dignitatum, si ad eas per electionem, vel alio modo admittantur, tenentur omnibus modis possibilibus ijs renunciare. Neq; excusantur, quòd fortè ex tali renunciatione posset oriri aliqua suspicio generis maculati; nam multa mouent homines ad dictas renunciationes faciendas. Et similiter, cum Papa non apponat pœnam Superioribus tales recipientibus, relinquit nostra statuta in suo vigore, vnde debent officijs priuari, per statutum in cap. Foriul. 1. num. 14.

Miranda. Rodriquez.

§. 7. *An qui abiurauit in S. Inquisitionis officio, possit eligi ad dignitates Regularium.*

91. NOTA, quòd abiurare est recedere ab aliqua re cum iuramento de non redeundo ad illam. Ita Nauar. lib. 5. cons. de hær. cons. 18. num. 1. & cons. 19. nu. 1. ex cap. Accepta, & cap. Audita, de rest. spol. & ex cap. Super hoc, de renunc. & ex cap. Ad abolendam, de hær. Abiuratio] autem est quadruplex secundùm Peg. in direct. 3. par. com. 40. col. 2. ver. Abiurationē. 1. est de leui. 2. de vehementi. 3. de violenta suspicione, & 4. de hæresi formali; licèt secundùm vsum supremi tribunalis S. Inquisitionis de Vrbe, vt aduertit Masin. in pract. S. Officij, abiuratio de violenta suspicione non sit in vsu, & secundùm modum procedēdi dicti tribunalis, idem fit cum abiuratione de vehementi. Indicitur autem ab illo tribunali abiuratio ob triplicem suspicionem de hæresi, quæ reperitur in iure, secundùm Eymer. 2. p. direct. inquis. quæst. 46. vbi Pegna comm. 80. col. 1. ver. Ad hanc; leuem scilicet, vehementem, & violentā. Quas suspiciones explicat egregie Ioseph Sessa tertij Ordinis Minimorum professus, & conuentus de Fresneda in Prouincia Aragonensi Fundator Illustrissimus, in album Fundatorum receptus magno capitulantium applausu in cap. gener. dicti Ordinis Barch. 3. celebrato, to. 4. suarū decis. decis. 450. 451. & 452. Leuis suspicio, sic dicta, quia ex leuibus oritur coniecturis, est animi applicatio, hominē mouēs ad aliquid credendū nō determinatè, & fixè, sed cū magna ambiguitate, & oritur ex signis exterioribus operum, aut verborū, ex quibus capitur coniectura, qua concludi potest, nō frequenter, sed rarò, seu

Nauarrus. Pegna. Masinus. Eymericus. Ioseph Sessa.

casu,

casu, quòd talia dicens, seu faciens sit hæreticus. Vt si quis V. G. deierer frequenter, si occulta faciat conuenticula, si vita, & moribus à communi fidelium conuersatione deuiet, vel si sacerdos in confessione sollicitet; vnde ad se purgandum ei indicitur abiuratio de leui. Suspicio vehemens, sic dicta, quia ex vehementibus oritur indicijs, est probabilis coniectura ex certo signo proueniens, quæ, contrario non adducto, pro veritate habetur, & oritur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequenter, & vt in pluribus, quòd qui talia dicit, vel facit, est hæreticus, vt si quis hæreticum occultet, fauorem ei impendat, associet, visitet, defenset, munera offerat, recipiat, si diebus prohibitis absq; necessitate, & Superioris facultate carnibus vescatur, aut dicat propositiones fidei contrarias his, quæ explicitè scire debet, vel citatus in re fidei non compareat contumaciter, vel impediat scienter, & directè officium Inquisitionis, seu impeditoribus præstet auxilium, vel instruat citatum propter hæresim, ne dicat veritatem, vel exprimat falsitatem. Item si non reuelet hæreticos proprijs iudicibus, vel si in iudicio interrogatus eos scienter celet: istis autem sic vehementer suspectis indicitur abiuratio de vehementi. Suspicio violenta, sic dicta, quia violentat, & cogit iudicem ad credendum, nec defensatione repellitur qualicumq; & oritur ex violentis cōuincentibus coniecturis, est quædam legis dispositio aliquid præsumentis, & super præsumpto tamquam sibi comperto, & noto statuentis, & nascitur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus concludi solet efficaciter, & fere semper, quòd talia dicens, vel faciens est hæreticus; vt si quis hæreticos adoret, vel eis reuerentiam suo more exhibeat, consolationem in casu mortis, vel communionem ab eis recipiat, vel ad Iudeorum ritus transeat, vel in excommunicatione in causa fidei per annum obstinatè perduret; taliter autem suspectus condemnatur tamquam hæreticus conuictus.

Sessa. Eymer. Pegna.

Ita Sessa loc. cit. decis. 458. num. 8. Eymer. in direct. par. 2. quæst. 46. nu. 7. & num. 16. vbi Pegna com. 8. col. vlt. ver. Violenta. Huic sic violenter suspecto indicitur, si velit resipiscere, abiuratio de hæresi.

D. Thom. Menoch. Sanctarel. Delrius. Farinac. Salzedo.

Pro his dictis vide D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 3. Menoch. lib. 1. de præsumpt. quæst. 7. à num. 41. & lib. 6. cons. cons. 518. à num. 19. Sanctar. de hær. cap. 41. dub. 3. num. 7. & 8. Delrium mag. disq. lib. 5. sect. 18. Farin. tract. de hær. quæst. 194. num. 1. & quæst. 187. num. 13. Salz. ad Diaz, cap. 116. ver. De qua abiuratione.

92. Dico 1. abiurans de leui, vel vehementi non est ineligibilis ad dignitates Regularium, ex hoc solum quòd ita abiurauerit, abstrahendo à pœnitentijs impositis, quæ seruandæ sunt, & propter quas, si non sint salutares, inhabilitatur ex decr. Vrb. VIII. de quo §. præced. nu. 74.

Nauarrus. Riccius. Ricciull. Sanchez. Henriq. Parisius. Sa.

Ita Nauar. lib. 5. cons. de hær. cons. 18. nu 3. & cons. 19. num. 1. Ric. tom. 1. decis. 676. num. 6. Ricciul. lib. 5. de iur. pers. cap. 19. num. 27. Sanch. 2. in decal. cap. 25. num. 12. Henriq; lib. 13. cap. 56. num. 8. Paris. lib. 4. de resig. quæst. 3. num. 17. Sanctarel. cit. cap. 33. num. 6. Sa ver. Hæresis, num. 5. Et ratio est, quia ita suspectus de hæresi non est hæreticus.

Eymeric. Sessa.

Eymer. in direct. par. 2. quæst. 55. nu. 9. & 11. vbi Pegna comm. 80. col. 2. ver. Et ob hanc; Sessa tom. 4. decis. decis. 451. num. 4. & nullibi reperitur, quod possit vt hæreticus damnari, nec quod tales abiurantes sint ineligibiles, vt ait Nauar. cons. 18. cit. num. 5.

93. Dico 2. qui abiurat hæresim, vel probatam, vel confessam, iurando se ad eam numquam rediturum, cum sit iam formaliter hæreticus, certum est, quòd ineligibilis est. Et hoc est, quod voluit. Nauar. loc. cit. num. 6. quem sequitur Sanch. loc. cit. quando dixit quòd duplex est abiuratio; Altera, quam cogitur facere hæreticus pœnitens de hæresi à se admissa iam confessa, vel probata, ad hoc vt misericordiam consequatur. Altera, qua suspectus de hæresi se purgat, & monstrat innocentem, iurando, quòd illam hæresim non incurrit, nec incurret vmquam, vnde illi nulla propter hæresim imponitur pœnitentia, sed quia propter gesta, vel dicta ab eo, maxima orta est suspicio de hæresi, ideò cogitur abiurare de vehementi, vel leui.

94. Nota hic, quòd ad impediendum, ne aliquis eligatur ad aliquam dignitatem propter hæresim, vel originem Iudaicam, &c. sufficit semiplena probatio, ad deijciendum autem aliquem iam electum, & confirmatum, requiritur plena probatio. Ita Nauar. lib. 5. cons. de hær. cons. 22. num. 6. quam doctrinam sequuntur

Miranda. Portellus. Rodriq.

Mir. tom. 1. man. quæst. 1. art. 6. Portel. in dub. reg. ver. Elect. num. 19. Impugnat autem eam Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 14. art. 3. fine; Quia vbi agitur de honore Religiosi, & ipsius familiæ, non debet sufficere semiplena probatio. Sed magis placet opinio Nauar. quia, cum facilius deijciatur quis à iure quærendo, quàm quæsito, cum ad deijciendum aliquem ab hoc plena requiratur probatio, ab illo sufficere debet semiplena. Deinde ad impediendum, ne aliquis eligatur, sufficit mala fama, etiam non probata, cap. Omnipotens Deus, de accus.

95. Ad impediendum autem eos, qui abiurauerunt, oportet diligenter inspicere formas absolutorias, quas solent cōcedere Inquisitores taliter abiurantibus, in quibus si sit appositum, quòd talis abiurauit talem, vel talem hæresim, de qua fuit conuictus, vel quam fuit confessus, etiam sponte, vt faciunt illi, qui, timore ne accusentur, se Inquisitoribus præsentant, confitentes suas hæreses, quas, licèt secretò, abiurare coguntur, vt notat

Barbosa.

Barb. in cap. Ad abolendam, de hær. num. 18. (quem etiam uide num. 21. vbi ait, quòd illi dicuntur sponte comparere, qui indicijs non præuenti comparent; secùs autem, si compareant timore ne accusentur, nam tunc non dicuntur sponte comparere, sed metu) Tunc illi ineligibiles sunt, quia hæreticus, etiam occultus, & post emendam irregularis est, vt dictum est §. præced. nu. 74. Si verò appositum sit, quòd, hæresi, de qua fuit accusatus, vel denunciatus, non probata, propter suspiciones coactus est de leui, vel de vehementi abiurare, tunc eligibilis est.

96. Ex dictis collige, quid iuris de electiore actiua istorum; hæretici enim eligere non possunt, quia excommunicati, infames, irregulares, extra Ecclesiam

similiter nec eorum filij, quia irregulares, infames. item nec eligere possunt neophyti, quia inexperti. Item nec filij Iudæorum, Mahumetanorum, & hæreticorum relapsorum cōdemnatorum, vel quorum ossa, seu statuæ combusta fuere, vsq; ad 4. generationem; quia, si nō possunt recipi ad Religionem, multo minus possunt admitti ad eligendum; quod si aliqui de gratia, vel per ignorantiam, seu etiam malitiam fuerint admissi, sunt priuati voce actiua, & passiua in perpetuum; per cap. Rom. 3. num. 20. An autem alij electores possint hos secum ad eligendum admittere, dic quod non, si sint denunciati tales, alias sic, etiamsi sciantur, post extrau. Ad euitanda; qua non tenemur eos vitare, iuxta dicta sup. de excommunicatis non denunciatis; & in specie de hæreticis id docent Azor to. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 7. Nauarr. lib. 5. cons. de hær. cons. at. num. 3.

Azor. Nauarrus.

§. 8. *Vtrum bigamus sit eligibilis ad Prælaturas Regularium.*

D. Thom. Sanchez. Garcia. Raymund. Trottus. Lambert. Couarru. Sayrus. Campanil. Azor. Henriq. Parisius. Suarez. Diaz. Salzedo. Hostiensis. Marchus. Barbosa. Nauar. Auila. Bonacina.

97. IDE D. Thom. add. ad 3. par. quæst. 66. art. 5. corp. Sanch. lib 7. de matr. disp. 83. Garc. de benef. par. 7. cap. 6. Raym. in sum. de qual. ord. lib. 3. §. 3. Trott. de perf. cler. lib. 2. p. 1. requis. 7. a nu. 28. Lamb. de iur. patr. p. 1. lib. 2. quæst. 7. art. 13. num. 7. & 18. Couar. in clem. si furiosus, par. 1. §. 2. nu 1. Sayr. lib. 6. de cens. cap 5. a num. 5. Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 6. a num. 29. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 4. q. 6. & 10. Per. Greg. de elect. cap. 10. num. 1. Henriq: lib. 12. cap. 6. num. 9. & 11. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 4. num. 17. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 49. sect. 6. num. 16. Diaz in pract. cap. 16. num. 2. vbi Salz. Hostien. in summ. lib 1. tit. de tem. ord. num. 15. & tit. de big. num. 5. Marcl. de irreg. lib. 1. cap. 33 num. 1. Barb. par. 1. de potest. Episcop. tit. 2. glos. 4. Nauar. lib. 1. cons. tit. de big. cons. 3. & 4 & in man. cap. 27. nu. 195. Auil. de cens. par. 7. disp. 8. dub. 1. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. par. 5. num. 3.

98. Dicendum est, bigamum esse ineligibilem ad Prælaturas Regularium. Ita DD. cit. Prob. 1. ex cap. 1 & 2. d. 33. & cap. 1. 2. & 3. de big. & ex Trid sess 23. c. 17. de refor. Plura Concilia, & PP. nostram conclusionem probantes, vide apud Cresp. in sum. ver. Bigamus. Prob 2. ex 1. ad Tim. 3. vbi dicitur, quòd eligendus in Prælatum, vel debeat esse cælebs, vel vnam tantum habuisse vxorem. Rationes autem, quare bigami arceantur à dignitatibus Ecclesiasticis, & sacris ordinibus, ponit Host. in summ. de big §. 5. Barb. & alij communiter. Duas accipe breuiter. 1. quia qui duas contraxit nuptias, non potest apte significare vnionem Christi cum Ecclesia vnica eius sponsa. 2. quia est signum incontinentiæ; vnde non poterit efficaciter alij persuadere castitatem; & hic quadrat illud Ennij. *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri commonstrant viam.*

Crespetius

Hostiensis Barbosa.

99. Nota 1. quòd bigamus est, qui duas duxit vxores, vel vnam viduam. Quotuplex sit bigamia, dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iul. II. num. 120. vbi etiam dixi, quòd Prælati regulares possunt dispensare super bigamia similitudinaria, quando scilicet quis post votum solemne castitatis emissum, vel in professione Religiosa, vel in susceptione sacrorum ordinum, vxorem duxit, Et DD. ibi ad hoc adductis adde Auilam loc. cit. dub. 4. concl. 5. Bonac. num. 15. Circa verò bigamiam veram, quando scilicet quis duas duxit vxores, & interpretatiuam, quando duxit viduam, vel alias corruptam, aut etiam vxorem adulteram scienter, vel ignoranter cognouit, dixi, quod non poterant Prælati Regularium dispensare; inuenio tamen Auilam loc. cit. concl. 8. & Henriq; lib. 12. cap. 6. num. 11. dicentes, quòd etiam in his bigamijs dispensat Prælatus regularis cum suo professo, per multa priuilegia, quæ ibi affert Henriq; in com. lit. Z. cui sententiæ fauet multum doctrina D. Thom. loc. cit. quem sequitur Armil. ver. Bigam. nu. 9. Fauet etiam illud priuilegium Martini V. relatū à Suar. to. 4. de relig. tr. 1. lib. 2. c. 25. n. 1. quo cōceditur, posse absoluere, & dispensare ab omnibus, & super omnibus, quantumuis grauibus censuris, & pœnis, etiamsi talia forent, propter quæ sedes Apostolica esset consulenda, vel quæ summus Pontifex reseruare consueuit. Quo casu dicunt Palud. in 4. d. 27. quæst. 4. art. 5. concl. 5. Tab. ver. Bigam. §. 7. Sayr. lib. 6. de cens. cap. 6. num. 14. quòd possent Prælati regulares cum suis subditis dispensare. Aduertunt tamen Palud. & Sayr. quòd licet possent dicti Prælati dispensare cum dictis bigamis quò ad ordines, non possent tamē dispensare quò ad dignitates suscipiendas, nisi etiam ad id priuilegium haberent; non enim sequitur, ait Palud. Dispensat quò ad maiores ordines, ergo quò ad dignitates; nam videmus, quòd illegitimus per ingressum Religionis dispensatur quo ad ordines, non tamen dispensatur quò ad dignitates, vt constabit ex §. seq. num. 133. Et ratio est, quia dispensatio est stricti iuris; cap. 2. in fin. de fil. presb. in 6. cap. Non potest, de præb. eod. lib. Vnde non extenditur vltra casum expressum; & sic vides, quòd illegitimus dispensatus ad dignitates inferiores, non intelligitur dispensatus ad superiores. Addit tamen ibi Palud. quod sic dispensatus ad ordines poterit habere officia manualia Religionis.

Auila. Henriq. D. Thomas. Armilla. Suarez. Paludan. Tabiena. Sayrus.

100. Nota 2. quòd bigami non sunt prohibiti Religionem ingredi, & profiteri. Vech. de nou. disp. 5. dub. 3. num. 2. Nauar. lib 3. cons. de conuers. coniug. num. 2. cons. 8. Lamb. de iur. patr. lib. 2. p 1. quæst. 7. art. 13. num. 7. Burgas. de irreg. p. 5. nu. 62. tit. de bigam Non debent tamen admitti ad statum clericorum, quia ordinari nō possunt per cit. iura, & per Religionis ingressū non habilitantur. Ita Camp. in diu. iur. rubr 11. c. 6. nu. 32. Suar. to. 5. in 3. p. disp. 49. sect. 6. nu. 16. Azor. p. 2. lib. 6. c. 4. q. 10. Couar. in clem. Si furiosus, p. 1. §. 2. n. 6 Sanch. 7. de matr. disp. 86. n. 4. licet habilitari dicant Anton. in cap. fin. n. 9. de bigam. & Abb. nu. 2. Henriq; & Auila per Prælatos habilitari posse putent. Quam sententiam non puto tutam in praxi, saltem quò ad forum externum. Posset tamen etiam admitti ad statum clericorum bigamus nobilis, & virtuosus, & à Prælato dispensari vt posset ordines minores suscipere, & sic choro, &

Vechius. Nauarrus. Lambert. Burgasius. Campanil. Suarez. Azor. Couarruu. Sanchez. Antonius. Abbas. Henriq. Auila.

Eccle-

Ecclesiæ tamquam clericus inseruire, & alia minora officia exercere, iuxta opinionem, quam tenui tom. 1. priuil. cit. quod scilicet possint Prælati regulares dispensare cum bigamis quò ad tonsuram, & minores ordines; pro qua sententia citat Garc. de benef. par. 7. cap. 6. num. 13. quamplurimos DD. præsertim D. Tho. in 4. d. 27. quæst. 3. art. 3. & probabilem, ac in praxi posse seruari, putat Campanil. rubr. 11. cit. num. 29. Sanch. loc. cit. num. 11. & videtur probari euidenter ex cap. Lector, d. 33. immò expressum videtur in cap. 2. de bigam.

Garcia. D. Thom.

101. Sed pone casum. Vxoratus post adulterium vxoris, eam nihilominùs cognouit, moritur adultera; ingreditur Religionem superuiuens maritus, admittitur ad ordines, fit sacerdos, ingreditur electiones Superiorum, fit Superior. Quæritur, an hic, & quomodò peccauerit? R. quòd hic erat bigamus, per cap. Si cuius vxorem; cap. Si laici, cap. Si quis viduam, d. 34. vnde peccauit mortaliter, sumens ordines sacros, & interessens electionibus, accipiensq; dignitates, quarum incapax erat, poterit tamen excusari per ignorantiam inuincibilem, qua depulsa, est in malo statu, nisi dispensationem petat à Pontifice secundùm communem opinionem, vel etiam à suo Prælato, secundum opinionem Auilæ, & Henriq; immò in hoc casu posse Prælatum talem dispensationem largiri, concedit Turrecrem. in cap. Lector, d. 34. art. 2. nu. 11. conclus. 5. & Reginald. in prax. lib. 30. tract. 2. num. 29. fine. Atq; ita ad hunc casum R. à Nauarr. lib. 3. cons. de conuer. coniug. cons. 8. num. 4.

Turrecremata. Reginald. Nauarrus

102. Sed quid? In illo interim, quò iste petit dispensationem, antequam acquirat, accedit tempus electionis, ad quam ingreditur, & cum duæ in illo capitulo faciendæ essent electiones, in vna ipse fuit electus, & in altera elegit; & qui electus est, sciebat talem electoris inhabilitatem. R. Iste talis tenetur abstinere ab electione actiua, & passiua in illo interim, quò disponitur sua habilitatio, vnde, si se ingerat, mortaliter peccat. Maiol. de irreg. lib. 2. cap. 7. num. 2. & quò ad electionem passiuam constat, quòd ipsa est nulla, propter incapacitatem personæ; vnde, si habilitationem non obtineat, quæ fit noua collatio dignitatis, tenetur ei renunciare. Pro quo facit doctrina Nauar. lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 3. num. 1. Quò verò ad electionem actiuam etiam mortaliter peccat, quia immiscet se actibus, in quibus nullum ius habet. Electus verò, qui scit inhabilitatem huiusmodi, etiamsi sciat, se ratione illius dignitatem obtinuisse, validè tamen, & licitè dignitatem retinet; quia licèt ille esset inhabilis re ipsa, & quò ad se, nihilominùs erat toleratus; vnde eius acta tenent, suppliente pro bono communi defectum Ecclesia, iuxta reg. l. Barbarius, ff. de off. Præt. & habet hic locum extrau. Ad euitanda. Ita Suar. lib. 5. de leg. c. 9. n. 6. & 7.

Maiolus. Suarez.

§. 9. *Vtrum illegitimi sint eligibiles ad Prælaturas Regularium.*

103. IDE Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. Suar. de cens. disp. 50. Sigismund. de elect. à dub. 72. Azor par. 2. lib. 6. cap. 3. Pet. Greg. de elect. cap. 11. num. 1. & lib. 10. synt. cap. 3. & lib. 2. part. iur. can. tit. 3. cap. 1. Pariis. de resign. lib. 4. quæst. 4. à num. 8. Couar. de matr. p. 2. cap. 8. à §. 1. Guliel. Bened. in cap. Raynutius, ver. eod. à num. 22. Cassan. in cat. p. 11. consid. 15. Coninck de cens. disp. 18. dub. 12. Trot. de pert. cler. lib. 2. par. 1. req. 1. Garc. de benef. par. 7. cap. 2. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 10. Lamb. de iur. pat. par. 1. lib. 2. quæst. 7. art. 11. Passarel. in not. priu. cap. 24. Lup. de illeg. & nat. resi. Tiraq. de nob. cap. 15. à. num. 10. Sanctarel. var. resol. à quæst. 20. vsq; ad 46. Rebuff. in prax. tit. de dispen. super def. nat. Auil. de cens. par. 7. disp. 3. dub. 6. Maiol. de irreg. lib. 1. à cap. 4. Diaz in pract. cap. 14. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. par. 3. Barb. de potest. Ep. par. 3. & alleg. 72. num. 83. & p. 2. alleg. 45. & cap. 1. 2. & 3. de fil. presb. Nauar. in man. cap. 25. num. 117. & lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 6. & com. 2. de reg. num. 60 Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 13. Mir. to. 2. man. quæst. 2. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 18. num. 86. Sanch. lib. 5. in dec. cap. 5. à num. 9. & lib. 3. de matr. à disp. 42. Vech. de nou. disp. 13. dub. 6. Reginald. in prax. lib. 30. tract. 2. à nu. 67. Duar. de benef. lib. 4. c. 5. Host. in sum. lib. 1. tit. de fil. presb. Sylu. & alios Summistas ver. Illegitimus. Henriq; lib. 14. cap. 8. nu. 10. Filliuc. tom. 1. tract. 19. cap. 5. Anton. 3. par. tit. 28. cap. 4. Specul. lib. 1. tit. de dispen. § 5. à nu. 31. Goff. in sum. tit. de fil. presb. Mol. tract. 2. de iust. à disp. 165. Cened ad decr. collect. 68. A. Gabr. com. op. to. 3 tit. de illegit. Menoch. de arb. lib. 2. casu 201. num. 35. Vide etiam quæ dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iul. II. à nu. 89 Palæot. de noth. to. 8. tract. par. 2. Ant. de Rosellis tract. de legit. præsertim lib. 1. in loc. cit. tract.

Campanil. Suarez. Sigismun. Azor. P. Greg. Parisius. Couar. Guliel. BB. Cassanaus. Coninck. Trottus. Garcia. Sayrus. Lambert. Passarell. Lupus. Tiraq. Sanctarel. Rebuffus. Auila. Maiolus. Diaz. Bonacina. Barbosa. Nauarrus Rodriquez Miranda. Lessius. Sanchez. Vechius. Reginald. Duarenus. Hostiensis. Syluester. Henriq; Filliucius. D. Anton. Speculator Goffredus. Molina. Cenedus. A. Gabriel Menoch. Palæotus. De Rosellis

104. Noto 1. quòd illi filij censentur, & sunt legitimi, qui nati sunt ex matrimonio vero 1. Cor. 7. c. Quod nobis, qui fil. sint legit. siue ab initio, siue ex post facto; cap. Conquestus; cap. Tanta, eod. tit. vel putatiuo, saltem ex parte vnius coniugis in facie Ecclesiæ celebrato, elio aliàs nullo propter occultum crimen; cap. Ex tenore; cap. Referente, qui fil. sint legit. Ita Rodriq; loc. cit. art. 1. Mir. tom. 2. man. quæst. 19. art. 3. Pet. Greg. lib. 2. part. iur. can. cap. 1. num 1. Filliuc. tom. 1. tract. 19. cap. 5. num. 131. Suar. de cens. disp. 50. sect. 1. num. 1. 2. 6. Mol. tract. 2. de iust. disp. 165. in princ.

105. Ex qua doctrina colligitur 1. quòd quãdo mulier, habita notitia de morte sui coniugis, alteri bona fide nubit, proles ex hoc secundo matrimonio suscepta legitima est, priori marito verè viuente, ignorantia probabili ab illegitimitate excusante. Ita Maiol. de irreg. lib. 2. c. 5. num. 8. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 10. num. 31. Sanct. var. quæst. 20. num. 3.

106. Colligitur 2. quòd filij nati ex matrimonio nullo ob aliquod impedimentum di-

gimens, legitimi sunt, non solùm quando vterq; coniux ignorat impedimentum, sed etiamsi solum vnus ignoret, & alter sciat. Ita Barb. cap. Cum inter, qui fil. sint legit. num. 9. Filliuc. tract.41. cap.4. num.5. fin. Mol. loc.cit. Maiol. loc.cit.num.1. Azor par.2. lib.6. cap. 4. quæst. 22. Suar. cit. num. 6. Sayr. num. 31. Sanctar. nu. 4. Couar. par.2. de matr. cap.8. §. 1. num.2. Henriq; lib.11. cap.10. nu.1. Habetur in cap. Ex tenore; cap. Cum inter; cap. Peruenit, qui fil. sint legit. Et aduertit Couar. loc. cit. num. 4. quod semper præsumitur, dictos parentes tale matrimonium ignoranter, & bona fide contraxisse, dum non probatur, eos in mala fide fuisse.

107. Colligitur 3. quod filij nati ex parentibus, qui in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt, postea verò declaratur, matrimonium fuisse nullum, cum tamen ignoreint, an bona, vel mala fide contraxerint, legitimi censendi sunt. Suar. cit. sect. 4. num. 10. Sanctar. num. 6. colligitur ex cap. Peruenit, qui fil. sint legit. Idem dic, si quis habens votum simplex castitatis, matrimonium contrahat cum fœmina sibi coniuncta in aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, matrimonium dirimente; quod tamen impedimentum omninò ignoret, licèt peccet contra votum castitatis, proles tamen suscepta legitima est. Sanct. num 7.

108. Colligitur 4. quòd legitimi sunt ij filij, qui procreantur ex matrimonio clandestino valido. Menoch. conf.199. num 57. Sanct. nu.8. Constat ex cap. 2. de cland. desponſ. Item, si matrimonium clandestinum sit inualidum ob aliquod impedimentum, filij ex eo concepti antequam detegatur impedimentum, sunt legitimi, licet nati sint antequam tale matrimonium esset approbatum ab Ecclesia, modò postea approbetur. Sylu. ver. Filij, quæst. 8. nu. 10. Sanctar. num. 9. nam in pœnis benignior est interpretatio semper facienda, per reg. 49. In pœnis de reg. Iur. in 6. Item filius illegitimus per subsequens matrimonium clandestinum validum legitimatur. Sanch. lib.3. de matr. disp. 44. num.2. Garc. de benef. par.7. cap.2. num.31. Illegitimi verò sunt filij nati ex matrimonio clandestino bona fide inito, quando tale matrimonium ob occultum aliquod impedimentum, quodcumq; illud sit, inualidum est; non enim præsumitur bona fides, vbi omittuntur ea, quæ sunt necessaria ad veritatem assequendam, cap. penul. in fine; cap. fin. d.37. cap. fin. §. Si quis verò, de cla d. st. de sponſ. Secus autem esset, si tale matrimonium postea ab Ecclesia approbaretur. Sanctar. num. 10. 11. Et nomine matrimonij clandestini intellige illud, quod quāuis celebratum sit coram Parocho, & testibus, fuerunt tamen absq. causa, & auctoritate omissæ denunciationes. Auil. de cens. par.7. disp.3. dub. 6. in princ. Henriq; lib. 11. cap. 5. num. 1. Sanch. 3. de matr. d. sp.1. num.7. Barb. in cap. Cum inter. qui fil. sint. leg. num.10.

109. Colligitur 5. quòd filius natus ex matrimonio nullo censetur legitimus, quousq; à Iudice feratur sententia de nullitate. Maiol. de Irreg. lib.1. cap 5. nu.7 Sayr. de cens. lib.6. cap.10. num. 33. Couar. loc. cit. num.6. Constat ex cap. Cum inter, qui fil. sint legit. vbi Barb. nu. 13. immò est etiam legitimus post datam sententiam de nullitate matrimonij, interposita appellatione legitima, vt docent ijdem DD. Habetur in cap. Venientes, de iur. iur. cap. Non solum, de appell. in 6. & addit Couar. n.7. quòd natus pendente termino decem dierum dato à Iure ad appellandum, est legitimus; immò ait Sayr. num.34. quod etiam proles est legitima, quando coniuges separantur quoad torum ante declarationem inualiditatis matrimonij, etiamsi prohibita sit copula sub pœna excommunicationis; quod etiam docet Maiol. loc. cit. num.5. Constat ex cap. 1. & 2. de matr. contr. contra interd. Eccl.

110. Colligitur 6. quòd filij nati ex parentibus, qui de validitate matrimonij dubij erant, sunt legitimi, & censentur esse in bona fide, per reg. in cap. Si virgo, 34. quæst. 2. vbi ait Aug. bonæ fidei possessorem dici, qui se possidere ignorat alienum; malæ vero fidei, cum sciuerit, alienam rem esse, quam possidet. Vnde constat, quòd ad malam fidem inducendam requiritur, quòd positiue sciatur vitium possessionis, seu impedimentum existens; ad bonam verò fidem sufficit ignorantiam vitij, seu impedimenti per negationem scientiæ; quæ ignorantia, & negatio reperitur in dubitante, non enim positiuè scit impedimentum, & consequenter ignorat. Atq. ita Barb. in cap. Cum inter, qui fil. sint legit. num. 18. Glossa in cap. vlt. de præscr. ver. Nulla temporis: Abb. dicto cap. vlt. num.40.

111. Colligitur 7. quòd filij nati ex parentibus, qui votum simplicis castitatis ex mutuo consensu emiserunt, sunt legitimi, nullo iure vetante, & odia restringi debent; cap. Odia, de reg. Iur. in 6. Less. lib. 2. de iust. cap. 19. dub.6. num.57. Sanctar. vbi. quæst. 21. num. 1.

112. Colligitur 8. quod filij progeniti ex parentibus legitimo matrimonio inter se coniunctis, sunt legitimi, quamuis vir ex consensu vxoris sacros ordines susceperit, & post susceptos ordines carnaliter se cognoscentes, istos filios genuerint. Suar. de cens. disp. 50. sect. 2. num. 4. Maiol. de Irreg. lib. 1. cap. 4. num.9. Sylu. ver Illegitimus, quæst.4. num.6. Sanctar. loc. cit. num. 2. Ratio enim vera nati sunt de legitimo matrimonio, & nullo iure vetante.

113. Colligitur 9. quòd si quis contrahat matrimonium cum aliqua, & postea sine consensu illius ordines sacros suscipiat, si vxorem suam cognoscat, proles suscepta erit legitima. Maiol. loc. cit. Host. in sum. lib. 1. tit de fil presb. num.8. Suar. loc. cit. num.3. Sayr. lib.6. cap. 10. num. 40 de cens. Sanctarel nu 6. Proles enim non est sacrilega ex parte vxoris, sed licita. Contrarium tamen sentit Goffr. in sum. tit. de fil. presb. Item sunt legitimi filij nati ex parentibus legitimo matrimonio vnitis, quamuis alter coniux ingrediatur Religionem, altero coniuge ignorante, vel sciente quidem, sed contradicente, & in ea etiam professionem emiserit, si post professionem religiosus suam coniugem carnaliter cognoscat; non enim potest talis professio præiudicare vxori, cap. Quidam; cap. Placet, de conuers. coniug. Sanct. loc. cit. num. 8. quod est verum, etiamsi ambo coniuges ex mutuo consensu emiserint solemnem professionem in Religione, & post

Menoch. Sylvester. Sanctarel. Sanchez. Garcia. Auila. Henriq. Barbosa. Maiolus. Sayrus. Couarruu. Barbosa. Abbas. Lessius. Sanctarel. Suarez. Maiolus. Sylu. Hostiensis. Sayrus. Goffredus.

& post eam filios genuerint. Sanctar. quæst. 21. num. 9. quia matrimonium validum est, & nullum ius vetat in hoc casu. Contrarium tamen tenet Rebuff. in prax. tit. de dispens. sup. def. nat. num. 40. Item, si, vno coniuge profitente Religionem, alter in seculo remaneat, si hic continere non possit, potest coniugem iam professum repetere, quamuis professionem emiserit de consensu illius, & filius ex illis genitus erit legitimus. Sayr. lib. 6. cap. 10. num. 41. Sanctar. var. quæst. 21. num. 10. & supponitur in cap. 2. de conuers. coniug. iuncta glossa, ver. Reuocari.

114. Colligitur 10. quòd filius illegitimus legitimatur per subsequens matrim. cap. Conquestus; cap. Tanta, qui filij sint leg. l. Cum quisq; & l. Nuper, Cod. de nat. lib. §. vlt. Suar. de cens. dis. 50. sect. 1. num. 2. Garc. de benef. par. 7. cap. 2. nu. 28. modò tamé tempore conceptionis, vel natiuitatis parentes essent habiles secundũ naturam, & canones ad contrahendum, vt in dicto cap. Tanta. Et legitimatur, etiamsi pareos dicto tempore esset in minoribus ordinibus constitutus. Lud. De Sardis quæst. 4. num. 18. de nat. lib. §. De legit per verum matrim. immò etiãsi beneficium haberet ecclesiasticum; quia cum his non est prohibitum matrimonium contrahere. Sayr. lib. 6. cap. 10. num. 17. Lup. de illeg. comm. 4. §. 3 num. 1. Campanil in diu. rubr. 12. cap. 13. num. 125. 126. Maiol. lib. 2. de Irreg. cap. 4. num. 15. Couarr. de matr. par. 2. cap. 8. §. 2. num. 5. Item genitus ex religioso, vel religiosa intra annum probationis fit legitimus per sequens matrimonium; Maiol. loc. cit. Sayr. num. 18. Couarr. loc. cit. num. 5. vers. Quartò ex his. Molin. tract. 2. de iust. disput. 172. Cened. ad decretales, collect. 68. num. 5. quia eo tempore parentes inter se legitimé contrahere poterant. Item legitimatur illegitimus per subsequens matrimonium, inter quod aliud matrimonium mediauit. Vt V. G. si duo se cognoscant, & prole suscepta; vel nata, vnus eorum, V. G. pater, contrahat cum alia fœmina, qua mortua, contrahit 2. matrimonium cum illa, ex qua filium habuit; ita Sayr. loc. cit. num. 19. Maiol. num. 16. Host. in sum. lib. 1. tit. de fil. presb. num. 6. Sylu. vers. Illegitimus, quæst. 3. num. 5. Cened. num. 4. Campanil. cit. num. 131. quia eo tempore parentes erant habiles ad contrahendum. Item legitimatur, etiamsi parentes contrahendo conuenirent de non legitimando filio nato. Couar. loc. cit. num. 12. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 10. nu. 23. Mol. tract. 2. de iust. disp 172. col. 2. ver. Vt naturales: quia huic matrimonij fauori parentes renunciare non possunt. Et aduerte, quòd ad legitimandam prolem per subsequens matrimonium, sufficit, quod matrimonium sit ratum, licèt non consumatum. Sayr. lib. 6. de cens. cap. 10. num. 28 Henriq. lib. 11. cap. 10. §. 1. quia matrimonium ratum est verum matrimonium, & canones absoluté dicunt, quòd proles legitimatur per subsequens matrimonium.

Suarez.
Garcia.
De Sardis.
Sayrus.
Lupus.
Campanil.
Maiol.
Couarru.
Molina.
Cenedus.
Hostiensis.

115. Colligitur 11. quòd filius illegitimus habitus ex incestu, vel alio impedimento irritante, legitimatur per subsequens matrimonium celebratum cum dispensatione Papæ, cum clausula, *prolem susceptam, si quæ est, & suscipiendam exinde legitimam decernendo.* Ita Garc. de benef. par. 7. cap. 2. num. 40. Sanct. var. quæst. 22. num. 11. Farin. par. 1. decis. 166. num. 5. Barb. in cap. Tanta, qui fil. sint leg. num. 38. colligunt ex dicto cap. Tanta; & cap. Per venerabilem, qui fil. sint legit. Et addit Barb. num. 39. hoc etiam habere verum, quando, obtenta dispensatione super celebratione matrimonij, & legitimatione prolis, illud per superuenientem mortem vnius coniugis, non potuit eff. Guari.

Garcia.
Sãctarell.
Farinac.
Barbosa.

116. Colligitur 12. quòd filius illegitimus legitimatur per subsequens matrimonium contractum ab infirmo propé mortem, vel sene decrepito. Lud. De Sard. loc. cit. quæst. 1. Couar. de matrimonio par. 2. cap. 8. §. 2. num. 10. Henriq; loc. cit. Campanil. in diuers. iur. rubr. 12. cap. 13. num 137. Sanctarell. var. quæst. 25. num. 3. Molin. loc. cit col. 5. ver. Dubium præterea est. Cened. coll. 68. ad decret. num. 2. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 10. num. 22. quia tale matrimonium est verum, vt probant dicti DD. ergo debet prolem legitimare, iuxta cap. Tanta, qui fil. sint legit.

De Sardis.
Couarr.
Henriq.
Campanil.
Sanctarel.
Molina.
Cenedus.
Sayrus.

117. Colligitur 13. quod filij spurij, (de quibus dicam infra num. 121.) per subsequens matrimonium non legitimantur, etiamsi spureitatis causa ab altero, vel ambobus coniugibus ignoretur. Ita Garc. de benef. par. 7. cap. 2. num. 33. Molin. de iust. tract. 2. disp. 172. vers. Per subsequens. Suarez de cens. disput. 50. sect. 1. num. 5. Sanctar. var. quæst. 22. num. 14. Henriq; lib. 11. cap. 10. §. 3. Couarr. par. 2. de matrimon. cap. 8. §. 2. à num. 16. P. Greg. synt. iur. lib. 10. c. 4. nu. 4. Prob. ex cap. Tanta, qui fil. sint leg. Et quia danti operam rei illicitæ imputatur quidquid interuenit, etiam præter eius intentionem; cap. Continebatur; cap. Tua, de homic. nec id est contra illud, quod dictum est num. 106. nam ibi bona fides versatur circa consummationem matrimonij, hic autem solùm circa maius, vel minus, peccatum. Verùm contraria sententia, quòd scilicèt filij spurij per subsequens matrimonium legitimentur, quando spureitatis causa ab ambobus, vel altero coniugum ignorabatur, non est improbabilis, quam tenet Glossa in cap. Tanta, ver. Allam; Innocent. in cap. Ex tenore, qui fil. sint legit. A. Gabriel. comm op. tom. 3. lib. 6. concl. 2. num. 5. tit. de legitim. Gloss. in cap. Non omnis, 32. quæst. 2. ver. Constituente. Cassad. decis. vn. de spons. Et tunc ad dictum cap. Tanta dic, quòd habet locum in casu, quando mala fides adest in vtroq; Immò Cassad. Gabriel. & Gloss. in cap. Non omnis, & gloss. in cap. Innotuit, ver. Coniugata, de elect. & P. De Bals. in direct. elect. par. 2. cap. 1. num. 6. videntur docere, quòd legitimentur dicti spurij per subsequens matrimonium, etiamsi ab ambobus sciatur dicta spureitatis causa. Et dicit dicta Glossa, cap. Non omnis, quod sufficit, quòd contrahentes sint habiles tempore matrimonij, etiamsi inter ipsos extiterit aliquod impedimentum irritans tempore procreationis prolis, quia sequens matrimonium omnia præcedentia purgat. Sed hoc non admitto, propter tex. dicti cap. Tanta; Nisi fortè ad illum respondeas, habere solum locum in casu, de quo loquitur, &, cum simus in pœnalibus, non pos-

Suarez.
Pet. Greg.
Innocen.
A. Gabr.
Cassador.
P. De Bals.

posse ad alia impedimenta etiam cognita extendi. Vel nisi velis dicere, quòd loquatur dictum cap. Tanta, quando se inuicem cognoscentes habent notitiam non solum maioris culpæ in dicto actu, stante impedimento, sed etiam cognitionem expressam dicti impedimenti, & consecutionum ipsius. Cui dicto fauet cap. Si virgo, 34. quæst. 1.

118. Colligitur 14. quod ad discernendum, quando illegitimus legitimetur per subsequens matrimonium, considerandum est tempus conceptionis, vel natiuitatis, prout magis fuerit proli conueniens. Vnde si quis conceptus fuit tempore, quo inter virum, & fœminam non poterat esse matrimonium, quia vir vxoratus erat, si tempore natiuitatis vxor viri mortua sit, tunc proles nata non potest dici spuria, & consequenter, si isti cõtrahant deinde, absq; difficultate legitimatur, tamquam naturalis, per subsequens matrimonium. Ita Sanch. 8. de matr. disp. 7. num. 19. Molin. tract. 2. de iust. disput. 171. ver. Filius naturalis; Sayr. lib. 6. de cens. cap. 10. num. 19. Sanctar. uar. quæst. 13. num. 1. Ledes. par. 1. summ. de sacr. matr. cap. 34. dist. 3. ver. A esta duda le responde. Couar. de matrimon. par. 2. cap. 8. §. 2. num. 2. Sigismund. de elect. dub. 74. à num. 3. Colligitur ex §. Sufficit, Inst. de ingen. & ex l. Nuper, Cod. de nat. lib. Et ratio esse potest. Nam proles in ventre matris, cum adhuc lucem humanam non aspexit, non debet humanis legibus puniri, vt fieret, si tempus conceptionis, non natiuitatis, esset inspiciendum, ad iudicandum de prole spuria, vel naturali, pro consequenda legitimatione ex matrimonio subsequente.

Sanchez. Molina. Sayrus. Sanctarell. Ledesma. Couarruu. Sigismun.

119. Et aduerte, quod sic legitimatus per subsequens matrimonium, intelligitur legitimatus quò ad omnia, ac si a principio legitimus natus fuisset. Couar. loc. cit. num. 21. Molin. tract. 2. de iust. dispnt. 172. col. 2. ver. Denique Vnde poterit absq; vlla dispensatione ordines suscipere, & ad dignitates quascumq; assumi, etiam ad Episcopatum. Couar. loc. cit. num. 24. Sayr. cit. num. 13. Henriq; lib. 11. cap. 10. §. 2 Sanctarell. var. quæll. 48. num. 18. Glossa in cap. Tanta, ver. Legitimi, qui fil. sint legit. Et Glossa in cap. Ex tenore, ver. Legitimum, eod. tit. & Glossa in cap. Innotuit, de elect. ver. Coniugata. Suar. tom. 5. de cens. disp. 50. sect. 2. num. 2. & 4. & sect. 5. num. 10. Patet ex cap. Tanta, & cap. Conquestus, qui fil. sint legit.

120. Colligitur 15. quòd illegitimus, qui Religionem ingressus suscepit dignitates absq; dispensatione, licèt mortaliter peccauerit, dispensatione tamen non eget ad eas retinendas, si eius parentes legitime posteà cõtrahant, quia cum proles per subsequens matrimonium legitimetur, & nullibi reperiatur, quòd hic casus non comprehendatur in dicta generali regula, comprehendi dicendum est. Sanctar. var. quæst. 48. num. 21. Sayr. loc. cit. num. 30. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. par. 3. num. 8. Fillinc. tr. 41. cap. 4. num. 5. ver. Quòd si antè, tom. 3. Probabilem putat Sigismun. dub. 73. num. 3. Contrarium sentit Campanil. rubr. 11. cap. 13. num. 156. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 21. ver. Secundò. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 13. art. 8.

Sanctarell. Sayrus. Bonacina. Fillincius. Sigismun. Azor. Rodriq.

121. Noto 2. quòd illegitimi sunt illi omnes, qui legitimi non sunt. Et sunt in duplici differentia, quantum facit ad meum propositum. Alij enim sunt naturales, alij spurij. Naturales sunt, qui nascuntur ex ijs inter quos tempore conceptionis, vel natiuitatis poterat esse matrimonium. Spurij sunt illi, qui nascuntur ex ijs, inter quos tempore natiuitatis, vel conceptionis non poterat esse matrimonium, eo quod parentes erat vel cõsanguinei, vel affines in gradibus irritantibus, uel voto solemni castitatis astricti, vel vinculo matrimonij ligati. Ita Suar. loc. cit. sect. 2. num. 1. & 2. Sanctar. var. quæst. 24. num. 2. & 3. Molin. tract. 2. de iust. disput. 165. ver. Illud verò. Less. lib. 2. de iust. cap. 19. dub. 6. num. 55. & 56. Lud. de Sard. de nat. lib. §. De spuriorum appell. Palæot. de noth. cap. 16. Colligitur ex cap. Innotuit, §. Cuius electionem, de elect. & ex cap. Tanta, qui fil. sint legit. Sub hac tamen diuisione comprehenduntur varia illegitimorum genera, quæ consultò omitto, quia ad rem, de qua agimus, nihil faciunt. Videri possunt apud Sayr. loc. cit. à num. 6. Scort. in select. bull. theor. 371. Campanil. in diu. rubr. 11. cap. 13. à num. 2. Palæot. loc. cit. & cap. seq.

Molina. Lessius. De Sardis. Palæotus. Scortia.

122. Ex quo colligitur 1. quòd quando post matrimonium ritè contractum, ante consummationem, vterq; coniux, vel alter eorum transit ad Religionem, & profitetur in ea, si isti post professionem se cognoscant, filius tali copula progenitus, est spurius. Quia cum matrim. per professioné sit dissolutũ, c. Desponsatá, 27. q. 2. c. Decreta legalia, 28. q. 2 cap. Ex publico, de conuers. coniug. Trid. sess. 24. de matrim. can. 6. nec possit inter eos amplius matrimoniũ iniri, necessario sequitur, illum ex tali coitu progenitum, esse spurium. Ita Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 4. num. 4. Sayr. loc. cit. num. 40. Sanctarellus var. quæst. 24. num. 5.

Maiolus. Sayrus. Sanctarell.

123. Colligitur 2. quòd in dubio, an aliquis sit naturalis, vel spurius, ad effectum legitimationis per subsequens matrimonium, debet potiùs existimari naturalis, quam spurius. Tum quia semper debet capi præsumptio, quæ excludat delictum, l. Merlio, ff pro socio. Tum quia magis præsumendum est honestum possibile, quàm inhonestum, & turpe; cap. Estote, de reg. iur. Tum quia illud est magis præsumẽdum, quòd filio est magis fauorabile, l. Miles, §. Defuncto, ff. de adult. Ita Bald. tom. 1. cons. cons. 448. num. 4. Sanctar. var. quæst. 24. num. 10. Item dic, quòd in dubio, an filius sit legitimus, vel illegitimus potiùs existimandus est legitimus, quàm illegitimus. l. Miles, §. Defuncto cit. Menoch. cons. 18. num. 15. & 16. Sanch. lib. 3. de matrimon. disput. 44. num. 2. fin. Put. lib. 3. decis. 2. Sanctar. cit. num. 21. Palæot. de noth. cap. 10. à num. 3.

Baldus. Menoch. Sanchez. Puteus. Palæotus.

124. Noto 3. quòd homini honestè, & secundùm virtutem viuenti parentũ delicta imputari non possunt; cap. Vndecumq; cap. Sponsus d. 56. l. Crimen, ff de pœn. cum propria, non aliena culpa, in infligenda pœna sit attendenda; cap. Satis peruersum, d. ead. Vnde, cum nasci de adulterio, seu alio illicito coitu, non sit culpa eius, qui nascitur, sed illius, qui generat; cap. Nasci, d. 56. non debemus de illegitimitate, seu alio quocumq; parentum nostrorum

vitio

vitio, vel defectu erubescere, modò, eorum vitijs improbatis, virtutem sequamur, cap. Nunquam, d. ead. Neq; ea nobis vitio verti debent, cum præsertim multos sciamus ex illicito progenitos coitu, in magnos, & egregios viros euasisse, quorum plures numerantur à Tiraquell. de nob. cap. 15. à num. 31. & quamplurimi in thes. princ. par. 3. tit. Quomodo illegitimi præterea, pag. mihi 491. & 515. & in thea. vit. hum. vol. 3. lib. 11. fol. 1059. lege tamen caute. Et multos illegitimos plures legitime natos, moribus, & virtute antecelluisse, dicit Diaz in pract. cap. 54. num. 1. & confirmat ibi Salz. lit. B. & constat ex illo Stat.

Tiraquel. — *Diaz.* — *Statius.*

Vidi ego, transuersos in alieno robore ramos.
Altius ire suis.

Euripides. Et Eurip. in Andr.

Licet nothus sit sæpenumero arida satio, fertile, & pinguer vincit solum.
Multiq; spurij præstant legitimis.

Sophocles. Quare videtur posse approbari dictũ Sophocl. apud Stob. ser. 75.

Nothus tantundem valet, quantum legitimus.
Omne, quod bonum est, genuinam, & legitimam habet naturam.
Nothum genus nomen habet culpabile natura vere æqualis est.

125. Noto 1, quòd licèt hic modò dicta sint aliquando vera, & in aliquibus, quia tamen vna hirundo nõ facit ver, & quæ raro accidunt, non æstimantur. l. Iura, ff. de leg. & vitia parentum solent ad filios transfundi, cap. Si gens Anglorum, d. 56. & sæpe solet filius similis esse patri. Vnde versus.

Qui vires in folijs, venit à radicibus humor.
Et patrum in natos abeunt cum semine mores.

Ideò illegitimos abominatur Ecclesia, & communis Christianorum sensus paruipendit, & acuerunt contra eos DD. linguas suas: Immò Scrip. Deut. 23. *Non ingredietur manser, hoc est de scorto natus, in ecclesiam Domini vsq; ad decimam generationem*, idest perpetuò, & Sap. 3. *Filij autem adulterorum in consummatione erunt.* Quem locum sic vertit Vatab. *Liberi vero adulterorum à sacris arcebuntur.* Vnde Tiraq. de nob. cap. 15. num. 10. dicit, quòd de iure communi illegitimi non gaudent nobilitate parentum. & num. 12. quod non sunt de parentum familia. & nu. 13. quòd non possunt ferre insignia parentum, & num. 14. quòd sunt infames, etiam legitimati, n. 18 quia manet cicatrix, & litura; quod tamen limitat num. 21. nisi sint legitimati per subsequens matrimonium. Bald. in cap. Cum in ecclesiarum, de const. num. 86. vocat illegitimos inhonestos, & sordidos; & in cap. 1. de const. num. 61. ait, quòd bastardus legitimatus est similis alchimiæ, quæ facit apparere illud, quod non est, transmutare tamen vnam speciem in alteram non potest, sicut legitimatus figuram legitimi gerit, sed non habet eandem substantiam, quia debet proficisci à rerum natura, quæ diuina, & immutabilis est. Castan. in catal. par. 11. consid. 15. ait, quòd legitimi plebeij proferuntur etiam nobilibus bastardis; & quòd bastardi deturpant familiam, nec succedunt, quia sordidi sunt; & quòd legitimus plebeius potest dicere bastardo nobili, Sum magis honoratus, quam tu. G. Bened. in in cap. Raynut. ver. eod. num. 27. vocat illegitimos indecoros, & ideò ait esse inhabiles ad ea, quæ in decore consistunt, & quod non possunt esse consiliarij Principum, & num. 28. ait, quod non possunt esse testes, nec doctorari, & num. 30. quod inter illustres bastardi pro nihilo reputantur. Franc. Curt. cons. 20. col. 6. ait, totum mundum abhorrere, & detestari bastardos. Et quod pater non possit instituere in persona bastardi maioratum, dicit Henriq; lib. 14. cap. 8. num. 10. in comm. litt. S. & in cap. Si gens Anglorum, d. 56. dicitur, quod ista gens degener est, neq; in bello fortis, neq; in fide stabilis, neq; honorabilis hominibus, neq; Deo amabilis. Lup. de illegit. comm. 1. §. 3. num. 40. & Palzot. de noth. cap. 64. nu. 9. dicunt, quòd nomen bastardi turpe reputatur, & sonat infamiam in tantum, quòd si contumeliæ, aut conuicij causa in aliquem proferatur, etiam quòd dicatur verum, actione iniuriarum nihilominus proferens tenebitur. Tum quia iniuriam ex maleuolo animo magis, quam ex euentu metimur, l. Eum, qui, §. fin. de iniur. Tum quia hic quid factum sit, non attendimus, sed quo animo, cap. 1. in fine. 15. quæst. 6. Tum quia errata nostra ab alijs publicè detegi, & diuulgari, valde inhumanum, & illiberale videtur, l. 1. Cod. quando, & quibus quar. pars, lib. 10. ex quo multa contra ipsos infert Lupus; & Eurip. in Phæn.

Baldus. — *Cassanæus.* — *G. Bened.* — *F. Curtius.* — *Henriq.* — *Lupus.* — *Palatius.*

Non enim quod per se non est honestum, poterit dici honestum.
Neq; liberi illegitimi honesti matribus, sed & patri
Scelus, & piaculum.

Plura alia ignominiosa dicta contra bastardos vide apud cit. DD. Et in eorum fauorem vide 3. par. thes. princ. ferè à princ. & Tiraq. loc. cit. nu. 30. Hoc vnum in Bastardis notaui, quod à nemine notatum vidi, eos scilicet aut rudes, aut ignauos prorsus esse, ac obstinatos ita, & indociles, vt animalia bruta potiùs, quam homines videantur; aut vero cõtra subtilissimos, optimi ingenij, & facillimos, vt nihil queat desiderari amplius. Quod accidere puto, quia, cum ex peccato nascantur mediocritatem, in qua resplendet virtus ab ortu etiam natura eorum abhorreat. In omnibus semper quamdam morum cruditatem cognoscas, quam vel ex natura ipsa fallere non assueta, vt in signatis, vel à peccati turpitudine, tamquam infecta radice, vel à negligenti educatione parentum, vel à permissione Dei in detestationẽ satis flagitij, prouenire dicas. Et audiui quondam, quòd non scitur aliquem bastardum vnquam in catalogũ Sanctorum ab Ecclesia ascriptum, sed inuenio in thesau. princ. par. 3. pag. mihi 515. S. Albanum Mar. fuisse bastardum, ex incestu patris cum filia natum.

126 Dico 1. illegitimè natus, est ineligibilis ad dignitates Regularium. Ita D. Th. addit. ad 3. p. q. 39. art. 5. Garc. de benef. p. 7. cap. 2. nu. 1. Cassan. in catal. par. 11. consid. 13. col. 4. vers. Illegitimi ergo. Duar. lib. 4. de benef. c. 5. col. 3. Tiraq. de nob. cap. 15. nu. 16. Lambert. de iur. patr. lib. 1. par. 1. quæst. 7. art. 11. num. 3. Paris. de resig. lib. 4. quæst. 4. num. 12. P. Greg. tr. de elect. cap. 11. num. 1. Henriq. lib. 14. cap. 8. num. 10. Barb. in cap. 1. de fil. presb. num. 3. & par. 3. de po. ep. alleg. 71. num. 83.

D. Thomas — *Garcia.* — *Cassanæus.* — *Duarenus* — *Tiraquel.* — *Lambert.* — *Parisius.* — *P. Greg.* — *Henriq.* — *Barbosa.*

Menoch.

Menoch. Maiolus. Campanil. Suarez.

Menoch. de arb. lib. 2. casu 201. num. 35. Maiol. de irreg. lib. 2. cap. 4. num. 1. Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. num. 1. Suar. de cens. disp. 50. sect. 3. num. 1. Prob. ex cap. Cum in cunctis; cap. Innotuit, de elect. cap. 1. & fin. de fil. presb. cap. 1. & 2. eod. tit. in 6. cap. 1. d. 56. cap. Per venerabilem, qui fil. sint legit. cap. Consuluit, iuncta gloss. de ser. non ord. cap. Nisi cum pridem, §. Personæ, de renunc. Habetur in Trid. sess. 23. cap. 5. de refor. ibi, *de ipsorum ordinandorum natalibus*, & cap. 7. ibi, *ordinandorum genus*.

127. Noto 1. quòd Ecclesia prohibuit illegitimos ordinari, & beneficiari. Tum quia plerumq; sunt pleni vitijs, relinquuntur enim à parentibus in suis sensibus, & negligenter educantur, & ab eis odio vt plurimum habentur, vt qui semper parentibus propria exprobrant delicta. Tum quia sunt ignominiosi, quasi ex turpitudine nati; vnde dehonestaretur honor clericalis. Tum quia id fit in honorem matrimonij. Tum quia timetur, ne paterna scelera sequantur. Vide Campanil. loc. cit. num. 62. Trott. de pers. cler. lib. 2. par. 2. seq. 1. num. 1. Host. in sum. lib. 1. tit. de fil. presb. §. Quæ est causa, num. 6. Palæot. de noth. cap. 65. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 19. Filliuc. tr. 19. cap. 5. num. 138. inm. 1. Rebuff. in praxi, tit. de disp. sup. def. nat. à nu. 3. Say. de cens. lib. 6. cap. 10. à num. 2. Graff. par. 1. decis. lib. 4. cap. 27. num. 55. Anton. 3. par. tit. 28. cap. 4. in princ. Et aduertit Lambert. loc. cit. nu. 3. quòd illegitimi prohibiti sunt iure diuino beneficiari; & probat ex cap. Per venerabilem, qui fil. sint leg. ibi, *testante Domino*.

Trottus. Hostien. Palæotus. Azor. Filliuc. Rebuffus. Sayrus. Graff. D. Anton. Lambert.

128. Noto 2. quòd nostra cõclusio intelligitur etiam de illegitimo occulto. Ita Sanctar. var. quæst. 42. num. 2. Salz. ad Diaz. cap. 14. ver. Prohibentq; Auil. de cens. par. 7. disp. 3. dub. 6. concl. 1. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. par. 3. num. 2. Nauarr. in man. cap. 27. num. 201. & cap. 25. num. 69. Say. de cens. lib. 6. cap. 10. num. 36. Henriq; lib. 4. cap. 8. §. 10. Azor par. 2. lib. 6. cap. 3. quæst. 13. Sigism. de elect. dub. 71. num. 1. Portel. in dub. reg. ver. illegitimus, num. 8. Filliuc. tom. 3. tr. 41. cap. 4. num. 5. fine. Miran. tom. 1. man. quæst. 2. ar. 6. Constat ex cap. Nisi cum pridem, §. Personæ, de ren. Limitat tamen Rodrig; tom. 1. quæst. reg. quæst. 13. art. 5. fin. quòd si illegitimus occultus cogatur Prælationem acceptare, & sine sua, & suorum infamia non possit petere dispensationem, potest dictam Prælationem acceptare, & retinere.

Sanctarel. Salzedo. Auila. Bonacina. Nauarrus. Henriq. Azor. Sigismũd. Portel. Miranda. Rodriq.

129. Noto 3. quòd filius non tenetur credere matri asseueranti, etiam cum iuramento, etiã in casu mortis, se esse illegitimum. Ita Henriq; lib. 11. cap. 11. §. 2. Sanctar. var. quæst. 42. num. 11. Sayr. loc. cit. num. 37. ver. Quartò licèt; Sot. lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 2. ad 2. Comit. lib. 7. resp. mor. quæst. 16. num. 13. Regin. in prax. lib. 30. tr. 2. num. 78. Bonac. de cens. loc. cit. num. 5. Sala. loc. cit. Nauar. cap. 27. cit. & cons. 1. de fil. presb. num. 5. Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 7. num. 3. Filliuc. tr. 19. cap. 5. num. 144. Suar. de cens. disp. 50. sect. 4. num. 5. Prob. ex l. Neq; professio, Cod. de testam. l. 1. §. Mulier, ff. de prob. l. Filius, ff. Qui sunt sui, vel al. iur. Potest enim imaginari, matrem, vel ex odio, vel ex leuitate, vel etiam ex falsa imaginatione talia dicere. Vnde licet ex dicto matris credere possit, eam fuisse adulteram, non per hoc tamen tenetur credere, se ex adulterio progenitum, cum filius præsumatur natus ex marito, etiamsi eodem tempore vxor cum alio adulterium commiserit, l. Miles, §. Defuncto, ff. de adul. A. Gabr. comm. op. tom. 3. de præsumpt. concl. 14. num. 1. Verum quidem est, quod si filius vel ex vehementibus coniecturis, vel ex animi leuitate, vel ex ignorantia se illegitimum credat, tenebitur se gerere tamquam irregularem, & sic ordinari nõ poterit ante dispensationem. Henriq; loc. cit. Say. loc. cit. ver. Tertiò qui, Suar. cit. num. 7. Sanctar. num. 11. Qui enim contra conscientiam agit ædificat ad gehennam; cap. fin. de præscr. poterit tamen hoc casu dubium, & conscientiam deponere, si sola mater affirmet, Suar. loc. cit. Sanctar. num. 15. Nauar. lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 1. nu. 5. etiamsi pater id asserat, non enim ita facilè credendum in sui præiudicium; potest enim existimare, ex aliquo interesse id parentes asserere; Et vniuersaliter censeo, non teneri illegitimum credere neq; rumori, neq; infamiæ publicæ, quæ dicat se illegitimum, nisi sibi constet sufficienter, tempore suæ conceptionis eius matrem non fuisse cognitam à proprio marito. Ad quod adduco tex. in cap. Transmissæ, qui fil. sint legit. quod cap. ad id probandum adduxit Abb. in cap. Per tuas, de prob. num. 4. & Glossa in dicto cap. Transmissæ, ver. Indicijs, ait, quòd filius, non obstante quocumq; dicto parentum, sufficienter probat suam legitimitatem, si parentes eum tenebãt pro filio, & ipse tenebat eos pro parentibus. Vide Suar. loc. cit. nu. 6. & 7. Filliuc. nu. 145. 146. Et similiter dic, non teneri filium credere parentibus dicentibus, procreationis tempore inter ipsos fuisse impedimentum dirimens, ab ipsis non ignoratum. Vide Suar. loc. cit. num. 10. Et si cupis scire, quomodò probetur, quem non esse filium, adi Lud. de Sard. in tract. de natur. lib. 5. de filiat. prob. quæst. 7. Et si vis scire, quomodò quis se filium probet, adi Palæot. de noth. cap. 22.

Maiolus. Suarez. A. Gabriel. Abbas. De Sardis. Palæotus.

130. Et si petas, an qui natus est post septem, decem, vndecim, aut duodecim menses à morte patris debeat se illegitimum tenere? R. de septimestribus non est difficultas, quòd eo tẽpore nati superuiuere possint, cum multos sciamus huiusmodi robustos, & senes. Atq; id docent Hippocr. de septim. par. Galen. clas. 1. in lib. isag. de fin. med. pag. mihi 49. lit. G. & eod. tom. in fine, opus. de septim. par. & clas. 7. in lib. spur. de hist. phil. tit. Cur. septim. infan. viu. pag. mihi 11. & ibid. de anat. vit. tit. De anatom. matr. in fine, pag. mihi 53. Cæl. lect. antiq. lib. 12. cap. 11. col. 2. Bonaciol. in eneade mulieb. cap. 8. non longè à princ. Dandinus lib. 2. de an. com. 59. digress. 28. col. 5. Plin. lib. 7. cap. 5. Gell. lib. 3. cap. 16. Arist. 7. de hist. an. cap. 4. & de gen. an. cap. 4. & sect. 10. probl. 40. Quia eo tempore fœtus perfectus est. Sed, an idem dicendum sit de octimestribus, est difficultas. Arist. in probl. cit. ait, quòd homo septimo, octauo, & decimo mẽse venire potest in lucẽ, & 7. de hist. an. cit. ait, quòd *Omnibus animalibus statutum est vnum pariendi tempus; homini verò*

Hippocr. Galenus. Cælius. Bonaciolus. Dandinus. Plinius. Gellius. Aristot.

multi-

multiplex datum est; nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest, &, quod plurimum, decimo, nonnulla etiam vndecimum tangunt. Et aliquibus interpositis, ait. *Qui autem mense octauo nascuntur, viuere, & adolescere in terra Ægypti possunt; & quibusdam alijs in locis, vbi mulieres fertiliores sunt.* Et 4. de gen. an. cit. ijsdem repetitis, subalt. *Qui enim mense octauo nascuntur, & si minus, tamen viuere possunt.* Plin. loc. cit. ait, *ante septimum mensem haud vnquã vitalis est, septimo non nisi pridie, posterouè plenilunij die, aut interlunio concepti nascuntur. Tralatitium in Ægypto est, & octauo gigni. Iam quidem in Italia tales partus esse vitales, contra priscorum opiniones.* Quam doctrinam etiam amplectitur. Cæl. loc. cit. & sentiebant Diocles, & Empiricus apud Gal. cit. de hist. phil. Hippocrates vero, Galenus, Bonaciolus, Dand. octauo mense natum viuere non posse autumãt; & rationes multas affert Dandinus, quare septimo mense nati viuant, & non octauo. Optima est illa. Fœtus septimo mense perfectus est, quo tempore, si robustus sit, exire quærit; si præualere non potest, cum ex colluctatione, & conatu facto in procurando exitu, remaneat imbecillis, si eundè exitum deinde curet octauo mense, viribus nondum satis refectis, non ferens duas afflictiones, sibi statim succedentes planè prosternitur; &, si in lucem veniat, ita fractus, & debilitatus venit, vt viuere minimè possit; si nonum, aut decimum expectet mensem renouatis viribus, robustus prodit, ac viuit. De nono mense natis non est difficultas, cum res communis sit, de decimo est etiam res cõmunis; vnde Ouid. 3. fast.

Ouidius.

Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem;
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus;
Seu quia bis quino fœmina mense parit.

Quòd nasci possint, & viuere homines vndecimo mense, docet Arist. 7. de hist. an. cit. Plin. loc. cit. Hippocr. de oct. par. nu. 6. Bonaciol. loc. cit. Gell. loc. cit. vbi ait. *Præterea ego de partu humano, præter quàm quæ scripta sunt in libris legi, hoc quoque venisse vsu Romæ comperi, fœminam bonis, atq; honestis moribus, non ambigua pudicitia, in vndecimo mense post mariti mortem peperisse.* Et cum versum esset in dubium, an is filius legitimus posset esse, Hadrianus Imperator, requisitis Philosophorum, & Medicorum sententijs, declarauit, In vndecimo mense posse partum edi. Ita Gell. Quod etiam tenuit Vlp. apud P. Greg. lib. 10. synt. cap. 4. num. 19. & lib. 9. cap. 26. num. 22. 23. & habetur in Auth. de restit. ea, quæ par. in vnd. mense. §. Vnum siquidem. Quòd verò possint nasci, & viuere homines duodecimo mense, immò & tertiodecimo, dicit Plin. loc. cit. Gell. loc. cit. Vlp. & P. Greg. loc. cit. & Tim. apud Gal. cit. de hist. phil. omnes homines duodecimo mense nasci credebat; nouem tamen mensibus eos interdũ existimari natos, interdum septem, quia non semper statim à conceptione menstrua supprimantur. Et Homer. odiss. 11. duodecim præscribit menses in vtero soboli Neptuni. & D. Ambr. 5. in exam. cap. 10. ex Varrone probat, fuisse puerum, qui anno integro maternis visceribus gestaretur. Censet itaq; P. Greg. lib. 10. cap. 4. synt. filios natos septimo, octauo, nono, decimo, vndecimo, duodecimo, tertiodecimo mense post mortem patris, legitimos censeri posse, si de pudicitia matris non dubitetur. Ita etiam Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 7. fine; & Poza in eluc. Deip. lib. 3. tr. 1. cap. 7. ait, quod sæpe ex natura accidit, vt fœmina duodecimo, aut decimoquarto mense à conceptione exoneretur. Et huius rei ratio potest afferri ex Arist. sect. 10. probl. 64. vbi ait. *Quomodo ager fitiens haud cito suas stirpes enutrit, sic durior vulua in formando, nutricandoq; suo fœtu remoratur.* Et D. Ber. in vi. S. Malach. qua in med. ait, quod venit aliquando ad S. Malachiam mulier grauida, quæ partum retinebat iam 15. mensibus, & diebus 20. quæ ad orationem serui Dei Malachiæ statim peperit.

Homerus. D. Amb. P. Greg. Maiolus, Poza. Arist. D. Bernar.

131. Noto 4. quòd qui credit se esse legitimum, & bona fide Prælaturas Religionis suscipit, excusatur à peccato; sed, recedente bona fide, per certam notitiam habitam de sua illegitimitate, tenetur vel renunciare, vel dispensationem petere. Ita Auil. de cens. p. 7. disp. 3. dub. 6. ver. Sextò not. Sayr. lib. 6. de cẽs. c. 10. n. 37. ver. Primo si sit: Abb. in cap. Nisi cumpridem, §. Personæ, de ren. num. 16. Maiol. de Irreg. lib. 1. cap. 7. nu. 1. Anton. 3. par. tit. 18. cap. 4. in princip. ver. Item dum quis. Azor p. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 25. Colligitur ex cap. Nisi cumpridem, loc. cit.

Auila. Sayrus. Abbas. D. Anton.

132. Noto 5. quòd electio facta in persona illegitimi est ipso iure nulla. Ita Passar. in priu. nor. 24. ver. Vnde si. Nauar. lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 4. num. 4. & in man. cap. 25. num. 117. Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. num. 63. Put. lib. 1. decis. 247. Paris. lib. 4. de resign. quæst. 4. num. 13. Et constat ex cap. fin. de fil. presb. & cap. 1. eod. tit. ibi, *Nullatenus habeant*; quæ dictio, Nullatenus, reddit actum gestum nullum, & inualidum ipso iure, l. vlt. ff. de lib. & post. l. Si fidei iussor, ff. de neg. gest. Bart. in l. penul. §. Ad crimen, in fine, ff. de publ. iud. Grat. discept: for. tom. 1. cap. 159. num. 18. Sanch. lib. 6. de matr. disp. 32. nu. 7. & 5. in decal. cap. 5. num. 17.

Passarell. Nauar. Campanil. Puteus. Parisius. Bartolus. Gratian. Sanchez. D. Anton. Suarez.

133. Dico 2. Illegitimus quicumq; per professionem factam in Religione approbata, legitimatur quò ad ordines recipiendos. Ant. 3. par. tit. 1. cap. 27. §. 3. Suar. de cens. disp. 50. sect. 5. num. 11. Maiol. de Irreg. lib. 1. cap. 10. num. 2. Sot. in 4. d. 25. quæst. 1. ar. 3. parum à princ. Sayr. de cens. lib. 6. c. 11. num. 3. Filliuc. tr. 19. cap. 5. num. 153. Sanctar. var. quæst. 39. num. 2. Auil. de cens. par. 7. disp. 3. dub. 6. concl. 2. ver. Quintò not. est. Salz. ad Diaz, cap. 14. ver. Si tamen illegitimus. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. par. 3. num. 14. ver. Secundò per professionem. Nauar. in man. cap. 27. num. 201. ver. Decimò dico. Sigism. de elect. dub. 71. num. 2. Sanch. 5. in decal. cap. 5. num. 12. Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. nu. 115. Vech. de nou. disp. 13. dub. 6. num. 2. Azor par. 1. lib. 6. cap. 3. quæst. 2. Trot. de perf. cler. lib. 2. req. 1. num. 5. par. 2. Prob. ex cap. 1. de fil. presb. & cap. 1. d. 56. vbi id expressè habetur.

Sotus. Sayrus. Filliucius. Sanctarel. Auila. Salzeda. Bonacina. Sigismũd. Sanchez. Campanil. Vechius. Azor.

134. Noto 1. quòd dicta professio non solùm tollit irregularitatẽ quò ad ordines suscipiendos, sed etiam quò ad vsum ordinum susceptorum. Quare si illegitimus ante Religionis ingressum absq; dispensatione ordines sa-

cros

cros ſumat, ſi poſteà in Religione profiteatur,
poterit non ſolum ad alios ordines promoueri,
ſed etiam in ſuſceptis, abſq; alia diſpenſatione,
miniſtrare. Ita Sanctar. var. quæſt. 39. num. 8.
Sanch. 5. in decal. cap. 5. num. 10. Vech. de nou.
diſp. 13. dub. 6. num. 3. Et ratio eſt. Quia, cum
dicta iura dicant, illegitimum per ingreſſum
Religionis habilitari ad ordines, nec diſtin-
guant de ſuſcipiendis, vel ſuſceptis, nec nos di-
ſtinguere debemus, ſed in fauorem Religionis
ad vtroſq; extendi, declarare tenemur; iuxta
doctrinam Sanchez 8. de matr. diſp. 1. num. 13.
& Suar. 8. de leg. cap. 17. num. 7.

135. Noto 2. quòd licèt illegitimus per pro-
feſſionem legitimetur quò ad ordines, non ta-
men legitimatur quò ad Prælaturas, intra Re-
Goffredus. ligionem, vel extra eam obtinendas. Goffr. in
Barboſa. ſum. tit. de fil. presb. Barb. eod. tit. cap. 1. num. 3.
Paſſerel. Paſſar. in priu. not. 24. in princ. Lamb. de iur.
Lambert. patr. p. 1. lib. 2. quæſt. 7. ar. 11. nu. 14. Mir. tom. 2.
Miranda. man. quæſt. 2. ar. 1. Anton. loc. cit. & tit. 28.
Rebuffus. cap. 4. §. 2. Maiol. cit. num. 3. Sayr. loc. cit. Re-
buff. in prax. tit. de diſp. ſup. def. nat. num. 67.
Sanctar. var. quæſt. 40. nu. 1. Conſtat manifeſtè
ex cap. 1. de fil. presb. Poſſunt tamen illegitimi
habere abſq; diſpenſatione officia manualia,
quæ ſcilicet dantur abſq; electione canonica, &
ordinaria iuriſdictione, & poſſunt ad nutum
Superioris auferri, vt dixi to. 1. priu. in conſt. 2.
Iul. II. §. 29. num. 91. & DD. ibi cit. adde Sayr.
P. Greg. loc. cit. num. 3. Per. Greg. de benef. cap. 11. nu.
12. tom. 2. decr. Quare poterit baſtardus eſſe
Vicarius Correctoris è conuentu exeuntis.
Poterit eſſe Magiſter nouitiorum. Quin-
ternarius, & habere clauem capſæ, vt declara-
uit ſacra Congreg. anno Domini 1590. die 16.
Llamas. Ianuarij vt refert Llam. in append. ſuæ ſumm.
§. 14. in fine. Poterit etiam eſſe confeſſor mo-
nialium, & etiam ſecularium perſonarum, vt
Campanil. in diu. iur. rub. 11. cap. 13. num. 117.
Item poterit eſſe Sacriſta, Procurator, &c. quia
hæc officia non fiunt per electionem canoni-
cam, & ſunt amouibilia ad nutum Superioris.
Non poterit tamen eſſe Parochus Eccleſiæ re-
gularis; cap. 1. cap. Propoſuit, de fil. presb. Re-
buff. in prax. loc. cit. num. 68. Campanil. loc. cit.
Nauar. lib. 1. conſ. de fil. presb. conſ. 6. num. 6.
ver. Quartò, & nu. 7. licèt non fiat per electio-
nem, & ſit ad nutum amouibilis quia dicit quã-
dam dignitatem, & habet ordinariam poteſta-
tem. Item licèt Regularis poſſit eſſe Vicarius
Epiſcopi, vt docet Gloſſa in cap. Si quis, d. 8.
Fuſchus. Fuſc. de viſit. lib. 2. cap. 12. num. 100. Sbroz. de
Sbrozzius off. vic. lib. 1. quæſt. 38. tamen illegitimus non
poteſt eſſe Vicarius Epiſcopi, etiamſi fuerit le-
gitimatus in Religione ad habendas dignita-
Rodriq. tes. Ita Rodriq; tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 13.
art. 13. Campanil. loc. cit. num. 118. habet enim
officium Vicarij præeminentiam, & ordina-
riam iuriſdictionem, & eſt extra Religionem.
Item illegitimi non poſſunt eſſe Diſcreti; Ro-
driq; loc. cit. art. 19. Cum enim careant voce
paſſiua, non conuenit habere actiuam, vbi om-
nes de capitulo vtramq; habent. Adde, quòd
Diſcretatus perſonatum dicit, quem gradum
habere non poſſunt illegitimi, per cap. vlt. de
Miranda. fil. presb. quod etiam docet Mir. tom. 2. man.
quæſt. 2. art. 8. concl. 1. Nec item poteſt eſſe
Vicarius conuentus, præ paupertate Correcto-
rem ſuſtinere non valentis: Quia licèt per ſo-
lum Prælatum eligatur, & ad illius nutũ amo-
neatur, habet tamen poteſtatem ordinariam;
Portel. in dub. reg. ver. Illegitimus, num. 8. *Portellus.*
Mir. loc. cit. An autem dicti illegitimi poſſint
eſſe Definitores abſq; diſpenſatione, conten-
dit poſſe Sigiſmund. de elect. dub. 72. num. 3. *Sigiſmund.*
contra Rodriq; loc. cit. art. 18. cuius ſententiæ
adhæreo, quia Definitoriatus perſonatum dicit.
Vide Portel. Mir. loc. cit.

136. Dico 3. expoſiti cenſendi ſunt legiti-
mi, atq; ita abſq; vlla diſpenſatione, ſi fiant
Religioſi, poſſunt ad omnia Religionis offi-
cia admitti. Ita Menoch. de arb. lib. 2. caſu *Menochius.*
396. num. 15. & 16. Salz. ad Diaz, cap. 14. ver. *Salzedo.*
Sed huic loco; Grat. diſcep. for. tom. 1. cap. *Gratianus.*
135. num. 33. & tom. 2. cap. 267. num. 22. Barb. *Barboſa.*
tom. 3. de po. Ep. alleg. 51. num. 150. Rodriq; *Rodriquez.*
tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 13. art. 1. & quæſt. 14.
art. 3. Salas 1. 2. tr. 8. diſp. vn. ſect. 14. num. 246. *Salas.*
Campanil. in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. num. 157. *Campanil.*
Sayr. lib. 6. de cenſ. cap. 10. num. 39. Henriq; *Henriq;*
lib. 14. c. 8. §. 10. Suar. de cenſ. diſp. 50. ſect. 4. *Suarez.*
num. 4. vbi etiam probabilem contrariam ſen-
tentiam cenſet. Et conſtat. Tum quia nemo di-
cendus eſt irregularis, niſi id ſit iure expreſ-
ſum; c. ſi quis, de ſen. exc. in 6. at hoc iure expreſ-
ſum non eſt. Tum quia ſatius eſt impunitum
relinquere nocentem, quàm innocentem con-
demnare; l. Abſentem, §. Sed nec, ff. de
pœn. vnde parcitur nocenti matri ſaltem ad
tempus, propter innocentem fœtum, quem
geſtat in vtero. Sed ex expoſitis multi ſunt le-
gitimi, illinc propter parentum pauperiem
proiecti, vt ex facto ſuppono. Ergo, ne iſti
damnentur, etiam nocentibus parcendum eſt,
& omnes ab hac pœna abſoluendi, & refert
Henriq; loc. cit. in com. lit. K. ita fuiſſe decla-
ratum à Greg. XIV. anno 1591.

137. Dico 4. filius illegitimus non poteſt
diſpenſari etiam à Prouinciali cum toto capi-
tulo definitorio, vel prouinciali, cui aliàs id
iuris competit, ad habendas Prælaturas in ea
Religione, in qua eius pater Prælatus fuit.
Ita Sigiſm. de elect. dub. 75. Mir. tom. 2. man.
quæſt. 2. art. 10. Prob. Tum quia id habetur ex-
preſsè in conſt. 30. Clem. VII. apud Cherub. *Cherub.*
tom. 1. bull. §. 2. & in conſt. 3. Greg. XIV. tom. 2.
dicti bull. §. 3. fine; vbi expreſsè mandatur,
quòd filius illegitimus, viuente patre, nullo
modo admittatur ad Religionem, in qua eius
pater profeſſus fuit, etiamſi habeat merita, quę
eius natiuitatis ſuppleant defectum (ſi tamen
de facto admittatur, eius profeſſionem vali-
dam eſſe, docet Rodriq; to. 3. quæſt. reg. quæſt. *Rodriq;*
10. art. 5. Cruz de ſta. relig. lib. 1. c. 8. dub. 1.) *Cruz.*
vnde, ſi admitti non poteſt, multò minùs præ-
fici, quidquid dicat Rodriq; loc. cit. quæſt. 13.
art. 7. Tum quia id etiam vetatur in cap. Præ-
ſentium, cap. Cum decorem; cap. Ad abolen-
dam, de fil. presb. & in Trid. ſeſſ. 25. cap. 15.
de refor. Et licèt dicta cap. & Trid. loquantur
ſolum de filijs Clericorum, non de filijs Re-
gularium, & in pœnalibus nomine Clerici
non veniat Monachus, nihilominus tamen
vtrobiq; eædem militant rationes, malum ſci-
licet exemplum paternæ incontinentiæ, inde-
corum domus Dei, deteſtatio paterni crimi-
nis, vt colligitur ex dictis c. immò fortiùs mili-

tant

tant in Regularibus, quam in Clericis; cum enim hi laxiùs communiter viuant, non cedit id in tam graue scandalum, quam cederet in filijs Regularium; vnde optimè nomine Clericorum, in fauorem præsertim Religionis, Monachos intelligimus. Dicta verò cap. & Concilium forte erubuerunt tale quid de Religiosis suspicari; Quare, cum quæ rarissimè accidunt, & ferè numquam, non sint in consideratione, eos prætericrunt.

138. Noto 1. quòd dicta procedunt de filijs genitis post emissum professionis votum. Ita Rodriq; & Mir. loc. cit. nam geniti anteà non pariunt tantam indecentiam. Sigism. tamen cit. num. 2. asserit, id etiam procedere in filijs illegitimis natis ante dictum votum; & affert ad id declarationem sacræ Congreg. declarantis, decretum Concil. habere locum in filijs naturalibus procreatis tempore, quo parentes eorum nondum erant effecti Clerici. Quæ declaratio, si est vera, multò magis habet locum in filijs Regularium, cum horum statum maior deceat puritas.

139. Noto 2. quòd non solùm habet locum nostra conclusio in filio illegitimo, sed etiam

Rebuffus. *Campanil.* *Sigismũd.* *Garcia.*

in nepote illegitimo respectu aui. Rebuff. in praxi, tit. de disp. sup. def. nat. nu. 25. Camp. in diu. iur. rub. 11. c. 13. num. 75. Sigism. loc. cit. num. 4. Garc. de benef. p. 7. c. 3. num 27. qui refert ad id declarationem sacræ Congreg. Et ratio est, quia, cum filius personam repræsentet patris, semper refricabit memoriam delicti auiti; & filiorum nomine nepotes continentur. l. Liberorum, §. Sed & Papyrius ff. de ver. sig. & insinuatur in Trid. loc. cit. ibi, *Longissimè arceatur*. Et licèt dictus Garc. ibi referat aliam sacræ Congreg. declarationem, cui standum esse dicit, in qua declaratur, quòd in Concilij decreto non comprehenduntur dicti filij illegitimi ex patre illegitimo; id tamen, si est vera dicta declaratio, verum habet, auo mortuo; immò dictus Garc. num. 24. ait, declarasse sacram Congreg. filium legitimum ex filio, seu filia illegitima non posse habere dignitatem, quam habuit auus, ipso auo viuente; & sentit Rebuff. loc. cit. num. 27. & 28. Licèt contrarium teneat

Nauarrus *Sayrus.*

Nauar. lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 9. & 10. Sayr. 6. de cens. cap. 10. num. 46. In Religionibus tamen probabilius puto quod dixi, propter puritatem, quam requirit ille status, & ad arcendam materiam scandali, & loquacitatis, quæ fratres otiosos valde occupat.

140. Noto 3. quòd dicta nostra conclusio intelligitur non solum in eodem conuentu, & monasterio, in quo pater habuit dignitatem, vt censent

Rodriq.

Rodriq; tom. 1. q. reg. q. 13. ar. 7. & Sigism. dub. 75. n. 5. sed etiam in eadem prouincia, ita vt filius non possit esse Corrector V. G. non solùm in eodem conuentu, in quo fuit pater, sed neq; etiam in alio conuentu eiusdem prouinciæ, cum enim prouinciæ non sint adeò magnæ, omnesq; fratres illarum se se bene norint, tollenda est materia dicacitatis, & pruritus incontinentiæ. In aliena prouincia eiusdem Religionis non puto

Miranda.

habere locum. In quo dissentio à Mir. tom. 2. man. quæst. 2. art. 10. fine. Poterit tamen filius illegitimus esse Sacrista, vel Procurator in illo conuentu, seu prouincia, in qua pater fuit Corrector; nullo tamen modo ipso patre fungente. Ita Sigism. loc. cit. num. 6. Garc. num. 72. qui ad id refert declarationem sacræ Congreg.

141. Noto 4. quòd non prohibetur illegitimus permanere in eodem conuentu, in quo pater est, vel fuit Superior. Sigism. num. 8. Garc. num. 74. vbi refert pro hoc declarationem Congreg. Nec similiter prohibetur pater religiosus habere illam Prælaturam in eo conuentu, vel prouincia, in qua illam habuit filius. Tum quia id nullibi reperitur prohibitum. Tum quia non militant rationes, propter quas id prohibitum est filijs; nam per filium repræsentatur magis incontinentia paterna, quam per patrem ipsum; vnde, cum sit odiosum, restringendum est. l. Cum quidam ff. de lib. & post. Atq; ita Rebuff. loc. cit. n. 29. Garc. de benef. p. 7. cap. 3. num. 28.

142. Noto 5. quòd filius legitimus non prohibetur habere Prælaturam in eo conuentu, vel prouincia, in qua eius pater habuit, modò illi immediatè non succedat. Ita Rebuff. in

Duarenus. *Campanil.* *Maiolus.* *Lessius.* *Sayrus.*

prax. cit. num. 22. Duar. de benef. lib. 4. c. 5. & 10. Camp. in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. num. 74. Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 6. nu. 10. Less. lib. 2. cap. 34. num. 90. Sayr. loc. cit. num. 45. Constat ex cap. Ad extirpandas, cap. Ad hæc, cap. Ex transmissa, cap. Conquerẽte, de fil. presb.

143. Ad vltimum hic nota, quòd to. 1. nostr. priu. in const. 2. Iul. II. num 96. dixi, quòd super illegitimitate poterant Superiores regulares per se solos, absq; capitulis, dispensare; quod multis probat Sigism. de elect. dub. 76. à num. 6. Et Clemens VIII. concessit Clericis regul. de Somas. per suam const. Decet, 22. apud Cherub. tom. 3. bull. quòd Generalis cum suis Collegis possit dispensare cum illegitimis ad recipiendum, retinendum, & exercendum administrationes, officia, & dignitates. Si verò illegitimitas sit occulta, minor difficultas est secundum aliquos; nam vigore bullæ Pij V. quam refero tom. 2. priu. in const. 10. Pij V. § 3. habent Prælati regulares eamdem auctoritatem in suos subditos, quam habent Episcopi in suos. Vnde, cum in tali casu eam facultatem habeant Episcopi, vt docet Auila de cens. p. 7. dub. 7. disp. 3. quia huiusmodi irregularitas, cum ex delictis parentum proueniat, ad irregularitates ex delicto reducitur. Quod etiam videtur constare ex cap. Nisi cum pridem, §. Personæ, de ren. ibi, *Si tamen & culpa lateat*. & quia licèt dispensatio in particulari concessa sit stricti iuris, facultas tamen dispensandi, cum sit beneficium principis, nulli nociuum, est latè interpretanda, iuxta c. Olim, de ver. sig. & docent Sylu. ver. Dispensatio,

Syluester. *Nauarrus.*

q. 5. Nau. com. 4. de reg. nu. 15. in fine, dicendum est, eamdem habere Prælatos regulares. Addit verò Rodriq; to. 1. q. reg. q. 13. art. 23. & 24. quod possunt dicti Prælati etiam extra capitulum dispensare in illegitimitate ad habendum, & retinẽdum beneficium simplex cum suis familiaribus, & seruitoribus, qui actualiter seruiunt.

144. Sed, siue dispensandi huiusmodi potestas resideat penès Prælatum solùm, siue penès ipsum cum capitulo, difficultas est, an Prælatus, seu capitulum, eligendo illegitimum

ad aliquam dignitatem, eo ipso censeatur cum illo dispensare. In negatiue, cum Nauar. in man. cap. 25. num. 74. & lib. 4. cons. qui fil. sint leg. cons. 1. num. 4. & lib. 1. cons. de fil. presb. cons. 3. num. 2. *Auila;* Auil. de cens. p. 7. disp. 10. dub. 6. concl. 1. not. 3. *Rodriq;* Rodriq; to. 1. quæst. reg. quæst. 13. art. 16. *Miranda,* Mir. tom. 2. man. quæst. 2. art. 14. Sylu. ver. Dispensatio, quæst. 15. nu. 21. *Abbas.* Abb. in cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, nu. 8. & in cap. Diuersis fallacijs, de cler. coniug. num. 4. & in cap. Quisquis, de elect. num. 3. Gloss. in cap. vn. ver. Dispensare, de æt. & qual. ord. *Speculat.* Spec. lib. 1. tit. de dispensat. §. 9. Qualiter, num. 4. Gloss. in cap. Qui in aliquo, ver. Qui concubinas, d. 51. *Rebuffus,* Rebuff. in prax. tit. de disp. sup def. nat. num. 9. & pluries alij videri possunt apud *Sanchez.* Sanch. lib. 8. de matr. disp. 4. num. 15. qui tamen contrarium sentit num. 17. cum alijs, quos citat: quibus adde *Suarez,* Suar. tom. 5. de cens. disp. 41. sect. 3. num. 5. & Sigism. de elect. dub. 81. num. 2. Sed nostra opinio communior est. Et prob. 1. quia hoc modo dispensare ad summum Pastorem pertinet, qui absq; causæ cognitione potest talem dispensationem facere. At inferiores Papa, cum sine causæ cognitione dispensare non possint, neq; etiam possunt dignitatem conferre, quin prius discutiant, an aliqua ratio suadeat, illegitimum ad eam habilitare. 2. arg. dicti cap. Qui in aliquo, ibi, *Qui concubinas*. Cum enim ibi puniatur Episcopus promouens concubinarium, cum quo potest dispensare, si promouendo, ipso facto dispensaret, non deberet puniri, 3. arg. cap. Ex tua, de fil. presb. §. Super quo. vbi, cum Episcopus auctoritate Papæ cum aliquibus filijs presbyterorum dispensasset ad habendum beneficium, quod patres eorum immediatè habuerunt, ij admittuntur à Papa ad beneficia retinenda. Ergo à contrario, si cum ijs non dispensasset expressè, licèt beneficia contulisset, non possent dicta beneficia retinere.

145. Aduertant hic etiam Prælati regulares, quòd sine legitima causa non possunt cum illegitimis dispensare ad dignitatea. *Campanil.* Camp. in diu. iur. rubr. 12. c. 13. n. 103. *Rodriq;* Rodriq; to. 1. q. reg. quæst. 13. art. 14. *Portel.* Portel in dub. reg. ver. Illegitimus, num. 9. *Sigismun.* Sigism. de elect. dub 78. nu. 1. quod si nihilominus dispensent, dispensatus non est in conscientia tutus; Sigism. num. 3. non enim censendus est Pontifex velle concedere alijs, quod ipse sine culpa facere non potest. Licèt enim dispensatio ab ipso facta sine causa valeat, ipse tamen culpa non vacat, vt D. *D. Thom.* Thom. 1. 2. quæst. 97. art. 4. Iustæ causæ communiter sunt vtilitas, scandalum, literarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, fama personæ, & aliæ, quas enumerat Camp. loc. cit. num. 104. Sigism. num. 4. Rodriq; cit. art. 15. Constat ex cap. Innotuit, de elect. Aduerte etiam cum D. Thom. addit. ad 3. p. quæst. 19. art. 5. quòd tantò difficilius concedenda est illegitimis dispensatio, quantò turpius fuerint procreati. Quod etiam notarunt Auila de cens. p. 7. disp. 3. dub. 6. concl. 2. not. 1. & Camp. loc. cit. num 79. Notat tamen Rodriq; loc. cit. art. 17. quòd in Religionibus non est necesse explicare omnes qualitates illegitimitatis in petenda dispensatione. V. G. quòd sit natus ex adulterio, incestuosis, &c. sed sufficit proponere in genere illegitimitatem. Quia, inquit, verisimiliter creduntur Prælati regulares velle cum suis subditis dispensare in illegitimitate, quacumq; qualitate interueniente. Hanc tamen doctrinam non admittunt Mir. tom. 1. man. quæst. 2. art. 13. *Miranda.* & Sigism. de elect. dub. 79. nu. 7. & verè admittenda non est, cum sit præsertim contra doctrinam D. Thom.

146. Aduerte etiam, quòd tom. 1. nostr. priu. loc. cit. num. 99. dixi, quòd dispensatus ad dignitatem inferiorem, non censebatur dispensatus ad superiorem, nisi de hac facta fuerit expressa mentio, & DD. ibi ad hoc adductis adde Goffr. in sum. tit. de fil. presb. vers. *Goffredus.* finem. Hostien. in sum. lib. 1. eodem tit. num. 8. *Hostiensis.* Azor p. 2. lib. 6. cap. 3. quæst. 8. & 9. Barb. *Azor.* de po. Ep. p. 2. alleg. 45. num. 5. Bonac. de *Barbosa.* cens. disp. 7. quæst. 2. p. 3. num. 14. vers. Ad- *Bonacina;* uertendum est. Rodriq; loc. cit. art. 10. vers. Ex supradictis colligitur. Si verò est dispensatus in maiori, intelligitur etiam dispensatus in minori. Quia dignitates inferiores in Regularibus continentur eminenter in superioribus. Ad quod facit illa reg. iuris. De maiori ad minus licita est extensio. l. Non debet, ff. de reg. iur. regula Cui licèt, 53. de reg. iur. in 6.

147. Aduerte etiam, quòd illegitimus dispensatus in seculo ad beneficium curatum, si Religionem ingrediatur, non potest in ea obtinere dignitates. Mir. loc. cit. art. 5. Sigism. *Sigismũd;* de elect. dub. 80. num. 7. Portel in dub. reg. ver. Illegitimus, num. 6. Nauar. lib. 4. cons. conf. 1. num. 1. qui fil. sint leg. Sayr. lib. 6. de cens. cap. 11. num. 4. fine. Quia dispensatio est stricti iuris, vnde dispensatus ad habenda beneficia secularia, non potest habere regularia. Quod tamen limita, nisi dispensatio facta ab habente potestatem, fuisset generalis ad habenda quæcumq; beneficia Ecclesiastica cuiuscumq; qualitatis, tam secularia, quàm regularia, vt Rebuff. in praxi, tit. de disp. sup. *Rebuffus;* def. nat. num. 74. 75. quæ dispensatio generalis potiùs legitimatio dicenda est, quàm dispensatio.

148. Aduerte etiam, quòd Religiosus dispensatus ad obtinendas dignitates in sua Religione, si ab ea eijciatur, vel ad aliam transeat, non potest, neq; in seculo, neq; in Religione, ad quam transit, dignitates obtinere, absq; noua dispensatione, nam Prælatorum iurisdictio non extenditur ad habilitandum nisi in sua *Rodriq;* Religione. Ita Rodriq; loc. cit. art. 10. fine. *Miranda.* Mir. art. 4. fine. Sigism. cit. num. 6. Sanchez *Sigismun;* 5. in dec. cap. 5. num. 16. Barb. in cap. 1. de fil. *Sanch.* presb. nu. 6. Camp. in diu. iur. rubr. 11. cap. 13. *Barbosa.* num. 119. *Campanil.*

149. Aduerte item, quòd si illegitimi professio nulla declaretur legitima auctoritate, potest nihilominus in susceptis ordinibus ministrare, & ad alios ascendere. Quia hoc est priuilegium iure communi concessum, in fauorem Religionis, quod, effectu obtento, non retrò trahitur, cum nullibi cautum reperiatur. Ita Sanch. loc. cit. num. 14. Contrarium tenent Ric. 2. p. prax. resol. 311. quem sequitur *Ricius.* Barb. in cap. 1. de fil. presb. num. 9 quia, cum per illam professionem nullam non fiat verus

Reli-

Religiosus, non debet priuilegijs folis verè Religiosis concessis frui. Verùm tamen habet opinio Sanch. in eo, qui propter delicta expelleretur ab Ordine in perpetuum; quia non per hoc desineret esse Religiosus.

Trottus.

150. Sed pone casum, quòd illegitimus legitimatus ad habendas dignitates Ordinis, concurrat cum aliquo nato legitimo ad aliquã dignitatem, quisnam ex illis erit præferendus etiam in conscientia? R. quòd, cæteris paribus, legitimus præferendus est; arg. l. Generaliter, §. Spurios, ff. de decur. Trott. de perl. cler. lib. 2. par. 1. req. 4. num. 2. dixi, Cæteris paribus; nam si illegitimus esset doctior, & sanctior, præferendus esset: ex hoc enim quòd illegitimus, si est probus; spernendus non est; cap. Nasci d. 56.

151. Sed an illegitimi, dũ non sunt habilitati ad vocem passiuam, gaudeant actiua? Dic, quòd non; arg. c. fin. de fil. presb. Est enim quædam prærogatiua, & personatus in Religionibus vox actiua.

Suarez. Nauarrus. Sayrus. Maiolus. Sanctarel. Decius.

152. Tandem aduerte, quòd monialis illegitima non potest esse Abbatissa, neq; Correctrix sine dispensatione. Ita Suar. tom. 5. de cens. disp. 30. sect. 5. num. 15. & tom. 4. de relig. tr. 1. lib. 2. cap. 6. num. 14. Nauar. com. 2. de reg. num. 6. & in sum. cap. 27. num. 201. ver. Decimo dico; Sayr. lib. 6. de cens. cap. 11. nu. 3. Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 10. num. 5. Sanctar. var. quæst. 41. num. 7. militant enim in ea eædem omnino rationes, quæ in viris. Quo casu probat Dec. in l. Fœminæ, ff. de reg. iur. num. 110. legem pœnalẽ loquentem de masculis, extendi etiam ad fœminas. Dispensare autem cum dictis monialibus ad habendas dignitates, pertinet ad Prælatum regularem, cuius Ordinis sunt, qui Prælatus per se solus potest hanc dispensationem concedere, vt dictum est num. 148. etiam stando in rigore bullæ Greg. XIV. contra illegitimos, de qua tom. 1. nostr. prin. in const. 2. Iul. II. num. 94. secundum Rodriq. tõ. 1. quæst. reg. quæst. 13. art. 22. qui etiam censet art. 21. quòd moniales dicta dispensatione non egeant.

Rodriquez.

CAP. VI.

1 *De fidei professione, quam tenentur facere Prælati regulares.*

Ledesma. Franc. Leo. Fuschus. Sa. Rodriq. Parisius. Riccius. Campanil. Sanchez. Azor. Scortia. Filliucius. Barbosa. Sigismũd. Garcia. Portel. A Sorbo.



IDE Ledes. tom. 2. sum. tract. 1. cap. 4. concl. 10. Sayr. in decis. cit. de sum. trin. à decis. t. F. Leon. in thes. for. Eccl. par. 1. cap. 3. nu. 16. & par. 2. cap. 10. à num. 20. Fusc. de vis. lib. 1. cap. 15. nu. 15. & lib. 2. cap. 3. nu. 4. Sa in aph. ver. Fides, num. 6. Rodriq. tom. 2. quæst. reg. quæst. 72. & in sum. tom. 1. cap. 119. num. 7. Paris. de resig. lib. 8. quæst. 9. num. 126. & lib. 10. quæst. 11. Ric. in collect. p. 3. collect. 579. & p. 1. prax. decis. 681. & 3. p. prax. à resol. 191. & 4. p. pra. decis. 83. Campanil. in diu. iur. rubr. 8. cap. 3. à num. 17. Sanch. lib. 2. in decal. cap. 5. Azor par. 2. lib. 7. cap. 2. Scor. in select. boll. epist. 83. theor. 206. & epis. 84. theor. 207. Filliuc. tom. 3. tract. 41. cap. 6. à n. 5. & tom. 2. tract. 22. cap. 5. à num. 93. Barb. de po. Ep. par. 3. alleg. 61. Sigis. de elect. dub. 30. Garc. de benef. par. 3. cap. 3. Portel in dub. reg. ver. Professio fidei. Sorb. in com. eod. ver. Zer. eod. p. 2. prax. Piasec. in prax. p. 2. cap. 5. num. 27. Quar. in sum. ver. profess. Nald. eod. Vgol. de po. Ep. cap. 50. §. 16. Less. lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 29. num. 165. Nauar. lib. 2. cons. de iur. iur. à cons. 7.

Zerola. Piasecius. Quaranta. Naldus. Vgolinus. Lessius. Nauarrus.

2. Dico 1. Prælati regulares, siue perpetui, siue temporales, tenentur facere professionem fidei, iuxta formam præscriptam à Pio IV. intra duos menses computandos à die electionis, si dicti Prælati sint præsentes in suis conuentibus, & prouincijs; si autem sint absentes, dicti duo menses debent computari à die obtentæ possessionis dictarum Prælaturarum: & debet fieri talis professio coram capitulo in manibus Superioris præteriti, vel alterius à capitulo, vel Prælato deputandi. Ita Nauar. loc. cit. cons. 10. Ledes. conc. 11. Sa num. 6. Rodriq. quæst. reg. cit. art. 1. & in sum. loc. cit. ver. Quintò aduertendum. Barb. num. 7. Portel num. 1. & alij cit. Constat ex cap. 12. Conc. Trid. sess. 24. de refor. & licèt Concilium de Regul. non loquatur, quia tamen ratio motiua dictæ professionis faciendæ etiam in dictis Regularibus militat, vt scilicet Ecclesiasticarum personarum fides pura, & constans in obedientia S. R. Ecclesiæ perseueret, ideo, cum sit in fauorem Religionis, posset ad dictos Regulares secundùm iura communia extendi, nisi iam fuisset ad eos extensa per const. Pij IV. Iniunctum tom. 2. bull. Cherub. in const. 89. illius.

Cherub.

3. Noto 1. quòd tenentur dicti Prælati dictam professionem facere dicto tempore sub mortali, id enim denotat verbum illud, *Teneantur*, positum in Concilio, vt dicit Garc. loc. cit. num. 64. eo quòd præceptum, & obligatio sit de re graui. Atq; ita Sanch. 2. in dec. cap. 5. num. 1. Rodriq. in sum. loc. cit. Ledes. cit. concl. 10. Filliuc. tom. 3. cit. nu. 6. & tom. 2. num. 94. Posset tamen quis excusari à mortali, si ex ignorantia inculpabili in foro animæ, vel ex inaduertentia talem professionem omisisset; Nauar. loc. cit. cons. 7. num. 3. & cons. 12. nu. 1. Filliuc. tom. 3. tract. 41. cap. 6. num. 11. Azor. loc. cit. quæst. 2. Gar. nu. 68. Paris. cit. lib. 10. q. 18. num. 10. Sanch. cit. num. 13. Rodriq. cit. art. 2. Vgol. loc. cit. num. 5. Sorb. not. 2. Ric. 3. p. prax. resol. 195. num. 6. Barb. num. 29. Et ratio est, quia iuxta D. Thom. 1. 2. quæst. 76. art. 3. & 4. ignorantia excusat à mortali. Dixi, in foro animæ, nam in foro fori non excusabitur, vt dicunt præfati DD. Paris. num. 8. Garc. num. 67. quia ignorãtia iuris clari nõ excusat in hoc foro, per reg. 13. *Ignorantia*, de reg. iur. in 6. poterit tamen etiam in hoc foro excusare, si probetur. Filliuc. loc. cit. cap. Innotuit, §. Habito, vbi Panorm. num. 9. Sed difficilè euitabit pœnas, cum Prælatis per ignorantiam delinquentibus non facilè sit indulgendum, cap. Scriptura, de consecr. d. 2. cap. vlt. d. 37.

Sanchez. D. Thomas. Panormit.

4. Noto 2. quòd per transactionem termini duorum mensium non deobligatur Prælatus à professione fidei facienda, si intra dictum terminum non fecit; Nauar. lib. 2. cons. de iur. iur. cons. 11. num. 1. Rodriq. in sum. to. 1. cap. 119. n. 7. ver. Quartò, not. Ledes. loc. cit. dub. 3. concl. 9. Garc. n. 29. Filliuc. n. 10. Azor. q. 5. Scor. cit. ep. 84

theor. 207. ver. Quærendi: Sigis. loc. cit. num. 6. Vgol. num. 1. Parts. num. 12. quæst. 31. Sanch. num. 5. quia non in temporis honorem ea temporis assignatio adhibita est, sed solùm vt terminus obligationis implendæ, in quo casu, transacto termino, non cessat obligatio, l. Celsus, ff. de recept. arb. c. Cum dilecti, de dolo, & cont. §. Præterea.

5. Noto 3. quòd Prælatus tenetur dictam fidei professionem facere toties quoties ad dicta, vel similem, aut aliam Prælaturam assumitur. V.G. qui 2. vice in Correctorem eligitur, tenetur hac 2. vice fidei professionem facere, quamuis eam 1. vice fecerit. Azor par. 2. lib. 7. cap. 2. quæst. 8. Sigism. de elect. dub. 50. num. 4. Ric. 4. p. prax. decis. 83. fine, & 3. p. prax. resol. 192. num. 3. Camp. in diu. iur. rubr. 8. cap. 3. num. 20. Filliuc. tom. 3. tr. 41. cap. 6. num. 10. Garc. loc. cit. num. 18. qui ad id refert declarationem Concilij; Barb. de pot. Ep. p. 3. alleg. 61. num. 8. & 9. Contrarium sentit Sanch. 2. in decal. cap. 5. num. 6. Irresolutè loquitur Scort. cit. Ego à prima non discedo: Quia verba generalia generaliter intelligenda sunt; arg. cap. Si proponente, de rescrip. & arg. l. 1. §. Et generaliter, ff. de leg. præst. Concilium autem generaliter loquitur sess. 24. cap. 12. de refor. & duodecim sunt horæ diei.

6. Noto 4. quòd Collegæ Generalis, & Collegæ Prouincialis tenentur fidei professionem facere. Quia & ipsi curam habent animarum saltem mediate, & immediate in rebus grauibus, quia sunt comparticipes officij cum suis Prælatis, & eorum officia personatum dicunt, & æquiparantur, immò præstant Correctoribus, licet sine præeminentia, & iurisdictione
Garcia. sint. Fauet Garc. de benef. p. 3. cap. 3. num. 15. & 16. & declaratio Congreg. quam affert dicto num. 16. Filliuc. loc. cit. num 7. Vgol. de po. Ep. cap. 50 §. 16. nu. 3. Zerol. in prax. par. 1. ver. Beneficium, §. 5. dicto 4. Idem videtur dicendum de Vicarijs paruorum conuentuum; quia curam animarum habent, & includi videntur in Trid. loc. cit. Et idem dicendum videtur de Visitatoribus tam generalibus, quam prouincialibus, quia & dignitatem, & curam animarum habent. Sed de his non inuenio DD. loquentes. Facit tamen Trid. sess. 25. de reform. cap. 2. ibi, *Cæteri verò omnes Ecclesiastica beneficia*; &c. Ergo, cum dicta officia ad modum Ecclesiastici beneficij se habeant, tenebuntur ea obtinentes ad fidei professionem.

7. Noto 5. graue dubium esse apud DD. an dicta fidei professio fieri possit per procurato-
Filliucius. torem. Negant Filliuc. loc. cit. num. 9. Ric.
Riccius. 3. p. prax. resol. 196. Garc. à num. 71. Vgol.
Garcia. loc. cit. num. 1. Zerol. in prax. p. 2. hoc verb.
Vgolinus. Grat. discept. for. tom. 1. cap. 166. num. 22. Si-
Zerola. gis. loc. cit. num. 3. Apostilla Nauar. ad cons.
Gratianus 11. de iur. iur. refert ita censuisse sacram Con-
Sigismun. greg. Quia, inquiunt, iuramentum vbi iure faciendum est, personaliter est faciendum, ex gloss. cap. Vt circa, verb. Corporali, de elect. in 6. & innuunt verba illa in forma dictæ pro-
Nauarrus fessionis apposita, *Sic me Deus adiuuet*, &c. Af-
Sanchez. firmant Nauar. loc. cit. num. 2. Sanch. 2. in dec.
Ledesma. cap. 5. num. 7 Ledes. tom. 2. sum. cap. 4. tr. 1.
Cherub. dub. 6. Flau. Cherub. ad const. 88. Pij IV. schol. 1.
Naid. in sum. hoc ver. num. 5. Azor p. 2. lib. 7. *Naldus.*
cap. 2. quæst. 6. Camp. in diu. iur. rubr. 8. cap. 3. *Azor.*
num. 19. & testatur se in praxi id vidisse ter- *Campanil.*
quæ in capitulo Neapolitano, Barb. loc. cit. *Barbosa.*
num. 20. Ric. 4. p. prax. decis. 84. vbi retractans, quod dixerat 3. p. hanc opinionem multis pro-
bat, & ad eam affert decis. Rotæ. Scort. in se- *Scortia.*
lect. bull. theor. 207. vers. Quid si, in fine, Probabiliem putat Filliuc. tom. 2. tr. 22. cap. 3. num. 96. Et constat; Tum quia potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, per reg. 68. Potest, de reg. iur. in 6. l. 3. ff. de procur. præsertim quando contrarium non reperitur dispositum, vt hic. Nullum est enim verbum in Concilio, vel const. Pij IV. quod hoc prohibere videatur. Tum quia solemne iuramentum potest præstari per procuratorem, ad id specialiter deputatum, cap. 1. §. Verum, de sta. reg. in 6. cap. Metuentes, iuncta gloss. ver. De præsenti, 17. quæst. 4. Tum quia id videtur expressum in cap. Tibi Domino, d. 63. vbi glossa ver. Iurare, ponit formam, qua debet procurator iurare, & in cap. Optatum, d. 100. Vtraque itaque sententia probabilis est. Vnde non erat, cur tam acriter morderet Barbosam Sigis. loc. cit. cum præsertim declaratio Congr. personalitatem requirentis, non habeat eam certitudinem, quæ requireretur ad hoc, vt ei contradici non posset; & decis. Rotæ etiam pro hac sententia adducantur.

8. Noto 6. quòd clerici seculares obtinentes beneficia, tenentur facere dictam fidei professionem intra terminum duorum mensium sub pœna non acquirendi ius ad fructus beneficij. In qua re adsunt aliquæ difficultates, quas, quia Regulares non tangunt, omitto. Videri potest Barb. de po. Ep. alleg. 61. num. 22. Filliuc. loc. cit. à num. 11. Vgol. loc. cit. §. 16. num. 4. Garc. loc cit. à num. 35. Sanch. cit. à num. 8. Azor cit. quæst. 3. & 4. Regularibus verò dictam professionem omittentibus dicta pœna nõ potest applicari, cum fructus Prælaturarum regularium sint labores, & calumniæ, quæ, si patienter tolerentur, maximos producunt fructus ad vitam æternam; Nec in bulla Pij IV. qua decretum Concilij ad Regulares extenditur, vlla pœna imponitur.

9. Noto. 7. quòd Prælati tenentur sponte dictam fidei professionem facere, absque eo quòd ab vllo ad hoc impellantur, vel moneantur, vt constat ex verbis Concilij ibi *Teneantur*, & ita fuisse declaratum à Congreg. refert Garc. loc. cit. num. 20. Ric. 4. p. prax. decis. 83. fine.

10. Noto 8. quòd electus in absentia non tenetur facere professionem fidei, nisi post duos menses à die acceptæ possessionis, etiamsi per ipsum stet, quo minus possessionem accipiat. Habetur expressè in Trid. sess. 24. cap. 12. de refor. & dicit Garc. loc. cit. num. 38. & Filliuc. tr. 41. cap. 6. num. 10.

11. Dico 2. omnes Regentes, ac Lectores, incipiendo à Lectoribus grammaticæ, vsque ad Lectores theologiæ inclusiuè, antequam eis talis gradus conferatur, vel saltem antequam possessionem illius accipiant, tenentur facere sub pœna peccati mortalis fidei professionem, siue legant in publicis Vniuersitatibus, siue in priuatis domibus, & in conuentibus ipsorum

Regu-

Sanchez. A Sorbo. Rodriq. Ricciul. Filliucius. Garcia. Scortia. Naldus. Portel. Cherub.

Regularium, siue cum mercede, siue gratis. Ita Sanchez. in dec. cap. 5. num. 4. Sorb. in comp. hoc ver. not. 4. Rodriq; tom. 2. quæst. reg. quæst. 72. art. 2. Ric. loc. cit. num. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 22. cap. 3. num. 95. Garc. loc. cit. num. 3. Scorr. in select. bull. theor. 206. Nald. hoc ver. num. 2. Portel eod. in dub. reg. num. 3. Constat ex const. Pij IV. 88. In sacrosancta, tom. 2. bull. Cherub. fol. mihi 118.

12. Noto 1. quòd illi, ad quos spectat Regentes, aut Lectores, vel Magistros instituere, si antequam eos instituant, vel possessionem eis tribuant, non curant, vt faciant fidei professionem, incurrunt excommunicationem maiorem latæ sententiæ; quæ tamen nulli est reseruata, & in pœnam priuationis suorum officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda; dicti verò Lectores, Regentes, & Magistri dictam excommunicationem non incurrunt, sed incurrunt pœnam priuationis ipso facto graduum obtentorum. Ita statuit Pius IV. in const. cit. & docent Sorb. Sanch. Rodriq; Portel. Scort. loc. cit.

13. Noto 2. quòd si Prædicatores exigantur ab Episcopis vt faciant professionem fidei, eam facere tenentur. Ita Sorb. loc. cit. not. 3. Portel loc. cit. num. 2. Rodriq; cit. art. 2. ait, quòd Prædicatores, antequam ad dictum munus assumantur, debent facere fidei professionem. Sed ait Portel, quod non est in vsu.

14. Noto 3. quòd dicta de professione fidei habent locum in ijs Religionibus, à quibus dictæ constitutiones Pij IV. fuerunt receptæ, & in quibus sunt in vsu. In ijs autem, in quibus non fuerunt receptæ, seu in desuetudinem abiere, non obligant, & credo quòd in nulla ferè Religione nunc sint in vsu. In nostra vidi fieri professionem fidei à Generalibus in capitulis generalibus; in alijs capitulis hoc non vidi. Et apud Regulares dictam fidei professionem non esse in vsu, docent Sorb. in comp. hoc ver. vers. Et est primò aduertendum; qui addit, id etiam censuisse sacram Congregationem. Scor. loc. cit. fine, & theor. 207. in princ. Sanc. cit. num. 3. & 4. Rodriq; cit. art. 2. fine. Ledes. tom. 2. sum. tract. 1. cap. 4. concl. 21. Sigismund. de elect. dub. 50. num. 7. Nald. in sum. hoc ver. num. 3. & in specie, quòd non sit in vsu quò ad Lectores, docent Garc. de benef. par. 3. cap. 3. & num. 6. Ric. 4. par. prax. decis. 83. num. 5. vbi ait, quod Romæ DD. in priuatis domibus, vel monasterijs legentes, fidei professionem non faciunt.



C A P. VII.

Quam remunerationem expectare possint à Deo boni Prælati.

D. Thomas. Aegidius. Mauclerus. Trullus. Cassan. Patritius.

1 
VIDE D. Thom. de regim. princ. lib. 2. à cap. 9. Ægid. de regim. par. 1. lib. 1. cap. 14. Maucler. tom. 1. de monar. Eccl. par. 2. lib. 5. cap. 11. Trul. in eluc. sut Ord. lib. 1. cap. 34. num. 8. Cassan. in cat. par. 5. consid. 2. & 3. Patrit. de regno, lib. 9. tit. 19.

2. Noto 1. quòd importabile est Prælatiæ onus, nisi Dominus supponat manum suam. Quod considerans Gedeon Iud. 8. aiebat. *Non dominabor vestri, sed dominabitur vestri Dominus.* Et Nazianz. or. 1. num. 21. *Difficile est scire parere, sed multa difficilius scire imperare, præsertim in imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum ducit.* Quæ difficultas tum ex parte oritur Prælati, cuius est non solùm corpora, sed animas regere. Tum ex parte subditorum, quorum aliqui bonæ, alij malæ indolis, & inclinationis sunt, alij superbi, alij humiles, alij iracundi, alij phlegmatici, alij melancholici, alij hilares, alij studiosi, alij negligentes, alij docti, alij ignari, alij seditiosi, alij pacifici, alij murmuratores, alij quieti, alij ambitiosi, alij non curantes honores, alij auari, alij liberales, alij cœlibes, alij cursores, alij scandalosi, alij exemplares, alij puri, alij immundi, alij sobrij, alij intemperati, alij obedientes, alij petulantes, alij obstinati, alij flexibiles, alij duri, alij faciles, alij pij, alij crudeles, alij vrbani, alij rustici, alij disciplinati, seu disciplinabiles, alij neutrum, alij rectè ambulantes, alij oblique; & denique alij boni, & alij mali. Merito ergo ait

Nazianz.

Nazianz. num. 31. *Sed sit sanè aliquis non modo à vitiorum contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium euectus, haud equidem video, quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus, huiusmodi Præfecturam intrepidè suscipere queat. Nam profectò ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere animal omnium maximè varium, & multiplex.*

D. Basil.

Et Basil. in mon. reg. 80. à cap. 15. ait, quòd Prælati debent esse pastores, gregi suo attendentes, animasq; proprias pro ipso ponentes. 2. debent esse medici, leniter morbos curantes, ne veniant præcauentes. 3. debent esse subditorum parentes, & nutrices, charitatem, & amorem paternum erga eos exercentes, illisq; non solum doctrinam, sed vitam propriam communicantes. 4. debent esse Dei auditores; soli Deo dignis operibus se totos pro ipsis subditis mancipantes. 5. debent esse plantatores palmitum Dei in vite, qui est Christus, nihil aliarum, aut infructuosum relinquentes, fecunda autem meliora efficere omni diligentia studentes. 6. debent esse ædificatores templi Dei, animas proprias, & subditorũ ita concinnantes, vt fundamento Apostolorũ, & Prophetarũ appositè cõgruant.

3. Et 1. Pet. 5. hæc Prælatorum in regendis subditis difficultas ostenditur. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes, non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè, neq; vt dominantes in cleris,*

sed forma facti gregis ex animo. Ex quo loco sex colligo Prælati munia. 1. quòd debet esse pastor, bonus autem pastor est, ait D. Thom. lib. 3. de reg. cap. 11. qui principaliter bonum subditorum intendit; qui per se sufficiens reperitur, quiq; in omnibus bonis superexcellit, & qui curam habet subditorum, vt bene operentur. Et Ber. in sent. non procul ab init. *Boni pastoris est vigilare super gregem propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina vigor iustitiæ. In custodia spiritus consilij. In prece affectus compassionis.* 2. Prælati munus est, vt non coactè, sed sponte pascat; idest, non ambitione, vel auaritia, aut alterius terrenæ rei amore gregem pascat, sed solùm intuitu supernæ mercedis. *Si quidem* [ait Naz. or. 1. num. 29.] Antistites *virtutis suæ præstantia multitudinem ad mediocritatem tracturus sit, ac non per vim cohibiturus, sed persuasione allecturus. Nam quod vi, ac necessitate exprimitur, præterquam quod tyrannicum est, minimèq; laudandum, ne firmum quidem, ac stabile est: solet enim id, cui vis adhibita est, non secus ac planta, per vim manibus inflexa, simul vt dimissum fuerit, ad se rursum redire: quod autem à libera voluntate proficiscitur, æquissimum, ac firmissimum esse solet, vtpote beneuolentiæ vinculo astrictum, atq; conseruatum.* 3. Prælati munus est, vt subditos regat secundum Deum, scilicet, alacriter procurans munus impositum secundum Dei voluntatem obire; hominum passiones auersans, soli Deo placere cupiens, illius solius gloriam quærens, ad eum solùm oues dirigens, honorem Dei, animarumq; salutem vere secundùm Deum zelans, non vt aliqui, de quibus quidam,

Sæpe scelus cælum zeli velamina texit.
Cui zelus cælum est, non facit ille scelus.

4. munus est, vt hoc non hat turpis lucri gratia. O Prælati examinate conscientias vestras, *scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ,* vt ait S. Prosper. lib. 2. de vita contempl. cap. 9 & 10. *nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Audite Hierony. ad Nep. *Nonnulli sunt ditiores Monachi, quàm fuerint sæculares, & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace Diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit antè mendicos.* 5. munus est, vt Prælatus non sit imperiosus, nec imperiosè vexet subditos, *sed morum mansuetudo,* vt ait Basil. reg. 43. ex fus. disp. *& humilitas cordis hæc præcipua Antistitis insignia sunto. Talis enim fuit Christus, vt dixit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et Auctor oper. imp. ad illud Matth. 20. *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum,* ait, *Principes Ecclesiæ sunt, vt seruiant minoribus suis, vt ministrent eis, quemadmodum acceperunt à Christo, & suas vtilitates negligant, & aliorum procurent, vt, si opus fuerit, neq; mori recusent pro salute inferiorum suorum.* 6. munus est, vt Prælatus sit forma, & exemplar gregi suo, ad illud 1. ad Tim. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate.* & cap. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* Et Naz. or. 1. num. 26. *Neq; enim ab eo, qui hanc curam suscepit, hoc solum requiritur vt malus non sit (malum enim esse plerique etiam è vulgo turpissimum censent) verum etiam vt virtute præstet, iuxta illud Scripturæ præceptum, quo declinare à malo, & bonum facere iubemur.* Plura de difficultate regendi vide apud Scrib. lib. 2. pol. christ. cap. 6. Contz. 6. pol. cap. 10. à §. 4. Turrecrem. in reg. S. Bened. tr. 138. pag. mihi 167. Pen. in proœ. tit. De auro coron. Cod. lib. 10. & eod. lib. leg. vn. tit. De Irenar. Mancl. to. 1. lib. 5. p. 2. c. 10. num. 1.

4. Noto 4. quòd multa bona affert subditis bonus Prælatus; iustitiam enim ministrando æqua lance, omnibus satisfacit; misericordia vtendo, omnes contentos reddit: pacem curando, bonis omnibus, & spiritualibus, & tẽporalibus eos replet, multaq; impetrat pro illis à Deo, iuxta illud Iud. 2. *Cum Dominus iudices suscitasset in diebus eorum, flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium.* Et de Othoniale dicitur eod. lib. cap. 3. quòd, eo iudicante, quieuit terra 40. annis. *Quare,* vt Philo de cherub. ait col. 5. *gratia maxima conditori, qui sciens imprudentiæ rabiem, non dedit tamquam furenti gladium, nec verborum facultatem, ne quoscumq; obuios magna clade conficeret.* Quasi dicat, Maximum Dei beneficium est, non habere Prælatos insanos, & furentes, qui arrepto potestatis gladio, illo districto, absq; metu numinis, aut legum præscripto, in obuios quosq; irruat, nullo iuris, aut iniuriæ, nullo bonorum, aut malorum facto discrimine. Hi non pastores, sed *hostes appellandi sunt,* cum agant *hostilia,* vt idem Philo ait de creat. in princ. col. 5. Et aduerte, quòd sicut nullum malum est in ciuitate, quod non faciat Dominus, iuxta illud Michææ 1. *Quod scelus Iacob? non ne Samaria? & quæ excelsa Iudæ? non ne Ierusalem?* Ita nullum bonum, quod Prælato bono non tribuatur; nam omne bonum à capite descendit directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè.

5. Noto ergo 5. quòd Deus, qui bonorum operum remunerator est, Prælatis pro tot laboribus toleratis intus, & foris, à fratribus, & ab extraneis, & ob illis maiora quandoq; quàm ab istis, iuxta illud Iosephi lib. 4 antiq; cap. 8. vbi de Mose morti vicino loquens, ait, *Meministis enim, quòd sæpius à vobis de salute periclitatus sum, quàm ab hostibus.* Quamplurimi enim sunt, qui retribuunt mala pro bonis in familia regenda. Et pro tot bonis operibus exantlatis ad ipsius gloriam, & honorem, bona tribuit, & in hac vita, & in futura. In hac vita tribuit illis Deus tria bonorum genera, de quibus D. Thom. lib. 1. de reg. princ. cap. 10. Primum, quòd illorum dominium perpetuum facit, intellige, quatenus est ex parte subditorum, Prou. enim 29. *Rex qui iudicat in iustitia pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* Et Synes. de reg. *Deus bonis viris perpetuò, planèq; epistulator, ac propitius est.* & Phil. de creat. princ. col. 3. *Tali Principi legitimo,*

D. Thom. *D. Bernar.* *Nazianz.* *D. Prosper.* *D. Hieron.* *D. Basilius.* *Nazianz.* *Scribanus.* *Contzen.* *Turrecremata.* *Penna.* *Mancler.* *Philo.* *Iosephus.* *D. Thom.* *Synesius.*

timo, ius æquabile honoranti, incorrupte iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum principatum Propheta proponit vice præmij. 2. tribuit Deus communitati, cui præsunt, abundantiam bonorum temporalium, ait enim D. Thom. loc. cit. *Regibus, qui iustitiam quærunt, diuitiæ adduntur à Deo, sicut Salomoni, qui dum sapientiam quæsiuit ad faciendum iudicium, promissionem de abundantia diuitiarum accepit*. Et hic congruit illud Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Et colligitur ex cap. Si quælibet, 22. quæst. 2. 3. tribuit Deus bonis Prælatis bonum nomen etiam post mortem; ait enim D. Thom. loc. cit. fine. *De fama verò superfluum videtur dicere; quis enim dubitat, bonos Reges non solùm in vita, sed magis post mortem quodam modo laudibus hominum viuere, & in desiderio haberi? malorum verò nomen aut statim deficere, vel, si excellentes in malitia fuerint, cum detestatione eorum rememorari? vnde Salomon Prou. 10. Memoria iusti cum laudibus, nomen autem impiorum putrescet, quia vel deficit, vel remanet cum fœtore*.


Phil. Et Philo loc. cit. de creat. princ. col. 3. ait, *legitimum Principem victurum etiam post obitum, relicta post se immortali virtutis, rerumque à se gestarum memoria*. & lib. 3. de vi. Mos. 10 hoc ait, quòd, mortuo Mose, *luxit eum vniuersa gens, lacrymis diffluens per mensem integrum, accedentibus ad publicum luctum priuatis affectibus, quandoquidem erat inenarrabilis eius prouidentia, beneuolentiaque erga vniuersos, ac singulos*.

6. Quò verò ad præmium alterius vitæ, 1. Pet. 5. dicitur, *Et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*. Sed inquis, Hanc coronam habebunt omnes beati. Quæ ergo maior retributio dabitur pastoribus pro tot laboribus toleratis? R. quod vltra coronam gloriæ essentialem, constituunt Theologi alias coronas accidentales, quas aureolas vocant. Et vna ex istis aureolis debetur Prælatis, vt docet D. Thom. de reg. lib. 1. cap. 9. aiens. *Considerandum autem restat viterius, quòd & eminentem obtinebunt cælestis beatitudinis gradum, qui officium regium dignè, & laudabiliter exequuntur; si enim beatitudo virtutis est præmium, consequens est, vt maiori virtuti maior gradus beatitudinis debeatur*. Et de ista aureola loquitur Petrus, quando dicit, quòd pastores percipient *immarcescibilem coronam gloriæ*; non enim potest loqui de gloria essentiali, nam hæc omnibus decedentibus in gratia debetur; cum autem loquatur de Pastoribus maiora facientibus, & patientibus, quam cœteri etiam boni Christiani, de ista aureola loqui dicendum est. Erit itaque ista aureola Pastorum magna, & eximia, tum propter ingentem charitatem, qua non solum suam, sed & plurimorum aliorum animas saluare, & perficere sategerunt; tum propter zelum, quo regnum, & gloriam Dei propagauerunt. Cuius ergo maior fuerit charitas, zelus, & labor, eius pariter maior erit gloria, & laurea. Adde, quod addetur Pastoribus gloria, & corona ex gloria, & corona subditorum, quos ad salutem perduxerunt, iuxta illud 1. ad Thes. 2. *Quæ est enim nostra spes, & gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum IESVM CHRISTVM estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra, & gaudium*. D. Thom.



QVAESTIO III.

DE AVCTORITATE PRÆLATORVM REGVLARIVM.





GGREDIOR quæst. 3. in qua ex suppositis quæst. 1. cap. 5. num. 4. mihi agendum est de potestate iurisdictionali, & dominatiua, quam habet Prælatus quò ad forum externum in suos subditos.

CAPVT PRIMVM.

Quomodò Prælati regulares possint nouitios ad suam Religionem recipere.

Nauarrus. A Sorbo. Vechius. Passarel. Suarez. Miranda. Rodriquez. Corduba. Politius. Bartolus. Ledesma. Cruz.

1. IDE Nauar. lib. 1. consil. de consti. cons. 9. num. 18. Sorb. in com. priu. ver. Nouitius, tit. de recept. nou. Vech. de nou. disp. 7. dub. 1. Passar. in schol. ea Barch. num. 18. Suar. to. 3. de relig. lib. 5. c. 10. Mir. to. 1. man. q. 15. ar. 1. Rodriq. to. 3. q. reg. q. 9. ar. 1. Cord. in reg. Min. c. 2. q. 7. vbi Polit. nu. 11. & Bartol. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 7. concl. 2. diff. 1. pag mihi 269. Cruz de sta. Relig. lib. 1. cap. 8.

2. Noto 1. quod materia in hoc cap. tractanda, longa, difficilis, & quotidiana est, ac per consequens necessaria; quare est diligenter discutienda; & ideo ad 5. capita eam reduco. 1. est de nouitiorum receptione. 2. de nouitiatu. 3. de professione. 4. de auctoritate Prælatorum in nouitios, tam in foro interno, quam externo. 5. de dispositione bonorum ipsorum nouitiorum.

3. Noto 2. quòd DD. præsertim antiquiores, eodem modo loquuntur de potestate recipiendi ad habitum, & de potestate recipiendi ad professionem, eo fortè, quia qui vult vnum propter aliud, vnum solum velle videtur, & certum est, receptioné ad habitum esse propter professionem. Atq; ita concludere videntur, quòd qui habet potestatem recipiendi ad habitum, habet etiam potestatem recipiendi ad professionem, & è contra. Cui rei fauere videtur tex. in cap. ad Apostolicam, de reg. vbi dicitur, *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente, monasticum, & monachalem habitum concedente.* Certum tamen est, quòd hæc duo, receptio ad habitum, & receptio ad professioné, sunt valde diuersa; nam receptio ad professionem est contractus formalis, & purus, quo incorporatur receptus in membrum Religionis, ita vt deinceps neq; Religio eum expellere, neq; ipse Religionem deserere, rebus immutatis, possit. At verò receptio ad habitum est contractus mutabilis, & resolutiuus, & quasi conditionalis, vt ait Sã- *Sanchez.* chez 6. in dec. c. 10. n. 21. quo receptus suscipitur probandus intra annum, an manere velit, vel deceat in Religione, ita vt neq; ipse teneatur in Religione permanere, neq; Religio teneatur eum tenere. Vnde in 1. casu adimitur tam Religioso, quam Religioni, libertas Religionem, & Religiosum deserendi. In 2. talis libertas non adimitur; vnde meritò de his, tamquam diuersis, agendum est.

4. Noto 3. quod Sixtus V. in sua const. Cum de omnibus 71. tom. 2. bull. Cherub. & in eiusdem declaratione, Ad Romanum, multa statuit circa receptionem nouitiorum ab habitum, quæ hic breuiter indigitanda sunt. 1. igitur statuit, vt nullus illegitimus ex sacrilegio, vel incestu intra tertium gradum consanguinitatis, vel affinitatis, ad Religionem in clericum admittatur, sub pœna nullitatis professionis, & habitus spoliationis, & Superioribus admittentibus infligit pœnam excommunicationis ipso facto, Romano Pontifici reseruatam; concedit tamen, vt tales possint admitti ad gradum conuersorum. Alios verò illegitimos recipi posse concedit sub forma ab eo præscripta in dicta const. Cum de omnibus, § 3. Illorum scilicet vita, & moribus priùs diligenter cognitis, & circumstantijs vniuersis, quæ circa idoneitatem personæ attendendæ erunt, consideratis, ac qui de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina fide dignis testimonijs adeo commendati fuerint, adeoq; bonam indolem, & specimen virtutis præseferant, ac denique tot merita eis suffragentur, vt defectũ natalium suppleant, eorumq; receptio vniuersę Religioni commoda, & profutura videatur, deq; his omnibus in capitulo generali, vel prouinciali maturè delibéretur. Non vult tamen, etiamsi sint legitimati in seculo, quòd in Religione possint admitti ad dignitates sine dispẽsatione Romani Pontificis; & annullat similiter receptiones aliter factas, & tales habitu spoliari, & à Religione eijci mandat, & receptores excommunicat. Sed quò ad illegitimorum receptiones dictæ constitutiones sunt annullatæ per Greg. XIV. vt constat ex eius cõst. 3. apud Cherub. tom. 2. bull relictis in suo statu informationibus de ipsis suscipiendis secundũ tenorem dictæ const. Sixti, & concedit etiam, *Cherubin.*

quòd

quòd dicti illegitimi possint per capitula generalia, vel prouincialia ad dignitates admitti.

Llamas. 5. Et licet in hoc puncto distinguat Llam. in append. meth. §. 18 hoc, & putet, quod solùm illegitimi ex adulterio, vel fornicatione possint per dicta capitula rehabilitari ad dignitates, illegitimos verò ex incestu, vel sacrilegio nequaquam, sed id esse summi Pontificis: non video tamen solidum fundamẽtum tanti rigoris, nec inuenio talem distinctionem in bulla Greg. enunciat enim Pontifex §. 2. tenorem bullæ Sixti contra illegitimos ex incestu, & sacrilegio, deinde enunciat tenorem dictæ bullæ contra illegitimos ex alio illicito coitu, & enunciat id, quod dixit Sixtus, nempe natos illegitimos hoc 2. modo non posse habilitari ad dignitates nisi per Papam; deinde, connectendo ea, quæ supra dixerat eodem §. 2. scilicet *prædictas constitutiones in ea parte, qua cauetur, ne illegitimi ex certo, expresso, & damnato thoro,* &c. *& in altera parte, in qua illegitimè genitis,* &c. subdit, *auctoritate Apostolica, tenore præsentium ad terminos iuris reducimus, & moderamur*, & linquendo omnia priuilegia Regularium in eo statu, quo erant ante publicationem dictarum cõstitutionum Sixti, concludit, *volentes, ijsdem constitutionibus non obstantibus, eos, qui quouis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum, & professionem regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ constitutiones editæ non fuissent.* Si autem dicti illegitimi ex incestu, & sacrilegio ad Religionem admissi, non possent ad dignitates habilitari, nec priuilegia Regularium essent in eodem statu, in quo erant ante dictas const. Sixti, nec dicti illegitimi possent ad Religionem admitti eo modo, quo admittebantur anteà. Tunc enim admittebantur ad habitum, & professionem, & inde ad dignitates. Et clarissimè §. 4. concedit facultatem Superioribus dispensandi cum dictis illegitimis in capitulis prouincialibus, & intermedijs, iuxta tenorem suorum priuilegiorum, quæ reualidat, & decernendo, subdit. *Dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, & inde secuta quæcumq; vt antea, valere, & tenere, ac si supradictæ constitutiones non emanassent.*

6. 2. Statuit dictus Sixtus vbi supra, vt viri, & iuuenes maiores 16. annis non recipiantur ad Religionem, nisi priùs inquiratur, & fide digna relatione compertum sit de eorum parentibus, vita ante acta, & moribus, ita vt constet, eos non esse reos, vel suspectos homicidij, furti, latrocinij, & similium, vel grauiorum delictorum, propter quæ sint damnati, vel damnari formident, neq; ære alieno grauatos supra vires suarum facultatum, neq; obnoxios reddendis rationionibus, ita vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit ne inferatur, & nisi deniq; constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis, & pietatis feruore vitam religiosam sponte, & ex animo elegisse. Aduerte quòd hæ informationes sunt omnino faciendæ etiam nunc, iuxta

Cherubin. 83. const. Clem. VIII. in suprema, apud Cherub. tom. 3. bull. quas etiam fieri mandauit dictus Clem. in alia const. Sanctissimus, quam innouauit Vrb. VIII. vt constat ex tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 78. & 80.

7. Aduerte circa facinorosos, & criminosos, quòd ad hoc vt criminosi sint inhabiles ad Religionis ingressum, quatuor requiruntur. 1. vt actis publicis constet accusatio, & inquisitio delictorum. 2. vt in particulari sit contra eos inquisitum. 3. vt hæc sint ante habitus susceptionem. 4. quod sint coram iudice seculari. Quare, si actibus publicis non constet, recipiendum esse accusatum de atroci crimine furti, latrocinij, &c. etiamsi alias publicum sit, ita vt generet infamiã in delinquente; non impedit: nec item impedit, si criminosus occultus sit: nec item impedit, licèt in actis de inquisitione cõstet, quæ tamen inquisitio solum sit in communi, non in particulari contra recipiendum: nec item impedit, si inquisitio fiat coram iudice Ecclesiastico: nec similiter, si dicta inquisitio incipiat fieri post habitus susceptionem.

Ita Sanch. 4. in dec. cap. 16. num. 39. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 7. à num. 16. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 3. diff. 2. pag. mihi 251. Item non includuntur in dicta const. qui post accusationem se purgauerunt, & absoluti fuere, quia delictum non fuit probatum, vt dicunt Sanch. loc. cit. & Suar. num. 19. Rodriq. tom. 3. quæst. reg. quæst. 10. art. 7. Mir. tom. 1. man. q. 19. ar. 8. fine. Portel in add. ad dub. reg. ver. Nouitius, num. 5. Nec item includuntur, qui conuicti, & condemnati ad pœnam, eam impleuerunt; Suar. loc. cit. num. 19. Vech. de nou. disp. 2. dub. 12. num. 2. Aduerte tamen, quòd si aliquis criminosus, &c. in casibus exceptis non inclusus, profiteatur in Religione, professio valida est; per const. Clem. VIII. in suprema cit. num. præced. sed Superiores illum scienter recipientes, subiacent pœnis const. Sixti.

Sanchez. Suarez. Ledesma. Rodriq. Miranda. Portel. Vechius.

8. 3. Statuit, quòd horum omnium indubitata fides facienda sit in capitulo generali, vel prouinciali, vt deinde à dictis cum Definitoribus approbati, ad Religionem recipiantur. Aduerte, quòd non est ampliùs necesse, vt prædictæ fides fiat in cap. generalibus, vel prouincialibus; nec est necesse, vt dicti nouitij ampliùs in dictis capitulis recipiantur. Sed, sumptis informationibus modo infra dicendo §. 1. recipi possunt quocumq; tẽpore à tribus deputatis per capitulum prouinciale, vel etiam locale, vt cõcessit Clem. VIII. vt refero tom. 2. nostr. priu. in const. 2. Sixti V. nu. 8. vel etiam recipi possunt à prouinciali cum suis Collegis, vt idem Sixtus nobis Minimis concessit, per suam const. Etsi nos, datam Romę anno 1588. die 28. April. quam ponam in addit. ad priu. reg. Nec etiam est ampliùs necesse, vt Superiores de nouitijs ab ipsis receptis dent informationes in capitulis, nec vt à capitulo approbationem factorum petãt, vel expectẽt, vt requirit dicta cõstit. Sixti pro Minimis, cum id non requirat Clem. VIII. in suis posterioribus constit. datis, & pro Prædicatoribus, & pro Ministris Infirmorum, vt constat ex ijs, quæ dico tom. 2. priu. cit. num. 7. Et Greg. XIV. in dicta sua constit. Circumspecta, concessit, vt in Religionibus monachalibus, facientibus filiationem perpetuam, nouitij, præuijs informationibus, recipiantur extra capitula prouincialia, & generalia, per Prælatum monasterij, cum consensu fratrum dicti monasterij. Et ipse Sixtus in sua const. declaratoria §. 8. quando distantia, aut paucitas monasteriorum non pateretur, concessit, vt tres

Patres

Patres deputati à capitolo generali Monachorum, vel prouinciali Mendicantium, dictos nouitios ad Religonem admittant.

9. 4. Statuit, vt receptiones nouitiorum maiorum 16. annis, factæ contra prædictam formã, professionesq; inde secutæ sint omnino nullæ, ita vt sic de facto recepti habitu spoliari, & à Religione expelli debeant, & vt iudices seculares contra eos ciuiliter, & criminaliter procedere possint. Quare etiam præcipit, vt dictorum nouitiorum 16. annum excedentium, nomina, & cognomina, quibus vtebantur in seculo, & patria, notentur in capituli actis. Quod attinet ad nullitatem professionum contra dictam formam factarum, est omnino reuocatum per const. Clem. VIII. In suprema, de qua num. 6. quare receptiones nouitiorum, prædictis informationibus non præcedentibus, validæ sunt, sicut etiam sunt validæ professiones factæ à criminosis, ære alieno grauatis, & reddendis rationibus obnoxijs. Vide quæ dico tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 15. §. 3. ver. Ad 3. Interrog.

10. 5. Statuit, vt quicumq; Religiosi, & eorum Superiores recipientes ad habitum quamcumq; personam inhabilem secundum prælatas suas constit. sint ipso facto priuati voce actiua, & passiua in perpetuum, & dignitatibus, ac officijs, seu gradibus, quæ habent, & declarat eos omnino inhabiles ad illa, seu alia quæcumq; in posterum obtinenda. Hoc tenentur adhuc sub dictis pœnis ad vnguem seruare Superiores, & alij, ad quos spectat dictos nouitios cum Superiore recipere, quò ad informationes sumendas de nouitijs 16. annum excedentibus; si autem dictum annum non excedant, licèt dictas informationes omittant, non tenentur dictis pœnis Sixti; nam hic Pontifex eas solum inflixit contra recipientes dictum annum excedentes, putans ante illum non posse esse quemquam communiter tam criminosum. Immò de dictis nouitijs 16. annum non excedentibus secundùm mentem Sixti non est necesse fieri informationes, vt docent Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10 num. 11. Rodriq; tom. 3. quæst. reg. quæst. 10. art. 13. Mir. tom. 1. man. quæst. 31. art. 1. concl. 3. Nald. in sum. ver. Nouitius, nu. 1. Beia 4. par. cal. casu 19. in princ. Sed de his etiam, qui dictum annum non excedunt, dictas informationes fieri præcipit Clem. VIII. in instruct. pro recep. nouit. tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. §. 79. vbi num. 80. ait, *Primum quod attinet ad nouitiorum recipiendorum formam vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusq; natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita ante acta, ac præcipuè eorum, qui 16. ætatis suæ annum excedent, an criminosi*, &c. vbi particula illa, Præcipuè, exprimit casum minùs dubium. Barb. de dict. dict. 330. num. 1. & dict. 168. nu. 1. Rodriq; to. 1. quæst. reg. quæst. 100. art. 2. ver. Circa quam; Menoch. de arb. lib. 2. casu 416. num. 19.

Suarez. Rodriquez Miranda. Naldus. Barbosa. Menoch.

11. 6. In declar. dictæ constit. declarat Sixtus, quòd in conuersis emittentibus professionem, satis est, si fiat inquisitio quò ad mores, & statum personarum. Pro conuersis instruendis vide cit. const. Vrb. VIII. §. 100. & §. 101. vbi in specie statuitur, quòd in conuersis ad profitendum adsit ætas 21. annorum; quod tamen non video obseruari, & doleò; nam cum ad laborem manualem destinati sint, vix sunt apti ante illud tempus: Adde, quòd, cum eorum cura non sit tam accurata, vt clericorum, propter continuam occupationem, quam habent in negotijs internis, & externis monasterij, vix potest ante illam ætatem pro suo statu ad mentem Pontificis illis consuli. Additur in illo §. 101. quòd conuersi ad clericorum statum, etiam durante tempore probationis, transire non possint, quod est conforme nostræ Regulæ cap. 2. num. 3.

12. 7. Declarat, in recipiendis jis, qui à patria remotissimi sunt, vel si illa detineatur ab hæreticis, & infidelibus, non esse necessaria omnia supradicta, sed si, facta aliqua diligentia, nihil appareat, quod impediat, esse habiles reputandos. Qui autem dicantur remotissimi à sua patria, cum non determinetur, arbitrio Superioris relinquitur, iuxta l. 1. ff. de iure delib. Rodriq; tom. 3. quæst. reg. quæst. 10. art. 13. putat eam patriam remotissimam esse ad quam per annum non potest iri, & rediri. Sed hæc limitatio non est admittenda simpliciter, nam licèt intra annum possit iri, & rediri simpliciter, si tamen non possit iri commodè, & tutè, puto quòd non esse necesse dictas informationes sumere; illud enim solùm possumus, quod commodè possumus; l. Nepos Proculo, ff. de ver. sign. Quare melius arbitrio Superioris relinquitur. Diligentia autem adhibenda est, vt sumantur informationes ab his, qui haberi possunt. Quòd si nulli reperiantur in ciuitate, in qua recipiendus est habitu induendus, nec in proximis, tunc ipse, habita priùs cognitione de impedimentis dictarum const. Sixti, iuret se nullùm ex his habere; vel id saltem testificentur, qui cum eo conuersantur. Ita Vech. de nou. disp. 6. dub. 5. num. 3. Vide Mir. tom. 1. man. quæst. 31. art. 2. sub concl. 6. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 15.

Rodriq. Vechius. Miranda. Suarez.

13. 8. Declarat, vt nullus Regularis ignotus recipiatur, neq; etiam ad hospitium, sine obedientia suorum Superiorum. Pro quo vide quæ dico tom. 1. nostr. priu. in const. 13. Leon. X. num. 3. Hæc in sum. statuit Sixtus illis duabus const. quæ omnia seruanda sunt, præter ea, quæ de illegitimis, & nullitate professionum statuit, vt copiosiùs dicam in seq.

14. Dico 1. de iure communi recipere nouitios ad Religionem, ad Prælatum immediatum conuentus, & conuentum ipsum spectat. Ita Nauar. lib. 1. cons. de const. cons. 9. nu. 12. Abb. in cap. Ad Apostolicam, de reg. num. 12. Glossa in cap. fin. ver. Pertineat de reg. in 6. vbi Io. And. & Io. Monach. Mir. tom. 1. man. quæst. 15. art. 1. concl. 2. Vech. loc. cit. disp. 7. dub. 4. nu. 2. Const. ex cap. fin. de reg. in 6. vbi Bonif. VIII. illius cap. auctor, supposito de iure communi, tam ad Abbatem, quàm ad conuentũ, Monachorum creationem pertinere, consuetudini remittit, an ad Abbatem solum, vel simul etiam ad conuentum id pertineat. Sed in hoc assentior opinioni Suar. loc. cit. num. 6. putanti, hoc dubium de iure communi certò definiri non posse, sed consuetudine standum esse, vt probat dictum cap. fin. de reg. & Religionis statutis.

Nauarrus. Abbas. Io. Andr. Io. Monach. Miranda. Vechius.

15. Dico 2. in Religione nostra recipere nouitios ad Religionem, pertinet ad Generalem,

Vigi-

Vigiles, aut Prouinciales, vel ab eis deputatos. Ita in Reg. num. 2. In Correct. tamen num. 16. additur, quod Prælati hoc per se solos non possint, sed cum suis respectiuis Socijs. Et si hoc negotium alicui subdito specialiter mandauerint dicti Prælati, talis substitutus illud peragere tenetur cum consensu Correctoris localis, & suorum Seniorum. In ordine Minorum recipere nouitios pertinet ad Generalem, *Miranda.* vel Prouincialem dumtaxat, vt dicunt Mir. loc. cit. concl. 4. Cord. in cap. 2. reg. Min. q. 7. *Corduba.* vbi Polit. num. 18. In Ordine Prædicatorum *Politius.* recipiuntur a Prouincialibus, vel etiam Prioribus cum consensu fratrum, vt dicit Feit. in eorum const. par. 1. cap. 1. & Suar. loc. cit. ait, quòd in Ordinibus Mendicantium recipere nouitios ad Religionem, ad Prouinciales pertinet; & addit, quòd ita videtur habere consuetudo omnium huiusmodi Religionum.

Nauarrus 16. Quare minus benè sensit. Nauar. loc. cit. dicens, quòd apud omnes Religiones nouitiorum receptio pertineat ad Superiorem immediatum conuentus cum maiori parte dicti conuentus. Ex quo etiam infert, quod Correctores in Ordine Minimorum, præsertim Corrector S. Trinitatis de Vrbe, possint iure proprio nouitios ad habitum recipere; Nam præterquam quòd non est talis vsus in omnibus Religionibus, vt dixi, quando tamen is esset, non liceret ex illo inferre, Ergo etiam in Religione Minimorum id faciendum est. Tum quia Regula nostra illud vetat, & fuit pluries ab Apostolica sede confirmata; vnde omnino seruanda est, etiamsi aliquid disponeret contra ius commune, cum Papa, qui eam de potestatis plenitudine confirmauit, supra ius commune sit. Tum quia, vt dixi, non est certum, quod de iure communi receptio ad habitum pertineat ad Prælatum immediatum cum suo conuentu. Et cap. illud fin. 18. q. 2. quod Nauar. dicit esse omnium firmamentorum neruosissimum ad id probandum, non dicit, quòd non possit Abbas creare monachos sine consensu fratrum, vt refert Nauar. sed ita habet ad verbum; *Episcopus non debet Abbatem violenter constituere in loco suo; ipse autem non potest aliquem ordinare de suis propinquis, vel amicis sine voluntate fratrum*; Illud pronomen, ipse, potest commodè referri ad Episcopum, & suadet verbum, Ordinare, quod Episcoporum proprium est. Et receptio nouitiorum à sacris can. & DD. non proponitur sub nomine ordinationis, sed sub nomine creationis. Adde, quòd, etiam dato, quòd illud pronomen referretur tam ad Episcopum, quàm ad Abbatem, & quòd per Ordinare, ibi quò ad Abbatem, intelligeretur Creare, vt insinuat Glossa, tamen adhuc non probaret intentum Nauar. nam intelligeretur solùm in eo casu, in quo propinquitas, vel amicitia faciunt casum specialem, ne scilicet his medijs velit se Abbas tamquam dominum, Monachis spretis gerere, & sic ex dictis successoram deligere, seu res, & bona monasterij dictis propinquis, & amicis commendare, quod prohibitum reperitur in cap. Decenter, d. 89. Et dato, quòd dictum cap. fin. loqueretur de creatione Monachorum, non loquitur certè in casu nostro, sed loquitur de creatione per professionem, vt loquuntur omnes canones de hac materia tractantes, de qua etiam loquitur, cap. Ad Apostolicam, de reg. Et tandem contra Nauar. adest decretum Congr. quod ad verbum referam in addit. ad priu. reg. datum ad instantiam P. Cornelij de Rugiano Zelosi Ordinis nostri die 8. Ian. anno 1590. In casu nostræ Religionis. Vnde nimia audacter locutus est Nau. dicto cons. 9. nu. 14. dum statutum Regulæ, à S. Patre diuino afflato Spiritu dictatum, vocat quamdam constitutionem Ordinis: & seuera correctione est castigandus, dum ibidem subdit, absurdum esse, & indecorum, vt soli Vigiles, & Prouinciales, forte iuuenes, & non adeo prudentia probati, possint nouitios ad Religionem admittere. Nimium tibi assumis Nauarre, præsumptuosè nimis loqueris, & superbè, dum audes absurdum, & indecorum vocare, quod S. Pater, dictante Spiritu Sancto, instituit, & quod tot sanctiss. doctissimiq; Pontifices ex certa scientia confirmauere, approbauere, & laudauere; errasq; de iure, & de facto. De iure, quia iurisconsulti non est, ad quæstionem de iure respondere de facto; dato enim quòd aliquando Vigiles, & Prouinciales sint iuuenes, non debet ex hoc vniuersalis cõclusio inferri, Ergo omnes iuuenes sunt; est namq; hoc maximum, & grauissimum peccatum apud Logicos. Deinde virtus supplere potest ætatis defectum. Tandem iuuenis dicendus non est, qui habet ætatem a suo legislatore requisitam. Erras etiam de facto, nam negotium hoc recipiendi nouitios, non est solis Vigilibus, nec solis Prouincialibus commissum, sed ipsis cum tribus Socijs, vt dixi num. 15. Errasq; etiam, quia, licet possint dicti Prouinciales, & Vigiles cum suis Socijs ad habitum recipere, non possunt tamẽ ad professionem, quia in hac requiritur capituli localis cõsẽsus, vt dixi to. 1. huius op. q. 2. c. 16. §. 2. concl. 4. ver. In nostro Ordine. Excusabit lector, quòd Doctorem insignẽ ausus sim ita contra morem carpere. Nam id mihi licuisse, immò fuisse necessarium, existimaui, per doctrinam D. Tho. quodlib 5. ar. 16. *D. Thom.* corp. qui vt docet, nos esse debere patientissimos in proprijs iniurijs tolerandis, ita etiam docet, statum nostræ Religionis impugnantibus debere pro posse resistere.

17. Dico 3. Prouinciales recipientes nouitios ad Religionem, tenentur adhibere consilium suorum Collegarum, ipsorumq; consensum expectare. Ita Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. *Suarez.* cap. 10. num. 19. Rodriq. tom 3. q. reg. q 10. ar. 2. *Rodriq.* ver. Tertiò est not. & q. 54. ar. 4. Mir. to. 1. man. *Miranda.* q. 21. ar. 3. concl. 3. Sorb. in comp. ver. Nouitius, p. 1. ver. Et in anno, pag. mihi 419. *Sorbus.* Prob. ex const. Greg. XIV. Clem. VIII. & etiam Sixti V. de quibus dixi num. 8. In quibus quando datur facultas recipiendi nouitios extra capitula, semper conceditur Prouincialibus cum consensu trium, vel quatuor fratrum; & præcisis verbis id habetur in const. 83. Pauli V. Alias, apud Cherub. to. 3. bull. pag. mihi 317. *Cherub.* Prob. 2. specialiter in nostra Religione, vbi in Correct. num. 16. dicitur, *Ad ipsos verò superiores Prælatos, & eorum Socios talium recipiendorum deliberatio spectabit*. Vbi, vt constat, ad vtrosq; spectat deliberatio. Et statuit etiam Sixtus V. in sua const. Etsi nos, de qua hic sup. num 8. vbi dicitur, *Vestrumquisq; vestrum vnà cum tribus*

Socijs,

Socijs, quæ dictio Vnà, importat idem, quod Simul, & omnimodam vnitatem, ac æqualitatem, vt dicit Barb. de dict. dict. 376. num. 1. & n. 2. ait, quòd dictio, Vnà cum, quæ est hic, idem significat, quod copula, Et, & importat repetitionem. *Barbosa.*

18. Et notent hic nostri Prælati, quòd noster legislator non remittit receptionem nouitiorum determinationi, arbitrio, &c. Superiorum, sed deliberationi, ad insinuandum, quàm diligenti consultatione, & perquisitione, quàm prouida circumspectione, quàm sine passione, & festinantia debent in id negotij, bonum omne Religionis concernentis, incumbere; deliberare enim à libella, qua quid perpenditur, dictum est, vt ex Sexto Pōpeio refert P. Greg. lib. 46. syntag. cap. 2. num. 3. quemadmodum enim per libellam, seu libram, res ad iustum, & certum pondus reducuntur, sic consultatione, & perquisitione diligenti, temporis maturitate interueniente, res ad rectum deducuntur. Et antiqui dicebant, referente Gel. lib. 12. cap. 11. quod *Tempus est pater veritatis. & Veritas est mater iustitiæ*, vt dicit Bald. in l. Libertini, ff. de stat. hom. num. 1. *P. Gregor. Gellius. Baldus.*

19. Sed dubitabis, an omnes dicti Socij consentire teneantur, an verò sufficiat, quòd maior pars cum Prouinciali ex omnibus coniunctis consentiat? Suar. loc. cit. & Vech. de nou. disp. 7. dub. 2. num. 9. dicunt sufficere, si maior pars illorum coniunctorum consentiat: & docet Glossa in cap. Pastoralis, ver. Si pluries, de rescr. & expressit Sixtus in sua const. declar. §. 10. *Suarez. Vechius.*

20. Dubitabis etiam. Quid? si omnes Collegæ consentiant, discrepet autem Prouincialis, propositus erit ne recipiendus? Negatiuè R. à præfatis DD. nam facultas recipiendi apud Superiorem principaliter residet, nec quisquā sine eius consensu recipi potest. Quod etiam docet Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 10. art. 2. ver. Tertiò est not. *Rodriquez*

21. Sed quid adhuc? si ex tribus Collegis vnus solus cum Prouinciali consentiat, reliqui contradicant, erit ne tunc propositus recipiendus? Dic, quòd sic in Ordine nostro, per cap. Val. 4. num. 41. confirmatum in Barch. 1. num. 18. vbi dicitur. *Verùm vbi ex vna parte duo Socij eiusdem sententiæ essent, stetur illi parti, vbi vnus Sociorum cum Superiore concordauerit, in quorum sententiam alij teneantur se subscribere.* Et, cum Sixtus in sua declar. adducta num. 19. declaret, satis esse ad recipiendum nouitium in casu discordiæ recipientium, si numerus sit legitimus secundùm statuta Ordinis, dicendum est, quod etiam secundùm mentem dicti Pontificis hoc casu standum sit pro parte Superioris cum vno Collega. Immò addo, quòd etiam id procedit secundùm ius commune, c. fin. de sent. & re iud. vbi decidItur, quòd quando Iudices in æquali numero discordant in sententia, si sunt ordinarij, tenet sententia pro reo, quia promptiora sunt iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum, cap. Ex literis, de prob. c. Inter dilectos, de fide instr. Cū ergo in hoc casu reus possit dici ille, qui proponitur recipiendus, cui valde grauis esset sententia repulsæ, dicendum est, quòd parti Superioris cum vno Collega standum sit. Nec refert, quòd in Correct. num. 16. dicatur, receptionem nouitiorum pertinere ad Prælatum vna cum Socijs, & quod dictio, Vnà cum, importet omnimodam vnitatem. Nam iuris fictione ab omnibus factum dicitur, quod a maiori parte factum est, vt Menoch. lib. 2. cons. cons. 96. nu. 5. Maior autem pars in hoc casu est illa Superioris. *Menoch.*

22. Sed quid etiam? si Collegæ consensum sine rationabili causa denegent, poterit ne solus Prælatus propositum ad habitum recipere? Putat posse, & bene, Vech. loc. cit. num. 12. quia quotiescumq; consensus est in aliquo actu necessarius, si qui illum præstare debet, sine causa denegauerit, habetur pro præstito, cap. Licèt, §. Talia ergo, de reg. Et aduerte, quòd consensus Collegarum requirendus est ab ipsis coniunctis, & vnitis, non vt singulis, & separatis, quia, cum debeant de nouitio consultare iuxta informationes habitas, oportet, quòd dicta consultatio in communi fiat. Ita Vech. loc. cit. num. 8. Non est tamen necesse, quòd vota occultè promantur, sed possunt dici publicè, vt censuit Sacra Congr. in casu, quo examinatores iuxta Trid. sess. 24. de refor. cap. 18. debent iudicium ferre de prouidendis ad beneficia; & in Ordine Prædicatorum sic obseruari, docet Fest. 2. p. const. sui Ord. cap. 2. ver. In cap. Val. Possunt tamen etiam per suffragia secreta proferri, si ita mos habeat Religionis, & Prælatus ægrè ferat sibi contradici. *Vechius. Festus.*

23. Quid etiam? si Prælatus absq; consensu, & absq. consilio Collegarum aliquem ad habitum admittat? Dico, quòd illa admissio non valet, defectu potestatis; non enim valet, quòd ab aliquo factum est, quando id ab eo fieri non poterat sine consensu alterius, leg. Titium, in princ. ff. de admin. tut. Quare ille sic admissus poterit à quocumq; Superiore absque vlla iniuria habitu nouitiorum spoliari, nisi vel tacitè, non contradicendo, in illum consentirent Collegæ, iuxta doctrinam Innoc. cap. In Genesi, de elect. num. 5. vel sic haberet præscriptus Religionis vsus. Item pari passu dic de eo, qui esset receptus à non habente auctoritatem; posset enim à quocumq; spoliari. Poterit tamen Superior, ad quem pertinet, talem receptionem habere ratam, sed tunc habitus receptio debet incipere à tempore ratihabitionis, non verò à tempore receptionis habitus, vt enim annus approbationis sit legitimus, debet incipere à legitima habitus receptione. Atq; ita Rosel. ver. Nouitius, num. 25. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 17. ar. 12. A S. Fau. in thes. lib. 5. q. 239. num. 1. *Innocentius. Rosella. A S. Faust. Rodriq.*

24. Quæres etiam, si propositus habeat omnes conditiones requisitas tam ex parte Religionis, quàm ex parte ipsius, an teneantur deputati eum admittere? Dic, quòd sic. 1. respectu Religionis, quæ inde augetur. 2. respectu proximi, qui sine causa hoc magno beneficio priuari non debet. 3. Quia Io: 6. dicitur *Eum, qui venit ad me, non eijciam foras.* Quod tamen limita, si nulla interueniat rationabilis causa, nam cum ea cessat obligatio. Causa autem sufficiens esset, si conuentus non haberet commoditatem temporalem pro illo tempore illum nouum Religiosum alendi; si multi, aliàs

æqua-

æquales, ingredi petant, & non poſſint propter dictam, vel aliam cauſam, omnes ſimul recipi, liberum erit deputatis hos reijcere potiùs, quàm illos. Deniq; quoties res fuerit dubia, vel vtrinq; probabilis, an expediat talem perſonam recipere, nec ne, liberum eſt eam non admittere. Ita Suar. tom. 3. de rel. lib. 5. cap. 10. num. 18. qui in hoc conſenſu ferendo hanc affert regulam. Si quis bona fide abſq; odio, vel prauo affectu procedat, & mediocrem diligentiam adhibeat, ſecurè poteſt conſentire, vel diſſentire; Ita Vech. loc. cit. dub. 3. diſp. 7.

Suarez.
Vechius.

25. Sed quid? ſi deputati aliquem admittant non habentem omnes conditiones requiſitas tam ſecundùm canones, quàm ſecundùm conſtit. Sixti, & Religionis? Dic, ipſos grauem culpam non effugere, cum materia grauis ſit, & inſuper incurrunt priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ, & dignitatum, quas habent, & incapacitatis ad illas, vel alias in futurum obtinendas, ſi malitiosè aliquem criminoſum, &c. admittant. Non tamen has pœnas incurrunt, qui bona fide, ſumptis informationibus, ex quibus apparuit, recipiendum nullum pati defectum inhabilitantem receperunt, licèt poſteà, ſumpto habitu, ſeu facta profeſſione, appareat, receptum pati aliquem ex dictis defectibus, cum inhabilitantibus per dictam conſtitutionem Sixti: Iſtæ enim pœnæ ponuntur contra temerè admittentes, vnde bona fides excuſat, nec infliguntur contra admittentes quoſcumq; inhabiles, ſed ſolum contra admittentes inhabiles per dictam ſuam conſtitutionem. Ita Rodriq; tom. 3. quæſt. reg. quæſt. 10. art. 11. & quæſt. 54. art. 4. Vech. loc. cit. dub. 5. num. 3. & 4. Portel in dub. reg. ver. Nouitij inform. num. 6. Ledeſ. de ſta. relig. in com. cap. 6. concl. 3. diff. 1. ver. A eſta difficultad, pag. mihi 148. & pag. 150. ver. A eſto digo lo primero.

Rodriq.
Vechius.
Portel.
Ledeſma;

Aduertit etiam Portel, quod non incurreret Prælatus has pœnas, qui omitteret facere prædictas informationes de nouitio, qui à parte rei careret illis defectibus, de quibus præcipit, informationem ſumi Sixtus V. quod prius docuerat Rodriq; loc. cit q. 54. a. 4. & etiam tenet Vechius de Nouitijs diſp. 7. dub. 5. num. 3. & Diana tom. 3. tract. 2. reſol. 83.

Rodriq.
Vechius.
Diana;

26. Nec ſimiliter puto, dictas pœnas, vel culpam incurrere prædictos deputatos, ſi abſq; dictis informationibus perſonam ſibi maximè notam recipiant. Nam quæ clara ſunt, examinatione non indigent: cap. Manifeſta, 2. q. 1. & in notorijs iuris ordinem non ſeruare, ordo eſt, cap. Ad noſtram, el 2. de iur. iur. cap. Quoniam, de fil. presb. Guido Pape ſing. 118. & ſicut poteſt Epiſcopus virum doctum, de cuius doctrina ei conſtat, ad ordines, & confeſſiones admittere abſq; examine, iuxta Trid. ſeſſ. 23. cap 15. de refor. ita poſſunt dicti examinatores ſimiliter facere in ijs, de quorum moribus ſibi omnino conſtat. Secus tamen eſt, ſi non conſtaret, vel eſſet dubium. Atq; ita quò ad forum conſcientiæ docet Vech. loc. cit. diſp. 6 dub. 1. num. 6. In foro fori id etiam habere locum videntur dicta iura probare; ſed, cum præfatæ informationes in excedentibus annum 16. requirantur pro forma, vt docuit Rota deciſ. 175. num. 3. apud Farin. 1. p. deciſ. id negandum eſt. Omiſſio verò informationum faciendarum ſecundùm Regulam, & Canones, ſi perſona eſt nota, nullam culpam, vel pœnam parit, neq; etiam in foro externo, vt Mir. tom. 1. man. quæſt. 18. art. 2. fine, Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de recept. nou. ver. Ac primum, pag. mihi 430. Cord. in reg. Min. cap. 2. quæſt. 4. ver. Quomodò autem, ibi Polit. num. 14.

G. Pape.
Farinac.
Miranda.
Sorbus.
Corduba.
Politius.

§. 1. *Quomodò, & de quibus facienda ſint informationes venientium ad Religionem.*

27 VIDE Rodriq; tom. 3. quæſt. reg. q. 10. art. 2. & 3. Mir. tom. 1. man. quæſt. 21. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. à num. 11. Vech. de nou. diſp. 6. Portel in dub. reg. ver. Nouitij inform. Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de recep. nou. ad hab. Feſt. in conſt. Præd. p. 2. à cap. 3. Cord. & Polit. loc. cit. Nald. in ſum. ver. Nouitius, nu. 1. Beia 4. p. caſ. caſ. 18. Ledeſ. de ſta. relig. in com. cap. 6. concl. 3. Cruz de ſta. relig. lib. 1. cap. 8. dub. 2. concl. 2.

Rodriq;
Miranda;
Suarez.
Vechius.
Portel.
Sorbus.
Feſtus.
Corduba.
Politius.
Naldus.
Beia.
Ledeſma;
Cruz.

28. Notet quòd multa requiruntur in recipiendo ad Religionem, tum iure naturali, tum iure pontificio, tum iure particulari ſingularum Religionum. Iure naturæ requiritur, vt eam induendus habeat habilitatem tum animæ, tum corporis, quæ eſt neceſſaria ad finem, ad quem eſt inſtituta Religio, quam intendit profiteri. Iure pontificio communi requiruntur aliqua, & alia iure pontificio particulari Sixti V. & aliorum Pontificum. Iure particulari Religionum requiruntur ea, quæ vnaquæque Religio ſpecialia habet. Circa ea, quę iure naturæ requiruntur, oportet, vt illi, ad quos pertinet nouitios recipere, regulam prudentiæ ſequantur, Deum ſolùm præ oculis, & bonum ſuæ Religionis habeant, carnis, & ſanguinis intereſſe poſtponant; atq; ita ſolùm idoneos quò ad tempus, & vires recipiant, conſiderata Religionis auſteritate maiori, vel minori, attentis laboribus, ad quos aſſumitur induendus; ſi enim in conuerſum aſſumatur viribus deſtitutus, certum eſt, quòd non erit habilis. Et ſimiliter ſi ad Religionem Minimorum auſteriſſimam aſſumatur aliquis delicatulus, & debilis, certum eſt, quòd non attenditur in hoc Religionis bonum. Quò ad habilitatem animę requiritur, quòd eo polleat recipiendus literarum ſufficientia, vel habilitate ad eas addiſcendas, quæ ſunt neceſſaria ad rectè exercendũ gradum, ad quem deſtinatur; quod decreuit Clem. VIII. & confirmauerunt ſequentes Pontifices, vt cõſtat ex to. 2. noſtr. priu. in cõſt. 10. Vrb. VIII §. 81. quid enim eſt ligna aſſumere in Clericos, & lapides quadraogulares in Conuerſos, quàm Religionẽ homunculis inutilibus replere? Atq; ita in hoc caſu videntur docere Ledeſ. de ſta. Relig. in com. cap. 6. concl. 1. & Cord. in reg. Min cap. 2. quæſt. 1. fine. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. num. 19 Putat verò Ledeſ. peccare mortaliter Superiores admittentes eos, qui dicta capacitate naturali carent. Vide Vech. de nou. diſp. 5. dub. 5. Circa ea, quæ requiruntur

Ledeſma.
Corduba.
Suarez.
Vechius.

iure Pontificio, tum communi, tum particulari dicam multa hic infra, vbi de omnibus, & singulis dissetam. Circa ea, quæ specialia sunt in quaibet Religione, ego solùm hic explicabo, quæ sunt specialia in Religione nostra. Qui cupiuerit scire, quæ sunt specialia in Religione Iesuitarum, adeat Suar. tom. 4. de Relig. tr. 3. lib. 2. cap. 1. & pro Religione Minorum, adeat Cord. in dicta reg. cap. 2. quæst. 4. Mir. tom. 2. man. quæst. 21. art. 2. Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de recep. nou. ver. Itaque ex vt regulæ, pag. mihi 430. pro Religione Prædic. vide Fest. in const. dicti Ord. p. 2. à cap. 3.

Rodriq; Miranda. Vechius. Beia. Portel.

29. Noto 2. quòd informatio de prædictis suscipiendorum qualitatibus fieri potest tam per iudices Ecclesiasticos, quàm seculares, modò tamen examinanda proponatur ijs, quorum interest nouitium recipere. Ita Rodriq; tom. 3. quæst. reg. q. 10. art. 1. fin. & in sum. p. 2. cap. 4. num. 4. & 5. Mir. tom. 1. man. quæst. 21. art. 3. concl. 1. Vech. disp. 6. dub. 2. num. 4. Beia 4. p. cas. cas. 18. vers. finem: Portel to dub. reg. ver. Nouitij infor. nu. 3. Cum enim non præscribatur in dictis bullis, per quos fieri debeat, arbitrio relinquitur prudentis.

30. Aduerte tamen, quòd debet talis informatio esse iuridica, nimirum facta per duos, aut tres testes iuratos, qui iurent, in tali persona à se ipsis bene cognita, non esse vllum ex impedimentis contentis in præf. const. Quòd isti testes debeant esse iurati, dicunt cit. DD. & constat, quia testes sine iuramento non faciunt fidem, Glossa in cap. Cum olim, ver. Fratrum, de priu. habetur cap. Tuis, & cap. Nuper, de test. quod quidem iuramentum cum sit in fauorem Religionis, prætermitti non poterit, etiam de consensu partium, vt Mir. loc. cit. concl. 4. fine; Vech. num. 5. Quòd debeant iurare, personam esse à se cognitam, Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 14. & patet, quia alioquin nihil probarent. Et hoc pacto informatio erit accurata, & diligens, vt requirit Sixtus, vt dicit Suarez loc. cit.

31. Aduerte etiam, quòd dicta informatio potest non solùm fieri per iudices Ecclesiasticos, & seculares, sed etiam per aliquem fratrem idoneum, specialiter deputandum ab illis, qui habent auctoritatem recipiendi nouitium. Qui frater deputatus poterit coram notario seculari, vel etiam religioso, seu per semetipsum testes etiam seculares absq; strepitu iudicij, sed per scrutinium secreto examinare, eisq; iuramentũ præbere, absq; alia Ordinarij facultate, & sic dictam iuridicam informationem sumere, sumptamq; ijs præsentare, qui de ea debent consultare. Ita Suarez, Beia loc. cit. Vech. num. 4. Mir. loc. cit. art. 1. concl. 2. fine; Ledes. de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 3. diff. 7. ver. Digo lo segundo, pag. mihi 256. Ita concessit Clem. VIII. in sua const. In his quæ, data die 7. Septemb. 1597. quam refert Rodriq; loc. cit. art. 1. Pro Ordine Minim. Sixtus V. statuit, dictam informationem fieri posse per vnum ex Socijs Prouincialis, vel per Prouincialem ipsum. Ita expressè in sua const. Etsi nos, de qua hic supra num. 7.

Ledesma. Rodriq;

32. Aduerte etiam, quòd antequam habitus Religionis alicui concedatur, debent præfatæ informationes haberi à deputatis. Quòd si fieri nequirent, eo quòd timetur, ne induendus precibus, vel minis parentum à sancto proposito auertatur, poterunt eo casu omitti vsq; ad professionis tempus; & interim poterit nouitio habitus tradi, sumpto ab eo iuramento coram testibus, quòd nullũ habet impedimentũ ex contentis in dictis const. Sixti. Ita concessit Clem. VIII. in dicta const. In his, quæ, & dicunt Rodriq; & Miranda loc. cit. Portel ver. Nouitij infor. num. 2. formam autem tale iuramentum sumendi vide apud Miranda loc. cit. quæst. 21. art. 1. concl. 3. Quæ tamen non est necessaria. Sufficit, quòd dictus nouitius coram testibus iuret, se nullum habere impedimentum, quod ipsum inhabilitet ad sumendum habitum Religionis iuxta Pontificias cõst. præsertim Sixti. Debet autem tale iuramentum fieri coram ijs, ad quos spectat eum recipere, vel coram Superiore immediato conuentus, vel aliquo ex Collegis, seu etiam Prouinciali in ordine nostro, qui deinde coram omnibus deputatis fidem faciat de tali iuramento ab induendo sumpto. Quæ fides, seu iuramentum à dictis deputatis in scriptis est recipiendum, tum ad hoc, vt possint se tueri, si super hoc ets aliqua moueatur lis, tum vt inferatur deinde in informationibus, quæ plenariè sumendæ erunt ante professionem.

33. Noto 3. quòd prædictæ informationes iuridicè non debent fieri de omnibus requisitis in indiuiduo, secundùm naturam, ius commune, & regulas, seu constitutiones particulares cuiusq; Religionis, sed solùm de his, quæ requiruntur secundùm const. Sixti. Atq; ita prædictis informationibus sumendis, 1. interrogabuntur testes, an cognoscant parentes N. licèt enim hæc interrogatio solùm videatur postulata à Sixto, vt constaret recipiendum non esse illegitimum, cum ipse omnes illegitimos ad Religionem admitti prohibuisset, nisi sub certis formis; cum verò quò ad hanc partem illa cõstitutio sublata sit per const. Greg. XIV. omnes illegitimos ex quocumq; coitu admittentis, videri posset alicui eam interrogationem modò non esse ampliùs necessariam. Sed re vera adhuc est necessaria, vt Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 12. tum ad certiorem personæ cognitionem, moresq; eius meliùs cognoscendos, non enim solet arbor mala bonos fructus facere. Tum quia, si constet esse illegitimum, licèt recipi possit, tamen secundùm const. Greg. XIV. debent specialiter testes interrogari, an sit bonæ indolis, & specimen virtutis præseferat, an habeat merita, quæ defectum natalium suppleant, an eius receptio Religioni profutura videatur: quas interrogationes de legitimis fieri non est necesse, secundùm præfatam constitutionem. Ijs tamen omissis, vel non subsistentibus, professio secunda valida est, quia eam non inualidat Pontifex, vt bene Rodriq; to. 3. quæst. reg. quæst. 10. art. 5. ver. At in; Miranda tom. 1. man. quæst. 19. art. 3. concl. 3.

Suarez. Rodriquez. Miranda.

34. 2. Debent interrogari testes de vita ante acta, & moribus induendi, an scilicet sciant, N. esse virum probum, ac bonis moribus præditum, & præsertim an sciant, eum perpetrasse aliquod delictum, vt

homi-

homicidium proditorium, & per insidias, furtum, latrocinium, vel quid simile, puta magnum sacrilegium, virginem rapiendo, & stuprando, sanctimonialem violando, & fuerit sodomita, bestialis, pateorum percussor notorius, & notabilis percussor Episcopi, aut Cardinalis, aut Prælati, vel etiam Clerici, aut Monachi, vt aduertit Llam. in app. §. 14. fine, & Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 15. An sciant, aliquod ex prædictis delictis fuisse deductum in iudicium, aut quòd super eo facta fuerit inquisitio. An sciant, N, esse debitis supra suas facultates onustum, aut ratiociniis tam publicis, quàm priuatis esse obnoxium. De hac interrogatione secundùm omnes suas partes dixi aliqua tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 15. §. 3. à ver. Primò autem circa. Et aduerte cum Llam. loc. cit. §. 16. quòd qui in rixa aliquem percussisset, vel alapam, seu vulnus inflixisset pugno, vel ferro, vel lapide, non prohiberetur ad Religionem recipi, etiãsi de his iam cœpisset fieri informatio in curia. Idem dic de paruo furto. Quod etiam notauit Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 14.

Llamas. Portel.

35. 3. Interrogari debent testes, an induendus Religionem ingredi prætendat sponte, & Religionis, ac pietatis feruore, an verò aliqua humana ratione ductus. Mir. tom. 1. man. q. 21. art. 3. fine, dicit hanc interrogationem posse omitti, quia non est in vsu; Suarez loc. cit. nu. 16. ait de ea non esse specialiter, nec scrupulosè inquirendum. Sed eam puto necessariam quò ad duo 1. an induendus ex propria voluntate, & libertate, an timore vel minitatæ mortis ab inimico, vel aliarum minarum, illum statum eligat. 2. an talem statum eligat propter humanum aliquod interesse odij, humoris, vel amoris, aut falsarum promissionum, quæ possunt extrinsecè constare ijs, qui induendi personam intrinsecè noscunt.

Miranda.

§. 2. *Quas conditiones debeat habere secundùm ius naturæ, & commune recipiendus ad habitum Religionis.*

Corduba. Miranda. Sorbus. Vechius. Portel. Syluester. Angelus. Suarez. Ledesma. Tabiena. Rosella. Pisanella. Rodriq. Sanchez. Lessius. Reginald.

36  IDE Cord. in reg. Min. c. 2. quæst. 4. ver. De iut. autem comm. Mir. tom. 1. man. q. 17. Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de recep. nou. ad hab. ver. De iur. autem com. pag. mihi 430. Vech. de nou. disp. 2. Portel in dub. reg. ver. Nouitij qual. num. 12. Syl. ver. Religio, 2. à quæst. 3. Angel. ver. Religiosus, à §. 4. Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 1. & 2. à pag. 134. Tab. ver. Religio, à num. 9. Rosel. eod. 2. à §. 1. Pisanel. eod. 2. Rodriq. in sum. p. 2. cap. 6. Sanch. 5. in dec. cap. 4. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. Reg. in Prax. lib. 18. à num. 376.

37. Dico 1. vsu perpetuo rationis carens est naturaliter inhabilis ad Religionis ingressum. Ita P. De Baisio in direct. elect. p. 1. cap. 55. num. 1. Sanch. loc. cit. num. 53. Abb. in cap. Sicut, el 1. de reg. num. 1. vbi Barb. nu. 2. Suar. cit. nu. 3. Mir. art. 5. concl. 3. Sylu. ver. Relig. 5. quæst. 2. Cord. loc. cit. Sorb. cit. ver. Quarta quòd non sit, pag. mihi 431. Angel. ver. Nouitius, §. 8. Vech. loc. cit. dub. 7. Azor p. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 5. Prob. 1. ex cap. Sicut, el 1. de reg. vbi ea ratio redditur, quia in eo statu non potest homo consentire, vt probetur in ordine ad obligationem præstandam per votum professionis. 2. quia probatio sine vsu rationis esse non potest, cum fiat per experientiam, quæ est actus rationis.

De Baisio. Abbas. Barbosa.

Azor.

38. Noto 1. quòd si dicti vsu rationis carentes per centum annos starent in Religione, nunquam possent profiteri, &, si profiterentur, professio esset nulla; sicut enim non possunt matrimonium contrahere, & furor, si de sponsalibus, ita nec professionem facere, quæ est spirituale matrimonium, ad hos enim actus requiritur omnimoda libertas, qua caret amens, & furiosus.

39. Noto 2. quòd si quis amens per multum temporis in Religione staret, & postea per miraculum ad mentem rediret, non posset ratione præteriti temporis professionem facere, aut nouitius reputari, etiamsi ratam habere vellet primam receptionem; actus enim ille habitum sumendi ex intrinseca repugnantia, & incapacitate personæ est omnino nullus, vnde in eo fundari non potest nouitiatus, seu probatio Religionis. Adde, quòd per reg. 18. Non firmatur, de reg. iur. in 6. actus à principio nullus, per subsequens tempus non validatur. Atq; ita Abb. loc. cit. num. 4. Ang. Syl. Sanch. Azor loc. cit. Suar. num. 4. Verum quidem est, quòd si ante amentiam integrum nouitiatum fecisset, poterit tempore amentiæ professionem factam, ad sanitatem redactus, absq; nouo nouitiatu ratificare, vel si post receptatam sanitatem nouitiatum incipiat, & cum dicta mentis sanitate perfectè compleat, poterit suo tempore professionem facere, vt Sanchez, Syluester loc. cit. Item receptus tempore furiæ, post quatuor, vel sex menses ad mentem rediens, licet suæ receptioni consentiat, tempus tamen illud in anno probationis computari non potest; quia tunc erat inhabilis. Ita Suar. loc. cit. num. 3. receptus verò in mente sana, si deinde nouitiatus anno per octo, aut quindecim dies in phrenesim incidat, non pet hoc tenetur, vel nouitiatum incipere, vel tempus illud phrenesis supplere, cum omnium Religionum praxis tempus tam breue pro nihilo ducat; secus verò est, si in dicta mentis alienatione duret per mensem, nam tunc licèt non teneatur nouum nouitiatum incipere, cum non censeatur eo tempore nouitiatus interrumpi, sed dormire, nouitio in Religione sub obedientia Prælati permanente, tenetur tamen illud tempus amentiæ supplere, quia qui rationis compos non est, nec sub obedientia stare, nec disciplinam monasticam experiri potest. Atq; ita Sanchez loc. cit. num. 55. Barbosa in cap. Sicut, el 1. de reg. nu. 2. Contrarium tamen censent Suarez loc. cit. num. 3. fine, & Vech. loc. cit. dub. 7. num. 4. nimirum quòd quando amentia per mensem durauit, nouus nouitiatus incipiendus est.

D. Thom. Suarez. Sanchez. Mirand.

Angel. Syluester à Sanch. Azor. Suarez.

Syluester. Sanchez. Barbosa. Suarez. Vechius.

40. Dico 2. nullus ante pubertatem perfectam, quæ perficitur in viris anno 14. completo, & in fœminis anno 12. est aptus habitum Religionis recipere, quò ad austeritates Religionis experiendas, nouitiatumq;

Sanchez. Azor. Sylu. Angelus. Rosella. Armilla. Tabiena. Lessius.

incipiendum. Ita Sanch. 5. in dec. cap. 4. nu. 22. Azor p. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 4. Sylu. ver. Religio 5. quæst. 1. & ver. Religio 2. quæst. 11. Ang. ver. Nouitius, §. 1. Rosel. eod. num. 9. Armill. num. 1. Tab. eod. §. 1. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. num. 35. Prob. 1. ex cap. Si in qualibet; & cap. Puella, 20. quæst. 2. cap. Ad nostram; cap. Cum virum, cap. Postulasti, de reg. cap. 1. & 2. de reg. in 6. 2. quia tempus nouitiatus datur ad hoc vt nouitius experiri possit Religionis austeritates, inter quas supremum omnium locum obtinet obseruantia castitatis, cuius difficultates impuberes experiri nequeunt.

D. Thom. Suarez. Sanchez. Miranda.

41. Noto 1. quòd etiam ante pubertatem possunt pueri habentes vsum rationis de voluntate saltem negatiua, idest non contradictoria, parentum, vel tutorum, ad Religionem recipi. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 5. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 2. num. 7. Sanch. 4. in dec. cap. 18. num. 8. Mir. tom. 1. man. quæst. 17. art. 5. concl. 1. & 2. Habetur expressè in cap. Significatum, de reg. Pro hac materia puerorum venientium ad Religionem vide Sanchez loc. cit. & 5. in dec. cap. 4. num. 13. Suar. cap. 2. & 3.

Nauarrus. Rodriquez.

42. Noto 2. quod etiam nunc post Trid. sess. 25. cap. 15. de reg. vbi cauetur, quòd nullus ad professionem admitti possit ante 16. annum expletum; possunt nihilominus pueri in quacumque ætate ad Religionem admitti, modò ad experiendam Religionem, & nouitiatum faciendum ante pubertatem completam non admittantur. Ita Suar. loc. cit. num. 6. Sanch. 5. in dec. cit. num. 22. Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 20. num. 1. Rodriq. tom. 3. quæst. reg. quæst. 15. art. 2. ver. Et aduertendum; Mir. tom. 1. man. quæst. 12. art. 3. concl. 1. Et ratio est; nam concilium solùm statuit, ne professio fiat ante 16. annum completum, & cum annum nouitiatus non determinet, linquit antiquos canones in suo vigore.

Syluester. Rosella. Angelus. Tabiena. Pisanella. Ledesma. Sanchez. Azor. A S. Fausto. Trottus. Suarez. Lessius. Portel. Miranda. Lessius.

43. Dico 3. Seruus non potest ad Religionem admitti absque licentia domini, admissum autem tenetur Religio domino petenti intra triennium, computandum à die, quo sciuerit, ipsum fuisse Religionem ingressum, restituere, cum omnibus, quæ ad Religionem tulit, cumque promissione ex parte domini de impunitate, etiamsi professionem emisisset, falsis testibus se liberum probando. Si verò Religio eum scienter admisit, vel, cum esset incognitus, fuit negligens in inquirendo, tenetur ipsa domino pro seruo satisfacere. Ita Sylu. ver. Religio, 2. q. 3. Rosel. eod. §. 1. & 2. Ang. eod. §. 5. Tab. §. 10. Pisan. Religio 2. §. Vtrum seruus, & §. Quid si seruus. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 1. & ver. A cerca de la primera, pag. mihi 226. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 48. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 3. A S. Fau. in thes. lib. 5. quæst. 129. Trott. de perf. cler. lib. 2. p. 1. req. 3. num. 13. & 14. Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 6. num. 2. Less. loc. cit. nu. 31. Portel in dub. reg. ver. Nouitij qual. num. 23. Mir. tom. 1. man quæst. 17. art. 2. Fest. in consil. Præd. p. 2. cap. 5. Prob. ex cap. Si seruus, d. 54. & cap. Si quis incognitus, 17. quæst. 2. vbi omnia supra dicta habentur. Et ratio est manifesta, quia seruus, de quo loquor, est omnino domini sui; vnde in illius præiudicium se non potest cuiquam obligare; cum Deus, neque Ecclesia quidquam velit cum præiudicio tertij.

44. Noto 1. quòd post dictum triennium non potest dominus seruum amplius reuocare à Religione, emiserit, vel non emiserit professionem; quia in Religionis fauorem manumissus censetur, & dum dominus intra dictum triennium, sciens Religionem ingressum, eum non repetijt, consensisse præsumitur: & colligitur expressè ex cap. Si quis incognitus cit. & docet Sanch. loc. cit. num. 44. Azor cit. ver. Quæres quo pacto.

D. Anton. Aristoteles. Gomez. De Federic.

45. Noto 2. quòd difficultant DD. an professio serui facta intra triennium valeat; Putat valere Suarez loc. cit. num. 3. inualidam dicunt Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 6. Sanch. cit. num. 49. A S. Faust. loc. cit. quæst. 131. eo modo, quo irrita est professio coniugis, altero inuito; licèt enim possit seruus castitatem vouere; non potest tamen se Religioni tradere in præiudicium domini; & licèt iure canonico id vetitum non reperiatur, est tamen vetitum iure natura, quatenus nemo alteri tradere potest, quod suum non est; & quærere legem vbi adest ratio naturalis, est infirmitas intellectus, vt ex Arist. 8. phy. tex. 22. colligit Gomez tom. 1. var. cap. 10. de indiuid. num. 1. Steph. De Federic. de iur. interp. p. 1. num. 3. Quare dicendum est, quòd hic seruus reuocatus à domino, professione peracta, si deinde manumittatur, non tenebitur ad Religionem redire, nec interim castitatem, nec alia vota essentialia seruare, vt Sanch. cit. Et colligitur clarè ex c. Quidam, de conuers. coniug. ibi *Vnde ad monasterium ratione voti non tenetur redire.* Quod tamen limita, nisi seruus dicta vota faciendo in professione, ea seruare intendisset, etiam ab ipsa professione abstrahendo.

D. Thom. Sanchez. Suarez. Angelus. Syluester. Rosella. Tabiena. Pisanella. Vechius. Miranda. Lessius. Reginald.

46. Dico 4. non potest Episcopus, Episcopatu relicto, Religionem ingredi, absque licentia obtenta Papæ. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 7. corp. Sanch. 4. in dec. cap. 25. num. 36. Suar. tom 3. de relig. lib. 5. cap. 14 num. 14. & lib. 6. cap. 8. Ang. ver. Religiosus, §. 18. Syl. ver. Religio, 2, quæst. 8. Rosel. eod. 2. § 8. Tab. eod. §. 12. Pisan. eod. 2 §. Vtrum Episcopi, & c. Vech de nou. disp 2. dub. 7. num. 1. Mir. tom. 1. man. quæst. 17. art. 3. Less. loc. cit. num. 84. Reg. in prax. lib. 18. num. 377. ver. Postremò. Prob. tum ex cap. Licèt, de reg. & ex cap. Nisi cumpridem, de ren. vbi causa ingrediendi Religionem non permittitur Episcopo Episcopatui renunciare. Tum quia sunt mariti suæ Ecclesiæ, vnde eam deserere non possunt absque illius consensu, quem consensum sibi reseruauit Papa, cui iurauerunt obedire. Tum quia status Episcoporum perfectior est statu Religiosorum, vt probat D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 7. sed à perfectiori ad minus perfectum transire non potest sine licentia, vt sumitur ex dicto c. Licèt, de reg.

47. Noto 1. ex Suar. lib. 6. cit. cap. 8. quòd conclusio intelligitur de Episcopo electo, confirmato, consecrato, & actualiter habente suam Ecclesiam, cuius curam gerit. Episcopus verò electus solum potest ingredi, quia hic potest liberè renunciare, antequam confirmetur; per cap. Inter corporalia, vbi glossa

ver.

ver. Confirmatus, de tranal. Ep. ergo & poterit Religionem ingredi. Episcopus autem confirmatus, licet nondum consecratus, non potest Religionem ingredi, quia iam est verè Episcopus, & sponsus talis Ecclesiæ. Suar. num. 2. Episcopus tamen consecrátus, si nullius Ecclesiæ Episcopus sit, potest liberè Religioné ingredi, vt qui V.G. Episcopatui renunciauit, quia iam solutus est à vinculo spiritu ils matrimonij suæ Ecclesiæ. Suar. num. 4. qui aliter iudicat de Episcopis titularibus num. 5. quia hi solum per accidens sunt absentes à sua Ecclesia. Professio verò Episcopi absq; licentia Papæ facta esset nulla. Tum quia vinculum Episcopi cum sua Ecclesia est indissolubile iure diuino, vnde quandocumq; dissoluitur, non humana, sed diuina auctoritate, idest auctoritate Papæ, qui est Christi Vicarius, dissolui debet, vt dicitur dicto cap. Inter corporalia. Tum quia de spirituali matrimonio eo modo, quo de carnali, philosophamur, sed in hoc non licet sine licentia coniugis Religionem ingredi, ergo neq; in illo sine licentia Papæ; vide Suar. à num. 7.

Suarez.

48. Noto 2. quòd quicumq; alij Prælati inferiores, siue curam animarum habentes, siue non, etiamsi dignitatem habeant quasi Episcopalem, sunt habiles ad Religionis ingressum, absq; licentia Papæ, cum sola licentia petita, licèt non obtenta, Ordinariorum, quibus subduntur, quòd si exempti sunt, etiam eximuntur à dicta licentia petenda, vel, vt dicit Suar. cit. num. 14. sufficit licentiam petere ab illo Episcopo, cui deberent esse subiecti, nisi essent exempti. Atq; ita D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 7. Syl. Ang. Rosel. loc. cit. Ghet. in theol. mor. ver. Religio, q. 50. Suar. cit. num. 13. & 14. & habetur in cap. Duæ sunt, §. Si quis horum, 19. q. 2. Aduerte tamen, quòd beneficia talium Religionem ingredientium, intra annum probationis non sunt alicui conferenda, sed interim eis est inseruiendum per alios, assignata eisdem congrua portione; cap. Beneficium, de reg. in 6. vbi aduerte, quòd illa clausula, quæ subditur in dicto cap. *Nisi constet, quòd vitam voluerit absolutè mutare*, hodie non habet locum intra annum nouitiatus, propter decretum Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. in quo statuitur, quòd, anno non expleto, locum non habet professio tacita, vel expressa, licèt expressè constet, quòd voluerit vitam mutare; nec est valida renunciatio facta à dicto beneficiario sui beneficij, nisi seruata forma eiusdem concil. cap. 16.

D. Thom. Syluester. Angel. Rosella. Ghetius.

49. Dico 5. qui contraxit legitimè, & consummauit matrimonium, non potest Religionem ingredi, absq; alterius coniugis expressa licentia. Ita *Syl.* ver. Religio 5 2. quæst. 9. Angel. ver. Religiosus, §. 14. Tab. ver. Religio, num. 13. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 1. ver. La segunda condicion, pag. mihi 237. Rodriq; in sum. p. 2. cap. 6. num. 1. & tom. 3. quæst. reg. quæst. 13. art. 1. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. num. 25. Rosel. ver. Impedimentum 11. statim in princ. Azor to. 1. lib. 12. à cap. 1. quæst. 6. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. num. 5. Vech. de nou. disp. 3. dub. 3. num. 1. Mir. tom. 1. man. quæst. 17. art. 1. concl. 2. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 5. Barb. in cap. Quidam, de conuers. coniug. num. 1. Regin. in prax. lib. 18. num. 377. A S. Fau. in thes. relig. lib. 5. quæst. 74. Cord. in reg. Minor. cap. 2. quæst. 4. ver. 2. conditio. Rebell. de obl. iust. p. 2. lib. 3. quæst. 4. sect. 2. num. 13. Coninck de sacr. tom. 2. disp. 26. dub. 3. nu. 30. Prob. tum ex cap. Quidam; cap. Veniens; cap. Accedens, cap. Placet, de conuers. coniug. cap. Si quis coniugatus, 27. quæst. 2. Tum ex 1. Cor. 7. *his, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, mulierem à viro non discedere*. Et Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Tum quia vxoratus sui iuris non est, & quod alteri iam traditum est, alij elargiri non potest. Quod autem matrimonium censeatur consummatum, vide Sanch. lib. 2. de matr. disp. 21. & 22. Et accipe generalem regulam. Per nullam copulam verè matrimonium consummatur, ita vt coniuges non possint Religionem ingrediendo illud dissoluere, nisi ipsam ita habeant, vt possit ex ea sequi generatio. Ita Coninck. loc. cit. dub. 4. num. 50.

Syluester. Angelus. Tabiena. Ledesma. Rodriq. Lessius. Rosella. Azor. Suarez. Vechius. Miranda. Sanchez. Barbosa. Reginald. A S. Faust. Corduba. Rebellus. Coninck.

50. Noto 1. quòd potest coniux post consummatum matrimonium, de licentia alterius Religionem ingredi, sed requiruntur 3. conditiones 1. quòd coniux relictus, si iuuenis sit, pariter, & ipse Religionem ingrediatur, &, altero professionem emittente, eam similiter & ipse emittat. Si verò sit senex, & de quo nulla possit esse incontinentiæ suspicio, requiritur, quòd votum castitatis emittat; cap. Cum sis; cap. Vxoratus, cap. Ad Apostolicam, de conuer. coniug. fuse Sanch. lib. 7. de matr. disp. 32. à num. 2. Qui tamen disp. 33. num. 2. censet, quòd, quamuis coniux manens in seculo cum voto castitatis sit iuuenis, & suspectus de incontinentia, valida est alterius professio de ipsius licentia facta. Nam licèt tex. cit. petant, vt coniux iuuenis simul profiteatur in aliqua Religione, non irritant tamen professionem ab altero coniuge factam. Immò putat Sanch. loc. cit. num. 4. validam esse professionem, etiamsi coniux iuuenis manens in seculo, nullum votum castitatis emittat, quod probat ex cap. Ex parte, el 1. de conuer. coniug. & cap. Agathosa, 27. quæst. 2. Secunda conditio est, vt licentia sit sponte concessa, non metu cadente in constantem virum, vel dolo extorta, alioquin professio nulla erit, & liberum erit manenti in seculo professum reuocare. Ita Sanch. loc. cit. disp. 35. num. 1. 3. 9. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 6. Ait autem Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 7. num. 10. quòd sufficit, vt dicta licentia sit tacita; quia scienti, & consentienti non fit iniuria, per reg. 27. de reg. iur. in 6. & qui tacet, consentire videtur, per reg. 43. eod. lib. per licentiam autem tacitam intelligitur, quando alter coniux scit factum alterius, & non prohibet. Ita etiam Azor ver. Si quæras: & Regin. in prax. lib. 18. num. 377. ver. Si quæras. 3. conditio est, vt id fiat cum auctoritate, & consensu Episcopi; cap. Si vir, & vxor. 27. quæst. 2. quem consensum esse omnino requirendum sub pœna peccati mortalis; docet Rebell. de obl. iust. p. 2. lib. 3. quæst. 4. sect. 2. num. 18. quia consensus Episcopi in dicto cap. requiritur de præcepto. Sed puto cum Sanchez loc. cit. disp. 33.

 nu. 3.

num. 3. dictum consensum solum requiri in eo cap. de honestate. Tum quia dictum cap. videtur loqui in casu, quo vir, & mulier vellent monasterium construere, & ad illud transire, quo casu certum est Episcopi licentiam requiri, cap. Nemo, de consecr. d. 1. vt dicit Glossa in dicto cap. ver. Conscientia. Tum quia ait Sanch. consuetudine receptum esse, vt ea licentia non petatur. Conueniunt tamen omnes, quòd dictus consensus non habitus, nec requisitus, nullo modo professioni cum alijs conditionibus factæ officit.

51. Noto 2. quòd, si matrimonium non fuit consummatum, licèt sit ratum per verba de præsenti, potest coniux, absq; licentia, immò cum repugnantia alterius, Religionem ingredi. Quia tunc neq; damnum, neq; iniuria alteri coniugi irrogatur; & statuitur de fide in Trid. sess. 24. can. 6. de refor. matr. & habetur in cap. Verum, cap. Ex publico, de conuer. coniug. & cap. Desponsatam, 27. q. 2. & docent Rebell. loc. cit. nu. 10. Sanch. lib. 2. de matr. disp. 18. num. 3. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 8. num. 69. & alij communiter. Quo autem iure id competat professioni religiosæ, disputant *Lessius.* Less. loc. cit. *Coninck.* Coninck. de sacr. tom. 2. disp. 26. num. 31. *Sanchez.* Sanch. disp. 19. loc. cit. Ego credo, quòd illi competat iure naturæ, approbato à temporibus Apostolorum, quo cuiq; licitum est perfectiorem sibi statum quærere, quando id potest sine alterius iniuria. Et aduerte, quòd in cap. Ex publico cit. datur tempus 2. mensium coniugibus ad deliberandum, an velint Religionem ingredi, vel matrimonium consummare, intra quod bimestre neuter coniugum tenetur alteri reddere debitum, vt Tol. lib. 7. cap. 24. num. 3. ver. Quartus ratus; Sanch. lib. 2. de matr. disp. 24. num. 25. Quod quidem bimestre non est ad profitendum, cum obstet Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. sed ad ingrediendum Religionem, & nouitiatum faciendum. *Vechius.* Ita Coninck. loc. cit. num. 48. Vech. de nou. disp. 3. dub. 2. num. 3. vnde requiritur, quòd alter coniux manens in seculo, expectet, donec coniux Religionem ingressus professionem in ea emittat; Quare si Religionem ingrediens solum sit in ætate 14. annorum, tenetur qui remanet in seculo, antequam aliud matrimonium ineat, expectare 2. annos, cum professio iuxta Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. non possit fieri nisi completo anno 16. Atq; ita Sanch. lib. 2. de matr. disp. 24. à num. 8. Rebell. cit. nu. 22. *Henriq.* Henriq. lib. 12. cap. 5. num. 8. verum quidem est, quòd si Religionem ingressus, in fraudem coniugis transiret de vna Religione in aliam, ad tempus professionis dilatandum, posset cōpelli, dato termino peremptorio, à iudice ad remanendum in vna Religione, in qua, completo nouitiatu, professionem emittat, vel ad coniugem redeat, vt Sanch. loc. cit. num. 9.

52. Noto 3. quòd professio facta absq; coniugis licentia post consummatum matrimonium, est omnino nulla, & potest qui in seculo manet, professum coniugem reuocare. Ita in cap. Placet, & in cap. Quidam, de conu. coniug. Et ratio est, quia, cum coniux dominium sui corporis non habeat, sed alter coniux, iuxta illud 1. Cor. 7. *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, nec mulier sui corporis potestatem habet, sed vir*, non potest illud in dominium Religionis transferre. Atq; ita Sanch. lib. 7. de matr. disp. 34. num. 1. Suarez lib. 6. de relig. cap. 7. num. 2. Et votum illud emissum à coniuge, altero ignorante, inuito, vel contradicente, esse omnino irritum, & nullam obligationem inducere, docet Sanch. loc. cit. n. 10. vnde taliter professus, & ad seculum ab altero coniuge reuocatus, mortuo coniuge reuocante, non tenetur ad Religionem redire; cap. Quidam, de conu. coniug. Sanch. num. 12. Barb. dicto cap. Quidam, num. 5. Mir. to. 3. man. q. 17. art. 1. concl. 5. fine. *Barbosa. Miranda.* Neq; etiam redire tenetur, si post reuocationem coniugem pœniteat reuocasse; Sanch. num. 13. Immò taliter sine licentia professus, propria potest auctoritate Religionem deserere, etiam altero coniuge non reuocante, cum votum illud professionis fuerit omnino nullum; Sanch. num. 15. An autem professio facta sine licentia coniugis, quæ est nulla, vt dixi, validetur, accedente coniugis consensu, censet Sanch. num. 16. non validari; quia non conualescit in tempore, quod ab initio fuit nullum. Contrarium videtur tenere Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. num. 10. An etiam coniux licentiam datam coniugi ingrediendi Religionem possit reuocare, affirmat Suar. cit. num. 7. dum coniux probatur in nouitiatu. An autem quando iam est professus, affirmat idem Suar. loc. cit. lib. 6. cap. 7. num. 15. *Suarez.* si coniux in seculo manens nullum votum religionis, vel perpetuæ castitatis emisit, quia ille consensus non fuit ab Ecclesia acceptatus, nisi sub conditione, quòd manens in seculo castitatem perpetuam voueret, vt colligitur ex cap. Vxoratus, de conuer. coniug. Suario adhæret Rebell. loc. cit. num. 21. *Rebellus.* Dici tamen posset, quòd neutro casu possit coniux semel datam licentiam reuocare; per illam enim se spoliauit iure, quod habebat super coniugem, vnde sine nouo consensu illius nō potest illud acquirere. Quod enim semel placuit, ampliùs displicere non potest, per reg. 21. Quod semel de reg. iur. in 6. Nec refert, quòd Religionem ingressus possit ad seculum redire, quo casu coniux relictus tenetur eum recipere; nam, cum illa licentia sit data in fauorem ingredientis Religionē, eo fauore potest ille vti, & non vti, cum vnicuiq; liberum sit iuri suo renunciare; fauorem autem concedens, illum reuocare non potest, nisi in casu abusus, quod non contingit in casu nostro. Et coniux manens in seculo cogendus esset castitatem vouere, quæ est determinatio illius cap. Vxoratus.

53. Noto 4. quòd coniux innocens propter alterius coniugis adulterium notorium, vel propter latam à legitimo iudice diuortij sententiam, potest, inuito coniuge adultero, Religionem ingredi; constat ex cap. Constitutus, cap. Veniens, de conu. cap. Agathosa, 27. q. 2. per adulterium enim amittit coniux ius, quod in coniuge habebat, cap. Significasti, de diuor. c. fin. de adul. c. 1. & 2. 32. q. 1. Sanch. *Sanchez.* lib. 10. de matr. disp. 11. nu. 2. & 10. Gutierr. can. *Gutierrez.* q. cap. 25. lib. 1. num. 3. Syl. ver. Diuortium, *Sylu.* q. 13. dicto 2. num. 16. Vener. in ex. Ep. lib. 2. *Venerus.* cap. 67. num. 9. Propter adulterium verò occultum non licet coniugi in foro externo, altero dimisso, ad Religionem transire; Azor tom. 1. *Azor.*

lib. 12.

lib. 15. c. 1. q. 6. ver. Si quæras. Et posse etiam, cessante scandalo, hoc casu innocentem ad Religionem transire, censet Sanch. loc. cit. num. 11. & 12. Non potest tamen coniux adulter ad Religionem transire, in eaq; profiteri, innocente inulto, ignorante, aut inconsulto, etiam lata diuortij sententia; quia diuortium fit in fauorem innocentis, vt absoluatur a dominio, quod super illum habebat nocens, non vt priuetur dominio, quod super nocentem ipse habet, alioquin puniretur sine culpa, contra reg. 23. Sine culpa, de reg. iur. in 6. Atq; ita D. Thom. in 4. d. 35. q. vn. ar. 6. ad 3. Sanch. loc. cit. disp. 10. num. 12. & 13. Vech. de nou. disp. 3. dub. 3. n. 9. & 10. Sed præsumitur innocens concedere licentiam ingrediendi Religionem, si sciat, & non contradicat; Ant. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 6. ver. Effectus accus. Sanch. num. 14. quia qui tacet, consentire videtur. Similiter si coniux innocens monitus de sibi adultero reconciliando, recuset, potest adulter Religionem ingredi, & profiteri; nec professum reuocare poterit; quia reconciliationem non admittens, mutandi statum licentiam concedere videtur, & licèt ingressui ipsi refragetur, non obstat, quia est irrationabilis voluntas, cui deferendum non est; Sanch. num. 16. Et aduerte, quòd innocens in seculo remanens, non tenetur votum castitatis facere, nec Religionem profiteri, etiamsi iuuenis sit, cum nullo iure id cautum reperiatur. Sanch. num. 15. Et quando liceat coniugi propter hæresim, vel apostasiam à fide alterius coniugis, ad Religionem transire, vide Sanch. loc. cit. disp. 15. à num. 2. Et quando ob sæuitiam, & furorem coniugis, vide eũdem disp. 18. à num. 47. Aduerte etiam, quòd quando coniux, facto diuortio, potest Religionem ingredi, interrogationi, quæ habitum suscepturis, vel etiam professionem facturis fit, An scilicet vxorem duxerit, & matrimoniũ consummauerit, potest optimè respondere negatiuè; intelligitur enim, se vxorem non habere, quæ illi impedire possit habitus susceptionem, vel professionem, & respondet ad mentem interrogantis, quæ solum interrogat ad videndum, an tale impedimentum habeat. Atq; ita Ledes. de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 1. ver. A esta difficultad, pag. mihi 238.

D. Thom. Vechius. D. Anton. Ledesma.

54. Noto 5. quòd per ingressum Religionis bona fide factum, etiam professione non secuta, dirimuntur sponsalia, etiam iurata; si enim dirimitur matrimonium per verba de præsenti celebratum ante illius consummationem, multò magis dirimentur sponsalia, quæ solùm obligant in futurum; Ledes. loc. cit. ver. La segunda condicion; Sanch. 1. de matr. disp. 42. num. 5. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 1. q. 7. Menoch. de arb. lib. 2. cas. 455. num. 10. Regin. in prax. lib. 18. num. 278. ver. Quarta propositio; Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 11. num. 10. Dixi, Bona fide, nam si solùm ingrediatur ad deludendam promissionem factam, statim egressurus, licèt in seculo relictus iam sit sponsalibus solutus, ipse tamen ad seculum reuersus, si alter primis spõsalibus stare voluerit, stare tenetur, & matrimonium contrahere; fraus enim, & dolus nemini suffragari debent, cap. Ex tenore, de rescr. & quòd per ingressum Religionis dirimantur sponsalia, etiam iurata, docent Ang. ver. Religiosus, §. 15. Sylu. ver. Religio 2. q. 9. Sanch. cit. disp. 43. num. 3. & constat ex cap. Commissum, de spons. quod non improbat factum, sed consulit, quid esset securius faciendum, & cap. Peruenit, de iur. iur. vbi dicitur, quod promissum non infringit, qui illud mutat in melius. Qui verò contraxit sponsalia, & sub ea spe virginem defflorauit, non potest ingredi Religionem, sed tenetur eam ducere; quia iniuriam sponsæ illatam, quam de iustitia resarcire tenetur, non potest aliter compensare; Sanch. loc. cit. disp. 44. num. 3. Vech. de nou. disp. 3. dub. 4. num. 12. A S. Fau. in thes. lib. 5. q. 127. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. num. 30. & hoc, etiamsi ficte ducere promiserit, vt Less. Idem dic, quando sponsa, etiamsi deflorata non fuerit, grauem tamen passura est iacturam, propter secretam, & nimiam familiaritatem habitam cum sponso; Sanch. num. 4. & 5. A S. Fau. num. 2. Nec satisfacit his casibus, si matrimonium contrahat, & ante consummationem Religionem ingrediatur, quia sic non resarcitur iniuria virginitatis, & famæ; Sanch. nu. 7. Nec põt se in his casib⁹ à dictis spõsalibus liberare, facto voto post extortam copulam, dicta spe de ingrediendo Religionem, quia id in præiudicium fœminæ vouere non poterat, ea tamen mortua, vel sponsalibus legitimè solutis, tenebitur votum Religionis implere; Sanch. num. 8. Tenetur etiam virginem sub spe matrimonij defloratam ducere, qui priùs voto Religionis erat astrictus; quia vinculum iustitiæ fortius est vinculo charitatis; Sanch. loc. cit. disp. 45. n. 3. Si verò virgo sciebat, deflorantem cum promissione matrimonij, vinculo Religionis esse astrictum, cum decepta non sit, (nisi forte, id non obstare, suaserit promissor, quod est facile in simplicibus virginibus) eã ducere nõ tenetur promittens; Sanch. nu. 5. Item qui deflorauit, nulla habita matrimonij promissione, licèt postea defloratæ matrimonium promittat, potest nihilominùs Religionem ingredi, in foro tamen conscientiæ, nam in foro fori poterit cogi ad eam ducendam. Ita Sanch. lib. 8. de matr. disp. 36. num. 9. & 12. quia illa promissio ex mera liberalitate processit.

Sanchez. Azor. Menochi. Reginald. Suarez. Angelus. Syluester. Sanchez. A S. Fausto. Lessius.

55. Dico 6. professus in Religione omnium strictissima, vt in Religione Minimorum, in nulla alia Religione recipi, nec profiteri potest. Ita Ledes. de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 1. ver. La tercera cõdicion, pag. mihi 238. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. nu. 12. Cord. in reg. Min. cap. 2. q. 17. p. 1. Cruz de sta. relig. lib. 1. cap. 7. dub. 3. concl. 3. Vech. de nou. disp. 13. dub. 1. num. 15. Prob. quia traditus per professionem Religioni perfectiori, non potest tradi alij minus perfectæ, quia hoc esset à perfectione recedere, contra illud *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Et expressè prohibet Trid. sess. 25. de reg. cap. 19.

Ledesma. Suarez. Corduba. Cruz. Vechius.

56. Noto 1. quòd mortaliter peccat, qui à Religione perfectiori transit ad minùs perfectam, agit enim contra solemne iam factum Religionis votum, & professio facta in Religione minùs perfecta non tenet, quia propria auctoritate non potest quis Religionem strictiorem relinquere, & assumere laxiorem. Ita Ledes. loc. cit. & dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 24.

concl.

concl.3 & constat arg.cap.Qui post, de reg. in 6

57. Noto 2. quòd professus strictiorem Religionem, laxiorem ingrediens absq; debita facultate, licèt per annum steterit in nouitiato, tempus tamen illud nihil ei proderit ad validã professionem emittendam. Verum quidem est, quòd si, dum nouitiatum perficit, recipiat facultatem legitimam profitendi, tempus nouitiatus incipiet à 1.ingressu in eam Religionem, non à die acceptæ facultatis, secundum Suar. loc.cit. num.13. Sed puto, quòd incipere debet à die acceptæ facultatis; non enim conualescit in tempore, quòd ab initio fuit nullum; reg.18. Non firmatur, de reg.iur. in 6. Et aduerte, quòd Prælati recipientes ad habitum professos alterius Religionis, sunt ipso facto excommunicati per priuilegia singulis ferè Religionibus concessa, quæ refert Cruz loc. cit. & dicit Ledes. loc. cit. Et in specie, quòd recipientes Minimorum professos, fiot ipso facto excommunicati, constat ex const.5. Iul.II. §.4.tom.1.constr. priu. & ex const.6. Leon. X. §. 3. Ibid. & quòd Mendicantes transeuntes ad aliquam Religionem monachalem, excepta Carthusia, ipsosq; recipientes, fiot ipso facto excommunicati, constat ex extrau. Viam ambitiosæ, de reg. & dicit Less. loc. cit. dub. 13. num. 104.

58. Dico 7. inhabilis est ad Religionis ingressum, & professionem, qui diuersi sexus est ab illis, in quorum monasterium ingreditur, vt si vir in monasterio monialium, & mulier in monasterio fratrum recipiatur. Ita Nauar. lib. 3. conf. de reg. conf. 47. num.4. Sa in aph. ver. Religio, nu.30. Rodr.p.2. sum. cap.6.n.14. Henriq; lib.14. cap.8.n.5. in com.lit.A.Sanch.5. in dec. cap. 4. num. 40. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. num. 1. & lib. 6. cap. 12. num. 24. Vech. disp. 5. dub. 1. nu.1. Et disp. 13.num. 11. contra Syl. ver. Relig. 3. q. 9. putantem, professionem istius valere, non in indiuiduo, sed in specie, vel in genere, idest non posest iste quidem manere in illo conuentu, in quo est professus, sed debet manere in alio conuentu eiusdem Ordinis, & sexus, seu in alio conuentu, & Religione proprij sexus. Sed quòd professio sit omnino nulla, probat Sanch. quia in professione semper requiritur voluntas profitentis, & illam admittentis; at hic vtraq; aut saltem altera, deficit, nam vel illo noluit profiteri nisi in eo monasterio, aut, si voluit in eo Religione quò ad speciem, sed non quò ad sexum, non est admissus, nisi ad Religionem sexus, in qua professus est.

59. Vnde collige, quòd hermaphroditus est inhabilis ad Religionis ingressum, quicumq; sexus in eo præualeat; ita vt licèt in eo prævaleat sexus virilis, non possit ingredi, nec profiteri in Religione virorum, nec è contra. Quòd si tacens defectum, ad professionem recipiatur, professio nulla erit, & debebit, defectu cognito, à Superioribus Religionis expelli. Tum quia hermaphroditus est infamis, vt dixi sup. cap.4. num. 22. & infames non debent ad Religionem recipi, vt dicam hic infra, num.83. Tum quia indecens est, illa monstra ad inseruiendum Deo in Religione recipere. Tum quia id esset in scandalum, & offendiculum multorum: quæ ratio desumpta est ex cap. Definimus 28. q.2. & propter quam ibi prohibetur cohabitatio virorum, & mulierum, quòd etiam valet in hermaphroditis. Et propter hanc rationem dicit Azor p.2.lib.6.c.2.q.3.quòd debét excludi ab ordinibus, & beneficijs. Atq; ita Maiol. de Irreg. lib. 2. cap. 1. num.7. & lib.1. cap.27.nu.4. Portel in dub. reg. ver. Noulti qual. num. 15. Vech. de nou. disp. 13. cit. num. 11. & disp. 5. dub. 1. à num. 3. Ledes. de ila. relig. in com. cap.6. concl.1. ver. Otra condicion, pag. mihi 244. A S.Fau. in thel. lib. 5. q.230. nec requiritur ad eos expellendos etiam iam professos licentia Papæ, si in eis æqualiter dominetur sexus, quia tunc nec viri, nec fœminæ sunt, nec si in aliquo dominetur virilitas, & fuerit professus in monastrio monialium. Nec etiam requiritur dicta licentia, etiamsi, prædominante virilitate, fuerit professus in Religione virorum, quia semper adest incentiuum peccati, fomes scandali, & vix potest sciri, quo sexu si validior, nisi ex ipso, qui certum est, quòd, si tacuit defectum in professione, semper dicet, in eo prævalere sexum sibi magis vtilem A S.Fau. loc. cit.

60. Mouet hic dubium Ledes. loc.cit. an qui in monasterio monialium tamquam mulier professionem fecit, cum verè mulier crederetur, appareret, & esset, deinde humeros supponens oneri cuidam graui, vi ponderis, seu alio accidenti facta est vir, teneatur in dicto monasterio permanere, vel teneatur transire ad monasterium virorum eiusdem, vel alterius Religionis. Et respondet, quòd non tenetur stare in monialium, nec transire ad monasterium virorum, quia professus est tamquã mulier, non tamquam vir; vnde, si in virum est mutata, non tenetus ampliùs ad officia muliebria, sed virilia. De isto casu multa dicit Portel in add. ad dub. reg. ver. Professio hermaphroditi, & infra pag.389. ver. Alia disputatio de nooo casu. Nec mirum, fœminam in virum mutari, nam id naturaliter contingere posse, docent auctores grauissimi, Aug. lib.3. de ciu. Dei, cap.31. vbi Coqu. multa cumulat. Hippocr. lib.6.epid. sect.8. Plin. lib.7. nat. hist. cap.4. vbi eius Addit. aliqua exempla profert; Gell. lib.9. cap.4. Fulgos. lib. 1. c.6. pag. mihi 187. tit. de Carolo Francisco Guarnis; Maiol. lib. 1. de irreg. cap. 37. num. 6. Delr. mag. disq. lib.2. q.22. in quibus DD. quamplurima huiusmodi exempla reperies; & Menoch. lib.2. de arb. casu 286. n.13. refert de quadam fœmina, quæ, cum fuisset bis nupta, post mortem vitilia habere cognita est. Et Romæ anno 1619. ostensa est mihi mulier in virum mutata, & habitu virili incedens; immò, & mares in fœminas aliquando mutatos fuisse, docet Auson. epig.68.

Fœmineam in speciem conuertit masculus ales,
Pauaq; de pauo constitit antè oculos.
Nec satis antiquum, quod Campana in Beneuento.
Vnus ephebeorum virgo repente fuit.

61. Dico 8. Excommunicatus maiori excõm, siue denunciatus, siue non, est inhabilis ad Religionis ingressum, ita vt tam ipse, quàm eum admittentes mortaliter peccent; ingressus tamen, & professio valida sont, quãuis recipiens, & receptus notitiam habeant excom. Ita Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. num.18. & lib.6. cap.11. num.19. Sanch.5.in dec.cap.4.nu.36.37.

Sayr.

Suarez. Ledesma. Nauarrus. Rodriq. Sa. Henriq. Sanchez. Suarez. Vechius. Azor. Maiolus. Portel. Vechius. Ledesma. A S.Faust. D.August. Hyppocr. Plinius. Gellius. Fulgos. Maiolus. Delrius. Menoch. Ausonius. Suarez. Sanchez. Sayrus.

Sayrus. Graffius. Auila. Vechius. Panormit. Barbosa. Azor. Henriq. Rodriq. Campanil. Ricciull. Nauarrus Comitol. M. Fauft.

Sayr. de cenf. lib. 2. cap. 9. num. 18. & 19. Graff. tom. 1. conf. lib. 3. de reg. conf. 4. num. 5. Auil. de cenf. p. 2. cap. 6. disp. 6. dub. 6. Vech. de nou. disp. 5. dub. 2. Panor. in cap. Cum illorum, num. 4. de fent. excom. & ibi Barb. nu. 7. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 3. q. 9. Henriq; lib. 13. cap. 7. §. 7. & in com. lit. R. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 17. art. 14. Camp. in diu. rub. 12. cap. 15. nu. 6. Ricciul. de iur. perf. lib. 4. cap. 41. Nauar. lib. 3. conf. de reg. conf. 3. num. 1. Comit. lib. 2. resp. mor. quæft. 8. §. vlt. A S. Fau. in thef. lib. 5. q. 220. Pars. 1. & 2. quòd fcilicet fit inhabilis, & peccet, conftat. Tum quia qui ea fecit, propter quæ fuit excommunicatus, videtur indignus, vt ad ftatum eminem perfectionem requirentem admittatur; & præcifus ab Ecclefiæ gremio, non debet, faltem ante reconciliationem, in corde ipfius, id eft in Religione, recipi. Tum quia inhabilis eft ad aliquid faciendum, qui illud fine peccato facere non poteft; at talis ingreffus, & profefsio fine mortali fieri non poffunt, quia tam in recipiendo Religionis habitu, quàm in profitendo interueniunt communiter multi Religiofi, ordinatas preces cantantes, & cæremonias particulares exequentes, quod maximam communicationem dicit. Cum ergo excommunicatus non pofsit cum alijs in his rebus fine mortali participare, vt dicunt in cafu noftro DD. cit. fequitur, quòd non fit habilis ad dictum ingreffum. 3. pars conftat, tum ex capite cum illorum cit. Tum quia profefsio religiofa eft contractus inter Religionem, & profitentem, at contractus inter excommunicatos initi validi funt, cap. Significafti, de eo, qui duxit, &c. in 6. cap. inter dilectos, de don. Coninck de facr. tom. 2. difp. 14. num. 119.

62. Noto 1. quòd profefsio, feu receptio in Religione fimoniacè facta, valida eft. Nauar. com. 4. de reg. num. 25. Rodriq. tom. 3. q. reg. q. 63. art. 3. Sanch. loc. cit. num. 39. Colligitur ex cap. 1. de reg. & cap. Quoniam, de fim. Sed hic aduerte bene, quòd non eft fimonia, quando accipitur aliquid, non in pretium religiofi ftatus, fed vel in eleemofinam, vel ob beneuolentiam, vel in alimentorum gratiam, quo pacto moniales accipiunt dotes à velandis, & de ijs pacifcuntur, ad eas fcilicet alendas. Et Religiofi certum quid etiam accipiunt ad nouitiorum fuftentationem; & de eo poffunt pacifci, illud augere, vel minuere pro temporum varietate. Ita Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. num. 15.

63. Noto 2. quòd Prælati regulares poffunt abfoluere omnes, & quofcumq; venientes ad habitum ab ijfdem cenfuris, à quibus poffunt abfoluere fuos profeffos, ad reincidentiam tamen, nifi ftatim abfoluti, indicijs penitus exclufis, ingrediantur. Ita concefsit Iul. II. in fua conft. 2. tom. 1. noftr. priu. §. 3. Vide quæ ibi noto num. 30.

64. Dico 9. impotens præ morbo, aut fenectute ad feruanda non folùm Religionis effentialia, fed etiam accidentalia præcepta, inhabilis eft ad Religionis ingreffum, & profefsionem, & tam receptus, quàm recipientes mortaliter peccant. Ita Ledef. de fta. relig. in com. cap. 6. concl. 1. ver. La 4. condic. pag. mihi 239. Mir. tom. 1. man. q. 19. art. 1. Suarez tom. 3. de

Ledefma. Miranda. Suarez.

relig. lib. 5. cap. 4. num. 19. Vech. difp. 12. dub. 9. num. 2. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 12. art. 3. Colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 10. corp. Prob. 1. Tum quia recipientes grauiter lædunt propria ftatuta, & Religioni maximum afferunt detrimentum. Tum quia in profefsione, ad quam ordinatur nouitiatus, promittunt profefsuri obferuare regulam, & conftitutiones, ergo, fi fciant fe impotentes, mentiuntur, & recipientes ignorantes decipiunt, atq; adeò peccant, cum fit materia grauis mortaliter. Cuius argumenti vis non eluditur, fi dicatur, quòd promittit illa obferuare eo modo, quo regula obligat, nempe dum iufta caufa non excufat, vt dicunt Rodriq; tom. 2. fum. cap. 6. num. 13. Sanch. loc. cit. n. 52. A S. Fau. loc. cit. q. 249. quia iufta caufa non debet affe præfens, fed fuperueniens, alioquin erit potius irrifio, quàm promifsio. Vt fi quis V. G. egentifsimus promittat mihi foluere mille aureos, cum fciam ipfum nec mille denarios vnquam poffediffe, irrifum me exiftimabo, & tamen hic poteft dicere, Ego feruabo eo modo, quo promifsa feruari debent, fi nimirum poffunt. 2. Prob. conclufio, quia turpis eft pars, quæ non congruit fuo toti, & fingularitates Religiones deftruunt, & frequens legum folutio aperit aditum ad eas omnino contemnendas. Trid. feff. 25. cap. 18. de refor. Non difplicet tamen limitatio Rodriq; loc. cit. vt fcilicet pofsit ad Religionem admitti perfona, quæ licet impotens ad feruanda accidentalia Religionis, effet tamen ita aliàs infignis, & eminens, vt ex eius receptione intus, & extra Religionem omnes maximum deuotionis exemplum effent recepturi.

Vechius. Rodriq; D. Thomas

Sanchez.

Rodriq;

65. Noto 1. quòd Ledef. loc. cit. ver. Digo lo fegundo, putat profefsionem iftius effe nullam; licèt enim iure fcripto talis nullitas nõ reperiatur, iure tamẽ naturæ apparet ex eo, quòd nemo ad impofsibile tenetur, & infirmitas intellectus eft quærere textum, vbi ratio naturalis apparet, vt dixi hic fup. num. 45. Deinde ratione profefsionis non folùm quis tenetur effentialia fuæ Religionis obferuare, fed etiam accidentalia, fecundumq; regulam promiffam viuere; licèt ergo pofsit infirmus effentialia feruare, cum tamen fecundùm regulam viuere non pofsit, fequitur, quòd profefsio emiffa, quæ vtrumq; includit, nulla fit. Addito, quòd conftitutiones omnes regulares eò tendunt, vt effentialia Religionis feruentur, & funt veluti muri ea cuftodientes. Addito etiam, quòd fi quis votum fimplex Religionis faceret, laborans infirmitate contagiofa, vel incurabili, quæ illum impotentem redderet, votum illud effet nullum ratione materiæ incompofsibilis, ita eadem ratione nullum eft votum folẽne, quod à fimplici nec ex natura rei, nec ex iure diuino, fed fola Ecclefiæ inftitutione differt, vt conftat exprefsè ex cap. Rurfus, qui cler. vel vou. & ex cap. Quod votum, de voto, & vot. redemp. & multis probat Azor tom. 1. lib. 12. cap. 6. q. 1. Contra hanc opinionem Ledef. tenent Sanch. Rodriq; Mir. Vech. loc. cit. Ego amplector in cafu, quo quis impotentiam in profefsione tacuiffet, non in eo, qui cum tali impotentia cognita, propter eminentiam perfonæ receptus fuit.

Azor. Ledefma. Sanchez. Rodriq; Miranda. Vechius.

66. Noto 2. quòd nouitius, qui toto nouitiatus

tiatus annô fuit infirmus, poteſt ad profeſſionem recipi. Tum quia annum probationis legitimè expleuit, & quantum eſt ex ſe, in probatione fuit. Tum quia non tenetur nouitius omnes auſteritates Religionis probare in ſpecie, ſed ſatis eſt, ſi probet in genere, perſeuerando per annum ſub obedientia Prælati. Ita Nauar. lib. 3. conſ. de reg. conſ. 32. num. 5. Rodriq; tom. 3. quæſt. reg. q. 15. art. 10. ver. Tum quia. A S. Fauſt. lib. 5. theſ. q. 249. num. 3. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 14. num. 15. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 52. & num. 28. ait, quod nouitius in Ordine noſtro, qui fuit toto nouitiatus anno infirmus, ac proinde carnibus, & lacticinijs vtens, valide profitetur, licèt rigidiſſimum noſtræ Religionis onus, vitam ſcilicet quadrageſimalem, non ſit expertus. Quod etiam in hoc caſu ſentit Vech. de nou. diſp. 12. dub. 8 num. 4.

Nauarrus
Rodriq;
A S. Fauſt.
Suarez.
Sanchez.

67. Noto 3. quòd, abſtrahendo à quocumq; ſtatuto particulari, probabile videtur, quòd profeſſio facta ab illo, qui ita morbo gallico laborat, vt nequeat obſeruantias regulares cõplere, ſit nulla; atq; ita quòd ille poſſit liberè à Religione exire, & quòd Religio ſimiliter eum poſſit expellere. Tum quia cum iſta infirmitate non teneretur votum ſimplex Religionis obſeruare, vt dixi num. 65. ergo neq; ſolemne. Tum quia ſi talem infirmitatem callidè tacuit, interrogatus an aliqua laboret, non libere receptus eſt. Tum quia morbus iſte continuè infamiam morboſi deprædicat cum ſcandalo, & carnali titillatione fratrum. Tum quia ſtomachum gignit, & fœtorem, & communicationem prohibet; quare durum videtur, quòd Religio teneatur talem infectam ouem cum tanto ſuo detrimento, & horrore detinere. Atq; ita Ledeſ. loc. cit. dub. 2. pag. 240.

Ledeſma;

68. Aduerte tamen in hoc caſu particulari, quòd Nauar. lib. 3. conſ. de reg. conſ. 48. quem ſequuntur Rodriq; tom. 1. ſum. cap. 6. num. 3. & tom. 3. quæſt. reg. q. 17. art. 9. Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de nou. prof. emiſſ. ver. Quintò princip. pag. mihi 435. Vega tom. 2. ſum. cap. 39. caſ. 4. ver. La terza, Sanch. loc. cit. num 57. dicunt, quod morbo gallico laborans, illudq; tacens in profeſſione, ea facta, poteſt à Religione expelli, ſi Religio habeat ſtatutum confirmatum à Papa, dictam profeſſionem annullans; ſi autem dictum ſtatutum non habeat, valida eſt profeſſio, eo quòd nullibi irritetur. Et addunt Nau. Sorb. Rodriq; in ſum. & Vega, quòd poſſent Prælati non habentes dictum ſtatutum, talem expellere in pœnam peccati, quod fecit, illud delictum occultando. Sed hanc non eſſe ſufficientem rationem eum expellendi, dicunt Rodriq; ipſe tom. 3. quæſt. reg. cit. Ledeſ. cit. pag. 441. Graff. tom. 1. conſ. de reg. lib. 3. conſ 4. num. 9. quia Prælati regulares non poſſunt à Religione expellere, niſi ratione incorrigibilitatis. Dicit verò Sanch. num. 58. quòd in ſua Religione hic poſſet expelli. Idem dicunt de Religione Capuccinorũ Sorb. & Vech. qui de hoc diffusè tractat diſp. 13. dub. 15. In Religione noſtra non eſt dubium. Tum quia eſt punctus regulæ, vt nullus cum infirmitate incurabili admittatur, qualis eſt iſta, vt dicit Sanch. lib. 4. in dec. cap. 16. num. 37. qui propterea excuſat eos, qui hoc morbo laborant, vel laborarunt, ab impletione voti de ingrediendo Religionem, quæ nudis pedibus incedat; & expreſsè eſt nobis prohibitum in cap. Paul. num. 33. cum proteſtatione de nullitate profeſſionis. Tum quia iſti tales non poſſunt obſeruare votum vitæ quadrageſimalis, quod eſt eſſentiale dictæ Religionis, vt dixi tom. 1. huius op. q. 4. cap. 1.

Sorbus.
Vega,
Rodriq;
Ledeſma;
Graffius,
Sorbus;
Vechius,
Sanchez;

69. Dico 10. filius habens parentes in extrema, vel graui neceſſitate, non poteſt Religionem ingredi, nec profiteri, abſq; mortali peccato, quod non vitant eum ſcienter admittentes, vt dixi tom. 1. huius op. q. 2. cap. 9. concl. 1. & 3. vbi etiam probaui, quòd his caſibus tenetur non ſolùm filius non profiteri, ſed etiam profeſſus exire, petita, licet non obtenta, licentia, & DD. ibi ad hoc adductis adde Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 5. per totum; & lib. 6. cap. 9. Vech. de nou. diſp. 2. dub. 8. Polit. in reg. Min. cap. 2. à num. 44. Mir. tom. 1. man. quæſt. 17. art. 8. Portel in dub. reg. ver. Nouitij, nu. 16. Regin. in prax. lib. 18. nu. 376.

Suarez;
Vechius;
Pelizius,
Miranda;
Portel.
Reginald.

70. Nota tamen, quod profeſſio facta in tali neceſſitate parentum valida eſt, vt probant Nauar. lib. 3. conſ. de reg. conſ. 3. Rodriq; to. 3. quæſt. reg. q. 13. art. 5. dicto 4. & tom. 2. ſum. cap. 6. num. 4. Miranda loc. cit. concl. 4. Sanch. 4. in dec. cap. 10. num. 10. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 41. dub. 3. num. 34. Suarez cit. lib. 6. cap. 9. num. 1. Vech. diſp. 13. dub. 1. num. 9. qui omnes idem dicunt de receptione patris relinquentis filios in extrema, vel graui neceſſitate, quia par eſt obligatio. Quia, inquiunt, id nullo iure vetatur, & nulla eſt incapacitas ratione perſonæ admiſſæ, nec prohibitio ratione admittentium. Sed verè videtur eſſe incapacitas in perſona admiſſa, quæ obligata eſt iure naturę ſubuenire parentibus, vel filijs, & cum Deo non placeant ſacrificia de alienis victimis, non videtur eſſe valida obligatio facta per profeſſionem hoc caſu. Adde, quòd hoc caſu non eſſet licitum ſimplex votum de Religionem ingrediendo ſeruare, ergo nec ſolemne. Nec ſatis conſtat, quomodò materia illicita voti fiat licita per profeſſionem, exiſtimo enim, ſemper melius eſſe ſeruare præcepta, quàm conſilia, quando non poſſumus vtrumq; ſimul, nam conſilia ſeruantur, vt præcepta meliùs impleantur, vt ait Cord. in reg. Min. cap. 2. quæſt. 6. art. 1. Adde, quòd ſubuenire parentibus, eſt præceptum diuinum naturale, obedientiam præſtare Prælato, eſt ſolùm diuinum poſt profeſſionem, ergo hoc illi cedere debet, cum illud ſit prius, & fortius, & per ſe, hoc autem poſterius, & per accidens. Nec eſt ſimile de debitore, cuius profeſſio ſecundùm opinionem, quam ſequor, eſt valida; nam in hoc potiùs ſunt obligata bona, quàm perſona, vnde, ſi bonis cedit, liber euadit; at in noſtro caſu iure naturæ obligata eſt perſona filij ad ſubueniendum patri, ita vt teneatur tam patri, quàm ſibi, cum pars ſit patris, nec liberatur ab hac obligatione bonis cedendo, vt debitor. Si neceſſitas parentum ſit extrema, non valere profeſſionem, ait Portel loc. cit. qui tamen non bene adducit pro hoc Nauar. loc. cit. Huic opinioni videtur fauere Henricus quodlib. 6. q. 19. Hæc mihi reddunt difficilem communem ſententiam, à qua tamen non

Cordubą.
Henricus;

audeo

audeò recedere. Consulo nihilominus Superiores, ne tales admittant, sed differant professionem, vel nouitiatum, vsq; dum parentes ex dictis miserijs subleuentur; vel, si eminentia recipiendi suaderet statim recipere, consulo, quòd Religio parentibus subueniat, quod est facile, & ad id eo casu tenetetur monasterium, per ea, quę habet Grat. discept. for. to. 1. cap. 102. num. 13.

Gratianus

72. Dico 11. onustus debitis non potest Religionem ingredi, quin priùs ea soluat. Ita Ledesma de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 1. ver. La 5. condic. pag. mihi 542. & concl. 3. diff. 3. ver. Digo lo segundo, pag. 553. Tab. ver. Religio, num. 11. Ang. ver. Religiosus, §. 6. Portel loc. cit. num. 19. Rodriq; tom. 3. quæst. reg. q. 10. art. 9. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 5. Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de nou. qual. ver. Tertiò princip. Mir. tom. 1. man. quæst. 17. art. 7. Vech. de nou. disp. 2. dub. 13. num. 8. Sa ver. Religio, num. 1. Sanch. 4. in dec. cap. 19. num. 21. Suar. tom 3. de relig. lib. 5. cap. 7. nu. 2. A S. Faust. in thes. lib. 5. quæst. 134. nu. 5. Ghet. in theol. mor. ver. Religio, quæst. 48. D. Tho. 2. 2. quæst. 189. art. 6. ad 3. vbi ait; *si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat vnde reddat, tenetur facere, quod potest*. Ergo, si habet vnde reddat, per D. Thom. reddere tenetur, antequam Religionem ingrediatur. Prob. tum quia debita soluenda sunt de iure naturæ, ingressus Religionis est consilium, sed priùs satisfaciendum est præceptis, quàm consilijs. Tum quia Sixtus V. id expressè vetuit in sua const. Cum de omnibus, §. 4. de qua sup. num. 6. quæ quò ad hoc non est reuocata per const. Clem. VIII. & dicunt in specie Sanch. & Suar.

Ledesma. Tabiena. Angelus. Portel. Rodriq. Azor. Sorbus. Miranda. Vechius. Sa. Sanchez. Suarez. A S. Faust. Ghetius. D. Thom.

73. Noto 1. quod circa hoc aliqua dixi to. 1. huius op. quæst. 1. cap. 25. § 3. à ver. Ad 3. interrog. Hoc solùm aduerto, quòd ante dictam cōst. Sixti V. cōtrouertebatur inter DD. an ære alieno grauati ita supra suas facultates, vt soluere non possent, probabiliter tamen speraretur fore, vt manentes in seculo arte, & industria acquirerent bona, quibus dicta debita soluerent, possent Religionem ingredi, & validè profiteri. De quo agunt Sanch. loc. cit. à num. 6. Suar. à num. 3. Polit. in reg. Min. cap. 2. à num. 22. Cord. ibi, quæst. 5. Negabant aliqui, affirmabant alij. Ego tom. 1. cit. censui cum D. Thom. 2. 2. quæst. vlt. art. 6. ad 3. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. num. 32. Sylu. ver. Religio 2. quæst. 4. Pisanel. eod. 2. §. Vtrum ille, qui: Filliuc. tom. 1. tr. 32. cap. 5. num. 154. hunc validè profiteri, si fecit quantum potuit, vt solueret, & de breui cum quantalibet industria non erat satisfacturus, & bonis cessit. Sed hæc quæstio iam cessauit per motum proprium Clem. VIII. In suprema, de quo sup. num. 6. quo huiusmodi professiones validatæ sunt, licèt Superiores recipientes subiaceant pœnis const. Sixti, vt Sanch. 4. in dec. cap. 19. num. 21. Et aduerte, quòd qui bonis cessit, & Religionem fuit ingressus, non tenetur plus quàm alij laborare, vt debita soluat, vt tenent multi apud A S. Fau. loc. cit. quæst. 140. num. 2. quos ipse sequitur; cum enim bonis cesserit, fecit quantum potuit; vnde, cum non sit soluendo, debitis liberatus est.

D. Thom. Lessius. Syluester. Pisanella. Filliucius.

74. Noto 2. quod motus proprius Sixti V. non habet locum in monialibus; neq; habet locum in recipiendis ad ordines militares; nec in ijs, qui, si habent debita, habent vnde soluant; nec in ijs, qui habent debita, sed non magni momenti; nec in ijs, qui habent magna debita, sed incerta; nec in ijs, qui sine graui sua culpa impotentes deuenere, siue sit spes, vt in seculo manentes, possent ea soluere, siuè non; nec in ijs, qui bonis cesserunt, etiamsi sua culpa debita contraxerint, & nulla sit spes, vt in seculo manētes, breui sint satisfacturi; nec in ijs, quibus creditores consentiunt, vt Religionem ingrediantur: nec in ijs, quorum debita monasterium, vel alius ad soluenda se obligaret; nec in ijs, qui liberali promissione dicta debita contraxere; nec in ijs, qui ex ludis, cambijs, & alijs contractibus illicitis debitis onusti sunt; nec in ijs, qui essent a iudice criminali condemnati ad soluendam aliquam ingentem pecuniæ quantitatem; nec in ijs, qui essent obligati ad aliquam satisfactionem pecuniarum ratione alicuius iniuriæ, aut damni illati, vt quia virginē deflorauit, &c. Ita Sanch. loc. cit. à num. 21. Vech. de nou. disp. 2. dub. 13. à num. 15. qui tamen dissentit a Sanch. in duobus vltimis casibus.

74. Dico 12. licèt ante const. Sixti, qui publicis solùm ratiocinijs reddendis erat obnoxius, nō qui priuatis excluderetur ab ingressu & professione Religionis, vt dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 25. §. 3. ver. Circa verò; tamen post dictam const. exclusi sunt tàm obligati publicis, quam priuatis ratiocinijs. Ita Rodriq; tom. 3. quæst. reg. q. 10. art. 11. Mir. tom. 1 man. quæst. 17. art. 6. Sanch. loc. cit. num. 29. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 7. num. 10. Portel in dub. reg. ver. Nouit. qual. num. 10. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 6. concl. 3. dub. 4. pag. mihi 554. Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de nou. prof. qualit. ver Tertio princ. pag. mihi 435. A S. Fau. in thes. lib. 5. quæst. 133. num. 2. Vech. disp. 3. dub. 15. num. 2. Prob. ex rea. claro in dicta const. Sixti V. §. 4. quæ cum indistinctè loquatur, de omnibus obligatis dictis ratiocinijs, indistinctè etiam de omnibus tam publicis, quam priuatis intelligendus est, iuxta l. De pretio, ff. de pub. in rem. act.

Rodriq. Miranda. Sanchez. Suarez. Portel. Ledesma. Sorbus. A S. Faust. Vechius.

75. Noto 1. quòd non prohibentur indistinctè omnes obligati ratiocinijs ad Religionem recipi, sed ij solùm, qui ita sunt obligati, vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia eis iam sit illata, vel timendum sit, ne inferatur. Vndè licèt reddenda sint ratiocinia, si tamen moraliter creditur, sine lite, aut magno grauamine, aut distractione ea reddi posse, non erit hæc conditio impediens Religionis ingressum, vt notant in specie Suar. loc. cit. & Sanch. cit. num. 31. Vech. num. 4. Nald. in sum. ver. Religiosus, num. 2. Barb. in cap. 1. de obl. ad rat. nu. 8.

Naldus. Barbosa.

76. Noto 2. quòd ratione publicæ administrationis obligantur ad ratiocinia thesaurarij, depositarij æris publici, aduocati, magistratus, iudices, &c. Ratione administrationis priuatæ obligantur tutores, procuratores, curatores, institores, &c. Ita Rodriq; loc. cit. Portel loc. cit. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. p. 4. num. 3. Barb. loc. cit. num. 2. qui addit num. 9. quòd hæres obligati ad ratiocinia, non potest profiteri, nisi ijs redditis, sicut nequibat defun-

Bonacina.

Campanil.

defunctus, cuius est hæres; Quod etiam notauit Campanil. in diu. rubr. 11. cap. 9. num. 13. & 14. Non comprehenduntur tamen in dicta const. Sixti mercatores, qui, inter se mutuis initis contractibus, multa sibi debent; nec etiam, qui ex mutuo, locatione, venditione, deposito, &c. rationem reddere tenentur suis creditoribus; atq; ita possunt ad Religionem admitti. Diaz in praxi; cap. 20. num. 4. Portel, & Bonac. loc. cit. qui limitat, nisi ante ingressum eis mota esset lis de dolo, & perfidia, nam tunc includerentur in ratione dictæ const.

Diaz.

77. Noto 3. quòd qui promisit, etiam cum iuramento, alicui particulari, vel etiam communitati, aliquid se facturum, V. G. lecturum, docturum, scripturum, administraturum, medicaturum, capellæ alicui missaturum, &c. potest abiq; eius executione Religionem ingredi, quia in omni promissione intelligitur conditio, Nisi transiero ad Religionem: Sanch. 4. in dec. cap. 19. num. 31. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3. num. 33. Trott. de pers. cler. lib. 2. p. 1. req. 4. num. 18. Rosel. ver. Religio 2. §. 6. Sylu. eod. quæst. 5. Angel. ver. Religiosus, §. 10 Pisan. Religio 2. §. Verum rector, qui iur. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 1. q. 4. Vech. disp. 2. dub. 14. Regin. lib. 18. num. 378. ver. Tertia est. Verum quidē est, quòd si taliter obligatus, stipendium anticipatum acceperit, illud restituere tenetur, vel saltem parti quoquo modo satisfacere. Azor lib. 11. cap. 5. q. 4. Sanch. num. 32. quòd si ante factam professionem recedat, stare tenetur promissis; Sanch. num. 34.

Sanchez. Lessius. Trottus. Rosella. Syluester. Angelus. Pisanella. Azor. Vechius. Reginald.

78. Dico 13. inhabilis est ad Religionem, qui vi, metuq; extrinseco compulsus, ad eam ingreditur, ipsumq; scienter recipientes mortaliter peccant; Ang. ver. Religiosus, § 16. Tab. ver. Religio, §. 14. Syl. ver. Metus. quæst. 8. ver. Octauò. Rosel. ver. Votum 1. §. 4. & ver. Metus, §. 3. fin. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 7. concl. vi. pag. mihi 272. Mir. tom. 1. man. q. 17. art. 4. Rodriq; tom. 3. quæst. reg. quæst. 14. art. 3. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. num. 1. Farin. p. 1. decis. rotæ decis. 175. num. 5. Barb. in cap. 1. de reg. num. 3. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 4. q. 10. A S. Fau. lib 5. thes. quæst. 238. num. 2. Constat ex cap. 1. & 4. de reg. cap. Procilluis, cap. Præsens, 20. quæst. 3. cap. Puella, 20. quæst. 2. quibus cap. deciditur, quòd Religionis ingressus debet esse liber, & spontaneus; Qui ergo cogunt ad ingressum, maximam iniuriam irrogant ingredienti, & recipientes iniuriantem fouent, atq; adeo omnes mortaliter peccant.

Ledesma. Miranda. Rodriq; Suarez. Farinac. Barbosa. A S. Faust.

79. Noto 1. quòd est nulla omnino professio facta per metum cadentem in constantem virum. Est autem talis metus, quando malum, quod timetur, iudicio prudentum est graue, attenta qualitate personæ, & quando probabiliter timetur tamquam imminens, vt declarant Suar. loc. cit. lib. 6. cap. 4. num. 11. & Less. loc. cit. cap. 17. dub. 6. num. 35. vbi 13. huiusmodi timores numerat. Quòd talis professio sit nulla, constat. Tum quia ad profitendum requiritur voluntas omnino libera, coacta voluntas autem, licèt voluntas sit, cap. Merito 15. quæst. 1. libera tamen non est. Tum quia Deus his coactis votis non indiget, nec ea acceptat. Tum quia id prohibetur in cap. 1. De his, qui vi, &c. & in Trid. sess. 25. de reg. cap. 19. Atq; ita Ledesm. loc. cit. Vener. in eaam. ep. lib. 6. cap. 15. nu. 29. Barb. in cap. 1. de his, qui vi, &c. num. 3. Suar. loc. cit. num. 3. & 13. Sanch. 4. in dec. cap. 3. nu. 13. Nauar. com. 4. de reg. a nu. 72. Syl. loc. cit. Rosel. ver. Metus, dict. 8. num. 5. Vech. disp. 13. dub. 12. num. 7.

Venerus. Barbosa: Sanchez. Nauarrus. Syluester. Rosella. Vechius.

80. Noto 2. quòd inter timores cadentes in constantem virum, enumerat Less. loc. cit timorem reuerentialem, quo scilicet filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus principis, vxor viri, Monachus Abbatis, Clericus Episcopi, quando videlicet offensio putatur fore magna, & diuturna, cum asperitate vultus, vel verborum, vel alia mala tractatione, præsertim si mala tractatio præcessit. Item si parens, vel alius, cui hæc reuerentia debetur, aliquid importune, & assiduè petat. Professio ergo hoc timore reuerentiali facta, est nulla, quia censetur facta ea metu cadente in constantem virum, & in casu nostro id docet Suar. loc. cit. nu. 17. Vener. loc. cit. num. 31. Ric. collect. 932. propè finem; Vech. num. 19. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 5. quæst. 9. Rodriq; p. 2. sum. cap. 8. nu. 10. Nauar. lib. 3. consl. de reg. cons. 89. num. 2.

Riccius. Azor. Rodriquez.

81. Noto 3. quòd, si conuentus recipiat aliquē ad professionem per metum cadentē in constātem virum, dicunt Suar. loc. cit. num. 20. Vech. num. 13. quòd non per hoc irritatur professio, quia, nullibi reperitur cautum. Sed irritari puto ex eo, quòd professio Religionis est contractus mutuus, quo se profitens obligat Religioni seruire, & Religio ad illum alendum, cap. Ad Apostolicam, de reg. & de natura contractuum est, vt par omnimoda sit vtrinq; obligatio, vnde eo ipso quòd Canones irritant professionem factam metu profitentis, irritant etiam professionem factam metu recipientis; Et sicut matrimonium metu factum, est ex vtraq; parte nullum, ita professio, hi enim actus ab omnibus iurisperitis æquiparantur, teste Suar. loc. cit. num. 16. Tiraq; de retr. lign. §. 1. gloss. 8. num. 35 & talis metus immutat multum voluntatem, & plurimum minuit libertatem; vnde defectu liberi consensus recipientium talis professio irrita reddetur. Atq; ita Less. loc. cit. cap. 41. dub. 7. num. 61. & facit priuilegium Iul. II. to. 1. nostr. priu. in const. 10. Iul. II. vbi pari pœna plectit eos, qui iniuria afficiunt ad Religionem tendentes, atq; eos, qui iniuria afficiunt recipientes.

Tiraquel.

82. Dico 14. corpore vitiati, sunt inhabiles ad Religionis ingressum, nisi corporalem defectum suppleat vel morum integritas, vel insignis doctrina, vel magna sanguinis nobilitas. Ita Vech. disp. 5. dub 6. Graff p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 11. Prob. quia corpore vitiati arcentur ab altaris ministerio, vt constat ex toto tit. de corp. vit. & cap. 2. de cler. ægr. Cum ergo Religiosi choro destinati, ad hoc Religionem ingrediantur, vt altari inseruiant, qui tali muneri inhabiles sunt, in Religionem recipi non debent; & communiter sacrificia ista Cain Deo non placent. Facit ad hoc cap. Priscis, d. 55. cap. Si quis, d. 77.

Vechius. Graffius.

83. Noto, quòd professio istorum de iure communi irrita non est, cum nullo iure prohibeatur. Et de cæco, quòd validè profiteatur, constat

beatur. Et de cœco, quòd validè profiteatur, constat, quia potest ore proferre professionis verba, seq; obligare, vt alij omnes, & multos cœcos vidimus in Religionibus excelluisse; & cœcitas multum confert ad perfectionem. De muto etiam constat, quia potest matrimonium carnale contrahere per signa; cap. Cum apud, de spons. De surdo, & de muto, quòd profiteri possint per signa, docet Sanch. 7. in dec. cap. 12. num. 32. Sed difficultas est, an mutus, & surdus simul possit profiteri? Puto, quòd possit, si intellectum perspicacem habeat, & qualitates dictæ compensent hos defectus, quia licet nec potuerit legere, neq; audire Religionis abstinentias, poterit tamen anno probationis eas experiri. Quare dicunt DD. quòd iste potest matrimonium contrahere, per cap.

Barbosa. Cum apud, de spons. Ita Barb. cum multis in dicto cap. num. 2. Sed quid de cœco, surdo, & muto? Idem puto, quòd scilicet possit validè profiteri. Tum quia potest experiri anno nouitiatus Religionis austeritates. Tum quia Angelus, Tabiena, Lopez, apud Sanchez 1. de matr. disp. 8. num. 13. putant, quòd ille potest matrimonium contrahere. De alijs claudis, mancis, luscis, guercijs, surdastris, &c. quos parentes, tanquam Cain, Domino sacrificare solent, Cain remunerationem expectaturi;

D. Hieron. de quibus Hier. ad Demet. *Solent miseri parentes, & non plenæ fidei Christiani, deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inueniunt, virginitati tradere.* quòd validè iure communi profiteantur, dubitari non potest: non debent tamen recipi, nisi merita defectus compensent, & nisi vero spiritu Deo inseruiendi veniant. In Ordine nostro quid de his dicendum sit, constabit ex num. 92. fine.

84. Dico 15. infames, vt buffones, histriones, lenones, carnifices, satellites, alijq; huius farinæ viri, non debent ad Religionem recipi, nisi tot merita euidentia habeant (quod vix credibile est) quæ talem fœtorem euidenter purgent. Pro hac sententia affero Panor. *Panorm.*

in cap. Cum decorem, de vi. & hon. cler. nu. 2. vbi dicit, quòd buffones, histriones, & publici lusores non possunt ad Clericatum promoueri; neq; etiam post peractam pœnitentiam, quia sunt Infames. Idem dicit Barb. in dicto cap. num. 3. Trott. de perf. cler. lib. 2. p. 1. seq. 5. num. 19. & 20. Si ergo, hi, quia infames, reijciuntur à Clericatu, etiam reijci debent à Monachatu, qui sine dubio maioris est perfectionis, & dignitatis, quàm Clericatus; sunt enim Monachi, & Clerici propter altaris ministerium, & Monachi propter monasticam professionem; deinde licet à Clericatu ad Monachatum transire, non è contra, vt constat ex cap. Duæ sunt, 19. q. 2. transitus autem ordinatus fit semper de minori ad maius. Atq; ita

D. Thomas D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 8. corp. & quodlib. 3.
Nauarrus art. 17. & Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 1.
Abb. bonæ spei. num. 2. Vide Abb. bonæ spei in tract. de iust. cler. cap. 122. & Felin. in rub. de maior. &
Felinus. obed. num. 5. Hi tamen si recipiantur in Religione, professio eorum erit valida; quia nullibi irritatur.

85. Dico 16. descendentes ab hæreticis, marranis, &c. quorum statuæ, vel ossa combusta sunt, in nostra Religione recipi non possunt; vt dixi sup. q. 1. cap. 5. §. 6. num. 87. Si autem recipiantur, professio erit nulla, non quòd eam annullet Pontifex, qui concessit ne recipiantur; sed quia, de illa non loquendo, linquit statuta Ordinis in suo vigore, quæ dictam professionem annullant, vt dixi loc. cit. nu. 90. Vide quæ dico tom. 1. huius op. q. 1. cap. 25. §. 3. ver. Circa 2.

86. Dico 17. bigami non possunt ad Religionem recipi in clericos, bene tamen in laicos, vt dixi sup. q. 2. cap. 5. num. 100. & dicit Graff. *Graffius.* p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 11.

87. Dico 18. homicida iure communi non excluditur ab ingressu Religionis. Portel in dub. *Portel.* reg. ver. Nouitius, num. 12. Prob. ex cap. Admonere, 33. q. 2. vbi consulitur homicidæ, vt Religionem ingrediatur, & non dicit Papa, quòd dispenset, ergo supponit de iure licere. Idem dicit Portel num. 15. de latrone, nam multi SS. Patres latrones receperunt. Sed in his attendendum est nunc ad const. Sixti V. de qua hic sup. num. 6.

§. 3. *Quas conditiones debeat habere recipiendus ad Ordinem Minimorum.*

88 NOTO 1. quòd in cæremoniali Ordinis nostri, compacto à S. Institutore nostro, agendo de modo induendi nouitium n. 32 dicitur, *Sacerdos interroget ipsum de necessarijs, vt puta si habeat firmum propositum perseuerandi. Si promiserit contrahere cum aliqua. Si habeat aliquã infirmitatẽ. Si sit obligatus ad aliqua debita, et alia, quæ sunt ad interrogandũ necessaria.* Et infra tit. de modo recip. frat. ad prof. dicitur. *Deinde faciat interrogationes eo modo, quo dictum est supra in capitulo de modo induendi nouitium. Vbi est aduertendum, quòd non omittatur immediatè post interrogationes, facere protestationes, quod si reperiretur habuisse aliquam infirmitatem caducam, vel contagiosam, quòd nulla erit professio.* Quæ etiam protestatio fieri iubetur in cap. Paulæ num. 33. vbi additur morbus cuiuis incurabilis. Et num. 34. eadem protestatio fieri iubetur de his, qui ex genere confessorum originem traxerunt. Quare ex his omnibus in Rituali nostri Ordinis, sequentes interrogationes fiunt induendis. 1. an habeat firmum propositum perseuerandi in Religione. 2. an promiserit contrahere cum aliqua, vel de facto contraxerit. 3. an sit seruus, & non conditione liber. 4. an sit obligatus ad aliqua debita supra suas facultates, vel reddendis rationibus sit obnoxius. 5. an trahat originem à Iudæis, Mahumetanis, vel hæreticis relapsis, & per sententiam in foro Ecclesiastico damnatis, & hoc siue sit per paternam, siue per maternam lineam. 6. an aliquem voluntariè occiderit, & iniustè, vel per se ipsum etiam occidẽ, vel per alium, adiuuando, præcipiendo; aut consulendo. 7. an commiserit crimen aliquod, de quo sit publicè infamatus, vel inquisitus, taliter quòd possit per secularem iudicẽ puniri. 8. an habeat aliquã contagiosam, seu caducam, aut incurabilem infirmitatem. 9. an sit professus in alia Religione. Quas tamen omnes nõ est necesse facere omnib⁹, nec in omni loco.

89. Circa 1. interrogationem noto 1. quòd Religionem ingrediens absq; animo perseuerandi, mortaliter peccat; quia Religionem decipit in re graui, quæ illi communicat sua secreta, & bona, & tenetur soluere expensas, & damna, quæ Religioni dedit. Ita Sanch. 7. de matr. disp. 31. num. 10. Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 29. *Sanchez. Portel.*

90. Noto 2. circa eàdem interog. quòd dubitant DD. præsertim Canonistæ, an qui in ingressu Religionis habuit expressam intentionem mutandi vitam, & relinquendi seculum, possit deinde liberè ad illud redire, si ei Religio, in quam ingressus est, non placeat, vel potiùs teneatur ingredi aliam, si 1. displiceat. Innoc. in cap. Consulti, num. 1. de reg. & alij apud Sylu. ver. Religio 5. q.8. Rosel. ver. Nouitius, §. 13. dicunt, quòd qui in ingressu habuit hoc propositum, non potest ad seculum redire, sed est verè Religiosus, quia illud propositum solemnizatur per habitus susceptionem. Constare autem potest, quem tale propositum habuisse, quando in ingrediendo dixit, se tale propositum habere. Quare secundùm istam opinionem, in Ordine nostro, postquam quis dictæ primæ interrogationi responderit, se habere propositum perseuerandi in Religione, & consequenter seculo renunciandi, non poterit ampliùs ad illud redire. Fundamentum huius opinionis desumitur ex dicto cap. Consulti, & ex cap. Beneficium, de reg. in 6. vbi dicitur, quòd beneficium illius, qui suscepit habitum nouitiorum, potest alteri conferri, si euidenter appareat, eum voluisse vitam absolutè mutare. Sed hæc sententia meritò exploditur à Sylu. Rosel. loc. cit. Suar. tom.3. de rel.lib.5.cap.11. num.6. Barb. in d. cap. Consulti, num. 3. Sanchez 4. in dec. cap. 1. num. 10. Gutier. can. q. lib.2. cap. 22. num. 32. Nauar. lib. 3. conf. de reg. conf.45. num.1. Rodriq.tom.3. q.reg.q.15. art. 12. Less. lib.2. de iust. cap. 40. dub. 2. nu.21. quia ad votum tria requiruntur, deliberatio, propositum, & promissio, secundùm D.Thom. 2.2. q. 88. art. 1. quem sequuntur omnes. Et constat etiam ex cap. Literaturam, de vo. vnde nullum propositum, quantumuis firmum, aliquam voti obligationem inducit, nisi promissione firmetur. Quo pacto intelligas dicta cap. cit. pro opinione contraria, scilicèt de proposito ingrediendi Religionem cum promissione in ea permanendi, atq; profitendi. Quare ista interrogatio modò nullum alium producit effectum, nisi ad inuestigandum, an recipiendus veniat animo Religionem fallendi. *Innocent. Rosella. Syluester. Suarez. Barbosa. Gutierrez. Nauarrus. Rodriq. D. Thom.*

91. Circa 2. interrog. nota, quòd de iure communi secundùm probabiliorem opinionem, per ingressum Religionis dirimuntur sponsalia etiam iurata, vt dixi hic sup. nu. 54. quamuis alij negent apud Sanch. lib.1. de matr. disp. 42. num. 1. ante secutam professionem. In Ordine nostro videtur, quòd ista 2. opinio præualeat, atq; ideò quòd non possint admitti, neq; ad nouitiatum; neq. ad professionem, qui dicta sponsalia fecere, neq. qui matrimonium contraxere, licet non consummauerint; si enim non licet quod est minus, neq; licebit quod est maius. Verum quidem est, quòd professio facta cum isto impedimento, sustinebitur; quia nec per regulam, nec per constitutiones, nec per ius commune irritatur. Sed puto, quòd nostra interrogatio intelligatur de eo, qui promisit, & sub illa spe deflorauit, quo casu est illicita receptio, & nulla professio, vt dixi loc. cit. vel etiam dic, quòd illa interrogatio fit, vt maturè expendatur, quid magis expediat recipiendo, vt ait Azor tom.1. lib.12. c.1. q.7. ver. Nec obstat. Quare licèt promiserit quispiam aliquam in vxorem ducere, si tamen, re maturè considerata per Superiores, ad quos pertinet, appareuerit, recipiendi animæ magis expedire, vt Religionem ingrediatur, quam vt sponsalia seruet, poterit etiam in Religione nostra recipi. *Azor.*

92. Circa 3. interrogationem, vide quæ dico hic sup. à num. 43. Circa 4. vide quæ dico à num. 71. Circa 5. quæ num. 84. Circa 6. & 7. quæ dico tom. 1. huius op. q.1. cap. 25. §.3. ver. Quartò. Circa 8. vide quæ dico hic sup. nu.64. Et circa 9. quæ dico num. 55.

93. Et deniq; nota pro Ordine nostro statutum factum in cap. generali Genuæ 4. nu. 13. quod sic habet. *Voluerunt Patres, vt futuris semper ibus nullus in Ordine nostro recipiatur cæcus, claudus, aut deformis, sed iuuenes bene dispositi, catholici, & de nullo errore suspecti, non à Iudæis, non à Saracenis, neq; ex Albanensibus originem trahentes, corpore sani, debitis expediti, quod sint conditione liberi, nulla infamia vulgari maculati, nec homicidæ, competenter ad minus in grammatica traditi, siue aliàs ad illam addiscendam idonei; & ij, qui clerici, ætatis saltem decem, & septem annorum.* Deinde præcipitur, de supradictis fieri informationem ab aliquo deputando à Prouinciali, & capitulo locali.

94. Circa hoc statutum aduerte 1. quò ad cæcos, & claudos, quæ dixi hic sup. num. 82. Per deformes intellige illos, qui propter deformitatem arceantur ab altaris ministerio, qui scilicet mouent risum, & stomachum faciunt. Examen, An sit quis catholicus, non est faciendum, nisi quando, & vbi contingit esse aliquos hæreticos mixtim cum catholicis: seu quando omissio talis examinis videretur ex rationabilibus circunstantijs damnosa, vel periculosa; vt Corduba in reg. Min. cap. 2. q. 4. ver. Quomodò autem. Circa illud, quòd non debent, esse de vllo errore suspecti, aduerte 2. quòd suspectus de hæresi potest quis esse dupliciter; 1. quia sit talis declaratus per sententiam definitiuam ab Inquisitoribus fidei. 2. quòd talis sit per publicam famam suspectus. 1. modo non possunt vllo vmquam tempore Religionem ingredi abiq; dispensatione Papæ, per ea, quæ dico sup. q.2. cap.5. §.6. nu.74. & de talibus intelligi debet nostrum statutum. Suspecti 2. modo, si iã publicè constet, suspicionem fuisse falsam, vel iam in præsentiarum non sint ampliùs suspecti, licèt an præterito tempore claudicauerint in fide, adhuc sit dubium, possunt ad Religionem admitti: quia statutũ de tẽpore præsenti loquitur nõ de futuro. Circa id, quòd nõ debeat originẽ ducere à Iudæis, vide hic sup. n.84. Aduerte 3. quòd non debent esse aliqua infamia, siue sit iuris, siue facti, notati, quæ qualis sit, dixi sup. q.2. cap.5. §.4. num. 50. Aduerte 4. quòd non debeant esse homicidæ, intellige voluntarij, *Corduba.*

& inju-

& iniusti, etiamsi occulti sint, nec etiam casuales indirectè, vt declaraui tom. I. priu. in const. 2. Iul. II. num. 106. vnde iudices, qui mortis sententiam protulere, & milites, qui in bello iusto bellauere, & qui casuale homicidium præter omnem voluntatem, etiam indirectam, patrauere, possunt ad Religionem recipi. Vide Suar. tom. 4. de relig. tr. 3. lib. 2. cap. 1. à num. 6. Aduerte 5. quod debent esse grammatica præditi, vel ad illam addiscendam idonei, nam si altari ministrare debent, oportet vt quæ ad illud sunt necessaria, sciant. Vide quæ dico sup. num. 18. & scito hanc esse omnino necessariam conditionem. Vide Mir. tom. 1. man. q. 19. art. 5. Circa ætatem vide hic sup. num. 40. & infra §. 6. Et circa examen de his faciendum dixi hic sup. num. 30. Et aduerte 6. quòd licèt harum conditionum transgressio ratione dicti statuti ad culpam non obliget, obligat tamen ratione vel iuris naturalis, vel pontificij, vt constat ex dictis sup. hoc cap. Aduerte tandem circa praxim, quod informationes de requisitis secundum regulam sumuntur publicè ab ipso induendo, quando habitum est recepturus, aliæ verò, quæ requiruntur secundum const. Pontificias, sumuntur modo supradicto §. 1. à num. 30. Et ita obseruari ait in suo Ordine Fest. in const. Præd. p. 2. cap. 9.

Suarez.

Miranda.

Bossius.

§. 4. *Explicantur ea, quæ spectant ad annum nouitiatus.*

95 DICO 1. Ingrediens Religionem debet per annum integrum, & completum probari in nouitiatu, priusquam ad professionem admittatur. Ita Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 9. & cap. 3. num. 31 fine; Rodriq. tom. 3. q. reg. q. 15. art. 1. & q. 17. art. 5. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 6. Vech. de nou. disp. 11. dub. 2. Miran. tom. 1. man. q. 24. art. 2. concl. 3. Ledes. de sta. Relig. in com. cap. 7. concl. 1. vers. La 2. condic. pag. mihi 259. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 7. num. 59. Henriq. lib. 13. cap. 40. num. 2. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 12. num. 5. Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de nou. prof. emiss. ver. Sed an requiratur, pag. mihi 433. Polit. in reg. Min. cap. 2. num. 74. Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 9. num. 2. Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 45. Constat ex Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum, nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore, quàm per annum, in probatione steterit; professio autem antea facta sit nulla, nullosq; habeat effectus.*

Sanchez.
Rodriq.
Azor.
Vechius.
Miranda.
Ledesma.
Lessius.
Henriq.
Suarez.
Sorbus.
Politius.
Nauarrus
Portel.

96. Noto 1. quòd iste annus debet esse completus de momento ad momentum. Ita Sanch. 5. in dec. cap. 3. num. 31. Less. loc. cit. ver. Quartò annum; Miran. loc. cit. art. 3. concl. 2. Vech. cit. dub. 4. num. 2. Polit. num. 76. Suar. loc. cit. cap. 15. num. 1. A S. Faust. lib. 5. thes. q. 160. nu. 2. Portel loc. cit. num. 48. Sorb. cit. ver. Sextò not. Ledes. loc. cit. ver. Todauia queda, pag. mihi 261. Constat, quia cum Concilium statuat, quòd nullus ad professionem admittatur, qui in minori tempore quàm per annum, in probatione fuerit, qui stetit vna hora, vel media, vel quadrante minus, stetit minus anno, iuxta l. 3. §. Minorem, ff. de minor. Ergo non poterit ad professionem admitti; quod si admittatur, professio erit nulla. Putant tamen aliqui, quod tam subtilis computatio non sit necessaria, sed quòd sufficiat diem esse cœptam. Ita Henriq. lib. 14. cap. 40. num. 2. in fine; Rodriq. loc. cit. q. 15. art. 4. Grat. tom. 3. discep. for. cap. 413. à num. 16. Ric. 3. p. prax. resol. 322. à num. 1. Quia, loquimur, in fauorabilibus, vt hic, dies cœpta habetur pro completa: & in moralibus parum pro nihilo reputatur. Sed potest responderi, ita procedere quando lex aliter, non disponit; nam alioqui lex, quæ generaliter loquitur, etiam minimum includit; iuxta tex. in cap. 3. de appell. & in cap. Si proponente, de rescr. Trid. autem generaliter loquitur. Nec hoc debet cuiquam videri durum. Cum enim qualibet hora fungi nascantur, potest dari in illa hora talis occasio, quæ & Religioni suadeat, vt nouitium expellat, & nouitio, vt sponte egrediatur. Nihilominus puto, quòd hæc 2. opinio in praxi possit securè seruari, & ita audio practicari in multis tribunalibus.

A S. Faust.

Gratianus
Riccius.

97. Et aduerte, quòd in anno bissextili duo dies debent computari pro vno, quia tunc ille annus eo solum modo dicitur completus. Atq; ita Miranda loc. cit. Sanch. loc. cit. cap. 4. nu. 9. Less. loc. cit. num. 59. ver. Hinc sequitur. Rodriq. loc. cit. art. 5. A S. Faust. loc. cit. q. 161. Et aduerte etiam, quod ille annus debet compleri ab illis etiam Religiosis, qui transeunt de vna Religione ad aliam; cum debeant priùs probare, & probari. Sanch. cit. num. 12. Ledes. cit. diff. 6. pag. 268. Rodriq. art. 11.

98. Aduerte etiam, quod scienter admittentes aliquem ad professionem ante dictum annum expletum, peccant omnino mortaliter. A S. Faust. lib. 5. thes. q. 236. num. 6. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 7. num. 59. ver. Sextò; Sylu. ver. Religio 3. q. 17. quia agunt contra Concilium in re graui. Non puto tamen hodie post Concil. habere locum pœnas suspensionis, & excommunicationis inflictas contra taliter recipientes in cap. Non solùm, de reg. in 6. & cap. Constitutionem, eod. tit. & lib. quia pœnæ alicui actui statutæ locum non habent, quando is actus irritus fit, vt latè probat Sanch. 3. de matr. disp. 3. num. 5. sed professio nunc ante dictum annum completum est irrita. Atq; ita Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 10. Vech. disp. 11. dub. 6. num. 6.

A S. Faust.
Lessius.
Syluester.

99. Noto 2. quòd iste annus nouitiatus debet esse continuus. Ita Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 14. & 15. Barb. in cap. Ad Apostolicam, de reg. num. 5. Henriq. lib. 13. cap. 40. num. 1. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 8. Less. loc. cit. ver. Secundò. Rodriq. tom. 3. q. reg. q. 15. art. 8. Ledesm. loc. cit. dub. 4. ver. Todauia queda, pag. mihi 264. Sylu. ver. Religio 5. q. 4. Mir. tom. 1. man. q. 22. art. 4. Vech. loc. cit. dub. 3. num. 1. Sanch. loc. cit. num. 31. A S. Faust. loc. cit. q. 163. Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 9. num. 2. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 15. n. 3. Constat, tum quia quando lex certum tempus requirit, intelligendum est de tempore continuo, vt probant præfat. DD. Tum quia hic annus

Graffius.
Barbosa.
Henriq.
Azor.
Lessius.
Rodriq.
Ledesma.
Syluester.
Miranda.
Vechius.
Sanchez.
A S. Faust.
Nauarrus
Suarez.

statui ad experiendas Religionis austeritates, quas fine dubio meliùs experitur quis per continuationem, quam per diuisionem. Tum quia id habet consuetudo. Tum denique quia ita declarauit sacra Congreg. Concil. vt refert Suarez loc. cit. Quæ continuatio non solùm debet esse per annum expletum, sed etiam vsque ad professionem. Et ideò, completo anno, si nouitius egrederetur monasterio, & postea iterum rediret, professionem emittere non posset virtute præfatæ probationis, sed deberet nouitiatum iterum incipere; quia talis est Religionum vsus: Ita Suarez loc. cit. num. 8. Vech. num. 5. licèt contrarium probet Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 34.

100. Aduerte, quòd hic annus interrumpitur per quamcumq; habitus dimissionem, factam animo eum ampliùs non assumendi, ac Religionem deserendi, quantumuis posteà intra eundem dimissionis diem pœniteat. Ita Suarez loc. cit. num 6. Sanchez num. 32. Vech. num. 6. A S. Faust. lib. 5. thes. quæst. 164. num. 2. Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 49. quia eo ipso amisit statum, quem habebat, & indiget noua admissione, & receptione, vt possit iterum esse nouitius. Quare nouitius, qui habitum dimittit, seq; vestibus secularibus induit, & seculum petit, Religione deserta, licèt post 3. horas V. G. eum facti pœniteat, & reuertatur, velitq; habitum reassumere, dato quòd illi de nouo concedatur, tenetur annum nouitiatus incipere. Similiter si nouitius, habitu retento, è Religione aufugeret, etiam animo redeundi, modò talis fuga reputaretur: Quia iugum fregit Religionis; Sanch. num. 29. Syl. ver. Religio 5. quæst. 4. Rosel. ver. Nouitius, num. 29. Similiter nouitiatum interrumperet ille, qui stetit in vno conuentu per 6. menses, & inde egressus absque licentia in alio conuentu eiusdem Ordinis reciperetur, & post alios 6 menses professionem faceret. Ita Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 17. num. 1. Non teneretur tamen de nouo incipere, qui ira commotus habitum dimitteret, protestans se velle redire ad seculum, si breui placatus eum facti pœniteat. Similiter si eadem ira commotus Superior aliquem habitu spoliandum mandet, & post breui placatus, reindui iubeat. Quia his casibus non censetur dimissio habitus facta voluntariè, nec animo Religionem deserendi. Nec similiter secundùm Sanch. loc. cit. teneretur de nouo nouitiatum incipere, qui ad breue tempus, vt quadam nocte gratia fornicationis, aut conuiuij, vel alterius causæ, statim rediturus, egrederetur, etiamsi pro illo tempore habitum dimitteret, ne cognosceretur, vel quò faciliùs intentum compararet. Quia hoc non est habitum deponere, nec Religionem deserere, licèt hic à Religione esset alia causa expellendus. Similiter nec teneretur incipere nouitiatum ille nouitius, qui non animo habitum dimittendi, nec Religionem deserendi, sed solùm animo se occultandi, ad vitandam Prælati, seu magistri sæuitiam, conuentu egrederetur; Quia hic non esset fugitiuus. Vech. disp. 18. dub. 8. n. 15. Nec item ille, quem Prælatus decreuisset dimittere, eaq; intentione habitu Religionis expoliasset, seculiq; vestibus indui fecisset, posteà verò, priùs quam monasterio exiret, mutata sententia illi iterum habitum restitui facit, & hoc, siue nouitius dictæ expoliationi consensisset, siue non; quia hoc casu habitus dimissio non fuit cum effectu egressionis. Atq; ita Suar. loc. cit. num. 7. Vech. num. 8. Huius opinionis videtur esse Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 33. num. 1. qui cons. 32. num. 3. ait, quòd nouitiatus interrumpitur per exitum nouitij à claustro per 3. aut 4. dies, insinuans, quòd per minus tempus non interrumpatur. Et Less. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59. ver. Secundò, ait, quòd interpolatio paucorum dierum non impedit continuationem. Cum his sentit Naldus in sum. ver. Nouitius, num. 4.

Sanchez. Syluester. Rosella. Nauarrus. Vechius. Naldus.

101. Aduerte etiam, quòd annum nouitiatus non interrumperet nouitius, qui tempore probationis de licentia Superioris eum habitu, causa V. G. infirmitatis, ad se curandum in domo parentum, vel ad eos in longinquum inuisendos, aut ad loca sancta visitanda, &c. per aliquot menses, tres V. G. Religione exiret. Ita Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 14. num. 13. Nauar. loc. cit. cons. 32. num. 3. Sorb. in comp. ver. Nouit. tit. de nou. prof. emiss. ver. Secundò est vid. pag. 438. Mir. to. 1. man. q. 22 art. 5. Vech. loc. cit. num. 10. Camp. in diu. rub. 11. cap. 13. num. 10. & rub. 12. cap. 3. num. 3. Sa ver. Religio, num. 9. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 3. q. 7. Barb. in cap. Ad Apostolicam, de reg. num. 6. A S. Faust. in thes. lib. 5. q. 176. Less. loc. cit. num. 59. ver. Tertiò hanc; Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 18. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 15. art. 10. Censetur enim Monachus esse in monasterio, quando est foris de licentia sui Abbatis, vt dixit Abb. in cap. Cum illorum, de sent. exc. & multis confirmat Sanch. 5. in dec. cap. 3. num. 25. & cap. 4. num. 37. & ita declarasse sacram Congregationem referunt Suar. Nauar. Mir. loc. cit. Vech. num. 13. Grat. discept. for. tom. 1. cap. 166. num. 14. Hanc autem licentiam concedere, pertinet ad Prouincialem cum suis Collegis, vel, ipso absente, & necessitate vrgente, ad Superiorem immediatum cum consilio sui capituli. Ita Rodriq; & Mir. loc. cit. Quibus tamen non obstantibus, aliter iudicasse in hoc puncto inuenio Rotam Romanam apud Farin. 1. p. decis. 175. num. 2. Atq; ita decisa à præfatis DD. circa egressum nouitij cum causa, & licentia Superioris, modò in praxi non esse tuta, ait Grat. loc. cit. num. 16. quia continuitas anni probationis in Religione est de forma, & in his, quæ sunt de forma, rigor iuris seruandus est, vt dicit Rota loc. cit. & docent Sanch. loc. cit. cap. 4. num. 32. A S. Faust. loc. cit. q. 164. num. 1. Nisi velis dicere, Rotam loqui in casu longæ absentiæ sine causa procuratæ ad fugiendas asperitates, eo tempore fieri solitas in monasterio: quo pacto temperatem hanc licentiam, ad breue scilicet tempus aliquorum dierum, non mensium.

Suarez. Nauarrus. Sorbus. Miranda. Vechius. Campanil. Sa. Azor. Barbosa. A S. Fausto. Lessius. Graffius. Rodriqz. Abbas. Sanchez. Gratianus. Farinac.

102. Dico 2. annus nouitiatus aliqua de causa, puta infirmitatis, vel defectu ætatis; aut scientiæ prorogari potest. Ita Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 16. Sa in aphor. ver. Religio, num. 2. Beriola in aph. ver. Nouitius. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 7. num. 59. ver. Vbi not. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 7. dub. 5.

Beriola.

ver.

Sorbus. ver. A esta difficultad, pag. mihi 267. Sorb.
Suarez. loc. cit. vers. Sextò not. pag. mihi 434. Suar.
Vechius. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 13. num. 8. Vech. de
Sanchez. nou. disp. 11. dub. 5. num. 3. Sanch. 5. in dec.
Rodriq. cap. 4. num. 21 Rodriq; p. 1. sum. cap 8. num. 3.
Naldus. fine, & tom. 3. quæst. reg. quæst. 17. art. 10. Nald.
Vega. in sum. ver. Professio, reg. num. 7. Vega p. 1.
A S. Faust. sum. cap. 39. cas. 4. A S. Faust. lib. 5. thes. q. 168. num. 2. & dixi tom. 1. nostr. prin. in const. 2. Sixti IV. num. 81. 82. vbi duas attuli sacræ Congreg. declarationes, vltra quas aliam etiam afferunt Suar. & Vech. de anno 1570. 19. Iulij. Constat ex dictis declar. & ex alia, quam refert Graff. loc. cit. quæ sic habet. *Concilium noluit, quempiam minori tempore, quàm per annum, stare in probatione, idq; expressim disposuit; ne autem hoc tempus longiùs extendi possit, non prohibuit; ideoq; arbitrio Superioris extendi, & prorogari poterit.* Adde, quòd Concilium sess. 25. cap. 16. de reg. ait, quòd *Superiores, finito tempore nouitiatus, quos habiles inuenerint,* &c. habiles verò non sunt, qui infirmi, qui legitimam ætatem non habent, qui non adhuc bene didicere. In Ordine nostro non videtur relinqui Superioris arbitrio prorogatio nouitiatus, obstante Regula num. 3. quæ ait, *Præterea elapso continuo probationis anno,* Sed tamen existimo, quod ex causa iusta dicta prorogatio non prohibeatur. Nam illud Continuæ, est adiectiuum, non aduerbium, vnde non facit ad hunc casum, sed ad alium de interpolatione.

103. Dico 3. nouitiatus debet omnino compleri à nouitio habitu suæ Religionis induto, ita vt, si hoc modo non compleat, compleuisse
Tabiena. non sit dicendus. Ita Tab. ver. Noui-
Angelus. tius, num. 10. Angel. eod. §. 16. Sylu. ver. Re-
Syluester. ligio 5. quæst. 5. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num 19.
Miranda. Miran. tom 1 man. quæst. 22. art. 6. A S. Faust.
Barbosa. lib. 5. thes. quæst. 177. num. 2. Barb. in cap. Ad Apostolicam, de reg. num. 7. Less. loc. cit. ver.
Azor. Tertiò hanc: Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 9. Vech. loc. cit. dub. 7. Rodriq; tom. 3. quæst. reg. quæst. 15. art. 9. Contrarium sensit Suar. loc. cit. cap. 14. num. 10. Sed nostra conclusio est communissima, maximè post Trid. & constat, tum ex dicto Trid. sess. 25. c. 15. de reg. vbi ait, annum nouitiatus ad professionis valorem, computandum esse à die susceptionis habitus, ergo supponit eo habitu complendum nouitiatum. Tum quia hoc maximè pertinet ad austeritates Religionis probandas, habitum enim Monachis die, nocteq; deponere non licet, & præsertim nobis Minimis, cum sit punctus Regulæ. Tum quia ita obtinuit consuetudo.

104. Dico 4. nouitius potest liberè egredi à Religione, & seculum petere, absq; alicuius
Rosella. Superioris licentia. Ita Rosel. ver. Nouitius, num. 11. Ang. eod. num. 9. Sylu. ver. Religio
Panorm. 5. quæst. 8. Panor. in cap. *Statuimus*, de reg. num. 1. Armil. ver. Nouitius, num. 6. Sanch. 6. In dec. cap. 10. num. 1. & lib. 7. cap. 3. num. 3. &
Passerel. lib. 5. cap. 3. num. 40. Passar. in not. 43. in priu.
Graffius. Graff. tom. 1. cons. lib. 3. de vo. cons. 8. num. 7.
P. De Luna P. de Luna cons. 38. num. 32. vbi ait, quòd huic libertati renunciare non potest. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 11. num. 2. Miran. tom. 1. man. quæst. 22. art. 8. Rodriq; tom. 3. quæst. reg. q. 15. ar. 12. ver. Circa eandem. Prob. ex c. Statuimus, de reg. vbi id expressè habetur, & ex cap. 1. & 2. de reg. in 6.

105. Noto 1. quòd nouitius egrediens non tenetur soluere expensas, vt dicunt Rosel. Sylu. Rodriq; Passar. loc. cit. Suar. cit. num. 5. A S. Faust. lib. 5. thes. quæst. 191. Sa ver. Religio, num. 8. Sanch. cit. num. 4. Azor lib. 12. cap. 3. quæst. 6. tom. 1. quia aliter liberè exire non posset, & si comedit, seruiuit. Temperat tamen Sanch. num. 5. nisi pactum esset soluendi dictas expensas. Addit verò Suarez si nouitius in suo ingressu aliquid ad sui sustentationem donasset, posteà non teneri Religionem illi egredienti restituere, nisi eam partem, quam non consumpsit, pro rata temporis. Et quòd liceat Religioni hoc recipere, constat ex Trid. sess. 25. de reg. cap. 16. ibi, *excepto victu, & vestitu nouitij.* Vide Cened. col- *Cenedus.*
lect. 16. ad decretal. num. 1.

106. Sed quid, si à principio nihil donauit, sed obligauit se ad soluendam certam summam pro expensis nouitiatus? Suarez loc. cit. ait, quòd poterit Religio dictam summam pro rata exigere; non poterit tamen interim nouitium in Religione detinere, etiamsi egrediendo frustraretur spe dictam summam recuperandi; nam id esset contra cap. Non solùm, de reg. in 6. & alia iura cit. Nec poterit Religio nouitium non soluentem quod promiserat, & permanere volentem eijcere, quia hæc non est iusta expulsionis causa, cum de iure non teneatur; poterit tamen cogere hæredes nouitij ad soluendum. Atq; ita in hoc casu consuluit Galuanus apud Vech. disp. 12. dub. 2. num. 2.

107. Sed dubitabis, an etiam sit ei restituendus habitus factus expensis ipsiusmet nouitij? Barb. in cap. Super eo, de reg. num. 5. ait, sacram Congregationem annuisse, dictum habitum non esse ei restituendũ, bene tamen valorem illius temporis, quo eum deponit, non quo factus est. Quia per Trid. sess. 25. de reg. cap. 16. nouitijs restituenda sunt omnia, quæ à principio ad Religionem detulerunt: poterit tamen dictus habitus detineri pro alimentis illius temporis, quo in monasterio fuit, si pactum intercessit, vel superent seruitium factum.

108. Sed quid, si dictus habitus emptus sit, non pecunia nouitij, sed eleemosynis deuotorum, eo fine datis, vt Religionem ingrederetur? Tunc puto, quòd de iustitia ei dari non debet, quia, cum datus sit illi habitus eo fine, vt in Religione permaneat, cum ab ea egrediatur, iam non censetur ampliùs illi datus, sed Religioni, cuius intuitu datus est.

109. Sed quis coget restituere nouitio supradicta, dato casu quòd Religio renueret? ℞. Episcopi id facient vigore Trid. sess. 25. de reg. cap. 16. fine, etiam cogendo per censuras Ecclesiasticas, vt notauit Vener. in exa. Ep. lib. 6. *Venerus.*
cap. 15. num. 16.

110. Noto 2. quod nouitius egrediens etiam ex minùs iusta causa, non peccat. Ita *Suarez* *Suarez.*
loc. cit. num. 4. Venialiter autem peccare, si ex leuitate, vel Religionis tædio, docet Sanch.
5. in dec. cap. 4. num. 59. & lib. 4. cap. 16. nu. 92. *Sanchez.*
Caiet. 2. 2. quæst. vlt. art. 4. dub. 3. Passar. in *Caietanus.*
not. prin. not. 43. ad finem, quia resistere bonis *Passarell.*
inspirationibus, saltẽ veniale est; Hoc dico supposito, quòd priùs non vouisset Religionẽ, nam

eo casu absq; iusta causa egrediens, mortaliter peccaret, vt dicunt Passar. Cai. loc. cit. Sorb. to comp. ver. Nouitius, tit. de nou. prof. emiss. ver. Quintò not. Licèt Syl. ver. Religio 2. q. 19. & Graff. tom. 1. conf. lib. 3. de vo. conf. 8. nu. 7. videantur velle, quòd possit liberè egredi, etiam sine iusta causa.

Sorbus. Syluester. Graffius.

111. Sed dubitabis, an Religio expellens nouitium absq; iusta causa, peccet? Suar. loc. cit. num. 5. ait, non peccare ratione iustitiæ commutatiuæ, sed ratione distributiuæ, & charitatis, quia licèt nouitius possit liberè exire, quia est sui iuris, Religio tamen nō potest eum liberè dimittere, quia in hoc casu non se gerit tanquam domina, sed tanquam dispensatrix diuinorum ministeriorum. Idem videntur docere Cai. & Passar. quatenus dicunt, quòd si Religio ex sola libertate refutaret nouitium, ab omni sapiente reprehenderetur, & non bona fide agere cum nouitio diceretur: Quare, si Religio absq; iusta causa nouitium expellat, habet hic ius reclamandi contra conuentum, & Superiorem illius, & recurrendi ad Superiorem maiorem, qui edoctus de iustitia nouitij, eum in integrum restituet, non obstante, quòd fuerit à Superiore immediato conuentus expoliatus, vnde si post 6. menses fuerit expulsus, peractis alijs 6. mensibus, poterit profiteri, & si totum annum nouitiatus peregisset, posset statim ad professionem admitti; quia grauatus recurrens ad Superiorem, nec fugitiuus est, nec genituram amittit. Ita Sanch. 5. in dec. cit. Vech. de nou. disp. 11. dub. 3. num. 9.

Passarel. Caietanus

Sanchez. Vechius.

112. Si autem quæras, an peccatum Religionis dimittentis nouitium sine iusta causa, sit mortale? Negatiuè R. à Sanch. loc. cit. nisi grauis nota esset nouitio illa expulsio, sicut nouitij culpa leuiter retrocedentis est solùm venialis, quia non magis obligatur Religio nouitio, quàm nouitius Religioni quò ad culpam. Sed puto, Religionem, idest Superiorem, & omnes cum ipso consentientes, & concurrentes ad expulsionem, per denegationem suffragiorum, absq; legitima causa, peccare mortaliter. Huius opinionis videntur esse Cai. Passar. Suar. loc. cit. & Suar. clariùs loc. cit. lib. 4. c. 4. n. 7. In terminis Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 54. & in addit. eodem, num. 16. Vech. disp. 11. dub. 2. num. 1. Mir. 10. 1. man. quæst. 25. art. 11. concl. 1. Rebell. de obl. iust. p. 1. lib. 4. quæst. 15. num. 5. A S. Fau. lib. 5. thes. quæst. 114. Prob. Tum quia hoc casu prælati abutuntur potestate iurisdictionis sibi concessa, ratione cuius tenentur bonum Religionis procurare, & quasi iudicium ferre in ea causa. Tum quia Religioni maximam iniuriam irrogant, eam priuando idoneo Religioso. Tum quia faciunt contra charitatem, priuando nouitium magno bono, & exponendo illum occasionibus seculi. Tum quia nemo dubitat, quin mortaliter peccet retrahens absq; legitima causa nouitium à Religione, sed expellere per suffragij denegationem, est plusquam retrahere. Tum quia Trid. sess. 25. cap. 16. de reg. præcipit Superioribus, vt nouitios repertos habiles finito anno nouitiatus, ad professionem admittant.

Suarez. Portel. Vechius. Miranda. Rebellus. A S. Faust.

113. Neq; hic dictis in Ordine nostro obstat Regula num. 3. dum ait, *si bonum testimonium habuerint, ad professionem recipi poterunt.* Ex quo loco videtur sequi, quòd etiam, bono testimonio de nouitio habito, adhuc liberum sit fratribus illum recipere, verbum enim, Potest, importat liberam facultatem, & voluntatem, non necessitatem, vt dixit Glos. in cap. Statutum, §. Cum verò, ver. Possit, de rescr. in 6. & Sanch. 3. de matr. disp. 10. num. 5. Sed dic pro nunc, quòd verbum, Poterunt, ibi stat pro Debebunt, quod est in iure frequens, vt ait Barb. de dict. dict. 116. num. 1.

Sanchez. Barbosa.

114. An autem consiliarius nouitiorum possit illis denegare suffragium ob defectum cognitum in sacramento confessionis? Puto, quòd non, etiamsi suffragia dentur secretò, iuxta ea, quæ dico infra cap. 2. §. 1. num. 71. Ita Vech. loc. cit. disp. 11. dub. 4. num. 2. licèt contrarium dicat Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 52.

115. An autem in talibus receptionibus habeant votum, qui sunt priuati voce actiua, & passiua? Dico, standum esse consuetudini. De iure communi certum est, non habere. Quia hi ferre non possunt suffragium in his, quæ ad capitulum collegialiter, & legitimè congregatum pertinent, vt docent Nauar. lib. 5. cons. cons. 6. de ver. sign. Graff. tom. 2. cons. lib. 3. diff. 1. num. 2. cons. 2. de regul. Vech. loc. cit. dub. 5.

Nauarrus Graffius Vechius.

116. An etiam Prouincialis possit habere votum in acceptatione nouitij ad professionem, quando non residet in conuentu, in quo fecit nouitiatum? De hoc puncto magnam facit quæstionem Portel in add. ad dub. reg. ver. Nouitia, & tenet, quòd sic. Ego non habeo difficultatem in Ordine nostro. Tum quia ad Prouincialem pertinet recipere ad habitum, & professionem, vt patet ex num. 2. & 3. Regulæ. Tum quia licèt non probauerit experimento mores nouitij, vnde putant aliqui, quòd de illis ferre non possit iudicium, votum emittendo, tamen potest in hoc stare informationibus sibi factis, tum in principio, quando eum ad Religionem recepit, præsertim si contra eum toto tempore nouitiatus sibi nihil scriptum sit, tum etiam informationibus sibi factis à Fratribus, qui conuersationem nouitij probauerunt. Itemq; puto, posse in eadem admissione dare votum Socios Prouincialis. Tum quia etiam ad hos pertinet nouitios recipere ad habitum. Tum quia dicuntur esse locales in quolibet conuentu suæ prouinciæ, in quo reperiuntur, licèt ibi solùm sint per transitum; vnde sicut si Frater localis aduenisset heri in illum conuentum, in quo hodie nouitius recipiendus est, haberet votum in dicta admissione, ita etiam Socij.

117. An etiam datis votis, & nouitio recepto ad Religionem, ante tamen factam professionem, sit liberum conuentui, noua emergente causa, nouitium dimittere? Dic, quòd sic, graui aliqua causa interueniente, vel etiam, si aliqua vetus ignorata, de nouo sciatur. Tum quia annus nouitiatus datur tam in fauorem nouitij, quam Religionis, cap. Ad Apostolicam, de reg. ergo quocunq; tempore, nouitiatu durante, constat Religioni, eum non esse admittendum, potest expellere. Tum quia sicut reuocari potest cōsensus ab altero coniuge ante ratum matrimonium, si aliquid superueniat,

quod

quòd si à principio adfuisset, vel notum esset, non fuissent contracta sponsalia, cap. Quemadmodum, de iur. iur. Sanch. 1. de matr. disp. 62. num. 3. ita à conuentu ante professionis emissionem possunt reuocari suffragia: eodem enim modo loquimur de contractu matrimonij, ac de contractu professionis. Et validum est argumentum de matrimonio carnali ad spirituale; cap. Inter corporalia, de transl. ep. Ita Vech. disp. 12. dub. 7.

Vechius.

118. An etiam dans suffragium indigno mortaliter peccet; Dic, quòd sic, quia offendit Religionem in re graui, & abutitur potestate. Ita Ledes. de sta. relig. in com. cap. 7. concl. 2. diff. 2. vers. Digo lo segundo, pag. mihi 271. A S. Fau. lib. 5. thes. q. 214. num. 3.

Ledesma. A S. Faust.

119. Dico 5. nouitius non obligatur per se, & directè ad vota Religionis, nec ad obseruantias regulares, ita vt, si eas non seruet, peccet, & incurrat pœnas transgressoribus impositas. Ita Rosel. ver. Nouitius, num. 32. Ang. eod. §. 18. Armil. num. 18. Tab. num. 13. Sylu. ver. Relig. 5. quæst. 6. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 10. Henriq; lib. 7. cap. 22. num. 7. & lib. 6. cap. 16. num. 3. ad finem; Sa ver. Religio, num. 8. Campanil. in diu. rubr. 12. cap. 3. num. 21. Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 13. Rodriq; tom. 1. quæst. reg. q. 21. art. 11. Long. de cas. reser. p. 1. lect. 3. art. 18. num. 3. Vech. disp. 11. dub. 14. num. 1. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 2. Regin. in prax. lib. 18. num. 384. Prob. quia, cum nondum admissus sit ad professorum cœtum, sed tantùm in probatione versetur, ad experiendum, an sit admittendus, non debet ex iustitia professorum legibus astringi; debet tamen ex conuenientia eas seruare, tum ne alijs scandalo sit; tum vt probet, an potens sit eas seruare ex debito, qui fuit finis sui ingressus: licèt in hoc etiam sit aliquid ei indulgendum, vt monent Syl. Ang. Tab. Regin. Camp. loc. cit. Suar. nu. 18. Quòd si non seruet, eijciendus est, vt dicit Long. & Bariol. in aph. ver. Nouitius, in fine.

Rosella. Angelus. Armilla. Tabiena. Syluester. Azor. Henriq. Sa. Campanil. Graffius. Rodriq. Longus. Vechius. Suarez. Reginald. Bariola.

120. Nota tamen, quòd Prælatus potest nouitijs præcipere ea omnia sub censuris, quæ posset illis præcipere proprius Parochus, & Episcopus, & quæ sunt necessaria pro experimento, ad quod est ingressus; quia hoc non fundatur in voto obedientiæ, sed in iurisdictione Ecclesiastica, per summum Pontificem Prælatis concessa, & in pacto virtualiter inito cum Religione in primo sui ingressu. Ita Suar. loc. cit. num. 18. Vech. cit. num. 2. Sa ver. Religio, num. 4. & dixi sup. quæst. 2. cap. 5. num. 2.

121. Dico 6. nouitius habens conditiones à sacris canonibus requisitas, ordinari potest, etiam ad sacros ordines. Ita Sanch. 6. in dec. cap. 10. num. [illegible] Henriq; lib. 14. cap. 9. num. 2. Suar. tom. 5. [illegible] 3. p. disp. 50. sect. 5. num. 13. Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 15. art. 4. fine. Vech. disp. 11. dub. 8. num. 2. Barb. in cap. Postulasti, de reg. num. 2. Bariol. in aphor. ver. Nouitius. Nald. in sum. ver. Nouitius, num. 8. Camp. in diu. rub. 9. cap. 3. num. 3. Anchar. in cap. Cum nullus, num. 3. de temp. ord. in 6. Ric. 4. p. prax. decis. 118. num. 5. Molf. 1. p. sum. tract. 11. cap. 15. num. 130. cui sententiæ subscripsi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Sixti IV. num. 37. Constat, quia nullibi reperitur

Barbosa. Bariola. Naldus. Anchara. Riccius. Molfesius.

prohibitum; nam cap. Monasterijs 19. quæst. 3. in quo fundantur contrarium sentientes, nullo modo loquitur de tonsura ordinum, sed solùm de tonsura monachali, & dicunt prælati DD. & potest colligi ex D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 5. ad 3.

D. Thom.

122. Ordinari itaque poterit nouitius ab illo Episcopo, in cuius diœcesi est nouitiatus, vt dicunt Suarez, & Camp. loc. cit. & Sanch. num. 21. & cum literis dimissorijs Episcopi originis, vel in quo habebat domicilium, quando ingressus est Religionem, vel etiam illius, in cuius diœcesi est monasterium, in quo nouitiatum agit; Sanch. nu. 22. Qui subdit, quòd si Religio habet priuilegium mittendi suos subditos ad suscipiendos ordines à quocunque Antistite, quale priuilegium habent omnes Religiones mendicantes, dummodò Episcopus, in cuius diœcesi est conuentus, ordinationes non celebret, iuxta dicta in nostr. priu. loc. cit. num. 33. posset Prælatus Religionis etiam dictas literas nouitijs date, iuxta opinionem, quam sequor, quod nouitij fruantur priuilegijs Religionis, quam tenent Mol. tom. 1. de iust. disp. 139. col. 3. ver. Præter hos; Henriq; lib. 7. cap. 22. num. 7. Azor p. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 10. ad finem, Sanch. loc. cit. num. 22. & lib. 4. cap. 39. num. 17. Sayr. lib. 7. de cens. cap. 13. num. 6. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 17. & tom. 4. tract. 3. lib. 9. cap. 1. num. 18. Bonac. de leg. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. num. 27. ver. Alij verò. A S. Faust. lib. 3. thes. quæst. 27. num. 3. Graff. tom. 1. cons. lib. [illegible] de vo. cons. 8. num. 11. Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 18. & absolutè, quòd dicti Prælati possint dictas literas dimissorias nouitijs concedere, docet Suar. tom. 3. de relig. cit. num. 17. fine. Puto tamen semper necessarium, vt debeat Episcopo ordinanti constare de patrimonio nouitij, in casu, quo recederet, ad obuiandum fraudibus.

Molina. Sayrus. Bonacina. Portel.

123. Dico 7. nouitius potest eligi ad dignitatem Episcopalem, licèt in Ordine, quem profiteri intendit, ad nullam dignitatem eligi possit. Ita Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 15. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 12. Sylu. ver. Religio 5. quæst. 9. Rosel. ver. Nouitius, num. 30. Angel. num. 19. Sanch. 7. in dec. cap. 4. num. 20. Mir. tom. 1. man. quæst. 22. art. 9. Prob. ex cap. Nullus, de elect. in 6. & per cap. Ex eo, eod. tit. & lib. prohibentur nouitij habere vocem in capitulo. Et notat Suarez quòd potest nouitius Episcopatum acceptare, & suo tempore profiteri, & potest consecrari, & simul esse Religiosus, & Episcopus.

Suarez. Azor. Syluester. Rosella. Angelus. Sanchez. Miranda.

124. Noto, quòd potest nouitio conferri beneficium Ecclesiasticum; Suarez loc. cit. num. 13. Sanch. num. 22. Campanil. in diu. rub. 12. cap. 3. num. 20. Azor. loc. cit. cap. 3. quæst. 1. Quia & est sui iuris, & id nullibi vetitum reperitur. Nouitius item canonicus non potest excludi ab electione facienda cum alijs Canonicis. Suarez num. 16. Azor loc. cit. Sed tu dic, certum esse, quòd, si dictus nouitius ad electionem accedat, excludi non potest, quia ius suum retinet. Sed difficultas est, an debeat vocari, & concludit De Bals. in direct. elect. p. 1. cap. 26. num. 6. quòd ser-

De Baiso.

uanda

uaoda est consuetudo, si adest, si non adest, vocari debet, sed, cum legitimum impedimentum habeat, procuratorem instituere potest. Vide gloss. in cap. Beneficium, ver. Conferendum, de reg. in 6. Et similiter, si sit patronus habet ius nominandi, vt dicunt Suar. & Azor. Item nouitij cuiuscunq; Ordinis, etiam Minorum Capuccinorum possunt institui hæredes, & succedere in hæreditate paterna ex testamento, vel ab intestato Cord. in reg. Min. cap. 6. quæst. 11. p. 1. Sanch. 7. in dec. cap. 15. nùm. 3. Hi enim, idest Minores, solùm inhabilitantur per professionem, & de alijs non est dubium.

Corduba. *Sanchez.*

125. Dico 8. nouitius potest accusare, transigere, ac pacem facere, tam de iniuria sibi illata, quam etiam suis; Ita Farin. p. 1. prax. tit. de accus. quæst. 13. num. 13. Sanch. 6. in dec. cap. 12. nu. 34. Ghisil. 10 iud. reg. cap. 8. nu. 38. Clarus in pract. lib. 5. §. fin. quæst. 58. num. 25. fine, Vech. disp. 12. dub. 13. num. 1. Constat, quia nouitius est adhuc sui iuris, nec est mortuus mundo, vnde et eadem iura competunt, quæ secularibus. Facta verò professione, nec pro iniuria sibi, vel suis illata, potest quempiam accusare, nec pacem dare, quia tunc habetur pro mortuo, cap. Placuit, 16. q. 1. cap. In præsentia, de prob. Farin. cit. num. 28.

Farinac. *Sanchez.* *Ghisil.* *Clarus.* *Vechius.*

126. Si quæras hac occasione, occiso Monacho, qui reliquit filium ante Monachatum legitimè genitum, quisnam pacem inire debeat, filius ne, an Monasterium? In hoc casu distinguit Clar. loc. cit. quòd si iniuria est facta Monacho intuitu monasterij, ad monasterium pertinet, si intuitu consanguineorum, ad filium. Hæc distinctio non placet Farin. vnde affert aliam. Vel agitur de pœna exigenda ab homicida, & applicanda hæredibus, & debetur monasterio capaci, à quo pax haberi debet; vel de pace obtinenda ad minuendam pœnam propter pacem, & pertinet ad filium. Quam sententiam amplectitur Sanch. loc. cit. num 40. Baiard. ad Clar. dicta q. 58. num. 38. adhuc distinguit, si monasterium denegat, potest dari à filio, si hic denegat, à monasterio. Rodriq: tom. 2. quæst. reg. q. 42. art. 3. censet, quòd spectat ad monasterium; si Monachus transtulit se, & sua in monasterium; si hæredem instituit filium, ad ipsum pertinere putat, vniuersaliter censens, iniuriam remittere, & pacem dare, ad hæredem spectare defuncti. Ego absolutè puto, pertinere ad monasterium, quod debet esse in hoc facile, vt currat per viam, quam alijs monstrat: quia Monachus totus monasterij est, & nihil mundi, cui per renunciationem in professione mortuus censetur, etiam quò ad iura ciuilia sanguinis. Vnde non censetur iniuria consanguineis facta, sed monasterio, vtcunq; res succedat. Si verò occisus, vel alia iniuria affectus, sit nouitius, tunc Clar. loc. cit. fine, putat, ad parentes pertinere facere pacem. Sequitur Sanchez cit. num. 35. Sed, cum nouitius sit in statu dubio, & non sit propriè Monachus, cap. Ad Apostolicam, de reg. cap. 1. iuncta glossa, de relig. dom. cap. Religio, de sent. excom. in 6. cap. Porrectum, de reg. nec sit absolutè secularis, quia à legibus seculi est absolutus, vt dicam, & fruatur priuilegijs Religiosis, vt dictum est num. 121. puto, quòd ad vtrumq; pertineat; & per monasterium intellige Superiorem cum consensu sui capituli, vt notauit Farin loc. cit. num. 26. ver. Nec prætermittendum. Patre autem, aut filio Monachi secularibus interfectis, nec Monacho, nec monasterio competit ius accusandi, aut pacis ineundæ, vt Farin. quæst. 13. nu. 26. Sanchez cit. num. 36. nulla enim iniuria illata est monasterio, & Monachus particularis non habet legitimam personam standi in iudicio, vt constat ex l. Lis nulla, & l. Vix, ff. de iud. l. Seruus, Cod. eod. tit. Sanch. loc. cit. num. 2. Deniq; si iniuria sit facta Monacho ante Religionis ingressum, vel ante illum eius pater, aut filius occisi sunt, putat Sanchez loc. cit. num. 38. ius accusandi, pacis ineundæ, & compositionis pro iniuria illata recipiendæ, transferri in monasterium, si id habeat ius succedendi in bona nouitiorum, & nouitius sua iura, & rationes in monasterium transferat, vel per renunciationem expressam, vel ea non facta, per successionem legitimam. Si autem nouitius alteri existenti in seculo iura sibi competentia renunciauit, hæc etiam iura renunciasse dicendum est. Omnium autem horum ratio est; quia remissio iniuriæ actio realis est, vndè transit cum hæreditate, iuxta auth. Ingressi. Cod. de sacr. Eccl. Et per hoc dixi, quòd iniuria facta Monacho, non potest remitti nisi à monasterio, quamuis filium, aut patrem in seculo habeat, quia monasterium est hæres necessarius eorum, quæ acquirit, & habet Monachus stante Monachatu.

Baiard. *Rodriquez*

127. Pro iniuria verò illata sibi non potest agere Monachus, sed id ad Abbatem pertinet, si præsens sit. Ita Sanch. 6. in dec. cap. 12. num. 15. Nauar. com. 2. de reg. num. 24. & 64. Rosel. ver. Monachus, num 8. Sylu. ver. Religio 8. quæst. 4. Anton. 3. p. tit. 16. cap 6. § 7. Constat ex l. Sed si vnius, §. Ait Prætor, ff. de iniur. Quare potest Abbas, inuito Monacho, iniuriam remittere; Sanchez loc. cit. n. 6. cum Monachus neq; velle, neque nolle habeat, & iniuria ipsi illata, in monasterium redundet. Vnde, si quis Monachum percutiat, satisfactio, quæ est danda ante absolutionem, iuxta cap. Parochianos, de sent. excom. non est danda Monacho, sed Abbati, vt absolutio impetrari possit; & si quid emolumenti dandum sit pro dicta remissione, monasterio, non Monacho percusso, nec patri, aut fratribus eius existentibus in seculo, dandum est; A. Gabriel com. op. tom. 2. lib. 8. tit. 22. num. 51. Sanch. num. 8.

Sanchez. *Nauarrus.* *Rosella.* *Syluester.* *D. Anton.* *A. Gabr.*

128. Aduerte tamen, quòd Sanch. loc. cit. à num. 14. multos ponit casus, in quibus Monachus, absq; licentia abbatis, immò contra eius voluntatem accusare potest, & procuratorem constituere, & personam in iudicio habere. Vnua ordinarius est, quòd potest Abbatem suum accusare; tunc enim censetur vtilitatem monasterij procurare, & tunc sunt ei dandæ expensæ de bonis monasterij, donec causa finiatur. Ita in cap. Ex parte, de accus. Et similiter Abbas accusatus debet expensis monasterij se defendere, vsq; ad finem litis; Gloss. dicto cap. Ex parte, ver. Alia; Sanch. loc. cit. num. 18. 20. & 24. Sa ver. Religio, num. 55.

129. Sed

Specul. Archid.

129. Sed quid, si Monachus causam propriam prosequatur, vt electionis suæ, habebitne à monasterio expensas? Specul. lib. 3. tit. de inquis. §. vlt. num. 8. Archid. in cap. Pastores, 2. quæst. 7. num. 2. & alij apud Sanch. 6. in dec. cap. 12. num 26. putant tunc monasterium non teneri ad expensas, teneri tamen censet Sanch. Ego in hoc casu dico, quòd, si aliquis ambitiosè nimis procurauit eligi ad aliquam dignitatem in Religione, ad quam non erat eligibilis, vel de hoc graue dubium erat, tunc non tenetur monasterium ad expensas, si alij qui de eodem monasterio, qui eius electioni non consenserunt, se opponant, etiamsi sint in minori parte. Immò puto, quòd istis se opponentibus debeantur expensæ. Ducor. Tum quia si electus nondum confirmatus, non habet possessionem officij, vnde non potest bonis officij frui. Tum quia ambitio fouenda non est, sed extirpanda. Tum quia qui se opposuerunt, videntur duci zelo Religionis, ne scilicet contra eorum statuta certa, vel dubia, seu contra morem dictæ Religionis aliquis in Prælatum eligatur. Tum quia multum interest Religionis, Prælatum ambitiosum non habere.

Armilla. Tabiena. Sanchez.

130. Dico 9. Nouitij possunt sibi eligere sepulturam. Armil. ver. Sepultura, num. 6. Tab. eod. num. 4. Sanch 6. in dec. cap. 14. num. 10. Constat. Tum quia non sunt verè Religiosi, quibus cap. fin. de sepul. in 6. electio sepulturæ prohibetur. Tum quia nouitij habent velle, & nolle. Si autem sepulturam non eligant, sepeliri debent in monasterijs, in quibus decesserunt; Armil. Tab. loc. cit. Sanch. num. 11. Sylu. ver. Sepultura, quæst. 8. dicto 7. Rodriq. tom. 3 quæst. reg. quæst. 60. art. 2. fine; Grat. in dec. March. decis. 35. num. 14. Tum quia ita habet consuetudo, de qua testantur dicti DD. Tum quia ad id se extendunt priuilegia Relig. vt dicit Rodriq. Sed cuius expensis erunt sepeliendi? Sanch. num. 13. & Rodriq. art. 4. dicunt, quòd debent sepeliri expensis patrimonialibus, si habent, quas expensas potest monasterium repetere ab hæredibus: si non habent patrimonia, debent sepeliri expensis monasterij, vt alij Religiosi. Quare, si decedunt extra monasteria, expensis monasterij sunt ad illud deducendi: vel, si monasterium longè distat, tenebitur expensas factas in sepultura soluere.

Syluester. Rodriq. Gratian.

A S. Faust. Molina. Rodriq. Barbosa.

131. Dico 10. Nouitij etiam nullo ordine insigniti, sunt immunes à solutione gabellarum. A S. Faust. lib 5. thes. quæst. 171. Molina tract. 2. de iust. disp 671. num 2. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 47. art. 8. ad fin. & tom. 3. q. 74. art. 9. Sanch. loc. cit. cap. 10. num. 16. Barb. in cap. Aduersùs, num. 11. de immun. Eccles. Constat, quia gaudent, vt dixi, priuilegijs Religionis, & Religiosi nominantur, cap. Nullus, de elect. in 6. & sunt pars illius communitatis, quæ est verè Ecclesiastica. Vnde etiam gaudent priuilegio fori, & qui ipsos percutiunt, sunt excommunicati, eo modo ac si professum percussissent, cap. Religioso, §. vl. de sent. excom. in 6. Sanch. loc. cit. num. 10. Gutier. can. quæst. lib. 2. cap. 1. num 107. Qui tamen circa gabellas contrarium tenet tract. de gabel. quæst. 95. à num. 29.

Gutierrez.

132. Dico 11. Nouitius potest validè matrimonium contrahere habitu Religionis indutus, licèt non licitè. Est tex. expressus in cap. Consuluit, de reg. & docet Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 11. num. 8. non tenetur tamen statim egredi, sed potest ante consummationem velle in Religione perseuerare animo profitendi, vel expectandi, an à Deo moueatur.

Suarez.

§. 5. *De his, quæ spectant ad professionem nouitiorum.*



133. DICO 1. Ad validitatem professionis requiritur ætas 16. annorum completorum de momento ad momentum. Ita Sanch 5. in dec. cap. 4. num. 4. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 7. nu. 59. ver. Quarto; Grat. discep. for. cap. 413. num. 31. Farin. p. 1. decis. 175. num. 7. Vech. de nou. disp. 13. dub. 1. nu. 1. Ric. 1. p. prax. decis. 654. & p. 3. resol. 322. nu. 5. Rodriq. tom. 3. quæst. reg. quæst. 15. art. 3. Constat ex Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. Vide hic sup. num. 95.

Sanchez. Lessius. Gratianus. Farinacius. Vechius. Riccius. Rodriq.

134. Noto, quòd ista ætas debet esse completa, non à die conceptionis, sed à die natiuitatis, communi enim vsu receptum est, vt ætas à die natiuitatis computetur, & nemo natus dicitur antequam ex vtero sit matris egressus. Ita Sanch. 4 in dec. cap. 35. num. 4. Bonac. in dec. disp. 4. quæst. 2. p. 7. §. 2. num. 20. Et aduerte, quòd scienter recipientes aliquem ad professionem, non habentem dictum annum 16. completum, peccant mortaliter: vt num. 97. Vech. de nou disp. 11. dub. 6. num. 5. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 5. quæst. 6.

Bonacina. Azor.

135. Dico 2. Ad validitatem professionis requiritur legitima auctoritas in recipiente ex parte Dei, & Religionis traditionem, quam facit profitens. Ita Innocen. in cap. Ad Apostolicam, de reg. Nauar. com. 4. de reg. nu. 74. & lib. 3. cons. de reg. cons. 38. num. 1. Less. loc. cit. num 61. Reginald. in prax. lib. 18 num. 385. Sanch. loc. cit. num. 62. A S. Faust. lib. 5. thes. quæst. 238. num. 4. Azor loc. cit. quæst. 7. Sylu. ver. Religio 7. quæst. 13. Mir. tom. 1. man. q. 24. art. 3. Barb. in cap. Porrectum, de reg. num. 3. Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 11. num. 1. & c. 1. n. 4. & c. 3. n. 14. 15. Probatur ex c. Porrectum, & cap. Ad Apostolicam, de reg. Tum quia professio est contractus onerosus vltro citroque obligatorius, qui fieri non potest sine consensu vtriusque partis, ergo pro parte Religionis requiritur persona idonea, quæ habeat potestatem eam obligandi. Quis autem sit iste, dixi tom. 1. huius op. quæst. 1. cap. 26. §. 2. concl. 3. nimirum quòd de iure communi est Prælatus immediatus conuentus, cum consilio fratrum, licèt de consuetudine sit introductum, vt requiratur etiam consensus. Vide Sanch. loc. cit. num. 64. Suar. cit. lib. 5. cap. 10. à num. 4. & lib. 6. cap. 11. num. 2. Verh. disp. 12. cap. 2. A S. Faust. cit. quæst. 239. Sed quid, si aliquis non habens auctoritatem recipiendi, recipiat? Dic, quòd professio est nulla, iuxta dicta tom. 1. huius op. cit. sub concl. 4. ver. Sed quæres. Vide Less. loc. cit. num. 61.

Innocentius. Nauarrus. Reginald. A S. Faust. Syluester. Miranda. Barbosa. Suarez.

136. Di-

Azor. Lessius. Vechius. Suarez. A S. Faust. Sanchez. Nauarrus. Graffius. Sa.

136. Dico 3. Ad validitatem professionis requiritur, quòd profitens, saltem tacite, intendat se obligare Deo, & Religioni, alioquin in foro conscientiæ non obligabitur, quamuis in foro exteriori, ad vitandum scandalum, teneatur ad obseruantiam regulæ. Ita Azor loc. cit. q. 1. Less. loc. cit. num 60. Vech. disp. 31. dub. 1. n. 13. Suar. to. 3. de relig. lib. 6. cap. 10. n. 3. & lib. 7. cap. 2. num. 9. A S. Faust. lib. 5. thes. q. 237. num. 2. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 82. Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 15. num. 2. & cons. 44. num. 1. Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 28. Sa ver. Religio, num. 15. Prob. quia nullum votum, nec vlla promissio per se obligat sine voluntate obligandi; quia tota obligatio pendet à libera voluntate obligandi, vt suppono ex his, quæ dicunt DD. in materia voti, præsertim Sanch. 4. in dec. cap. 1. à nu. 23. & 1. de matr. disp. 9. à num. 1.

137. Noto 1. quòd potest quis emittere vota in professione cum proposito promittendi, & se obligandi, non tamen implendi, & tunc obseruare tenetur, quia pessima non implendi intentio non eximit ab obligatione, naturaliter consurgente ex ipsa promissione cum animo se obligandi emissa. 2. potest quis profiteri cum proposito nec promittendi, nec se obligandi, & tunc nulla consurgit obligatio seruandi vota, quia ficta solummodò est promissio, peccat tamen mortaliter sic fictè promittens, decipiens in re graui Religionem. 3. potest quis profiteri cum proposito vere promittendi, non tamen se obligandi, & in hoc casu an votum teneat, dubitant DD. Puto tenere cum Soto lib. 7. de iust. q. 1. art. 2. ver. Tertiò eodemq; medio: Gutier. lib. 1. q. can. cap. 21. num. 32. ver. His tamen. A S. Faust. lib. 5. thes. q. 250. num. 1. La Cerda in quodlib. q. 5. schol. num. 6. Palat. in 4. d. 38. disp. 1. de vo. pag. mihi 824. Tum quia obligatio est naturalis effectus necessariò consurgens ex ipsa promissione, vero animo promittendi facta, sicut calefactio est effectus ignis; vnde sicut, posito igne, velit, nolit potens, sequitur calefactio, ita posita vera promissione, non potest non sequi obligatio; Vide Sanch. 4. in dec. cit. & Azor tom. 1. lib. 11. cap. 13. q. 1.

Sotus. Gutierrez. La Cerda. Palatinus.

138. Noto 2. quòd non solùm requiritur ex parte profitentis intentio se obligandi, sed etiam hæc intentio requiritur ex parte personæ legitimæ recipientis dictam obligationem pro parte Dei, & Religionis; fit enim professio ad modum cuiusdam contractus humani, qui mutuo partium consensu perficitur; vnde fit, quòd, si professionem recipiens, non habet intentionem recipiendi, nec talem personam Religioni incorporandi, professio fit nulla; ita vt si postea sufficienter constare possit de tali fictione, taliter professus possit liberè, seruata iuris forma, ad seculum, deserta Religione, redire; eo enim ipso, quòd contractus claudicat ex altera parte, est simpliciter inualidus. Ita Suar. to. 3. de Relig. lib. 6. c. 11. n. 8.

Suarez.

139. Dico 4. Professio nulla ex quocumq; defectu, nullam ex se inducit obligationem, nisi profitens vouendo, independenter à professione, expressè se per illa vota obligare intenderet. Ita Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 89. num. 7. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 104. 105. Less. lib. 2. de iust. c. 41. dub. 7. n. 6. Suar. to. 3. de religi. lib. 7. cap. 2. à num. 3. Vech. disp. 14. dub. 1. à num. 3. A S. Faust. loc. cit. q. 236. à nu. 2. & q. 243. Prob. quia contractus humani nullam firmitatem habere censentur, nisi ab vtraq; parte acceptentur. Cum ergo professio irritetur, vel ex parte profitentis, vt si non habeat intentionem profitendi, vel ex parte acceptantis, si alter contrahens habeat tales conditiones, v. g. sit seruus, vxoratus, &c. vel talibus careat, v. g. non sit in ætate 16. annorum completorum, &c. sequitur, quòd quando professio ex dictis defectibus est nulla, semper desit alterutrius consensus, & consequenter contractus sit irritus.

Nauarrus. Sanchez. Lessius. Suarez. Vechius. A S. Faust.

140. Dico 5. In dubio, an professio sit valida, nec ne, eam esse validam, præsumendum est; Nauar. loc. cit. cons. 13. num. 10. Sanch. 7. de matr. disp. 37. num. 12. Grat. discept. for. tom. 3. cap. 413. num. 17. Suar. loc. cit. cap. 2. num 6. Rota coram Seraph. decis. 1361. num. 7. A S. Faust. loc. cit. q. 251. num. 1. Prob. Tum quia in dubijs melior est conditio possidentis, & Religio est in possessione. Tum quia tutior pars est eligenda. Tum quia summa est ratio, quæ pro Religione facit; l. Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. fun. Dubius itaq; de validitate suæ professionis ratificare tenetur, vt dicit Suar. loc. cit.

Gratianus.

141. Dico 6. Qui est certus de nullitate suæ professionis, quam bona fide à principio fecit, non tenetur quocunque tempore eam ratificare, quamuis per sententiam publicam cogatur in Religione manere; vnde, si non potest illam in foro exteriori legitimè probare, potest, secluso scandalo, absque periculo apostasiæ, fugere, habitum dimittere, & vxorem ducere. Ita Suarez tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 2. num. 6. & cap. 5. num. 1. & 9. Nauar. com. 4. de reg. num. 76. ver. Aduertendum 4. & lib. 3. cons. de reg. cons. 89. num. 6. & 7. Henriq; lib. 13. cap. 11. num. 5. fine, & cap. 8. num. 9. in com. lit. S. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 17. art. 17. ver. Super quibus; Sa ver. Religio, num. 71. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 37. num. 11. Vech. de nou. disp. 14. à num. 3. Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 7. num. 65. Prob. Tum quia nemo potest ad Religionem cogi. Tum quia sententia super hoc à iudice lata, cum falso fundamento innitatur, non obligat, &, si obligaret, ad summum obligaret ad actus externos. Tum quia sententia non obligat ad vouendum, sed ad seruandum vota; si ergo non vouit, vouere denuò non tenetur. Et quòd possit ad seculum redire, &c. constat. Tum quia, cum non teneatur in Religione manere, nec possit à iudice ad exeundum licentiam obtinere, potest, vtendo iure suo, eam sibi licentiam propria auctoritate sumere, & sic ius suum prosequi. Tum quia fugiendo non facit iniuriam Religioni, quia non priuat illam aliqua re sua: nec peccat in Deum, quia illi nullo modo se obligauit: nec peccat in modo recuperandi suam libertatem, quia aliter eam recuperare non potest, vt supponitur. Immò addit Sanch. quòd potest fugere, etiam non deductis causis coram Superiore suo, & Ordinario: quia nemini facit iniuriam, qui vtitur iure suo. Aiunt etiam Nauar. com. 4. de reg. cit. & Sanchez num. 42. quòd si iste per-

Henriquez. Rodriquez. Sa. Sanchez. Vechius. Lessius.

manens

manens in Religione nolit professionem ratificare, peccat ingerendo se actibus solis professis conuenientibus, nec potest à confessario absolui, nisi vel ratificare proponat, vel Religionem deserere, prima data opportuna occasione. Similiter peccat alimenta accipiendo de bonis monasterij, cum obligatione restituendi, nisi obsequia eius illa mereantur. Nec poterit petere à Prælato Religionis irritationem, aut dispensationem votorum, nec vti priuilegijs Religionis, quia nec est Religiosus, nec ille est suus Prælatus. Nec similiter poterit confiteri Religioso à solo Prælato approbato. Nisi fortè velis in hoc casu dicere, quòd, cum sit eo tempore tamquam famulus, & perpetuus commensalis, possit ab his absolui, iuxta ea, quæ dixi tom. 1. priu. in const. 1. Iulij II. num. 12. & iuxta dicta à Rodriq; to. 1. q. reg. q. 56. art. 14. Si autem, secluso scandalo, non potest vitare oblatam Prælaturam, nec dare suffragium in electione, ait Sanch. num. 43. quòd non peccat, acceptando, & suffragium dando; nec similiter peccat ordines sumendo, si non potest id vitare absq; magnæ infamiæ nota.

142. Sed quæres, an professio inualida ratificari possit, & quo modo? R. Et dico 1. aliquas esse professiones ita intrinsecè inualidas, vt nullo modo ratificari possint. V. G. si quis faceret professionem in aliqua Religione non approbata à Sede Apostolica, est professio ita nulla, quòd non potest validari nisi per Sedem Apostolicam, vt colligitur ex cap. fin. de relig. dom. & cap. 1. eod. tit. in 6. Similiter professio perpetui amentis reualidari non potest. Ita Suar. loc. cit. cap. 1. num. 2.

Parisius.

143. 2. Dico, quòd professio à principio inualida, cursu temporis, ablato impedimento, non validatur, per regulam 18. Non firmatur, de reg. iur. in 6. Paris. de resig. lib. 9. q. 17. num. 71. Vnde, si quis professus fuerit ante 16. annum completum, post impletionem dicti anni illa inualida professio ex hoc solùm non validatur, sed requiritur nouus consensus, & noua professio. Nam ratificatio actus inualidi nihil est aliud, quàm nouus actus, vt Menoch. tom. 1. cons. cons. 80. num. 66. Rota coram Lud. decis. 395. num. 10. Suar. loc. cit. num. 3. A S. Faust. lib. 5. q. 251. num. 1. ver. Secundò.

Menoch.

144. 3. Dico, quòd ad ratificandam professionem requiritur, vt ratificaturus habeat cognitionem talis inualiditatis, quia sine hac scientia non potest esse nouus consensus, & voluntas sufficiens ad professionem ratam habendam. Vnde non censetur illam confirmare, quando putans ab initio fuisse validam, eam approbat. Ita Suar. loc. cit. num. 4. Sanch. cit. num. 59. A S. Faust. loc. cit. Nauar. in man. cap. 12. num. 71. ver. Decimò, & com. 4. de reg. loc. cit. fine; & lib. 3. cons. de reg. cons. 89. nu. 3. & cons. 23. num. 1. Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de nou. prof. emiss. ver. Quartò not. pag. mihi 434. Less. loc. cit. num. 65. Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 22.

Nauarrus. Sorbus. Graffius.

145. 4. Dico, quòd si professio fuit irrita, non ratione inhabilitatis profitentis, sed quia fictè, aut metu, aut dolo eam irritantibus emissa est, non requiritur ad eam validandam nouus conuentus consensus, & acceptatio, sed sufficit si accedat liber professi consensus, qui sciens suam professionem fuisse, & esse irritam, velit eam ratam habere. Et ratio est, quia consensus conuentus iam interfuit à principio validus. Ita Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 50. num. 1. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 37. num. 60. 61. Sa ver. Religio, num. 23. Suar. to. 3. de relig. lib. 7. cap. 1. num. 16.

Sanchez. Sa. Suarez.

146. 5. Dico, quando professio fuit irrita ratione qualiscumq; inhabilitatis, vt quia facta est, non expleto nouitiatus anno, vel ante 16. annum completum, quibus casibus tam illegitimus est consensus profitentis, quàm acceptantis, per Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. puto, quòd ad eam reualidandam sufficiat nouus professi consensus, absq; alia acceptatione conuentus. Quia licet conuentus non potuerit legitimè acceptare, Papa tamen pro bono pacis, & Religiosorum consolationem dictam professionem nomine Religionis acceptat in cap. Significatum, de reg. & in cap. 1. eodem tit. in 6. Ita Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 27. num. 2. & cons. 28. num. 3. Graff. 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 23. 24. Sylu. ver. Religio 5. q. 2. fine. Probabile, & in praxi tutum putat Sanch. loc. cit. num. 64. & 5. in dec. cap. 4. num. 81. Vech. disp. 14. dub. 4. num. 5. Quòd verò nouus consensus conuentus requiratur, tenent Azor tom. 1. lib. 12. cap. 4. q. 7. Suar. loc. cit. cap. 1. num. 20. quam opinionem, qui ad sibi satisfaciendum sequi vellet, posset, si defectus esset occultus, à Prælato conuentus in sacramento pœnitentiæ nouam acceptationem requirere, &, si ipse solus non posset, tacito nomine posset impetrare conuentus consensum, vel petere licentiam à Papa, vt Sanch. loc. cit. num. 65. sed tutissimam puto primam opinionem.

Nauarrus. Syluester. Vechius. Azor.

147. 6. Dico, quòd quando nouitiatus fuit inualidus, quia nouitius V. G. habebat vxorem, & sine illius consensu ingressus est, vel alia de causa, cessante impedimento, propter mortem mulieris, siue hoc impedimentum sit secretum, siue publicum, secuta professio inualida, per solum consensum profitentis, si impedimentum est secretum, & si est publicum, per consensum Prælati, & conuentus, absq; nouo nouitiatu reualidari potest. Quia, cum iam probatæ sint in anno integro nouitiatus omnes austeritates Religionis, & nouitij qualitates, satisfactum est fini, propter quem iura dictum nouitiatum instituerunt. Ita Sanch. 7. de matr. disp. 37. num. 47. & 48. Vech. de nou. disp. 14. dub. 5. num. 6. Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 51. vnde multò minus est nouitiatus iterandus, quando professio fuit irrita ob defectum ætatis, aut anni nouitiatus incompleti; Sanch. num. 49. & 50. qui idem dicit num. 56. de eo, qui fictè, vt illuderet, ingressus est Religionem, & fictè professus est.

Sanchez. Vechius. Portel.

148. An autem nouitiatus iterandus sit, quando aliquis conuersorum ad statum clericorum transfertur, dubitari posset. Et quod sit iterandus, videtur constare ex eo, quòd conuersi non probant in suis nouitiatibus omnes austeritates, & obseruantias, quas clerici, vnde cum transferuntur, debent super his examinari.

minari. Atq; ita fuit declaratum, vt audio à sacra Congregatione anno 1618. Contra verò est. Tum quòd nouitij non coguntur probare omnes asperitates Religionis, sed sufficit quòd per annum permaneant sub obedientia Prælatorum, vt dixi hic sup. num. 66. Tum quòd nouitiatus conceditur ad experimentum sumẽdum de qualitatibus nouitij, & Religionis, vt vterq; sit in libertate, ille ad exeundum, hæc ad expellendum: sed quando conuersi transferuntur, non ponuntur in libertate vel permanendi, vel exeundi ex Religione (nisi forte hanc libertatem in eo consistere dicas, quòd conuersus possit redire ad 1. statum, & Religio ad illum eijcere) Adde, quòd solet in aliquibus Breuibus, quæ pro istis conuersis expediuntur, apponi clausula, vt in quodam vidi, Etiam nullo nouitiatu de nouo peracto. Atq; ita video obseruari in praxi. Illa declaratio Conc. fortè non est vera; vel, si est vera, non est vsu recepta.

149. Et aduerte, quòd *sacra Congr. Cardinalium, negotijs Regularium præposita, de mandato S. D. N. Vrb. PP. VIII. clausulam (De licentia Superiorum) in Breuibus prædictis appositam, esse intelligendam de Generali Ordinis, & Prouinciali oblatorum huiusmodi; ita vt pro eorundem Breuium executione requiratur vtriusq; licentia, & consensus; Romæ 2. Augusti, 1630. Fr. A. Card. Onuph. P. Fagnanus Secretarius.* Cuius decreti obseruantiam Reuerendiss. P. F. Franciscus à Longobardis nostri Ordinis Generalis, omnibus Prouincialibus Ordinis præcepit sub præcepto formali obedientiæ, ac pœnis excommunicationis maioris latæ sententiæ, & priuationis officij, die 14. Septemb. 1630.

150. Sed adhuc remanet difficultas, an tales conuersi cum auctoritate Papæ translati ad statum clericorum, obtentis licentijs dictorum Superiorum, debeant ad dictam professionem capitulariter recipi à conuentu, cum dicti Prælati per se sufficientes non sint ad recipiendum aliquem ad dictum statum. Puto, quòd tenor Breuis est inspiciendus. Si enim Papa assumat conuersum ad statum clericorum cum clausula, Attento quòd ad id idoneus reperitur, non est necessaria approbatio conuentus; supplet enim Papa consensum dicti conuentus, seu potius continuat antiquum, vel commutat. Ad quod facit doctrina Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 18. num. 3. Si autem dicat Papa, Quatenus ad id idoneus reperiatur, requiri videtur consensus eorum, ad quos spectat recipere ad talem statum, qui sunt conuentus cum Superiore. Sed puto, quòd sufficiet Generalis, & Prouincialis, iuxta præfatam declarationem, quia tales executores dictorum indultorum declarantur. *Nauarrus*

151. 7. Dico, quòd in casu, quo quis vellet scrupulosè ratificare suam inualidam professionem, propter inhabilitatem publicam per se, cum consensu conuentus, non essent necessariò repetendæ cæremoniæ, quæ in admissione ad professionem fieri solent, cum hæ iam factæ sint, & non sint de substantia. Ita Nauar. loc. cit. cons. 27. num. 2. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 4. q. 7. Sanch. 7. de matr. disp. 37. num. 66. *Azor. Sanchez.*

152. 8. Dico, quòd qui bona fide inualidè professus est, licitè potest retinere locum, quem inualidæ professionis vigore obtinuit. Ita Nauar. loc. cit. num. 4. Suar. tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 1. num. 34. Sanch. loc. cit. n. 68. Rodriq; to. 3. q. reg. q. 17. art. 3. fine. Rota coram Seraph. decis. 1361. num. 5. Vech. de nou. disp. 14. dub. 8. num. 2. Graff. tom. 1. cons. lib. 3. de reg. cons. 6. num. 18. Quia licet professio irrita non incipiat esse valida, nisi à tempore ratificationis, vt Nauar. loc. cit. num. 3. bona tamen fides, quæ facit, vt quis non amittat, quod putabat esse suum, vt pluribus id probat Tiraquel. in tract. de causa cess. limit. 12. num. 16. quod est verum etiam in foro conscientiæ, vt Ang. ver. Præscriptio, §. 47. Sylu. eod. 1. q. 13. & Tol. in sum. lib. 5. cap. 26. num. 7. dictum locum præfato tribuit. Vnde in Ordine nostro in cap. Barch. t. num. 18. locus primæ professionis factæ contra statuta Ordinis tributus est F. Hieronymo de Martinis. Immò posse dictum inualidè professum locum inualidæ professionis retinere, etiamsi mala fides intercesserit, docet Sanch. loc. cit. quia res est parui momenti. Sed in Ordine nostro genitura non est res parui momenti. Nam primi Collegæ, vt primi Seniores, habent priuilegium celebrandi missam priuilegiatam duobus diebus in hebdomada: primus Collega Generalis defuncti recipit sigilla Ordinis, illusq; curam gerit vsq; ad noui Generalis creationem, & similiter primus Collega Prouincialis, eo defuncto. Item priuatio genituræ est grauissima pœna, quæ nisi pro grauissima culpa infligitur, vnde existimo, quòd qui mala fide professionem emisit, deinde eam ratificauit, non possit habere genituram, nisi à die ratificationis, iuxta ea, quæ de possessore malæ fidei dicunt DD. & hoc etiam in foro conscientiæ. Qui verò bona fide professionem lecit, si, durante bona fide, legitimè genituram præscripsit, per spatium scilicet 30. annorũ, vt requiritur in iuribus personalibus, secundùm Ang. ver. Præscriptio, num. 41. etiam bona fide transacta, potest dicta genitura frui, si nullus contradicat; si autem aliquis contradicat, re detecta, post quatuor annos à præscriptione finita, restitutione in integrum impetrata, tenebitur Superior illi genituram restituere, non enim potest vllus re sua inscius, & non negligens, priuari; Sylu. loc. cit. q. 14. Si autem, bona fide durante, legitimè non præscripsit, accedente mala fide, tenetur in conscientia restituere id, quod suum non est, vt dicunt omnes DD. de bona fide, & præscriptione tractantes. *Suarez. Rodriq. Vechius. Graffius. Tiraquel. Angelus. Syluester. Toletus. Angelus. Syluester.*

153. Ad vltimum hic nota pro consolatione Religiosorum, quòd per professionem legitimè factam in gratia Dei, consequitur profitens remissionem omnium peccatorum antea commissorum quò ad pœnam, & remanet absolutus ab omnibus pœnis purgatorij; atq; ita si, facta professione, statim decederet, directè in paradisum concederet. Ita cum D. Thom. 2. 2. q. vl. art. 3. ad 3. & in 4. d. 4. q. 3. art. 3. q̃la 3. ad 3. omnes DD. & PP. quos refert, & sequitur Sanch. c. in dec. cap. 5. num. 2. Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 13. à num. 4. Rosel. ver. Religio 2. §. 9. Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 44. num. 1. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 5. q. 1. Ledes. 2. p. sum. tract. 10. cap. 4. diff. 1. ver. Pero ay, pag. mihi 810. Caraciol. in const. cler. reg. p. 2. cap. 1. §. 14. ver. Primum gratissimum. Barb. in cap. 4. *D. Thomas. Sanchez. Suarez. Rosella. Nauarrus. Azor. Ledesma. Caraciol. Barbosa.*

in cap. 4. de vo. num. 5. Huius rei s. affert rationes D. Thom. Primam in 4. Quia cum profiteos voluntatem suam, cæteris rebus chariorem, in perpetuam Dei seruitutem redigat, iam plenissime pro omnibus ante actæ vitæ delictis satisfecisse censetur, vtpote qui id dat, quo nihil maius dari poterat. Secundam in 2. 2. quia si, aliquibus eleemosynis factis, homo potest satisfacere pro peccatis suis, ad illud Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, quantò magis id debet consequi per professionem, quæ omnem eleemosynam, & omne genus satisfactorium, etiam publicæ pœnitentiæ, & omnem peregrinationem, etiam terræ sanctæ, excedit. Vnde D. Bernard. de disp. & præcep. cap. 23. professionem religiosam 2. baptismum vocat. Quare si quis deberet pro pœnitentia sacramentali sibi imposita ieiunare per tres, aut decem annos, & plus, vel magnam pecuniam in eleemosynam erogare, vel ire in peregrinationem Romanam, Hierosolymitanam, Compostellianam, aut Lauretanam, per professionem ab his omnibus absoluitur, vt aduertit in specie Ang. ver. Religiosus, §. 46. Cessant etiam per professionem omnia vota simplicia antea facta; Sot. lib. 8. de iust. q. 4. art. 3. Graff. tom. 1. conf. lib. 3. de vo. conf. 8. num. 10. Rodrig. in sum. par. 2. cap. 8. num. 12. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad. 1.

D. Bernar. *Angelus.* *Sotus.* *Graffius.* *Rodrig.*

154. Nec solùm consequuntur Religiosi dictam plenariam remissionem in actu ipso professionis, sed etiam quando iam professi gaudent de ipsa professione, eamq; innouant, parati facere, si non fecissent. Ita censuerunt Dionys. Carthus. in opusc. de proi. mon. in append. & D. Ber. Senen. vt refert Vech. de nou. disp. 13. dub. 5. num. 7. & non improbat Sa ver. Religio, num. 17. Quod satis placet, quia licèt non experimententur in effectu eædem difficultates, quæ experimentatæ sunt in actu professionis, experimententur tamen in affectu, & martyrium in affectu non minori honore celebratur ab Ecclesia, quàm martyrium in effectu, vnde de B. Martino canitur, *palmam tamen martyrij non amisit*; & de B. P. Francisco, *sanguinem ulit martyrium*. & complacentia de actu potest esse ita intensa, vt fuit actus ipse.

Vechius. *Sa.*

155. E contra verò licèt pœnitere professionem fecisse, retento tamen animo adimplendi promissa, non sit per se mortale peccatum, vt Ang. ver. Votum 3. §. 13. Nauar. in man. cap. 12. num. 54. ver. Vigesimo quintò; puto tamen, quòd sit per se veniale, etiam abstrahendo à materia voti, nam illa pœnitentia actus boni licèt voluntarij, aduersatur directioni rationis, vnde à veniali excusari non potest; & summa ingratitudo est, nolle recepisse à Deo tale, & tantum beneficium, qualis est religiosa professio, & tam nobilem, & proficuam vocationem nauseare: & docet Azor tom. 1. lib. 11. cap. 16. q. 19. Quòd ista pœnitentia sit veniale, ratione periculi transgrediendi aliquid, ad quod tenemur, docet Caiet. 2. 2. q. 88. art. 6. & addit Val. 10. 3. disp. 6. q. 6. par. 3. in fine, quòd potest aliquando esse tam grauis pœnitentia; vt causet graue periculum transgrediendi aliquod votum, quod esset peccatum mortale. Et quòd Religiosus, qui contemnit tendere ad perfectionem, quam professus est, peccet mortaliter docet D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. corp. Val. tom. 3. disp. 10. q. 4. par. 5. assert. 1. Sa ver. Religio, num. 31. Nota quod metus, qui professionem inualidare potest non est necesse, quod sit incussus eo fine, vt timens religionem ingrediatur, tum quod Trid. id non requirit, sed absolute, quod, qui per vim, & metum prætenderit, &c. Tum quod de essentia professionis est, quod sit libera, nam Deus militem inuitum non recipit, sed ex quocunq; capite proueniat metus, professio libera non est, ergo nulla est.

Nauarrus *Azor.* *Caietanus.* *Valentia.* *D. Thomas*

156. Tandem nota, quòd in Trid. sess. 25. cap. 19. de reg. definitur, quòd qui prætendit per vim, & metum, &c. fuisse Religionem ingressum, non debet audiri, nisi tantùm intra quinquennium à die professionis expressè, vel tacitæ, & tunc debet suas actiones, habitu regulari retento, proponere coram Superiore suo, & Ordinario. Ex quo decreto Concilij colligitur, quòd 7. conditiones requiruntur ad hoc vt quis possit intra quinquennium reclamare. 1. ne habitum anteà dimiserit. 2. ne sine voluntate Superiorum ob id à monasterio etiam cum habitu recedat: vnde qui aufugit, & apostatauit propter aliquod delictum, non potest in eo statu beneficio quinquennij frui: sed si, habitu retento, nollet Superior dare licentiam exeundi ad reclamandum, posset licitè exire absq; ea, nam licentia iure petita, si iniustè denegetur, censetur iure concessa. 3. vt causas, quas prætendit, coram Superiore suo, & Ordinario proponat, ita vt Superior, & Ordinarius coniunctim procedant. Superior autem regnlaris debet esse ille, in cuius monasterio professio facta est, & Ordinarius debet esse ille, vbi existit monasterium, in quo professus est; Ita dicitur declaratum à sacra Congregatione Concilij anno 1593. die 1. Decembris. Quòd si Superior regularis nollet ipsas causas recipere, posset Ordinarius, qui est conjudex cum illo, eum vigore dicti Concilij in hoc compellere. 4. vt si anteà habitum exuerit, nullatenus ad allegandam vllam causam admittatur, nisi fortè detentus in carcere aliter exire non potuisset; 5. vt redire ad monasterium compellatur, si contrafecerit. 6. tamquam apostata puniatur. 7. ne vllo Religionis priuilegio iuuetur: Vide Nauar. com. 4. de reg. num. 77. 78. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 4. q. 10. ver. Postremò. Sanch. 7. de matr. disp. 37. à num. 1. Postremò aduerte, quòd Vrb. VIII. per suam constitutionem Religiosos, datam Romæ anno 1631. die 21. Aprilis declarauit, & facultatem fecit Prælatis regularibus, vt possent absq; nono nouitiatu ad professionem recipere illos Religiosos, qui nouitiatum non fecerunt in conuentibus designatis per Sedem Apostolicam, & hanc professionem sic factam volnit valere quò ad omnia, ac si prima professio valida fuisset. Hanc const. pono in Additam. ad priu. reg. in Vrb. VIII.

§. 6. *An in Religione Minimorum possit aliquis profiteri ante annum 18.*

Nauarrus. Sanchez. Rodriq. Suarez. Miranda. Passarell. Roseiia. Angelus. Azor. Barbosa. Sorbus. Portel.

157.  VIDE Nau. lib. 3. cons. de reg. cons. 24. & cons 28. Sãch. 5. in dec. c. 4. n. 6. Rodriq; to. 3. q. reg. q. 17. art. 10. Suar. to. 3. de relig. lib. 6. c. 3. n. 7. & 8. Mir, to. 1. man. q. 24. art. 2. concl. 2. Passar. in cęrem. Minim. not. 8. pag. 63. Rosel. ver Nouitius, n. 9. & 10. Ang. eod. n. 2. & 3. Azor. to. 1. lib. 12. c. 2. q. 7. & c. 3. q. 9. Barb. cap. Quia in insulis, de reg. num. 2. Sorb, in comp. ver. Nouitius, tit. de nou. prof. emiss, ver. Quartò nor. pag. mihi 434. Portel in dub. reg. ver. Professio, num. 14. vide to. 1. huius op. cap. 26. §. 3.

Castillius.

158. Noto 1. quòd hoc dubium torsit semper doctorum virorum ingenia, & torquet nunc etiam aliquos, Inter quos Adm. R. P. F. Christophorus Castllius Hispalensis ex nostra Religione vir doctissimus, de quo sæpe dubitarum est, an magis esset sanctus, quam doctus, vel è contra. Hic itaque vir grauissimus, puritatis Regulæ zelantissimus, in ea est opinione, vt credat, in Ordine nostro nullum posse ad professionem admitti ante 18. annum, cuius doctrinam hic infra ponam.

159. Noto 2. quòd in cap. 2. Regulæ nostræ num. 2. ita habetur, tit. De cunctis ad hunc Ordinem recipiendis. *Ad hunc Ordinem Minimorum migrare cupientes, per eiusdem Ordinis generalem Correctorem, vel per Vigiles, aut Prouinciales, vel per aliquos idoneos Fratres ab eis substitutos recipiantur in fratres clericos, vel fratres laicos, aut fratres obiatos, dummodò tales noniter recipiendi, requisitis conditionibus, apti existant, & ad minus 18. annum attingant.* Et subdit deinde num. 3. tit. de temp. recip. fr. ad prof. *Præterea elapso continuæ probationis anno, & non antea (quacumq; dispensatione Superioribus dicti Ordinis super hoc penitus interdicta) si à fratribus professis, & potissimùm ab informatore suo, bonum testimonium habuerint, ad professionem recipi poterunt.* Et in Correct. cap. 2. §. 16. *Si quis offendens contra formam descriptam in secundo capitulo Regulæ huius Ordinis, aliquem scienter ad hunc Ordinem receperit, absq; sibi data super hoc commissione, vel ante tempus præfixum in eodem secundo capitulo, tribus continuis diebus comedet panem, & aquam dumtaxat. Pari pœnitentia plectantur Socij Prælatorum huius Ordinis in hoc ipso scienter consentientes. Ad ipsos verò superiores Prælatos, & eorum Socios talium recipiendorum deliberatio spectabit. Vbi autem aliquis subditus per ipsos superiores Prælatos ad tale negotium delegatus fuerit, resideat ipsa deliberatio penes localem Correctorem, & eius Socios, siue Seniores, Quicumq; verò recepti fuerint contra supradictam formam, approbandi reseruentur Correctori generali, cum ipsi suscepti fuerint in Ordine per aliquem Vigilum, aut Prouincialium, vel eorum vices gerentium. Cuiq; autem Vigili, vel Prouinciali proprio tales reseruentur, cum ante præfixum tempus ad Ordinem recepti fuerint, per ipsum Generalem, vel per aliquem localem Correctorem, & per ipsos Prælatos (quibus respectiuè tales reseruabuntur) postmodùm approbentur, & eorum receptio acceptetur, & confirmetur.*

160. Prima itaque sententia est, professionem in Ordine Minimorum factam ante annum 18. esse nullam, nullamq; obligationem inducere. Ita Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 24. & 25. & 28. Sorb. loc. cit. Pater Castilius in suo manu scripto ad me misso; vt hanc sententiam probet, multa supponit Castil. Et 1. quòd in Regula nostra idem significat forma, & tempus præfixum, & constat ex Correct. quod eodem modo de vtrisq; loquitur. 2. supponit, quòd professio religiosa est contractus vltro citroq; obligatorius, cap. Porrectum, cap. Ad Apostolicam, de reg. Nauar. loc. cit. cons. 26. num. 1. Supponit 3. quòd quando datur alicui potestas ad aliquid faciendum, & simul cum illa præscribitur ei forma, qua debet operari, quidquid fecerit, forma non seruata, erit irritum; secus autem, si à principio potestatem absolutam haberet, & postea præscriberetur illi forma. Pro ista doctrina citat glossam in clem. 1. de sut. patr. ver. Inhibentes; Sylu. ver. Lex, num. 28. ver. Consilium, q. 4. num. 6. Nauar. lib. 3. cons. cons. 10. de celebr. miss. Suar. de leg. lib. 5. cap. 32. num. 9. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 26. Et probat ex cap. Cum dilecta, de rescr. cap. Prudentia, §. Illa quippe, cap. Venerabili, §. Porro, de off. deleg. cap. Prouida, de elect. in 6. cap. fin. de rest. spol. in fine, & quòd omissio in minimo vitiet actum, docent Sanch. loc. cit. num. 32. A S. Faust. lib. 5. thes. q. 164. num. 2. Rota apud Farinac. par. 1. decis. 175. num. 2.

Nauarrus. Sorbus. Castillius. Syluester. Suarez. Sanchez. A S. Faust. Farinacius.

161. 1. Igitur prob. hæc sententia ex dictis Nauar. cons. 28. cit. vbi 1. ait, quòd professio in Ordine nostro facta ante 18. annum est nulla, nullumq; producit effectum, per Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. dicit 2. quòd de nullitate professionis ante dictum tempus factæ nullus est scrupulus. 3. quòd qui professionem aliter fecit, potest ad aliam laxiorem Religionem transire, ac si illam non emisisset; quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum; reg. 52. Non præstat, de reg. iur, in 6. Quartò quòd laici, & clerici, qui ante dictam ætatem professionem in dicto Ordine fecerunt, possunt vxores ducere, ac si eam non fecissent; quia vt ex nihilo nihil fit, ita nihilum nihil facit. l. Eiua, qui in prou. ff. de reb. cred. & l. Si seruum, §. 1. ff. de act. empt. 5. quòd qui sacris initiati ante dictum tempus professionem fecerunt, Ordinarijs subduntur.

162. 2. Prob. ex cons. 25. Tum quia actus factus contra legem illum fieri prohibentem, non valet, l. Non dubium, Cod. de leg. Tum quia hæc lex prohibens ne fiat professio ante talem ætatem, respicit vtilitatem publicam, vnde ei renunciari non potest. Tum quia Trid. loc. cit. annihilat professiones factas ante legitimam ætatem, Tum quia est communis opinio, quòd professio facta ante ætatem requisitam in cap. Quia in Insulis, sit nulla.

163. 3. Probat hanc sententiam Castillius, quia dispositio conditionalis est nulla, conditione non posita, vt Nauar. cons. 26. cit. num. 1. Tusch. tom. 2. lit. C. concl. 593. Sanch. 3. de matr. disp. 5. num. 2. & habetur in l. Si quis sub condit. ff. Si quis omiss. cau. test. leg. Cedere dies, ff. de verb. signif. Et ratio est, quia dispositio

Nauarrus. Tuschus. Sanchez.

positio

positio pendens à libera voluntate disponentis, non potest aliter obligare, quam disponens intendat; At qui non intendit se obligare absolutè, sed sub conditione, ea non posita, non se obligat; sed auctor Regulæ non intendit obligare profitentem absolutè, sed solùm sub conditione talis ætatis, ergo, si requisitam ætatem non habuerit, nec Religio est obligata professo, nec professus Religioni, & per consequens professio erit nulla.

164. 4. Probat; quia quando datur alicui potestas ad aliquid faciendum, & in principio, quo datur, præscribitur illi forma, qua debet operari, quidquid facere tentauerit, forma non seruata, erit nullum, vt dictum est; sed quando data fuit potestas Prælato recipiendi fratres ad Ordinem, & professionem, fuit illa forma præscripta, qua eos recipere debet, ergo si aliquem receperit, forma quò ad ætatem non seruata, professio erit nulla.

165. 5. Prob. ex Correct. loc. cit. ibi, *Quicumq; verò recepti fuerint contra supradictam formam, approbandi reseruentur Correctori generali.* & infra ibi, *postmodum approbentur, & eorum receptio acceptetur, & confirmetur.* Si sunt approbandi, ergo est in Generali potestas iudicandi, & deliberandi, an expediat tales recipere; si enim non esset illi liberum eos excludere, superflua esset illa particula, *approbentur*; ergo signum est, quòd professio fuit nulla, nam si fuisset valida, non posset illos excludere, etiamsi iudicaret ita conuenire, quia professio est vinculum indissolubile ex parte contrahentium, etiamsi contrahentes de tali vinculo dissoluendo conuenirent; quia, vt ait Nauar. com. 3. de reg. num. 45. ver. Ad fundamentum, professio regularis producit quendam characterem indelebilem per vllam potentiam, etiam Papalem, vt ait D.Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. corp. his verbis. *Et simili ratione Papa non post facere, vt ille, qui est professus Religionem, non sit Religiosus, licet quidam Iuristæ ignoranter contrarium dicant.* De ista indissolubilitate tractat ad longum Suarez tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 15. & an per Papam possit dissolui, ibi cap. 16. Confir. 1. Castill. quia Correctorium dicit, Eorum receptio acceptetur, ergo professio fuit nulla, eo quòd 1. acceptatio fuit nulla. Patet conseq; quia ad valorem professionis requiritur vt à Religione acceptetur 2. Confir. quia eodem modo loquitur Correct. de receptis ante tempus præfixum per Generalem, ac de receptis per Correctorem localem, sed professio eorum, qui recepti sunt per Correctorem localem, est euidenter nulla, defectu potestatis, quam solùm habent superiores Prælati, vt constat ex Reg. & Correct. ergo & professio eorum, qui recepti sunt per Correctorem generalem ante tempus præfixum, erit euidenter nulla Confir. 3. quia dicitur in Correct. quòd recepti per aliquem Vigilum, vel Prouincialium, Generali reseruentur, & quòd recepti per Generalem reseruentur Vigili, vel Prouinciali, eo quia per cap. Non solùm, de reg. in 6. eo ipso quòd aliquis ipsorum recipit aliquem fratrem ad Ordinem contra prædictam formam, professio fuit nulla, & Prælatus recipiens manet suspensus à receptione fratrum in Ordine, & sic reseruantur alteri Prælato non suspenso, & potestatem habenti approbandi, & confirmandi eorum receptionem. Confir. 4. quia in cap. Genuen. 4. num. 13. quod fuit celebratum tempore post Trid. professio facta ante 18. annum inceptum nulla iubetur declarari: & in cap. Val. 5. nu. 23. præcipitur, vt nullus recipiatur, nisi in dicta sit ætate constitutus.

Nauarrus. *D. Thoma.* *Suarez.*

166. 6. Potest probari ex cap. Quia in insulis, de reg. vbi habetur, quod in Religionibus insularum, eo quòd asperior sit ibi Religionis obseruatio, nullus ad professionem admittatur ante 18. annum, quem tex. per suam rationem extendunt Abb. ibi, num. 3. Angel. ver. Nouitius. §. 2. Rosel. eodem, num. 9. ad fratres Prædicatores, & Minores, & ad alios Mendicantes, præsertim Minimos, quorum obseruatio propter perpetuam quadragesimam durissima est; quælibet enim dispositio debet ampliari, & restringi ad limites rationis expressæ, etiamsi verba non patiantur: l. Adigere, §. Quamuis, ff. de iur. patr. l. Cum pater, §. dulcissimus, ff. de leg. & fid. comm. 2.

Abbas. Angelus. Rosella.

167. 7. Prob. ex l. Non dubium, Cod. de leg. vbi dicitur, *Nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.* Et subditur, *Etiamsi legislator fieri prohibuerit tantùm; nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est.* Ad quod etiam facit reg. 64. Quæ contra ius, de reg. iur. in 6.

168. 2. Sententia est Passarel. in cæremon. Minim. not. 8. pag. 63. Mir. tom. 1. man. q. 24. art. 2. concl. 2. Rodriq. tom. 3. q. reg. q. 17. art. 2. Sanch. 5. in dec. cap. 4. nu. 6. Bariola in aphor. lit. P. ver. Professio facta, Portel in dub. reg. ver. Professio, num. 14. asserentium, professionem esse validam.

Passarellus. Miranda. Rodriquez. Sanchez. Bariola. Portel.

169. Prob. 1. à P. Passar. quia prohibitio de non profitendo ante dictum tempus, principaliter concernit fauorem ipsius profitentis, cui fauori potest profitens renunciare. Pro quo facit cap. Ad Apostolicam, de reg. vbi professio facta ante annum probationis tenet, ergo multò magis tenet facta ante tempus à Regula statutum. Ad hoc negaret P. Castill. 1. consequ. nam annus probationis, & tempus ætatis necessarium ad profitendum sunt duo valde diuersa, & tamquam diuersa ponuntur in Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. & etiam in iure, & DD. vt videri potest apud Sanch. loc. cit. num. 3. & Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 55. num. 3. P. de Luna cons. 38. num. 33. à diuersis autem non fit illatio, l. vlt. in fine, ff. de calum. l. Papinianus exul. ff. de minor. Grat. discep. for. tom. 3. cap. 516. num. 6. & cap. 586. num. 58. Potest 2. negari maior, nam annus probationis est æquè principaliter datus à iure in fauorem tam Religionis, quàm nouitij, vt dicunt communiter DD. & constat ex cap. Ad Apostolicam, de reg. & dixit Rota apud Farinac. par. 1. decis. 175. num. 1. & habetur cap. Non solum, de reg. in 6. & dato quòd nouitius posset anno nouitiatus renunciare, non posset tamen ante legitimam ætatem profiteri, nam legitima ætas respicit publicam vtilitatem, cui nec nouitius,

Nauarrus. P. de Luna. Gratianus. Farinacius.

nec conuentus renunciare possunt, vt Sanch. loc. cit. Potest etiam negari minor, nam cap. ad Apostolicam in Mendicantibus non habet locum, qui non possunt quemquam admittere ad professionem, ante exactum probationis annum, per cap. Non solùm, & cap. Constitutionem, de reg. in 6. quòd si nihilominùs quemquam admitterent, ea professio non obligaret in specie, sed tantùm in genere, vt dicitur in dicto cap. Non solùm, §. Decernimus.

170. 2. Probat Passarel, quia licèt Regula prohibeat recipi ad Religionem, qui annum 18. non attingit, non tamen annullat professionem aliter factam, vnde currit regula dicti cap. Ad Apostolicam, quòd multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Quam rationem confirmat 1. quia, qui habet votum simplex castitatis, non potest matrimonium contrahere, si tamen contrahat, validum est, cap. Nuptiarum, 27. q. 1. Confir. 2. quia sententia non potest à iudice sub conditione ferri, lata tamen tenet, cap. Biduum, circa princip. 2. q. 6. Confir. 3. quia Episcopus non potest in diœcesi non sua alterius Ecclesiam consecrare, si tamen consecrauerit, tenet consecratio, cap. Episcopus in diœcesi, 7. q. 1. Confir. potest 4. quia matrimonium factum contra interdictum etiam summi Pontificis tenet, cap. 2. de matr. cont. contra interd. Eccl. in fine. Confirm. 5. quia in Trid. sess. 24. cap. 1. de matr. conceditur Parocho limitata potestas assistendi matrimonio, nempe præmissis denunciationibus, ibi, *quibus denunciationibus factis*, &c. Et ablatiuus absolutus conditionem importat, l. A testatore, ff. de cod. & dem. conditio autem importat formam, l. Qui hæredi, & l. Mæuius, ff. eod.
Felinus. Fel. in cap. Cum dilecta, num. 6. ver. Secundum signum, de rescr. & tamen communiter
Sanchez. DD. tenent, quos citat, & sequitur Sanch. 3. de matr. disp. 5. num. 3. ver. Tandem, quòd matrimonium contractum absq; dictis denunciationibus, etiam iniustè omissis, est validum. Confir. 6. quia iudex non potest excommunicare quemquam, nisi in scriptis, cap. Cum medicinalis, de sent. excom. in 6. & nisi trina monitione præmissa, cap. Constitutionem, eod. tit. & lib. & cap. Sacro, de sent. excom. quæ duæ conditiones ponuntur pro forma; Si tamen absq; iis excommunicat, valida est excommunicatio. Et quòd sit valida absq; monitionibus, probatur ex cap. Romana, de sent. excom. in 6. ibi, *si contra præsumpserint, iniustas nouerint esse illas*, non dicit inualidas. Et quòd sine scriptis lata teneat, colligitur ex dicto cap. Cum medicinalis, §. Superior, vbi dicitur, *Superior verò, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans*. Si ergo eam relaxare debet, valida erat; quia excommunicatio lata contra legem valida est, licèt iniusta, cap. Sententia, 11. quæst. 3. Plura huiusmodi vide
Cynus. apud Cynum in l. Non dubium, Cod. de leg. & Const.

171. Ad hoc 2. argumentum principale R. à Castil. quòd illa regula posita in cap. Ad Apostolicam, de reg. non est vniuersalis; non enim dicit, Omnia, quæ prohibentur fieri, si facta fuerint, tenent, sed solùm dicit multa, quod est verum; quia ex sola prohibitione præcisè non infertur nullitas actus prohibiti, sed ex eo quòd ita declarat, actum contra ipsam factum fore nullum, quæ eadem nullitas infertur ex eo, quòd quando datur alicui potestas ad aliquid faciendum, simul præscribitur illi forma, qua debet operari, quod fit in nostro casu. Sed verè neq; ex Regula, neqs ex Correctorio colligi potest, quod illa statuta data sint pro forma, vt constabit ex dicendis. Ad 1. confirmationem R. à Castil. quòd omnes homines iure naturæ habent potestatem ad contrahendum matrimonium, quã potestatem votum simplex superueniens non adimit licèt adimat votum solemne ex institutione Ecclesiæ, vt colligitur ex cap. Quod votum, de vo. in 6. & docet Azor tom. 1. lib. *Azor.*
12. cap. 6. q. 3. ver. Mihi tertia; & ideo valet matrimonium post votum simplex. At verò quando datur potestas Prælatis recipiendi fratres ad Ordines, non datur absoluta, sed conditionata, sub certa forma, qua non seruata, actus redditur nullus. Sed potest dici, quòd in concessione alicuius potestatis aliqua ponuntur pro forma substantiali, quo casu procedunt omnia dicta per Castil. & alia pro forma non substantiali, sed solùm ad ritè, & rectè exercendam administrationem commissam, vt colligitur ex cap. Sacro, de sent. excom. & patet in sacramentis. Pro forma autem substantiali in Ordine nostro ponitur completus annus probationis continuæ, super quo prohibet legislator dispensari per quemcunq; Superiorem, pro forma vero non substantiali ponitur annus 18. Et quòd ita sit, constat. Nam sicut posuit prohibitionem dispensandi super annum completum nouitiatus, quia intendebat id obseruari tanquam formam substantialem, ita debuisset eãdem prohibitionem ponere super dispensationem anni 18. si intendisset, illud obseruari tanquam formam substantialem; sed quia id non intendebat, ideo consulto omisit. Vide Ang. ver. Professio, num. 1. dicto 5. Ad 2. & 3. confir. R. à Castil. quòd iudices ordinarij, & Episcopi habent auctoritatem, & iudicandi, & ordinandi absolutam ante illas limitationes, vnde per dicta sup. num. 160. actus in contrarium facti non sunt nulli; at Superiores Ordinis non habent auctoritatem recipiendi nouitios, nisi sub conditione ætatis annorum 18. Sed responderi potest, quod auctoritas recipiendi nouitios naturaliter, & necessariò consurgit in Religione ex ipsa approbatione Regulæ à Pontifice facta, abstrahendo ab eo, quòd hæc potestas sit commissa huic, vel illi. Ad quid enim esset illa confirmatio, nisi ex ea consurgeret potestas conseruandi? Ex ipsaq. approbatione promanat item potestas in aliquo capite ad dictam Religionem regendam, quod quidem caput (quomodocunq; regatur dicta Religio) habet eo ipso potestatem ordinariam super membra illius. Quòd deinde illud caput non possit procedere nisi hoc, vel illo modo, non possit recipere, nisi nouitios talem ætatem habentes, &c. consequitur ad dictam ordinariam potestatem. Quæ doctrina colligitur ex Suar. *Suarez.*

tom. 3.

tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 2. Quare etiam per doctissimam Castil. de qua num. 160. professio nouitiorum ante 18. annum facta non potest esse inualida. Ad alias confirmationes respondebit Castil. cum viderit.

172. 3. Probat hanc secundam sententiam Sanchez loc. cit. nu. 165. quia secundum communiter scribentes in l. Non dubium, Cod. de leg. quando lex apponit pœnam transgressoribus, non inualidat actum; Bald. in dicta l. num. 18. Cynus num. 10. Fel. in cap. 2. de test. num. 2. vbi Abbas num. 5. Ad hoc ℞. à Castil. contrarium esse expressum in cap. Non solum, de reg. in 6. Sed hoc cap. non annullat professionem factam ante annum probationis elapsum, sed solùm in pœnam eorum, qui talem admiserunt, declarat, quòd sic professus non teneatur ad illam Religionem, in qua professus est, sed ad aliam approbatam, vnde, cum professio ibi non annulletur, videtur ex eo potiùs confirmari ratio Sanch. quæ tamen alijs vijs destrui potest, negando nimirum, esse communem opinionem in dicta l. Non dubium, quòd quando lex apponit pœnam, non irritet actum. Nam in primis Bart. iuristarum coryphæus ibi num. 22. remittens se ad id, quod dicit in l. Prætor, in princ. ff. de noui op. nunc. quem sequitur Fulgos. num. 20 dicunt, quòd quantumcumque lex pœnam aliquam specialem imponat, non propterea definit actus esse nullus secundùm dictam l. Non dubium: ad quod probandum afferunt l. Iubemus, Cod. de sacr. Eccl. vbi & ponitur pœna, & irritatur actus. Sed dato, quòd illa sit communis sententia, vt vult Sanchez, Bald. tamen ibi dicit; quòd nihil facit ad casum nostrum, quia in casu nostro secundum opinionem Castil. lex obuiat actui, potestatem administratori auferendo, dicens, *Cummodo tales ad minus 18. annum attingant*; vnde cum defectus sit in causa efficiente, prohibitio illa habet nullitatem intrinsecam; quare licèt apponatur pœna, non potest dici, quòd in hoc casu habeat locum illa sententia, quòd Quando lex apponit pœnam, non vitiat actum; nam secundum istam sententiam pœna inserta in lege non facit valere actum habentem causam nullitatis intrinsecam, defectu potestatis in administrante.

Baldus. Cynus. Felinus. Abbas. Bartolus. Fulgosius.

173. 4. Probat Sanchez quia in dicto cap. Regulæ nullum est decretum irritans; Sed sui ipsius doctrina eum iugulat Castil. ait enim ipse Sanchez 5. in dec. cap. 4. num. 20. 26. & 60. quòd non est necessarium decretum irritans, quando defectus est in causa efficiente, quia scilicet quis admittitur à non habente potestatem; & est id, quod dicit Castill.

174. 5. Probat Sanchez quia, si receptio esset nulla, maior pœna imponeretur transgressori, quam comestio panis, & aquæ tribus continuis diebus, vt ex Correct. num. 16. Sed ℞. à Castil. quòd id pendet ex benignitate legislatoris; & quòd non est parua pœnitentia, Prælatum comedere in publica communitate tribus continuis diebus panem, & aquam. Sed verius est, quòd prædicta pœnitentia non imponitur Prælatis, sed solummodò ijs, qui absque commissione aliquem receperunt ad Ordinem, & Socijs Prælatorum, qui in hoc scienter consenserunt, vt dico infra, num. 187.

175. 6. Probat Rodriquez tom. 3. q. reg. q. 17. art. 10. quia in Correct. dicitur. *Quicumque vero recepti fuerint*, &c. vt sup. num. 158. Ex quibus verbis colligitur, quod Generalis, & alij fratres possunt approbare dictam professionem, quod facere non possent, si illorum professio esset irrita, & nulla, & ad eam ratificandam esset tempus 18. annorum expectandum. Adde, quòd non dicit Correctorium, quòd illorum receptio ratificetur, nam ratificare, est inualidum, & irritum ratum facere, sed acceptetur, & confirmetur, acceptare autem, & confirmare, est illius, quod de se valet, confirmationem à Superiore accipere. Sed dicit Castil. quòd ideo debent acceptari à Generali, quia eorum professio fuit nulla, defectu potestatis in acceptãte.

Rodriq.

176. 7. Prob. ex quadam declar. sacræ Congreg. Concil. quæ sub hac forma proponitur. *Sed quid, si ex instituto alicuius Regulæ, non possit fieri professio ante 18. annum, vt sunt Fratres de S. Francisco de Paula, an sit eorum professio nulla, si eam emiserint post tempus Concilij, sed ante tempus in eorum Regula statutum, siquidem ex verbis Regulæ non annullatur talis actus professionis, sed tantùm imponitur pœna eum reijciendi, & eget confirmatione Superioris. Censuit Congregatio, professionem teneri; arg. cap. Ad Apostolicam, de reg.* Sed respondet Castil. illos Eminentiss. Dominos respondisse iuridicè, quia ex verbis propositis non est vnde inferatur nullitas actus; at est falsum dicere, quòd talis professio solùm indigeat confirmatione Superioris.

177. 8. Probat Miranda tom. 1. man. q. 24. art. 2. concl. 2. ex Trid. sess. 25. de reg. cap. 15. vbi vniuersaliter reuocantur omnia iura, tum concedentia posse fieri professionem ante annum 16. tum vetantia, non posse fieri nisi in anno 18. quo pacto censet, per Concilium abrogari cap. Quia in insulis, de reg. sicut enim Concilium non abrogat expresse iura, concedentia fieri posse professionem ante 16. annum, & tamen ea secundùm omnium opinionem censentur abrogata, ita etiam debent censeri abrogata alia iura vetantia, non posse fieri nisi in ætate 18. annorum; lex enim conciliaris, & vniuersalis, eo ipso quòd est stabilita, omnia contraria derogat, absque expressa derogatione, alioquin esset superflua. Sed ℞. à Castil. Concilium circa ætatem profitendi in Ordine nostro nihil innouasse, non enim affirmatiuè dicit, professionem in illa ætate factam in omni Religione esse validam, sed solùm negatiuè statuit, quòd professio anteà facta nulla sit. Quare, si aliunde nulla sit, Concilium id non tollit; non enim sequitur, Nulla substantia, quæ non fuerit animata, erit homo, Ergo omnis substantia, quæ fuerit animata, erit homo; sic dicit Concilium, Nulla professio fiat ante 16. annum, &, si facta fuerit, sit nulla; sed non sequitur, Ergo omnis facta in illa ætate 16. annorum erit valida. Immò idem Concilium eadem sess. cap. 19. dicit, *Si qui verò Regulares tam viri, quàm mulieres sunt, qui sub arctiori regula, vel statutis viuunt, eos ab eorum instituto, & obseruantia sancta Synodus amouere non intendit.*

Miranda.

Suarez. Sanchez. Et verè Concilium circa hoc statutum nihil innouasse, censent etiam Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 3. num. 7. & 8. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 6.

178. 9. Igitur eãdem 2. sententiã probo ex decreto sacræ Congreg. Concil. de anno 1582. die 3. Nouemb. facto ad instantiam Fr. Benedicti de Benedictis Ordinis nostri Zelosi, quod sic habet: *Illustrissimi DD. In nostra Minimorum Religione iuxta Regulæ formam sancitum est, quòd qui recipiendi sunt nouitij in Religione, decimum octauum annum attingant, & statim, elapso continuo probationis anno, professionem emittant. At si inferiores Superiores de mandato Prælatorum aliquem ante prædictum tempus receperint, puniendi sunt pœna comestionis panis, & aquæ; quæ pœna Prælatos non afficit, quamuis per dictam Regulam taliter recepti non eijciantur, sed elapso probationis anno, ad professionem recipiuntur: quinimò Prælati semper ipsos recipiunt, cum ipsorum sit recipere, & approbare, si ante dictum tempus recepti fuerint, & semper fuit in vsu illos ad Ordinem retinere, & ex tribus partibus Religionis ferè omnes sic erunt professi, cum duæ partes cum dimidia omnes sint professi in sextodecimo, & decimoseptimo anno, & præfuerant, ac præsunt in Religione, & singuli ex iuuenibus, qui modo reperiuntur in Religione, tam in Italia, quam Hispania, & Gallia, eodem modo professi sunt. Quidam Prouincialis plus debito scrupulosus, animaduertens, in sua Prouincia multos bona indolis iuuenes esse ante dictum tempus à Regula determinatum professos, consuluit quendam Illustrissimum, an qui ante dictum tempus in Regula expressum, quod est 18 annorum completum, professionem emiserint, essent professi, nulla facta mentione de rationibus iam dictis, consuetudinisq; Ordinis in contrarium. Habito responso, quòd non erant professi, omnes in capitulo accersiuit, & illis notam fecit talem declarationem, referens, dictos fratres non esse professos, &, si qui essent, qui vellent egredi, licitè efficere possent. Quidam ex iuuenibus perspiciens non esse se tutum in conscientia, dubitans de tali declaratione, quæ, si esset vera, Religio destrueretur, cum, his stantibus, nullus frater esset professus, & quamuis ante prædictum tempus Regulæ professionem emiserit, post tamen tempus præfixum à sacro Concilio Trid. volens egredi, habita licentia in scriptis à R. Vicario generali Ordinis, Romam se contulit, in particulari tamen amicorum domo, dubitans accedere ad monasterium, ne à fratribus impediretur, oppetens ipsius rei declarationem, quod vt commodius efficere posset, sine habitu causam suam peragere tentauit, ne cognitus frater impediretur, quam cum ad terminum ducere non valuisset, iterum paucos post dies induit habitum, & reuersus est in Religionem. Modo dubitatur, an iste sit professus rationibus iam dictis, & eodem modo de alijs professis, & præsertim cum per quinquennium in Religione permanserit, ac omnibus professorum actibus se immiscuerit, & in Superiorum electionibus, & alij sint Superiores; &, si concederetur hoc, an quia solus in amicorum cubiculo permansit, tamquam fugitiuus sit puniendus; &, quia reliquit habitum, an sit excommunicatus; & receptus in Religione, an debeat gaudere gratijs, et immunitatibus ipsius Religionis, voceq; actiua, & passiua: et an qui egressi sunt vigore dictæ declarationis, debeant compelli ad ingressum Religionis, & ijs gratijs gaudere, &c. Dignentur Illustrissimæ DD. VV. soluere ambiguitates, & Deum supplices pro ipsis deprecabimur. Fr. Benedictus de Benedictis Ordinis Minimorum Procurator generalis. Sacra Congreg. Concilij censuit, professionem istorum esse validam, & iuuenem illum, qui reuersus est, non incidisse in pœnam apostasiæ, atq; alios, qui fuerunt dimissi, cogendos esse ad Religionem redire; die 2. Nouemb. 1582.* Hæc declaratio reddit omnino mihi certam hanc 2. sententiam, cum pro certissimo habeam, dictam Congregationem, priusquam ad dictam declarationem deuenerit, voluisse bene videre Regulam, & Correctorium, nec stetisse simpliciter relationi Zelosi; talis enim est stylus dictæ Congreg.

179. 10. Probo eãdem conclusionem ex casu simili in facto secuto in Relig. Cleric. minist. Infirm. In quorum regula pag 22. reformata, & approbata à Clem. VIII. anno 1600. die 28. Decemb. habetur, quòd nullus recipiatur ad Religionem, qui in minori sit 18. annorum ætate constitutus, nisi aliud Generali, & Consultoribus, propter aliquam euidentem vtilitatem, visum fuerit. Item ibid. pag. 24. præcipitur, quòd singulis sex mensibus dicti nouitij secretis suffragijs per examinatores, & alios Superiores approbentur, vel reijciantur. Occurrit, quòd quidam Fabritius Turbolus Neapolitanus ab annis 14. professus in dicta Religione, cum dictam professionem emisisset ante 18. annum, absq; dispensatione Generalis, & Consultorum, & absq; prædictis scrutinijs, & non in domo regulari formata, sed in hospitio, nullitatem professionis prætendebat, & restitutionem aduersùs quinquennium. Congregatio tamen Cardinalium negotijs Regularium præpositorum declarauit, dictum Fabritium non esse audiendum; quam declarationem approbauit Paulus V. per suam specialem constitutionem. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Sanctius Cicatelius, datam Romæ sub annulo Piscatoris die vltima Augusti anno 1610. Vnde constat, quòd licèt dictæ circumstantiæ videantur in dicta regula requisitæ pro forma, ea tamen forma non iudicatur essentialis, nam aliter dictus Turbolus audiri debuerat, per dicta à Sanch. 7. de matr. disp. 37. num. 22.

180. 11. Probo ex consuetudine, de qua testatus præfatus Zelosus; & dato quòd nõ fuisset introducta nisi à dicto tempore, iam ab eo vsq; nunc transierunt 48. anni, & si omnes dimittendi essent, qui professionẽ fecerunt in ætate Concilij ante ætatem Regulæ, Religio destrueretur.

181. Ad hoc arg. de consuetudine multa dicit Calili: & 1. quòd consuetudo, ad hoc vt valeat contra legem, debet esse rationabilis, & legitimè præscripta, cap. fin. de consuet. & quòd ista non sit rationabilis, probari dicit sufficienter, quia iure antiquo professio regularis in 14. ætatis anno emissa erat valida, & Concilium Trid. considerans, vires corporis in dies decrescere, & minui, rationabiliter statuit, nullã professionem fore validam, nisi 16. ætatis anno factam, ergo contra rationem erit in Religione adeò rigorosa propter votum quadragesimalis vitæ, in minori ætate, quàm Regula præscribit, profiteri. Sed negatur, quòd ista consuetudo non sit rationabilis. Nam 1. illa dicitur rationabilis consuetudo, quæ non obuiat canonicis

nonicis

nonicis institutis, nec est contra legem naturalem, vel diuinam directè, vel indirectè, vt gloss. in dicto cap. fin. ver. Rationabilis. Viuald. in candel. aur. tract. de consf. cap. 1. nu. 4. D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. corp. Nauar. de spol. cler. §. 14. num. 7. Ista autem consuetudo certum est, quòd non est contra legem naturalem, vel diuinam, nec obuiat canonicis institutis; nam ad hoc vt illis obuiaret, oporteret secundum Nauar. num. 8. quòd dicti canones resisterent ita dictæ consuetudini, vt eam declararent irrationabilem, & corruptelam, nec sufficeret, quòd illi resisterent, eam tollendo, vel iubendo ne induceretur. Quinimò nostra consuetudo est conformis dictis canonibus, nimirum Trid. Si dicas, quòd obuiat Regulæ confirmatæ à conditore canonum. 1. ex dictis, & contextu Regulæ constat, quòd non. Deinde non obuiat, sed deuiat ab obseruantia Regulæ, quòd non est valde diuersum, vnde potiùs dicenda est desuetudo, qua non vtimur lege, quàm consuetudo, qua facimus contra legem, vt bene Viuald. loc. cit. cap. 5. num. 5. ver. Vel quarto. 3. Dico, quòd neq; etiam deuiat à Regula, sed declarat Regulam post Trid. non obligare, nisi ad terminos illius; & conformare Regulam cum Concilio generali tantæ auctoritatis, valde rationabile est. Et quòd consuetudo habeat vim declarandi regulam, docet D. Thom. loc. cit. Nec solùm habet consuetudo vim declarandi leges humanas, sed etiam naturales, & diuinas, vt Viuald. loc. cit. cap. 5. num. 2. & habet vim derogandi iuri canonico, & Regulæ, abstrahendo à votis, vt dicunt multitudo DD. cum Viuald. loc. cit. cap. 5. num. 1. Immò excusat consuetudo ab obseruantia præcepti naturalis, & diuini, V. G. à præcepto correctionis fraternæ, vt probat Rochus Curtius in cap. Cum tanto, de consuet. sect. 1. num. 7. tract. de stat. tom. 2. tract. 2. Ad id, quod dicit Castil. hanc consuetudinē non esse rationabilem, quia Concilium considerans, vires hominis decrescere, &c. dico in primis, quòd non est ita sensibilis defectus naturæ post diluuium, vt debeat obligare generale Concilium ad augendum tempus professionis, si enim viuebant ab eo tempore homines centum annos, & nunc per idem spatium multi viuunt, & si Dauid dixit, quòd ætas hominis erant 70. anni, & quando plus 80. hic Genuæ octogenarij sudore manuum baiulando viuunt, & multi in ea ætate nubunt, & filios generant. Deinde non eo fine illam legem protulit Concilium, sed vt cum perfectiori deliberatione fieret professio, vt dicit Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 3. num. 7. Ad quod etiam perspexit, quando præcepit, vt renunciatio non fieret à nouitio nisi intra duos menses ante professionem, & cum licentia Episcopi, vel illius Vicarij, vt ait Sanch. 7. in dec. cap. 5. num. 64. Deinde rationabilitas huius consuetudinis constat. Tum quia in ea ætate sunt iuuenes aptiores ad vacandum studijs dialecticæ, & philosophiæ, vt experientia constat, & dicit Sylu. ver. Religio 3. q. 2. vers. finem. Tum quia, cum sint teneriores, facilius est, eos assuefacere disciplinæ, & austeritati Religionis, eosq; quocunq; voluerit duces, & reduces. Tum quia in ea ætate nondum eos deprauauit mundus, nec mundanas delicias adhuc gustauere. Nec per hoc, quod dicimus, hanc consuetudinem esse rationabilem, dicimus legem contrarium inferentem esse irrationabilem, quoniam licet vno, & eodem respectu non possint esse duo contraria rationabilia, possunt tamen diuersis respectibus esse talia, vt dicit Nauar. de spol. cler. §. 14. num. 8. lex enim illam ætatem iubendo, considerauit ætatem fortiorem pro supportanda austeritate Regulæ, consuetudo considerauit, quòd tenerior ætas erat facilior ad assuescendum austeritati Regulæ; vterq; respectus est rationabilis; consuetudo tamen præualuit legi, vnde validè, legitimè, & absq; scrupulo seruatur. Et videri potest pro rationabilitate huius consuetudinis R. Curtius loc. cit. sect. 1. à num. 23. vbi diffusè probat nostrum intentum.

Viuald.
Nauarrus
D. Thomas
R. Curtius.
Suarez.
Syluester.

182. 2. Probat Castil. quod hæc consuetudo non sit legitime præscripta. Quia, vt aliqua consuetudo præscribat contra legem Ecclesiasticam receptam, necessarium est, quòd sine interruptione per spatium 40. annorum duret; quod tamen non [illegible] nenitur in hoc casu; nam ante Trid. credendum est, omnes secundùm Regulam fuisse professos, & in cap. generali Genuæ 4. [illegible] cautum est, vt recipiendi ad habitum saltem 17. annum haberent, & est intelligendum expletum, vt attingat 18. secundùm Regulam, quia contra illam cap. generale nihil determinare poterat; & in cap. generali Val. 5. anno 1593. num. 13. cautum est, vt nullus ad habitum recipiatur, nisi ad minus 18. annum attingat secundùm Regulam. Vnde consuetudo non potuit esse præscripta, cum fuerit interrupta. Sed dico 1. quòd licèt consuetudo, quæ nouam obligationem inducit, debeat esse præscripta, & legitima, quia æquiparatur legi, de cuius essentia est, vt sit iusta, & de hac loquitur dictum cap. fin. de consuet. & cap. Ecclesiarum, d. t. consuetudo tamen, quæ legis vim, & obligationem tollit, non oportet, quòd sit præscripta, sed satis est, si sit per aliquos actus inducta, & obseruata, ita vt ad notitiam maiorum perueneris, qui, cum eam sciant, & minimè contradicant, cum commodè, si vellent, & contradicere, & præuaricatores punire possent, præsumendum est, quòd legis rigorem velint temperare. Ita Angles in flor. p. 2. tract. de ieiun. q. 5. pag. mihi 458. Viual. in candel. aur. tract. de consuet. cap. 5. num. 3. vbi autem ad notitiam maiorum hæc consuetudo non peruenerit, putat Angles, quòd ante legis acceptationem ad illi derogandum decennium sufficit, post illius acceptationem maius quidem tempus requiritur arbitrio prudentum, sed non 40. annorum. Diana var. tract. 10. resol. 4. & 7. ait, quòd ad hoc vt lex non obliget satis est quod illi repugnetur per actus contrarios in sufficienti numero arbitrio prudentum, neceest necesse expectare tempus 10. annorum, & hoc etiamsi princeps nesciat. Videantur Gutier. de leg. accept. lib. 1. can. q. cap. 8. num. 3. & 10. Couarr. lib. 2. var. cap. 16. num. 6. Panormitan. in cap. 1. de treug. & pace, num. 4. Suar. lib. 4. de leg. cap. 16. à num. 5. Portel in dub. reg. ver. Lex, num. 11. & in

Valentia.
Angles.
Viualdus.
Diana.
Gutier.
Couarruu.
Panormit.
Suarez.
Portel.

& in addit. ver. Abbatissa vidua. Sed esto quòd esset necessarium consuetudinem debere esse præscriptam, Dico 2. constare ex declaratione Congreg. de qua num. 178. restante Procuratore generali, quòd anno 1582. iam erat introducta ista consuetudo; & licèt deinde facta sint illa statuta Genuæ, & Valentiæ, ea tamen nunquam fuerunt acceptata, neq; vsu posita, vnde non obligant, neq; consuetudinem interrumpunt, cum sint nullius valoris. Ad id, quod dicis, credendum esse, quòd ante Concilium omnes profiterentur secundùm Regulam, non valet; nam ea, quæ consistunt in facto, credi non debent, sed probari, L. In bello §. Captæ, ff. de capt. & postlim. reuer. alioqui ijs Iurisconsultus non responderet, L. Vt responsum, Cod. de transf. Nauar. in man. cap. 27. num. 250. ver. Quintò dico.

Nauarrus

183. 3. Denique ait Castil. hanc non posse esse consuetudinem, sed corruptelam, & irrationabilem vsum, qui præscribere non potest: & dato gratis, quòd esset rationabilis, non posset præscribere, nisi tacita ad minus voluntate Pontificis. Quia subditi frequentia suorum actuum non possunt superioris legem tollere, absq; saltem dicta tacita voluntate illius. Et tandem contra legem munitam decreto irritante, qualis est ista, non seruata forma, non valet introduci consuetudo, & hoc etiamsi tale decretum solum virtualiter in lege contineatur, vt docent Nauar. de spol. cler. §. 14. num. 2. Viual. loc. cit. cap. 5. num. 16. Abbas in cap. fin. num. 11. de consuet.

Abbas.
Vinal.

Sed iam constat, quòd ista consuetudo non est irrationabilis, nec consequenter corruptela. Ad id, quod dicit, quòd non potest præscribere sine tacita voluntate Pontificis, iam dixi, quòd non est necesse, vt sit præscripta, sed esto talis debeat esse, semper supponitur de voluntate Pontificis, quando lex per non vsum abrogatur. Vnde Greg. XIV. approbando Regulam, & constitutiones, approbat eas, quatenus sunt in vsu; in quo supponit, quòd per non vsum, seu contrarium vsum abrogari possint. Ad id quod dicit, quòd subditi per actus contrarios non possunt Superioris legem tollere sine tacita saltem ipsius Superioris voluntate, videtur Castil. in hoc sequi sententiam Soti lib. 1. de iust. quæst. 7. art. 2. quam refert Viuald. in tract. de consuet. cap. 5. num. 7. vbi ait. Quando autem dicimus, dissimulationem Prælati in causa esse, vt consuetudo lex fiat, intelligitur de illo Prælato, qui est legislator; nam etsi Prætor in Vrbe, vel Prælatus conuentus, vel prouinciæ dissimulent legum transgressiones, eiusmodi consuetudo nunquam vires legis consequitur, quia non est signum voluntatis supremi Prælati. Per quam doctrinam, si esset vera, sequeretur, quòd contra regulas nnnquam posset introduci consuetudo, quia legislatores mortui sunt. At dices; eo casu succedit Papa, qui est supremus Prælatus Religionum. Sed hic non potest esse in omni loco, neq; potest videre res Religiosorum. Deinde omnes leges canonicæ factæ sunt à Papa, vel eius auctoritate à Concilijs, & tamen consuetudine possunt abrogari, & multæ abrogatæ sunt cum sola scientia, & tolerantia Episcoporum,

Sotus.

qui sunt Prælati ordinarij, & immediati, vt per eas discurrens docet Viual. loc. cit. Ergo similiter poterit abrogari aliqua constitutio regularis cum sola scientia, & tolerantia Prælatorum ordinariorum, & immediatorum, qui sunt legum custodes. Id tamen non puto sufficere ad abrogandum aliquod statutum Regulæ, sed requiri scientiam, & tolerantiam saltem capituli generalis, in quo est potestas statuta condendi, antiqua abolendi, & Regulam declarandi. Et hoc puto voluisse Sotum. Ad id denique quod dicitur, contra legem habentem saltem virtualiter decretum irritans, non posse introduci consuetudinem, Dico, quòd in casu nostro nec est expressè, neq; virtualiter tale decretum. Legat itaq; quæso P. Castil. circa hoc punctum de consuet. Nauarr. in man. cap. 22. num. 60. & Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 69. art. 2. ibi. Ex quibus constat, quòd non est, cur scrupulis angatur.

Nauarrus
Rodriquez

184. Ad ea, quæ in contrarium sunt adducta. Et 1. ad supposita Castilli num. 160. primum, & secundum suppositum facilè concedo, & tertium etiam, si loquamur de forma substantiali. At hic punctus in Regula, quòd non recipiantur nouitij ante 18. annum, stante consuetudine, & decreto Congreg. non est substantialis. Nam tunc solum censetur substantialis, quando lex formam constituens addit actum aliter fieri non posse, vt probat Suarez lib. 5. de legib. cap. 32. num. 10. & 11. Vide Rodericum in resol. resol. 1. nu. 28. Vt constat ex dictis, & clariùs constabit ex dicendis.

Suarez.
Rodericus

185. Ad 1. arg. Nauarr. ea dicta illa facilitate, qua dicuntur, negantur; non enim credo DD. quantacunq; doctrina, & auctoritate polleant, si sine fundamento loquantur: quod ante me docuerunt Lupus in cap. Per vestras, de donat. int. vir. & vxo. not. 3. §. 20. num. 12. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 44. num. 2. Roman. sing. 651. Ioan. de Capistran. in spec. conf. num. 17. Archid. in cap. Nolite timere, 11. q. 3. num. 5. & cap. Ego solis, d. 9. cap. Relatum, d. 37. cap. Sanctum est, iuxta finem, de consecr. d. 4. Molf. tom. 1. sum. tract. 7 cap. 15. nu. 98. & habetur in §. Consideremus, auth. de triente, & semis.

Lupus.
Sanchez.
Romanus.
Capistran.
Archidia.
Molfesius.

186. Ad 2. Ad primam rationem constabit ex dicendis infra, num. 188. Ad 2. nego, quòd ista lex plus respiciat vtilitatem publicam, quam priuatam. Sed dato, dico, quòd non nititur valor talis professionis in renunciatione talis ætatis, sed in consuetudine legitimè præscripta, & in declaratione sacræ Congregationis. Ad 3. Concilium annullat solum professionem factam ante annum 16. completum, quæ est legitima ætas, per illud stabilita. Ad 4. constabit ex dicendis nu. 187.

187. Ad 3. & 4. R. propositiones maiores eorum esse veras, falsas verò minores. Tum quòd hic punctus non est essentialis in Regula; Tum quòd dictæ minores nituntur falsa intelligentia statuti Correctorij, vt constabit ex num. sequ.

188. Ad 5. Igitur, quod petit explicationem illius tex. Correct. ex cuius intelligentia pendet tota ista controuersia, R. tex. illum Correct. non loqui de receptione ad professionem, sed solum de receptione ad habitum

noui-

nouitiorum; est enim ibi titulus, *De receptione nouitiorum, & à quibus fieri debeat*: qui titulus respondet cap. 2. Regulæ, cui præfigitur titulus. *De cunctis ad hunc Ordinem recipiendis.* Cum ergo legislator in Regula loc. cit. deputauerit eos, per quos ad habitum erant recipiendi, qui Ordinem nostrum ingredi optarent, volens in Correct. vt solet, pœnitentiam imponere his, qui non comprehensi in dicto cap. 2. Regulæ, auderent aliquem ad Ordinem recipere, ait, *Si quis offendens contra formam descriptam in 2. cap. Regulæ huius Ordinis*, &c. quæ verba videntur mihi clariora sole; qui enim sunt comprehensi in dicto cap. 2. Regulæ, iam habent super hoc commissionem, vel à Regula ipsa, vel à Prælato ipso auctoritate Regulæ durante. Ergo oportet, quòd loquatur de his, qui non comprehensi in dicto 2. cap. Regulæ. Nec facit in hoc difficultatem particula illa, Scienter. Nam dupliciter potest quis aliquem ad habitum recipere non habens auctoritatem. 1. bona fide, putans ob aliquam prærogatiuam, talem se habere facultatem, vt si quis esset delegatus à Prouinciali ad aliquam determinatam causam, & per verba generalia in dictis patentibus inclusa, putaret, sibi hanc facultatem esse concessam, 2. mala fide, & temerario ausu: hos punit Regula tanquam scienter sibi aliorum auctoritatem vsurpantes; illos non punit; sed cum receptio fuerit nulla, approbanda relinquitur Prælatis Ordinis. Et quia legislator in dicto 2. cap. Regulæ, num. 2. dederat auctoritatem Prælatis, vt ad explendum munus recipiendi fratres ad Ordinem, possent deputare, & substituere aliquos fratres idoneos, volens in Correct. punire dictos fratres deputatos, & substitutos, qui ante annum 18. inceptum aliquem ad habitum nouitiorum reciperent, ait, connectendo priora verba cum seqq. *Vel ante tempus præfixum in eodem 2. cap. tribus continuis diebus comedat panem, & aquam dumtaxat.* Quasi dicat. Hac pœna puniendi veniunt tam qui scienter sine auctoritate aliquem ad Ordinem recipiunt, quam qui cum legitima auctoritate ante dictum tempus recipiunt: Et sequitur Correct. *Pari pœna plectantur Socij Prælatorum huiusmodi in hoc ipso scienter consentientes.* Cum statim daturus esset legislator facultatem Socijs Prælatorum, vt vnà cum ipsis ad Religionem transeuntes reciperent; volensq. dictos Socios punire, si transgrederentur, ne cogeretur dictam pœnitentiam bis in eod. cap. repetere, ait, *Pari pœnitentia*, &c. Sed quia poterat dici, Pater sanctissime, Verum est, quòd isti, qui receperunt absq; auctoritate nouitios ad Religionem, transgressores fuerunt vestræ Regulæ, & ideo meritò puniri; sed, cum receptio defectu potestatis sit nulla, recepti bona fide zelo sanctioris vitæ, & amore vestram Regulam seruandi eijcientur? Ad hoc respondet; *Ad ipsos verò superiores Prælatos, & eorum Socios talium recipiendorum deliberatio spectabit.* Quasi dicat. An hi, qui absq; legitima facultate habitum sumpsere, sint recipiendi, seu retinendi in Religione, committo superioribus Prælatis, & eorum respectiuè Socijs. An autem isti Socij, qui debent deliberare, num dicti nouitij sint retinendi, necne, possint esse illi, qui consenserunt scienter inualidæ receptioni, puto quòd non, sed ea deliberatio illo casu est facienda cum reliquis Socijs; vel, si omnes consenserunt, debent assumi alij Socij alterius Prælati, seu Correctoris, vt colligitur ex dicto tex. Correct. ibi. *Cui autem Vigili.* Et an nouitiatus illorum debeat incipere à die, quo habitum sumpsere, vel à die, quo fuit illorum assumptio à Superiore approbata, Dic vt sup. num. 23. Pergit deinde legislator, dicens, *Vbi autem aliquis subditus*, &c. Cum in num. 2. Regulæ dederit facultatem Superioribus ordinarijs substituendi aliquem idoneum fratrem ad receptionem nouitiorum, hic pariter eàdem auctoritatem confirmat, in casu, quo aliquis fuisset receptus à non habente facultatem, vel contra formam ibi datam; Et addit, quòd hoc casu substitutus ad deliberandum, an talis nouitius debeat retineri in Religione, vel expelli, tenetur adhibere, & obtinere consensum Correctoris, & Seniorum conuentus, in quo nouitius facit nouitiatum. Et quoniam in dicto cap. 2. Regulæ habent auctoritatem recipiendi nouitios Prouinciales, & Vigiles, vel eorum substituti, & cum isti sint capita prouinciarum, & nationum, poterat dubitari, à quonam essent approbandi, qui à talibus fuerant recepti contra formam datam in dicto num. 2. non enim videbatur æquum, quòd approbarentur à Prælato, qui peccauerat, ideo subdit. *Quicumq; verò recepti fuerint contra supradictam formam*, &c. Et quia in eodem num. 2. eadem potestas recipiendi nouitios data fuit Generali, dubitari etiam poterat, à quibusnam essent approbandi nouitij, qui à dicto Generali ante tempus præfixum fuissent ad Ordinem recepti, & eadem dubitatio fieri poterat de receptis à substitutis cum consensu Correctoris localis, vel à solo ipso Correctore locali, putante se ad id habere facultatem, ideo subdit. *Cuiq; autem Vigili*, &c. Et vult dicere, quòd recepti à Generali, vel Correctore, debent approbari à Prouincialibus, & Vigilibus. Et concludit, quòd ad dictos Prælatos respectiuè pertinet approbare, & confirmare receptionem nouitiorum factam contra formam in dicto num. 2. Regulæ. Constat ergo, quòd nullum verbum reperitur in dicto tex. Correct. ex quo possit colligi, quòd loquatur de professione nouitiorum, sed semper loquitur de receptione ad Ordinem, eo modo, quo locutus de ea fuerat in dicto num. 2. Regulæ. Et quòd ista expositio sit germana, patet. Tum quia in num. 3. Regulæ quando agitur de receptione ad professionem, id asseritur eisdem verbis. Tum quia, vt constat ex dicto num. 2. receptio nouitiorum ad professionem debet fieri à Prælatis, habito bono testimonio fratrum. At in explicato tex. Correct. nec verbum quidem dicitur de isto testimonio. Ergo concludo, quòd in dicto tex. nullo modo loquitur legislator de admissione ad professionem, sed de admissione ad habitum. Poterunt ergo Prælati generales eijcere, & retinere, qui contra dictam formam fuerunt à Prouincialibus admissi, & Prouin-

ciales poterunt eijcere, & admittere, qui fuerunt recepti contra eandem formam à Generali, vel Correctore. Circa autem electionem, aut approbationem eorum, qui iam professi sunt, nihil determinat legislator, nec inualidat eorum professionem, vnde iuri communi standum est. Cum ergo ius Concilij Trid. admittat tamquam validas professiones factas in ætate completa 16. annorum, eam ætatem sufficere ad profitendum validè in nostra Religione, etiam de mente B. P. dicendum est. Immò suspicor quòd, cum legislator in dicto num. 16. Correct. nullam pœnam imponat superioribus Prælatis admittentibus aliquem ad Ordinem contra formam dicti num. 2. Regulæ, nisi quòd approbatio receptorum ab ipsis alteri Superiori reseruetur, si ipsi ante dispensationem cum legitima causa factam, & cum debitis consensibus Sociorum, dictos nouitios receperint, videtur quòd dispositioni Prælatorum relinquat super dicta ætate 18. annorum dispensare, quod tamen non vult relinquere dispositioni aliorum, ab ipsis Prælatis substitutorum, & ideo istis imponit pœnam comestionis panis, & aquæ. Et per hæc patet ad c. 2. & 3. confirm. Ad 4. illud cap. celebratum est vndecim annis post Concil. Trid. non immediatè post, vt affirmat Castil. & in eo solum requiritur ætas 17. annorum. Cum autem non determinet, an debeant esse impleti, sufficit, quòd sint incœpti; & potest esse, quòd voluerit capitulum se conformare Trid. Et quando in fine illius dicitur, quòd si non habeant dictas conditiones poterunt, à Religione eijci, præsertim si post eorum professionem contrarium fuerit inuentum; hanc clausulam non intelligo de omnibus conditionibus in eo enumeratis; nam in eo sunt aliquæ, quibus licèt careat professus, non potest expelli, vt si sit claudus, cæcus, &c. Sed intelligo, si habeat aliquam conditionem, quæ aliàs professionem irritet, vt si habeat infirmitatem incurabilem, à Iudæis relapsis ortum ducat, &c. Capitulum Val. punit solùm Superiores contrarium facientes, factum tamen non irritat. Sed non est vsu receptum.

Syluester. D. Anton. Nauarrus. Sanchez. Miranda. Barbosa. Azor.

189. Ad 6. dic, quòd cap. Quia in insulis, est consuetudine abrogatum vsq; à tempore Ioan. Andr. & multò ante. Ita Syluester ver. Religio 3. q. 2. ver. Fallit. D. Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 3. in fine princip. Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 33. num. 2. Sanch. 5. in dec. cap. 4. num. 3. Miranda tom. 1. man. q. 24. art. 2. conclus. 2. Barb. in dicto cap. Quia in insulis, num. 2. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 7. Sed esto, quòd non esset abrogatum, & quòd nunc esset in viridi obseruantia, professionem tamen factam contra illius dispositionem non annullaret; quia in eo cap. nullum est verbum reddens nullam professionem antea factam; ergo facta tenet, cap. Ad Apostolicam, de reg. Ita Sanch. loc. cit. Suarez tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 3. num. 7. Sylu. loc. cit. q. 4. Abb. in cap. Quia in insulis, num. 4. Rosel. ver. Nouitius, num. 10. Ang. eod. nu. 3. Armil. num. 4. Tab. num. 3.

Suarez. Abbas. Rosella. Angelus. Armilla. Tabiena.

190. Ad 7. n. 1. à Glosta in dicta reg. Quæ contra ius, quòd dicta iura, habent locum in ijs, quæ habent perpetuam prohibitionem; secùs in his, quæ temporalem. 2. quòd ea iura habent verum, si alio iure non tolerentur; at in casu nostro licèt prohiberet Regula professionem, quia tamen ipsa professio sustinetur, & cap. Ad Apostolicam, de reg. & iure Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de reg. professio esset valida. Atq; ita ... ad dicta iura à Passar. in cærem. Minim. not. 8. Sylu. Angel. Rosell. loc. cit. & alijs.

§. 7. *De auctoritate tum temporali, tum spirituali, quam habent Prælati regulares super nouitijs.*

191. ICO 1. Nouitij gaudent priuilegio fori, ac proinde conueniri non possunt coram iudice seculari, nec pro ciuilibus, nec pro criminalibus causis. Ita Sanch. 6. in cap. dec. 10. num. 10. qui turbam DD. citat. Farin. par. 1. prax. crim. tit. de inquis. q. 8. num 46. Nauarr. lib. 2. cons. de for. comp. cons. 5. num. 1. & 2. Mol. tract. 2. de iust. disp. 671. num. 2. Graff. tom. 1. cons. lib. 3. de vo. cons. 8. num. 12. Portel in dub. reg. ver. Nouitij absol. num. 35. Campanil. in di... rub. 12. cap. 4. num. 27. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 3. q. 2. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 11. num. 12. Prob. quia Nouitius est pars Religionis, quamuis imperfecta, vnde qui ipsum offendit, perinde puniendus est, ac si Religiosum offendisset, incurrit enim excommunicationem cap. Si quis suadente, 17. q. 4. Ita in cap. Religioso, de sent. excom. in 6. & dicit Camp. loc. cit. num. 26. vnde, cum contrariorum eadem debeat esse disciplina, l. 1. ff de his, qui sunt sui, vel al. iur. si ipse aliquem offendat, debet à iudice Ecclesiastico puniri, sicut alij Religiosi.

Sanchez. Farinacius. Nauarrus. Molina. Graffius. Portel. Campanil. Azor. Suarez.

192. Dico 2. Si nouitius velit permanere in Religione, & fratres velint eum tenere (licèt melius esset expellere, & brachio seculari relinquere) de quibuscunq; ab eo commissis delictis, etiam homicidij voluntarij, puniri debet à Prælato regulari. Ita Nauarr. lib. 2. cons. de for. comp. cons. 6. num. 4. Sanch. loc. cit. num. 11. Azor loc. cit. cap. 2. q. 11. Rodriq; tom. 2. q. reg. q. 2. art. 10. Vech. de nou. disp. 11. dub. 11. n. 2. Bonac. de leg. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. num. 27. ver. Alij verò. Nald. in sum. ver. Nouitius, num. 3. Coriol. de cas. reser. par. 1. cas. 10. num. 6. A S. Faust. lib. 5. thes. q. 207. Bariol. in aphor. lit. N. ver. Nouitij delinq. Portel. in dub. reg. ver. Prælatus, n. 9. ver. Non obstante. Vide Dianam to. 3. tract. 1. resol. 34. Prob. quia, cum gaudeant priuilegijs Religionis, & Religiosi professi communiter exempti sint, non solùm à iurisdictione iudicis secularis, sed etiam Ecclesiastici, ab eisdem iurisdictionibus erunt exempti nouitij.

Nauarrus. Corduba. Rodriq. Vechius. Bonacina. Naldus. Coriol. A S. Fausto. Bariola. Dianam.

193. Noto 1. quòd si nouitius, vulnerato, vel occiso aliquo Religioso, vel alio graui commisso delicto, à Religione aufugiat, cum tunc secularis censeatur, à iudice seculari pu...

nir...

alij debet. Ita Farin. loc. cit. Sanch. cit. nu. 14. Vech. num. 6.

194. Noto 2. quòd pro delictis, quæ mortem non merentur, potest puniri nouitius, etiamsi à Religione egredi velit, V. G. si professum, vel nouitium verberasset, aut vulnerasset, furtum aliquod commisisset, adulterium, aut aliquod aliud simile delictum perpetrasset, huiusmodi enim delicta non sufficienter puniuntur per dimissionem a Religione, ergo, cum multum intersit Reipublicæ ne delicta impunita remaneant, & probabile sit, quòd huiusmodi nouitius post egressum de tali delicto non punietur, poterit à Prælato regulari etiam inuitè puniri, & incarcerari antequam dimittatur. Ita Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. num. 18. Graff. tom. 1. cons. lib. 3. de vo. cons. 8. num. 8. Nec hoc est impedire libertatem nouitij ad exeundum, prout decernitur in cap. Statuimus, de reg. & cap. Non solum, eod. tit. in 6. nam ea capita non loquuntur in isto casu, in quo nouitius ratione delicti factus est subditus suo Prælato. l. 1. Cod. vbi de crim. agi op. cap. 1. iuncta Glossa de rapt.

Suarez. Graffius.

195. Noto 3. quòd nouitius, si delictum exigat, potest à Prælato regulari torqueri vt professus, iuxta cap. Cum in contemplatione, de reg. iur. ad veritatem eruendam, id enim consequitur ad officium iudicis. Ita Suarez loc. cit. Sanch. cit. num. 12. Vech. cit. num. 3. Nauar. cit. cons. 5. num. 3. Rodriq. loc. cit. torquendus autem erit per clericum, vel Religiosum, non per secularem. Nauar. Rodriq. loc. cit. ad formam cap. Vniuersitatis de sent. excom.

196. Noto 4. quòd si exigatur à nouitio debitum ciuile, exigendum est, non coram iudice Ecclesiastico, sed coram Prælato Religionis, cui quò ad vtrumq; forum subditur, Sanch. Rodriq. Azor loc. cit. Nauar. cit. cons. 6. num. 1. fine, est enim exemptus tam à seculari, quàm ab Ecclesiastico iudice, Sanchez num. 11.

197. Noto 5. quòd Prælatus potest punire etiam pœna carceris nouitium pro transgressionibus commissis contra regulam, & constitutiones. V. G. si silentium non seruauit, lineas camisias detulit, nudus dormiuit. Ita Sanch. loc. cit. num. 13. Nauar. Rodriq. loc. cit. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 11. quia supposito, quòd velit in Religione permanere, subiacet Prælatis quò ad iurisdictionem, & superioritatem. Pro hoc puncto possunt etiam citari Sylu. ver. Religio 5. q. 7. Tab. ver. Nouitius, num. 13. Rosel. eodem, num. 12. Armil. num. 18. quatenus dicunt, quod nouitij, si velint, possunt ad tempus in carcere detineri à Prælatis.

Sanchez. Nauarrus. Rodriq. Azor. Syluester. Tabiena. Rosella. Armilla.

198. Noto 6. quòd qui post commissum delictum Religionem ingreditur absq; fraude, idest ante accusationem, & inquisitionem delicti, non potest à iudice seculari à Religione extrahi, ne eincarcerari, aut aliqua pœna puniri. Ita Syln. ver. Iudex 1. q. 6. fine Couar. pract. q. cap. 32. num. 4. ver. Tertia concl. Io: And. in cap. 1. de obl. ad rat. num. 20. Vech. de nou. disp. 11. dub. 12. à num. 3. Iulius Clarus in prax. crim. lib. 5. §. fin. num. 43. & 44. Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 17. Prob. Tum quia nouitij sunt personæ Ecclesiasticæ exempti à iurisdictione seculari, & dicuntur Religiosi in cap. 1. de sta. monach. Tum quia licèt non sint verè professi, pro professis tamen habentur ad hunc effectum vitandi iurisdictionem secularem. Grat. decis. 35. num. 10. in decis. March. Anchar. in cap. Nullus, n. 3. de temp. ord. in 6. Hippol. de Marsil. singul. 534. num. 2. Tum quia est vulgaris regula, quod Potentia actui propinqua actus est, & Pro cincto habetur, qui de proximo cingendus est. Leg. penul. ff. de mil. test. Ita Marc. de Mant. singul. 103. num. 1. Quod si ingrediatur post accusationem delicti, aut inceptionem processus, potest extrahi, & puniri, non tamen pœna aliqua corporali, sed solùm pecuniaria, vt Iul. Clar. loc. cit. num. 43. Ita Ledes. de sta. Relig. in com. cap. 6. dit. 2. ver. Digo lo seguodo, pag. mihi 251. quia in fraudem præsumitur ingressus. Putant tamen Ledesma loc. cit. pag. 252. & Rodriq. tom. 3. quæst. reg. q. 10. art. 8. quòd vbi quis fecisset votum Religionis ante commissum delictum, poterit Religionem ingredi, etiam processu incœpto, & ad probandum tale votum ait Rodriq. loc. cit. in fine, quod sufficiat iuramentum illius, qui votum fecit. Vide Cened. par. 2. collect. 23. num. 1. & Dianam tract. 2. var. quæst. 26.

Syluester. Couarruu. Io: Andr. Vechius. Io: Clarus. Portel. Gratianus. Ancharanus. H. de Mar. M. de Mant. Ledesma. Rodriquez. Cenedus. Diana.

199. Dico 3. Prælatus potest dispensare, & commutare vota nouitiorum. Ita Sanch. lib. 4. in dec. cap. 39. num. 17. Henriq; lib. 7. cap. 20. num. 7. Rodriq; tom. 1. q. reg. q. 25. art. 8. Less. lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 107. A S. Faust. lib. 3. thes. q. 27. num. 2. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 20. q. 21. qui licèt id neget Prælato ratione iurisdictionis, tamen concedit ratione priuilegiorum. Sa ver. Religio, num. 4. Molf. 1. par. sum. tract. 11. cap. 15. num. 129. Prob. Tum quia Prælatus habet iurisdictionem spiritualem in nouitios, propter quam est exemptus à iurisdictione Episcopi. Tum quia fruitur priuilegijs Religionis, vt dicunt Sanch. num. 23. Cruz de stat. Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 10. concl. 2. Bonac. de leg. disp. 4. q. 2. par. 7. §. 4. nu. 27. Chochier de exempt. p. 1. q. 19. à num. 7.

Sanchez. Henriq. Rodriq. Lessius. A S. Faust. Azor. Sa. Molfesius. Cruz. Bonacina. Chokier.

200. Noto 1. quòd non possunt dicti Prælati vota nouitiorum irritare, quia non sunt adhuc illis traditi per obedientiæ votum. Ita Rodriq. loc. cit. Nauar. in man. cap. 12. nu. 65. Nald. in sum. ver. Nouitius, num. 5. Azor loc. cit. cap. 17. q. 20. A S. Faust. lib. 2. thes. q. 177. Molf. loc. cit. num. 75. Less. loc. cit. num. 77. Portel in dub. reg. ver. Votum, num. 18. & in addit. num. 70. Sanch. 4. in dec. cap. 33. nu. 28. qui num. 32. ait, quòd Superior potest vota personalia impedientia executionem exercitiorum nouitiatus suspendere; & num. 37. ait, quòd sunt suspensa ipso iure; quod etiam dixit Graff. tom. 1. cons. lib. 3. de vo. cons. 8. n. 9. 13. & 19. & Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 11. num. 9.

Nauarrus. Naldus. Graffius. Suarez.

201. Dico 4. Possunt Prælati regulares reseruare sibi casus pro nouitijs. Ita Cord. in q. theol. q. 30. Cruz loc. cit. cap. 6. dub. 10. Vech. de nou. disp. 9. dub. 26. num. 2. Hæc conclusio post viuæ vocis oraculum Pauli V. quod refero tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. nu. 9. est sine controuersia, anteà multi negabant,

Corduba. Cruz. Vechius.

vt Graff. in appen. ad suas decis. lib. 1. cap. 6. num. 60. Azor par. 1. lib. 12. cap. 2. q. 10. ver. Hinc peodet. Rodriq; tom. 1. q. reg. q. 21. art. 11. Mir. tom. 2. man. q. 34. art. 16.

Rodriquez. Miranda.

202. Noto 1. quòd nouitij non possunt confiteri nisi confessario sibi à Superiore assignato, etiamsi alter, cui confiteri vellent, esset approbatus ab Ordinario loci. Ita Cord. loc. cit. Vecb. cit. dub. 3. num. 1. Vega 2. par. sum. cap. 39. cas. 6. Llam. 1. par. met. cap. 7. §. 2. & cap. 5. §. 7. in fine. Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 17. num. 14. Prob. Tum quia nouitius per Religionis ingressum mutauit omnino domicilium, & nouum pastorem spiritualem, priori relicto, acquisiuit, vnde illi parere debet quò ad sacramenta. Tum quia ratione probationis acquisiuit Prælatus Religionis ius plenum super nouitium quò ad illa omnia, quæ sunt necessaria pro recta gubernatione illius, & pro recto exercitio dicti nouitiatus, inter quæ est hoc vnum. Et hic punctus non videtur modò habere ampliùs difficultatem, quia Clem VIII. in suis const. pro nouit. §. 95. tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. præcipit, vt soli magistri nouitiorum confessiones eorum audiant, *Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaueris, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorundem nouitiorum confessiones audire.* Contrarium autem docet Molf. 1. par. sum. tract. 7. de pœnit. cap. 14. num. 81. A quibus autem casibus, & quomodo possint absolui nouitij, vide tom. 1. priu in const. 2. Iul. II. à num. 30. & Vech. de nou. disp. 9. dub. 5. Reginald. in prax. lib. 8. num. 58. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 3. q. 9. Bonac. de pœnit. q. 7. par. 4. §. 1. num. 28. & de leg. disp. 4. q. 2. par. 7. §. 4. num. 28. Portel in dub. reg. ver. Nouitij absolutio, à num. 32. Rodriq; tom. 1. q. reg. q. 20. art. 21. Nald. in sum. ver. Nouitios, num. 7. Et fac generalem regulam, quod possunt dicti nouitij absolui per Prælatos regulares ab omnibus casibus, à quibus possunt absolui professi, & hoc absq; vinculo reincidentiæ, si recedant, quò ad ea, quæ commiserunt habitu Religionis induti; nam quò ad ea, quæ commiserunt in seculo, ad reincidentiam absoluuntur, vt dixi hic sup. n. 63. & docent etiam Campanil. in diu. rub. 12. cap. 3. num. 22. Nald. in sum. ver. Reseruatio, ver. Quò ad nouitios. A S. Faust. lib. 5. thes. q. 208. licèt etiam probabilem putem opinionē Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 24. à num. 8. quod scilicet nouitij possint absolui etiam à commissis antè ingressum Religionis absq; reincidentia.

Vega. Llamas. Suarez. Molfesius. Vechinus. Reginald. Azor. Bonacina. Portel. Rodriq. Naldus. Campanil. A S. Fausto. Suarez.

203. Aduerte etiam, quòd nouitij possunt sibi eligere vnum confessarium ex approbatis à Prælato semel in vita, & in articulo mortis, qui eos absoluat ab omnibus casibus, & censuris, à quibus posset absoluere professos. Ita Suar. loc. cit. cap. 19. num. 9. qui autem sint hi casus, vide tom. 1. priu. in const. 4. Sixti IV. à num. 5. An autem virtute bullæ cruciatæ possint sibi eligere confessorem absq; licentia Superioris, dubitant DD. Affirmant Rodriq. to. 1. q. reg. q. 21. art. 11. fine; Suar. loc. cit. cap. 16. num. 16. etiam postquam Pontifices prohibuerunt professis, ne dicta bulla vti possent absq; Superioris licentia; quia, inquiunt, non sunt veri Religiosi; Cord. tamen in q. theol. q. 30. Vech. loc. cit. num. 7. negant; quibus subscribo, nam licèt non sint vere Religiosi, sunt tamen vere subditi: vnde debent, si volunt permanere in Religione, ea omnia seruare, & facere, quæ boni subditi faciunt, & ad rectum experimentum, & sui ipsorum, & Religionis conducere possunt. Quòd si alium confessarium elegerint à deputato per Prælatum, possunt secundùm Rodriq; loc. cit. hac sola de causa à Religione expelli tamquam malè dispositi ad votum obedientiæ, quod profiteri intendunt.

Corduba. Vechius.

204. An autem Prælati regulares, seu confessores ab ipsis deputati, possint absoluere nouitios à casibus bullæ cœnæ, facile posset concedi, attenta sententia, quam tenui tom. 1. priu. in const. 4. Sixti IV. num. 10. quam tenent etiam Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 21. nu. 19. & 20. Portel in dub. reg. ver. Abbas, num. 11. in addit. num. 10. vbi citat Vegam, & Sosam. Long. p. 1. art. 23. à num. 4. sect. 4. Sed illa sententia mihi reddita est aliquantò dubia post decretum sacræ Congreg. de mādato Vrb. VIII. anno 1628. die 17. Septemb. quod ponam in addit. ad priu. reg. non propter decretum ipsum, quod non loquitur de confessarijs in ordine ad Regulares, sed in ordine ad seculares: sed propter rationem ipsius. Ait enim, quòd priuilegia concedentia absolutionem à casibus bullæ cœnæ, reuocantur singulis annis, & quod talia, si quæ habebant Regulares, fuerint singulis annis reuocata, & quòd per nouas confirmationes Pontificum non reuixerunt; & licèt multa possent dici pro manutentione dictorum priuilegiorum, vt quòd solùm reuocentur singulis annis illa priuilegia, quæ non sunt specialiter concessa, seu quæ non sustentantur alio priuilegio dicente, quòd per illam reuocationem singulis annis faciendam, non intelligantur reuocari; & cum Romæ optimè sciatur, Regulares prætendere dicta priuilegia non esse reuocata, quò ad suos fratres, facillimum fuisset Congregationi addere duo verba, nimirum, Reuocata etiam censemus priuilegia specialia concessa Regularibus quò ad Regulares ipsos; quod cum non factum sit, probabile videri potest, quòd non intenderit reuocare. Tamen puto tutius abstinendum à dicta facultate, quousq. aliud declaretur ab illa sancta Sede; seu stylus Romanæ Curiæ explicatur.

Molfesius. Portel. Longus.

205. Noto 2. quòd interdicta ciuitate, licèt singuli de ciuitate sint interdicti, cap. Si sententia, §. Cum verò, de sent. excom. nouitij tamen, qui tempore interdicti erant in Religione, vel ad illam transierunt, interdicti non sunt; vnde ordines suscipere, & in sufrepe ministrare possunt, quia, vt dixi, gaudent priuilegio fori, & iam sunt liberi à potestate seculari. Ita Campanil. in diu. rub. 12. cap. 3. nu. 28. Aduertè etiam, quòd nouitij gaudent omnibus indulgentijs concessis fratribus, vt docent Casarub. in comp. priu. Mendic. ver. Nouitius, num. 22. Portel in dub. reg. ver. Nouitij absolutio, num. 35. & 53. Rodriq. tom. 3. q. reg. q. 51. art. 12. Aduerte etiam, quòd nouitij de licentia sui Superioris possunt publicè prædicare, vt docet Suar. tom. 4. de relig. tr. 3. lib. 9.

Campanil. Casarub. Portel. Rodriq.

lib. 9. cap. 1. num. 18. Tum quia nouitius in fauorabilibus venit nomine Religiosi. Tum quia fruitur Religionis priuilegijs. Et denique aduerte, quòd nouitij possunt dispensari super irregularitatibus per Prælatos, vt docent Campanil. in diu. rub. 12. cap. 3. num. 23. Henriquez lib. 7. cap. 26. §. 7. Vech. de nou. disp. 9. dub. 14. num. 3. ad reincidentiam tamen quò ad irregularitates contractas ante ingressum Religionis, & etiam quò ad irregularitates contractas post ingressum, si habeant effectum perpetuum, &c. vt bene Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 14. num. 9.

Campanil. Henriq. Vechius. Suarez.

§. 8. *De libera dispositione suorum bonorum, quam possunt facere nouitij.*

206.  VPPONO 1. quòd Religiosus professus non potest testamentum condere, quia nullum habet rerum dominium, & hoc, siuè sit intra, siuè extra Religionem. Habetur in cap. Ingredientibus, 19. q. 3. & cap. 2. de testam. Ita Azor par. 1. lib. 12. cap. 6. q. 5. Suar. tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 16. num. 1. Barb. in dicto cap. Ingredientibus, à num. 4. Sanch. 7. in dec. cap. 8. à nu. 2. potest tamen cum licentia Papæ: probat Sanch. loc. cit. nu. 5. & 45. Sed an possit aliquid donare causa mortis, dubitant DD. Negãt multi apud Sanch. loc. cit. n. 10. Ipse autẽ n. 11. affirmat posse Religiosum cum licentia Prælati, causa mortis, donare ea omnia, quæ cum dictã licẽtia viuens donare poterat. Posset item professus cũ eadem licentia scribere schedulã, in qua disponeret de suis bonis, rogando Prælatum, vt ea sic dispensaret, relinquendo tamen eum in sua libera voluntate. Quòd si Prælatus promitteret, ea se sic dispensaturum, vt scripta erant, putat Sanchez num. 18. quòd post mortem teneretur in conscientia, ratione fidelitatis, non iustitiæ, ita distribuere, nisi distribuenda essent alteri Religioso sibi etiam subdito, à quo sicut potest rem concessam auferre, ita potest non dare, & posset etiam ex rationabili causa promissa non seruare. Immo putant aliqui apud eundem num. 15. quòd nullo modo tenetur promissa seruare. Licèt autem non possit Religiosus testamentum condere, potest tamen esse testis in testamento, & in quocumq; alio instrumento, seu iudicio, vt constat ex cap. Nuper, de test. & Auth. de monac. §. Cogitandum, collat. 1. Ita Rosel. ver. Testamentum. 8. num. 13. Sylu. eod. t. q. 5. dicto. t. Armil. num. 8. G. P. q. 157. Farinac. tract. de test. q. 61. num. 126. Mol. tom. 1. de iust. disp. 127. §. Vtrum autem validum. Sanch. 6. in dec. cap. 13. num. 100. Quod aduertere libuit, quia in aliquibus partibus Regulares in testes testamentorum non admittuntur. An autem exigatur Superioris licentia ad hoc vt Religiosus possit esse testis, distinguo. Vt possit esse testis iudiciarius, requiritur, vt dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iul. II. nu. 147. non verò vt sit testis instrumentarius. Ita Farin. loc. cit. num. 128. Sanch. loc. cit. num. 106.

Azor. Suarez. Barbosa. Sanchez. Rosella. Sylvester. Armilla. G. Pape. Farinacius. Molina.

207. Suppono 2. quòd circa renunciationem bonorum factam à nouitijs, multa dixi tom. 1. priu. in const. 2. Sixti IV. & 1. num. 73. quòd renunciatio facta a nouitio ante ingressum Religionis, intuitu tamen illius, valet, & docent etiam Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 16. Confes. in priu. Mendic. tit. 13. cap. 12. & 13. A S. Faust. in thes. lib. 5. q. 183. num. 2. Rodriquez tom. 2. q. reg. q. 47. art. 8. Garc. de benef. par. 11. cap. 9. num. 25. Gratianus in decis. March. decis. 37. num. 2. & 3. Nald. in sum. ver. Religiosus, num. 1. Vech. de nou. disp. 8. dub. 8. num. 4. Contrarium tamen tenet Mir. tom. 1. man. q. 23. art. 2.

Azor. Confessiona. A S. Fausto. Rodriq. Garcia. Gratianus. Naldus. Vechius. Miranda.

208. Suppono 3. quòd nomine renunciationis, vt in loc. cit. priu. dixi, non intelligitur testamentum, neq; alia donatio causa mortis. Vnde nouitius quocumq; tempore potest testamentum condere, solemnitatibus Concilij non seruatis, quia id nullo iure prohibetur, & DD. ibi allatis adde Menoch. de præsumpt. lib. 6. præs. 84. num. 12. Nauarrus com. 2. de reg. num. 49. Azor loc. cit. & cap. 2. q. 14. Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 7. Tiraquel. de retr. Lign. §. 1. gloss. 8. num. 29. Moneta de commut. vlt. vol. cap. 5. q. 1. num. 10. A S. Faust. loc. cit. q. 188. Garc. de benef. loc. cit. num. 17. Gratianus in addit. ad dictam decis. num. 3. & 4. Vechius loc. cit. dub. 10. num. 3. Sa ver. Religio, num. 5. Lessius lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 4. num. 40. & refert Vechius ita declarasse sacram Congregationem anno 1598. 22. Ianuarij, & hoc absq; vlla Superioris licentia, vt cum multis probat Sanchez 7. in dec. cap. 3. num. 3. & cap. 6. num. 4. Hoc autem testamentum censetur confirmari professione, sicut fuisset confirmatum morte. Vnde post professionem ampliùs reuocari non potest. Syluester ver. Religio 6. q. 4. Tabiena eod. q. 40. Nauarrus com. 2. de reg. num. 53. Gutierrez lib. 2. can. q. cap. 2. à nu. 27. Molina tom. 1. de iust. disp. 140. col. 2. ver. Vtrum verò Religiosus; Rodriquez tom. 3. q. reg. q. 16. art. 3. & q. 69. art. 3. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 6. q. 5. ver. Communis tamen. Miranda tom. 1. man. q. 23. art. 10. Moneta loc. cit. num. 13. Sanchez 7. in dec. cap. 3. à num. 34. Quando autem testamentum factum à nouitio, & non reuocatum per vllam renunciationem, incipiat habere effectum, distinguit Sanchez loc. cit. nu. 55. quòd si Religio, in qua professionem fecit, est capax succedendi, non habebit effectum nisi post mortem naturalem professi. Ita dicto num. 55. Si autem est incapax, à die emissæ professionis; ita num. 68. Sed puto, quòd in quacumq; Religione habebit effectum à die emissæ professionis; quia tunc fictione iuris mundo mori censetur, & ita video seruari. Et quòd bona nouitij intestati decedentis, non monasterio, sed hæredibus naturalibus cedant, Sanchez loc. cit. nu. 92. Azor. loc. cit. cap. 3. q. 3. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 9. Tiraq. loc. cit. nu. 36. Portel in dub. reg. ver. Nouitius, num. 42.

Menoch. Nauarrus. Suarez. Tiraquel. Moneta. Gratianus. Sa. Lessius. Sanchez. Sylvester. Tabiena. Gutierrez. Molina. Rodriq. Azor. Miranda. Portel.

209. An autem Religiosus iam professus possit testamentum suum in aliqua parte dubium, simpliciter, & sincerè, ad lites vitandas, declarare, puto quòd sic; quia qui declarat, nihil de nouo addit, vt probat A. Gabr. com. op. lib. 6. tit. de reg. iur. concl. 3. nu. 1. Nam licèt iudex sententiam latam reuocare non possit,

A Gabr.

potest tamen declarare, vt multis probat idem Gabr. num. 14. & habetur in l. Hæredes palam, §. Sed si quid post, ff. de testam. & docent Moneta loc. cit. num. 14. Rodriquez tom. 3. q. reg. q. 69. art. 3. Reginal. in prax. lib. 18. n. 397. Sanch. 7. in dec. cap. 11. num. 16. Portel cit. num. 44. Vech. disp. 8. dub. 12. num. 2. Idem dic de renunciatione; quia militat eadem ratio.

Reginald.

210. Suppono 4. quòd nouitio prohibitum est facere donationem inter viuos, & alios contractus irreuocabiles magni momenti, considerata qualitate personæ, & bonorum, nam facere possunt aliquas eleemosynas de bonis proprijs, tam monasterio, quam extraneis, hoc enim illis non interdicitur in Trid. sess. 25. cap. 16. de reg. & docet Sanch. 7. in dec. cap. 5. num. 22. Garc. de benef. par 11. cap. 10. num. 17. Vech. disp. 8. dub. 7. num. 11. Rodriq. tom. 2. sum. cap. 7. num. 2. Possunt similiter facere aliquas modicas donationes gratuitas, vt ijdem DD. nec per hoc incurrunt pœnas const. Clem. VIII. de larg. mun. quia nouitij non dant de bonis monasterij, vt aduertit Filliuc. tom. 2. tract. 34. cap. 3. q. 6. num. 59. Tenet item donatio nouitij monasterio facta tempore mortis, hoc enim non est contra Concil.

Sanchez. Garcia. Vechius. Rodriq. Filliucius

211. Noto 1. quòd Religiosus professus factus Episcopus, non potest recuperare hæreditatem, quam per renunciationem factam ad formam Concil. Trid. dimisit. Tum quia, facta professione, illa renunciatio est irreuocabilis. Tum quia manens in Religione non potest eam reuocare, vt constat; ergo neq; ex eo quòd ad Episcopatum assumitur. Stat conseq; quia Religiosus factus Episcopus, non desinit esse Religiosus, & tenetur ad obseruantiam omnium essentialium Religionis, vt dixi tom. 1. huius op. q. 1. cap. 10. §. 1. Tum quia sequeretur, quòd per Episcopatum intrinsecè liberaretur à voto paupertatis, quod nemo dicet; si enim posset disponere tamquam dominus de hęreditate relicta, id sequitur apertè. Tum quia contraria opinio, quam tenet Ric. par. 2. prax. resol. 152. est excitatiua litium. Tum quia rationes, quas ad id probandum adducit, nihil releuant, 1. enim verum est, quòd renunciatio facta à nouitio, non habet effectum nisi professione secuta, vt ait Trid. sess. 25. de reg. cap. 13. & dicunt in specie Mir. tom. 1. man. q. 23. art. 6. concl. 3. & Vener. in exam. lib. 6. cap. 15. num. 22. ergo, ea secuta, iam renunciatio sortita est suum effectum, & renunciatarius factus est dominus rei renunciatæ, nec renunciatio intelligitur, renunciante manente in Religione, sed manente Religioso, nam alioquin qui propter demerita eijceretur à Religione, vel ad triremes in perpetuum damnaretur, posset suam hæreditatem repetere, quod tamen est falsum, quia ex malitia non debet quis reportare commodum; & similiter posset hæreditatem repetere, qui ad aliam transiret Religionem; quod esse falsum, constabit ex dicendis; sufficit ergo ad hoc vt renunciatio facta valeat, quòd renuncians validè profiteatur, & remaneat verè Religiosus, iuxta dicta per Sanch. lib. 7. in dec. cap. 5. nu. 55. Est etiam 2. verum, quòd cessante causa finali, & vltima, cessat effectus, vt bene Tiraq; in tract. de cess. cau. limit. 1. num. 1. Causa autem finalis renunciationis est assumptio religiosi status, locus verò communiter non est de essentia actus. At Episcopus non desinit esse Religiosus, sed solùm assumitur ad altiorem gradum. Deinde illud axioma, Cessante causa finali, &c. non habet locum vbi ius iam esset alicui quęsitum ex causæ existentia, nam licèt postea causa ipsa deficiat, ius tamen illud quęsitum retinetur, vt per Tiraquel. loc. cit. limit. 11. num. 1. Et constat ex l. Si post mortem, §. 1. & l. Non putauit, §. Sed si post mortem, ff. de bon. possess. cont. tab. Adde, quòd hoc axioma non habet locum, quando actus est iam consummatus, nam tunc casus superueniens non vitiat; & subintrat regula, Quæ semel vtiliter constituta sunt, durant, licèt casus extiterit, à quo initium habere non potuerrat; de qua in l. Non est nouum, ff. de reg. iur. & in reg. 73. Factum legitimè, de reg. iur. in 6. vt per Tiraquel. loc. cit. limit. 12. nu. 15. Quòd autem in casu nostro factum sit legitimum, constat, quia auctoritate Concilij; quòd sit consummatum, patet, quia iam renunciatarius accepit possessionem hæreditatis per professionem nouitij, quæ ciuilis mors est, & æquiparatur morti naturali. Deniq; licèt cessante causa, cesset effectus, hic tamen non cessat; cessante occasione, & causa remota, vt per Tiraq. loc. cit. limit. 13. à num. 1. & limit. 20. num. 1. Inter causam autem, & occasionem sunt plures differentiæ, 1. quia causa consistit in iure, occasio in facto. 2. occasio dicitur omne id, quod ordinatur ad aliud per se, vel per accidens; causa verò propriè dicitur id, quod ad aliud ordinatur per se. 3. occasio illa dicitur quæ non est ordinata ad effectum, de quo agitur, sed accidentaliter, & fortuito contingit; causa autem, quòd per se. 4. occasio denotat causam remotam, causa signat proximam. Ita Tiraquel. loc. cit. limit. 13. à num. 5. Cum itaq; certissimum sit, quòd renunciatio non fiat causa acquirendi Episcopatus, & quòd hic non sit causa proxima illius, nec per se vllo modo intentus, certissimum etiam est, quòd adueniente tamquam per accidens, & occasionaliter Episcopatu, non debet facere cessare renunciationem, quę principaliter per se, & proximè solùm fuit facta in gratiam religiosi status, qui retinetur; Atq; adeò hanc opinionem docent Syluester ver. Religio 4. q. 10. ibi, Ego autem dico: Rosel. ver. Religio 4. num. 13. vbi ait, quòd frater Minor, si transeat ad Episcopatum, vel aliam Religionem legitimè, non recuperat bona iam alteri quęsita, licet num. 12. in alijs Religionibus contrarium sentiat. Sed non est maior ratio quò ad hoc de sua Religione, quam de alijs, vt bene Syluester loc. cit. versùs finem; expressè Tab. ver Religio, num. 28. fine; Menochius de arb. lib. 2. cas. 436. nu. 32. licèt cons. 184. num. 24. contrarium dicere videatur; sed hic non loquitur ex propria sententia. Suarez tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 14. Nauarrus com. 4. de reg. num. 24. ver. Vndecimò; Azor par. 2. lib. 12. cap. 15. q. 3. ver. Mihi prima; Rodriquez tom. 2. quæst. reg. quæst. 79. art. 2. Sanchez 7. in dec. cap. 32. numer. 8. vbi probat, quòd vniuersa bona

Ricius. Miranda. Venerus. Sanchez. Tiraquel. Tiraquel. Syluester. Rosella. Tabiena. Menoch. Suarez. Nauarrus. Azor. Rodriq. Sanchez.

priori monasterio acquisita ratione Religiosi, remaneut omninò apud illud, siue Religiosus ad aliud Monasterium diuersi Ordinis, siue ad Episcopatum transeat, & citat pro hac opinione innumeros DD. & num. 10. ait, quòd ista conclusio intelligitur etiam de bonis expresiè donatis Monasterio tempore ingressus illius; nam licèt ea donatio tacitam in se conditionem habeat, si professio sequatur, cuius intuitu censetur facta, at, professione valida subsecuta, remanet omninò irreuocabilis, eo quòd impleta sit conditio, nec vllo iure probatur haberi tacitam perseuerantiæ in ea professione conditionem. Et expresiè nostram sententiam docet ipse Sanch. loc. cit. cap. 11. num. 6. Steph. Dur. in quæst. Iur. q. 9. Siue ergo renunciatio facta sit ad fauorem monasterij, siuè alterius personæ, siuè Religiosus transeat ad Episcopatum, siue ad aliam Religionem laxiorem, vel strictiorem cum legitima facultate, vel sine illa, semper bona donata per renunciationem donatario remanent, nec transiens ad ea vllum ius habet. Et colligitur expresiè ex Auth. de monach. §. Si verò relinquens; & ex cap. Statutum, iuncta glossa, 18. q. 1. Quod ita verum est, vt Nauar. loc. cit. ver. Tum quia videntur; Rodriq; loc. cit. ver. Ex quibus, Sanch. 7. in dec. par. 32. num. 12. existiment, quòd monialis iustè, & legitime translata, non fert secum dotem, quam priori monasterio dedit, quia hanc dotem solùm dedit cum conditione, si professionem fecerit in eo monasterio, qua facta, iam adimpleta est conditio, & dos perpetuò remanet monasterio. Hanc tamen doctrinam limita cum Suar. loc. cit. quòd si translatus ad Episcopatum non fecit renunciationem, & per consequens retinuit sibi ius ad paternam hæreditatem, hoc ius, si transferatur viuente adhuc patre, defert secum; secus verò, si pater mortuus est, nam tunc dictum ius acquisiuit monasterium capax. Vide Dianam tom. 3. tract. 2. resol. 214.

St. Durãt. *Dianam.*

212. Ex qua doctrina colligit Sanch. num. 13. quòd transiens ad aliam Religionem, præter solas vestes, de quibus supponitur tacita voluntas Superioris, nihil potest secum ferre, neq; etiam scripta à se elaborata, nisi fortè essent inutilia, neq; instrumenta alicuius artis, qua excelleret. Ita etiam Nauar. lib. 3. cons. de reg. cons. 55. num. 9. Rodriq; loc. cit. fine: & tom. 3. q. reg. q. 52. art. 27. Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 3 cap. 13. num. 9. 10. 11. & colligitur ex cap. Statutum cit.

Nauarrus. Rodriq. Suarez.

213. Sed quid? si translatus ad aliam Religionem, vel Episcopatum, habebat aliquod peculium annui redditus, sibi ex bonis patrimonialibus in renunciatione relictum, deferet ne secum dictum peculium, an cedet priori monasterio? Sanch. loc. cit. num. 14. distinguit. Si dictum peculium sibi absolutè reliquit, est prioris monasterij: si sub conditione vt monasterium debeat permittere, quòd tali peculio fruatur sub pœna caducitatis, defert secum. Aufrer. addit. ad capel. Tolos. q. 29. fine. Specul. lib. 4. tit. de stat. monach. num. 29. aiunt, quòd non deferet secum, sed remanebit apud priùs monasterium, quod ad illud acquisiuit ius. Ego puto, quòd deferet secum. Moueor, quòd illud peculium præcisè relictum est ad Monachi commoditates, & ne tam onerosus sit monasterio. Cùm ergo desinat esse onerosus per egressum, & dictis commoditatibus adhuc indigere possit, poterit dictum peculium secum ferre. Quod tamen limitandum est, si solùm ad vitam ipsius Monachi relictum esset, nam si relictus esset solùm illi ad vitam vsusfructus, & proprietas monasterio, maior est dubitatio. Censeo tamen, quod adhuc vsumfructum deferet secum, ratione dicta, & quod proprietas remanebit apud prius monasterium, quod ad illud acquisiuit ius. Pro quo casu videri possunt Menoch. de arb. lib. 2. cas. 436. n. 26. & 27. Rodriq tom. 3. q. reg. q. 52. art. 27. ver. Secundus casus est. Vega 1. par. cap. 39. cas. 7. ver. Nota: Suar. loc. cit. cap. 16. num. 22.

Aufrer. Speculator. *Menochius. Rodriquez. Vega. Suarez.*

214. Noto 2. quòd renunciatio debet fieri intra duos menses antè professionem de momento ad momentum, & secundum quod occurrit mensis in calendario, sumendo id, quod deficit mensi, ex mense sequenti. Ita Sanch. 7. in dec. cap. 5. num. 81. quia Trid. facit multam vim in tempore, & sumus in odiosis, licèt aliqui putent, non ita mathematico modo illud tempus esse mensurandum, sed potiùs morali. Nihil autem refert, an facta renunciatione eo modo, deinde ex aliqua causa professio differatur. Sanch. loc. cit. num. 82. A. S. Faust. lib. 5. thes. q. 193. num. 3. quia iam satisfactum est iuri. Sed consultius est, vt quando professio differtur propter ætatem nondum cõpletam, differatur etiam renunciatio. Deinde ista renunciatio debet fieri de licentia Episcopi, vel eius Vicarij ordinarij, non foranei, cui tamen potest Episcopus, vel Vicarius hanc facultatem delegare, quam possunt etiam concedere aliqui Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & exempti à quacunq; Episcopi iurisdictione, horumq; Vicarij, quæ quidem licentia debet esse obtenta ante renunciationem, non tantum petita. Sufficit autem, quòd viua voce. Ita Sanch. loc. cit. à num. 64. Miran. tom. 1. man. q. 23. art. 6. Rodriq; tom. 2. q. reg. q. 47. art. 14. Vech. de nou. disp. 8. dub. 9. A S. Faust. lib. 5. thes. à q. 194.

Sanchez. *A S. Faust.* *Miranda. Rodriq. Vechius. A S. Faust.*


215. Noto 3. quòd si nouitius, facta renunciatione in fauorem conuentus ad formam concil. Trid. intra illud bimestre moriatur, illius bona hæredibus cedunt, non monasterio, quia illa renunciatio intelligitur professione secuta. Ita Sorb. in comp. ver. Nouitius, tit. de bon. ips. &c. ver. Et hinc deinde. Quòd si nouitius fecerit testamentum, & ante professionem moriatur, testamentum habet effectum, & succedunt hæredes vocati; vnde si fuerit vocata Religio, obtinebit hæreditatem. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 12.

Sorbus.

CAP. II.

De auctoritate, quam habent Prælati regulares sibi casus reseruandi.

Vualdensis. Sotus. Vasquez. Suarez. Coninck. Vgolinus. Yribarnes. Sanchez. Molfesius. Henriq. Sa. Caietanus. Syluester. Angelus. Naldus. Graffius. Fagundez. Llamas. Reginald. Finellius. Filliucius. Chapeauuille. Gypsius. Floronus. Comitolus. Quarantia. Rodriquez. Miranda. Festus. Coriolanus. Corduba. Politius. Cruz. Portel. Beia. Casarubeo. Sorbus. Venerus. Conradus. D'Aluin.

1 E casuum reseruatione in communi agunt Vualdens. tom.2.c.149. Sot. in 4. d.18. q.2. art.5. circa 2. arg. Vasq; tom.4. in 3. par. q.91. art.3. dub.1. Suar. tom.4. in 3. par. disp.29. Coninck disp.8. de sacr. pœnit. à num.75. Vgol. de po. Ep. cap.35. Yribar. in 4. d.18. q.vn. disp.16. sect. 5. Sanch.2. in dec. cap.8. à num.4. Molf.1. par. summ. tract.7. cap.17. Henriq; lib.6. cap.14. Sa ver. Casus reser. vbi etiam Summistæ, Caiet. Sylu. Angel. Nald. Graff. 1. par. decis. lib.1. cap.13. à num. 22. & in append. ad dictum loc. cap.7. & tract. spec. de cas. reser. lib. 1. à cap.1. & cap. 5. agit de illis 5. casibus reseruatis Papæ in decretis Congreg. sub Clem. VIII. Fagund. in 1. præcep. Eccl. lib. 8. à cap.1. Llam. 1. par. met. cap.7. Reginald. in prax. lib.1. à num. 123. Filliuc. tom.1. tract.7. cap.10. & tract.15. cap.10. Finel Chapeauil. Gypsius, Floron. faciunt de ista materia libros particulares. De materia nostra specialiùs agunt Nald. in sum. ver. Religiosus, num. 44. Molf. loc. cit. cap. 10. Comit. resp. mor. q. 34. Graff. loc. cit. de cas. reser. lib.3. Quar. in sum. bul. ver. casus reser. Rodriq; tom. 1. q. reg. q. 21. Miranda tom. 2. man. q.34 Suar. tom. 4. de relig. tract.1. lib. 2. cap. 18. Fagund. loc. cit. à cap.4. Festus in const. Præd. par.2. cap. 67. Coriol. in tract. de hac re. Cord. in cap.7. reg. Min. q.2. vbi Polit. nu.13. Cruz de sta. Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 9. Portel in dub. reg. & in addit. ver. Cas. reser. Filliuc. loc. cit. tract. 7. cap. 10. num. 177. Beia 3. par. cas. 16. Casarub. in comp. ver. Casus reser. vbi Sorb. Vener. in ex. Ep. lib. 1. cap. 8. Conrad; 1. par. de cas. cons. q.17. D'Aluin. de po. Abb. c.33.

2. Dicendum est, posse Prælatos regulares sibi reseruare casus. Ita Fagund. cit. cap. 4. num.1. Suar. tom.4. in 3. par. cit. sect.1. num.7. & tom. 4. de relig. cit. num. 1. Gyp. loc. cit. num.7. Rodriq; loc. cit. art.1. Miran. cit. art.1. Coriol. par.1. lect. 1. art.1. num. 8. Yribar. loc. cit. ver. 2. obseru. est. Finell. loc. cit. cap. 3. num.7. Flor. par.1. cap.2. nu.19. & alij omnes, & dicunt esse de fide Rodriq; & Miran. Constat ex Trid. sess.14. de sacr. pęnit. cap.7. *Magnoperè verò ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibusuis, sed à summis dumtaxat sacerdotibus absoluerentur.* Cum ergo Prælati regulares summi sacerdotes censeantur, vtpotè habentes iurisdictionem quasi Episcopalem; ideò omnes DD. dicunt, quòd etiam ipsi possunt sibi casus reseruare. Quod & supponitur in decreto Clem. VIII. quod ponam, & exponam nu.31. & concessit expressis verbis Alex. VI. vt refert Casar. in comp. ver. Absol. ord. quò ad fratr. num.17.

3. Noto 1. quòd ideò possunt sibi Prælati casus reseruare, Tum vt grauiora peccata grauiori iudicio subdantur. Tum vt subditi meliùs corrigi possint. Tum vt nociua Religioni faciliùs exterminari queant. Tum vt procliuiores ad peccandum absolutionis difficultate retineantur. Atq; ita colligitur ex Trid. loc. cit. & docent Sot. loc. cit. Finell. loc. cit. cap.4. nu.5. Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib.8. cap.1. n.6. Graff. de cas. reser. lib.1. cap.2. nu.2. Chapeauill. par.1. q. 2. in princ. Molf. loc. cit. cap. 17. num.19.

4. Noto 2. quòd peccata merè interna reseruari non possunt, Tum quia potestas Prælatis Ecclesiasticis data est in ædificationem, non in destructionem, at si peccata merè interna reseruari possent, hoc cederet in maximum animarum præiudicium; sunt enim illa & frequentissima, & occultissima, vt discerni vix possint, vnde infinitatem scrupulorum gignerent, propter quos quotidie, & singulis horis ad reseruantem recurrendum esset animabus deuotis. Tum quia hoc sacramentum institutum est ad modum iudicij, nam casus reseruare non est tantùm negare inferiori sacerdoti facultatem ab illis absoluendi, vt Vasq; to.4. in 3. par. q.91. art.3. dub.3. num.3. sed sibi iudicium, & absolutionem reseruare, obligado pœnitentem ad comparendum coram se in iudicio confessionis, vt absoluatur; ergo ad modum iudicij exercendum est; at iudicium non exercetur nisi in his, quæ in exteriorem actum exiere; cap. A nobis, el. 2. de sent. excom. cap. Erubescant, d.32. Tum quia illud solum in materia morali facere possumus, quod honestè, sed DD. contrariæ sententiæ concedunt, quòd licèt possint mortalia reseruari, nō tamen debēt; Immò aiunt Sot. Graff. Long. Floron. quòd esset error intolerabilis; & Finell. cap.5. num.1. ait, quòd iniquè faceret Prælatus reseruando, & quòd esset indiscretissimus, ergo absolutè fieri non potest. Tum quia reseruatio habet rationem pęnæ, vnde strictè est interpretanda, vt dicunt Nald. in sum. ver. Casus, num.3. Long. de cas. reser. par.1. sect.1. art. 5. nu.4. Mol. tom.1. de iust. disp.92. ver. Pęnę; Fagund. loc. cit. cap.1. n.28. Regin. in prax. lib.1. nu.124. ver. Porro. Ecclesia autem actus interiores nō punit; cap. Cogitationis, de pęnit. d.1. Atq; ita Llam. par.1. met. cap.7. §.14. Inclinare videntur Graff. loc. cit. lib.1. cap.4. num.7. Long. cit. nu. 6. citatur etiam Maior in 4. d.17. q.5. §. Quia iam. Quòd verò hęc peccata de absoluta potestate reseruari possint, docent Sot. in 4. d. 18. q.2. art. 5. ver. Verum verò: Fagund. loc. cit. cap.1. nu.16. Suar. tom.4. in 3. p. disp.29. sect.3. nu.3. Vasq; loc. cit. dub.3. n.2. Graff. de cas reser. lib.1. c.4. n.7. & in app. ad lib.1. decis. c.7. §.3. nu.24. Long. loc. cit. num.6. Sanch.2. in dec. cap.8. num.4. Vgol. de po. Ep. cap. 38. num.3.

Naldus. Longus. Molina. Maior. Vasquez. Graffius. Longus. Sanchez. Vgolinus.

5. Noto 3. quòd venialia, & mortalia aliàs ritè confessa reseruari nō possunt. Tum quia cuilibet sacerdoti iure diuino concessū est, vt possit absoluere à venialibus absq; alia cōmissione; quia circa venialia, & mortalia iam ritè cōfessa, accipit sacerdos in ipsa ordinatione nō solū iurisdictionem habitualem, vt circa mortalia, sed etiam actualem, vt Vasq; loc. cit. q.93. art.1. dub.6. à num.5. & de mortalibus aliàs confessis num.10. Sed quæ de iure diuino alicui concessa sunt, quin validè ab eo exerceantur, auferri nō potest; ergo neq; potest per reseruationē prohiberi cuiquā sacerdoti ne à dictis peccatis absoluat. Tū quia venialia nō sīt materia necessaria, vt concludit Trid. sess.14. c.5. de sacr. pęnit. ibi,

nem venialia, quibus à gratia Dei, &c. ergo reſeruari non poſſunt. Atq; ita Vaſq; loc. cit. q. 91. art. 3. dub. 2. num. 2. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 10. num. 271. Loug. loc. cit. num. 8. Graff. de caſ. reſer. lib. 1. cap. 4. num. 17. & in app. cit. num. 26. Comit. in reſp. mor. lib. 1. q. 34. nu. 2. Reginald. in prax. lib. 1. num. 126. Finell. de de caſ. reſer. cap. 5. num. 6. Contrarium tamen, quòd licèt de facto non reſeruentur venialia, poſſint tamen reſeruari, ita vt non poſſint ſacramentaliter abſolui, niſi à tali, vel tali miniſtro, docent Suarez tom. 4. to 3. par. diſp. 29. ſect. 3. num. 2. Coninck de ſacr. pœnit. diſp. 8. dub. 11. num. 80. Mir. tom. 2. man. q. 34. art. 4. concl. 4. Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib. 8. cap. 1. num. 18. *Miranda. Fagundez.*

6. Ex quibus colligitur, quòd qui commiſit homicidium in ſui neceſſariam defenſionem, ſi ſolum fuit venialiter culpabile, poteſt ab omnibus ſacerdotibus abſolui, immò nec neceſſitatur tale homicidium confiteri. Nec ſimiliter tenetur confiteri, qui diebus prohibitis cauſa infirmitatis carnes comedit. item abſolui poteſt à quocunq; ſacerdote, qui modicam rem furatus eſt in Eccleſia, etiamſi furtum ſacrilegum eſſet caſus reſeruatus, immò & poſſet abſolui à quocumq; etiamſi iſte habuiſſet intentionem plura ſurripiendi, licet in hoc mortaliter peccaſſet; quia caſus non reſeruatur in ordine ad peccata interna, ſed in ordine ad opus externum reſeruationis capax. Item ſi alloqui moniales eſſet caſus reſeruatus, qui eas paucis alloqueretur, vel tranſeundo ſalutaret, aut ſalutanti reſponderet, non incideret in caſum reſeruatum, propter modicitatem materiæ. Item ſi blaſphemia eſſet caſus reſeruatus, non tamen illum incurreret, qui non habens animum blaſphemandi, animo turbatus, non aduertens ad verba, quæ dicit, in verba blaſphemiæ prorumpit. Idem dic de ebrijs, & ſemidormientibus, ſi in aliquem caſum reſeruatum incidant, qui defectu libertatis veniale ſit, nam tunc deſinet eſſe reſeruatus. Ita Finell. loc. cit. num. 7. Graff. de caſ. reſ. lib. 1. cap 4. à num. 18.

7. Noto 4. quòd Prælati regulares non poſſunt ſibi reſeruare caſus etiam ex deſignatis in decreto Clem. VIII. ſine cauſa, & matura diſcuſſione; quòd ſi pro ſuo libito abſq; regula prudentiæ reſeruauerint, puto quòd dicta reſeruatio non valebit. Tum quia poteſtas hæc data eſt Prælatis in ædificationem, non in deſtructionem, vt ait Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de ſacr. pœnit. deſtruit autem Religionem, qui ſine ratione iubet. Tum quia quod ratione caret, exterminandum eſt, cap. Chorepiſcopi, d. 68. Tum quia in decreto Clem. VIII. dicitur, quod reſeruent ſibi omnes, vel aliquot ex deſignatis caſibus, *prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint*. Quæ clauſula ibi ponitur pro forma; vnde id, quod, illa non ſeruata, ſit, inualidum eſt, cap. Cum dilecta, de reſcrip. Atq; ita Finel. de caſ. reſ. cap. 4. num. 4. Henriq; lib. 6. cap. 14. num. 3. vbi in com. lit. P. multos citat. Ang. ver. Caſus, ad finem. In dub. autem, an Superior caſus prudenter reſeruauerit, nec ne, prudenter, & validè reſeruaſſe credendum eſt; nam in dubijs ſemper parendum, & parti Superioris ſtandum, iuxta dicta tom. 2. huius op. q. 1. cap. 7. concl. 4. & dicunt Vaſq; tom. 4. in 3. par. q. 91. art. 3. dub. 4. num. 4. Sanch. 2. in dec. cap. 8. num. 4. Molf. 1. par. ſum. tract. 7. cap. 17. num. 28. Cum autem conſtabit euidenter, aliquem caſum ſibi Superiorem reſeruaſſe abſq; iuſta, & legitima cauſa, tunc puto, quòd omnes ſacerdotes approbati etiam ab eo ad confeſſiones audiendas, poterunt ab eo abſoluere. Eſt enim caſuum reſeruatio onerosa non ſolùm confeſſarijs, ſed etiam pœnitentibus, vt declarauit ſacra Congreg. anno 1601. die 9. Ianu. vt refert Quar. in ſum. bull. ver. Caſus reſer. pag mihi 200 vbi dicitur. *Ne locorum Ordinarij, quibus hoc ius reſeruandorum caſuum competit, plurium, quàm opus ſit, reſeruatione, ſubditis, aut confeſſarijs in animarum ſalute procuranda cooperatoribus ſint onerosi, monentur*, &c. Vnde dato, quòd reſpectu confeſſariorum, à reſeruante indiſcretè approbatorum, talis reſeruatio valeret (quod nego, eo quia ſemel datam iuriſdictionem abſoluendi non poteſt pro libito Prælatus reuocare, eſt enim regimen Regularium maximè politicum, & rationabile, non deſpoticum, vt docet Gypt. de caſ. reſer. cap. 1. nu. 32.) non valet tamen reſpectu pœnitentium, per dicta. Maximè autem à dicto caſu abſoluere poterunt illi, qui habent iuriſdictionem ordinariam, vt Prouinciales, & Correctores reſpectiuè, cum enim hi habeant iuriſdictionem independenter à Superiore, ea coarctari non poteſt abſq; legitima cauſa, & in hoc puncto ſpeciali de habente iuriſdictionem ordinariam, conſentit Vaſq; loc. cit. Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 5. circa 2. arg. ver. Quòd ſi obiter inquiras: Ang. & Henriq; loc. cit. Regin. in prax. lib. 1. num. 127. Probabilem putant Floronus de caſ. reſer. par. 1. cap. 1. §. 2. num. 1. Graff. par. 1. deciſ. lib. 1. cap. 13. num. 77. Mir. tom. 2. man. q. 34. art. 2. concl. 2. Gyp. loc. cit. Neq; his dictis obſtat, quòd Papa determinauerit, poſſe Prælatos regulares ſibi omnes dictos caſus reſeruare, vnde eis licitum erit abſq; alia cauſa eos omnes ſibi reſeruare. Nam Papa non decreuit, vt dicti Prælati tenerentur hos caſus ſibi reſeruare, ſed ſolum propoſuit materiam reſeruationis capacem, vltra quam noluit Prælatos habere poteſtatem reſeruandi. Atq; ita ex his, quæ debent communiter conſiderari in caſuum reſeruatione, nimirum grauitas peccati, frequentia illius, probabilis timor ne ſuccedat, & in primis vt caſuum reſeruatio in ædificationem cedat, Papa vnum ſolum determinauit, nimirum grauitatem materiæ, reliqua reliquit prudenti diſpoſitioni Superiorum. Si ergo in aliqua prouincia nunquam auditum ſit V. G. aliquem furtum commiſiſſe, neq; vllus ſit probabilis timor, quòd committatur in poſterum, ſi Prælatus illius prouinciæ ſibi furtum reſeruet, clarum eſt, quòd ſine cauſa reſeruat, & quòd talis reſeruatio non ædificat, ſed deſtruit; licèt enim ex tali reſeruatione concindere, Ergo ad retinendum fures talis reſeruatio facta eſt, quod cum ſit falſum, bona fama illius prouinciæ deſtrueretur, & puſilli ſcandalizabuntur. Quare intrepidè dico, illam reſeruationem nihil valere, & peccare grauiter Prælatum illam facientem.

Finellus. Henriq. Angelus. Vaſquez. Sanchez. Quarantia. Gypſius. Sotus. Reginald. Floronus. Graſſius. Miranda.

Suarez. rem. Pro hac ſententia adduco Suar. to. 4. de relig. tract. 3. lib. 10. cap. 11. num. 5. Quòd autem valeat reſeruatio etiam ſine cauſa facta, *Syluester.* docent Sylu. ver. Confeſſor 1. q. 3. *Filliucius.* Filliuc. to. 1. tract. 7. cap. 10. num. 280. *Suarez.* Suar. tom. 4. in 3. par. diſp. 29. ſect. 4. num. 8. *Floronus.* Flor. loc. cit. ver. Sed hoc. *Fagundez.* Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib. 8. cap. 1. num. 25. *Coninck.* Coninck diſp. 8. de ſacr. pœnit. dub. 11. num. 78.

8. Noto 5. quòd peccata, de quibus dubitatur, an ſint mortalia, vel venialia, reſeruari non poſſunt; nam nimis oneroſum eſſet confeſſiones audire. *Comitolus.* Ita Comit. in reſp. mor. lib. 1. q. 34. num. 3. Si autem confeſſarius dubitat, an caſus ſit reſeruatus, non debet abſoluere, quin priùs dubietatem deponat, alias peccat, exponens ſe periculo abſoluendi illum, quem abſoluere non poteſt. *Longus.* Ita Long. de caſ. reſer. par. 1. ſect. 1. art. 5. ver. Verum eſt; *Molfesius.* Moiſ. 1. par. ſum. tract. 7. cap. 10. nu. 22. *Graffius.* Graff. de caſ. reſer. lib. 1. cap. 4. num. 62. Quòd ſi nihilominùs in dicta dubietate abſoluat, & deinde reperiat caſum eſſe reſeruatum, incidet in pœnas taxatas contra abſoluentes abſq; facultate. Si verò non reperiat caſum eſſe reſeruatum, non incidet. Incidet autem in dictas pœnas, quando abſoluit in dicta dubietate à caſibus bullæ cœnæ, ſiue deinde reperiat caſum eſſe reſeruatum, ſiue non; quia ita declaratur in dicto decreto Congreg. *Vgolinus.* Ita Vgol. de po. Ep. cap. 37. §. 2. num. 3. ver. At qui. *Floronus.* Videatur Floron. de caſ. reſer. par. 1. cap. 5. §. 3. Quando autem, facta debita diligentia, adhuc remanet dubium, an caſus ſit reſeruatus, quia nimirum dubitatur, an peccatum ſit mortale, vel veniale, tunc non eſſe reſeruatum cenſendum eſt. *Sa.* Ita Sa ver. Caſus reſer. num. 5. Long. loc. cit. ver. Secundò: *Portel.* Portel in dub. reg. ver. Caſus reſer. nu. 7. Moiſ. loc. cit. num. 21. Contrarium ſentit Graff. loc. cit. num. 50. Notent etiam confeſſores, quòd in hac materia, quæ eſt odioſa, non fit extenſio de caſu ad caſum, ſed ſolùm intelliguntur illi caſus eſſe reſeruati, qui ſub litera ſecundùm communem ſenſum intellecta comprehenduntur, vt aduertunt omnes, in ſpecie *Longus.* Long. cit. num. 4. Graff. cit. num. 24. & 34. Moiſ. loc. cit. num. 21. Licèt autem non fiat extenſio, quando tamen alius caſus neceſſariò includitur in expreſſo, tunc caſus incluſus cenſetur etiam reſeruatus, vt in furto V. G. includitur rapina. Ita Graff. loc. cit. num. 34. Moiſ. num. 23.

9. Noto 6. quòd peccata intelliguntur reſeruata, quando completa, & conſummata ſunt, non autem quando ſolùm ſunt attentata, niſi id in reſeruatione expreſsè dicatur. Tum quia ita ſtatuitur in cap. Hæc autem, de pœnit. d. 1. Tum quia vbi imponitur à iure pœna pro aliquo delicto, nunquam eſt locus illi pœnæ, niſi delictum ſit conſummatum, quantumcunq; fuerit attentatum, & inchoatum. *Abbas.* Ita Abb. in cap. Cum in cunctis, §. Clerici, num. 2. vbi eius Addit. plura congerit. Et ratio eſt, quia pœnæ molliendæ ſunt potiùs, quàm exaſperandæ; cap. Pœnæ, de pœnit. d. 1. Atq; ita in caſu noſtro docent *Graffius.* Graff. 1. par. deciſ. lib. 1. *Finellius.* cap. 13. num. 71. ver. Rurſum. Finel. de caſ. reſer. *Floronus.* cap. 5. num. 4. Floron. eod. tit. par. 1. cap. 1. *Longus.* à num. 28. Long. eod. tit. par. 1. ſect. 3. art. 5. num. 7.

10. Hinc collige, quòd vbi adeſt ſtatutum obligans ad mortale reſeruatum, ne quis ad monales ſcribat, ſi quis ſcribat, & literæ non perueniant, licet peccet mortaliter, caſus tamen non eſt reſeruatus. Item vbi adeſt idem ſtatutum de non procurandis literis fauorabilibus pro aſſequendis dignitatibus, ſi literæ procurentur, & mittantur, ſed non perueniant, vel habitæ non præſententur, licet mortaliter peccetur, caſus tamen non eſt reſeruatus, & dixi tom. 1. huius op. q. 2. cap. 2. §. 10. concl. 3. Cenſent etiam Finelius loc. cit. & Floron. num. 34. qui addunt præterea, inceſtum puerorum non eſſe reſeruatum, neq; etiam eſſe reſeruatum inceſtum eorum, qui extra vas emiſerunt ſemen, quia neutro caſu inceſtus eſt conſummatus, neq; contrahitur affinitas, ſed requiritur quòd intra vas naturale fœminæ emittatur ſemen. Idem dic de peccato nefando, & beſtialitate, non enim cenſetur caſus reſeruatus, niſi fuerit completus per effuſionem ſeminis intra vas; licèt in hoc aliqui contradicant, vt Graff. de caſ. reſer. lib. 3. cap. 8. nu. 37. Moiſ. 1. par. ſum. tract. 7. cap. 10. num. 108. Long. de caſ. reſer. par. 2. caſu 9. num 19. Ita tamen ſentit expreſſe Nauar. in man. cap. 27. num. 249. *Nauarrus.* ver. Quintò dico; & probat ex cap. Extraordinaria, 31. q. 2. & 3.

11. Noto 7. quòd Prælati, qui ſibi poſſunt caſus reſeruare, ſunt abſq; dubio Generales, & Prouinciales. An autem Correctores, & Superiores immediati hac facultate potiantur, eſt valde dubium. De iure communi non poſſe videntur, quia nec poſſunt Parochi, quibus comparantur, vt probat Fagund. in 1. præcept. *Fagundez.* Eccl. lib. 8. cap. 1. num. 9. Suar. tom. 4. in 3. p. *Suarez.* diſp. 29. ſect. 1. num. 7. & expreſſe tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 18. num. 14. licèt per conſuetudinem legitimè præſcriptam poſſint reſeruare aliquos, in quibus ab ipſa conſuetudine facultatem obtinuerunt, & non alios. Per priuilegium tamen Alex. VI. de quo ſup. nu. 2. poſſunt dicti Superiores ſibi caſus reſeruare. Poſſunt etiam reſeruare virtute ſuarum conſtitutionum, vt de Dominicanis dicit Feſt. in cõſt. *Feſtus.* ſui Ord. par. 2. cap. 67. Poterant etiam Guardiani Minorum, ſed illa facultas fuit eis ablata per capitula generalia, vt dicit Cord. in *Corduba.* cap. 7. Reg. n in. q. 2. par. 1. & Rodriquez *Rodriquez.* tom. 1. q. reg. q. 21. art. 2. ver. Aduertendum. In Ordine noſtro nunquam fuit in vſu, vt Correctores ſibi caſus reſeruarent, niſi obedientiam, V. G. mandare conſueuerunt aliquid ſecundùm Regulam ſub merito ſanctæ obedientiæ, & abſolutionem ſibi reſeruare, prout per Correct. num. 87. illis conceſſum eſt. Sed cum obedientia non ſit amplius reſeruata, niſi in ſpecie reſeruetur, vt dicam infra num. 34. non videntur modò habere ampliùs hanc auctoritatem.

12. Noto 8. quòd quando concedit Prælatus in gratiam ſuorum ſubditorum confeſſarijs deſignatis facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris ſibi reſeruatis, vt ſoleo facere in diebus reconciliationum, licèt ſubditus ex obliuione inculpabili aliquod peccatum reſeruatum habens, cui non ſit annexa excommunicatio, eo die non confiteatur, poteſt tamen, quando in mentem venerit, à confeſſario, etiam non habente facultatem abſoluendi

à reſer-

à referuatis, absolui, quia iam ab illo peccato ablata est per Superiorem reseruatio. Atq; ita Couarr. in cap. Alma mater, de sent. excom. par. 1. §. 11. num. 12. Ang. ver. Confessio 1. §. 12. Rosel. ver. Confessio 2. num. 9. Sylu. ver. Confessio 1. q. 4. nu. 7. Nauar. in man. cap. 26. nu. 13. Passarel. in schol. ex Gen. num. 18. Vasq; to. 4. in 3. par. q. 91. art. 3. dub. 5. num. 39. Fagund. in 2. præc. Eccl. lib. 8. cap. 3. num. 12. Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 31. sect. 4. num. 12. Coninck de sacr. pœnit. disp. 8. dub. 12. à num. 91. Graff. in append. ad lib. 1. decis. cap. 7. num. 49. Long. de cas. reser. par. 1. sect. 1. art. 11. num. 4. Ytibar. in 4. d. 18. q. vn. disp. 16. sect. 5. concl. 5. & 6. Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 21. à nu. 26. In hac autem auctoritate concedenda, quia Passar. scrupulizat cum Soto, quem citat, in forma verborum, quam parui facio, cum de mente mihi constat, ego his verbis vtor. Concedo omnibus sacerdotibus deputatis ad confessiones audiendas, vt possint absoluere pro vna vice ab omnibus peccatis, & censuris, ac dispensare super omnibus irregularitatibus, à quibus absoluere, et dispensare egomet possum.

Couarrus. Angelus. Rosella. Syluester. Nauarrus. Passarell. Vasquez. Fagundez. Suarez. Coninck. Graffius. Longus. Tribarnus. Molfesius.

13. Noto 9. quòd in articulo mortis cessat omnis reseruatio, & omnis simplex sacerdos, etiam non approbatus ad confessiones audiendas, potest absoluere quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis, et censuris. Ita iisdem verbis Trid. sess. 14. cap. 7. de sacr. pœn. in fin. Articulum auté mortis dicas non solùm quando quis est morti proximus, vt existimat Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 4 ver. Quæris autem. Sed etiam quando quis exponitur mortis siue violentæ, siue naturalis probabili periculo, seu ex quo mortem imminere admodùm verisimilis est coniectura prudentis arbitrio, vt in imminenti naufragio, in bello, quo tempore cum hoste confligendum est, in graui, & acuta febri, &c. Ita Sylu. ver. Absolutio 1. nu. 10. Nauar. in man. cap. 27. num. 271. fine. Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 11. num 8. ver. Ego verò; Long. de cas. reser. p. 1. sect. 2. art. 16. num. 2. Floron. eod. tit. par. 1. cap. 4. §. 20. num. 3. ver. Quid igitur? Finel. eod. tit. cap. 8. num. 8. Benzon. in spec. Ep. lib. 1. disp. 1. q. 6. Regin. in praxi, lib. 1. num. 59. Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 26. sect. 4. num. 3. Vasq; loc. cit. q. 93. art. 1. dub. 5. num. 2. Et constat ex cap. Si quis suadente, 17. q. 4. cap. Non dubium, de sent. excom. cap. Eos, qui, eod. tit. in 6. in quibus locis pro eodem sumitur periculum, & articulus mortis. Quando autem dico, quòd omnis simplex sacerdos potest in articulo mortis absoluere, intelligunt aliqui, Modò non sit præsens proprius sacerdos, vel alius habens auctoritatem absoluendi à reseruatis, vel approbatus simpliciter ad confessiones audiendas, vt Vasq; loc. cit. dub. 4. nu. 18. Coninck disp. 8. de sacr. pœn. dub. 12. num. 90. concl. 1. Quia, inquiunt, si isti adsint, non est verè articulus necessitatis. Sed tu dic, quòd, cum Concilium concedat absoluté, vt in articulo mortis omnis cesset reseruatio, & hoc in fauorem sit pœnitentis, non est cur per articulum mortis articulum necessitatis sacerdotis intelligamus, & vniuersalem Concilij propositionem sine vrgenti ratione limitemus. Vbi enim lex absoluté loquitur, absoluté intelligenda est, & quod non dicit, nec nos dicere, & vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus. l. De pretio, ff. de pub. in rem act. præsertim cum agitur de fauore animarum. Quare censeo, quòd etiamsi adsit proprius sacerdos, vel habens auctoritatem absoluendi, possit pœnitens suo iure vtens quemlibet etiam simplicem sacerdotem nulla censura irretitum rogare, vt eius confessionem audiat. Atq; ita Finel. loc. cit. cap. 8. num. 3. Sa ver. Absolutio, num. 3. Vgol. de po. Ep. cap. 36. §. 8. num. 5. Barb. in addit. ad alleg. 25. propè finem, par. 2. de po. Episc. Nauar. lib. 5. cons. de pœnit. &c. cons. 23. nu. 2. Reginald. in praxi, lib. 1. num. 61. ver. Quinimmò. Long. loc. cit. num. 6. ver. Nihilominus. Plures DD. pro hac opinione videbis apud Flor. licèt ipse contrarium sequatur, de cas. reser. par. 1. cap. 4. §. 19. num. 3. pag. 160. & in Ordine nostro hoc non habet difficultatem, per Correct. num. 85. ibi, *Huius Ordinis sacerdotibus*. Dixi, Nulla censura irretitum; quia licèt credam, quòd sacerdos excommunicatus, hæreticus, schismaticus, modò rectam habeat intentionem, potest eo tempore sacramentum pœnitentiæ ministrare, vt probat Vasq; loc. cit. à num. 8. & Finel. nu. 4. Gyp. de cas. reser. cap. 1. num. 57. non puto tamen, quòd si alius sacerdos adsit, qui talibus careat impedimentis, liceat in eo articulo constituto, eo relicto, confiteri excommunicato, &c. Quia côuinceretur taliter côstitutus contritione carere, cum absq; causa induceret sacerdotem excômunicatum ad peccādum mortaliter.

Sylvester. Nauarrus. Couarrus. Longus. Floronus. Finellus. Benzonius. Reginald. Suarez. Vasq. Sa. Barbosa. Gypsius.

14. An autem in tali articulo, vel periculo absolutus, si illæsus euadat, teneatur iterum habenti auctoritatem confiteri? Dic, quòd non, etiamsi fuisset excommunicatus, non tamen nominatim, & ad instantiam partis; nam tunc teneretur & parti satisfacere, & coram Superiore se præsentare, sub pœna in eādem excommunicationem incidendi, iuxta cap. Eos, qui, de sent. excom. in 6. Ita Syln. ver. Confessio 1. q. 19. num. 21. Barb. loc. cit. Nauar. in man. cap. 26. num. 26. ver. An autem. Passarel. in schol. ex Gen. num. 18. ver. Dicit autem. Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 18. §. 17. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 4. col. vlt. ver. Addit autem. Reginal. loc. cit. num. 62. Llam. 1. par. met. cap. 7. §. 12. fine. Finell. loc. cit. num. 11. Graff. in append. ad lib. 1. decis. cap. 7. num. 52. Portel in dub. reg. ver. Casus reser. num. 18. Vener. lib. 1. exam. cap. 8. num. 9. Long. de cas. refer. par. 1. sect. 2. art. 16. num. 1. Et ratio est, quia tunc sacerdos habet liberam auctoritatem siue iure diuino, siue humano (de qua q. Finell. loc. cit. nu. 5.) absoluendi. Vnde, si absoluat, non est cur ea iterum absoluenda proponantur. Circa excommunicationem aduerte, quòd est etiam verè absolutus, sed si contemnit obedire Papæ, mandanti vt parti satisfaciat, vel Superiori, qui eum excommunicauit, se præsentet, incurrit de nouo eādem excommunicationem. Si autem bona fide, vel ignorantia probabili putet se non teneri ampliùs comparere coram Superiore, non incurrit. Nam Papa in dicto cap. Eos, qui, solum declarat incurrere de nouo dictam excommunicationem eos, qui contempserint se præsentare, iuxta doctrinam Caietan. in sum. ver. Excommunicatio, cap. 46. Nauar. in man. cap. 27. num. 73. Graff. 1. par. decis. lib. 1. cap. 13. nu. 94.

Barbosa. Nauarrus. Passarell. D. Anton. Sotus. Reginald. Llamas. Finellus. Graffius. Portel. Venerus. Longus. Caietan.

Sayrus.

num. 94. Sayr. de cens. lib. 3. cap. 25. num. 8.

15. Noto 10. quod quando aliquis habet aliquem casum reseruatum, potest adire Superiorem, & illi confiteri tam reseruata, quam non reseruata, ab eoq; omnium absolutionem impetrare. Quòd si Superior impeditus noluerit non reseruatorum confessionem audire, poterit, auditis, & absolutis reseruatis, pœnitentem remittere ad inferiorem confessarium, qui, audita omnium, tum reseruatorum, tum non reseruatorum confessione, eum absoluet. Vel, si Superior noluerit in confessione audire habentem reseruata, poterit illi concedere facultatem, vt ab illis absolui possit ab inferiore confessario. Quo casu tenebitur Superior ad sigillum. Nam ad obligationem sigilli sufficit, quòd dicantur peccata in ordine ad inchoandam, vel consummandam confessionem alicui potenti eum absoluere, vt Graff. loc. cit. nu. 73. fine. Si autem pœnitens noluerit adire Superiorem pro reseruatis, poterit illum adire confessarius, petendo ab eo facultatem absoluendi quempiam à casibus reseruatis; quam facultatem Prælati regulares dare tenentur, alioquin poterunt nihilominus dicti confessarij pro illa vice absoluere, vt constat ex constit. 10. Vrb. VIII. §. 76. tom. 2. nostr. priu. licèt hoc antea esset valde dubium, vt videri potest apud Long. par. 1. sect. 1. art. 17. Molf. tom 1. tract. 7. cap. 15. à num. 96. An autem dictam facultatem dare teneantur Prælati pœnitentibus ipsis, supposito quòd confessarij nolint Superiorem adire, videtur, quòd sic, per idem decretum, quod factum est à Pontifice in fauorem pœnitentium, ergo licèt solùm loquatur de confessarijs, cum sit fauorabile, extendi potest etiam ad pœnitentes, iuxta reg. 15. Odia, de reg. iur. in 6. Atq; ita videtur tenere Long. loc. cit. à num. 9. Non tenetur tamen Superior dare auctoritatem confessario designato à pœnitente, immò nec absolutè concedere vt confiteatur cui voluerit, quia grauiora crimina grauiori iudicio subdi debent. Ita Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 4. num. 11. Long. loc. cit. num. 10. Quòd si confessarius noluerit Superiorem adire, poterit, auditis tam reseruatis, quam non reseruatis, pœnitenteq; à non reseruatis absoluto, pro reseruatis, aliqua præsertim causa suadente, remittere illum ad Superiorem, qui à solis reseruatis eum absoluet; nec in hoc dimidiatur confessio. Colliguntur hæc omnia ex Fagund. in 2. præc. Eccl. lib. 8. cap. 3. præsertim num. 2. 8. & 13. Vasq. tom. 4. in 3. ar. q. 91. art. 3. dub. 9. & 10. Suar. loc. cit. disp 31. sect. 1. & 2. & 3. Chapeauil. de cas. reser. par. 1. cap. 9. Sa in aph. ver. Absolutio, num. 16. Graff. in append. ad 1. par. decis. lib. 1. §. 4. à num. 27. Finel. de cas. reser. cap. 10. Regin. in cap. 7. prax. lib. 8. à num. 75. Henriq. lib. 6. cap. 15. à §. 4. Llam. 1. par. met. cap. 7. §. 11. Filliuc. to. 1. tract. 7. cap. 10. à num. 290. Long. loc. cit. par. 1. sect. 1. art. 8. Polit. in cap. 7. reg Min. à num. 14. Ybarn. in 4. d. 18. q. vn. disp. 16. sect. 5. Floron. par. 1. cap. 6. Miran. to. 1. man. q. 14. art. 12. & 13.

Molfesius. *Longus.* *Suarez.* *Fagundez.* *Vasquez.* *Chapeauil.* *Sa.* *Graffius.* *Finellus.* *Reginald.* *Henriq.* *Llamas.* *Filliucius.* *Longus.* *Politius.* *Ybarnes.* *Floronus.* *Miranda.*

16. Sed quid? si habens casum reseruatum, celebrare debeat, vel communicare, quia alij communicant, nec valet se excusare, & ex non celebratione, vel non communicatione oriturum sit scandalum, vel infamia in communitate, non adsit autem Prælatus, vel alius habens potestatem à dicto reseruato absoluendi? Dic, quòd poterit absolui à non reseruatis, animo consequendi postea absolutionem, data commoditate, à reseruatis, & interim communicare, modò tamen integram confessionem de omnibus tam reseruatis, quam non reseruatis faciat. Nam necessitas facit licitum, quod alias illicitum est; cap. 4. de reg. iur. & lex de vitando scandalo, & seruanda fama, præponderat legi de non communicando, absq; absolutione à reseruatis; hæc enim est de iure diuino positiuo, illa de iure diuino naturali. Ita Capeauil. loc. cit. ver. Hic modus. Reginald. in praxi, lib. 8. nu. 85. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. col. 10. ver. Hoc autem dubium. Sylu. ver. Eucharistia 2. q. 7. num. 9. ver. Si verò quis. Henriq; lib. 6. cap. 12. §. 5. & cap. 15. §. 1. Finel. loc. cit. num. 13. Floron. par. 1. cap. 6. § 4. nu. 3. uer. Quid igitur. Coninck tom. 1. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 21. Fagund. in 3. præc. Eccl. lib. 3. cap. 9. num. 17. Et habetur in Trid. sect. 13. cap. 7. de sacr. euch. *Quod si, necessitate vrgente, sacerdos absq; præuia confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur.* Idem dicendum est in eo casu, quo pœnitens habet quidem sacerdotem præsentem habentem auctoritatem, sed timet reuelationem confessionis, vel aliud graue damnum. Fagund. loc. cit. à num. 20. Mir. tom. 2. man. q. 34. art. 11. Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 21. num. 47.

Sotus. *Syluester.* *Henriq.* *Coninck.* *Miranda.* *Molfesius.*

17. An autem idem dicendum sit, quando peccatum reseruatum habet annexam excommunicationem etiam Papalẽ? Nam aliqui ex citatis DD. vt Henriq; Finel. Sot. putant, quòd nullo casu liceat excommunicatis communicare, nec excommunicatos absoluere à peccatis, quin priùs ab excommunicatione absoluantur. Puto tamen, quòd liceat confessario à peccatis pœnitentem, habentem animum quàm priùs poterit, absolutionem ab excommunicatione impetrandi, absoluere, præsertim si fecit quantum potuit vt eam obtineret; quia, vt dixi, lex de vitando scandalo, & seruanda fama cuicumq; legi positiuæ à qua censuræ profluunt, præponderat; nec pia mater Ecclesia tanta seueritate in excommunicando vtitur, vt velit fidelibus quod in se est, denegare quod eis ad salutem est necessarium; & excommunicationis mucro est ad reducendos rebelles, & contumaces ad obedientiam. Cum hic igitur reductus iam sit in promptitudine animi, non debet repelli cum tanto damno à sacramentis. Item non est excommunicatio tam malignantia naturæ, vt reddat hominem omnino incapacem absolutionis à peccatis, ita vt eam reddat nullam. Nec est intrinsecè malum excommunicato absolutionem à peccatis impendere, vt Nauar. in man. cap. 9. num. 4. Sa ver. Absolutio, num. 16. Reginald. loc. cit. num. 87. Atq; ita hanc sententiam docet, & defendit Ang. ver. Confessio 5. num. 10. Chapeauil. de cas. res. par. 1. cap. 9. q. vn. diff 9. Nauar. loc. cit. can. 27. nu. 239. ver. De dispens. Reginald. loc. cit. Graff. in append. ad lib. 1. decis. cap. 7. § 4. num. 19. Floron. de cas. reser. par. 1. cap. 6. §. 4. nu 3. ver. Quid igitur, Llam. 1. par. met. cap. 7. §. 12. Filliuc. tom. 1 tract. 7. cap. 10. num. 304. Long. par. 1. sect. 2. art 17. nu. 4.

Nauarrus. *Sa.* *Angelus.* *Chapeauille.* *Reginald.* *Graffius.* *Floronus.* *Llamas.* *Filliucius.* *Longus.*

Portel

Portel. Suarez. Portel in dub. reg. ver. Cas. reser. nu.22. Suar. to.4. in 3. par. disp.31. sect.3. num.5. & 6.

18. Noto 12. quòd absoluens à casibus reseruatis non habens auctoritatem, mortaliter peccat, & absolutio est nulla. Ita in Trid. sess.14. cap.7. & habetur cap. Omnis, de pœnit. docet D. Thom. in 4. d.20. q.1. art.3. q̃la 3. ad 1. & d.20. q.3. art.2. q̃la 3. ad 1. Et est ratio; quia cum hoc sacramentum ad modum iudicij exerceatur, sententia à iudice non suo lata nulla est, &, si absoluat à casibus bullæ cœnæ, vel violationis immunitatis Ecclesiasticæ, vel violationis clausuræ monialium ad malum finem, vel prouocantium, aut pugnantium in duello, vel injicientium manus violentas in clericos, iuxta can. Si quis suadente, vel simoniæ realis, & confidentiæ beneficialis, aut etiam à casibus Ordinarijs locorum reseruatis, incurrit ipso facto in pœnam excommunicationis, & priuationis officiorum, & dignitatum, & inhabilitatis audiendi confessiones, & ad quæcunq; officia, & Prælaturas in posterum obtinendas, quarum pœnarum absolutio, & relaxatio est Papæ reseruata. Ita statuit sacr. Congreg. de mandato Clem. VIII. anno 1601. die 9. Ianuarij vt refert. *Quarãta. Finellius. Floronus.* Quar. in sum. bul. ver. Cas. reser. pag. mihi 199. & Finel. de cas. reser. cap.6. num.6. Floron. eod. tit. par.1. cap.5. §.2. Item absoluentes absq; facultate excommunicatos ab aliquo canone, incurrunt excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam, per clem.1. de priu. §.1. Pro his pœnis vide Fagun. *Fagundez. Chapeauil. Conradus. Vgolinus. Venerus.* in 2. præc. Eccl. lib.8. cap.1. num.29. Finel. loc. cit. Chapeauil. par.1. cap. 10. q. 8. Conrad. 1. par. de cas. consc. q. 18. in addit. Vgol. de po. Episc. cap.37. §.2. Venet. in exam. lib.1. cap.8. num. 20.

19. Aduerte 1. quòd ad incurrendas dictas pœnas requiritur præsumptio in absoluente, vt constat ex tenore dicti decreti. Quare si quis absoluat à reseruatis obliuione, incõsideratione, aut ignorantia probabili, non crassa, dictas pœnas non incurret; nam vbi lex punit præsumentem aliquid facere, non includit facientem illud simplici animo, & bona fide, absq; dolo, & sæpius notaui, & dicunt prætereà Chapeauil. loc. cit. ver. Hic tria Venet. loc. cit. num. 21. Finel. loc. cit. num.8. qui subiungit, idem esse, si absoluat probabili credulitate, quia legit apud doctorem approbatum, aut audiuit à viro docto, aut religioso fide digno licere absoluere in eo casu; quia eiusmodi non præsumpsit; absolutio tamen est semper nulla defectu potestatis. Non esset autem nulla, nec incurreret pœnas, si absolueret sub spe ratihabitionis de præsenti, per dicta tom.1. huius op. q.1. cap.21. concl.8. & dicunt *Grassius. Longus.* Graff. in append. ad decis. lib.1. cap.7. num.53. ver. Quintus sub spe. Vgol. loc. cit. num. 3. ver. Secundò. Long. de cas. reser. par.1. sect.2. art. 10. num. 2. Confessori autem asserenti se ignorantia probabili, aut inaduertentia absoluisse, in foro pœnitentiæ credendum, vt Finel. loc. cit. num. 9.

20. Aduerte 2. quòd licèt Regulares absoluentes à reseruatis alios suos confratres regulares mortaliter peccent, & absolutiones sint nullæ, cum tamen simus in pœnalibus, & odiosis, quæ restringenda sunt, non puto dictas pœnas ad ipsos extendi; nihil enim inuenio de his in dictis statutis, aut canonibus, neq; etiam in extrau. Etsi dominici, de pœn. determinatum. Solum taliter absoluens esset puniendus tanquam de crimine graui iuxta statuta sui Ordinis. Ita Floron. par.1. cap.5. §.4. num.1. arg. clem.1. §. Quibus etiam, de priu. Quare minùs benè sentiunt Rodriq. tom.1. q. *Rodriq. Cruz.* reg. q.21. art.3. Cruz de sta. relig. lib. 1. cap.6. dub.9. cum dicunt, quòd Religiosi absoluentes à casibus, quos sibi reseruarunt sui Prælati, incurrunt excommunicationem latam in clem. Religiosi, de priu. nam dicta excommunicatio non afficit absoluentes à casibus reseruatis; sed solùm absoluentes excommunicatos ab aliquo canone. Et constat, quia in eadem clem. alijs pœnis afficiuntur, qui à casibus reseruatis & Papæ, & Episcopis absoluere præsumunt.

21. Sed quid faciet pœnitens, qui nouit se absolutum à non habente auctoritatem? Dic, quòd vel sacerdos nullam habebat auctoritatem absoluendi à peccatis, & est iteranda tota confessio: vel solùm carebat auctoritate absoluendi à reseruatis, & sufficit, quòd reseruata confiteatur habenti auctoritatem. Ita Sylu. ver. *Syluester. Nauarrus. Floronus. Portel.* Confessio 1. q.3. num. 6. ver. Quartò. Nauar. in man. cap. 9. num. 7. Floron. de cas. reser. par.1. cap.5. §.1. num.1. Portel in dub. reg. ver. Casus reseruati, num. 20. Quòd si non nouit, confessorẽ non potuisse absoluere, non desperet, nam si habuit contritionem, est coram Deo absolutus, vt dicunt ijdem DD. cum Antonin. *D. Anton.* 3. par. tit.17. cap.18. ver. Ille tamen. Quòd si dubitet, an contritionem habuerit, petat eam à Domino, & faciat quantum in se est, vt habeat, & in diuina misericordia confidat.

22. Sed quid faciet confessor, qui scit, se malè absoluisse? Multa dicunt DD. citandi. Conueniunt omnes, quòd si malè absoluit à censuris, potest, obtenta facultate Superioris, dictum malè absolutum etiam absentem absoluere, quia ista absolutio, cum non sit sacramentalis, in absentem, & ignorantem ferri potest. Si autem absoluit à peccatis, aut potest sine scandalo, & præiudicio sui honoris, & famæ admonere pœnitentem de errore (quod remedium est facile in Religionibus, vbi omnes sumus fratres) & tenetur; si non potest sine scandalo, roget Deum pro eo, vt si non habuit contritionem, eam illi tribuat. Si nescit, quid possit euenire, cum tunc non sit tutum exponere se periculo scandali; tenetur pœnitentem Deo commendare. Ita Suar. tom.4. in 3. par. *Suarez. Chapeauil. Finellius. Conradus. Longus.* disp. 32. sect.6. num. 6. & 7. Chapeauil. par.1. cap. 10. q.8. diff. vn. Floron. loc. cit. ver. Quid igitur concludendum. Videatur Finel. cap. 6. à num.4. Conrad. par.1. de cas. consc. q.18. Long. par.1. sect. 2. art. 19. num.4.

23. Sed quid, si pœnitens erat obligatus ad restituendum damnum tertio, ipse autem non obligauit, tenetur ne de damno? Hic variant DD. vt videri potest apud Floron. loc. cit. ver. Si verò damnum tertij. Suar. loc. cit. num. 8. Alij enim absolutè obligant ad restituendum, quando interuenit culpa lata; excusant, quando hæc non interuenit, sed solum negligentia, vel oscitantia. Nauar. in man. cap.17. num.22. *Nauarrus. Rosella.* Ang. ver. Restitutio vlt. §. 5. Rosel. Restitutio 2. §. 5. Alij non obligant, etiam lata culpa interue-

teruenience, quia, inquiunt, nullam obligationem iustitiæ; aut officium habet confessarius in ordine ad creditorem, cum non sit eius procurator, nec teneatur ex officio temporalibus bonis creditoris prospicere. Ita Rebell. de obl. iust. lib. 17. de off. conf. num. 12. Val. tom. 3. disp. 5. q. 6. par. 3. col. 7. ver. Alij autem. Azor tom. 3. lib. 4. cap. 16. q. 7. ver. Aliorum est. Probabilem putat Fioron. loc. cit. ver. Quid igitur. Quorum opinioni subscribo, nisi confessarius pœnitenti interroganti an esset obligatus ad restituendum ex malitia, vel vt illi morem gereret, vel etiam vt ex hac indulgentia ab eo aliquid emungeret, respondisset non esse obligatum, & sic ad non restituendum induxisset, quia tunc ratione damni dati tenetur ex iustitia damnificatum compensare. Quam limitationem admittit Azor cit. Suar. cit. num. 9. & Long. par. 1. sect. 2. art. 19. num. 6.

Rebellus. Valentia. Azor.

24. Quid etiam, si Religiosus occasione alicuius negotij pergat cum licentia sui Superioris in alienam prouinciam, poterit ne ibi absolui à confessarijs ordinarijs à casu ibi non reseruato, qui tamen reseruatus erat in sua prouincia, in qua eum commisit? Dic, quòd sic; eo enim ipso, quòd est ibi tanquam hospes, potest confiteri, aprobante christiana consuetudine, potest etiam absolui ab omnibus, à quibus possunt absolui incolæ illius prouinciæ. Ita Suarez loc. cit. disp. 30. sect. 1. num. 4. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 4. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 10. num. 183. Caiet. in sum. ver. Absolutio. Sa in aph. ver. Absolutio, num. 21. Portel in dub. reg. ver. Cas. reser. num. 16. Et hoc præsertim in Ordine nostro, in quo hospites per nostras constitutiones sunt subditi in illo conuentu, in quo degunt. Vide D'Aluin. de po. Ep. cap. 22. num. 7. & Graff. 1. par. decis. lib. 1. cap. 13. à num. 46. contrarium sentientes, licet Graff. de Religiosis loquendo, nobiscum sentiat tom. 2. cons. lib. 5. de pœnit. & remis. con. 2. diff. 3. num. 8. & id concessisse Clem. IV. & Greg. XI. dicit Cruz lib. 1. de sta. relig. cap. 6. dub. 11. concl. 3.

Suarez. D. Anton. Filliucius. Caietanus. Sa. Portel. D'Aluin. Graffius. Cruz.

25. Sed quid, si illud iter malitiosè arripiat, vt à dicto casu reseruato absoluatur? Suar. loquendo de secularibus apud Filliuc. loc. cit. cap. 7. num. 195. putat, confessionem esse inualidam, quia non est iuxta consuetudinem, nec iuxta intentionem Pastorum. Meliùs Filliuc. ibid. ait, confessionem esse validam, consuetudine etiam in hoc casu approbante, si confessio fiat Religiosis Mendicantibus, qui sunt delegati Papæ, & habent priuilegium audiendi confessiones quorumcunque ad se venientium; quod etiam confirmat idem Filliuc. loc. cit. cap. 10. num. 185. In Religiosis autem non habeo dubium, quia sunt subditi illius Superioris, in cuius conuentu degunt.

26. Sed quid, si Religiosus incurrat in aliquem casum, qui non est reseruatus in sua prouincia, est tamen reseruatus in illa, in qua est hospes, poterit ne ibi absolui à confessarija non habentibus potestatem super reseruatis? Dic, quòd non; quia licèt sit hospes, quò ad hoc tamen iudicatur subditus, & habetur tanquam incola, præsertim in Ordine nostro, vt dixi. Ita Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 1. num. 6. Caiet. loc. cit. Poterit autem à confessarijs ordinarijs absolui, si reuersus in suam prouinciam, in qua talis casus non est reseruatus, confiteatur, propter dictam rationem.

Suarez. Caietanus.

27. Noto 12. quod delegatus ad absoluendum in aliquo casu particulari, non potest illam facultatem subdelegare. l. A iudice, Cod. de iud. cap. fin. de off. deleg. Si verò sit delegatus ad vniuersitatem casuum, quia scilicet Prælatus concedat illi, V. G. Correctori, vel alijs suos casus, tunc potest in aliquo casu particulari suam facultatem subdelegare, quia est quasi ordinarius, vt dicit glossa in cap. Cum causa, ver. Delegatus, de appell. Quam sententiam esse communiter receptam, testatur ibi Abb. Atq; ita Vgol. de po. Ep. cap. 36. §. 7. Capel. Tolos. decis. 13. Sorb. in comp. ver. Absolutio ord. quoad st. fine. Ricc. 1. par. prax. decis. 621. num. 3. fine. Portel in dub. reg. ver. Casus reseruati, num. 13. Rodriq. tom. 2. q. reg. q. 21. art. 9. Miran. tom. 2. man. q. 34. art. 14. concl. 3. Dixi tom. 2. priu. const. 10. Vrb. VIII. num. 14.

Abbas. Sorbus. Riccius. Portel. Rodriquez. Miranda.

28. Si quæras, an eadem auctoritate, quam habet quis absoluendi à casibus reseruatis, possit vti passiuè in personam suam, dando alteri auctoritatem vt ipsum absoluat? R. eadem distinctione. Si habet auctoritatem absoluendi aliquem particularem pro vna vice tantùm, non potest, quia est delegatus in hoc casu tantùm actiuè quò ad alios, & non passiuè quò ad se, quod est valde diuersum; & à diuersis non fieri illationem, sæpius diat. per l. Papinianus, ff. de minor. Ita Graff. in append. ad lib. 1. decis. lib. 1. cap. 7. num. 45. Si verò sit delegatus ad vniuersitatem casuum, puto quòd possit, quia in hoc præsumitur de voluntate Prælatorum, qui scientes hanc doctrinam, eam tolerando approbant, & est inconueniens, quòd fiiat ille, qui alijs potum tribuit. Ita Vgol. loc. cit. ver. Verum, & affert declar. Cong. Concil. Mir. loc. cit. concl. 1. Facit Caiet. t. 2. q. 96. art. 5. in fine.

Graffius. Caietanus.

29. Et aduerte, quòd dicti confessarij assignati pro absolutione casuum possunt absoluere ab omnibus casibus Prælatis reseruatis, etiamsi habeant censuram annexam, nisi aliter Prælatus se explicet. Tum quia fauores ampliandi sunt. Tum quia aliàs illa facultas esset inutilis. Tum quia concesso principali, idest casu, intelligitur concessum accessorium, idest censura. Tum quia talis est praxis Religionis. Ita Suar. de cens. disp. 7. sect. 4. num. 13. Nauar. in man. cap. 27. num. 261. Portel in dub. reg. ver. Casus reser. num. 3. Item quando Superior concedit alicui omnem suam auctoritatem vt absoluatur, & absoluat, concedit quòd possit absolui, & absoluere non solùm à peccatis, sed etiam à censuris. Suar. Nauar. loc. cit. Portel n. 4.

Suarez. Nauarrus. Portel.

30. Ad vltimum hic nota, quòd Regulares tenentur singulis mensibus confiteri, & communicare. Clem. Ne in agro, §. Sanè, de sta. Monach. Trid. sess. 25. de reg. cap. 10. An autem ad id teneantur sub mortali? Dic, quòd non; Quia solùm videntur dicta iura id consulere, non præcipere, vt tradit Homob. cum multis tom. 2. tract. 8. cap. 2. q. 3.

Homobon.

§. I. *Quosnam casus in particulari possint sibi reseruare Praelati Regulares.*

31. NOTO 1. quòd Clem. VIII. vt constat ex const. 10. Vrb. VIII. tom. 2. nostr. priu. à §. 61. & alij omnes Pontifices successores mandarunt Superioribus regularibus, vt non possent sibi reseruare nisi casus sequentes, aut omnes, aut aliquos ex his, prout meliùs expedire indicauerint; quòd si aliquis alius pro Religionis conseruatione, & conscientiae puritate videbitur reseruandus, id fiat pro prouincijs matura discussione, & consensu capituli prouincialis, & pro tota Religione in cap. generali. *Primus est. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa monasterij, seu conuentus fiat egressio. 3. nocturna, ac furtiua è monasterio, seu conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5. iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. 6. procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto. 7. falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterij, aut conuentus. 8 furtum de rebus monasterij, seu conuentus, in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. 9. lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. 10. occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusq; personae. 11. malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad Inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

32. Noto 2. circa hos casus in communi, quòd dubitant DD. an possit Praelatus praecipere aliquid sub poena excommunicationis ipso facto, & absolutionem sibi reseruare. Ad quod iam negatiuè respōdi to. 2. priu. in const.
Molfesius. 10. Vrb. VIII. num. 10. & dicunt Molf. par. 1.
Fillincius sum. tract. 7. cap. 10. num. 17. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 10. num. 276. Licèt enim censura, & casus sint diuersi, & pariter eorum absolutio, tamen quòd ad reseruationem sunt idem, vnde eadem prohibitione comprehenduntur. Et tandem reperi ita declarasse Congreg. Regular. anno 1617. die 7. Iulij quam declarationem pono per extensum in addit. ad priu. Regul. cap. 18. num. 5.

33. Noto 3. quòd possunt Prouinciales, non per se, sed cum consensu, & discussione matura capituli prouincialis reseruare aliquem casum pro aliquo conuentu particulari, non enim praecipit Pontifex, quòd si aliquod aliud peccatum ex dictis sit reseruandum, illud reseruari necessariò debeat pro tota Religione, vel pro tota prouincia, sed solum ait, quòd *si aliud praetereà peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiae puritate reseruandum videbitur, id non fiat, nisi de consensu capituli generalis, aut prouincialis.* Sed ista Religionis conseruatio, & conscientiae puritas potest requirere, vt in vno loco fiat haec reser-
Suarez. uatio, & non in alijs. Ita Suar. tom. 4. in 3. p.
Fagundez disp. 29. sect. 3. num. 12. Fagund. in 2. praecep. Eccl. lib. 8. cap. 4. num. 4. Molf. loc. cit. nu. 13. Filliuc. loc. cit.

34. Noto 4. grauem esse difficultatem, an ista prohibitio casus reseruandi intelligatur solum de his casibus, qui ad libitum Praelatorum reseruari possunt, an verò etiam de his, qui vigore regulae, & constitutionum, abstrahendo à Praelatorum voluntate, reseruati sunt, V.G. in Religione Minimorum Legislator ipse in Correct. num. 86. reseruauit Praelatis absolutionem quatuor votorum; Quaeritur, an ista vota post dictum decretum sint amplius reseruata, si de nouo non reseruentur? Aliqui enim putant, quòd casus antiqui Religionum non sunt reuocati per istud decretum, & ex dicto decreto constare videtur, quòd solùm loquatur de casibus, quos sibi reseruare possunt Superiores, non de ijs, qui sunt reseruati per regulam, & constitutiones, ait enim, *Sanctitas sua decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs*, &c. Ego tamen tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrb. VIII. num. 12. tenui, quòd dicta quatuor vota non sunt ampliùs omnia reseruata, sed solùm duo, castitas, & paupertas, quae continentur in dicto decreto; alia verò duo, obedientia, & vita quadragesimalis non sunt ampliùs reseruata, sed debent reseruari per capitulum generale in tota Religione, & per prouinciale, seu definitorium, in qualibet prouincia, vt in hac Genuensi factum est anno 1630. die 28. Septemb. Quod etiam nunc confirmo, nam mihi ex dicto decreto constat de mente Pontificis, quòd omnino noluerit reseruari casus, nisi expressos; ait enim in principio, *Decreuit, vt nemo sibi reseruet peccatorum absolutiones, exceptis ijs.* Et prius dixerat perpendens Sanctissimus, quod reseruatio facultatis absoluendi religiosos poenitentes nonnullos infirmiores adducere possit in aeternae damnationis periculum, & in fine apponit praegnantissimas clausulas derogatorias. Et ita mecum sentiunt Bela 3. par. ca- Bela.
suum, cas. 16. ver. Extat tandem; vbi ait, quòd ipse erat Romae, quando Papa fecit illud decretum, & quòd post visos, & consideratos casus omnes, qui in Religione qualibet erant per Regulam, & constitutiones, seu consuetudinem reseruati, quos à Generalibus, seu Procuratoribus Ordinum fecit sibi in schedula praesentari, solum praedictos reseruatos fore, & esse, & haberi, & non alios, cuncta Regularibus praescripsit. Sorb. in comp. ver. Sorbus.
Absolutio ord. quò ad fr. ver. Deinde est pariter, pag. mihi 21. vbi, facta mentione de casibus reseruatis in suo Ordine, ait, quòd post dictum decretum, aliud de illis est ordinatum. Idem sentire videtur Long. par. 2, cas. 9. nu. 29. Longus.
ver. Et aliquando. Portel in addit. ad dub. Portel.
reg. ver. Casus reseruati, statim in princ.

35. Noto 5. quòd quando aliquis incurrit publicè in casum reseruatum, V.G. quando duo Religiosi publicè se percutiunt, non potest ille, qui habet per delegationem casus reseruatos, eos absoluere, sed hoc pertinet ad Superiorem Praelatum. Tum quia per publicitatem ius ad illos acquisiuit fiscus; Tum quia talem esse mentem Praelati delegantis praesumitur; Tum quia ita de consuetudine reseruatur in

Reli-

Religionibus, præsertim in nostra, Ita Long. par.1. sect.2. art.4.

36. Noto 6. quòd possunt per dicta capitula generalia, & prouincialia reseruari alij casus pertinentes ad materiam casuum reseruatorum in dicto decreto, V. G. in materia lapsus carnis reseruari possunt actus impudici, oscula, &c. Ita hbi declarasse summum Pontificem, refert Sorb. loc. cit. ver. Et tunc, pag. mihi 22. quem sequitur Longus loc. cit. sect.1. art.4. num.4 Molfes.tom.1. sum.tract.7. cap.20.n.15. Grass de cas.reser.lib.3.cap.10.n.27.

Molfesius. Graffius.

37. Sed videtur in hoc esse aliqua difficultas; nam cum Papa determinet materiam præcisè, lapsum scilicèt carnis voluntarium, opere consummatum, non possunt reseruari casus isto minores, nimirum tactus, & oscula, etiam per capitula: quia licèt illi actus mala intentione facti ex se sint peccata mortalia, in ordine tamen ad actus venerei consummationem sunt solum initiatiue. Vnde est omnino contra mentem Papæ illos reseruare; Nec refert, quòd Papa concedat dictis capitulis, vt possint reseruare casus, quos pro puritate conscientiæ, & Religionis conseruatione iudicauerint esse reseruandos, nam loquitur ibi Papa de alijs casibus specificè distinctis à taxatis, vt indicat illa clausula, *Si quòd aliud prætered peccatum graue*, &c. dictio enim, Aliud specificam diuersitatem importat apud Logicos. Nec refert, quòd hoc sit obtentum viuæ vocis oraculo à Pontifice; Nam viuæ vocis oracula, quæ non sont firmata ab aliquo Cardinali, nil valent post constit. Greg. XV. quam habes tom. 2. nostr. priuil. in eius constit. 3. Immo nihil valent, etiamsi sint firmata à Cardinalibus, post coust. Vrb. VIII. quæ incipit, Aliàs fel. recor. datam Romæ, die 21. Decembr. 1631. quam pono in addit. ad priuil. regul.

38. Noto 7. circa primum casum, quòd in illis tribus superstitionum speciebus includuntur omnes aliæ superstitionum species, cum ad mortale peccatum pertingunt. Ita Longus par.2. cas. 1. numer. 4. Grassius de cas. reser. lib. 3. cap. 1. num. 1. Molfesius tom. 1. sum. tract. 7. cap. 20. num. 25. Quar. in sum. bull. ver. Casus reser. num. 3. pag. mihi 193. ver. Quò ad primum casum. Venefici dicuntur, qui maleficium faciunt siuè ad inferendum, siue ad tollendum morbum, vel alias damnificandum in personis, vel in rebus, quiq; licèt maleficium non fecerint, vel etiam nesciant facere, eo tamen à maleficis fabricato, siue ad soluendum, siue ad ligandum vtuntur. Ita Fagundez in 2. præcep. Eccl. lib. 8. cap. 4. num. 7. & 8. & num. 9. addit, quòd consulentes sagas, aut consulentes, vt consulantur, si illarum remedijs non vtantur, non comprehenduntur casu reseruato, etiamsi ex consilio sagæ ad maleficia componenda colligant ossa mortuorum, aut aliàs res sacras, vel profanas; quia maleficium per hoc non faciunt, nec eo vtuntur, licèt materiam præparent. Incantatores dicuntur, qui dæmonem expresè, vel tacitè per se immediatè, vel per alium inuocant, illi cultum, & reuerentiam exhibendo, auxiliumq; ab eo expectando, vel vtuntur verbis, seu factis ordinatis ab ijs, qui cum dæmone pactum expressum iniere. Ita Fagund. loc. cit. à num.10. Sortilegi dicuntur, qui per quasdam inspectiones sortium, vel figurarum futura prænunciant. Ita Gras.loc. cit. num.16. Vide quæ dico tom.2. priu. in consti.9. Pauli V. nu.17. & circa maleficos vide const. Greg.XV. quam ibi refero, num. 26. Comprehenduntur etiam hoc casu astrologi iudiciarij, qui ex motu astrorum volunt prædicere, quæ à libero pendent arbitrio contra quos audio emanasse nouissime quandam constit. Vrb.VIII.& etiam chiromatici, qui ex lineamentis in manu, aut spatula apparentibus, certò, & infallibiliter prædicere se putant futura, vel etiam diuinare præterita abscondita. Ita Graffius loc.cit. num. 13. Longus cit. num. 17. ver.3. Consulentes autem astrologos, & mulierculas illas ægyptianas, quas zingaras vocamus, non comprehenduntur, immo nec peccatur mortaliter, cum consuluntur ad irridendum; secùs autem, quando interrogantur animo firmiter illis credendi, seu quando interrogans est persona grauis, quæ scandalum generet. Ita Nauarrus in sum. cap. 11. num. 31. Sanch. lib. 2. in dec. cap.38. num.48. Fagund. loc. cit. num. 15. Videatur Longus, & Graffius, qui fusè explicant, qui hoc primo casu simpliciter reseruato comprehendantur. Contra Astrologos fecit tract. Alexand. de Angel. & contra omnes supradictæ farinę homunculos agit Petrus Ciruelus.

Longus. Graffius. Molfesius. Quaranta

Fagundez

Nauarrus. Sanchez. Fagundez

De Angelis. R.Ciruel.

39. Noto 8. circa secundum casum, quòd pro illius declaratione videnda sunt quæ dixi tom.1. huius op. q. 1. cap. 26. præsertim not. 1. & 2. Videri etiam potest. Graff de cas. reser. lib. 3. cap. 2. Long. eod. tit. par.2. cas.2. Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap.20. à num.26. Quar. in sum. bull. ver. Casus reser. num. 5. pag. mihi 193. Fagund. in 2. præc. Eccl. lib. 8. cap. 5. per totum. Per septa monasterij intellige totum circuitum monasterij, comprehendendo in eo hortum, nemus, rus monasterio annexa, quando tamen in illis solet ordinariè deambulari absq; Superioris licentia, immo etiamsi in aliquem ex dictis locis non possit absq; Superioris licentia deambulari, propter aliquod motiuum, & tunc qui in eo deambularet peccaret quidem, sed in casum reseruatum non incideret, si dictus locus intra circuitum monasterij esset. Ita videtur sentire Fagund. loc. cit. num. 1. Et aduertit etiam Suar. tom. 4. de relig. tract.1. lib.2. cap.18. num.4. quòd si quis vero animo apostatandi, habitum regularem dimitteret, & secularem indueret, animo exeundi septa monasterij, si tamen dicta septa non exiret, non incideret in casum reseruatum. Quod etiam colligitur ex supradictis, vbi determinauimus, quòd ista casuum reseruatio intelligitur cum effectu. Circa, id quod dicit, *siue habitu dimisso, siue retento*, non intelligas solùm retentionem secretam, ita vt cognosci non possit tanquam Religiosus talis Religionis, sed etiam retentionem publicam, ita vt in casum reseruatum ex vi verborum Papæ incurrat, qui animo apostatãdi septa monasterij egreditur, siue cum habitu publicè gestato, vel occultè, siue illo dimisso. Immo puto, etiam voluisse Papam in hoc casu comprehẽdere illum, qui animũ nõ habet Religionem deserendi, sed solum vagandi, licèt enim

Graffius. Longus. Molfesius. Quaranta Fagundez

Suarez.

hic in

sic in foro conscientiæ apostata non sit, in foro tamen exteriori, si habitum dimisit, vel illum ita occultè gestat, vt non cognoscatur, iudicatur apostata. Immo puto, voluisse comprehendere verùm fugitiuum, & vagum, qui habet animum reuertendi, & habitum deserit, hic enim est apostata largo modo, vi uocabuli considerata, sed peior est uero apostata, quia hic solum sibi nocet, ille autem & sibi, & Religioni vniuersæ, & singulis de Religione, eam, & eos infamando, & scandalizando.

40. Noto 9. circa 3. casum, quòd illa egressio debet esse nocturna, non diurna, neq; in crepusculis, quia in ijs non est nox, de cuius essentia sunt tenebræ, & omnimodus recessus à luce. Debet item egressio esse extra monasterium, idest extra portas claudentes dormitoria fratrum; nec est necesse, quòd sit extra septa monasterij, vt declaratum est in præced. casu, nam Papa facit differentiam in egressu lacto animo apostatandi, & in hoc nocturno absq; tali animo, nam ibi dicit, *Quando eo peruenerit, vt extra septa monasterij fiat egressio.* Septa autem includunt hortos, &c. At in ista nocturna egressione non dicit, Extra septa monasterij, sed solum *furtiua egressio è monasterio.* Cum ergo quis egreditur extra portas claudentes monasterium de nocte, dicitur egredi de monasterio. Quare videntur incidere in hunc casum iuuenes, qui de nocte descendunt per scalas in hortum, vel etiam per portam ad furandos fructus, quia illa est furtiua egressio nocturna. Deniq; debet ista egressio esse furtiua, idest absq; licentia superioris facta. Vnde licèt quis, videntibus, & expectantibus, vel custodiã facientibus duobus amicis, conuentu de nocte egrediatur, incidet in hũc casũ, quia est furtiua egressio. Si autem Superior daret licentiam,
Suarez. alicui sic de nocte egrediendi in Religionis dedecus, & contra debitum sui officij, putat Suar. tom. 4 de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 5. quòd talis egressio nihilominùs censeretur furtiua, quia illa licentia est iniusta, & nulla, & nihil operatur. Sed licèt sit iniqua, non potest tamen dici furtiua; nam licentia iniqua non desinit esse licentia. Vnde etiam videmus, quòd licentia Superioris ad retinenda superflua secundũ communiorem opinionem excusat à peccato contra paupertatem; & si Superior daret de die licentiam alicui Religioso, vt iret ad fornicandum, vel furandum, illa licentia esset quidem iniqua, sed tamen ille ratione licentiæ nullam culpam, vel pœnam incurreret. Prælatus autem, qui sic furtiuè de nocte egrederetur, censeo cum Suar. loc. cit. quòd incurreret in hunc casum, quia licèt non habeat præsentem Superiorem, cuius voluntate regatur, habet tamen regulam, & voluntatem superioris Prælati totius Religionis, aut expressam, aut secundum rectam rationem præsumptam, respectu cuius talis egressio furtiua est. Videatur pro hoc casu
Longus. Long. par. 2. cas. 3. Graff eod. tit. lib. 3. cap. 3.
Graffius. Molfes. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 10. à num. 37.
Molfesius. Quar. in sum. bull. ver. Casus reser. num. 5 ver.
Quaranta Quoad 3. pag mihi 194. Fagund. in 2. præc. Eccl.
Fagundez lib. 8. cap. 5. num. 22.

41. Noto 10. circa 4. casum, quòd pro ipsius declaratione videnda sunt, quæ dixi tom. 1. huius op. tota quæst. 2. & præterea videri possunt Fagundez loc. cit. cap. 6. Molfesius cit. à nu. 43. Quar. nu. 6. Longus cas. 4. Graff. cap. 4.

42. Noto 11. circa 5. casum, quod iuramentum falsum, quod potest reseruari, debet esse sumptum in iudicio, vnde iuramentum falsum extra iudicium reseruari non potest. Iudicium autem debet esse regulare, idest factum apud personas regulares, seu habentes iurisdictionem in Regulares, vt sunt Protectores, Nuntij, Inquisitores. Vnde si quis Regularis iuraret iuramentum falsum in iudicio seculari, etiam dato, quod iudex secularis eo casu esset competens, tamen non comprehenderetur hoc casu reseruato. Nec solum sufficit, quod iudicium sit regulare ad hoc vt possit falsum iuramentum reseruari, sed etiam debet esse legitimum. Vnde si iudicium non est legitimum, iuramentum falsum non est reseruatum. Ita Suarez loc. cit. num. 7. Long. loc. cit. cas. 5. num. 3. & 4. Fagund. cit. cap. 7. num. 1. & 2. Graff. loc. cit. cap. 5. num. 5. Quar. num. 7. Et aduerte, quòd iuramentum debet esse falsum, ita vt Religiosus sciat, se falsum testificari, imponendo scilicet falsum, vel occultando verum. Vnde si quis bona fide putet se iurare verum, cum tamen à parte rei sit falsum, is nullo modo peccat, nec consequenter casum reseruatum habet. E contra verò si putat se iurare falsũ, & à parte rei iurat verum, mortaliter peccat, & habet casum reseruatum, secundum Graff. loc. cit. num. 15. & 16. & Fagund. loc. cit. Sed licet in hoc vltimo casu adsit peccatum mortale contra conscientiam erroneam, non puto tamen quòd illud sit reseruatum, quia reseruatio, cum sit odiosa restringenda est, vt cadat super verum actum, non tantum existimatum, vt Suar. loc. cit. *Suarez.*

43. Hic autem opportunè quæres, quodnam, & quandonam iudicium sit, & dicatur legitimum? R. tunc solum iudicium esse legitimum, quando iudex est competens, & iuris ordine seruato interrogat. Est autem iudex competens, quando super reum, vel testem habet iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Legitime autem interrogat, quando habet saltem semiplenam probationem delicti, vel indicia sufficientia, aut præcessit infamia. Ita Fagund. *Fagundez.*
loc. cit. num. 3. Moif. par. 1. sum. tract. 7. cap. 10. *Molfesius.*
num. 60. Graff. loc. cit. nu. 13. dixi tom. 1. huius *Graffius.*
op. q. 1. cap. 16. not. 4.

44. Sed quid, si quis interrogetur in iudicio legitimo de delicto proprio, & neget veritatem, incurret ne casum reseruatum? To. 1. huius op. cit. §. 1. concl. 1. ver. Limitant tamen, dixi, quòd potest reus etiam iuridicè interrogatus prudenti amphibologia veritatem occultare, quando grauis pœna, vel sanguinis, vel exilij, vel infamiæ, vel triremium timetur; atq; ita tunc non peccabit, nec casum reseruatum consequenter incurret. Et in casu nostro id multis probat Fagund. loc. cit. num. 4. Molf. cit. num. 61. Et nota in hac materia bonam regulam, quam ponit Tolet. lib. 4. sum. cap. 21. *Toletus.*
num. 4 fine, & probat Fagund. loc. cit. n. 7. fine, quòd scilicet potest reus tuta consciẽtia iurare æquiuocè, & amphibologicè, quoties iuramentũ per Superiorẽ petitur ex ignorãtia veritatis, quæ si sciretur, nõ peteretur V. G. Superior vult scire, an Petrus fuerit locutus cũ Paulo seculari

de secretis Religionis, & sic eum sub iuramento interrogat, an tali die hora, & loco fuerit allocutus Paulum. Dico, quod per dictam regulam potest licitè Petrus æquiuocè respondere, se illo die, hora, & loco non fuisse allocutum Paulum, licet verè cum eo locutus fuerit, sed non de rebus secretis Religionis, de quibus petit Prælatus. Potest similiter subditus veritatem amphibologia occultare, cum Superior sub iuramento interrogat, an Petrus talia verba iniuriosa Francisco dixerit, si Petrus prouocatus à Francisco subdito motu iracundiæ, quæ mortale peccatum non sit, ea verba protulerit; & sic de alijs. Ita Fagund, loc. cit. num. 9.

45. Sed quid, si quis in iudicio metu tormentorum, quæ Superior comminatur, fateretur delictum, quod non commisit, & sic iuramentum falsum sumeret, illud iuramentum esset ne reseruatum? Dic, quòd non; quia stante illa occasione, Religiosum imponere sibi falsa in iudicio regulari precisè, non puto mortaliter peccare, per doctrinam Nauar. in sum. cap. 18. nu. 17. quam probat Molfes. loc. cit. nu. 63.

Nauarrus. Molfesius.

46. Noto 12. circa 6. casum, quòd tria genera personarum comprehenduntur in eo. Primum earum, quæ procurant abortum, uel potione, uel baculo, uel onere, 2. earum, quæ dant auxilium ad faciendum abortum scienter, dando instructiones ad illum, parando herbas, coquendo, potionem porrigendo, &c. 3 earum, quæ dant consilium ad dictum abortum procurandum, etiamsi id facerent ad saluandam uitam mulieris, quia nunquam licet innocentem occidere; fœtus autem debet esse animatus, & animatur fœtus masculinus secundum sententiam Hippocr. die 30. & fœmininus die 42. Vnde absolute dicit August. lib. 83. q. q. 56. quòd fabrica humani corporis in die 45. formata est. Alij aliter dicunt, Vide Scor. diuersorum opinionem referentem in selec. bul. epit. 146. uer. Sed haud exigua. Vbi autem dubitatur, an fœtus fuerit animatus, nec ne, in foro animæ debet reputari animatus post 40. dies, quia in illo foro sequimur semper securius. Ita etiam Nauar. in man. cap. 27. num. 223. Quar. uer. Abortus, num. 5. Long. par. 2. cas. 6. nu. 3. Scor. loc. cit. theor. 188. ver. Quid si quis; ubi plures refert censentes cum ipso, quòd hoc casu dubij debet censeri talis irregularis. Sanch. 1. in dec. cap. 10. num. 43. & num. 44. idem dicit de eo, qui dedit consilium ad abortum, sed facta diligentia dubitat, an alter habuerit animum resolutum abortum faciendi absq; illius consilio. Et probatur ex cap. Significasti, & c. Ad audientiam, el. 2. de homic. Quando autem fœtus est animatus, sequatur, uel non sequatur effectus, ad incurrendum casum reseruatum nihil refert. Et sic dicitur opus consummatum in casu nostro, quando mulier accepit, vel fecit, id vnde poterat, & ipse prætendebat sequi abortum. Quare si Religiosus det mulieri consilium, vt sumat potionem ad abortum causandum, adiuuet ad talem potionem fabricandam, procuret, vt eam sumat, si mulier tamen dictam potionem non sumat, non comprehenditur isto casu. Ita explicant Long. loc. cit. Graff. de cas. reser. lib. 3. cap. 5. fine, Molf. to. 1. sum. tract. 7. c. 20. à num. 65. Fagund. in 2. præc. Eccl. lib. 8. cap. 7, à nu. 16. Portel. in addit. ad dub. reg. ver. Abortus, num. 5.

D. August. Scortia. Nauarrus. Quaranta. Longus. Sanchez. Longus. Graffius. Molfesius. Fagundez. Portel.

47. Aduerte 1. quòd procurans abortum fœtus animati incurrit irregularitatem, quia est verus homicida, l. Necare, ff de lib. agn. cap. Consuluisti, 2. q. 5. cap. Si aliquis, cap. Sicut ex literarum, de homic. & habetur in const. 87. Sixti V. Effrænatam, quam refert Cherub. to. 2. bull. Ita Nauar. in man. loc. cit. Sylu. ver. Abortus, num. 1. Long. loc. cit. nu. 2. ver. Hinc sequitur; Scor. loc. cit. super qua irregularitate, ait Portel in dub. reg. ver. Abortus, num. 10. quòd potest Prælatus in foro conscientiæ dispensare; & similiter super inhabilitate ad officia, &c. quòd etiam confirmat dictus Portel in addit. eod. ver. num. 7.

Cherubin. Nauarrus. Syluester. Longus. Scortia.

48. Aduerte 2. quòd quando fœtus est animatus, vltra peccatum reseruatum, procurantes abortum, auxilium, aut consilium dantes, sunt ipso facto excommunicati, per const. cit. Sixti V. quæ excommunicatio erat reseruata Pontifici; sed Greg. XIV. eam moderando, concessit vt quilibet confessor ab Ordinario approbatus, & ad hoc specialiter deputatus, possit in foro conscientiæ tantùm ab ea absoluere. Putat autem Long. loc. cit. fine, quòd Prælati regulares possint suos subditos etiam in foro exteriori conuictos ab hoc crimine absoluere. Cord. in sum. q. 14. & Vega par. 2. sum. cap. 12. cas. 6. putant, quòd si talis abortus, seu homicidium est occultum apud seculares, & notum solum apud fratres, quòd possunt Prælati regulares in vtroq; foro absoluere. Et confirmant ex cap. Significasti 2. de homic.

Corduba. Vega.

49. Aduerte denique, quòd procurans abortum fœtus inanimati, non incidit in casum reseruatum, nec est excommunicatus, nec fit irregularis, peccat tamen mortaliter. Ita Sylu. ver. Abortus, num. 1. Long. loc. cit. nu. 2. vers. Hinc sequitur, Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 63. n. 13.

50. Noto 13. circa 7. casum, quòd ad illum incurrendum requiritur 1. quòd Religiosus falsificet manum alicuius officialis cōuentus vt sic, nimirum Sacristæ, Procuratoris, Correctoris, Prouincialis, Generalis, Procuratoris Generalis, Secretarij Generalis, &c. hi enim omnes sunt officiales Religionis, & consequenter conuentuum (licet Portel in addit. ad dub. reg. ver. Falsarius, num. 3. putet, per officiales conuentus non intelligi Prouinciales, & Generales, nec alios officiales alterius conuentus, sed solum illius, in quo falsarius commoratur) scribendo literas ad formā unius ex dictis officialibus, uel scripturam in aliquâ clausula immutando, ita ut contrarium sensum reddant; uel etiam solum falsificet subscriptionem, aut etiam furando sigillum dicti officialis, aliud consimile fabricari curet, quo aliquam scripturam sigillet, uel etiam eam sigillet dicto sigillo, quod furatus est. 2. requiritur, quòd id faciat dolo, non ioco. 3. denique, quòd utatur dicta scriptura, uel sigillo, licèt nullum damnū ex ea deinde sequatur. Nā si, falsificata scriptura, uel falso sigillo signata, pœnitētia ductus, ea nō utatur, sed laceret, cum actus ad suam consummationem non peruenit, non incurret casum reseruatum. Nec similiter incurrunt casum reseruatum consulentes, auxiliantes, suadentes, aut etiam præmia promittentes falsificantibus,

tibus,

tibus. Quia cum hi non comprehendantur in litera, reseruatio ad illos, cum sit odiosa, non est extendenda; vtens verò scienter literis ab alio falsatis, hoc casu comprehenditur, quia & ipse falsariorum pœnis tenetur. Ita Fagund. in 2. præc. Eccl. lib 8. cap. 7. num. 21. 22. Long. par. 2. casu. 7. Molf. tract. 7. cap. 20. à num. 70. Graff. de cas. reser. lib. 3. cap. 6. Quar. in sum. bull. ver. Cas. reser. num. 8. pag. mihi 196. Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 18. à num. 8. De falsantibus autem scripturas, aut illis vtentibus, uide Tusch. tom. 3. lit. F. concl. 41. Mol. tom. 3. tract. 2. de iust. disp. 700. Portel loc. cit. num. 4.

Fagundez. Longus. Molfesius. Graffius. Quarãta. Tuschus. Molina. Portel.

51. Noto 14. circa 8. casum, quòd furari de rebus monasterij illam quantitatem, quæ sit peccatum mortale, est casus hic reseruatus. Et idem est, licèt eam quantitatem furetis à fratre aliquo particulari, quæ est à Superiore ad usum illi concessa. Tum quia ex eo quòd res sit applicata ad usum fratris particularis, non desinit esse monasterij. Tum quia licèt in Religionibus omnia sint communia, usus tamen aliquarum rerum non est omnibus communis, sed applicari debet à prudenti iudicio Superioris suis subditis; & ad scrupulos tollendos id fuisse declaratum à Clem. VIII. refert Sorb. in comp. uer. Absolutio ord. quò ad fra. pag. mihi 21. licèt contrarium doceat Diana tract. 6. uar. q. 44. & 45. Immo furari rem in quantitate mortali, ab eo Religioso, qui habet auctoritatem eam distrahendi extra Religionem, est etiam mortale peccatum hic reseruatum, nam quousq; res non est alienata extra Religionem, semper est monasterij quò ad proprietatem, & dominium, unde semper est in potestate Prælati dictam licentiam alienandi reuocare. Ita Suar. loc. cit. num. 11. Long. par. 2. cas. 8. num. 13. Item incideret in casum reseruatum, qui à fratre particulari surriperet scripta aliqua ab ipso multis uigilijs elaborata, nam tunc illud iudicabitur furtum magnum, ut dicunt Graff. de cas. reser. lib. 3. cap. 7. num. 26. Long. loc. cit. num. 14.

Sorbus. Diana. Suarez. Longus. Graffius.

52. Quæ autem sit ea quantitas, quæ constituit furtum mortale, alij relinquunt prudentis arbitrio, considerantis pauperiem, uel diuitias illius, à quo aufertur. Alij aliter. Ego tom. 1. huius op. q. 2. cap. 2. §. 9. uer. Quæ autem sit quantitas, dixi, quòd Religiosi furantes quatuor regalia à suis conuentibus, non committebant culpam letalem, & DD. ibi adductis adde Fagund. in 2. præcep. Eccles. lib. 8. cap. 6. num. 7. Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 20. num. 88. Long. par. 2. cas. 8. num. 4. Ledes. de sta. relig. in com. cap. 4. concl. 3. dub. 8. uer. La segunda parte se prueua, pag. mihi 101. Non conflatur autem prædicta quantitas per plurima alia furta inferiora, nisi quis in illis faciendis intenderet in eis perseuerare, nam tunc haberet animum nocendi notabiliter, & peccatum mortale committeret, per D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3. Nauar. lib. 3. cons. de sta. monach. cons. 3. num. 11. & 17. Quar. in sum. bull. uer. Casus reser. num. 9. uer. Ao autem, Molf. loc. cit. nu. 93. unde habent occasionem sibi cauendi expensores.

Fagundez. Molfesius. Longus. Ledesma. D. Thom. Nauarrus. Quarantа.

53. Si quæras, an furari aliquid reliquiarum sit peccatum mortale reseruatum? ℞. affirmatiuè. Nec excusat paruitas materiæ; nam reliquiæ sunt magni thesauri, nulla pecunia æstimabiles. Immo sacrilegium est illas furari; quia aufertur sacrum de sacro, uel sacrum de non sacro; cap. Quisquis, 17. q. 4. Ita Sylu. uer. Reliquiæ, q. 2. Graff. de cas. reser. lib. 3. cap. 7. num. 24. Long. eod. tit. par. 2. cas. 8. n. 10. Sanch. 2. in dec. cap. 43. nu. 23. Quar. loc. cit. uer. Esset autem; dixi tom. 1. prtu. in const. 3. Leon. X. num. 5. Nec excusaretur a mortali reseruato, qui dictas reliquias de licentia, uel conniuentia Sacristæ reciperet: nam Sacrista ad id non habet facultatem; Graff. loc. cit. n. 25. Immo nec puto, Prælatum per se solum ad id habere facultatem, sed requiri totum capitulum; quia Prælatus non est dominus rerum monasterij, sed procurator. Existimat tamen Portel in addit. ad dub. reg. uer. Reliquiæ, n. 5. quòd furari paruam reliquiam deuotionis gratia non sit mortale.

Syluester. Graffius. Longus. Sanchez. Quaranta.

54. Sed quid, si quis ad furandum reliquias, seu calices, & alias res sacras frangit armaria, scrinia, discos, &c. ultra peccatum reseruatum, incurret ne aliquam censuram? ℞. incurrere excommunicationem. Ita Panor. in cap. Ex literis, de fur. num. 2. Sylu. uer. Furtum, num. 8. Long. loc. cit. num. 11. Graff. num. 20. Prob. ex cap. Conquestus, de sent. excom. qui autem furatur res sacras absq; fractione, uenit excommunicandus, cap. Conquestus, de foro comp.

Panormit.

55. Sed quæres, an Superior possit absoluere absq; obligatione restituendi, eum, qui furatus est à fratre particulari, vel à communitate notabilem quantitatem? ℞. si fur sit restituendo, non potest absolui, quin restituat, quæ à communitate abstulit; quia Prælatus, vt dixi, est procurator conuentus; cap. Cum nobis, fine, de elect. Si autem furatus fuisset à communi penu aliquid sibi vtile, vel necessarium, quod non in magnum redundaret communitatis damnum, posset quidem illum absq; restitutione absoluere, quia sicut poterat illud ante ablationem concedere, ita potest cõdonare, non tamen debet Prælatus esse in hoc multùm facilis, ne ansam tribuat id pluriès attentandi. Quæ autem ablata sunt à fratre particulari, si fur est restituendo, nec adsit motiuum faciendi contrarium, puto quòd non possit absolui, quin restituat, non enim potest Prælatus absq; causa priuare vnum subditum rebus sibi ad vsum concessis, vt eas alteri tribuat. Satisfaceret autem fur, si rem sublatam à particulari, communitati restituat; V. G. si furatus est decem aureos, satisfaciet reponendo illos in cippo communi Ecclesiæ, vt Molf. cum multis loc. cit. num. 92.

56. Noto 15. circa 9. casum, quòd pro isto casu uidendi sunt Long. 2. par. casu 9. Molf. 1. par. sum. tract. 7. cap. 20. à num. 96. Comit. lib. 1. resp. mor. q. 34. ver. Secunda dubitatio; D'Aluin. de po. Abb. cap. 33. à num. 2. Graff. de cas. reser. lib. 3. cap. 8. Quar. ver. Cas. reser. num. 10. pag. mihi 198. Suar. tom. 4. de relig. tract. 2. lib. 2. cap. 18. nu. 12. Per illa verba, *opere consummatus*, intellige, quòd solũ potest reseruari actus impudicus perueniens ad consummationem actus in sua specie, V. G. fornicationis, adulterij, &c. vnde voluntaria pollutio,

Longus. Molfesius. Comitolus. D'Aluin. Graffius. Quaranta. Suarez.

quia propriam speciem constituit, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 12. poterit etiam reseruari. Non intelligetur autem esse reseruata, si alicubi consuetudo declarauerit, quod peccatum contra castitatem sit solum reseruatum, quando est cum tertia persona: quo casu putat Graff. loc. cit. num. 36. quod si quis dictam tertiam personam tangendo, vel osculando proprijs manibus se pollueret, non incideret in casum reseruatum, nam ex vi talis reseruationis requiritur consummatio actus in corporum coniunctione. Sed non est audiendus, nam ibi vere adest tertia persona, & commixtio corporum, siue sit supra vestes, siue subtus, nihil refert. Pollutiones autem, quæ simpliciter voluntariæ non sunt, vt quæ contingunt semidormientibus, & semiebrijs, non possunt reseruari, quia solum potest reseruari lapsus carnis voluntarius. Nec item est reseruabilis pollutio inchoata, & perfecta in somno. Nec item si inchoata, & e lumbis excussa in somnis, in vigilia compleatur, etiamsi ad vitandum morbum, aut alleuiandum naturam eam retinere minimè curaret, vel omnino nollet, nam magis attendendum est principium, quam finis. Et multo minùs sunt reseruabiles, quæ non aduertente, aut reluctante ratione contingunt, vt in confessario audiente confessiones harum rerum, vel ex subito aspectu formosæ mulieris, vel ex delectatione in parte mere sensitiua; quia his omnibus casibus, vel deest omnino voluntas, & nullum adest peccatum, vel, si aliqua adest aduertentia, non est perfecta, & consequenter non est plus, quam venialis: quod intellige, etiamsi in ipso actu pollutionis adsit delectatio. Tactus autem, & oscula non sunt reseruabilia simpliciter, quia non sunt opus consummatum in sua specie. Sentit nouissime
Diana. Diana tom. 3. tract. 2. resol. 118.

57. Et aduerte, quod hi tactus debent omnino vitari à iuuenibus, etiamsi dicatur ab amico, quod honeste illos tangit, vel osculatur, etiam in partibus licitis, vt in facie, & manibus. Verum quidem est, quòd quando quis credit tangi honesto amore, non peccat, licèt alter inhonestè tangat: quando verò credit tangi amore inhonesto, & tactus fiunt in partibus licitis, si id potest vitare sine scandalo eorum, qui nihil de libidine suspicantur, tenetur sub mortali vitare; si autem dubitat, an tangatur honeste, nec ne, & tactus sint in partibus licitis, & ordinarijs, non tenetur: si alibi, tenetur. Peccans cum nouitio circumstantiam nouitij fateri non tenetur, quia hic nondum est Deo sacratus per profes-
Diana. sionem: Diana var. tract. 7. q. 7. Vide Llam.
Llamas. 3. par. met. cap. 8. §. 14. Prædicatores tam actiuè, quàm passiuè, in casum incidunt reseruatum, & vterq; confessionis debito satisfacit, dicendo, Prædicationis vitio sum pollutus, nec est necesse Actiuè, aut Passiuè, par est enim vtriusque peccatum, & si est aliqua differentia, ea non est essentialis. Alphonsus Leo de offic. confess. par. 1. recoll. 9. num. 216. &
Diana. 218. Diana par. 3. tract. 4. resol. 159. Circumstantiæ tamen sacrilegij in hoc casu prædicationis, non affinitatis, vel consanguinitatis, manifestandæ, quia ibi species mutatur; hic quòd mutetur, non inuenio, ad dicta per Trid. sess. 14. de sacr. pœnit. cap. 5. ibi, *colligitur præterea etiam eas circumstantias*, & can. 7. Et aduerte, quod in his peccatis non datur minimum, quando adest plena, & soluta libertas.

58. Noto 16. circa 10. casum, quod hic prohibentur tria. 1. est occisio cuiuscumq; personæ tam secularis, quam Ecclesiasticæ, tam Christianæ, quam non, quæ occisio debet esse voluntaria, & dolo facta; vnde non comprehenditur isto casu, qui non valens aliter vitam seruare, alium occidit, V. G. aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidendo, vel puerum in medio itinere, dum inimicum occidere tentantem fugit. Nec etiã comprehenditur qui lasciuè ludens cum muliere prægnante, eam abortiri facit; quia non est id factum dolo: nec similiter comprehenditur, qui casu fortuito alium interimit. Ita
Longus. Long. par. 2. cas. 10. num. 3. & 4. Graff. hoc tit.
Graffius. lib. 3. cap. 9. à num. 18. Molf. par. 1. sum. tract. 7.
Molfesius. cap. 20. num. 119. Nec item incurrunt casum reseruatum mandantes, associantes, adiuuantes, aut consulentes homicidium, licèt aliàs peccent: nam, cum simus in odiosis, & in pœnalibus, verba legis extendere non debemus, sed propriè intelligere. Molf. num. 120. licet Graff. cit. num. 17. & alij contrarium teneant. Nec item comprehenditur isto casu magister nouitiorum, vel Prælatus, qui percutiendo nouitium, vel subditum ad correctionem, modum excessit, ex quo secuta est mors, licèt aliàs sit irregularis, nam id dolosè non fecit, vnde homicidiarius propriè non est; cap. Si quis iratus, 15. q. 1. Graff. num. 26. Molf. num. 121. 2. quod prohibetur hoc casu, est similiter dolosa, & voluntaria vulneratio, quæ grauis sit, licet enim ibi ista particula, Grauis, non apponatur, subintelligitur tamen ex communibus regulis ad reseruationem pertinentibus, quarum vna habetur in Trid. sess. 14. cap. 7. de sacr. pœnit. vbi dicitur, quòd debent reseruari atrociora, & grauiora delicta; quare qui vulnusculum cum claue, vel lapide, aut etiam gladio alicui impingeret, ex quo parua læsio, & facile sanabilis resultaret, non comprehenderetur hoc casu. Graff. num. 30. Long. num. 7. 3. quòd prohibetur, est grauis percussio. Vt autem hoc intelligatur, sciendum est dari triplicem percussionem, enormẽ, seu grauem, mediocrem, & leuem. Enormis, seu grauis percussio est (quòd enim hæc duo vocabula hic idem significent, docent omnes, & habetur expressè in extr. Io. XXII. quam refert Nauar. loc. proximè citando) est illa, qua quis interficitur, qua membrum scinditur, aut inutile, vel quasi, ad suum munus redditur, vel illa, ex qua effluit, non è naribus, multum sanguinis. Illa quoque dicitur enormis, quæ fit in proprium Prælatum, vel coram eo, vel quæ fit in Ecclesia, cum scandalo populi, vel in publica communitate, etiamsi ex sua natura percussio solùm leuis sit, vt si quis pugno, vel alapa Prælatum percutiat, vel in Ecclesiâ, aut communitate alium subditum; considerata tamen his postremis casibus occasione data à percusso, quæ potest esse talis, vt omnino leuem, immo leuissimam faciat percussionem. Leuis percussio

dici-

dicitur, non quæ ex se est peccatum solum veniale, nam per hoc non incurritur excommunicatio, sed comparatione enormis, & est percussio illa, quę fit pugno, palma, manu, digito, pede, baculo, lapide, quæ nullam maculam, neq; sugillationem carnis relinquit, neq; membrum abscindit, & fit sine effractione dentium, sine auulsione multorum capillorum. Mediocris est illa, quæ mediat inter enormem, & leuem, de qua, cum certa regula tradi non possit, iudicio Prælati relinquitur. In dubio autem, ad arcendos Religiosos à talibus percussionibus, potiùs iudicanda est grauis percussio, quam leuis, iuxta extr. cit. Io: XXII. Atq; ita Nauar. in man. cap.27. nu.91. Graff. 1. par. decis. lib.2. cap.49. à num. 51. Genuen. in praxi, cap. 13. à num.7. Hic itaq; solum statuit Papa, quòd possit reseruari, grauis, & enormis, seu atrox percussio, non leuis, aut mediocris. Ita Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib. 8. cap. 7. num. 24. Long. loc. cit. num. 9.

Nauarrus. Graffius. Genuensis. Fagundez. Longus.

59. Et aduerte, quòd quando iuuenes locantes, ira moti se statim percutiunt, non sunt excommunicati; quòd si, durante ioco, vnus alterum percutiat, & percussus apud Superiorem conqueratur, debet Superior potiùs ambos disciplinare, quia ita locarunt, non enim decet ille locus, quia semper fœtet, quam excommunicatos absoluere; Ita Long. loc. cit. num. 17. Et aduerte quòd non incurritur hæc excommunicatio, quando externa percussio est leuis, & venialis, licèt mortalis sit ob prauum percutientis animum; Nam Ecclesia non excommunicat actus internos, sed externos. Ita Henriq; lib. 13. cap. 17. num. 2. Gutier. can. q. lib.1. cap. 5. num. 13. Sanch. 2. in decal. cap.8. num. 7.

Henriq. Gutierrez. Sanchez.

60. Aduerte etiam, quòd quando duo Religiosi inuicem se percutiunt, sed vnus priùs incœpit, & prouocauit, non sunt ambo declarandi excommunicati, sed solùm qui prouocauit, nisi alter excesserit modum in defendendo, nam prouocatus præsumitur repercutere causa defensionis. Ita Genuen. loc. cit. num. 9. vbi citat Fel. in cap. Significasti, de homic. Bartol. conf. 28. vbi docet non fuisse excommunicatum Monachum, qui alterum monachum iniuriantem sibi percussit; & Ric. 2. par. prax. decis. 466. vbi definit, quòd secularis, qui prouocatus percussit clericum, non est declarandus excommunicatus, non solum quando pro sua, sed etiam quando pro iniurijs, filijs, patri, vxori, seruis, familiæ illatis prouocatus percussit. Quare aliquando censui, excommunicationem non incurrisse Prælatum, qui percussit Monachum in publica communitate, qui eum ebrium vocauerat. Per quod etiam dic, quòd prouocatus iniurijs, si prouocantem iniuriet, non est puniendus, sed qui prouocauit, nam naturale est prouocato respondere, & præsumitur, quòd solùm ad sui defensionem iniurauerit. Quod intellige etiamsi iniuria prolata à prouocato, sit atrocior, nam non est in nostra potestate, sodicacitatibus ijs, quæ contra honorem nostrum dici existimamus, dissimulario, aut silentium, seu etiam circinstorum verborum prolatio. Quod est valde attendendum Prælatis; nam sunt nulti quicum studeant omnes pungere, si leuiter tangatur, vsq; ad sidera strident, iustitiam perunt, & mundum scindere minantur. Quos sano dicterio. Qui timent iocos, iocantes fugiant.

Aduerte hic etiam, quod, vt quis dicatur publicus Clerici percussor, vt illum euitare teneamur, requiritur, vt constet percussorem nullam habuisse causam percutiendi, nam si potest probabiliter aliquam causam allegare, vtpote se fuisse ebrium, aut in suam iustam defensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem esse percussioni annexam quamdiù non constiterit non ita esse, non erit vitandus; hoc autem constare non potest, nisi per iudicis sententiam. Ita Fagund. præcep. 1. lib.2. cap.5. num.12. Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 8. num.7. Sayr. de censur. lib.2. cap. 12. num.18. Diana tom.3. tract.5. resol. 14.

Fagund. Couar. Sayrus. Diana.

61. Noto 17. circa 11. casum, quòd hic primò prohibetur malitiosum impedimentum, quod sit peccatum mortale, aut similiter malitiosa retardatio literarum à Superioribus ad inferiores subditos, aut è contra; siue hæc retardatio, aut impedimentum fiat operando, ne tabellarij inueniantur, qui literas deferant, vel eos corrumpendo, ne tradant, vel tardiùs tradant, quam par sit, vel eas lacerent, comburant, &c. & eo ipso quòd ad incurrendum hunc casum audis requiri malitiam, dic, bonam fidem, negligentiam, aut etiam imprudentiam excusare. 2. prohibetur etiam malitiosa apertio dictarum literarum; quòd intellige, etiamsi aperiens suspicetur esse in illis aliquid contra se, nam semper sit iniuria Superiori; excusarem tamen, qui literas inferioris ad Superiorem contra se scriptas de rebus grauibus ipsum falsò infamantibus retardaret, quousq; ipse priùs dictum Superiorem informasset, aut etiam eas combureret, præsertim si sibi constaret de non recta in ipsum Superioris mente, vel quod Superior esset primæ impressionis, & quòd deinde nollet aliorum rationes audire; ius namq; naturale honorem proprium defendendi, hoc casu malitiam ab illo actu auferret. Non incurret hunc casum, qui literas Superioris ad non subditos, siue seculares, siue Ecclesiasticos aperiret, aut retardaret, vel impediret. Nec similiter, qui idem faceret de literis non subditorum ad Superiorem, quia casus loquitur clarè de literis Superioris ad subditos, & è contra. Nec item incurret, qui epistolam Prælati in suo cubiculo ad inferiores subditos mittendam legeret, vel raperet; quia hic neq; impedit, neq; retardat, neq; aperit; incurret autem, si subtiliter aperiat, & deinde claudat. Videatur Quar. in sum. bull. ver. Cas. reser. num.12. Long. par.2. casu 11. Graff. hoc tit. lib. 3. cap. 10. Fagund. in 2. præcep. Eccl. lib.8. cap.7. à num.25. Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap.18. num.13. Molf. tom. 1. sum. tract. 7. cap. 20. à num.125. Portel in addit. ad dub. reg. ver. literæ Prælatorum. Vide etiam quæ dico tom.1. huius op. q. 2. cap. 2. §. 13. & de aperientibus alienas literas, Menoch. de arb. lib.2. casu 538.

Longus. Quaranta. Graffius. Fagundez. Suarez. Molfesius. Portel. Menochius.

§. 2. *An liceat Prælatis regularibus vti notitia confessionis ad exterius regimen.*

D.Thom. Ricardus. Paludan. Bannes. Suarez. Sanchez. Reginald. Filliucius. Valentia. Fagundez. Yribarnes. Delrius. Graffius. Reia. Fernand. Conradus. Longus. Malderus. Vechius. Victorel. Bonacina. Nugnus. Vasquez. Sotus.

62. IDE D. Thom. quodl. 5. art. 13. & in 4. d. 21. q. 3. art. 1. q.la 1. ad 3. Ricard. ibidem, art. 4. q. 2. ad 4. Palud. ibid. q. 3. art. 3. concl. 3. Bann. 2. 2. q. 33. hue, ver. Ad confirmationem. Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 33. sect. 7. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 16. Reginald. in prax. lib. 3. a num. 14. Filliuc. tom. 1. tract. 7. à num. 331. Valen. tom. 4. disp. 7. q. 13. par. 3. col. 4. ver. Quia etiamsi. Fagund. in 2. præc. Eccl. lib. 6. cap. 2. & 3. Menoch. de arb. cas. 414. Yribar. in 4. d. 21. q. 2. disp. 20. sect. 1. col. 11. à ver. Libet in medium. Delrium mag. disq. lib. 6. sect. 2. ver. Quoad 2. Graff. 1 par. 1. decis. lib. 1. cap. 13. à num. 8. Beiam. 3. par. cas. casu 11. Fernand. 1. par. c. 3. § 3. num. 8. Conrad. 1. par. cas. q. 334. 335. Long. cal. secr. pat. 1. sect. 1. art. 13. Mald. de sigill. confess. cap. 14. Vech. de nou. disp. 18. dub. 4. Victorell. ad lib. 3. Toleti cap. 16. ver. Confessario; Bonac. de sacr. pœnit. disp. 5. q. 6. sect. 5. par. 4. à num. 13. Nugn. in add. ad 3. par. q. 11. art. 1. Vasq. tom. 4. in 3. par. q. 93. art. 4. à dub. 8. Sotum in 4. d. 18. q. 4. art. 5. in solut. 4. & de secr. reg. memb. 3. q. 4.

63. Nota, quòd sacramentalis confessio est à Christo Domino instituta in humani generis subleuationem, & consolationem, vnde 2. tabula vocatur post naufragium, qui cum eius difficultatem perspexisset, quæ in vsu talis sacramenti erat futura, attenta conditione humanæ naturæ, occultationis propriorum defectuum studiosissimæ, strictissimo omnium à se se institutorum iure, sacerdotibus, ad id muneris in specie deputatis, secretò custodiri mandauit, quæ in tali sacramento audirent, & ita custodiri iussit, vt nec pro vita propria, nec aliena, nec pro vitando quocunque scandalo, nec pro obtinendo quocunque bono, ea reuelare possent, aut deberent, etiamsi Angelus aliter faciendum reuelaret, & Papa, aut tota Ecclesia aliter iuberet, aut dispensaret. Videatur Vasq. loc. cit. dub. 1 & 10. Mald. loc. cit. cap. 2 & 3. Sot. de secr. reg. cit. ver. Ex quo sequitur. Suar. loc. cit. sect. 1. à num. 2. Vnde ius canonicum seuerissimas inflixit pœnas sacerdotibus confessionem reuelantibus, vt constat ex cap. Sacerdos, de pœnit. d. 6. & cap. Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.

Menochius. Aldrete.

vide Menoch. loc. cit. à num. 1. Aldr. de relig. discipl. tuen. lib. 2. cap. 19. §. 1. num. 1. & 2. quem vide etiam §. 2. si cupis scire, qua pœna puniendus venit, qui sine licentia confessiones audit; & §. 3. si vis scire, qua pœna sit puniendus, qui non sacerdos confessiones audit.

64. Dicendum est, non posse Prælatum regularem absque grauissimo peccato mortali vti scientia habita in confessione ad externum regimen, sed teneri, audita confessione, omnino se gerere, ac se gessisset, si confessionem non audisset. Ista sententia est contra multos antiquos DD. sentientes, vsum talis scientiæ esse licitum, quando in eo vtendo nullum adest periculum detectionis directæ, aut etiam indirectæ sigilli confessionis. Hos citat Sanchez loc. cit. num. 2. & Fagund. cit. cap. 2. nu. 2. Est tamen communior inter recentiores, & eam tenet Armilla. ver. Confessor. num. 7. Bann. Val. Delr. Victor. loc. cit. Sanch. cit. num. 4. Suar. num. 4. sect. 1. loc. cit. Fagund. cit. cap. 3. num. 1. Conrad. tom. 1. q. 334. ver. Quod publico, & q. seq. in addit. Vech. nu. 3. Filliuc. num. 333. & 335. Mal. cit. ver. Vlterius clemens. Prob. Tum quia quæ scit confessor in confessione, scit vt Deus, vt dicitur in cap. Si sacerdos, de off. ord. & docet D. Tho. in 4. loc. cit. ergo ea scientia minime potest vti vt homo, & humano modo pro foro exteriori. Tum quia potissima ratio, quare confessionis sigillum tam inuiolabiliter obligat, est ad temperandum durissimum confessionis præceptum, & ad illud facilitandum, vnde vitanda sunt illa omnia, quæ confessionem, & difficilem, & odiosam, & onerosam reddere possunt; at redditur odiosa confessio, si pœnitentes intelligant, se per illam posse aliquid in externo foro pati. Tum quia expressè Regularibus prohibuit Clem. VIII. & confirmarunt tres subsequentes Pontifices Paulus V. Greg. XV. & Vrb. VIII. vt constat ex const. 10. Vrb. VIII. tom. 2. nostr. prælud. §. 73. vbi dicitur, *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm confessarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.* Vnde sententia contraria apud Regulares saltem iam non habet locum. Sed nota tria circa hoc decretum. 1. quod Papa vetat absolutè, Prælatum tali scientia vti, siue ea vtatur in rebus, quæ sibi sunt in sua libera potestate, siue in ijs, quæ nō potest facere sine causa, siue ea vtatur absque periculo fractionis sigilli quoad alios, siue quoad ad pœnitentem ipsum, cum enim ipse non distinguat, nec nobis distinguere licet, sed obseruare. Ita Suarez loc. cit. num. 4. fine. 2. nota illam claususlam *diligentissimè caueant*, per quam nemo dubitat, quòd formale obedientiæ præceptum ad mortale obligans importetur. 3. quòd non possunt Prælati non solum vti notitia confessionis, quam habuerunt tempore Prælatiæ, sed nec illa, quam habuerunt antequam ad Prælatias assumpti essent. Hæc tamen sententia est cum grano salis intelligenda, nimirum vt non possit Prælatus dicta scientia vti ad exterius regimen in ijs, in quibus pœnitens confundi, verecundari, damnificari, præiudicari in honore, vita, & rebus, aut in aliquo rationabiliter minorari potest. Nam dictum statutum videtur solum velle concernere subditorum indemnitatem, & ad hoc solum factum est, vt ex proœmio illius constat. Vnde non prohibet, quin, salua dicta subditorum pœnitentium incolumitate, saluoque confessionis sigillo, non possit Prælatus dicta scientia vti, quando pro vita, fama, & bonis suis, & suorum prudenter iudicauerit. Atque ita limitant hanc sententiam Fagund. in 2. præc. Eccl. lib. 6. cap. 3. num. 1. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 16. num. 4. ver. Est tamen, Mal. de sigill. conf. loc. cit. Delr. & alij.

Armilla. D.Thom. Suarez. Fagund. Sanchez. Mal. Delrius.

65. Ex qua sententia sic declarata colligitur

1. quòd

2. quòd si ex confessione cognoui, parari mihi insidias ad mortem, vel vulnerationem, possum domum non exire, alias exiturus. Possum item denegare gladium apud me depositum illi, qui eo me vult occidere, aut vulnerare. Possum item mutare locum, & domum, aliunde, sumpta occasione, si ex confessione sciam hac nocte mihi malum grande in hoc loco intendi. Possum item non intrare syluam ad euadendum insidias, ad quam ex confessione scio me vocandum fore insidiosè. Possum item vinum venenatum non bibere. Et si ex eadem confessione sciam, aliquos conuenisse, vt hac nocte diripiant cellam meam, vel amici mei, possum totam noctem in cella, vel amici mei, honestè ludendo, iocando, transigere. Item si sciam ex confessione, meum confessarium non esse sacerdotem, vel non esse approbatum, possum illi ampliùs non confiteri. Possunt item Prædicatores in communi coarguere, dummodò non dicant se id ex confessione scire. Poterunt item Prælati reseruare sibi casus, si via confessionis sciant vergere aliquos in detrimentum suæ Religionis. Potest item Prælatus orare pro pœnitente, petendo à Deo remissionem, vel emendam. Item potest consulere in re dubia virum doctum sine periculo cognitionis personæ, non tamen si expressè id vetuisset pœnitens, vt aduertit Mald. de sigill. cap. 14. ver. Quæres, an confessarius. Item ex confessione vnius potest confessarius alterum in confessione interrogare in genere tamen, an scilicet habeat aliud peccatum, quòd illius conscientiam grauet. Atq; ita Fagund. loc. cit. Sylu. ver. Confessio 3. num. 12. Mald. cit. Suar. loc. cit. nu. 9. Bonac. disp. 5. de sacr. pœn. q. 6. sect. 5. par. 4. num. 27. & 28. Sanch. loc. cit. & alij multi apud Fagund. Et ratio est; quia in his omnibus casibus nulla fit iniuria, vt suppono, sacramento confessionis; semper enim debet aliqua externa causa prætexi, quæ de se non sit indicatiua, neq; directè, neq; indirectè confessionis, neq; vlla fit iniuria pœnitenti, neq; vllus iniicitur ei rubor; cum enim sacerdos in ijs casibus ius suum, vel gregis sui quærat, nemini facit iniuriam; neq; potest quis rationabiliter conqueri, aut posse fieri, quòd quis suam incolumitatem, aut proximi, aut communitatis quærat: neq; ex hoc potest rationabiliter retrahi à sacramento pœnitentiæ; neq; item ex hoc redditur onerosa, aut odiosa confessio.

Fagundez. Syluester. Malder. Suarez. Bonacina. Sanchez.

66. Colligitur 2. non posse confessarium extra confessionem, etiam ad corrigendos errores intolerabiles in confessione cōmissos, monere pœnitentem de rebus in confessione auditis, absq; ipsius licentia; quia ad hoc etiam obligat confessionis sigillum; & memoriæ refricatio de peccatis commissis committentem contristat. Sanch. loc. cit. num. 3. ver. Tertiò, vbi multos citat, & Fagund. num. 6. Mald. de sigillo, cap. 21.

67. Colligitur 3. quòd Superior, qui ex confessione nouit, confessō esse periculosum adire talem locum, non potest ex illa scientia ei negare licentiam adeundi dictum locum, aut prohibere, ne ad eum locum eat; potest tamen in confessione exigere propositum firmum non ampliùs eum locum adeundi, eiq; præcipere in eadem confessione ne adeat, quando tantum est periculum, vt lege naturæ teneatur vitare, & defectu huius propositi negare absolutionem. Ita Mald. loc. cit. ver. Videtur. Portel in dub. reg. ver. Prælati potestas, num. 11. Nec refert, quod hoc casu Prælatus non adhibeat suo subdito remedium efficax, quod potest, eum amouendo à conuentu, vel prohibendo ne accedat, nam, vt sanctè D. Thom. in 4. d. 21. q. 3. art. 1. q̄la 1. ad 3. non tenetur Prælatus adhibere malo remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum defertur.

Malderus. Portel.

D. Thom.

68. Colligitur 4. non posse licitè Prælatos vti notitia confessionis complicis alicuius delicti, vt sint vigilantiores circa alios complices, nec posse licitè solito diligentiùs inuigilare, vel insidias parare, vt eos in delicto comprehendant; quia ex hac cautela necessariò redditur odiosa confessio. Ita Fagund. loc. cit. nu. 9. in parte Suar. to. 4. in 3. par. disp. 33. sect. 7. num. 10.

Fagund. Suarez.

69. Colligitur 5. non posse Prælatum vti scientia confessionis ad non eligendum illum, quem per talem scientiam nouit indignum, si dignissimus iudicatur ab omnibus, sed teneri eum eligere, licèt suffragia dentur secretò; quamuis loquendo de subdito, tom. 1. huius op. cap. 31. § 2. ver. Quæres 1. contrarium dixerim. Ita Mald. loc. cit. vers. Secundo si lege, & ver. Sextò generatim; Vech. de nou. disp. 12. dub. 4. nu. 2. Sanch. 3. de matr. disp. 16. num. 4. ver. Est tamen; Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 337.

Vechius. Sanchez. Filliucius

70. Colligitur 6. non posse Prælatum vllo modo remouere aliquem ab officio ad nutum amouibili, per solam scientiam habitam in confessione. Ita Fagund. loc. cit. nu. 1. Mald. cit. ver. Quæres etiam potest. Conrad. tom. 1. cas. q. 335. in addit. Ban. Val. loc. cit. Suar. cit. disp. 33. sect. 7. num. 4. Sanch. loc. cit.

Conradus.

71. Colligitur 7. non posse confessarios ex sola scientia confessionis, monere Superiores, vt plus solito inuigilent, cautelas maiores adhibeant, quia tali die, & hora committendum est tale delictum: neq; quòd inuigilet super gregem suum, quia illum tale peccatum inuasit, & committitur ordinariè; Quia forum confessionis nullum habet commercium cum foro exteriori, & ex tali admonitione statim conijcitur, id scitum fuisse in confessione, quod est contra sigillum, & ex hoc redditur odiosa confessio. Posset tamen obligare pœnitentem ad id Superiori denunciandum, vel ab eo obtinere licentiam id faciendi. Ita Fagund. in 2. præc. Eccl. lib. 6. cap. 3. num. 8. Reginald. in praxi, lib. 3. num. 14. ver. Quamquam; inclinat Mald. de sigil. cap. 14. ver. Quæritur deniq; Et in omnium opinione non potest confessarius id facere, quandò adest periculum directæ, vel indirectæ fractionis sigilli. Sed nostrum corollarium procedit etiam sine tali periculo, sed ex sola suspicione, quòd id scitum sit in confessione, seu ex sola simplici scientia confessionis; Quæ suspicio hoc casu semper adest; alioquin enim si id scitum sit extra confessionem, omnino pro bono publico reuelandum est, etiam cum tali periculo. Vnde cum reuelatarij videris id sibi cum tanta cau-

Fagund. Reginald. Malderus.

teis reuelari, statim conijciens, id fuisse scitum in confessione, immo cogens etiam confessarium ad id dicendum, vtendo hoc dilemmate, Vel hoc scis in confessione, vel non, si a. teneris pro bono publico fateri; si non fateris, ergo scis in confessione. Consulo itaq; semper confessarios, vt taceant, pro reuerentia sacramenti.

72. Colligitur 8. non posse Prælatum ex sola notitia confessionis transferre expensorem, seu alium fratrem conuentus furantem eleemosynas, panem, &c. Nec similiter potest ex eadem sola notitia dimittere famulum conuentus propter iam sæpe dictas rationes. Ita Fagund. loc. cit. num. 1. Mald. loc. cit. ver. Huc spectat dubium. Bonac. de pœn. disp. 5. q.6. sect.5. par.4. num.15.

Bonacina.

73. Colligitur 9. non posse confessarium ne occultè quidem vitare, quem ex sola confessione nouit excommunicatum vitandum. Fagund. loc. cit. nu. 16. Mald. de sigill. cap.12. ver. Decimoquartù. Suar. tom.4. in 3. par. disp.33. sect.6. num. 3.

Fagundez. Malderus. Suarez.

74. Colligitur 10. non posse Prælatum, aut confessarium ex sola scientia confessionis rusticiorem se, vel in gestis, vel in verbis, vel in nutibus pœnitenti demonstrare; quia ex hoc redditur odiosa confessio. Ita Bonac. loc. cit. num.26. Reginald. in praxi, lib. 3. num. 24. Mald. de sigill. cap. 21. ver. Deniq;

Reginald.

75. Colligitur 11. non posse Prælatum repellere suum subditum ab ordinatione, quando per solam confessionem nouit ipsum esse irregularem, vel indignum; posse tamen exigere à pœnitente, vt abstineat, & denegare absolutionem, quando non vult abstinere ab his, quæ sine mortali facere non potest. Ita Conrad. tom. 1. cas. q. 335. In addit. Sanch. 3. de matr. disp.16. num.4. ver. Est tamen.

Conradus. Sanchez.

76. Colligitur 12. non posse Prælatum Eucharistiam denegare illi, quem per solam confessionem nouit indignum, siue publicè, siue occultè petat. Sanch. loc. cit. num. 11. Bonac. loc. cit. num.17. Fagund. loc. cit. num.1.

77. Ad vltimum hic nota, quòd confessarius, qui iocandi gratia, & ad recreationem dicit ea, quæ audiuit in confessione absq; circumstantijs, & etiam citra periculum reuelationis, grauiter peccat. Quia vti illis, quæ ex tali sanctuario accepta sunt, ad ridendum, est valde irreligiosum, & de se scandalorum productiuum, maximè quando diceret specificè, ea se in confessione audiuisse. Ita Mald. de sigill. cap. 14. ad finem, ver. Quæres an confessarius; vbi ait, quòd tales confessores habituri sunt partem cum illis babylonicis, qui temulenti biberunt ex sacris vasis templi, Dan. 5. & approbat etiam dictum Hostiensis sententiis, tales confessarios esse priuandos facultate audiendi confessiones, quod sine graui culpa non est faciendum. Et Sot. de sec. teg. membr. 3. q. 4. concl. 3. vers. finem ait, cauendum esse confessarijs à spargendis salibus de confessionibus, quia vltra scandalum, sæpe vsu venire solet, vt illi in aures pœnitentium perueniant, vnde grauiter offenduntur.

Sotus.

78. Nota etiam, quòd confessarius iniquè interrogatus, an reus confessus sit tale peccatum, potest dicere, & iuramento affirmare, se tale peccatum in confessione non audiuisse; vel reum sibi hoc confessum non fuisse, mente intelligendo, Vt reuelare possim; quia iudici iniquè interroganti non tenemur ad mentem respondere, sed possumus amphibologia vti. Ita Delr. mag. disq. lib. 6. sect. 2. ver. Ex hac autem; Reginald. in praxi, lib. 3. num. 22. Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 33. sect. 6. num. 6. & 7. Nauarrus in cap. Sacerdos, de pœn. d. 6. num.141. Sed quid; si tyrannus huius doctrinæ non nescius, obliget ad iurandum quòd non æquiuocauit in tali responsione? Dico, quòd adhuc potest mentem restringere, & æquiuocationem æquiuocationi adiungere, & impietatem tyranni vera virtute deludere.

Delrius. Reginald. Suarez. Nauarrus.

CAP. III.

De auctoritate, quam habent Prælati regulares super votis suorum subditorum.

1. IDE D.Thom.2.2. q.88.art.8. vbi Caiet. & Arag. Val. tom.3. disp.6.q.6.p.6. Azor to.1.lib.11. cap.17. à q.4. & cap.18. à q.16. Rodriq; tom.1. q. reg. q. 25. ab art.4. Mir. tom.2. man.q.32. Sot. lib. 7. de iust. q.3. art.1. Palat. in 4. dist.38. disp. 3. de vo. à ver. Facilius tamen; Sayr. in claui reg. lib.6. cap.5. à num.18. & cap.10. à n.8. & cap.11. à num. 87. Less. lib. 2. de iust. cap.40. à num.71. Molf. par. 1. sum. tract. 11. cap. 13. à num. 26. & cap.15. à num. 65. Sanch.4. in dec. cap.25. Filliuc. tom.2. tract.26. cap.6. à nu.171. & cap.8. à num.240. Suar. tom.2. de relig. lib.6. de vo. cap.7. & lib.3. cap.5. & tom.3. de relig. lib.2. cap.13. à num.8. & tom.4. de relig. tract.1. lib.2. cap. 12. num. 10. Ghet. in thel. mor. ver. Votum, cap.6. à nu.1. Ledes. 2. par. sum. tract.10. de vo. cap.7. à dub.1. pag. mihi 820. A S. Faust. in thes. lib.2. à q.3. & à q.139. & lib.3. à q.21. Graff. 2. par. decis. lib. 2. cap. 12. num. 20. Portel in dub. reg. ver. Votum, à num. 16. & in addit. à num.57. Nauar. in man. cap. 12. num.67. & 69. Veg. tom.2. sum. cap. 126. à casu 87. Liam. 3. p. met. cap.4. §.42.

D. Thomas. Caietanus. Aragon. Valentia. Azor. Rodriq. Miranda. Sotus. Palatius. Sayrus. Lessius. Molfesius. Sanchez. Filliucius. Suarez. Ghetius. Ledesma. A S. Faust. Graffius. Portel. Nauarrus. Vega. Liamas.

2. Dico 1. Possunt Religiosi licitè, & meritoriè ea omnia bona opera vouere, quæ nec regula, nec Superiorum præcepto eis sunt interdicta, nec eos à debito illorum obsequio retrahunt; & dicta vota statim obligant, nullo expectato Superiorum consensu, & ea seruare tenentur vouentes, donec Superior illis contradicat. Ita Sanch. loc. cit. num. 8. Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. de vo. cap. 5. à num. 3. Filliuc. cit. cap.6. num. 172. Mir. art.4. concl.4. Sayr. cap. 5. num. 22. Azor cap. 17. q.4. Portel in addit. cit. ver. Votum, num. 61. Tostat. in cap.30. Num. q.72. Vega caso 90. Less. Graff. loc. cit. Tribuitur D. Thom. loc. cit. vbi eam expressè tenent Caiet. & Aragon. Probatur Tum quia materia est apta ad emittendum votum. Tum quia ad sic vouendum nullo iure Religiosis reperitur vetitum.

Tostatus.

3. Noto 1. quòd Ricard. in 4. d.38. art.4. q.1. Host. in sum. de vo. §. Quis vouere possit, n.7. ver. Item nec votum; Ang. ver. Votum 2. nu.7. Rosel. eod. 2. num. 14. tenent, quòd Religiosi

Ricardus. Hostiensis. Angelus. Rosella.

non

non possunt licitè vouere absq; Superioris consensu, quòd si voueant, irritum est. Probant tum ex iure can. cap. Monacho 20. q. 4. vbi dicitur, *Monacho non licet votum vouere sine consensu Abbatis, si autem vouerit, frangendum erit.* Tum quia votum est à voluntate, quæ subiecta est Prælatis. Tum quia tam graue est Religionis onus, vt supergrauari non possit sine periculo succumbendi. Tum quia sæpe transfigurat se Satanas in Angelum lucis ad decipiendum Religiosos deuotos, vt his votis se arctent, ad hoc vt deinde vel omittant Religionis debita, vel vota non seruent, & sic implicet in multis scrupulis, & quæstionibus, quæ ipsos toto tempore vitæ suæ inquietent. Tum quia dicta vota propria voluntate facta, & executioni mandata, non videtur placere Deo, ad illud Esa. 58. vbi illi interrogationi, *Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Respondit Deus, *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Vbi tota causa, quare dicta bona opera humilitatis, & ieiunij non placuerint Deo, refunditur in id, quod facta sint propria voluntate. Vnde etiam Bern. ser. 71. in Cant. *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi bona non sint.* Quare hæc sententia non solùm temeraria non est, vt eam temere dicit Ledes. loc. cit. dub. 1. ver. Digo lo primero, immo valde probabilis. Tum quia fundatur rationibus, & auctoritatibus. Tum quia licèt contraria sit probabilior, non est tamen ita certa, vt illi contradici non possit. Tum; quia DD. huius sententiæ non eam nobis tradunt tanquam omnino indubitabilem, sed tanquam probabiliter veram, & sic probabilem putat Anton. 2. par. tit. 11. cap. 1. §. 6. ver. Quinto clerici.

D. Bernar.

D. Anton.

4 Noto 2. quòd alij in hac controuersia tenent, quòd nulla Religiosorum vota, etiam de materia illis non prohibita, sunt obligatoria antequam approbentur, & ratificentur tacitè, vel expressè per Superiorem. Quia Religiosi non solum subduntur Superioribus quò ad materiam promissam, vt sic sufficiat ad votorum valorem ipsos Superiores non contradicere, sed etiam subduntur quo ad voluntatem, qua vouent, cuius dominium est apud Superiorem; vnde actus promittendi in talibus subditis, vtpote qui est vsus voluntatis alienæ, non est Deo acceptus, nec obligationem inducit, donec Superior consentiat. Et pro hac sententia puto esse tex. expressum in dicto cap. Monacho. Vnde constat, quòd ista sententia discrepat à 1. quatenus docet, quòd huiusmodi vota non sunt obligatoria ante Superioris consensum tacitum, vel expressum, vt 1. docebat. Discrepat etiam à 2. quatenus dicit, quòd huiusmodi vota sine peccato fiunt, & non sunt ipso facto nulla. Atq; ita expressè Antonin. 2. par. sum. tit. 11. cap. 1. §. 6. Pisan. ver. Votum 2. §. Verum qui sunt subiecti, & §. penul. Bellouac. in spec. mor. lib. 1. par. 3. d. 67. Graff. tom. 2. conf. lib. 3. de vo. conf. 1. num. 12. Gher. loc. cit. ver. Votum, cap. 6. q. 2. & 3. Val. tom. 3. disp. 6. q. 6. par. 6. col. 3. ver. Et quoniam hæc. Et est sine dubio sententia expressa D. Thom. prout de mente eius eam tenent præfati DD. 2. 2. q. 88. art. 8. vbi ad 3. disertis verbis ait, *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati.* & ad 4. ait, *Licet votum eorum, qui sunt alterius potestati subditi, non sit firmum sine consensu eorum, quibus subijciuntur, non tamen peccant vouendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, si Superioribus placuerit, vel non renitantur;* si scilicet scientes votum, non contradicant, quia tunc consentire videntur, ad illud, Qui tacet, consentire videtur; & ille dicitur consensus tacitus. Quæ verba sunt ita clara, vt obscurari non possint, vel debeant. Quare, vt ingenuè fatear, hæc D. Thom. sententia mihi magis placet, quam aliæ, & eam securiorem existimo in praxi, & est ablatiua scrupulorum, & est exclusiua fallaciarum dæmonis, vnde ei toto corde subscribo, si addam, teneri subditum post votum peractum, ne illud sit irrisorium, & vanum, statim ac commodè poterit, monere expressè Superiorem de voto facto, ad videndum, an velit consentire, nec ne, eo modo, quo auctores 1. sententiæ tenent, Religiosum facientem votum de re prohibita à Prælato, teneri monere Prælatum expressè, se tale votum fecisse; nec sufficere, si petat facultatem faciendi quod vouit, nisi exprimat se votum fecisse. Hi sunt Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 5. num. 20. ver. Quamuis igitur, Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 7. num. 14. Sanch. 4. in dec. cap. 25. num. 24. & 28.

Pisanella

Bellouac.

Graffius.

Valentia.

5. Noto 3. quòd postquam Prælatus dedit licentiam subdito votum faciendi, vel factum adimplendi, potest adhuc licentiam, seu consensum præstitum reuocare, ita vt subditus ampliùs non teneatur votum illud implere. Ita Caiet. 2. 2. q. 88. art. 8. ver. In eod. ar. vbi Arag. col. 5. ver. Est aliud dubium: Sot. lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. ver. At verò, ibi, *Nihilominus respondetur;* Val. loc. cit. ver. 3. quæst. Ledesm. 2. par. sum. tract. 10. de vo. cap. 7. dub. 2. pag. mihi 824. *Sayr.* cit. cap. 10. num. 12. Vega tom. 2. sum. cap. 126. cas. 91. Rodriq; to. 2. sum. cap. 91. num. 6. Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 10. num. 75. Reginal. in praxi, lib. 18. nu. 304. Filliuc. tom. 1. tract. 26. cap. 8. num. 245. Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 8. nu. 4. Sanch. 4. in dec. cap. 27. num. 9. Prob. Tum quia licèt Superior det facultatem ad vouendum, tamen adhuc retinet sibi dominium voluntatis subditi, & rei offerendæ per executionem voti, solum enim eam facultatem concedit, quæ subdito sufficit, vt & voluntate propria, & re offerenda vtatur, vouendo, & exequendo votum. Quæ facultas cum possit concedi absq; translatione dominij, vt constat, quia possum alicui concedere, vt re mea vtatur ad libitum suum, reseruando tamen semper mihi dominium eam resumendi; ergo existimandum est, quòd Superior, saluo sibi dominio, illam concesserit. Tum quia id non obscurè colligitur ex cap. Noluit, & ex cap. Manifestum, 33. q. 5. vbi habetur, quòd si maritus consentiat voto vxoris, & deinde reuocat, mulier non tenebitur ampliùs voto. Quare etiamsi nullam rationabilem causam haberet Prælatus dictam licentiam reuocandi, adhuc reuocatio teneret, & subditus deobligaretur à voti executione, vt Val. loc. cit. col. 5. ver. Cæterùm. Sayr. Ledes. Immo addit Sanch. loc. cit. num. 21.

Caietanus. *Aragon.* *Sotus.* *Valentia.* *Ledesma.* *Vega.* *Rodriq.* *Lessius.* *Reginald.* *Filliucius* *Suarez.* *Sanchez.*

posse

posse Prælatum irritare votum, etiamsi concedendo facultatem vouendi, seu votum confirmando, protestatus esset, se illam irreuocabiliter concedere, & illud votum eximere à sui potestate, quia non potest à se abdicare dominium voluntatis subditi.

6. An autem peccaret Prælatus, sine causa dictam licentiam reuocando, putant aliqui quòd non, quia vtitur iure suo; á veniali tamen non excusant alij. Videtur enim quædam deformitas rectæ rationi contraria, quòd Superior, qui debet posse reddere rationem omni poscenti, hic solam voluntatem pro ratione habeat. Colligitur ex cap. Manifestum, 33. q.5. Ita Ledesm. loc. cit. ver. Digo lo segundo; Val. loc. cit. col. 1. ver. Ad quam; Sayr. loc. cit. num. 14. Sylu. ver. Votum 4. q. 2. ver. Secatum. Vide infra num. 11. Immo aliqui putant, talem irritationem posse esse mortale, Regin. Ledes. Vega loc. cit. Sanch. num. 32. Sed nisi adsit contemptus, vel scandalum, non posse esse mortale, dicit Suar. loc. cit. cap. 4. num. 12. & hoc etiamsi materia voti sit grauis.

7. Dico 2. Possunt Prælati regulares vota omnia simplicia suorum subditorum regulariter irritare. Ita Sayr. loc. cit. num. 8. Sot. loc. cit. Ledesm. cit. dub. vlt. pag. mihi 826. Vega cas. 88. Azor par. 1. lib. 11. cap. 18. q. 16. Sylu. cit. dicto 5. Ang. ver. Votum 2. num. 3. Rosel. eod. 2. num. 14. Nauar. in man. cap. 12. num. 65. ver. Item quod verior; Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 25. art. 5. Less. loc. cit. dub. 10. num. 74. A S. Faust. lib. 2. thes. q. 141. Regin. loc. cit. num. 231. Molf. tom. 1. sum. tract. 11. cap. 15. à num. 65. Miranda tom. 2. man. q. 32. art. 4. concl. 2. Fillinc. tom. 2. tract. 26. cap. 8. num. 241. Sanch. 4. in dec. cap. 33. à num. 2. Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. num. 3. Portel in dub. reg. ver. Votum, num. 32. Prob. quia per professionem ita se tradit Religiosus in potestatem Superioris, vt hic super illum acquirat dominium super omnes eius actiones, vt dicitur in cap. Si Religiosus, de elect. in 6. vbi habetur, *Si Religiosus, cuius arbitrium non ex sua, cum velit, vel nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei super caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet.* & idem habetur in cap. Non dicatis, 12. q. 1. Atq; ita seruatur in praxi apud omnes Religiosos.

Sayrus. Sotus. Ledesma. Vega. Azor. Syluester. Angelus. Rosella. Nauarrus. Rodriq. Lessius. A S. Faust. Reginald. Molfesius. Miranda. Fillincius. Sanchez. Suarez. Portel.

8. Noto 1. quòd hæc potestas vota subditorum irritandi competit Prælatis ex iure diuino naturali; eo enim ipso quòd quis Religionem profitetur, subijcitur per obedientiam ita arbitrio Prælati, vt facta professione, iure naturali, & diuino, non possit ab illo suam voluntatem dimouere, sine ipsius iniuria. Ita Arag. 2. 2. q. 88. art. 8. col. 4. ver. Tertiò est aduert. Suar. loc. cit. num. 4. & 6. Vega loc. cit. ver. Et finalmente nota; Sot. lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. Mir. loc. cit. concl. 6. Rodriq. loc. cit. & par. 2. sum. cap. 91. num. 1. Ledesm. 2. par. sum. tract. 10. de vo. cap. 7. dub. 4. ver. Digo lo tercero, Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 10. num. 7. ver. Potestas autem, A S. Faust. loc. cit. q. 151. Sanch. loc. cit. cap. 34. num. 32. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 18. q. 3.

9. Noto 2. quòd Prælatus potest irritare vota merè interna, vt vota faciendi quotidie tot actus amoris, fidei, &c. Licèt enim Prælatus tales actus, vtpote merè internos, & nihil impedientes alia opera obedientiæ, prohibere non possit, potest tamen ab eis auferre obligationem voti. Tum quia hoc ad bonum Religionis regimen pertinere potest. Tum quia cum petitur à Prælato voti irritatio, iam transit votum illud internum in externam materiam. Tum quia quando dicitur, quòd Ecclesia non iudicat de internis, intelligitur, quòd de illis non iudicat potestate iurisdictionis, at verò potestate dominij bene de illis iudicare potest. Tum quia aliud est, actus internos iubere, vel prohibere, aliud ab obligatione liberare, prius enim onus est, ac proinde præceptum de illo imponere, petit posse de illo iudicare, & transgressores cogere, quod nulli potestati conuenit; 2. autem cum onus non imponat, sed ab eo liberet, non indiget potestato legis, aut præcepti ferendi circa illud, vnde, cum sit fauorabilius, Prælato Religionis denegandum non est. Ita Suar. tom. 2. de relig. de vo. lib. 6. cap. 7. nu. 8. Sanch. 4. in dec. cap. 34. num. 40. Portel in dub. reg. ver. Votum, num. 32. *Suarez. Sanchez. Portel.*

10. Noto 3. quòd Prælatus potest irritare ea subditorum vota, ad quorum materiam seruandam aliàs tenentur, vt V. G. votum non furandi, non blasphemandi, non mentiendi, pecunias non tangendi, camisias non deferendi in Ordine nostro. Quia cum sit dominus uoluntatum suorum subditorum quantum ad ea, quæ non sunt de necessitate salutis, & concernere possunt rectam ipsorum subditorum directionem in uitam æternam, potest omne id prohibere, quod à radice pullulat uoluntatis. Cum ergo noua illa obligatio uoti super re aliàs debita sit effectus uoluntatis, & non sit de necessitate salutis, illam etiam prohibere potest. Ita Sot. loc. cit. assert. 4. uer. At uerò non facilè; Aragon. loc. cit. col. 4. uer. Hia positis; Ledes. tom. 2. sum. tract. 10. de uo. c. 7. dub ult. uer. A laqual digo; Sayr. loc. cit. nu. 8. Nauar. in man. cap. 12. num. 65. Regin. in praxi, lib. 18. num. 321. uer. Aduerte autem. Fillluc. tom. 2. tract. 26. cap. 8. num. 242. Azor cit. q. 16. 17. Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 10. num. 74. Sanch. loc. cit. cap. 33. num. 7. Vega 2. par. sum. cap. 126. cas. 90. uer. Terzo può far noto: Suar. cit. num. 7. Val. tom. 3. disp. 6. q. 6. par. 6. col. 7. uer. Cœterùm. Molf. tom. 1. sum. tract. 2. cap. 15. num. 84. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 25. art. 4. *Sotus. Aragon. Ledesma. Sayrus. Nauarrus. Reginald. Fillincius. Azor. Lessius. Vega. Valentia. Molfesius. Rodriquez.*

11. Noto 4. quòd Superior potest licitè subditorum uota irritare absq; ulla causa. Tum quia, cum sit dominus, potest, iure suo pro libito uti. Tum quia, cum uota non sint firma sine illius consensu, nullo iure cogitur illum præstare. Et in hoc puncto facio differentiam, quando Superior iam licentiâ concesserat; nam eo casu dixi num. 6. quòd non potest absq; culpa ueniali sine ratione aliqua ea irritare. Tum quia quod semel placuit, ampliùs sine ratione superueniente displicere non potest. Tum quia in hoc semper adest aliqua deformitas, & illa retractatio uel causam dicit, uel leuitatem. Tum quia illud uelle, & nolle pro solo libito uoluntatis in Religiosorum Prælatis uituperabile est. At quando nondum confirmauit, etiamsi nulla adsit causa, nulla talis deformitas apparet, unde etiam à ueniali excusandus

est,

D. Anton. Nauar. Suarez. Sayrus. Sanchez. Bonacina. Aragon. A S. Faust.

est: Atq; ita Nauar. loc. cit. num. 69. Azor loc. cit. q. 5. Antonin. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 7. ver. Item nota; Ledesm. loc. cit. dub. 2. pag. 813. Llam. 3. par. mor. cap. 4. §. 42. Vega loc. cit. cas. 89 Rodriq; cit. art. 7.

12. Noto 5. quòd vota possunt à Prælatis irritari, inuito vouente, quia cum irritatio pendeat à potestate dominatiua Superioris, inferior eam impedire non potest. Suar. loc. cit. cap. 8. num. 13 Sayr. in claui reg. lib. 5. c. 8. num. 6. Sanch. 4. in dec. cap. 24. num. 25. Bonac. in dec. disp. 4. q. 2. par. 7. § 2. num. 35. Arag. 2. 2. q. 89. art. 9. in princ. A S. Faust. lib. 2. thes. q. 27. Portel in addit. ad dub. reg. ver. Votum, num 57. An autem similiter dispensatio, inuito vouente, fieri possit, negant Suarez, & Arag. Quia est beneficium, quod in inuitum non cōfertur. Affirmant Sanch. num. 26. & Bonacina quando id poscit bonum commune, quia non potest subditus sua voluntate priuare Superiorem potestate, quam habet illius vota dispensandi, si bonum commune id poscat. Commutare autem vota, inuito vouente quòd non possit Superior, dicunt Suar. Sanchez, Bonac. quia per commutationem transfertur eadem voti obligatio in aliam materiam, & fit nouum votum, quod sine voluntate vouentis fieri non potest.

Suarez. Sayrus. Llamas. Vega.

13. Noto 6. quòd potest subditus voti sui irritationem à Prælato petere, tam antequam illud confirmauerit, quam post, nec peccat vllo modo, etiamsi nullam talis irritationis causam habeat, nisi solum quia eum tædet votum implere. Tum quia in hoc vtitur iure suo, quo potest optare grauamen sibi impositum auferri, immo, & licita media procurare, nec in hoc vlla apparet deformitas. Tum quia vnicuiq; licet sua commoda honesta bonis artibus procurare. Ita Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 7. num. 16. Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 10. nu. 14. Llam. & Vega loc. cit. Nec refert, quòd Prælatus post voti confirmationem illud licitè nequeat irritare sine causa, vt dixi sup. num. 6. quare si subditus irritationem petat sine causa, cum sit causa peccati venialis Prælati, non videtur posse à veniali excusari. Non refert, inquam, quia multa licitè petuntur, quæ tamen licitè concedi nequeunt. Vnde Prælatus, qui videt se iam votum illud confirmasse, si non appareat causa irritationis, debet illam petitionem denegare, alioquin venialiter peccabit. An autem petens irritationem voti confirmati, teneatur illam circumstantiam confirmationis exprimere? Dic, quòd non, si causam irritationis habeat, & exprimat; si nullam causam habeat, tenetur, vt possit Prælatus ex suo dicto suam conscientiam formare.

14. Noto 7. quòd vota semel irritata non reuiuiscunt, etiamsi vouens liberetur à Superioris potestate, & ponatur in statu, in quo vouere, & complere posset: vel etiamsi Superior irritationem à se sine causa factam retractet. Tum quia votum semel irritatum, cum ipso facto reddatur nullum, non potest iterum habere vim obligandi, nisi renouetur; l. Cum ex causa, Cod. de remiss. pig. Tum quia id colligitur ex cap. Quidam, & ex cap. Placet, de conuer. coniug. Ex quibus constat, quòd coniux, cuius professio irritata fuit ab altero coniuge, non tenetur, illo mortuo, ad Religionem redire. Ita Val. loc. cit. col. 6. ver. Ita igitur est: A S. Faust. lib. 2. thes. q. 28. & q. 164. Sayr. in claui reg. lib. 6 cap. 10. num. 10. & 13. fine; Nauar. in man. cap. 12. num. 66. Vega 2. par. sum. cap. 126. cas. 95. Reginald. in prax. lib. 18. num. 305. Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 7. num. 13. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 18. q. 4. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 8. fine; Rodriq; par. 2. sum. cap. 91. num. 8. Bonac. in dec. disp. 4. q. 2. par. 7. §. 2. num. 36. Sanch. 4. in dec. cap. 26. n. 3. & 4. & cap. 33. num. 10. Filliuc. tom. 1. tract. 16. cap. 8. num. 243. Et aduerte, quòd subditus votum irritatum implens vt sic, & formaliter, peccat, quia contra obedientiam agit, & vtitur illa operatione contra domini voluntatem. Ita Sayr. loc. cit. num. 13. Vega cas. 91. ver. La segunda cosa; A S. Faust. q. 159. Reg. num. 297. ver. Tertium est. Rodriq; num. 7. qui addit, tunc impleri votum contra voluntatem Prælati, quando ab ipso sponte, non ad instantiam vouentis irritatum est.

Valentia. A S. Faust. Sayrus. Nauarrus. Vega. Reginald. Suarez. Azor. Aragon. Rodriq; Bonacina. Sanchez. Filliucius.

15. Noto 8. quòd Superiores regulares, qui habent hanc potestatem irritandi vota, sunt Correctores, seu Vicarij conuentus, Correctorem sustinere non valentis, Prouinciales, & Generales; quia hi omnes dominatiuam habent in subditos potestatem, acquisitam per votum obedientiæ. Ita Suar. loc. cit. num. 17. Reg. nu. 294. Filliuc. cit. Sanch 4. in dec. c. 33. num. 15. Molfes. tom. 1. sum. tract. 11. cap. 15. num. 66. A S. Faust. cit. q. 152. Ledesm. 2. par. sum. tract. 20. de vo. cap. 7. dub. 2. pag. mihi 812. Vega cas. 88. Portel in addit. ad dub. reg. ver. Votum, num. 69.

16. Si quæras, an Subprior, vel Vicarius relictus à Correctore, conuentu egrediente, eodem die reuersuro, possit vota irritare? R. Subpriores non posse, quia verè Prælati non sunt, nec potestatem habent dominatiuam, sed solùm habent officium coadiutoris in certis rebus particularibus plus, minusuè, iuxta Religionum varietatem. Neq; etiam posse puto Vicarios, à Correctore statim reuersuro relictos. Quia licèt in casu alicuius necessitatis negandum non sit, hos posse aliquid sub merito obedientiæ præcipere, cum in eo de voluntate Prælati præsumatur, hæc tamen potestas irritandi vota non præsumitur concedi, cum non possit dari casus adeò vrgens, quin possit expectari Corrector. Si autem Subpriores in absentia Prioris habeant eandem auctoritatē, quam Prior, tunc, cum sint verè substituti ad omnia genera causarum, puto, quòd hac facultate potiantur. Et idem dico de Vicarijs relictis à Correctore, per multos dies non reuersuro. Quia tunc censentur Correctores omnem suam auctoritatem pro recta administratione conuentus eis delegare, vt docent Suar. Regin. loc. cit. Sanch. num. 16. Molf. num. 69.

*17. Si quæras etiam, an Visitatores, qui mittuntur ad visitandas aliquas prouincias, habeant facultatem irritandi vota? R. In Ordine nostro non habeo dubium, quòd hac facultate potiantur, quia dantur ad vniuersitatem causarum, & cum ampla potestate tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Pro alijs Ordinibus videndæ singulorum constitutiones. Simpliciter dicendum est, dictos Vi-

fitatores hac poteftate poriri . Et ita docent
Sanchez. Sanch. loc. cit. num. 15. & cap. 24. num. 23. A
A S. Fauft. S. Fauft. lib. 2. thef. q. 154. Azor. tom. 1. lib. 11.
Azor. cap. 18. q. 3. ver. Monachorum vero; Molfef.
Molfefius. loc. cit. num. 7. Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 10.
Sayrus. num. 16. Portel loc. cit. Et quòd hæc facultas
Portel. irritandi vota poffit alijs etiam folitarie delegari, Sanch. cit. cap. 24. num. 54. Portel in dub. reg. ver. Votum, num. 45. Et quod poffit etiam delegari à Superiore excommunicato non tolerato, quia non eft actus iurifdictionis, fed
Bonacina. dominij, Sanch. cit. num. 55. Bonac. in dec. difp. 4. q. 2. par. 7. §. 2. num. 31. ver. Addo cum. Et quod maior Superior poffit inferiori Prælato iufte aliqua de caufa referuare irritationem alicuius voti, ficut poteft referuare alia
Suarez. circa regimen, Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. c. 7. num. 17. Sanch. 4. in dec. cap. 33. num. 17.

18. Quæres etiam, an Prælatus inferior poffit irritare votum fubditi, factum ex fuperioris Prælati licentia? ℞. quòd non. Quia poteftas Superioris, fiue iurifdictionis, fiue dominij, non pendet ab inferiori; Suar. loc. cit. cap. 8. num. 2. Sanch. cap. 27. num. 4. Portel cit.
Reginald. num. 39. A S. Fauft. cit. q. 160. Regin. in praxi,
Filliucius lib. 18. num. 324. ver. Vnum eft, Filliuc. tom. 2. tract. 26. cap. 8. num. 244. poteft tamen inferior votum illud difpenfare, quia cum votum fit de fe difpenfabile, & difpenfatio non fit referuata, non apparet cur nequeat fieri. Suar. loc. cit. cap. 10. num. 19. Portel num. 44. & in addit. num. 80. Sanch. cap. 42. num. 5. Molfef. tom. 1. fum. tract. 11. cap. 15. num. 165. At verò fuperior Prælatus poteft irritare votum fubditi, confirmatum ab inferiori Prælato; quia inferior poteftas à fuperiori pendet; immo etiam poteft fuperior Prælatus irritare votum factum ab inferiori, quia illius fubditus eft, & docent ij-
Suarez. dem DD. Suar. num. 3. A S. Fauft. q. 161. Ro-
A S. Fauft. driquez 1. par. fum. cap. 91. num. 7. Sanchez
Rodriquez cap. 27. num. 5. Superior tandem æqualis fuc-
Sanchez. cedens poteft irritare votum factum, & confirmatum auctoritate fui prædecefforis, abfq; caufa, non aliter, ac fi abfq; vlla licentia fuiffet emiffum, quia, cum par in parem non habeat imperium, cap. Innotuit, de elect. licentia Superioris præcedentis æqualis non poteft fuccedenti æquali præiudicare; Sanch. 4. in dec. cap. 27. num. 36.

19. Noto 9. quòd Prælatus non poteft irritare votum arctioris Religionis, quia hoc votum eft extra poteftatem illius, iure canonico fic difponente in cap. Licèt, de reg. Sanchez
Ledefma. loc. cit. cap. 33. nu. 2. Ledef. 2. par. fum. tract. 10. de vo. cap. 7. dub. vlt. ver. A la qual digo lo primero, pag. mihi 886. Suar. tom. 2. de relig.
Vega. lib. 6. cap. 7. num. 9. Vega 2. par. fum. cap. 126.
Azor. caf. 95. ver. Finalmente nota, Azor loc. cit.
Sayrus. cap. 18. q. 18. Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 10. n. 9.
Reginald. Reginal. in praxi, lib. 18. num. 321. ver. Ad-
Filliucius. uerte autem, Filliuc. tom. 2. tract. 26. cap. 8.
Molfefius. num. 243. Molfef. 1. par. fum. tract. 11. cap. 15.
A S. Fauft. num. 79. A S. Fauft. lib. 2. thef. q. 150. Rodriq; tom. 1. q. reg. q. 25. art. 4. Poteft tamen in ifto voto Prælatus difpenfare. Tum quia eft votum fimplex, & nullibi reperitur referuatum. Tum quia tempore, quo Religiofus tale votum emittit, eft ita fubditus Prælato, vt teneatur
Aragon. eius voluntatem fequi: Ita Aragon. 2. 2. q. 88. art. 8. concl. 5. Ledef. & Vega loc. cit. Rodriq; loc. cit. & 1. par. fum. cap. 91. nu. 4. A S. Fauft. loc. cit. q. 149. Sanch. cit. cap. 48. num. 2. Sayr. cit. cap. 11. num. 90. & 91. Leff. lib. 2. de iuft. *Leffius.* cap. 40. dub. 13. num. 107.

20. Noto 10. quòd poteft fimiliter Prælatus Religionis irritare promiffiones fuorum fubditorum. Tum quia Religiofus, cum velle, & nolle non habeat, non poteft fe obligare, nifi de mandato, & licentia Superioris. Tum quia fi poteft Prælatus irritare promiffiones factas Deo per vota, poterit multò magis irritare promiffiones factas homini. Ita Nauarrus *Nauarrus.* lib. 1. conf. de pact. conf. 7. num. 4. & 5. Suar. *Suarez.* tom. 3. de relig. lib. 2. cap. 13. nu. 8. Graff. tom. 1. *Graffius.* conf. lib. 3. de vo. conf. 1. num. 13.

21. Sed quid, fi fubditus ex licentia Prælati aliquid alicui extra Religionem promiferit, poterit ne Prælatus eam promiffionem, & licentiam irritare? ℞. aliquos affirmatiuè tenere, vt Aragon. 2. 2. q. 88. art. 8. ver. Eft aliud dubium, ibi, *Vel fecundo*, Leff. loc. cit. dub. 10. num. 75. ver. Ad 2. quia non folum promiffio, fed etiam executio pendet à voluntate Prælati. Alij negant, Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 8. num 3. Sanch. 4. in dec. cap. 27. num. 23. & lib. 7. cap. 31. nu. 41. & lib. 9. de matr. difp. 40. num. 14. Bonac. in dec. difp. 4. q. 2. par. 7. §. 2. num. 15. ver. Addo. Portel in addit. ad dub. reg. ver. Votum, num. 63. Quia aliàs nemo auderet cum fubditis religiofis contrahere, quod effet valde Religioni nociuum. Fatetur tamen Sanch. 4. in dec. cit. fubditum non implentem promiffum, renitente Superiore, non peccare. Quia licèt Superior peccet, non tenetur fubditus, eo inuito, exequi. Adde, quòd non folùm non poteft Prælatus, qui dictam licentiam dedit, eam irritare, fed nec Superior, vel fucceffor illius. Tum quia Religiofus ex ea promiffione obligatur ciuiliter, & naturaliter, vt docent Abb. in cap. Ex refcripto, de *Abbas.* iur. iur. num. 1. Sanch 7. in dec. cap. 31. num. 40. Tum quia Prælatus fucceffor tenetur ftare contractui prædecefforis, vt multis probat Rodriq; *Rodriq;* tom. 3. q. reg. q. 26. art. 1.

22. Noto 11. quòd poffunt fimiliter, & eodem modo Prælati regulares iuramenta fuorum fubditorum irritare. Habent enim huiufmodi iuramenta voti rationem, parique ambulant paf- *D. Thom.* fu. Ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3. D. An- *D. Anton.* tonin. 2. par. tit. 10. cap. 6. §. 1. Sot. lib. 8. de *Sotus.* iuft. q. 1. art. 9. Reginald. in praxi, lib. 18. nu. 64. *Reginald.* Sanch. 3. in dec. cap. 19. num. 2. Leff. lib. 2. de *Sanchez.* iuft. cap. 42. dub 12. num. 61. Sayr. in claui reg. *Leffius.* lib. 5. cap. 8. num. 5. Filliuc. tom. 2. tract. 25. *Sayrus.* cap. 9. num. 259. Suar. tom. 2. de relig. tract. de *Filliucius.* iur. lib. 2. cap. 38. num. 4. fine Graff tom. 2. conf. *Suarez.* lib. 3. de vo. conf. 1. n. 13. Bonac. in dec. difp. 4. *Graffius.* q. 1. par. 17. num. 4. *Bonacina.*

23. Noto 12. quòd Prælati regulares non poffunt vota à fe ipfis facta per fe ipfos irritare, vel id fuo confeffario committere; nam Superior poteft irritare vota ratione dominij, quod habet in voluntatem fubditorum, vnde in his votis femper includitur conditio, Si Superiori placuerit, at vota Superiorum nullatenus habent tacitam conditionem à fua voluntate pendentem, fed à voluntate fuorum maiorum, fi ipfi fortè alicui poteftati dominatiua

fub-

subduntur. Quare non possunt sua vota irritare, aut alijs irritanda committere. Ita Sanch. 4. in dec. cap. 34. num. 60. A S. Faust. lib. 1. thes. q. 26. Possunt tamen dicti Prælati secum dispensare non solum in votis, sed etiam in irregularitatibus, præceptis Ecclesiæ, atq; in cæteris, in quibus possunt dispensare cum suis subditis. Licet enim dispensatio sit actus iurisdictionis, cum tamen non sit contentiosa, sed voluntaria, potest in se ipsum exerceri, nec repugnat, idem secundum diuersas rationes esse agens, & patiens, vt cum quis concedit indulgentias, & illas lucratur. Neq; hic requiritur distinctio personæ, vt in absolutione à peccatis. Et cum sit actus delegabilis, nihil obstat quominus Prælatus possit hanc facultatem alteri committere, ad secum dispensandum; & Superior non debet esse peioris conditionis, quam subditi, quando defectus non est in radice. Ita D. Tho. in 4. d. 20. q. vn. art. 5. q̃la 4. ad 3. Sanch. 2. de matr. disp. 3. num. 9. & 4. in dec. cap. 37. num. 45. & cap. 39. num. 12. A S. Faust. lib. 3. thes. q. 45. num. 3. Molf. to. 1. sum. tract. 11. cap. 15. num. 118. Innoic Val. to. 4. disp. 7. q. 10. par. 3. col. 3. ver. Secundò asserimus; Sot. in 4. d. 21. q. 1. art. 4. col. 4. ver. Contra hanc; Sa ver. Religio, num. 47. Vide to. 1. huius op. q. 1. cap. 8. §. 5. concl. 6.

Sayrus. Sanchez. Valentia. Lessius. Rodriquez. Suarez. Portel. Reginald. Nauarrus. Villiucius. Miranda. Molfesius. A S. Faust. Bonacina.

24. Dico 3. Possunt Prælati regulares dispensare in votis suorum subditorum. Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 11. num. 88. Sanch. 4. in dec. cap. 39. num. 3. Val. to. 3. disp. 6. q. 6. p. 7. col. 10. ver. Sed cum constet. Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 13. num. 107. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 55. art. 4. Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 10. num. 15. & tom. 4. tract. 1. lib. 2. cap. 18. num. 10. Portel in addit. ad dub. reg. ver. Votum, n. 72. Reginal. in praxi, lib. 18. num. 340. Nauar. in man. cap. 12. num. 75. ver. Tertiò quod; Villiuc. tom. 2. tract. 26. cap. 9. num. 249. Mir. tom. 1. man. q. 32. art. 1. concl. 3. Molf. loc. cit. nu. 116. A S. Faust. loc. cit. q. 51. Bonac. in dec. disp. 4. q. 2. par. 7. §. 4. num. 26. ver. Item Prælati. Prob. quia dispensare est actus iurisdictionis spiritualis, & ita Prælatis ecclesiasticis iure ordinario competens, vt probat D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12. Suar. loc. cit. num. 8. Sanch. cit. cap. 37. num. 16. Cum ergo Prælati regulares sint Prælati ecclesiastici iure ordinario, & habeant auctoritatem quasi Episcopalem, sintq; à iurisdictione Episcoporum exempti, non est, cur hæc potestas eis denegetur.

D. Thom.

25. Dico 4. Possunt Prælati regulares commutare omnia vota simplicia suorum subditorum. Ita Molfes. tom. 1. sum. tract. 11. cap. 15. num. 199. A S. Faust. lib. 4. thes. q. 3. Mir. to. 2. man. q. 32. art. 3. Ledes. tom. 1. sum. tract. 10. de vo. cap. 8. ver. Digo lo quarto, pag. mihi 850. Portel in dub. reg. Votum num. 41. & in addit. num. 93. Sanch. 4. in dec. cap. 49. num. 18. Reginald. in praxi, lib. 18. num. 351. Less. lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 11. num. 94. Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 11. num. 117. & cap. 12. num. 15. Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 18. n. 10. Bonac. in dec. disp. 4. q. 2. par. 6. nu. 10. Prob. tum quia commutatio est actus iurisdictionis spiritualis, qui Prælatis ecclesiasticis conuenit. Tum quia qui potest dispensare, quod est plus, potest etiam commutare quod est minus.

26. Ad vltimum hic nota, quòd Papa potest similiter vota Regularium irritare, ratione voti obedientiæ, quod extenditur ad ipsum tamquam Generalissimum omnium Religionum, ratione cuius acquirit in eos potestatem dominatiuam, non minùs quàm alij Prælati Religionis. Non potest tamen Papa irritare vota secularium, nec Clericorum, nec Episcoporum; quia etiamsi in hos supremam possideat potestatem ad eos dirigendos in finem spiritualem, ideoq; possit iusta de causa in votis ipsorum dispensare; non tamen habet in eos potestatem dominatiuam, requisitam ad subditorum vota pro arbitrio irritanda. Quia hæc nec erat illi necessaria, nec apparet, vnde illam hauserit. Et est à posteriori signum, quòd tam Episcopi, quàm Clerici multos contractus faciunt absq; consensu, immo contra voluntatem Papæ. Atq; ita D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 5. ad 3. Reginald. loc. cit. num. 196. ver. Atq; his; Sayr. in claui reg. lib. 6. cap. 10. nu. 17. Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. de vo. cap. 2. num. 3. & 4. & cap. 7. num. 18. Sanch 4. in dec. cap. 24. à num. 18. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 18. q. 3. ver. Quæres an saltem. Less. lib. 2. cap. 40. dub. 10. num. 66. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 25. art. 5. Sot. lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. Ledes. 1. p. sum. tract. 10. de vo. cap. 8. dub. 2. ver. Digo lo segundo, pag. mihi 838. Nauar. in man. cap. 12. num. 76. ver. Sexto dicimus, A S. Faust. lib. 1. thes. q. 18. 23. 25. Vnde colliges, quòd Papa est pater Regularium potiori iure, quàm aliorum christianorum, etiam Clericorum, etiam Episcoporum. Nam in hos solam habet iurisdictionem, in Regulares verò etiam absolutum dominium quo ad omnes eorum actiones, sicut pater in filios. Quare tenetur etiam illis magis fauere. Qui enim plus liberaliter, & voluntariè dedit, plus accipere meretur, etiam ratione gratitudinis. Collige etiam, quòd Regulares, quos non malè vocabat quidam Senior è nostris Cor Ecclesiæ, sunt magis obligati Ecclesiæ, quàm alij: vnde tenentur maiores pro Ecclesia, vt semper fecerunt, labores perpeti.

D. Thomas. Reginald. Sayrus. Suarez. Sanchez. Azor. Lessius. Rodriqu. Sotus. Ledesma. Nauarrus. A S. Faust.

27. Et si tandem quæras, an possint Prælati regulares irritare vota suorum subditorum simplicia reseruata Papæ, vt peregrinationis Hierosolymitanæ, Compostellanæ, Romanæ, & Lauretanæ? (si est Papæ reseruatum, vt is iudicant Nauar. com. 1. de reg. num. 24. dicunt Azor cit. cap. 19. q. 4. ver. Mihi videtur, & A S. Faust. lib. 3. thes. q. 46.) R. citò sic. Tum quia ista vota non possunt esse firma absq; consensu Prælati, vt dixi sup. num. 4. immo putat Rodriq. tom. 1. sum. cap. 91. nu. 2. quòd non possint Regulares talia peregrinationum vota facere, per priuilegium Benedicti XIII. vnde si quæ talia faciunt, sunt ipso facto nulla: nec tenentur ea manifestare Prælatis pro irritatione; quod etiam dicit Vega 2. par. sum. cap. 156. casu 90. Tum quia etiam post datum consensum, materia voti adhuc, & voluntas subditi executiua, est subiecta dominio Prælati; vnde semper potest illa irritare. Ita Suar. tn. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. c. 18. n. 10. Sanch. 4. in dec. cap. 33. num. 10. Non potest tamen Prælatus in ijs dispensare, quia sunt Papæ reseruata; & talis potestas illi necessa-

Rodriq. Vega. Suarez.

Miranda. Portel.

ista non est, cum possit alia via, nimirum per irritationem, bono suæ Religionis regimini prouidere. Ita Mir. tom. 2. man. q. 32. art. 1. concl. 2. Portel in dub. reg. ver. Votum, nu. 42. Et aduerte, quòd ista vota peregrinationis commutantur simul cum alijs votis in votum religiosæ professionis, vt est communis opinio D. Tho. in 4. d. 38. q. 1. art. 4. q̃la 4. ad 1. Sanch. 5. in dec. cap. 5. à num. 36. Barb. in cap. 4. de vo. num. 2.

D. Thom. Sanchez. Barbosa.

CAP. IV.

An Prælati regulares habeant facultatem censuras ferendi in suos subditos.

D. Thom. Paludan. Sotus. Conarru. Nauarrus. Syluester. Sayrus. Henriq. Coninck. Vasquez. Rodriq. Suarez. Yribarnus. Miranda. Fillincius. Auila. Longus. Llamas. Bonacina. Portel. P. Sotus. Alterius. Ghetius. Bayus. Gemoni. Angelus. Pisanella. Cruz. Seb. Cæsar. P. Gregor. Homobon. Graffius. Azor. Tāburin.

1. VIDE D. Tho. in 4. d. 18. q. 2. art. 2. & d. 19. q. 1. art. 1. q̃la 3. corp. Palud. in 4. d. 18. q. 2. Sot. in 4. d. 22. q. 2. art. 1. Couar. in cap. Alma mater, p. 1. §. 11. Nauar. in man. cap. 27. à num. 5. Sylu. ver. Excom. 1. num. 5. Sayr. lib. 1. de cens. cap. 6. Henriq; in sum. lib. 13. cap 24. §. 3. Coninck disp. 13. de cens. dub. 4. à num. 31. Vasq; tom. 4. in 3. par. tract. de excom. dub. 17. Rodriq; tom. 2. q. reg. q. 59. art. 1. Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 9. à num. 4 & tom. 5. in 3. par. disp. 2. sect. 2. num. 9. & disp. 18. sect. 1. Yribarn. in 4. d. 18. q. vn. disp. 16. sect. 6. Mir. tom. 2. man. q. 35. art. 8. & q. 36. art. 4. & q. 37. art. 4. Filliuc. tom. 1. tract. 11. cap. 2. à num. 31. Auil. de cens. par. 2. disp. 2. cap. 3. Long. de cas. reser. par. 1. sect. 1. art. 2. num. 1. & art. 6. num. 3. Llam. 1. par. met. cap. 9. §. 16. Bonac. de cens. q. 1. par. 2. num. 5. Portel. in dub. reg. & in addit. ver. Abbas. P. Sot. de excom. lect. 4. Alter. tom. 1. de cens. disp. 3. Ghet. in theol. mor. ver. Excom. cap. 2. Bayus in thear. scien. theol. lib. 2. cap. 100. Gemon. de sacr. immun. lib. 3. cap. 14. num. 9. Angel. ver. Excom. 1. §. 3. Pisanel. eod. t. §. 1. Cruz in direct. consc. tract. de cens. art. 1. concl. 3. S. Cæsar. de Eccl. Hierarch. par. 2. disp. 8. §. 6. num. 16. P. Greg. lib 4. decr. tit. 16 cap. 4 Homob. tom. 2. exam. tract. 11. c. 1. q. 1. Graff. tom 1. cons. lib. 5 de sent. excom. cons. 1. num. 9. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 20. q. 7. Tamb. tom. 2 de iu. Abb. disp. 14. q. 1.

Panormit.

2. Dico 1. Possunt Prælati regulares, Generales scilicet, Prouinciales, & Correctores suos subditos excommunicare. Ita DD. cit. D. Tho. d. 18. Palud. concl. 9. & 10. Sot. ver. Nomine autem Prælatorum. Henriq; §. 3. Couar. num. 1. Sayr. num. 13. Vasq; num. 2. Filliuc. num. 33. Prob. tum ex iur. can. cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. ord. vbi Panor. num. 10. cap. Cum in Ecclesijs, iuncta glos. ver. Excom. de ma. & obed. cap. Sicut tuis, iuncta glos. ver. Sub interminatione, de sim. cap. Transmissam, de elect. Tum quia Prælati regulares habent iurisdictionem Ecclesiasticam, non solum in foro interno, sed etiam in foro externo, vt sæpe dictum est. Sed talem iurisdictionem habentibus competit facultas ferendi censuras, cap. Quærenti, ibi *Iudex*, de ver. sign. Tum quia alioquin potestas iurisdictionis esset inutilis, nisi gauderet facultate coercitiua, & sonuit Trid. sess. 25. cap. 3. de refor. ibi, *ad continendos in officio populos*. Tum quia censura est veluti gladius Ecclesiasticus, cap. Dilecto, de sent. excom. in 6. Trid. loc. cit. Qui gladius periode est in Ecclesia, ac gladius temporalis in Republica ciuili; cap. Inter hæc, 33. q. 2. gladius autem temporalis tribuitur iudicibus habentibus iurisdictionem, l. Imperium, ibi, *animaduertendum*, ff. iurisd. ergo & gladius spiritualis ijsdem iudicibus tribuendus est.

Suarez. Henriq. Rodriq. Miranda.

3. Noto 1. quod hæc potestas censuras ferendi competit Prælatis regularibus tum iure communi cit. tum iure priu. vt constat ex to. 2. nostr. priuil. in const. Pyr. §. 2. & in const. 2. Sixti IV. §. 4. & quod priuilegium hoc possit, constat ex cap. Cum contingat, de for. comp. & cap. Duo, de off. ord. & ita docent Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 2. sect. 2. num. 9. Henriq; Rodriq. Mir. loc. cit. Tū ex iure diuino, Matth. 18. *Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunq; solueritis*, &c. Tum etiam ea iure naturali; eo enim ipso quòd aliqua Religio confirmatur ab habente auctoritatem, & eximitur à iurisdictione Ordinarij, iure naturæ consurgit in capite, & Superiore dictæ Religionis legitimè electo hæc potestas subditos excommunicandi; nam alioquin nō posset illa Religio conseruari, nec illa confirmatio quidquam prodesset, si Religiosi non possent coerceri. At Ecclesia nullum habet armorum genus fortius ad continendos populos in officio excommunicatione, vt ait Trid. loc. cit. Ita Sot. in 4. d. 22. q. 2. art. 1. concl. 2. Vnde constat, quod, cum hæc potestas dictis Prælatis competat ordinario iure, potest à dictis toties, quoties, & cuicumq; voluerit delegari, vt habetur in l. more, ff. de iurisd. omn. iud.

D. Tho. Auila. Sayrus. Nauarrus. Sotus. Suarez.

4. Noto 2. quod capitula generalia, & prouincialia possunt excommunicare; nam possunt statuta facere, illorumq; obseruantia sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vel ferendæ præcipere; arg. cap. Graue nimis, de præb. Ita Suar. loc. cit. Auila de cens. par. 2. disp. 2. cap. 3. dub. 1. Filliuc. tom. 2. tract. 11. cap. 2. n. 33. Sayr. de cens. lib. 1. cap. 6. num. 10. Sot. loc. cit. ver. At qui Pontifex. Non possunt tamen ferre excommunicationem capitula localia, quia, cū hæc capitula non habeāt auctoritatem extra conuentum, & consequenter extra se ipsa; sequeretur, quòd possent capitulares se ipsos excommunicare; quod est contra naturam excommunicationis, quæ est actus iurisdictionis per modum sententiæ coactiuæ, & nemo seipsum cogit, sed subditum: & nullibi reperitur illis concessum. Ita D. Tho. addit. ad 3. par. q. 22. art. 4. Auila loc. cit. dub. 7. concl. 2. Sayr. loc. cit. cap. 5. num. 12. Nauar. in man. cap. 27. nu. 4. Sot. loc. cit. art. 2. concl. 1. Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 9. num. 6. Ista autem capitula, sicut aliæ communitates, excommunicari non possunt, bene tamen singuli de communitate; nam excommunicatio solum fertur pro peccato mortali, quod est act⁹ personalis, cōmunitas verò non peccat, nisi quia singuli peccant, vnde illa non potest immediate excōmunicari, & habetur in c. Romana, §. fin. de sent. exc. in 6. Ita omnes DD. communiter, D. Tho. in 4. d. 18. q. 2.

Auila. Sotus. Miranda. Suarez. Vasquez. Ghetius. P. Greg. Sayrus. Henriq. Barbosa.

art.3. q.1. a. corp. Auil. loc. cit. cap.4. disp.vn. dub.5. Sot. loc. cit. art. 2. concl.2. Mir. tom. 2. man. q.35. art.10. Suar. de cens. disp.18. sect.2. num.2. Vasq. tom.4. in 3. par. tract. de excom. dub. 17. num. 8. Ghet. in theol. mor. ver. Excommunicatio, cap. 3. q. 2. Palud. in 4. d. 18. q.2. art.3. P. Greg. lib. 4. decre. tit. 16. de sent. excom. cap.5. Sayr. de cens. lib.1. cap.8. nu.15. Henriq; in sum. lib. 13. cap. 25. num. 4. Barb. in dict. cap. Romana, num.10. Si verò, facta diliganti informatione, Prælato constet, omnes personas communitatis, seu capituli deliquisse, excommunicatio contra dictam communitatem lata est valida, quia non militat ratio dicti cap. Romana. Sed si excommunicetur communitas, etiam à Papa, in qua sint aliqui innocentes, putat Henriq; quòd dicta excommunicatio non ligat, quia est contra ius diuinum, innocentem punire, & cum non sit maior ratio, quòd liget potiùs nocentes, quam innocentes, nullos ligabit. P. tamē Greg. cit. in com. lit. D. putat, quòd excommunicatio lata à Papa contra communitatem, est valida. Sed magis placet opinio Henriq; quam etiam tuetur Auil. loc. cit. dub. 6. concl. 1. & alij apud Sayr. num. 17. Videatur Filiuc. tom. 1. tract. 12. cap. 1. à num. 19. Potest verò communitas interdici, vt Sot. P. Greg. Mir. loc. cit. & habetur in cap. Si ciuitas, de sent. excom. in 6. Potest item capitulum suspendi; Coninck disp. 13. de cens. dub. 6. num. 48. Henriq; loc. cit. Auil. par. 3. disp. 3. dub. 1. Filiuc. tom. 1. tract. 17. cap.4. num. 6. Suar. de cens. disp. 18. sect 3. num.1. Colligitur ex cap. Quia sæpe, de elect. in 6. & cap. Si sententia, de sent. excom. in 6. & Trid. sess 24. cap. 16. de refor.

Filiucius. Coninck.

5. Noto 3. quòd de Correctoribus, & alijs Superioribus localibus dubitant aliqui, an possint excommunicare; cum enim assimilentur Parochis, & hi excommunicare non possint, vt probant communiter DD. Henriq; lib. 13. cap. 24. num.3. Sayr. de cens. lib.1. cap.6. nu.32. Nauar. in man. cap. 27. num. 5. Auil. de cens. par.2. cap.3. disp.1. dub.2. quia iurisdictionem non habent in foro exteriori, & potestas excommunicandi non ab ordine, sed à tali iurisdictione dependet, videtur, quòd neq; dicti Correctores excommunicare possint. Sed nihilominùs dicendum est, quòd stando in iure communi, possunt excommunicare, vt dictum est sup. q. 1. cap. 4. num. 73. quia habent iurisdictionem in foro exteriori; Et in ordine nostro hoc est sine difficultate, afferente id expressè legislatore in Correct. num. 87. & supponitur in cap. Genuen. 4. num. 21. Quare fallitur Llam. 1. par. met. cap. 9. §. 17. dum ait, quòd Guardiani Minorum, & aliarum Religionum inferiores Prælati per earum statuta hac potestate priuati sunt, & solis Prouincialibus hæc potestas relicta est; nostris enim Correctoribus id expressè concessum est in loc. cit. Correct. De Guardianis Minorum id etiam cōstat ex eorum statutis Barchin. cap. 6. §. 20. de pœna excom. vbi etiam puniuntur tanquam errantes, & perturbatores Religionis oppositum dicentes. De Prioribus, Prædicatorum constat ex par. 1. const. dicti Ordinis cap. 12. Si in alijs Ordinibus adsint aliquæ constitutiones legitimæ limitantes dictam facultatem seruandæ sunt; quia licèt concedatur dictam facultatem competere Prælatis ex iure diuino, cōpetit tamen ita, vt in aliquo casu pendeat a maiori Prælato, vt ordo naturæ seruetur, quo minora maioribus subijciuntur.

Llamas.

6. Sed quæres, an Vicarij relicti à Correctore eodem die reuersuro, possint excommunicare? & similiter an Vicarij domus, Subpriores, &c? R. meo iudicio dictos Vicarios excommunicare non posse, quia cum ex se nullam habeant auctoritatem, eam solum habent, quam illis censetur dare Corrector foras egrediens: Corrector autem non præsumitur illis velle dare nisi eam auctoritatem, quæ est simpliciter necessaria pro recta administratione conuentus illo paruo tempore suæ absentiæ, pro quo non videtur vllo modo necessaria potestas excommunicandi, quæ maturissimam requirit deliberationem, & ab omnibus, præsertim à Correctore, est parcè vsurpanda. Vnde cum possit in quocunq; casu adueniente, vel reum detinere, vel præcipere sub merito sanctæ obedientiæ, non video, quo modo possit dictus Vicarius vigore illius simplicis substitutionis excommunicationem ferre. Quando verò Corrector non est reuersurus nisi post aliquot dies, cum possit dari casus, in quo talis potestas sit necessaria, præsumendum est de mente Correctoris absentis, quòd intenderit suo Vicario omnem auctoritatem tribuere, quæ fuerit necessaria pro recta administratione cōuentus. Vicarij verò domus ordinarij in præsentia Prioris, & Subpriores, seu Ministri, qui non habent absolutam gubernationem domus, sed sunt veluti coadiutores in aliquibus rebus, non possunt excommunicare, nisi vacante per mortem, vel priuationem, aut longam absentiam sede principalis Prælati. Ita Sylu. ver. Prælatus, num.2. Auila de cens. p.2. cap. 3. disp. 1. dub. 1. ver. Ex dictis sequitur: Fagund. in 2. precep. Eccl. lib.8. cap.4. num.5. Cum verò in Regula nostra num.10. iubeatur, quòd *quamdiu fratres foras extiterint, prout eorum Superior ipsis ordinauerit, illorum alter Correctoris vice fungatur*. Si Corrector specialiter eligat vnum è socijs, potest electus in casu necessario sub obedientia præceptum imponere, & alter obedire tenebitur; stat enim eo casu loco Correctoris vigore Regulæ; & est specialiter à Correctore electus, à quo credendum est dari illi eam facultatem, quæ est necessaria pro illa religiosa, & prudenti itione, alioqui frustra esset illa deputatio. Idem dic de Vicario constituto à Correctore pro refectorio, vel pro choro, quòd scilicet possit præcipere sub merito sanctæ obedientiæ, non tamen sub pœna excommunicationis. Visitatores autem prouinciarum possunt excommunicare, quia habent iurisdictionem in foro exteriori, & id eis vt plurimum expressè conceditur in suis literis patentibus. Possunt item dicti Visitatores facere ordinationes in scriptis cum pœna excommunicationis pro transgressoribus, quę ordinationes durant, donec per alium reuocentur, etiam si ipsi munus visitationis obierint. Ita Sot. in 4. d.22. q.2. art.1. ver. Sed minores, Auil. loc. cit. dub. 4. dicto 2.

Syluester. Auila. Fagundez.

7. Noto 4. Quòd possunt Prælati regulares subditos suos vbicumq; existentes respectiuè

excommunicare, V. G. Generalis potest excommunicare suos Religiosos, in quacunque mundi parte existant. Prouincialis potest excommunicare suos subditos existentes intra cõfines suæ prouinciæ, quæ est illis loco territorij; Immo etiam extra dictos confines, & propter delictum vbicunq; commissum. Quare puto, quòd possit Prælatus subditum fugitiuum, seu apostatam, etiam extra limites dictæ prouinciæ excommunicare, etiam propter delictum commissum in aliena prouincia, dum iter per eam agebat V. G. & quòd Corrector possit excommunicare subditum etiam extra conuentum sibi assignatum. Moueor, quia subditus, dum manet subditus, æquiparatur seruo; seruus autem potest vbiq; capi; vt dixi tom. 2. nost. priuil. in const. 7. Pij V. num. 20. & num. 21. dixi, quòd subditi vbicunq; existentes ligantur excommunicatione sui Prælati. Et Iul. II. expresse Minimis concessit, vt possent suos apostatas vbicunq; repertos excommunicare, vt constat ex eius const. 8. §. 15. & const. 11 § 7. tom 1. nostr. priuil. Vide quæ ibi dico in const 13. Leon. X. n. 7. Atq; ita præter DD. in dictis locis adductos, id docent ex parte Rodriq; tom. 2. q. reg. q. 59. art. 1. Mir. tom. 2. man. q. 35. art. 8. concl 3. Sylu. ver. Excom. 2. num. 15. Nostram sententiam expresse tradunt Coninck disp. 13. de cens. dub. 7. num. 64. Crua in direct. consc. de cens. art. 2. concl. 2. G. Pap q. 559.

Rodriq; Miranda. Syluester. Coninck. Crua. G. Papa.

8. Ex quibus collige 1. quid dicendum sit ad illam quæstionem, An Religiosus gaudeat Immunitate Ecclesiæ? Dico enim, quòd non. Non solùm propter præscriptam consuetudinem, secundum quam nullus Ecclesiasticus, siue regularis, siue secularis, dicta immunitate gaudet, vt dicunt omnes DD. citandi, sed etiam propter absolutum dominium, quod habent super illos eorum Prælati. Ita Sylu. ver. Immunitas 3. num. 8. ver. Tertium: Ang. eodem. §. 14. Abb. in cap. Inter alia, de immun. Eccl. num. 13. Nauar. in man. cap. 25. num 22. Gutier. pract. q. lib 3. q. 3. num. 3. vbi alios reperies. Vide Ambrosin. de imm cap. 12.

Angelus. Abbas. Nauarrus Gutierrez Ambrosin

9. Collige etiam, tantam esse subiectionem subditi ad Prælatum, quòd si subditus à Collegio Cardinalium in Papam creatus esset, inscio Prælato, posset à Prælato repeti, & ad claustrum reuocari. Glossa in cap. Quàm sit, ver. Ad ordinandum, 18. q. 2. Sylu. ver. Religio 7 q. 9. Maiol. de irreg. lib. 4. cap. 20. nu. 2. Ait tamen Sylu. quòd Abbas eo casu deberet compelli ad consentiendum. Sed quis coget redire, si Abbas consentiat? Glossa ait, quòd sicut ipse Papa tenetur de alijs iustitiam facere, ita de se ipso, reddendo Prælato quod suum est. Sed hæc doctrina non placet, & rectè, Troito de perf. cler. lib. 2. par. 1. req. 6. num. 15. Tum quia electo à duabus partibus Cardinalium nulla potest opponi exceptio, nisi hæresis, vt dicit glossa in cap. Si propter, d. 40. Tum quia Monachus ex electione ad tantam dignitatem censetur liberatus à potestate Abbatis, sicut filius familias per electionem ad Decurionatum censetur liberatus à patria potestate, l. Filius, Cod. de decur. lib. 10. Tum quia Collegium Cardinalium est supra Abbatem illo casu.

Maiolus. A. Troitus

10. Noto 5. quòd excommunicatus denunciatus, aut clerici notorius percussor, aut etiam ab officio, seu iurisdictionis suspensus, non potest excommunicare, quia caret iurisdictione; cap. Audiuimus, 24. q. 1. cap. Ad probandum, de sent. & re iud. Ita D. Thom. addit. ad 3. par. q. 22. art. 3. & in 4. d. 18. q. 2. art. 2. q̇la 3. corp. Palud. in 4. d. 18. q. 2. art. 3. concl. 1. Sot. in 4. d. 22. q. 2. art. 1. concl. 3. Sayr. de cens. lib. 1. cap. 5. num 31. & 35. Henriq; lib. 13. cap. 14. n. 4. P. Greg. lib. 4. decret. tit. 16. c. 4. Nauar. in man. cap. 27. num. 7. Llam. 1. par. met. cap. 9. §. 21. Mir. tom. 2. man. q. 35. art. 8. concl. 4. Suar. de cens. disp. 14. sect. 1. à num. 4. Fillius. tom. 1. tract. 11. cap. 2. num. 40. Angel. ver. Excom. 5. §. 4. Conin. de cens. disp. 14. dub. 10. num. 88. Ghet. in theol. mor. ver. Excom. cap. 8. q. 4. Sed quæres, an cum tali excommunicato possint subditi licitè communicare? Dic quòd sic, in his quæ pertinent ad potestatem dominatiuam, secus autem in his, quæ pertinent ad potestatem iurisdictionis. Ita Suar. de cens. disp. 15. sect. 7. num. 2. Barb. in cap. Inter alia, de sent. excom. num. 11. Graff. tom. 1. cons. lib. 5. de sent. excom. cons. 14. num 5. Ricciull. de iur. pers. lib. 4. cap. 58. nu. 9. Tambur. de iur. Abb. tom. 2. disp. 14. q. 5. Si verò excommunicatus non sit denunciatus, licèt ex facto sciatur eum talem esse, nec publicus clerici percussor, sed sit toleratus, licet sponte excommunicans mortaliter peccet, excommunicatio tamen ab eo lata, valida est. Quia excommunicare pertinet ad iurisdictionem fori exterioris, ergo quousq; quis habet vsum dictæ iurisdictionis excommunicare potest. Et potest confirmari ex dicto cap. Ad probandum, de sent. & re iud. dicitur enim ibi, quòd sententia lata à iudice publicè excommunicato, est nullius valoris, ergò à contrario, si sit occultè excommunicatus, valebit. Ad quod etiam facit cap. Ad euitanda. Atq; ita Palud. loc. cit. Sot. ver. Dubium autem est. Sayr. nu. 33. Auil. par. 2. cap. 6. disp. 6. dub. 3. ver. Ex quo sequitur. Suar. disp 14. sect. 1. num 113. Llam. loc. cit. Conin. cit. num. 92. Vasq. tom. 4. in 3. par. tract. de excom. dub. 17. num. 5. Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 11. num 4. Portel in addit. ad dub. reg. ver. Excom. nu. 6. Sanch. 3. de matr. disp. 22 num. 34. ver. Cæterùm. Alterius de excom. lib. 2 disp. 2. c. 2. col. 3. ver. Et licèt.

D. Thom. Paludan. Sotus. Sayrus. Henriq. P. Greg. Nauarrus Llamas. Miranda. Suarez. Fillincius Angelus. Coninck. Ghetius. Suarez. Barbosa. Graffius. Ricciullus Tamburin. Auila. Vasquez. Couarru. Portel. Sanchez. Alterius.

11. Noto 6. quòd excommunicatio non potest ferri pro peccato veniali, &, si feratur, est nulla; cap. Nemo Episcoporum; cap. Nullus, 11. q. 3. Vnde qui per paruitatem materiæ, vel actus imperfectionem, transgressus est tantum venialiter præceptum habens annexam excommunicationem, eam non incurrit; quia cum excommunicatio sit grauissima omnium pœnarum, solum pro grauissima culpa infligi potest. Ita Vasq; loc. cit. dub. 12. num. 3. Couar. cit. §. 9. num. 2. Palud. cit. q. 1. art. 2. concl. 2. Sot. in 4. d. 22. q. 1. art. 2. concl. 1. coroll. 2. Auila par. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 2. ver. Ex dictis sequitur 1. Suarez cit. disp. 18. sect. 3. num. 4. & 7. Fillmucius tom. 1. tract. 12. cap. 1. num. 24. & 28. Henriquez lib. 13. cap. 17. num. 2. Sayrus de cens. lib. 1. cap. 9. à num. 4. Verum quidem est, quòd præceptum

sub pœna maioris excommunicationis factum, constituit materiam peccati mortalis, licèt ante præceptum illud facere quod præcipitur, mortale non esset. Sayr. num. 5. Sot. coroll. 1. Vasq; ver. Secundò requiritur. Conat. nu. 1. Filliuc. cit. num. 29. & 30.

12. Aduerte autem, quòd non solum pro veniali, ferenda non est excommunicatio, sed nec etiam pro quocunq; mortali, sed solum pro mortali inobedientiæ, & contumaciæ, etiam materialis tantùm, quo quis renuat obedire præcepto Prælati. Ita Sot. loc. cit. concl. 2. Vasq; num. 4. Auil. cit. dub. 6. Sayr. loc. cit. num. 28. Henriq; cit. num. 3. Nauarr. in man. cap. 27. num. 9. Crux tract. de cens. art. 2. de excom. dub. 1. concl. 1. Suar. loc. cit. num. 19. & 30. Filliuc. num. 26. Llam. 1. par. meth. c. 9. §. 22. Coninck de cens. disp. 13. dub. 8. num. 73. Constat ex cap. Certum est, 11. q. 3. & ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audieris, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*. Ecclesia autem filios suos à se non repellit, nisi propter inobedientiam.

Sotus. Vasquez. Auila. Sayrus. Henriq. Nauarrus. Cruz. Sayrus. Filliucius. Llamas. Coninck.

13. Ex quo fit, quòd licèt trina illius monitionis omissio excommunicationem non inualidet, vt constat ex cap. Romana, de sent. excom. in 6. pro peccato tamen purè præterito contra quamcunq; legem patrato, ferri non potest excommunicatio, nisi vna saltem, vel hominis, vel legis Ecclesiastica monitio præcesserit sub sufficienti propositione, vel comminatione talis censuræ; quia sine hac non potest dici interuenisse contumaciam contra debitam Ecclesiæ obedientiam. Ita Coninck loc. cit. dub. 9. à nu. 78. & 81. Auil. loc. cit. dub. 10. Filliuc. cit. Suar. num. 29. Nauar. num. 11. V.G. si quis debeat excommunicari pro furto commisso, debet priùs moneri, vt restituat. Vel si quis debeat excommunicari, quia non est executus sententiam à iudice latam, debet priùs moneri, vt exequatur.

14. Aduerte etiam, quòd non pro quolibet peccato mortali, etiam inobedientiæ debet ferri excommunicatio, sed solum pro graui, & enormi, quod aliter curari non possit. Tum quia grauissima pœna non nisi pro grauissima culpa infligi debet, cap. Felicis, de pœn. in 6. Tum quia hæc potestas data est in ædificationem, non in destructionem, vt monuit Trid. sess. 25. de reform. cap. 3. lata tamen tenet, quia iam adest sufficiens causa excommunicationis, quantum est ex parte culpæ. Ita Vasq; tract. de excom. dub. 12. num. 6. & 7. Sot. in 4. d. 22. q. 1. art. 2. ver. Quo igitur. Suar. disp. 18. sect. 3. n. 31. 32. Sayr. loc. cit. num. 32. Filliuc. nu. 31. Llam. loc. cit.

Vasquez. Sotus. Suarez. Sayrus. Filliucius. Llamas.

15. Vnde collige, quòd parcè debent hoc vti remedio Prælati, vt monui tom. 2. nostr. priuil. in const. 10. Vrb. VIII. num. 11. & monet Ambr. 1. de off. cap. 27. dicens, *Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit, pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis; si non potest, tunc à medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere; postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere.* Videatur pro hoc Cresp. in sum. ver. Excom. sent. non temere ferenda; Graff. tom. 1. cons. lib. 4. de sent. excom. cons. 4. diff. 1.

D. Ambrosius. Crespetius. Graffius.

Rodriq; tom. 2. q. reg. q. 59. art. 4. Et in Ordine nostro habetur statutum ad hoc propositum in cap. Genuen. 4. num. 11. quod aureum est, & valde Minimis notandum. Aduerte tamen, quòd ea, quæ apud seculares etiam clericos leuia, & parua, immo minima reputantur, & nulla, apud Regulares obseruantiæ grauia, & excōmunicationis capacia sunt, quatenus quamplurimum iuuant ad obseruantiam votorum essentialium. Huiusmodi sunt secundum Llam. 1. par. met. cap. 9. §. 22. ingressus in alterius cellam, reuelatio secretorum Religionis, transitus per mediam ciuitatem, & forum mercatorum, seu plateas, vbi deambulant nobiles ad solatiū, allocutio nouitiorum, omissio culpabilis socij in itinere, ingressus in alienam domum absq; eo, &c. quæ apud seculares nihil sunt, apud Regulares tamen maximi momēti sunt, quia istorum status est eminentior, purior, & sanctior statu illorum. Circa modum ferendi censuras, vide in nostro Formulario, lit. C. cap. 4.

Rodriq.

16. Noto quòd multi afferuntur casus à DD. in quibus lata excommunicatio non incurritur. Pro quibus vide Sot. loc. cit. ver. Iam verò. Sayr. de cens. lib. 1. cap. 18. à num. 4. Auila p. 2. cap. 5. disp. 5. à dub. 6. Bonac. de cens. disp. 1. q. 1. par. 1. à num. 6. Conin. de cens. disp. 13. dub. 12. à nu. 96. Hic solùm notabo aliqua circa ignorantiam.

Sotus. Sayrus. Auila. Bonacina. Coninck.

17. Pro qua suppono, quòd Ignorantia crassa, atq; supina est, qua quis ignorat id, quod communiter omnes sui ordinis sciunt, & quod ipse scire debet, & potest, sed ex pigritia, & desidia laborandi non scit. Ignorantia affectata est, vbi quis ignorat, quia scire non vult, quod scire debet, & potest, vt liberiùs, absq; conscientiæ remorsu, aut alia de causa liniusta peccet. Ignorantia inuincibilis dicitur, non quæ simpliciter vinci non potest, sed quæ manet postquam homo eam diligentiam adhibuit, quam homines diligentes sui status adhibere solent. Ad quam etiam potest reduci omnimoda inaduertentia, quando scilicet quis scit aliquid esse prohibitum, tamen ex inconsideratione hic, & nunc existimat esse licitum. Ignorantia facti est, qua ignoratur opus aliquod factum esse, V.G. Petrum fuisse à Prælato excommunicatum. Ignorantia iuris est, qua ignoratur ius, constitutio, seu lex aliqua, siue humana, siue diuina. V.G. si quis ignoret fornicationem simplicem esse peccatum, vel percutientem clericos esse excommunicatum. Quæ ignorantia tam iuris, quàm facti potest esse inuincibilis. Atq; ita Sayr. loc. cit. Sot. loc. cit. ver. Quartus demum. Filliuc. cit. num. 248. & num. 251. & nu. 250. Suar. cit. sect. 8. à nu. 3. Auil. par. 2. cap. 5. dub. 6. Bonac. loc. cit. à nu. 1. Coninck. cit. dub. 11. à num. 93. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 16. quæst. 3. & 4. Vasq. de excom. à dub. 14.

18. Ignorantia itaq; crassa, vel affectata non excusat ab excommunicatione, quia non excusat à culpa, vnde qui ex tali ignorantia percutit clericum, excommunicatus est; cap. Si verò, el. 1. de sent. excom. cap. Vt animarum, de const. in 6. Similiter incurrunt excommunicationem latā à Prouinciali, vel capitulo prouinciali, vel generali, sufficiēter promulgatā, Corrector, & alij fratres cōtrafaciētes ex tali igno-

Sayrus. Sotus. Angelus. Navarrus. Filliucius. Suarez. Azor. Tabiena. Coninck.

rantia statutis, quibus excommunicatio annexa est. Atq; ita Sayr. loc. cit. nu. 10. Sot. loc. cit. Ang. ver. Excomm. 7. cas. vlt. §. 3. Nauar. in man. cap. 27. num. 16. Filliuctius num. 261. Suarez cit. sect. 10. num. 4. Azor cit. cap. 15. q. 5. Tab. ver. Excomm. 7. post vlt. casum, §. 1. Coninck. loc. cit. num. 95.

D. Thom.

19. Ignorantia inuincibilis, seu probabilis facti, aut iuris, excusat ab excommunicatione incurrenda, quia etiam excusat à peccato, cum voluntario careat, iuxta doctrinam D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 3. & est tex. in cap. Cognoscentes, de const. vbi dicitur, *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocare non conuenit*. Et est expressa in cap. Vt animarum, de const. in 6. Vnde si Prælatus sub pœna excommunicationis prohibeat, ne quis pileum deferat per ciuitatem, Religiosus ille, qui inuincibiliter ignorat, & pileum deferre esse malum, & præceptum Superioris, si pileum deferat, dictam excommunicationem non incurrit. Ita Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 10. num. 7. Sayr. loc. cit. num. 14. Angel. loc. cit. Filliuc. tom. 1. tract. 11. num. 246. & num. 250. Auil. de cens. par. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 6. concl. 1. Llam. 1. par. met. cap. 9. §. 27. Bonac. loc. cit. num. 6. & 8. Cruz in direct. consc. tract. de excom. art. 2. dub. 2. num. 1. & 2. Similiter hæc ignorantia excusat ab incurrenda excommunicatione lata in facientes aliquid ratione alicuius circunstantiæ, quia etiam excusat à culpa. Vnde qui coit cum moniali, talem esse inuincibiliter ignorans, licèt sciat non esse suam, sacrilegus non est, nec excommunicatus, si contra tales sit inflicta excommunicatio. Nec item est excommunicatus, qui percutit clericum, inuincibiliter ignorans esse clericum, vt est tex. expressus in cap. Si verò, el. 2. de sent. excom. Nec item parricida est, qui sic patrem occidit. Atq; ita D. Thom. 2. 2. q. 76. art. 1. & 3. corp. Sayr. loc. cit. num. 18. Nauar. in man. cap. 27. num. 80. & 272. Sot. loc. cit. Filliuc. num. 249. Auil. concl. 2.

Sayrus. Angelus. Filliucius. Avila. Llamas. Bonacina. Cruz.

20. Sed quid? Quis habens voluntatem percutiendi clericum, percussit laicum, est ne excommunicatus? Dic, quòd non, quia ad incurrendam excommunicationem non sufficit mala voluntas, sed requiritur actus externus. Et similiter si quis furto, quod facit, putet esse annexam excommunicationem, cum tamen nõ adsit, non est excommunicatus. Henriq. lib. 13. cap. 17. §. 3. Couar. cit. num. 15. Panormit. in cap. Si verò, el. 2. de sent. excom. num. 7. Sayr. de cens. lib. 1. cap. 18. num. 20. Sanch. 9. de matr. disp. 32. num. 28. Suar. de cens. disp. 22. sect. 1. num. 53. Vasq. tract. de excom. dub. 14. num. 3. Llam. cit. §. 28. Rosel. ver. Excom. 2. §. 24. Neq. item hæc excommunicatio incurritur, quando externa clerici percussio leuis est, & venialis, licèt mortale peccatum sit, ob prauum percutientis animum, quia Ecclesia externum, non internum, opus punit; Henriq. loc. cit. §. 2. Gutier. can. q. lib. 1. cap. 5. num. 13. Sanch. 2. in dec. cap. 8. num. 7. Portel in addit. ad dub. reg. ver. Excomm. num. 11.

Henriq. Covarruv. Panormit. Sayrus. Sanchez. Suarez. Vasquez. Llamas. Rosella. Gutierrez. Sanchez. Portel.

21. At inquies. Qui facit aliquid, putans esse peccatum mortale, licèt nec veniale sit, mortaliter peccat, iuxta doctrinam D. Tho. 1. 2. q. 19. art. 5. ad 3. ergo similiter erit excommunicatus, qui facit aliquid, quod putat sub excommunicatione prohibitum. Sed in hoc alia est disparitas, quod qui facit aliquid, putans esse contra præceptum, & legem Dei, eo ipso præceptum, & præcipientem contemnit, contemptu saltem interpretatiuo, qui contemptus induit rationem culpæ, quam putat committere. At hic contemptus non est sufficiens, vt quis eo ipso sit excommunicatus, nisi à canone, vel à iudice excommunicetur. Ita Couar. loc. cit.

D. Thom.

22. Sed dices. Qui facit aliquid, cui est annexa pœna, licèt pœnam ignoret inuincibiliter, eam tamen non effugit, si sciat opus iure diuino, vel naturali vetitum. V. G. qui occidit, vel furatur, sciens hæc naturaliter vetari, licèt pœnam dictis delictis iure ciuili inflictam ignoret, eam tamen subire cogitur, vt docet Azor tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 1. & 2. Sed disparitas consistit in hoc, Quia excommunicatio fertur solum contra inobedientes, & contumaces, qui autem eam inuincibiliter ignorat, contumax esse non potest. At cæteræ pœnæ talem contumaciam non postulant, sed sola Principis voluntate irrogantur; & cum sint pœnæ ordinariæ, & corporales, euitari non possunt. At excommunicatio est pœna extraordinaria, grauissima, & spiritualis, vnde meritò ab ignorante vitari debet. Ita Sayr. de cens. lib. 1. cap. 16. num. 37. Azor loc. cit. q. 3. ner. Ad ea verò, Filliuc. tract. 11. cap. 8. nu. 258. Aliter tamen dic de irregularitate, quæ etiam ab ignorante incurritur, quia contumaciam non requirit, & est pura pœna. Filliuc. cit. num. 257. Azor q. 6. Sayr. nu. 36. Suar. de cens. disp. 40. sect. 5. num. 9. Portel in addit. ad dub. reg. ver. Excom. num. 10 Nec excusatur ab excommunicatione incurrenda, qui credit, & profert propositionẽ, quã putat hæreticã, licèt talis non sit. Quia hic cum recedat à ratione formali fidei, & ab Ecclesia cum signo externo, hæreticus, & excommunicatus censendus est, ac si diceret, Non credo etiamsi id definiat Ecclesia. Ita Henriq. lib. 13. cap. 17. num. 3. & in com. lit. Z.

Azor. Sayrus. Azor. Filliucius. Suarez. Portel. Henriq.

23. Sed quid? Si quis sciat, esse quidem prohibitum ab Ecclesia, clericum V. G. percutere, ignorat tamen inuincibiliter, id esse prohibitum sub excommunicatione, si percutiat, erit ne excommunicatus? ℞. quòd non. Tum quia medicinalis ista pœna non est vsurpanda, nisi contra contumaces, sed qui talem censuram ignorat, non est propriè contumax. Tum quia in cap. 2. de const. in 6. generaliter dicitur, quòd ignorantes non ligantur sententijs per statuta Ordinariorum prolatis. Ita Nauar. in man. cap. 27. num. 274. ver. Decimo tertiò; Suar. de cens. disp. 4. sect. 9. num. 89. Coninck de cens. disp. 13. dub. 10. nu. 91. Sanch. 9. de matr. disp. 32. num. 13. Nec refert, quòd qui scienter transgreditur præceptum Ecclesiæ, sit illi inobediẽs; nam non est perfectè inobediens, vt censura requirit; quia contumacia, quam censura requirit, debet esse contra mandatum sub excommunicatione nota, vt colligitur ex cap. Sacro, & cap. Contingit, el. 2. de sent. excom. vbi requiritur monitio continens pœnam excommunicationis.

Navarrus. Suarez. Coninck. Sanchez.

Vnde, qui accessit ad consanguineam vxoris

suæ

Portel. Castr. Pal. Diana.

suę ignorans pœnam iuris potest absq; dispesatione petere debitum. Ita Portel in addit. ad dub. regul. verbo, *ignorantia*, num. 19, Castr. Pal. tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 17. num. 8. Diana tom. 3. tract. 5. resol. 12. qui resol. 13. probat, quod ignorantia etiam culpabiliter mortalis excusat ab incursione censurarum, & aliarum pœnarum.

24. Sed quid etiam? Si quis scienter delinquat contra ius diuinum, vel naturale, ignorans, quòd tali iuri annexa sit excommunicatio, incurret ne illam? R. eam non incurrere, quacunq; auctoritate, seu canone, vel statuto sit apposita. Quia licèt agat contra Dei, & contra rectæ rationis, & naturæ legem, non tamen facit contra Ecclesiam, cum Ecclesiæ ius, & legem ignoret. Nec potest dici Ecclesię inobediens, qui eius leges nesciens non obseruat, paratus obseruare, si sciret. Et est tex. expressus in cit. cap. 2. de const. in 6. qui loquitur de furto iure naturali damnato. Ita Ioan. Andr. in dicto cap. 2. num. 1. Ang. ver. Excom. 7. cas. vlt. num. 3. Tab. eod. 4. q. 3. §. 2. & Excom. 7. post vlt. casum, §. 1. Sylu. ver. Ignorantia, num. 16. Henriq; lib. 13. cap. 23. num. 2. Nauar. in man. cap. 27. num. 18. Vasq; de Excom. dub. 16. num. 7. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 15. q. 4. Sayr. lib. 1. de cens. cap. 18. num. 24. Filliuc. tom. 1. tract. 11. cap. 8. num. 253. Sot. in 4. d. 22. q. 2. art. 2. ver. Quartus demum. Anton. 3. par. tit. 25. cap. 33. circa finem. Cord. in q. theol. lib. 2. q. 26. in princ. Auil. de cens. par. 2. c. 5. disp. 5. dub. 7. ver. Tertia sententia. Liam. 1. par. mct. cap. 9. §. 27.

Io. Andr. Angelus. Tabiena. Syluester. Henriq. Nauarrus. Vasquez. Azor. Sayrus. Filliucius. Sotus. D. Anton. Corduba. Auila. Llamas.

25. Noto 8. quòd quando quis dubitet, an excommunicationem contraxerit, siue dubium sit iuris, vt si dubitet, an in iure sit aliqua excommunicatio eum casum complectens; siue sit facti, vt si dubitet, num clericū percusserit, adhibitis debitis diligentijs, non est censendus excommunicatus; quia in dubijs melior est conditio possidentis, & quilibet fidelis est in possessione fruendi bonis communibus Ecclesiæ. Ita Sanch. 1. in dec. cap. 10. nu. 56. Portel in addit. ad dub. reg. ver. Excom. num. 12. Aduertit autem Sanch. num. 61. quòd stante dubio de excommunicatione, orto ex iustitia, vel iniustitia excommunicationis, vel an sit lata solùm ad terrorem, vel animo obligandi; vel an quis sit absolutus, nec ne; vel an conditionem impleuerit, sub qua fuit excommunicatus; vel an excommunicatio sit lata ante, vel post appellationem; vel an Prælatus habuerit potestatem; de quibus vide Sanch. à num. 57. non licet aliquem ad aliquod officium, vel dignitatem promouere; tum propter personam electam, quæ, veritate censuræ comperta, dignitatem relinquere cogetur; tum propter dignitatem ipsam, cui reuerentia debita non exhibetur. Et in his casibus possessio stat pro excommunicatione.

Sanchez. Portel.

26. Dico 2. Possunt Prælati regulares in suos subditos sententiam suspensionis ferre. Ita Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 9. nu. 6. & de cens. disp. 2. sect. 2. nu. 9. & disp. 28. sect. 1. num. 2. Sylu. ver. Suspensio, q. 2. Angel. eod. 2. §. 3. P. Greg. in decr. lib. 4. tit. 17. de interd. cap. 3. Bayus in theat. scient. theol. lib. 2. c. 102. Mir. tom. 2. man. q. 36. art. 4. concl. 1. Nauar. in man. cap. 27. num. 159. Sayr. de cens. lib. 4. cap. 2. num. 6. Tab. ver. Suspensio, num. 7. Henriq; lib. 13. cap. 35. num. 1. Portel in addit. ad dub. reg. Abbas, num. 2. Filliuc. tom. 1. tract. 11. cap. 2. num. 33. Auil de cens par. 3. disp. 4. dub. 1. concl. 2. & alij omnes DD vno ore docentes, eos omnes posse suspendere, qui possunt excommunicare; quia cui conceditur quod est plus, vtiq; conceditur quod est minus, per reg. 53. Cui, de reg. iur. in 6. Excommunicare autem est quid maius, quam suspendere; quia suspensio non priuat suffragijs Ecclesiæ, sicut excommunicatio. Ita D. Tho. in 4. d. 18. q. 2. art. 3. q̃la 2. ad 2. Panormit. in cap. Ex rescripto, de iur. iur. num. 3. Sayr. lib. 1. de cens. cap. 8. num. 10. Circa modum, & formam istam censuram ferendi, vide in nostro Formulario, lit. C. cap. 4.

Suarez. Syluester. Angelus. P. Gregor. Bayus. Miranda. Nauarrus. Sayrus. Tabiena. Henriq. Portel. Filliucius. Auila. D. Thom. Panormit. Sayrus.

27. Dico 3. Possunt Prælati regulares in suorum Regularium personas interdicti sententiam ferre, non in loca, quia in vsu non est; nisi fortè in quæ habent iurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi. Ita Suar. de cens. disp. 36. sect. 1. num. 2. & tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 9. num. 5. Sot. in 4. d. 22. q. 3. art. 1. concl. 1. Pet. Greg. loc. cit. Nauar. in man. cap. 27. num. 168. Sylu. ver. Interdictum 3. quæst. 3. Angel. eod. 3. §. 1. Filliuc. tom. 1. tract. 17. cap. 1. num. 21. Henriq; lib. 13. cap. 51. num. 1. Miran. tom. 2. man. q. 37. art. 4. Auil. par. 5. disp. 2. dub. 1. concl. 1. Sayr. de cens. lib. 5. cap. 10. n. 22. Rodriq; tom. 2. q. reg. q. 107. art. 1. & 2. Couar. in cap. Alma mater, par. 2. §. 2. num. 6. Antonin. 3. par. tit. 6. cap. 2. §. vlt. Portel in dub. reg. ver. Interdictum, num. 1. & in addit. ver. Abbas, num. 2. Pisanel. ver. Interdictum, 1. §. Quis potest interdicere, Bayus in theat. scient. theol. lib. 2. cap. 102. Constat tum ex cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. ord. & cap. Quærenti, de ver. signif. Tum quòd personas interdicere, est quid minus, quam excommunicare. Et aduerte, quòd alij vocant huiusmodi interdictum suspensionem, vt obseruat Sayr. loc. cit. cap. 1. num. 18. Circa formam, & modum ferendi Interdictum, vide in nostr. Formulario, lit. C. cap. 4.

Suarez. Sotus. P. Greg. Nauarrus. Syluester. Angelus. Filliucius. Henriq. Miranda. Auila. Sayrus. Rodriquez. Couaruu. D. Anton. Portel. Pisanella. Bayus.

28. Nota denique, quòd in iure, & extra illud latæ sunt multæ censuræ contra Religiosos in specie, vltra eas, quæ generaliter sunt latæ contra omnes fideles. Et de excom. in in specie eas enumerando, agunt Rodriq; to 2. q. reg. q. 60. art. 2. Mir. tom. 2. man. q. 35. art. 18. Fest. in coust. Præd. par. 4. cap. 27. Sayr. de cens. lib. 3. cap. 33. Filliuc. de excom. nemini reseruatis, tom. 1. tract. 14. cap. 8. de eisdem Papæ reseruatis, tr. 15. c. 8. de suspensionibus tr. 17. cap. 9. Conin. de cens. disp. 15. de susp. dub. 5. Sayr. cit. lib. 4. c. 13 Portel in dub. reg. ver. Suspensio, num. 3.

† †
†

CAP.

CAP. V.

De auctoritate, quam habent Prælati regulares super contractibus suorum subditorum.

Panormit. Nauarrus Hostiensis. Syluester. Armilla. Angelus. Tabiena. Pisanella Gutierrez Rodriquez Tiraquell. Reginald. Aegidius Molina. Lessius. Rebellus. Azor. Filliucius Sanchez. Portel.

1. IDE Panor. in cap. Ex rescripto, de iur. iur. num. 1. Nau. com. 2. de reg. num. 42. à ver. Decimoquinto; Host. in sum. lib. 3. de fideiuss. §. Et quia, Sylu. ver. Religio 8. à q. 3. Armil. ver. Monachus, à num. 18. Angel. eod. à num. 7. Tab. eod. à num. 10, Pisan. eod. §. Vtrum ex contract. Monach. Gutier. can. q. lib. 2. cap. 1. num. 37. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 26. art. 2. & 3. Tiraquel. in l. connub. gloss. 8. num. 82. Reginal. in praxi, lib. 25. num. 159. Aegid. tom. 2. de contract. cap. 4. Mol. tom. 1. tract. 2. de iust. disp. 140. col. 7. Less. lib. 2. de iust. cap. 17. dub. 8. num. 62. ver. Tertiò in contractu, & cap. 41. dub. 10. num. 90. Rebellus de obl. iust. par. 2. lib. 1. q. 8. sect. 1. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 11. Filliuc. tom. 2. tract. 33. cap. 3. à num. 57. Sanch. 7. in dec. cap. 31. Portel in dub. reg. ver. Pactum.

2. Noto 1. quòd quis potest tripliciter obligari. 1. naturaliter. 2. ciuiliter. 3. honorabiliter. Obligatio naturalis est, quæ non ex solo honestæ gratitudinis debito oritur, sed ex vinculo legis naturalis, & iustitiæ; & quamuis ad hanc non detur actio in foro causarum, obligat tamen in foro conscientiæ, & ad mortale ex genere suo. Obligatio ciuilis est, ad quam implendam datur actio in foro externo. Obligatio verò honoraria consistit in virtute fidelitatis, siue veracitatis per quam honerati viri sua dicta, promissaué liberaliter de beneuola quadam honestate, sub peccato quidem ex genere suo, non tamen mortali, adimplere tenentur, etiamsi de iustitia non intendant se obligare, nec ex lege positiua ad id cogi possint, Quæ honoraria obligatio sub naturali obligatione latiùs sumpta comprehendi potest. Ita ex l. 1. ff. de nouat. Rebell. loc. cit. num. 10.

3. Noto 2. quòd Religiosus per professionem propriam à se abdicat voluntatem, totumq; se tradit in voluntatem illius quem supra se vice Dei ponit; Ita vt inde nec velle, nec nolle habeat. Ita in cap. Non dicatis, 12. q. 1. cap. Si Religiosus, de elect. in 6. cap. fin. de sepul. eodem lib. cap. 2. de test. ibi. Vnde mortuus mundo dicitur, cap. Placuit, el. 2. 16. q. 1. & docent passim DD. Aegid. loc. cit. num. 6. Gutier. can. q. lib. 2. cap. 1. num. 37. 39. Id autem duobus modis posse intelligi, docet Henric. quodl. 6. q. 19. ver. Quorum. 1. quòd Religiosus debet esse mortuus mundo, qui totus in maligno positus est. 2. quòd mortuus est non mundo constanti ex rebus naturalibus, quia ijs vtitur bibendo, comedendo, &c. sed mundo constanti ex prauis cõcupiscentijs; omne enim, quod est in tali mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitę. Mortui itaq; sunt mundo, quatenus mũdus vult illos retrahere ab ijs, quæ sunt Dei. Sed tu dic 2. quòd Religiosi sunt mortui mũdo, non quò ad actiones naturales, sed quò ad ciuiles, & forenses, quæ cum liberum, & expeditum requirant agentis consensum, non possunt a Religioso, qui eo caret, perfici. Et habetur in l. Deo nobis, §. Hoc etiam congruum, Cod. de Episc. & cleric. Addition. Guid. Pap. quæst. 517.

Henricus.

4. Dico 1. Probabile est, quòd Religiosus ex contractu inito absq; licentia Superioris, non obligatur neq; naturaliter, neq; ciuiliter. Ita Host. in sum. lib. 3. tit. de fideiuss. num. 3. ver. Item excipitur; Panor. in cap. Ex rescripto de iur. iur. num. 1. vbi Fel. Mol. tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 140. col. 8. ver. Potiùs distinguerem; Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 11. num. 90. ver. Contraria tamen, Sanch. 7. in dec. cap. 31. num. 63. Aegid. de contract. cap. 4. nu. 2 Gutier. cit. num. 37. Reginald. in praxi, lib. 25. nu. 159. Cened. de paup. dub. 38. num. 5. Filliuc. tom. 2. tract. 33. cap. 3. num. 60. Portel cit. nu. 2. Prob. Tum quia Religiosus perpetuò non habet velle, neq; nolle, quod necessariò requiritur ad contrahendum; l. Stichum, §. Naturalis, ff. de solut. Tum quia id expressè est Religiosis vetitum cap. Non dicatis, 12. q. 1. & cap. 2. de testam. in 6.

Felinus. Cenedus.

5. Ex qua sententia colligunt Less. Cened. loc. cit. Aegid. num. 4. & 5. quòd neq; contrahentes cum Religioso, non habente facultatem à suo Superiore, obligantur contractu, nisi post Prælati approbationem, ipsi quoque ratificent, quia contrahentium par debet esse conditio; vt probant in materia ludi de eo, qui non potest perdere, vt nec etiam possit lucrari. Couar. in reg. Peccatum, par. 2. §. 4. num. 4. ver. Deinde; Sot. lib. 4. de iust. q. 5. art. 2. Cened. de paup. dub. 24. num. 31. Neq; refert, quòd dentur multi contractus ex vna solum parte claudicantes, vt minorum, pupillorum, seruorum, de quibus Sanch. loc. cit. num. 28. Aegid. num. 4. Nam hi omnes propriam habent voluntatẽ, secundùm quam naturaliter obligari possunt; l. Naturaliter, ff. de condict. indeb. Vnde non est mirum, si eorum contractus, ex sua solùm parte claudicantes, ex contrahentium cum ipsis firmi sint. At Monachorum contractus, qui propria voluntate carent, cum habeant defectum perpetuum in radice, ex neutra parte possunt esse validi.

Couarruu. Soto. Cenedus.

6. Noto tamen 1. quòd alij putant, ex contractu Religiosi absq; licentia Prælati inito, oriri in Religioso obligationem naturalem, dum Superior dictum contractum non irritat, eo modo, quo obligant vota. Ita Abb. 1. par. cons. cons. 104. Nauar. com. 2. de reg. num. 42. fine; Azor tom. 1. lib. 12. cap. 11. q. 5. Rebell. de obl. iust. par. 2. lib. 1. q. 8. sect. 1. nu. 4. & 5. Sanch. loc. cit. num. 37. Qui duo vltimi extendunt etiam ad promissionem factam alteri Religioso, etiam eiusdem Ordinis, siue etiã Prælato. Ast ego consequenter ad ea, quæ dixi hic sup. cap. 3. num. 4. existimo, ipsos contractus non esse ipso iure irritos, nullam tamen inducere obligationem, quousq; per Superiorem tacitè, vel expressè approbentur, propter rationes ibi dictas; & in hoc casu docet Reg. in prax. lib. 25. num. 159. ver. Quæ ratio; vbi addit, quòd peccaret subditus, dictos contractus implendo absq; licentia saltem præsumpta Prælatj. Neq; obstant rationes num. 4. allatæ. Quia

Abbas. Nauarrus Azor. Rebellus. Sanchez. Reginald.

Id non

id non est absolutè contrahere, nec contractum absolutè valere, sed solùm, si Superiori placuerit. In omnium tamen sententia, si contrahendo Religiosus dedit aliquod damnum socio, tenetur illud restituere, curando scilicet, quantum ipsius status patitur, obtinere aliquid, quod relictum à Prælato suæ liberæ dispositioni, parti innuptu læsæ satisfaciat. Ita Molina, Filliuc. Less. loc. cit. Sanch. num. 38. Reg. loc. cit. ver. Aduerte verò.

7. Noto 2. quòd iuxta nostram sententiam, per licentiam Prælati præsumptam saluantur multi Religiosorum contractus in vtilitatem monasterij initi. V. G. quando Monachus ex pecunia sua industria acquisita emit domum in proprietate conuentus, sibi vsusfructus retinens, quoad Superioribus placuerit: quia tunc præsumitur Prælatus consentire in vtilitatem monasterij. Immo DD. allati num. 6. quos refert, & sequitur Sanch. loc. cit. num. 32. putant, hos contractus tenere, etiamsi non præsumatur de mente Prælati peccare tamen Religiosum sic contrahentem. Et nu. 34. ait, quòd licèt venialiter peccet Religiosus, rem sibi legatam acceptans sine licentia Prælati, acceptatio tamen in fauorem monasterij tenet. Sed in his semper præsumitur de voluntate Prælati, qui vt sic rationabiliter inuitus esse non potest.

8. Sed quæres, an Religiosus, qui cum dicta licentia præsumpta emit dictam domum, vel censum, possit per se, solus, absq; Prælati licentia eam vendere, vel pretium census à venditore redimente recipere. Ego putarem, quòd non. Quia hic non potest rationabiliter præsumi de licentia Prælati, nisi fortè pecunia recepta in vtilitatem eiusdem monasterij conuertatur; contractus tamen Monachi sine licentia saltem præsumpta Prælati non sunt stabiles.

Rodriquez Nihilominùs Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 26. art. 3. secutus decisionem Capell. Tolos. q. 132. dicit, quòd debitum contractum cum Monacho, etiā conuerso, absq; interuentu Abbatis, vel Superioris, rectè eidem soluitur, & debitor liberatur. Secùs verò, si in contrahendo interuenit factum ipsius Abbatis. Vnde dicit Afflictus addens ad dictam decis. Cap. Tol. quòd si Monachus mutuat, vel deponit apud aliquem pecuniam, vt ei restituatur sine licentia Abbatis, debitor, vel depositarius liberatur, si dicto Monacho absq; dicta licentia soluat. Et ita video seruari in praxi quò ad mutuum, depositum, census redemptionem. Quò ad venditionem tamen rerum immobilium videtur habere maiorem difficultatem, propter prohibitionem alienandi, nisi quis dicat, eam non habere locum in nostro casu, quod non affirmo, cum semper proprietas monasterio acquiratur.

9. Noto 3. quòd Prælatus potuit se suis subditis naturaliter, & honorabiliter obligare, ita vt teneatur contractum, & promissum sub mortali, vel veniali seruare, iuxta cap. 1. de

Panormit. prob. vbi Panor. num. 1. & Fel. Poterit tamen

Felinus. ex causa rationabili, ea, quæ subditis promisit, reuocare. Maiorem tamen obligationem promissa de iustitia seruandi incurret Prælatus, si promittat aliquid subdito sub conditione operis alicuius præstandi, Deus enim ipse, facta promissione de acceptandis operibus iustorum in remissionē peccatorum ad meritum gratiæ, & gloriæ, iam ea ex iustitia acceptare

tenetur, vt probat Suar. tom. 1. in 3. par. disp. 4. *Suarez.*

sect. 5. Ita Rebell. de obl. iust. par. 2. lib. 1. q. 8. *Rebellus.*

sect. 1. à num. 12. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 29. *Rodriq.*

art. 9. Portel in dub. reg. ver. Pactum, num. 3. *Portel.*

Vnde collige, quòd, si Prælatus cum consensu conuentus, vel sine illo, vbi se solo potest Prælatus agere, committit mihi vineam aliquam desertam, & infructiferam vsq; ad certum tempus, vt eam bonificarem, vel commisit mihi aliquod negotium, in quo erat aliquid expendendum, promittens se expensas soluturum, Prælatus subsequens non potest à me auferre dictam vineam sine rationabili causa, nec denegare expensas factas, sine graui culpa; quòd si deneget, possum agere contra eum coram suo Superiore, vt mihi de iustitia prouideat. Quia inter subditum, & Prælatum orta est tunc naturalis obligatio: vnde cum ex pacto inito à prædecessore teneatur successor, cap. Dilecti filij, de foro comp. reg. 46. Is, qui, de reg. iur. in 6. cap. Eleutherius, 18. q. 2. Rodriq; tom 3. q. reg. q. 26. art. 1. non potest dictus successor a me dictam vineā, in qua bonificanda plurima expendi, auferre, nec erogatam in negotio finiendo pecuniam denegare. Supposito, quòd his contractibus non obstent regula, & constitutiones Ordinis. Ita Rodriq loc. cit. q. 29. art. 9. ver. Verum est tamen; Portel loc. cit.

10. Sed quæres, quid dicendum de fideiussore pro Monacho absq; licentia Prælati? R. quòd fideiussor potest duobus modis peti, 1. ad assecurandum contractum, scilicet quòd Prælatus Monachi in contractum consentiet, & tunc, si nolit Prælatus consentire, remanet ciuiliter obligatus fideiussor, quia obligauit se pro principali. Et quòd tunc oriatur in fideiussore obligatio naturalis, & ciuilis, multis probat Sanch. 7. in dec. cap. 31. num. 47. Potest 2. fideiussor peti ad assecurandum debitum, quod ex tali contractu resultabat, & tunc cum ex tali contractu nullum etiam naturale debitum resultauerit, si Prælatus non consentiat, nulla consurgit obligatio ex parte fideiussoris. Et idem dicendum est de pignore, si loco fideiussoris datum sit; accessorium enim sequitur naturam principalis. Ita Mol. tom. 1. de iust. *Molina.*

tract. 2. q. 140. col. 8. ver. Secundò distinguerem. *Sanchez.*

Sanch. loc. cit. num. 46. Less. lib. 2. de *Lessius.*

iust. cap. 18. dub. 1. num. 7. Filliuc. tom. 2. tract. *Filliucius*

33. cap. 3. num. 60. Vide Rodriq; loc. cit. q. 26. *Rodriq;*

art. 2. Grat. discep. for. tom. 1. cap. 188. nu. 10. *Gratianus*

Quare qui sapiunt seculares, fugiunt contrahere cum Monachis particularibus absq; Abbatis licentia. Quòd si casus ferat, accipiunt fideiussorem iuratum, tunc enim ait Sanchez nu. 48. quòd censetur obligatus tanquam principalis. Et in dubio, ait Mol. quòd semper præsumendum est, fideiussorem Monachi esse datum ad assecurandum contractum, quod nimirum Prælatus ratificabit.

11. Dico 2. Monasterium non teneri ex contractu, vel delicto sui Religiosi professi, nisi illi sit aliqua administratio commissa, vel nisi ex dicto contractu aliquid emolumenti monasterium recipiat; nam tunc ad illud, in quo

factum

Rosella. Tabiena. Syluester. Pisanella. Armilla. Aegidius. Sanchez. Molina. Lessius. Rebellus. Filliucius. Nauarrus. Cenedus. Reginald.

factum est locupletius, tenetur. Ita Rosell. ver. Monach. 16, §. 7. & §. 10. Tab. eod. §. 10. & 13. Sylu. ver. Religio 8. q. 3. Pisan. eodem, § Vtrum ex contractu, Armil. eodem à nu. 18. Aegid. de contract. cap. 4. à num. 8. Sanch. loc. cit. num. 9. & 14. Mol. loc. cit. col. 7. ver. Monasterium ex delicto; Less. lib 2. de iust. cap. 41. dub. 11. num. 90. Rebellus loc. cit. num. 8. Filluc. loc. cit. num. 59. Nauar. com. 2. de reg. num. 62. Cened. de paup. dub. 38. num. 4. Reg. in prax. lib. 25. num. 159. ver. Cœterum. Prob. Tum quia Monachus nihil habet, quod suum sit, sed omnia sunt monasterij, ergo suo delicto, vel contractu monasterij iuri præiudicare non potest. Cuius rei habemus tex. clarum in cap. Quod quibusdam, de fideiuss. qui tex. ex rationis identitate de omnibus contractibus intelligitur. Tum quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est conuertendum; cap. Si Episcopum, 16. q. 6. reg. 76. Delictum, de reg. iur. in 6. Tum quia quando Monacho committitur aliqua administratio, eo ipso censetur concessa facultas faciendi omnes illos contractus, qui ad talem administrationem sunt necessarij. Tum quia quando ex contractu singularis Religiosi aliquod emolumentum monasterium recipit, illud restituere tenetur, vt dicitur ex l. 1. §. Si cum impubere, ff. de pecul. c. Quod quibusdã cit. ibi, *Nisi fortè in vtilitatẽ*,

12. Noto 1. quòd Monachus ratione contractus initi absq; licentia Prælati, conueniri non potest. Quia cum ipse proprium non habeat, nec etiam voluntatem; cap. Nolo. §. Nulli liceat, 12. q. 1. dicti contractus nulli sunt, vt dixi. Ita Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 6. §. 7. Gabr. com. op. tom. 1. tit. 11. num. 60. Sanch. 6. in dec. cap. 12. num. 2. Pro debito verò contracto ante Religionis ingressum, neq; etiam Monachus conueniri potest, sed Monasterium, quod tamen non tenebitur vltra bona, quæ à Monacho quomodocunq; accepit. Ita Sylu. ver. Religio 8. q. 3. Specul. lib. 4. de sta. mon. in princ. num. 75. Abb. in cap. In præsentia, num. 7. de prob. Rosel. ver. Abbas, fine, Mol. tom. 1. de iust. disp. 140. col. 2. ver. Eo ipso; Sanch. loc. cit. & 7. in dec. cap. 31. num. 3.

D. Anton. Gabriel. Sanchez. Syluester. Speculator. Abbas. Rosella. Molina.

13. Noto 2. quòd ex contractu Superioris non excedentis limites suæ administrationis tenetur monasterium, cuius bona administrat; non tamen tenetur, quando limites in contrahendo suæ auctoritatis excedit, vt si mutuo pecuniam accipiat, eamq; non in vsus monasterij, sed in vsus vanos expendat. Quia tunc limites excedit: nisi fortè eo animo acceperit, vt in necessarios monasterij vsus expenderet; deinde, mutato proposito, dilapidauerit: nam ex ipsimet mutui acceptione legitimè facta, obligatio in monasterium translata est. Vnde cauti sunt illi, qui mutuantes pecuniam alicui Superiori, vel procuratori, in ipso mutui contractu ponunt vsus, in quos dicta pecunia mutuata est expendenda. Ita Ang. ver. Monasterium initio, Sylu. ver. Religio 8. q. 3. Sanch. 7. in dec. cit. num. 10. & 13.

14. Aduerte autem, quòd ego puto, non posse Prælatum per se solùm, absq; consensu conuentus, quemquam contractum alicuius momenti facere, nec faciendi curam alicui commendare. Constat ex cap. Quod quibusdam, de fideiuss. cap. Sine exceptione, 12. q. 2. cap. Nouit; cap. Quanto; cap. Ea noscitur, de his, quæ fiu. à Præl. Contractus verò circa res modicas, vt quæ ad victum, & vestitum communem pertinent, posse Prælatum per se solum facere, vel alteri per se solum commendare, docent Aegid. de contr. cap. 4. num. 16. Less. lib. 2. de iust. cap. 28. dub. 2. num. 20. Tum quia ita habet consuetudo. Tum quia id videtur secum ferre administratio temporalium. Tum quia nimis durum videtur, quòd debeat Prælatus consensum capituli requirere toties quoties vult emere vinum, vel frumentum, vel pannum pro vestuario. Qui tamen punctus limitandus est, nisi in aliqua Religione aliter habeat consuetudo, vel regula, vt in nostra, saltem quò ad conuentus minores, nam in maioribus consuetudo introduxit, vt consensus Seniorum sufficiat.

Aegidius. Lessius.

15. Noto 3. quòd ex delicto Superioris non tenetur conuentus, nisi vel in illius vtilitatem conuersum sit, vel illud factum sit cum consensu capituli, quia delictum Prælati, & capituli nocet Ecclesiæ. Colligitur ex reg. Delictum, de reg. iur. in 6. l. Iubemus, Cod. de sacro sanctis Eccles. Cened. de paup. dub. 38. num. 3. Less. loc. cit. cap. 41. dub. 8. num. 90. Mol. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 140. col. 7. ver. Monasterium; Abb. in cap. Quod quibusdam, de fideiuss. num. 6. Sanch. loc. cit. num. 12.

16. Dico 3. Religiosus non potest esse procurator, vel aduocatus, nisi ad directam, vel indirectam monasterij vtilitatem, & obtenta Superioris sui facultate, & tunc procurare, & aduocare poterit, tam coram iudice seculari, quàm Ecclesiastico, solum tamen in causa ciuili. Ita Sylu. ver. Aduocatus, q. 2. ver. Secundò si sit Monachus, & q. 6. Sayr. in claui reg. lib. 12. cap. 22. à num. 3. Aegid. loc. cit. num. 18. & 24. Sanch. 6. in dec. cap. 13. num. 1. Barb. in clem. Religiosus de procur. num. 2. & in c. Monachi, el. 2. 16. q. 1. n. 1. Rodriq. to. 3. q. reg. q. 41. art. 2. Guid. Pape q. 563. num. 3. Azor tom. 1. Inst. mor. lib. 12. cap. 11. q. 9. Nau. com. 1. de reg. num. 64. Prob. ex cap. Monachi, el. 2. 16. q. 1. cap. 2. de postul. Clem. Religiosus, de procur.

Syluester. Sayrus. Aegidius. Sanchez. Barbosa. Rodriquez. Guido Pape. Azor. Nauarrus.

17. Noto 1. quòd Superior ipse potest absq; alicuius licentia onus aduocati, aut procuratoris suscipere; sicut enim potest licentiam ad hoc subditis dare, ita potest per se ipse subire; cap. Sopitæ, de cens. Nauar. loc. cit. Sanch. num. 18. Aegid. num. 23. Quando verò tam Abbas, quam Monachus de illius licentia, patroni munus obit, non potest aduersarius illis obijcere, quòd id monasterij vtilitas non exposcit, nam ad ipsum id inquirere non spectat, vt Innoc. in cap. Cum 1. & A. num. 3. de sent. & re iud. Sanch. loc. cit. num. 44. Aegid. num. 20. Vnde potest esse Monachus, seu Abbas procurator non solum ob vtilitatem monasterij directam, sed etiam ob indirectam, immo, & occultam amici, fundatoris, aut protectoris conuentus; arg. cap. Per venerabilem, qui fil. sint leg. Ita Innocen. loc. cit. vbi etiam Fel. num. 11. Aegid. cit. num. 21. Sanch. à nu. 17. vsq; ad 45. Nauar. cit. num. 66. Barb. in cap. Ex parte, de postul. num. 2. Potest item Monachus constitutus procurator de Abbatis licentia,

Innocentius. Felinus.

tia, cum potestate substituendi, absq; noua licentia substituere. Sanch. cit. num. 13.

18. Dico 4. Religiosus non potest tabellionis officium exercere, bene tamen vetera instrumenta complere, & signare de Superioris licentia. Sanch. 6. in dec. cap. 13. num. 46. & 49. Sylu. ver. Tabellio, q. 2. ver. Quartum; Tab. eod. §. 3. Armill. eod. num. 3. Angel. eod. §. 4. Pisanel. eod. §. fin. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 8. art. 3. Couar. pract. q. cap. 29. num. 8. ver. Monachus, Cassan. de consuet. Burg. rub. 1. §. 6. num. 23. Barb. in cap. Ne aliqui, num. 10. & 11. de hær. in 6. Trott. de perf. cler. lib. 2. par. 1. req. 10. hoc. Nauar. com. 2. de reg. num. 41. ver. Tum quod. Prob. ex cap. Vt officium inquis. §. Verum quia, de hær. in 6. vbi tamquam singulare priuilegium conceditur Monachis, qui fuerunt notarij in seculo, vt possint esse notarij in causis fidei. Si verò instrumenta noua conficiat, an sint valida, putat Sanch. loc. cit. num. 48. quòd sic, quia nullibi reperitur talis prohibitio irritans. Secus tamen esset, si Monacho iuridicè, & publicè tale officium exercere esset interdictum.

Sanchez. Syluester. Tabiena. Armilla. Angelus. Pisanella. Rodriq3 Couarruu. Cassanæus Barbosa. Trottus. Nauarrus

19. Dico 5. Religiosus non potest esse arbiter, nisi simul concurriant licentia Superioris, & vtilitas monasterij. Ita Sanch. 6. in dec. cap. 13. num. 55. Rosel. ver. Arbiter, §. 1. Angel. eod. §. 5. Armil. num. 12. Tab. §. 7. Sylu. q. 16. num. 14. Barb. in cap. Monachi, el. 1. 16. q. 1. num. 3. Grat. discept. for. tom. 1. cap. 123. num. 1. Matthæus ad Guid. Pap. q. 163. Marc. Ant. Blanc. de compromis. q. 1. à num. 4. Prob. ex cap. Monachi, & cap. De præsentium, 16. q. 1. In quibus cap. statuitur, quod Monachus forensia negotia tractare non debet, at officium arbitri officium iudicis est.

Sanchez. Rosella. Angelus. Armilla. Tabiena. Syluester. Barbosa. Gratian'. Guid. Pap. Blancus.

20. Noto, quòd est maxima differentia inter arbitrum, & arbitratorem, seu amicabilem compositorem. Arbiter enim est quasi iudex, & eligitur à partibus, vt procedat iuris ordine seruato, & secundū ius. Arbitrator verò non tenetur seruare ordinem iuris, sed pro bono pacis potest auferre de iure vnius, & dare alteri. Ita Sanch. loc. cit. num. 62. In arbitratore non exigitur monasterij vtilitas, bene tamen Superioris licentia. Sanch. num. 61. 62. Et quòd arbitramentum factum absq; Superioris licentia, sit validum, licèt peccet Religiosus faciens, arbitrium nequaquam; Sanch. nu. 70. & 71. Et quòd Monachus factus Episcopus, possit esse arbiter, idem Blanc. loc. cit. nu. 6. Et quòd partes non teneantur stare sententiæ Monachi arbitri, non habentis licentiam sui Superioris, etiamsi de ei stando iurassent; idem Blanc. num. 7. Et quòd in seculo arbiter, factus Monachus arbitrari amplius non possit nisi concurrentibus prædictis, idem Blanc. q. 7. num. 17.

21. Dico 6. Religiosus potest esse assessor iudicis cum licentia Prælati, & Monasterij vtilitate. Assessor autem est, qui ab eo, cui data est iudicandi potestas, rogatur, vt sibi in cognitione causæ assideat, vt cum debito fine causam decidere instruat. Ita Sanch. loc. cit. num. 84. & 85. Lamb. de iur. patr. lib. 2. par. 1. q. 4. art. 7. num. 1. Prob. quia non potest Monachus munera iudicialia exercere absq; licentia Abbatis, vt sæpe dictum est ex cap. Monachi, el. 1. 16. q. 1. officium assessoris iudiciale est.

Sanchez. Lambert.

22. Dico 7. Non potest Religiosus nec suscipere, nec exercere munus executoris testamenti absq; priùs expressè obtenta Superioris sui licentia. Ita Ricard. in 4. d. 45. art. 5. q. 1. Rosel. ver. Religio 1. §. 7. Sylu. ver. Testamentum, 1. q. 1. Tab. ver. Executor, §. 1. Mol. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 147. col. 3. ver. Religiosus tamen, Sanch 6. in dec. cap. 11. nu. 1. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 11. q. 1. Barb. in cap. fin. de test. in 6. num. 1. Aegid. de contr. cap. 4. num. 17. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 70. art. 1. Armil. ver. Executor, num. 1. Angel. eod. §. 2. Grat. discept. for. tom. 1. cap. 123. num. 1. Nauar. com. 1. de reg. num. 64. Prob. ex cap. fin. de test. in 6. §. 1. & clem. vn. de test. vbi expressè habetur nostra conclusio.

Ricardus. Rosella. Syluester. Tabiena. Molina. Azor. Barbosa. AEgidius Rodriquez Armilla. Angelus. Gratianus Nauarrus

23. Nota, quod Religiosus cum licentia sui Superioris, etiam localis potest dictum executoris munus suscipere, tam ad legata pia, quàm ad profana, & quòd in hoc non requiritur vtilitas monasterij; & Prælatus, qui potest alijs dictam licentiam concedere, potest eam sibi indulgere; nihil enim horum apparet prohibitum in dictis cap. cit. Et quòd omnes Regulares, siue Mendicantes, siue non, teneantur rationem reddere dictæ executionis Ordinarijs, possintq; ab his, si in hoc deliquerint, puniri, est expressè decisum in dicta clem. vn. de testam. Ab hoc tamen munere executoris excipiendi sunt fratres Minores, quia id illis est expressè vetitum in clem. Exiui, §. Perinde, de ver. sign. Possent tamen eligi à testatore ad dandum consilium dictis executoribus, vt ibid. dicitur; consilium intellige purum, & non de necessitate sequendum, vt explicat Syl. ver. Testamentum 2. q 2. dict. 7. & Mol. loc. cit. ve. Illud est; nec ad hoc requiritur Superioris licentia. Possunt item fratres Minores acceptare electionem pauperum ad eleemosynas distribuendas, vt si quis leget centum pauperibus, quos elegerint, vel nominauerint fratres Minores; hoc enim non est executoris munus obire. Sed cum hoc sine rumore, & litigio vix fieri possit, alij putant hoc non esse dictis fratribus concessum. Hæc omnia videri possunt fusiùs discussa à cit. DD. præsertim Sanch. à loc. cit. vsq; ad nu. 42. & Grat. vsq; ad num. 45. Vide etiam Capell. Tol. q. 166. Sed an testamenti executio facta à Religioso absq; licentia Superioris, valeat, dubitant DD. Valere censent Sanch. cit. num. 44. & Aegid. cap. 4. num. 30. Quia ius solum prohibet Monachum suscipere, factum tamen ab executore non irritat. Contrarium tenet Grat. num. 1. loc. cit. Ego transeo cum Sanch. Si tamen Prælatus expressè prohiberet Religiosum exequi, vel tali Religioso in iudicio opponeretur exceptio defectus potestatis ad exequendum ob carentiam facultatis Prælati, tunc gesta nihil valerent, Sanch. num 45. & 46. Et quòd Monachus executor possit pecuniam distribuendã in pauperes, seu aliquid ex illa, sibi, vel suo monasterio applicare; Sanch. à num. 59. Quia tam monasterium, quàm ipse pauperes sunt, vnde non debent esse peioris conditionis, quã cæteri. Quod tamen limita, nisi aliter constaret de mente testatoris.

24. Dico 8.

Molina. *Rosella.* *Pisanella* *Sanchez.*

24. Dico 8. Regulares nullam tutelam cuiuspiam personæ etiam ex licentia Superiorum, suscipere possunt. Ita Mol. tom. 1. de iust. disp. 231. col. 2. ver. Religiosus tutor; Rosel. ver Tutela, §. 2. Pisan. ibid. Sanch. 6. in dec. cap. 14. num. 22. & 25. Prob. ex cap. fin. de testam. 106. gloss. d. 86. cap. fin. ver. Tutelas.

D. Cypr.

25. Noto 1. quòd talis tutela est triplex 1. est testamentaria data in testamento à patre suis filijs; & contra patres relinquentes Religiosos tutores suorum filiorum inuehitur. Cyp. in cap Cyprianus, 21. q. 3. dicens. *Neq; enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros voluit auocare.* 2. dicitur legitima, quæ defertur à lege, vt cum nullus est tutor relictus per testamentum, quia tunc qui 1. loco debet succedere huic ab intestato, tenetur suscipere tutelam eius. 3. est datiua, quæ scilicet datur à iudice, quando nullus est tutor in testamento, vel nullus consanguineus, qui sit aptus suscipere tutelam. Ita Sylu. ver. Tutela, q. 1. Tab. eodem statim in princ. Officium autem tutoris est 1. pupillos à criminibus intactos conseruare. 2. eorum res defendere. 3. eorum pecuniam, vel mobilia, quæ ad nihilum valent, si seruentur, in prædia, vel alia bona immobilia ad beneficium pupillorum conuertere. Sylu. cit. q. 1. & 4. Tab. eod. §. 2. Ang. in prin. & §. 2. Armil. num. 1. & 2. Pisan. in princ.

26. Noto 2. quòd communis opinio est, non posse Regulares, etiam de licentia suorum Superiorum, tutelam testamentariam, & datiuam suscipere. De legitima autem dicunt, quòd suscipere non tenentur, possunt tamen, si velint, cum licentia Superiorum. Sylu. loc. cit. q. 3. Tab. §. 1. Angel. §. 1. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 11. q. 3. Sed melius dixi, quòd nec possunt legitimam, quomodò enim possibile est, vt Religiosus etiam de Superioris licentia possit officia tutoris complere, salua obseruantia regulari? & qui nihil habet, res pupilli assecurare non potest. Dicunt tamen Syl. Angel. Tab. Rosel. Pisanel. Azor, quòd dicti Regulares tenentur cum licentia Superioris suscipere tutelam miserabilium personarum, & probant ex cap. fin. d. 86. & cap. 1. & cap. Episcopus gubernationem, d. 88. Sanch. autem 6. in dec. cap. 14. num. 26. putat, quòd non solum non tenentur dictam tutelam suscipere, sed quòd nec possint, cum non habeant bona, quæ pro ministranda tutela obligationi subijciant, & tutelæ munus à religioso statu alienum sit. Et verè, si de tutore loquamur, prout de eo disponunt iura, impossibile moraliter est, quòd Religiosus possit esse tutor, etiam cum licentia Prælati. Nam ponamus, quòd delinquat in tutela, quod est facile, quis restituet pupillo bona sua? non ipse, quia nihil habet: non monasterium, quod non tenetur ex delicto Monachi, nisi in quantum factum est locupletius, vt dictum est; & pone quòd hoc nihil habuerit. Et dato quòd teneretur monasterium, pone quòd sit pauper, vt frequentissimum est in Mendicantibus, & non habeat nisi quædam bona immobilia, hæc alienare non potest. Teneo itaq; cum Sanch.

27. Dico 9. Licèt non inueniatur in iure cautum, quòd non possit Religiosus officium depositarij facere absq; licentia Prælati, immo potiùs colligatur contrarium ex cap. 1. de depos. non potest tamen subditus religiosus absq; dicta licentia saltem tacita aliquid loco depositi à quoquam extraneo recipere. Ita Mol. tom. 2. de iust. disp. 125. num. 4. Sanch. 6. in dec. cap. 14. num. 27. Cened. de paup. dub. 14. num. 14. Prob. Tum quia depositum est contractus inter deponentem, & depositarium, vt hic fideliter, & diligenter custodiat, & ille certum quid soluat, vel solam quandoq; beneuolentiam exibeat; at Religiosum nullo modo contrahere posse, cum velle, & nolle non habeat, dictum est num. 3. & 4. Tum quia depositarius tenetur ad depositum ex dolo, & culpa lata, vt constat ex cap. 1. iuncta gloss. de deposito; Sylu. ver. Depositum, q. 2. sed Religiosus non habet vnde soluat. Tum quia ex istis depositis proueniunt aliquando grauia scandala in Religionibus. Vnde solent Religiones expresse prohibere suis fratribus, ne dicta deposita recipiant, vt esse prohibitum sub grauibus pœnis in hac nostra Genuen. Prouincia, ab anno 1618. per capitulum definitorium, constat ex libro Prouinciæ pag. 86. & de sua Religione testatur. Sanchez loc. cit. num. 28.

Molina. *Sanchez.* *Cenedus.*

28. Nota, quòd si res deposita apud Prælatum, vel alium Religiosum de illius licentia, lata culpa, vel dolo depositarij pereat, vel deterior fiat, non tenetur monasterium de deposito, nisi quatenus locupletius redditum est. Quia delictum Religiosi, etiam Prælati, non obligat monasterium, nisi modo dicto iuxta reg. 76. Delictum, de reg. iur. in 6. & cap. 1. de depos. Ita Less. lib. 2. de iust. cap. 27. dub. 3. num. 12. Sylu. ver. Depositum, q. 2. num. 3. Pisanel. eod. §. Ecclesia. Angel. eod. §. 4. Mol. loc. cit. Sanch. num. 29. Si autem Prælatus videat, Religiosum perdere res apud se depositas, vel eas eius culpa perire, nec obstet, cum possit, tenetur in solidum cum ipso Religioso restituere, sicut enim tenetur lege iustitiæ Religiosum cogere, vt depositum domino poscenti restituat, ita eadem lege tenetur impedire damnum, quod illi videt inferri, & potest impedire. Ita Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 6. §. 7. Sylu. ver. Religio 8. q. 6. Si autem depositum sit factum monasterio de cõsensu Prælati, & capituli, seu ipsis præsentibus, & non contradicentibus, cum possent, seu factum sit alicui Religioso, in depositarium electo à capitulo cum Prælato, & culpa lata eius, vel eorum pereat, tunc puto, quòd monasterium tenebitur de deposito, etiamsi nihil de illo in eius vtilitatem sit versum. Atq; ita colligitur à contrario ex cap. 1. de depos. iuncta gloss. ver. Personæ; Sanch. loc. cit. num. 35. Sylu. & Pisanel. loc. cit. Rosel. ver. Depositum, §. 5. Angel. eod. §. 4. Barb. in cap. 1. de depos. num. 9.

Lessius. *Sylvester.* *Pisanella* *Angelus.* *Molina.* *Sanchez.* *D. Anton.* *Rosella.* *Barbosa.*

29. Dico 10. Non potest Religiosus fideiubere, nisi de licentia Prælati, & maioris partis capituli. Ita Mol. tom. 2. de iust. disp. 140. num. 19. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 11. q. 2. Rebell. de obl. iust. par. 2. lib. 16. q. 1. de fideiuss. num. 13. Sanch. 6. in dec. cap. 14. num. 38. Barb. in cap. Quod quibusdam, de fideiuss. nu. 4. Syl.

Molina. *Azor.* *Rebellus.* *Sanchez.* *Sylvester.*

ver.

Angelus. Armilla Tabiena. Lessius.

ret. fideiussor, q. 4. Ang. eod. §. 7. Armil. nu. 4. Tab §. 3. Less. loc. cit. cap. 28. dub. 5. nu. 20. Probatur ex cap. Quod quibusdam, de fideiuss. vbi id expresse habetur. Tum quia fideiussor alienam obligationem in suam fidem recipit, principali nihilominus obligato, l. 1. & 2. ff. de fideiuss. Is ergo solummodo fideiubere potest, qui liberam suorum bonorum administrationem habet, qualem hac dubio nō habet Religiosus.

30. Nota, quod neq; Prælatus potest fideiubere absq; consensu maioris partis capituli. Quia id alijs concedere nequit. In re tamen parua, de qua per se ipsum disponere potest, posset fideiubere. Ita Sanch. nu. 39. Less. Ang. Syl. loc. cit. Quod si nihilominus subditus, seu Prælatus fideiubeat, fideiussio est irrita, cum nihil proprium habeant, quod alteri obligent; Azor. Mol. loc. cit. Sanch. nu. 41. licèt alij valere putent, ex cap. 1. & 2. de fideiuss. & executionem dicunt esse faciendam in peculio, si quod habent: Ita Capell. Tolos. q. 314. nu. 3. Sed non est discedendum à dictis.

Sanch. Lessius. Angelus. Sylvester. Azor. Molina. Sanchez.

31. Aduerte etiam, quod in dicto cap. Quod quibusdam, æquè prohibetur Religiosis fideiubere, ac mutuum accipere, tam Prælatis, quam subditis, absq; consensu maioris partis capituli; quod si aliter fecerint monasterium ad nihil tenetur, nisi ad id, in quo est locupletatum. Pro qua re vide Menoch. de arb. lib. 2. cas. 432. Mol. tr. 2. de iust. to. 2. disp. 300. Rebell. de obl. iust. p. 2. lib 8. q. 1. sect. 3. Bar. in dict. cap. Quod quibusdam, à nu. 8.

Menochius Rebellus. Barbosa.

32. Hic vnum monitos velim Prælatos, vt in his contractibus, cæterisq; mundanis negotijs fugiendis tam in subditis, quam in se ipsis, plurimum studeant, memoria sæpe repetentes aurea illa verba, quæ habentur in cap. Te quidem, 11. q. 3. vbi dicitur. *Te quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne fideiussor existas, ne advocatus litium fias, neve in vlla aliqua occupatione prorsus inveniaris mundialis negotij occasione perplexus. Neq; enim iudicem, aut cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis. Ista namque opera, quæ tibi minus congruere superius exposuimus, exhibeant sibi invicem vacātes laici, & te nemo occupet ab his studijs, per quæ salus omnibus datur.*

Verba
sunt Petri ad Clementem
scribentis, vt ait gloss.
in dicto cap. ver.
Epistola.

† †
†

CAP. VI.

An Prælatus regularis possit devotis Ordinis participationem omnium bonorum Religionis concedere.

1. VIDE D. Th. addit. ad 3. p. q. 26. ar. 1. & in 4. d. 20. q. 1. ar. 4. & opusc. 6. de symb. apost. ver. Sanctorum communionem. Palud. in 4. d. 45. q. 2. ar. 2. concl. 5. ver. Sed prima illorum. Ricard. ibid. ar. 2. q. 3. fine. Syl. ver. Indulgentia, q. 5. nu. 9. Tab. eod. §. 7. Ang. §. 5. Pisan. §. 1. Med. de indulg. disp. 6. cap. 29. Nau. to. 4. miscel. 11. de or. & to. 3. de indulgen. not. 31. à nu. 18. Vuald. to. 3. de sacr. tit. 10. à cap. 93. Cord. in q. theol. lib. 5. q. 42. Suar. to. 4. in 3. p. disp. 55. sect. 5. à nu. 2. Sot. in 4. d. 21. q. 1. ar. 4. Mir. to. 2. man. q. 50. Val. to. 4. disp. 7. q. 20. p. 3. col. 3. Fillliuc. to. 1. tr. 8. cap. 4. nu. 95. Regin. in praxi, lib. 7. à nu. 124. Gamach. in 3. p. disp. de indulg. cap. 8. col. 5. ver. Obijcies: Lauor. de indulg. p. 2. cap. 11. à nu. 56. Graff. in append. lib. 2. cap. 2. à nu. 15. Henriq; lib. 7. cap. 2. §. 1. & cap. 31. §. 6. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 33. & to. 2. q. 86. ar. 1. ver. Secundo dico, & in explic. bull. p. 1. §. 7. num. 14. Nugn. addit. ad 3. p. q. 26. ar. 1. concl. 6. Carrac. in const. cler. reg. p. 2. c. 1. §. 14. ver. De nostrorum; Bonac. de sacr. disp. 6. q. 1. p. 3. n. 19. Tamb. de iur. Abb. disp. 9. q. 3.

D. Thom. Palud. Ricardus. Sylvester. Tabiena. Angelus. Pisanella Medina. Nauarrus Vualden. Corduba. Suarez. Sotus. Miranda. Valentia. Fillincius Reginald. Gamach. Lauorius. Graffius. Henriq; Nugnus. Carracc. Bonacina. Tambur.

2. Noto 1. quòd 2. modis possumus alijs nostra suffragia applicare, iuxta doctrinam D. Th. in 4. d. 45. q. 2. ar. 2. qla 4. secundum duplicem valorem, meritorium scilicet, & satisfactorium, quem in se habent quælibet bona opera. 1. per modum meriti de congruo, seu per modum impetrationis, quod idem est, (licèt alij distinguant, putantes neminem posse mereri nisi sibi ipsi, bene autem alijs impetrare) Consistit autem hoc in aliquali dignitate impetrandi sibi, vel alteri aliquid, quasi præmium operis, quod dicitur meritorium; vnde eo ipso quòd aliquis est peculiari modo membrum alicuius Religionis per literas fraternitatis, merita illius Religionis valent apud Deum, vt ratione illorum conferat illi aliqua bona peculiari auxilio, tamquam membro talis Religionis. 2. possumus applicare suffragia per modum satisfactionis, dando nimirum satisfactionem in dictis bonis operibus inclusam, pro pœnis debitis alienis peccatis.

3. Aduerte tamen ex Cord. loc. cit. p. 1. & Palud. loc. cit. q. 1. ar. 1. conc. 1. & q. 2. ar. 2. concl. 5. vers. fin. Rodriq; in explic. bull. cit. & to. 1. q. reg. q. 33. ar. 2. Sorb. loc. cit. ver. Et sic duplex. Nau. miscell. 11. de or. nu. 3. ver. Quintò quæritur; quòd triplex est differentia inter participantes de bonis operibus aliorum per modum satisfactionis, & participantes per modum meriti. Nam ad participandum 2. modo requiritur specialis intentio operantis, & specialis intentio Prælati applicantis tale bonum opus quò ad valorem satisfactorium tali determinatæ personæ, nam alioqui sequeretur, quod omnis peccator eo ipso quòd fieret iustus, esset absolutus ab omni pœna suis peccatis condonatis debita; Quia ad soluendas

Corduba. Palud. Rodriq; Sorbus. Nauarr.

D. Thom. Palud. Nauarr. huiusmodi pœnas infinitus meritorum thesaurus est in Ecclesia, vt probat ex D. Thom. & Palud. Nau. loc. cit. num. 2. ver. Sed contra. Vnde non valet Prælatus sine voluntate operantis opera eius satisfactoria alteri applicare, nam directum talium operum dominium apud subditum manet, vt probat Suar. loc. cit. nu. 6. & 7. Quare dixi tom. 1. huius op. cap. 6. §. vn. ver. Respondeo; quòd nullo casu potest Prælatus dicta opera satisfactoria alteri applicare, ipso operante indigente, & renuente. Quod tamen videtur solum intelligendum de bonis operibus, quæ facit subditus in particulari, ea applicando sibi, vel alijs in remissionem peccatorum. Nam opera satisfactoria, quæ facit etiam particulariter absq; speciali applicatione, sed pro tota Ecclesia generaliter, aut pro indigentibus in purgatorio, aut in hac vita pro benefactoribus, seu pro his, quibus Deus vult valere, & huiusmodi; & similiter bona, quæ facit in communi, vt disciplinas, ieiunia, orationes, vigilias, & huiusmodi, quæ in communitate facit cum alijs Religiosis simul, seu per se ex statuto regulæ, aut constitutionum, aut ex præcepto Prælati cum hæc bona sint communia Religioni, quamuis subditus ijs egeat, potest Prælatus, eo inuito, & inscio, alijs specialiter communicare, etiam quò ad vim satisfactoriam, quia super bonis communitatis videtur Prælatus habere plenariam potestatem, & similiter super bonis particularibus, vel superabundantibus, vel ncdum applicatis; cap. Nullam, 18. q. 2. Ita Cord. loc. cit. p. 3. dicto 5. Rodriq; q. reg. cit. ar. 4. Sorb. in comp. ver. Indulgentia quò ad seculares 4. p. 3. Ad participandum autem 2. modo, scilicet per modum meriti, non requiritur talis specialis intentio, immò neq; est necessaria scientia operantis, sed potest Prælatus ipse per se, ea cui voluerit applicare, quia in hoc nullum fit præiudicium subdito, immò fit melior conditio operantis ex multitudine participantiũ. Tum quia incipientes participare, incipiunt etiam de suo alijs communicare. Tum quia Deus, cuius misericordiæ, & liberalitati, quæ infinita sunt, talis fructus innititur, magis ex hoc honoratur, ex quo bene operans maiores potest fructus sperare, & maius augmentum præmij in vita æterna, vt ait Ricar. in 4. d. 45. ar. 2. q. 3. fine.

Corduba. Rodriq. Sorbus.

Ricar.

4. 2. Differentia, quæ est inter participantea opera satisfactoria, & meritoria est, Quia per participationem satisfactoriam, quò plures sunt participantes, eo plus minuitur satisfactio singulorum, saltem si satisfactio proueniat ex opere operantis, quia cum talis virtus satisfactoria ex opere operantis finita sit, vt pote quæ nititur perfectione operum, quæ mediante gratia Dei ab humana fiunt creatura, certum est, quòd quò plures partes de quantitate finita fiunt, illæ minores euadunt: operanti verò sic ex alia parte, nimirum ex charitate, augetur meritum, quod valet etiam ad remissionem suarum pœnarum; vnde de quadam sancta fœmina, quæ omnia sua opera satisfactoria pro peccatis aliorum offerebat, legitur, quòd in fine vitæ audiuerit, Charitas tua purgauit peccata tua, & sic recta in paradisum introibis. Per participationem autem meritoriam non minuitur meritum, sed augetur, vt dixi.

5. 3. Differentia est, quòd bona opera quò ad vim meritoriam possunt applicari per Prælatum, etiamsi sint præterita, quia ex illis non conflatur thesaurus Ecclesiæ, vt Cord. in q. theol. lib. 5. q. 42. p. 3. dicto 8. ver. Quo ad vim meritoriam; Nau. miscell. 11. de or. nu. 6. Sorb. loc. cit. ver. Quò ad vim. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 33. ar. 5. Mir. to. 2. man. q. 50. ar. 4. concl. 2. Pro quo facit illud Esa. 38. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* At verò quò ad satisfactionem, bona opera præterita, quæ applicata non fuere ante, vel dum fierent, applicari cuiquam non possunt, neq; per facientem, neq; per Prælatum, sed statim reconduntur in communem thesaurum Ecclesiæ, qui per solum supremum Pastorem dispensatur per indulgentias; quia nullus potest thesaurizare sibi, vel alteri thesaurum satisfactorium particularem, & per consequens neq; de eo distribuere, aut communicare cuiquam, neq; sibi, si indigeat. Quia alioquin sequeretur, quòd bona satisfactoria Religiosorum eis superabundantia, nunquam reconderentur in dictum thesaurum, sed semper remanerent sub potestate eorum, vel Prælati, ad applicandum ea postea, cui voluerit: & à fortiori, quòd opera Religiosorum defunctorum non possent applicari per indulgentias, vel alio modo, ex quo quilibet pro tali tempore, aut necessitate futura, sibi, vel alijs talia opera thesaurizasset in vita, vt sibi tunc valerent, aut applicarentur, & sic destrueretur dictus thesaurus Ecclesiæ, collectus ex satisfactionibus Religiosorum, aut aliorum Sanctorum, dum viuerent.

Corduba. Nauarr. Sorbus. Rodriq.

6. Noto 1. ex D. Thom. opusc. 6. ver. Sanctorum communionem, & alijs DD. cit. nu. 1. quòd 2. modis potest quis mereri ex opere alterius meritorio. 1. ratione vnionis in charitate, quam habent inter se iusti, iuxta illud psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te;* & illud symboli, *Communionem sanctorum;* est enim vna omnium fidelium vniuersalis Ecclesia, charitate coniuncta, quæ est societas, & amicitia spiritualis; vnde sicut in societate temporali de lucro vnius participant cæteri, ita in amicitia spirituali. Quare existens in mortali, licèt excommunicatus non sit, non est particeps alicuius boni, quod fit in Ecclesia per vnionem, cum enim sit membrum præcisũ à corpore, non potest recipere influentiam ab anima. 2. modo potest quis mereri ex bono opere alicuius, ratione specialis intentionis ipsius orantis, aut Prælati applicantis illi talia bona, ratione cuius, etiamsi peccator sit, potest participare multa bona, ex gratia, & liberalitate Dei prouenientia, de quibus hic infra n. 14. & refertur ex Augustino, quòd propter orationem Stephani saluatus est Paulus, & talis participatio specialis plus prodest, quàm illa generalis, Tum ratione maioris cõiunctionis, plus. n. semper meremur nobis, & nobis magis cõiunctis, quam alis, & sicut magis commendatũ habemus specialiter ab amico cõmendatũ, quàm si solùm generaliter cõmendetur, quia specialis cõmendatio efficatiorem affectũ ostẽdit; ita

D. Thom.

&

& hic. Tum ratione strictioris promissionis; vnde sicut seruus multorum plus acquirit illi domino, cui nominatim stipulatur, quàm alijs, quia obligatio illi in solidum quæritur; similiter si iussu vnius domini, vel ex re ipsius seruus multorum acquirat, illi specialiter acquirit, ita in proposito. Ad quod faciunt fortiter cap. Quamquam, dist. 23. & cap. Si aduersus, de hæret. & gloss. in cap. Beneficium, de reg. in 6. ver. Conferendum, in fine; quatenus ait, quod fortius est ius singulare, quam commune; quod etiam probat P. de Baisio in direct. elect. par. 1. cap. 26. num. 3. Et Concil. Constant. sess. 8. art. 19. damnat dicentem, orationes specialiter oblatas, non plus prodesse, quam communes. Et hoc esse de fide, tam post decretum, quam ante, docet Alanus de sacril. Euchar. lib. 2. cap. 35. vers. Ex contraria sententia. Quare multum interest, recipi ad participationem alicuis Religionis, siue sic receptus sit peccator, quia tunc sit particeps propter intentionem, qui non erat propter vnionem; siue sit iustus, quia tunc dupliciter participat.

De Baisio. *Alanus.*

7. Noto 3. ex eodem D. Tho. locis cit. num. 1. quòd applicatio bonorum operum ad alterius satisfactionem, tripliciter fieri potest. 1. in singulari, vt cum priuatus bona sua, etiam quibus indiget, alteri determinatæ personæ applicat. 2. in specie, vt cum Prælatus Religionis admittit aliquem ad participationem bonorum, quæ fient in futurum in illa communitate, vel Religione. 3. In generali, vt cum Papa ex satisfactionibus, quæ Christo, & Sanctis superfluerunt, & in thesauro Ecclesiæ (de hoc thesauro ex quibus sit conflatus, vide Henriq. lib. 7. cap. 2. à num. 2. & quando incœperit, & qui teneat eius claues, cap. 3.) conseruatæ fuere, aliquid alicui applicat. At nec 1. nec 2. applicatio indulgentia dicitur, bene tamen 3. & hoc propter sequentia. 1. quia illæ applicationes, & communicationes non tollunt obligationem adimplendi pœnitentias impositas ex præcepto Ecclesiæ, & confessarij, quia constare certò non potest de meritis operantium, & de satisfactionum superabundantia, vnde in foro Ecclesiæ ab his pœnitentijs non liberant (licèt fortè per dictas communicationes quis assecutus sit coram Deo omnem remissionem pœnæ, per eum in purgatorio subeundæ) quoniam neq; liberaretur, si alius pro eo tantumdem pœnitentiæ, quantum est sibi iniunctum, ageret; est enim illa pœnitentia medicinalis per ægrotum ipsum subeunda, vt D. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2. q̃la. 3. corp. At indulgentia cum sit concessa ex infinitate thesauri Ecclesiæ, qui deficere non potest propter infinitatem meritorum Christi, & Sanctorum, de quibus infallibiliter constat, à dictis pœnitentijs in vtroq; foro liberat, si rectè sumatur. 2. Quia indulgentiæ valent solum ad satisfactionem pœnarum Deo debitarum, pro peccatis iam commissis; at communicationes bonorum Religionum valent etiam, & præcipuè, ad impetrandum bona etiam in futurum, vt dicam. 3. Quia, vt dixi num. præced. per indulgentias applicantur satisfactiones præteritæ, per communicationes solum futuræ. vide Cord. loc. cit. p. 4. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 33. art. 7. Sotus in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 4. ver. Quòd si sciscitaris. Miranda loco cit. art. vlt. Nauar. miscell. 11. de or. num. 4.

D. Thom. *Henriq.* *D. Thom.* *Corduba.* *Rodriq.* *Sotus.* *Miranda.* *Nauarrus.*

8. Dico 1. Possunt Prælati regulares concedere deuotis amicis, & benefactoribus literas fraternitatis, seu participationes omnium bonorum, quæ fiunt in communitatibus sibi commissis. Ita D. Thom. Angel. Tab. Syl. Pisan. Henriq. loc. cit. num. 1. Cord. par. 3. Rodriq. cit. art. 2. Sotus cit. ver. Prælati verò Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 4. num. 95. Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 55. sect. 5. num. 2. Mir. tom. 2. manual. quæst. 50. art. 1. Sorb. in comp. ver. Indulg. quò ad secul. 4. par. 3. pag. mihi 404. Nauarr. cit. num. 3. ver. Secundo quæritur. Prob. tum ex cap. Nullam, 18. quæst. 2. vbi dicitur, quòd tota bonorum monasterij administratio ad Abbatem pertinet, & penes Abbatem residet. Quæ verba non solum de bonis temporalibus, sed etiam de bonis spiritualibus debere intelligi, docent passim DD. Miranda, Nauarr. loc. cit. Tum ex priuilegio Vrbani V. quod refert Casarub. in compen. verb. Indulgentiæ quò ad secul. 4. num. 6. vbi concedit, quòd Generales, & Prouinciales possint communicare suffragia, indulgentias, orationes, & alia bona spiritualia benefactoribus Ordinis. Tum quia possunt fideles omnes sua opera bona peculiariter alijs communicare, vt constat ex D. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. q̃la 4. Ricard. ibid. dist. 20. art. 5. q. 3. ad arg. oppos. Et quia quilibet est dominus suarum satisfactionum. Et quia id videtur docere Scrip. ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate.* Et Iac. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Ergo, & Religiosi quoque idem possent, nisi obstaret votum obedientiæ, per quod se arbitrio suorum Prælatorum submiserunt. Ergo dicti Prælati per dictum votum acquirunt eam potestatem super actiones Religiosorum, quam ipsimet Religiosi habuissent quò ad actiones meritorias, &, vt videtur, etiam satisfactorias superabundantes, & communes, si tale votum non fecissent. Ergo possunt dicti Prælati prædicta suorum opera cui voluerint applicare.

D. Thoma. *Angelus.* *Tabiena.* *Syluester.* *Pisanella.* *Henriq.* *Corduba.* *Rodriq.* *Sotus.* *Filliucius.* *Suarez.* *Miranda.* *Sorbus.* *Nauarr.* *Miranda.* *Nauarr.* *Casarub.* *D. Thom.* *Ricardus.*

9. Noto 1. circa illud priuilegium Vrbani Quinti cit. num. præced. quòd illud priuilegium concedit duo. 1. quod possint prædicti Prælati communicare suffragia, &c. sed ista concessio nihil dat de nouo; id enim habent ex iure communi præfati Prælati, vt dicunt Mir. loco cit. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. quæst. 33. art. 2. & tom. 2. quæst. 86. art. 2. Concedit 2. quòd possint prædicti Prælati communicare dictis benefactoribus indulgentias. Et ista est magna concessio, quam ex iure communi non habebant. Cum enim indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, non possunt applicari, nisi ijs, qui in eis nominantur expressè. Cum ergo in dicto priuilegio concedat Pontifex, quòd præfati Prælati possint indulgentias communicare, certum est, quòd superiores nominatim in præfato priuilegio, possunt omnes indulgentias concessas Regularibus, dictis benefactoribus applicare,

Miranda. *Rodriq.*

Suarez. etiamsi in illis nihil tale dicatur, quod absq; hoc priuilegio fieri non poterat. Atq; ita Suar. to. 4. in 3. p. disp. 55. sect. 5. num. 13. Duobus autem modis intelligo posse fieri hanc applicationē. 1. applicando fructum dictarum indulgentiarum, eo modo, quo applicantur defunctis. 2. concedendo vt dicti benefactores possint per se ipsos dictas indulgentias lucrari, faciendo ea, quæ ad id requiruntur.

10. Noto 2. quòd Prælati, qui possunt talem participationem concedere, sunt Corrector pro suo conuentu; Prouincialis pro sua prouincia; Generalis pro tota Religione, quia isti omnes sunt capita communitatis, & habent dominium super actiones suorum subditorum, & sicut possunt bona temporalia ex charitate alicui communicare, ita etiam spiritualia. Ita *Corduba, Rodriq.* Cord. in q. theol. lib. 5. q. 42. p. 3. dicto 1. in fine; Rodriq. to. 1. q. reg. q. 32. ar. 2. & in explic. bull. p. 1. §. 7. num. 13.

11. Quæres, an Generalis, seu capitulum generale possit prohibere Prælatis inferioribus, nimirum Prouincialibus, & Correctoribus, dare benefactoribus dictam participationem. ℞. hoc dubium graue esse, cum prælati Superiores id habeant, ex officio, & insuper ex priuilegio apostolico; & quod per superiorem conceditur, per inferiorem coarctari non potest; cap. Inferior, d. 21. Quare puto, quòd id generaliter non possit fieri; potest tamen Generalis rationabili de causa in aliquo casu particulari id Prouincialibus prohibere, & Prouinciali Correctori. At vniuersalem de hoc legem facere mihi videri non potest, propter dicta. Adde, quòd bono regimini id nequaquam potest esse expediens: sunt enim in qualibet prouincia, & in quolibet conuentu sui benefactores, quibus conuenit aliquando dictas communicationes facere, & hoc illis denegare non esset honestum, neq; vtile Religioni; & Generales non sunt semper præsentes.

12. Noto 3. quòd communiter recipiuntur benefactores Ordinis ad participationem bonorum quò ad vim meritoriam ipsorum, *Palud. Suarez. Filliucius. Rodriq. Lauor.* vt dicunt in specie Palud. in 4. d. 45. q. 2. ar. 2. concl. 5. vers. Sed prima; Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 55. sect. 5. nu. 11. & 12. Filliuc. to. 1. tr. 8. cap. 4. num. 95. ver. Tertium est: Rodriq; to. 1. q. reg. cit. ar. 2. Lauor. de indulg. p. 2. cap. 11. num. 62. Possunt etiam recipi quò ad vim satisfactoriam, sed id debet explicari expressè, & non potest fieri sine voluntate operantium, saltem quò ad illa, quæ non sunt excepta hic sup. nu. 3. Atq; ita Suar. & Filliuc. *Suarez. Filliucius. Henriq. Nauarr.* loc. cit. Henriq; lib. 7. c. 31. nu. 8. Nau. miscel. 21. de or. nu. 10. ver. Tertiò certum etiam videri.

13. Noto 4. quòd huiusmodi literæ fraternitatis conceduntur à Prælatis illis personis, de quibus habent relationem, quòd sint deuotæ Ordinis, & benefactrices; vnde si in aliqua cesset ista causa finalis, quia scilicet non sit benefactrix, certè ista non fruetur dictis bonis; cessante enim causa, debet cessare effectus. Et similiter cessaret frui dictis bonis ille, qui cum benefactor esset tempore acceptæ participationis, deinde cessat à benefaciendo. Et aduerte, quòd benefactores sunt in quadruplici differentia. Alij enim benefaciunt opibus, & eleemosynis suis Religiosorum paupertatem sustentando. Alij eis benefaciunt, ab iniurijs defendendo, a calumnijs liberando, de eis bene semper loquendo, reuerentiam illis exhibendo. Alij iura eorum tuentur, & sustentant in iudicio, vt Doctores, Procuratores, Sollicitatores, Aduocati. Alij illis benefaciunt, officium Lectoris intra Ordinem gratis præstando, aut in eorum fauorem similem scientiam, vel artem exercendo, vt Medici, Chirurgi, Notarij, &c. Isti omnes possunt ad participationem admitti. Quòd si postquam sunt admissi, cessent ab vna saltem ex prædictis beneficentijs impendendis, etiam cessat in illis participationum effectus. Quare qui opibus paupertatem Religiosorum sublenabat, ad paupertatem redactus, si bene saltem de illis loquatur, non desinit participare de dictis bonis. Verum quidem est, quod si Prælatus vellit aliquem non benefactorem ex mera charitate ad participationem admittere, poterit quidem etiam ad participationem bonorum satisfactoriorum modo dicto. Sicut enim potest bona temporalia indigenti ex charitate tribuere, ita potest etiam spiritualia. *Casarub. Miranda. Rodriq. Sorbus.* Atq. ita Cord. in q. theol. lib. 5. de indulg. q. 42. p. 3. dicto 9. Mir. to. 2. man. q. 50. ar. 5. Rodriq; to. 1. q. reg. q. 32. ar. 6. Sorb. in comp. ver. Indulgentiæ quò ad secul. 4. p. 3. ver. Quare dicitur, pag. mihi 306. Sed hoc casu non poterit Prælatus communicare indulgentias, cum solis benefactoribus communicare concesserit Vrb. V.

14. Dico 2. Iuuant dictæ participationes ijs, quibus conceduntur, non solum spiritualiter, *D. Thom. Palud. Rodriq. Miranda. Corduba. Sorbus. Nauarr. Filliucius.* sed etiam corporaliter. Ita D. Th. addit. ad. 3. p. q. 17. ar. 1. fine, corp. Palud. in 4. d. 45. q. 2. ar. 2. fine: Rodriq. loc. cit. ar. 3. & in explic. bul. p. 1. §. 7. num. 13. ver. La segunda differencia, fine. Mir. loc. cit. ar. 2. concl. vn. Cord. loc. cit. p. 2. Sorb. loc. cit. p. 2. pag. 304. Nau. to. 3. com. de indulg. not. 31. nu. 23. & miscel. 21. de or. nu. 3. Filliuc. to. 1. tr. 8. cap. 4. nu. 96. Prob. Tum quia ita definitum est in Concil. Constant. cit. Tum quia vsus talium participationum ad dictos effectus fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum, vsq ad præsentia tempora semper approbatus, vt latè probat Vuald. *Vualden.* to. 3. de sacram. tit. 10. cap. 94. & 95.

15. Sed quæres, quæ bona in particulari proueniant dictis benefactoribus ex dictis literis? ℞. quòd valent eis ad impetrandum à Deo gratiam conuersionis, cordis illuminationem, & virtutum profectum. Valent etiā ad præseruationem à peccatis, & liberationem, & præseruationem à morte, & alijs malis spiritualibus, & corporalibus, & ad collationem bonorum spiritualium, & temporalium, seu corporalium, quæ vnus alteri potest de congruo mereri, seu impetrare ex Dei misericordia, sicut per merita Abrahæ Deus liberauit Loth, Gen. 19. Et pro animabus habentium literas fraternitatis possunt fratres illius conuentus, cuius sunt benefactores, celebrare vnā missam, quæ eas liberet à penis purgatorij. Ita concessit Clem. VIII. per suam 4. const. to. 2. postr. priu. Et in Ordine nostro, mortuo vno ex

dictis

dictis habentibus præfatas literas, celebrantur pro ipsius anima omnes missæ, quæ sunt in conuentu, cuius est benefactor, cum officio defunctorum, & missa solemni; & Corrector dicti conuentus tenetur monere omnes Correctores suæ prouinciæ de morte dicti benefactoris, ad hoc vt possint pro ipsius anima celebrare diuina officia, & missas, ac si mortuus fuisset vnus professus dictæ prouinciæ. Quare debent multum æstimari, & æstimantur à viris pijs, & deuotis.

Medina. Rodriquez

16. Quæres etiam, an possint Prælati regulares indulgentias aliquo iure concedere? Med. in tr. de indul. disp. 6. cap. 19. Rod. to. 1. q. reg. q. 86. ar. 1. putant, eam facultatem habere Prælatus regulares iure diuino concessam, eo ipso quòd habent iurisdictionem quasi episcopalem in suos subditos, fuisse tamen impeditos in honorem episcopalis dignitatis. Sed omnes alij DD. vt Suar. to. 4. in 3. p. disp. 55. sect. 5. nu. 1. Henriq; lib. 7. cap. 31. num. 5. Tambur. de po. Abb. to. 2. disp. 9. q. 1. oppositum tenent, & probant ex cap. Accedentibus, de excess. præl. Sed ad hoc cap. R. a Med. & Rodriq; multis modis. Et verè illud cap. non stringit mul tò. Vnum est verum, numquam dictos Prælatos hac potestate fuisse vsos, & tamen si à Christo habuerunt, non sine quare illis data est, nec sine quare poterant illa priuari. Possunt tamẽ dicti Prælati ex priuilegio Papæ indulgentias concedere, vt constat apud omnes. Et de facto Prælati regulares concedunt indulgentiam plenariam, peractis visitationibus, suis fratribus, per concessionem Leon. X. de qua to. 1. nostr. priu. in const. 14. Leon. X. num. 11. Et Greg. XIII. hoc priuilegium etiam concessit Visitatoribus Soc. Iesu, vt refert Rodriq; to. 1. q. reg. q. 86. ar. 1. Et Alex. IV. concessit, vt fratres Minores prædicãtes in aliquo loco, possint concedere suis auditoribus indulgentiam 40. dierum, vt refert idem Rodriq. Et Generalis Minimorum ex priuilegio Clem. VII. de quo to. 1. nostr. priu. in const. 9. Clem. VII. quolibet triennio potest Fratribus, & Sororibus tertiarijs, Fundatoribus, Conseruatoribus, & Procuratoribus dicti Ordinis indulgentiam plenariam concedere, cũ auctoritate eligendi sibi confessariũ, qui eos absoluat à casibus episcopalibus, & censuris ecclesiasticis.

Suarez. Henriq. Tambur. Abbas. Medina. Rodriquez

Rodriquez

CAP. VII.

De potestate, quam habent Prælati regulares super suis subditis ordinandis.

Rodriquez

Suarez. Miranda. Cruz. Maiolus.

1. IDE Rodriq; to. 1. q. reg. q. 18. & to. 3. q. 23. & 24. & in explic. bull. p. 2. dub. vi. Suar. to. 4. de relig. tr. 1. lib. 2. cap. 29. Mir. to. 1. man. q. 38. & 39. Cruz lib. 2. de sta. Relig. c. 8. Maiol. de Irreg. lib. 4. cap. 1. nu. 13. fine; & cap. 9. nu. 4. & cap. 16. nu. 6. Sorb. in comp. ver. Ordines sacri. Quar. in sum. bull. ver. Ordo, vers. finem. Camp. in diuers. rub. 12. cap. 13. à nu. 32. Portel in dub. reg. & in addit. ver. Ordines sacri; Confess. in comp. priu. tit. 15. Ric. 4. p. prax. decis. 118. Zerol. in prax. p. 1. & 2. ver. Ordo, Scor. in selec. bull. epit. 147. cum suis theor. Passar. in not. priu. not. 27. & 28. Tamb. de iur. Abb. to. 2. disp. 2.

Sorb. Quar. Portellus. Confessina. Ricciusz.

Zerola. Scortia. Passarel. Tambur.

2. Noto 1. quod circa hanc potestatem, quam habent Prælati circa ordinationem suorum subditorum, dixi multa in nostr. priu. quæ hic indigitabo, addendo quæ erunt addenda ad complementũ materiæ. Et in primo to. 1. in const. 2. Sixti IV. nu. 33. posui decretũ Cong. Cõcil. factum de mandato Clem. VIII. anno 1596. die 15. Martij; quo iubentur Regulares dare literas dimissorias suis subditis ad sumendos ordines ab Ordinario loci, in quo ordinandus localiter permanet; si tamẽ dictus Ordinarius esset absens, vel ordinationes non celebraret, vel sedes episcopalis vacaret; his casibus potest Prælatus dare dictas literas ad quemcunq; Episcopũ, exprimendo causam, quare non ordinatur in diœcesi in qua localis existit. De quo decreto, vltra citatos ibi, agunt Mir. to. 1. man. q. 38. ar. 2. Ric. loc. cit. à nu. 1. Camp. cit. nu. 36. Confess. cit. cap. 2. ver. Sed Regularium Prælati; Portel. in dub. reg. ver. Ordines sacri, num. 2. qui ait, quòd in Hispania non est receptum. Sed circa hoc decretum nunc occurrunt aliqua, per sequentia dubia enucleanda.

Miranda. Campanil. Confessina.

3. Quæres 1. an, stante dicto decreto, teneantur Episcopi Regulares ordinandos de doctrina examinare, an vero sine nouo examine possint fidem de attestatione eis facta per Superiores, literas dimissorias concedentes? R. Supposito, quòd Regulares ordinandi non possunt ab Episcopis examinari, nisi circa doctrinam, & sufficientiam, vt statuit Trid. sess. 23. cap. 12. de refor. & declarauit Sixt. V. vt refert Rodriq. in suo bull. in viuæ vocis oraculis Greg. XIII. pag. mihi 505. Et priùs id statuerat Leo X. in Concil. Later. vt constat ex to. 1. nostr. priu. in const. 26. Leon. X. §. 12. & docent Henriq. lib. 10. cap. 23. nu. 4. & in comm. lit. L. & Rodriq. to. 3. q. reg. q. 24. ar. 1. Camp. cit. nu. 35. Barb. in cap. Ad aures, de temp. ord. nu. 2. Dico quòd possunt Domini Episcopi, absq; vllo scrupulo conformare suam conscientiam cum conscientia Prælatorũ attestantium in suis literis dimissorijs de præfata idoneitate quò ad literaturam. Tum quia prælati regulares sunt personæ grauissimæ, vnde illis credi potest, cap. Nobilissimus, d. 97. Tum quia Trid. eadem sess. cap. 15. arbitrio Episcopi remittit, an fuerit necessarium necne, examinare sacerdotes pro confessionibus audiendis, & iudicare, an sine examine æstimari possint idonei, ergo hic eodem modo ea attestatione Prælatorum poterunt credere illos esse idoneos. Tum quia possunt Episcopi super dicta idoneitate dispensare, vt dixi to. 1. nostr. priu. in const. 26. Leon. X. nu. 25. Tum quia id concessit Cassin. Iulius II. vt refer. Tamb. de iur. Abb. to. 1. disp. 26. q. 9. nu. 32. Tum quia ita audio seruari in vniuersa Gallia, & in aliquibus partibus Hispaniarum. Ita Mir. to. 1. man. q. 39. ar. 4. fine; Portel in addit. ad dub. reg. ver. Ordines sacri, n. 1. fine. Sorb in comp. ver. Ordines sacri, p. 2. ver. Immo non solum, pag. mihi 454. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 24. ar. 7. Tamb. loc. cit. to. 1. disp. 2.

Rodriquez. Campanil. Barbosa.

Portel.

Pians. q. 23. num. 6. Diana var. tr. 16. resolut. 29. ver. Sed prima. Et aduerte etiam, quòd si ordinandi sint notoriè literati, vt quia Lectores publici, vel publicè defenderint conclusiones, nō debent ab Episcopis examinari; cap. 2. d. 24. vbi gloss. Nau. in cap. Cum contingat caus. Navarr. Chokier. num. 13. Chokier de exemp. p. 4. q. 45.

4. Quæres 2. an Prælati differentes mittere suos subditos ad suscipiendos ordines eo tempore, quo diœcesanus, vbi morantur, ordinationes celebrat, vt quando non celebrauerit, occasione sumpta, mittant ad alium quemcunq; peccent, & incurrant pœnas dicti decreti? ℞. mortaliter peccare. Tum quia contrafaciunt decreto Papæ in materia graui. Tum quia diœcesano Episcopo præiudicant. Possunt tamen excusari à mortali, si id bona fide faciāt, credentes vel id sibi licere, vel non esse peccatum, sed solum teneri ad pœnam, si in foro exteriori conuincantur. Item possunt excusari, si Episcopus diœcesanus habeat examinatores valde rigidos, seu etiā malignos erga Regulares in genere, vel in specie, & aliqui subditorum sint aliquanto debiles, de quibus illis certò constet, quòd non approbabuntur; tunc enim potest illos constituere locales in alio conuentu alterius diœcesis, in qua non tantùm rigorosè cū Regularibus agatur. Quod constat; quia, vt hic infra dicam, potest Regularis, qui solum scit legere, & scribere, absq; grammatica, ad quemcunq; ordinem promoueri: sed hic si in aliquo Episcopatu permaneat, numquam ordinabitur, quia in eo non ordinantur, nisi qui bene callent linguam latinam, ergo potest per Prælatum mitti in alium Episcopatum, in quo non tam rigidè cum eo agatur. Quò ad pœnas autem aduerte, quòd non incurruntur ipso facto; ait. n. Papa, *Qui non fecerint, &c pœnas incurrent.* Qui modus loquendi insinuat, pœnam esse solùm comminatoriam, & infligendam, non ipso facto inflictam, iuxta ea, quæ cum multis docet Sayr. de cens. lib. 1. cap. 11. nu. 12. & 13. Adde, quòd etiamsi dicta pœna priuationis esset ipso facto, non tamen incurreretur in conscientia, sed semper requiritur iudicis sententia saltem declaratoria facti; quia nemo tenetur tā rigorosam pœnam in se exequi, vt dixi to. 1. nost. priu. in const. 6. Iul. II. nu. 19. & præterea docet Ricc. 3. p. prax. resol. 545. & resol. 572. nu. 1. & probat non obscurè tex. in cap. 1. de homic. in 6. fine.

5. Quæres 3. an Episcopi, ad quos mittuntur Regulares in casibus permissis, teneantur stare attestationi Prælati, quòd scilicet diœcesanus ordinationes non celebrat, vel est absens, &c. ℞. affirmatiuè. Et constat ex ipso decreto, in quo dicitur. *Verùm cum à Superioribus regularibus, Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse.* Ex quibus constat, quòd dicti Episcopi stare tenentur Prælatorum regulariū attestationi; vt quid enim mandaret Papa, vt Prælati illam attestationē facerent, si ea nihil erat profutura? Quare nimis scrupulosi mihi semper visi sunt illi Episcopi, qui præter illam Prælatorum attestationem, volunt etiam attestationem Ordinarij diœcesani, grauis grauantes Regulares, & expensas non necessarias facere cogentes. Ita Bartol. in aphor. lit. R. Bartol. ver. Regulares ad ordinationem.

6. Quæres 4. an Prælatus regularis contra dictum decretum mittens suos subditos ad ordines suscipiendos, si missus ordines non suscipiat, dictas pœnas nihilominùs incurrat? ℞. à Ricc. 4. p. prax. decis. 118. nu. 10. Quod si Riccius. Prælatus fecit quantum potuit, vt subditus ordines susciperet, & per ipsum non stetit, incurret. Sed ego puto, quòd non incurret, etiamsi per ipsum non steterit. Moueor. Tum quòd hoc statutum odiosum est, & contra antiquissima Regularium priuilegia, quibus poterant ordinari à quocunque Episcopo, vt constat ex Casar. in comp. priu. Mendic. ver. Casarub. Ordines sacri, n. 2. 3. 9. 10. 11. & ex to. 1. nostr. priu. in const. 2. Iul. II. § 6. & ex to. 2. in const. 7. Pij V. § 9. Vnde strictè est interpretandum. Tum quòd verba intelligēda sunt cum effectu, l. 1. §. Hæc verba, ff. Quod quisq; iur. cap. Relatum, de cler. non resid. cap. Qualiter, vbi gloss. vltim. de pact. cap. Si à iudice, de appell. in 6.

7. Quæres 5. an possint Prælati regulares ad solum effectum ordinationis, subditum localē facere in aliquo Episcopatu, & secuta ordinatione, statim amouere? ℞. negatiue, quia hoc esset legem deludere; quod vetatur in cap. Constitutus, de concess. præb. Et aduerte hic ex Bartol. loc. cit. ver. Regularis ordinatus, quòd Regularis ordinatus ab alieno Episcopo, dum Episcopus sui domicilij habet ordinationem excommunicatur edicto per Episcopū ordinantem, publicato, in quo dicitur, quòd nullus accedat, qui sit à iure prohibitus; nam iste prohibitus est à dicto decreto. Hæc tamen excommunicatio ex Pontificali Romano non est latæ sententiæ.

8. Noto 1. quòd eodem to. 1. priu. in const. 2. Sixti IV. num. 34. dixi, quòd si diœcesanus absens det licentiam alieno Episcopo ordinationes celebrandi, non tenentur Regulares ab eo ordines sumere, sed possunt à quocūq; Secus autem dixi, si præsens hanc facultatem concedat; quia tunc non possunt Regulares excusari per absentiam; & qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Vidi tamen postea aliud decretum Congreg. subscriptum, Cardinalis Pamphilius, in quo habetur vltra prædictos casus, quòd tunc solū possint Regulares à quocunq; Episcopo ordines sumere, quando diœcesanus, siue præsens, siue absens, alium sui loco Antistitem non adhibuerit, qui ordinationes habeat, ita vt continuo, integroq; spatio sex mensium in ea diœcesi ordinationes generales habitæ non fuerint. Sed istud decretum omnino supposititium credo; nam authenticum non vidi, neq; quo tempore fuerit factum; Et præterea illa sex mensium expectatio est moraliter penitus impossibilis, cum ministris quotidie egeant Regulares; & illa expectatio cultui diuino est valde damnosa, præsertim in magnis vrbibus, vbi magna Regulariū existit copia. Quare falsum omnino illud reputo, nec discedo à dictis. Immò ea cōfirmo quadā doctrina Gut. can. q. Gutierr.

lib.

lib. 1. cap. 6. num. 17. & 18. vbi resoluit, quòd licentia data ab Episcopo suo clerico ordines suscipiendi à quocumq; catholico Episcopo, in propria diœcesi residente, ad formam Trid. sess. 7. de refor. cap. 11. non extenditur ad recipiendum ordines ab Episcopo Pontificalia exercente in aliena diœcesi de licentia proprij Episcopi. Ex qua doctrina hanc elicio consequentiam. Ergo pari modo qui astringitur ordinari ab Episcopo diœcesano contra tenorem suorum priuilegiorum, non astringitur ordinari ab Episcopo in aliena diœcesi de licentia diœcesani Pontificalia celebrante. Et ex ea vlteriùs concluditur, quod nec etiam astringuntur Regulares suscipere ordines ab alieno Episcopo ordinationes celebrante de licentia proprij Episcopi etiam præsentis.

9. Noto 3. quod eodem tom. 1. priu. cit. num. 35. dixi, quod dispensare Regulares super temporum interstitijs, pertinet ad Episcopum ordinantem, & præter DD. ibi cit. id docent *Rodriq;* Rodriq. tom. 3. quæst. regul. quæst. 24. art. 3. fine, & in explic. bull. 2. par. dub. 8. ver. *In quanto al secondo*, pag. mihi 140. *Miranda.* Mir. tom. 1. man. quæst. 38. art. 7. in princ. *Henriq.* Henriq; lib. 10. cap. 13. §. 4. in com. lit. S. *Ledesma.* Ledes. tom. 1. sum. de sacr. ord. cap. 8. concl. 11. vers. La difficultad. *Campanil.* Campanil. in diuers. rub. 12. cap. 13. nu. 40. *Portellus.* Portel. in dub. reg. ver. Ordines sacri, nu. 5. *Confessius* Confess. in sum. priu. tit. 15. cap. 3. ver. Nomine amplitudinis suæ. Et constat ex Trid. sess. 23. de reform. cap. 11. & 13. Notat autem *Passerel.* Passarel. in can. Conc. Trid. can. 17. pag. mihi 454. quòd si in aliquo conuentu sit necessitas ministrorum, quæ Patrum consilio iudicetur sufficiens causa, vt aliter fiat, ordinaturo Episcopo ea referri debet, ipse autem de illa iudicabit; & ait, ita sibi responsum à sacra Congregatione Concil. die 7. Februarij 1573. Ex *Rodriquez* qua declar. colligunt Rodriq; tom. 3. cit. *Miranda.* Mir. cit. *Sorbus.* Sorb. in comp. ver. Ordines sacri, par. 2. ver. Et sic concludi, quòd quando Prælati iudicauerint, cum aliquo esse dispensandum, possunt rogare ordinaturum Episcopum, vt dispensare dignetur, absq; assignatione alicuius causæ particularis, & quòd hoc sufficere debet Episcopo, ad hoc vt dispenset. Sed certè ergo ea illa declaratione id colligere non possum, & multò minùs possum colligere id, quod *Miranda.* dicit Miranda nimirum non esse necesse neq; in generali exprimere causam vtilitatis, vel necessitatis. In praxi itaque modò seruatur, quòd Prælati regulares in suis dimissorijs rogent Episcopos ordinaturos, vt propter necessitatem, vel vtilitatem suarum Ecclesiarum cum ordinandis dispensare dignentur. Quod sufficit Episcopis, vt dispensent, absq; eo, quòd inquirant, an altera illarum subsistat. Et ad- *Campanil.* dit Campanil. loco cit. num. 41. quòd si dicti Prælati Regulares neq; generalim de altera illarum causarum fidem faciant, debet Episcopus denegare dispensationem. Quod mihi satis rationabile videtur, cum dispensatio sine causa fieri nequeat, & hæc proponenda sit à dispensandis, iuxta illud, Porrigat brachium, qui indiget igne.

10. Aduerte, quòd tunc dicitur esse in nostro casu Ecclesiæ vtilitas, quando Ecclesia habet quidem idoneos ministros, sed alijs opus habet, vt meliùs ei inseruiatur. Tunc verò dicitur necessitas, quando habet paucos ministros, & alijs indiget, vt oneribus iniunctis satisfacere possit. Ita *Confessius.* Confess. loco cit. ver. In remittendis; *Sorbus.* Sorb. loco cit. par. 3. ver. Et quia est iam, pag. mihi 455. *Miranda.* Miranda tom. 1. man. quæst. 38. art. 8. fine; *Rodriquez* Rodriq; tom. 3. quæst. reg. quæst. 24. art. 7. *Portellus.* Portel. in dub. reg. ver. Ordines sacri, num. 5.

11. Noto 4. quòd eodem tom. 1. nostr. priuil. in const. 2. Syxti IV. num. 38. dixi, quòd Patres Iesuitæ habent priuilegium, vt possint ordinari extra tempora in tribus Dominicis, vel alijs diebus festis, etiam continuis, & quòd hoc priuilegio non fruebantur, qui aliàs cum dictis in priuilegijs communicabant. Nunc addo, non solùm non posse alios Regulares ordinari extra tempora, vt conatur probare *Rodriquez* Rodriq; tom. 3. quæst. reg. quæst. 23. art. 5. contra quem *Miranda.* Miranda tom. 1. man. quæst. 38. art. 4. ex Trid. sess. 23. cap. 8. de refor. & cap. 1. de temp. ord. & ex const. Pij II. Cum ex sacrorum, de qua tom. 1. nostr. priuil. in const. 1. Iulij II. num. 20. & deniq; ex const. 91. Syxti V. Sanctum, & salutare, quam refert *Rodriquez* Rodriquez tom. 2. bull. sed neq; etiam ipsos Iesuitas quia dicto priuilegio illis concesso à Greg. XIII. fuit sufficienter derogatum per dictam constitutionem Syxti V., & expressè id dicit *Rodriquez* Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 18. art. 6. fine; & innuit *Scortia.* Scor. in se lect. bull. theor. 379. Neq; valet, quòd dicta const. Syxti V. fuerit reuocata per Clem. VIII. in sua const. 40. Romanum, quam refert *Cherubin.* Cherub. tom. 3. bull. Nam Clem. non omnino reuocauit dictam const. Syxti. V. sed eam reduxit ad terminos const. Pij II. cit. concilij Tridentini, & sacrorum canonum. At in sacris canonibus, cap. Sane, & cap. Cum quidam, de temp. ord. & in dicta bulla Pij II. suspenduntur ab executione, qui extra tempora à iure constituta sacrum aliquem ordinem suscipiunt. Video tamen, quòd *Portellus.* Portel. in dub. reg. ver. Ordines sacri, num. 4. dicit, esse in praxi receptum, quòd regulares ordinentur extra tempora. Sed in Italia practicatur contrarium. Et addit, quòd Clem. VIII. anno 1596. die 23. Nouembris concessit Patribus Congregationis Sancti Ioan. Euangelistæ in Portugallia, quòd possint ordinari extra tempora per quemcumq; Episcopum, & testatur, se hoc priuilegium vidisse. Sed ego semper habui suspecta priuilegia vltramontana, nam à multis sum deceptus.

12. Noto 5. quòd in eodem tom. 1. nostrorum priuilegiorum in constitutione 1. Iulij II. num. 34. dixi, quòd Prælatus potest absoluere à suspensione, quam incurrit subditus propter ordinum susceptionem ante legitimam ætatem, cum ad eam peruenerit, & interim non celebrauerit, & DD. ibi ad hoc adductis adde *Viualdus.* Viual. 1. par. sui candel. tit. 15. de sacr. ord. num. 37. ver. Si autem. *Henriq.* Henriq; lib. 14. cap. 20. num. 3. Immò etiamsi celebrauerit; & tunc potest etiam Prælatus super irregularitate, quæ inde prouenit, dispensare, vt ibi dixi, & expressè docent *Portellus.* Portel. loco cit. num. 14. & *Festus.* Festus in constitutione sui ordinis 3. par. cap. 25. ver. Vtilius, & refert, Martinum Quintum, id concessisse Magistro generali sui Ordi-

Ordinis, Dixi tamen num. 36. quòd dicta facultate non poterant Prælati vti in loro fori.

13. Si quæras, an idem dicendum sit de ordinatis per saltum? Vt respondeam, suppono, quòd qui ordinatur per saltum est, ipso iure suspensus ab ordine male suscepto, & impeditus, ne alios, si qui desint, possit recipere; cap. vnico, de cler. ord. per sal. c. Sollicitudo, dist. 52. Trid.
Scortia. sess. 23. cap. 14. de reform. Docent Scort. in se-
Suarez. lect. bull. theor. 379. ver. Septimò. Suar. tom. 5.
Barbosa. in 3. disp. 31. sect. 1. num. 45. Barb. in dicto c. 1. de cler. ord. per sal. & de po. Ep. par. 2. alleg. 47.
Alterius. num. 1. Alter. tom. 2. de cens. tract. de susp. disp.
Campanil. 10. cap. 5. col. 4. ver. Ex his duabus; Campanil.
Nauarrus in diuers. rub. 10. cap. vn. num. 4. Nau. in man.
Rodriqz cap. 25. num. 71. Rodriq; tom. 2. sum. cap. 17. n. 7. Si verò in ordine male suscepto ministrauerit,
Suarez. vel nouum ordinem susceperit, efficitur irre-
Nauarrus gularis, vt Suar. loco cit. nu. 47. Nauar. in man.
Bonacina. cap. 27. num. 242. Bonac. de cens. disp. 7. q. 3.
Riccius. par. 4. num. 5. Ric. 4. par. prax. decis. 150. nu. 1.
Confessius. Confess. in sum. priu. Mendic. tit. 15. cap. 4. in princ. Hoc supposito, R. quòd cum Religioso promoto per saltum, siue scienter, siue ignoranter, si non ministrauit in ordine sic malè suscepto, potest in foro conscientiæ Prælatus regularis dispensare, vt ordinem prætermissum suscipiat, & deinde in male recepto ministret, & ad superiores ascendat. Constat, supposito illo decreto communi in hac materia, quòd eandem auctoritatem habent Prælati regulares in suos subditos, quam habent Episcopi in suos. Sed hanc auctoritatem habét Episcopi ex Trid.
Maiolus. sess. 23. cap. 14 de refor. Atq; ita Maiol. de irreg.
Nauarrus lib. 4. cap. 12. num. 2. Nauarr. loco cit. Suar. n. 55.
Suarez. Scort. loco cit. Barb. cit. de po. ep. num. 6. &
Scort. de cler. or. per sal. num. 5. Campanil. loco cit.
Barbos. nu. 5. Immò potest Prælatus dispensare, si non
Campanil. celebrauit, licèt ea suspensio sit publica. Ita
Henriq. Henriq; lib. 13. cap. 35. num. 4. in comm. lit. Q. Lex enim simpliciter loquens, simpliciter intelligenda est, & vbi ipsa non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. De pretio, ff. de publ. in rem act. l. Non distinguemus, ff. de recep. arbitr. & l. In fraudem, ff. de testam. mil.

14. Sed tota difficultas est in illo, qui mini-
Nauarrus strauit in ordine malè suscepto. Nauar. in man. cap. 27. num. 242. ait, quòd si ignoranter ministrauit, potest dispensari ab Episcopo; immò etiamsi scienter ministrauit, potest dispensari ad exercendum ordinem malè acceptum, licèt non ad altiorem suscipiendum. Quam doctri-
Suarez. nam non omnino recipit Suarez loc. cit. nu. 52.
Maiol. Maiol. autem loc. cit. & Barb. & de po. Ep. n. 8.
Barb. dicunt, quòd qui scienter, seu ignoranter ministrauit in ordine malè accepto, non potest dispensari, nisi per Papam; & colligitur apertè à contrario ex verb. Trid. cit. Tu dic, quòd si delictum est occultum, siue scienter, siue ignoranter ministrauerit, potest Prælatus regularis cum sic ordinato dispensare, & vt ordinem prætermissum recipiat, & vt in malè suscepto ministret, & vt ad altiorem ascendat. Quia hæc potestas est tributa Episcopis sess. 24. cap. 6. de refor. in Trid. & hanc eandem potestatem ha-
Tyrus. bere Prælatos regulares, dixi tom. 1. priuil. in
Maiol. const. Pyr. nu. 46. & expressè id docent Maiol.
Campanil. de irreg. lib. 4. cap. 18. num. 2. Campanil. in di-
uers. rub. 10. cap. vn. num. 6. Barb. de po. ep. *Barb.*
par. 2. all. 47. num. 5. Bonac. loc. cit. Ricc. 4. par. *Bonac.*
prax. decis. 150. nu. 3. & 6. Confess. in sum. priu. *Riccius.*
tit. 15. cap. 4. ver. Quarto colligitur; Portel. in *Confessius.*
dub. reg. ver. Ordines sacri, num. 24. vers. Ho- *Portel.*
nem. Et dicitur delictum occultum hic, etiam quando post deductionem eius ad forum contentiosum reus mediis etiam deprauatis se de-
fendit. Ita Viual. tract. de excom. nu. 42. Hen- *Viual.*
riq; lib. 14. cap. 20. §. 4. Nauar. in man. cap. 27. *Henriqz*
num. 241. ver. Primò, in hoc, Ric. 3. par. prax. *Nauarrus*
resol. 263. num. 6. & 7. Item poterit Prælatus *Riccius.*
dispensare cum ordinato per saltum, qui absq; dispensatione prætermissum ordinem suscepit; nam ordinem suscipere, non est ministrare;
Suarez loco cit. num. 58. Alter. de cens. tom. 2. *Suarez.*
de susp. disp. 10. cap. 5. col. 7. ver. Respondeo *Alter.*
Episcopum. Sed quoniam qui aliqua censura innodatus, ordinem quemcumq; recipit, noua suspensione ligatur, vt colligitur ex cap. Cum
illorum, de sent. excom. & docet Suarez. de cens. *Suarez.*
disp. 31. sect. 1. num. 57. ab hac etiam, si est oc-
culta, potest Prælatus absoluere. Vide Barb. *Barb.*
loco cit. num. 11. Ricc. num. 9. Item dic, quòd *Riccius.*
non potest Prælatus dispensare in irregularitate publica, quam incurrit is, qui ordinatus per saltũ celebrauit; secùs si est occulta, propter dicta. Potest item Prælatus dispensare cum ordinatis in apostasia, si non celebrauerint, vel si occultũ, non obstante cap. fin. de apost. cui per priu. ro-
gul. derogatur. Ita Passar. in for. ord. de modo *Passarel.*
recip. apost. Sorb. in comp. ver. Ord. sacr. ver. *Sorbus.*
Item not. pag. 456.

15. Sed quid, si quis dubitet, an primam tonsuram susceperit, tenebitur ne illam iterare?
Innocen. in cap. Cum contingat, de ætate, & *Innocent.*
qualitate ord. n. vn. ait, quòd non tenebitur; quia nullum officium speciale est illi assignatũ, & secundùm theologos prima tonsura non est
ordo. Ita etiam Ricc. par. 1. prax. decis. 683. *Riccius.*
num. 5. Qui autem dubitaret de receptione alterius ordinis, præsertim sacri, teneretur illum
repetere; cap. 1. de cler. per sal. prom. Camp. *Campanil.*
in diu. iur. rub. 10. cap. vn. hic. Innoc. loc. cit. *Innocent.*

16. Noto 6. quòd eodem to. 1. priuil. in constit. 2. Iulij II. num. 22. dixi, quòd dare literas dimissorias Regularibus, ad Prælatos regulares
pertinebat, & præter DD. cit. dicunt Ledesma *Ledesma.*
tom. 1. sum. de sacr. ord. cap. 8. concl. 10. Camp. *Campanil.*
in diuer. rub. 12. cap. 13. nu. 36. Mand. in reg. 24. *Mandosius*
cancell. quæst. 2. num. 6. Miranda tom. 1. man. *Miranda.*
quæst. 39. art. 3. Henriq. lib. 7. cap. 26. nu. 1. Ha- *Henriqz.*
betur expressè in c. Nullus Episcopus, de temp. ord. in 6. & faciunt cap. Nullus, dist. 58. & cap. Quam sit, §. Nullus, 18. quæst. 2. in quibus deciditur, quòd nullus Monachus sine testimonio, & concessione Abbatis ad aliquem gradum in Ecclesia promoueri debet.

17. Sed quid, si quis ordinetur sine literis dimissorijs sui Superioris? R. quòd per extrau.
Pij II. remanebat perpetuò suspensus, vt Suar. *Suarez.*
de cens. disp. 31. sect. 1. num. 14. Henriq; lib. 13. *Henriq.*
cap. 38. §. 1. At per Trid. sess. 23. cap. 8. de refor. non remanet suspensus in isto casu, nisi quamdiu suo Ordinario videbitur expedire. Quod est antiquo iuri cõforme, cap. Salonitanę, d. 63.
cap. 1. iuncta gloss. ver. Ordinatio, dist. 71. Pas- *Passarel.*
sarel. in formul. Ord. de mo. recip. apost. ver.
Quintò si, & in nostr. priu. not. 37. Gutierr. can. *Gutierr.*
quæst.

Sotus. Suarez. Zerola. Ledesma. Riccius. Scortia. Riccius. Ledesma. Gutier. Nauarr.

quæst. lib. 1. cap. 20. num. 24. Sotus in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 3. col. 1. Suarez loc. cit. num. 19. Zerola par. 1. prax. ver. Dimissoriæ, in princ. Ledesma cit. concl. 7. Ric. 3. par. resol. 236. nu. 4. Scor. in select. bul. theor. 379. in princ. Quod si interim celebret, fit irregularis, vt Ricc. Ledesma loco cit. Gutier. nu. 26. Nauarr. in man. cap. 25. num. 70.

18. Aduerte tamen, quòd hæc suspensio non incurritur, nisi propter susceptionem sine licentia ordinum sacrorum, vt constat ex dicta extrau. Pij II. Vnde qui minores susciperet sine dictis literis dimissorijs, non remaneret suspensus; nec, si in ijs ministraret, fieret irregularis; peccaret tamen mortaliter, nec posset licitè ministrare, nisi Prælatus dictam susceptionem ratam haberet. Nauar. loco cit. Mir. tom. 1. man. quæst. 39. art. 7. Ledes. concl. 8. Suar. loco cit. num. 18. Sed licèt hoc procedat, stante iure communi antiquo, & Bulla Pij II. puto tamen, quòd recipientes etiam minores sine dictis literis, sint ipso facto suspensi. Tum quia Trid. dicta sess. 23. cap. 8. simpliciter loquitur de omnibus ordinatis sine dictis literis; vnde simpliciter de omnibus est intelligendum. Tum quia idem Concilium sess. 14. cap. 2. de reform. apertè loquitur de ordinibus maioribus, & minoribus; & ait, quòd sic promoti sine dictis literis dimissorijs, sint ipso iure suspensi, donec suo Prælato visum fuerit. Tum denique quia per const. Syxti V. Sanctum, & salut. de qua hic sup. num. 11. quæ quò ad hoc non est reuocata, cum sit conformis Trid. sine difficultate recipientes minores sine dictis literis sunt ipso iure suspensi, & dicit in specie Ricc. 3. par. prax. resol. 536. num. 3. & Suar. loc. cit. num. 19.

Nauarrus. Miranda. Ledesma. Suarez. Riccius. Suarez.

19. Et si quæras, an Prælatus regularis possit denegare suo subdito literas dimissorias ad ordines, etiam absq; vlla causa? R. affirmatiuè, videtur enim hoc positum in mera liberalitate Prælati. Vnde in Ordine nostro qui per se, vel per alios ad sacros ordines se promoueri petierint, ab ipsis ordinibus in pœnam per annum continuum retardari iubentur; Correct. n. 78 & in Trid. sess. 23. cap. 16. de reform. dicitur, *Nullus debet ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, aut necessarius suis Ecclesiis.* Et est casus expressus in cap. Ad aures, de temp. ord. debet tamen Prælatus in hoc rationabiliter se gerere; quòd si non faciat, iudicem solum habet Deum, non enim potest de hoc subditus appellare, cum Superior animum, & conscientiam inferioris immutare non possit. Ita Ric. 1. par. prax. decis. 693. num. 6. Barb. in dict. cap. Ad aures, a num. 3. Maiol. de irreg. lib. 4. cap. 1. num. 13. & cap. 17. num. 6. Ego tamen existimo, quòd in casu necessitatis ministrorum possent Seniores, aut alij grauiores Patres instare Superiori, vt talem ad ordines sumēdos mitteret; quòd si nollet, possent ad Superiorem maiorem recurrere, qui posset ab Inferiori talis denegationis rationem petere, & iste teneretur dare. Moueor; quòd mittere subditos ad sumendos ordines, videtur arbitrio Superioris tamquam boni viri concessum, vt constat ex Trid. sess. 23. cap. 2. de reform. ibi, *Iudicauerit*, non dicit, Voluerit; & ex dicto cap. Ad aures. *Salua conscientia*, non absolutè. At bonus vir non potest facere nisi quæ iusta, & rationabilia sunt, cap. Cum detna, de corp. vit. ergò tenetur Superiori rationem reddere de tali denegatione. Extra tamen casum necessitatis non tenetur rationem reddere, nec Superiori suo.

Riccius. Barbosa. Maiolus.

20. Noto 7. quòd eod. tom. 1. priu. in const. 26. Leonis X. nu. 15. dicit, quod licet Episcopis initiare etiam sacerdotio Regularem, qui bene legit, & cantat, quamuis omnino sit literatus; & præter DD. ibi cit. id docet D. Thom. addit. ad 3. par. quæst. 36. art. 2. in arg. Sed contra, & ad primum, vbi hanc reddit rationem. *Quia Religiosis cura animarum non committitur, & ideo talium non lex non requiritur, sed solum quod sacramenta conficiant, & ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quod ea, quæ ad sacramentum perficiendum spectant, ritè seruare possint.* Et alia potest huius rei reddi ratio. Quia in Religiosis semper est spes proficiendi, cum semper cum viris literatis practicent, quam rationem esse etiam sufficientem ad ordinandum clericum secularem, docet Innoc. in cap. Cum in cunctis, de elect. num. 1. Hanc eandem doctrinam sequuntur Trott. de pert. cler. lib. 2. par. 1. seq. 18. num. 93. P. de Baltio in direct. p. 2. cap. 1. nu. 3. Diana var. tract. 16. resol. 29. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 6. quæst. 3. ver. Deinde. Auila de cens. par. 7. disp. 4. dub. 1. concl. 1. fine Nau. in cap. Si quando, de rescr. except. 13. num. 8. & in sum. cap. 25. num. 133. Maiol. de irreg. lib. 2. cap. 13. num. 7. Rodriq. tom. 1. quæst. reg. q. 24. art. 7. Gloss. in cap. Legi, ver. instructio, 16. q. 1. Syl. ver. Clericus 1. num. 1. ver. Primò enim; Ang. eodem 2. §. 2. Tab. eod. 2. §. 2. Innocen. loc. cit. Sot. in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 4. concl. 3. Bariol. in aphor. ver. Regulares ad sacros, & ver. Sacerdos vt idoneus sit; Barb. in cap. Ea multa, de vo. num. 4. Portel. in dub. reg. ver. Ordines sacri, num. 6. Colligitur ex dicto cap. Ex multa; ex quo id probat Barb. & habetur expressè in cap. Sedulo, dist. 38. Possunt etiam citari alij DD. qui dicunt, defectum omnis scientiæ, quā Concilium requirit sess. 23. de reform. cap. 4. 11. 13. 14. irregularitatem non inducere: & sunt Henriq. lib. 14. cap. 8. §. 11. in com. lit. A. Garc. de benef. par. 7. cap. 7. num. 15. Sayr lib. 6. de cens. cap. 13. nu. 8. Nam licèt malè fecerint Superiores, qui tales receperunt sine spe saltem, quòd anno probationis fierent idonei; vel si cū tali spe frustrati sint, cum isti non sint irregulares, eo quia non habent scientiam à Concilio requisitam, ordinari poterunt, si legere, & cantare sciant. Quia sic satisfit menti Concilij: Quo pacto etiam tenet Gonzal. ad reg. 8. cancel. gloss. 4. nu. 36. quòd graduatus, & literatus ordinari potest, etiamsi patrimonium non habeat prout requirit Trid. sess. 21. cap. 2. de refor. Quia cum dicta literatura satisfit menti dicti Concilij. Ad Trid. sess. 23. cap. 11. de refor. vltra ea, quæ dixi in prin. loc. cit. dico, quòd loquitur de clericis secularibus, qui quoniam ordinātur præcipuè ad curam animarum, ideò debent pleniorem habere scientiam; in quibus clericis, cū non habeant communiter tantam commoditatem studendi, nec tantam conuersationem cum viris literatis, nec tam facilè possint viros, literatos consulere, maior requiritur actualis sciētia. Quòd si contendatur, Trid. loqui etiam de Regul. dico, quòd id non potest ex eo colligi cum nullum verbum de Regularibus in eo fiat.

D. Thom. Innocen. Trottus. De Baltio. Diana. Azor. Auila. Nauarrus. Maiolus. Rodriquez. Glossa. Syluester. Angelus. Tabiena. Innocen. Sotus. Bariola. Barbosa. Portel. Barbosa. Henriq. Garcia. Sayrus. Gonzalez.

Sed esto, quòd etiam hos comprehendat, dico, quod quę ad hos non est vsu receptum, vt testatur Nauar. loco cit. Hæc duo dicta sunt ad fouendam ignorantiam, quam detestor, sed ad solamen animarum Prælatorū, & Episcoporū.

21. Dico 1. Abbates, etiam non benedicti, possunt suis Religiosis subditis primam tonsuram, & quatuor minores ordines conferre, seruatis, quæ de iure in Trid. & alibi circa talem collationem seruare tenentur Episcopi. Ita Rodriq; tom. 1. quæst. reg. quæst. 18. art. 1. & 2. & tom. 3. q. 23. art. 1. Mir. tom. 1. man. q. 38. art. 9. Llam. 4. par. met. cap. 3. §. 4. Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 29. a num. 3. Cruz de stat. relig. lib. 2. cap. 8. dub. 1. ver. Quintò Abbas; Henriq; lib. 10. cap. 23. num. 3. Zerol. in prax. var. Abbas; Azor tom. 1. lib. 12. cap. 20. q. 7. Barb. in cap. Abbates, de priu. in 6. num. 4. Ledes. tom. 1. sum. de sacr. ord. cap. 8. concl. 6. Prob. tum ex cap. 1. dist. 69. cap. Cum contingat, de ætate, & qualitate ord. cap. Abbates cit. Trid. sess. 23. de reform. cap. 10. Tum ex multis priuilegijs, quę adducit Rodriq; loco cit. art. 2. Mir. concl. 3. Cruz, Llam. Confess. in sum. priu. tit. 15. cap. 2. Nauar. tom. 2. consil. lib. 5. de priu. cons. 14. num. 5. Sayr. de cens. lib. 4. cap. 13. n. 5.

Rodriquez. Miranda. Llamas. Suarez. Cruz. Abbas. Henriq. Zerola. Azor. Barbosa. Ledesma. Prob. Rodriquez. Miranda. Cruz. Llamas. Confess.

22. Noto 1. quòd hæc potestas extenditur etiam ad nouitios. Tum quia nouitius fruitur Religionis priuilegijs, vt dixi supra hac quæst. cap. 1. num. 122. Tum quia est subditus Prælatis Religionis. Ita Suarez loc. cit. num. 12. & 13. gloss. in cap. Abbates, ver. Conuolauerint, de priuil. in 6. Henriq; lib. 10. cap. 23. §. 3. in com. lit. gg. Sayr. loco cit. licèt alij multi contrarium teneant apud Barb. loco cit. num. 9.

Nauarrus. Sayrus. Suarez. Henriq. Sayrus. Barbosa.

23. Noto 2. quòd controuertitur inter DD. an dicti Abbates possint conferre dictos ordines clericis secularibus, seu Religiosis sibi non subditis cum literis suorum Superiorum. Azor loco cit. Suar. cit. num. 21. Quar. in summ. bul. ver. Ordo, vers. finem, Sorb. in comp. ver. Ordines sacri, in fine; Tamb. de iur. Abb. tom. 2. disp. 2. quæst. 7. ex sententia sacræ Congreg. affirmant. Sed ego licèt dictas declarationes viderim, cum tamen alias etiam viderim in contrarium, & nihil authenticum, stante clara decisione. Trid. loc. cit. non puto posse tutè dictos Abbates non sibi subditis dictos ordines conferre. Atq; ita cum multis Barb. loc. cit. nu. 6. Rota coram Seraph. decis. 989. Putat tamen Rodriquez loco cit. art. 1. quòd si Abbas sibi non subditis ordines conferat, imprimunt characterem, sed non dat executionem; & est illud, quod dicit Suar. loco cit. num. 20. declarasse sacram Congregationem quòd sic ordinatus non debet ampliùs ordinari, bene tamen dispensari. Sed si hac facultate, vt dixi, caret Abbas, omnino ordinari denuò debet.

Azor. Suarez. Quar. Sorbus. Tambur. Abbas. Barbosa. Seraph. Rodriquez. Suarez.

24. Noto 3. quòd dispensare super interstitijs, ad Abbatem ordinantem spectat, accessorium enim sequitur naturam principalis, & qui vult efficaciter finem, vult etiam media ad illum conducentia. Ita Mir. tom. 1. quæst. 38. art. 7. concl. 3. Sorb. in comp. ver. Ordines sacri, ver. Quandò verò Abbates, pag. 454. Barb. loco cit. num. 7. Rodriq; tom. 3. q. reg. quæst. 24. art. 3. ver. Quando verò Campanil. in diuers. rub. 12. c. 13. num. 41. Si verò Abbas non possit subditum ordinare, sed mittit illū ad Episcopū, tūc puto, quòd ad Abbatem spectet eo, modo, quo spectat ad Episcopum dispensare super interstitijs sui subditi, ordinati cum eius licentia ab alieno Episcopo; quare non erit necesse, quòd in literis dimissorijs mentionē faciat de tali dispēsatione. Roderic. in resolut. regul. resol. 1. n. 22.

Miranda. Sorbus. Barbosa. Rodriquez. Campanil. Rodericus.

25. Noto 4. quòd Superiores Mendicantium licèt communicēt in priuilegijs cum Monachis, hoc tamen priuilegio ordines conferendi non gaudent. Cum enim ex sua primæua concessione datum sit Abbatibus benedictis, & dicti Superiores Mendicantium non benedicantur, eo vti non potuerunt; & licèt postea fuerit extensum ad Abbates temporales, & non benedictos, cum tamen non pertineat ad animarum vtilitatem, & conueniens Religionis regimen, sed potiùs ad quamdam dignitatem, & præeminentiam, numquam eo vsi sunt, vel vti potuerunt. Ita Suar. loc. cit. num. 28.

Suarez.

26. Dico 2. Nullus Episcopus potest Regulares ordinare in domibus ipsorum Regularium, absq; licentia Episcopi Diœcesani. Ita Mir. tom. 1. man. q. 38. art. 3. Rodriq; tom. 3. q. reg. q. 24. art. 2. Ricc. 4. par. prax. decis. 118. num. 4. Cruz de stat. relig. lib. 2. c. 8. dub. 1. ver. Quartò: Portel. in dub. reg. ver. Ordines. sacri, nu. 3. Prob. ex Trid. sess. 6. cap. 5. de refor. vbi statuitur, quòd nulli Episcopo quantumuis priuilegiato liceat in aliena diœcesi Pontificalia exercere absq; expressa licentia diœcesani. Aduerte tamen, quòd Abbas exemptus, habens iura Pontificalia, potest dare licentiam alieno Episcopo, vt in suo districtu exerceat Pontificalia, non solum pro his, qui sunt de dicto districtu, sed etiam pro his, qui sunt alterius Episcopatus, modò tamen quò ad ordines suscipiendos habeant dimissorias proprij Episcopi. Ita Ricc. 2. par. prax. resol. 300.

Miranda. Rodriq. Riccius. Cruz. Portel. Riccius.

27. Noto, quòd si aliquis frater laicus, vel oblatus ad clericatum ascendat extra obedientiam Prælatorum Ordinis, etiamsi vsq; ad sacerdotium promotus sit, postquam reuersus fuerit, omni honore clericali priuari debet, nec debet permitti, vt canonicū persoluat officium, sed debet reduci ad pristinum omnino statum. Ita cōcessit Leo X. vt referunt Passar. in not. 21. priu. Casar. in comp. verb. Laici fratres, nu. 4. & ver. Ordines sacri, n. 4. Rodriq; to. 1. q. reg. q. 42. ar. 19. Portel. in dub. reg. ver. Horæ canonicę, n. 4.

Passarel. Casarub. Rodriquez. Portellus.

28. Noto, quòd amantes, obsessi à dæmone, & patientes morbum caducum, etiamsi liberati sint, iure communi non possunt ad ordines suscipiēdos mitti; cap. Clerici; cap. Maritum, cap. Communiter, dist. 33. docent communiter DD. Ric. 3. par. prax. decis. 538. à n. 2. Putant tamen aliqui quòd si cessent dictæ infirmitates, & per diuturnum tempus infirmi in sanitate confirmentur, adhibito peritorum consilio, possint Prælati regulares per sua priuilegia cum his dispēsare, vt ordinentur, & in susceptis ordinibus ministrent. Ita Mol. to. 4. de iust. tract. 3. disp. 70. n. 12. Auil. de cēs. p. 7. disp. 7. dub. 4. fine; Vech. de nouo disp. 9. dub. 21. nu. 6. Quia dicti Prælati habent auctoritatem dispensandi cum suis subditis in omnibus irregularitatibus, exceptis homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum. Ergo cum sibi subditis sic infirmis; vt Vech. n. 5. qui num. 7. idem probat de his, qui morbo gallico laborarunt.

Riccius. Molina. Auila. Vechius. Vechius.

CAP.

CAP. VIII.

De potestate, quam habent Prælati regulares res ecclesiæ benedicendi.

Rosella. Angelus. Sylvester. Tabiena. Passarel. Casarub. Cruz. Confes. Rodriq. Miranda. Llamas. Suarez. Fessus. Barbosa. Portel. Azor. Tamb. Abbas.

1. VIDE Rosel. ver. Benedictio, a §.1. Ang. eod. Sylu. eod. n.4. Tab. eod. Passarel. in not.18. & 19. priu. Casar. in comp. ver. Benedicere; Cruz de stat. relig. lib.2. cap.5. dub.8. & 9. Confess. in sum. tit. 18. a cap.4. Rodriq; tom.1. quæst. reg. quæst.18. Mir. tom.2. manual. q.40. Llam.4 par. mer. cap.3. §.4. Suar. tom.4. de relig. tract.8. lib.2. cap.30. Fest. in comit. Prædic. par.1. cap. 20. Barb. de potest. Episc. par. 2. alleg.27. num.44. & in cap. Abbates, num 10. de priuil. in 6. Portel. in dub. regul. & in addit. ver. Benedicere; Azor par.1. lib.10. cap.28. q.2. Tamb. de iur. Abb. tom.1. disp. 28.

2. Noto 1. quòd de materia huius cap. tractaui sufficienter in princ. 2. par. Ritual. Minim. Hic solùm ea mihi sunt indigitanda ad complementum materiæ, & breuiter, primò igitur dixi not.2. quòd Generales, & Prouinciales, ac eorum Vicarij possunt omnes, & singulas Ecclesias, cæmeteria, capitula, & oratoria solemniter benedicere, vt constat ex const. 1. Iulij II. §.22. tom.1. nostr. priuil. & DD. ibi ad hoc adductis adde Suar. loco cit. num. 21. Barb. Fest. Llam. loco cit. Cruz dub. 9. concl. 3. Et not. 3. dixi, quòd possunt dictas Ecclesias, &c. polluta, etiamsi fuerint cosecrata, reconciliare aqua per Episcopum benedicta; quod confirmant ijdem DD. Et not. 4. addidi, quòd si Episcopus distet per duas dietas, possunt etiam dictam aquam benedicere; quod confirmat Cruz loc. cit. conclus.4. Et not.7. dixi, quòd prædicti Superiores possunt benedicere corporalia, & alia omnia ornamenta, ad diuinum cultum necessaria, in quibus oleum chrismatis non interuenit; & côcessit Iul. II. loc. cit. §.19 & confirmant omnes DD cit. Et not.8. dixi, quòd prædicta ornaméta possunt benedicere non solum pro vsu suarum Ecclesiarum, sed etiam pro vsu aliarum; hac tamen potestate prudenter debere eos vti, monet Suar. loco cit. num 11. in locis scilicet, in quibus non sunt præsentes Episcopi, sed valde distant, ne conquerantur. Et not.9. diffusè probaui, supradictas potestates competere Correctoribus localibus, & Vicarijs illorum locorum, qui Correctorem non valent sustinere. Quod de Vicarijs etiam docent Portel. in addit. ad dub. reg. ver. Vicarius in capite; & DD. ad id adductis adde Suar. proximè cit. Barb. cit. n.44. Portel. in dub. reg. ver. Benedicere, nu.1. Tamb. loco cit. quæst.1. num. 7. Et quæst.9. ait num.3. quòd possunt benedicere primarium lapidem pro fundatione Ecclesiæ. Et quæst.5. quòd possunt benedicere arma, & vexilla bellica. Et aduerte, quòd possunt dicti Prælati hanc facultatem delegare, vt constat ex Rituali Romano, & ex his, quæ tradit Gauant. in rub. miss. lib.1. par.4. tit. 19. num.23.

Suarez. Barbosa. Fessus. Llam. Cruz. Cruz. Suarez. Portel. Suarez. Barbosa. Portel. Tamb. Gauant.

3. Noto 2. quòd Abbates, qui Pontificijs insignibus vtuntur, possunt calices consecrare, per priuilegium Innocen. VII. Ita Azor to.1. lib.10. cap.28. quæst.2. Miran. tom.2. man. q.40. art.4. Barb. par.2. de potest Episc. alleg. 27. num.36. Llam. 4. par. mer. cap. 3. §. 4. Suar. tom. 4. de relig. tract.1. lib.2. cap.3?. num.8. Cruz de stat. relig. lib.2. cap. 5. dub.9. concl. 1. vbi videtur concedere hanc facultatem quibuscumq; Prælatis regularibus, sed meliùs negat Mir. & non vsus comprobat.

Azor. Miranda. Barbosa. Llamas. Suarez. Cruz. Miranda.

4. Noto 3. in gratiam mei socij, quòd fratres laici, seu fratres oblati, eo tempore, quo sunt socij Generalium, & Prouincialium, & extra loca, & conuentus, cum inseruiunt missis dictorum Prælatorum, possunt proprijs manibus calices tangere, & corporalia plicare, & explicare ante, & post missam. Ita concessit Leo X. vt dicit Casarub. in comp. ver Laici fratres, num. 3. quo tamen priuilegio non possunt vti in conuentibus vbi sunt alij fratres. In dictis verò conuentibus possunt dictos calices, & corporalia tangere, si ad sacristiam deputentur per vnum ex dictis Prælatis, per priuilegium Calisti III. vt refert Casarub. ibi num. 1. Quod notat etiam Cruz cit. dub.8. ver. Nota posse.

Casarub. Cruz.

CAP. IX.

De auctoritate Prælatorum super impressione librorum suorum subditorum. Et quam grauis sit Prælatiæ munus.

1. NOTO primò, quòd in Concil. Trid. sess.4. decr. de edit. & vsu sacr. lib. mandatur sub pœna excommunicationis ipso facto; vt nullus Regularis possit imprimere, vel imprimi facere libros sine licentia Ordinarij, & sine licentia ob. cnr. suorum Prælatorum, data ad formam const. suarum Religionum; quam licentiam dare non possunt Prælati, nisi prius per se ipsos, vel per alios ab ipsis deputatos, libros imprimendos recognouerint. Et hæ licentiæ dari debent in scriptis, & in fronte libri authentice apponi. In Concil. verò Later. sub Leone X. sess 10. de impress. lib. requiritur præterea licentia Inquisitorum; quæ licentia requiritur etiam in indice libr. prohib. tit. De impress. lib. §. 8. & hæc etiam debet in fronte libri apponi. Et quia tam Ordinarij, quàm Prælati, & Inquisitores alijs detenti curis, solét dictis, & pijs viris hanc curam libros reuidendi, & approbandi demandare, talium etiam approbatio debet in fronte libri apponi, cum declaratione ex cuius auctoritate libros approbauerunt. Ita statuitur in dictis reg. Indicis, §. 5. Præter omnes dictas licentias Principes seculares volunt etiam ipsi libros examinare, seu examinandos doctis viris tradere; atq; ita sine ipsorum approbatione nolunt, vt typis mandétur. Atq; ita Nauarr. in man. cap. 27. nu. 148. Suarez de cens. disp.23. sect.7. nu.1. & 2. Azor tom 1. lib.8. cap.17. quæst.1. Fusc de visit. lib.1. cap.31. num.9. Sorb. in comp. ver. Imprimere libros. Rodriq; tom.1. quæst. regul. quæst.104. art.1. Ricc.4. par. prax. decis.260 à nu.1. Cherub. in comp. Bull. ad const. 12. Leon. X. Cened. ad decret. collect.8. num 7. Camp. in diu. iur. rub 12. cap.13. num.4. Portel in dub. reg. ver. Libri, num.6. Tol. in sum. lib.1. cap.41. n.1.

Nauarr. Suarez. Azor. Sorbus. Rodriq. Riccius. Cherub. Cenedus. Campanil. Portel. Toletus.

Zerola. *Suarez.*

Zerol. in prax. par. 1. ver. Libri vers. Quartò.

2. Noto 2. quod Suar. loco cit. num. 1. ait, quòd dicta excommunicatio Trid. solùm afficit eos, qui imprimunt libros sine nomine auctoris, & approbatione Ordinarij, & dummodò libri de rebus sacris tractent. Quare censet, quòd si quis imprimeret aliquem librum, de rebus sacris non tractantem, sine dicta nominis appositione, & licentia, non incurreret dictam censuram. Et censet præterea, quòd si Regulares imprimerent libros etiam de rebus sacris tractantes cum licentia Ordinarij, & nominis proprij appositione, non incurrerent dictam censuram, etiamsi licentiam suorum Superiorũ non obtinuissent; incurrerent tamen pœnas suarum constitutionum. Quam doctrinam sequitur Portel. loco cit. Aduertit etiam Suarez, ibi, ex Nauarr. loco cit. quòd censura lata in Lateranen. non fuit vsu recepta, atq; ita neminem ligat, sed per illius approbationem in Indice librorum prohibitorum reg. 10. de nouo factam, vires resumpsit. Aduerte etiam, quòd dicta excommunicatio Trid. est ipso facto, nemini tamen reseruatur, vt Medices in sum. pec. par. 2. tit. 9. quæst. 78. num. 115. Aduerte etiam, quòd in aliquibus locis, vt hic Genuæ, licentia Ordinarij non requiritur, sed sufficit sola licentia Inquisitoris.

Portell. *Suarez.* *Nauarrus.* *Medices.*

3. Noto 3. quòd in eodem Trid. decreto dicta excommunicatione ligantur, qui manuscriptos libros communicant, vel euulgant, sine dictorum approbatione. Quod tamẽ restringit Suar. loco cit. num. 3. ad libros de rebus sacris tractantes, de quibus tantum ibi Trid. loquitur. Et subdit idem Suar. quod nomen libri propriè & strictè accipiendum est pro opere consummato, & integro, quale est illud, quod imprimi solet. Nam, prout vsus obtinuit, & declarauit, scripta theologica, & quæstiones, vel conciones scriptæ facilè communicari solent sine hac examinatione, & approbatione; & licèt sint de rebus sacris, quia tamen non diuulgantur per modum librorum, sed tamquam dicta quædam inferioris rationis, & quæ vix in humana conuersatione literatorum hominum vitari possũt, & quia per se non scribuntur, vt diuulgentur per modum librorum, sed ad proprium vsum, & vtilitatem, & communicatio illa est priuata, & per accidens, ideo non censentur huiusmodi scripta sub hac clausula comprehendi. Immò addo, quòd integri libri concionum, & cursus philosophiæ, & alij tractatus theologici manuscripti absq; tali approbatione publicè Romæ venduntur, & alibi: quod vsu communi receptum esse, docent Axor loc. cit. quæst. 4. Regin. in prax. lib. 9. num. 257. ver. Vt autem. Vnde licèt declarauerit aliquãdo sacra Congregatio Concilij pro Regul. sub huius decreti decisione comprehendi lectiones, annotationes, disputationes, conciones, necnon tractatus pertinẽtes tum ad deuotionem, tum ad quietationem conscientiarum stimulatarum fratrum, & cætera huiusmodi, quæ sibi inuicem communicãt fratres; cum tamen ex huiusmodi declaratione varia orta esset inter Religiosos perturbatio, eademmet Congregatio declarauit, supradicta esse intelligenda tantùm, quando communicantur vt typis mandentur. Ita refert Sorbus in comp. ver. Imprimere libros, ver. Tertiò circa id; Ric. loc. cit. num. 6. Rodriq; & Cherub. loco cit. Barb. de potest. Episc. par. 3. alleg. 90. num. 14.

Suarez. *Suarez.* *Axor.* *Reginald.* *Sorbus.* *Riccius.* *Rodriquez.* *Cherubin.* *Barbosa.*

4. Noto 4. quòd nõ solũ libri debẽt examinari & approbari prædicto modo antequã imprimatur, sed etiã aliæ quæcũq; scripturæ, vt theses ab aliquo publicè defendendæ, carmina, vel poemata, aut orationes. Quia in Concilio Lateranensi dicitur, quod quicumq; liber, aut quæcumq; scriptura, antequam imprimatur, examinari debeat. Ita Axor loco cit. quæst. 2. Sed quid de thesibus manuscriptis, quæ publicè defendendæ proponuntur in Ecclesijs, vel collegijs Regulariũ, est necesse, vt ab Inquisitoribus approbentur? Ego credo, quòd non. Nam illa clausula Concilij, *Qui autem scripto eos communicant, vel euulgant, nisi antea examinati, probatiq; fuerint*, vel non est recepta, vt constat ex vsu & docent Suar. & Axor loco cit. vel intelligitur de his, qui euulgant scripto libros iam impressos sine auctoris nomine, de quibus priùs sermo habitus erat; vel de his, qui euulgant, vt ad omnium notitiam perueniant; & præterea theses libri non sunt. Et concilium Lateranense licet loquatur de libris, & alijs scripturis, loquitur tamen de his in ordine ad impressionẽ, & in ordine ad impressionem loquitur etiam cit. declaratio Concilij. Quare non video, quòd necesse sit (nisi quid me lateat) dictas theses debere ab Inquisitoribus approbari, & nullibi heri puto, & scio contrarium practicari, & Romæ, & Mediolani, & Genuæ.

Axor. *Suarez.* *Axor.*

5. Noto 5. quod in Ordine nostro mandatum est in cap. Val. 4. num. 9. in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis per annũ, & alijs pœnis ad arbitrium Generalis, quòd nullus audeat quidquam imprimere absq; licentia dicti Generalis; quam licentiam Generalis dare non possit, nisi priùs recognitis per eum libris, vel per alios ab ipso deputatos diligenter fuerint examinati, & correcti. In cap. verò Barch. 3. sess. 5. num. penul. addita est priuatio officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, ita vt qui talia attentauerit, non possit rehabilitari nisi a capitulo generali.

6. Noto 6. quò ad secundum punctum Quod durum valde est Prælatiæ munus, vt constat ex dictis hucusq; ita vt dixerit Trid. sess. 6. de refor. cap. 1. *Ecclesiarum regimen esse onus angelicis humeris formidandum.* Et cap. Ante omnia, dist. 40. dicitur, *Nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi officio.* Et Lamb. de iur. patr. lib. 2. par. 1. q. 10. art. 1. num. 2. requirit in Prælato 47. conditiones, & subdit num. 3. Vnum est, quòd me turbat considerare tot, & tanta requisita. Tam graue est Prælatorum officium his temporibus, quibus quisq; ferè sibi licere putat quodlibet, vt miserrima sit Prælatorum vita, non dico malorũ, sed meliorum: dum enim manum ad depellẽda crimina adijcere volunt, impiorum seuerissimè excandescit ira, oderunt enim dum metuunt, & qui timetur, timeat oportet, vel à factis, vel à calumnijs saltem. Quare interrogatus Chrysippus apud Stob. serm. 43. cur Rempublicam non administraret, cordatè respõdit. *Quia si malè rexero, Dijs displicebo; sin bene ciuibus* Et tot sunt cauillationes, maledicentiæ, detractiones,

Lambert. *Stobæus.*

ctiones, calumniæ, impertinentiæ subditorum, vt Prælatos etiam sapientes, & rectos conturbent; & qui bona intentione Prælatiam receperunt, bonisq; artibus eam exercere studuerũt, victi subditorum insolentijs, quibus manna de cœlo descendens nauseat aliquando, in illos sæuire coguntur. Quod contigisse Tiberio narrat Orosius lib. 7. cap. 4. & de Dionysio tyranno idem me semel legisse apud Patritium de regno meminisse videor. Nec id aberrat a D. Th. sententia lib. 3. de regim. princ. cap. 11. fine; dum tamen sæuitia, seu seueritas subditorum merita, & insolentias non excedat. Quare cogor cum Cic. pro Flac. exclamare. *O conditiones miseras administrandarum Ciuitatum, & Prouinciarum, in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum? Vbi seueritas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ, venientes Prætores expectant, præsentibus inseruiunt, abeuntes deserunt?* O captiuitatem domesticam, ò splendidam seruitutem, ò onerosum honorem, ò secretam passionum domatricem, ò afflictionum pelagus, ò mortificationũ oceanum, ò tribulationum radicem, ò ingratitudinum mare, ò inquietudinum matrem, ò mœstarum cogitationum nutricem, ò animorũ, corporumq; perditionem infelicem dignitatẽ? Quo infortunio ad tuas vnquam deueni manus? Pereat dies illa, in qua dictum est mihi, Prælatus creatus es. Lugenda dies, & nigro signanda lapillo, tamquam origo omnium miseriarum; dies, quæ fuit finis quietis, & principium tribulationum. Audite iuuenes senem non animo, neq; ætate, sed corpore rectum iter serò cognitum monstrantem cum Seneca ep. 8. Quasi à facie colubri dignitates fugite, habent enim decoras facies, sed deformes sunt intus, apparentia pura sunt, ac veluti sepulcra dealbata, quæ intus plena sunt ossibus durissimis. Dulce accidens, amara substantia, medicina videntur malorum prima facie, sed venenum sũt bonorum in progressu. Elongate, & fugite. Vita baiulorum est vita Prælati, scopus maledicatum linguarum subditorum. Experto credite, si non mihi, Seleuco, de quo referunt, quòd erat solitus dicere. *Si cogitarent homines, quantum negotij sit in Principe, solum tot legere, & scribere epistolas, nec humi proiectum diadema tollerent.* Ah Deus immortalis, quam bene dicebat ille. *Si fuissem de numero Prælatorum, non fuissem de numero electorum.* Et quidam è Senioribus nostris Deum quotidie rogabat, ne in Prælatia decederet. Hoc vnum reperi in tot molestijs solatium, quòd alijs communicare non grauor, & puto simpliciter bonis Prælatis necessariũ, mentalẽ esse nimirum orationem. Hæc enim pabulum est mentis, & corporis. Nã corpus, & mens tot curis fatigata, nisi semel in die ad minus, ijs depositis, recreentur, quod in d. fit oratione, & nõ alibi, succũbant necesse est.

Orosius. Cicero.

QVAESTIO IV.

DE MODO AGENDI

PRAELATI CVM SVBDITIS.

DVOBVS modis agit Prælatus cum subditis, in iudicio, & extra illud. In iudicio agit tamquam iudex; vnde scire tenetur omnia, quæ ad bonum, & rectum iudicem spectant. Quæ materia valde grauis est, & Prælatis Regularium maximè necessaria, parum tamen practicata. Cũ enim multos videamus in theologicis quæstionibus valde versatos, in scripturis sacris maximè practicos, alios orationi, & contemplationi multum intentos, alios negotijs secularibus implicatos, alios historijs, alios alijs professionibus delectari, paucos videmus doctos in hac materia iudiciorum, plus Prælatis necessaria pro Religionis conseruatione, & subditorum quiete, quam ipse panis. Vnde non mirum, sit tot videamus subditorum vexationes, incarcerationes iniustas, iustas appellationes, recursus, vagationes. Inde obedientiæ contemptus, paupertatis nausea, castitatis periculum, quadragesimalis vitæ præuaricatio, omnisq; regularis disciplinæ eneruatio. Cum enim videant se subditi iniustè torqueri à Prælatis, iustitiamq; non rectam, neq; recto, & debito ordine sibi ministrari, sed brutorum animalium instar baculo verberari de facto, ex ipsorum tyrannide aufugiunt, in quibus fugis quid faciant, quæ dicant,

cant, Deus scit. Quare obsecro in Domino IESV omnes Prælatos regulares, vt huic materię sedulò incumbant. Ego de ea longum tractatum disposueram facere pro illius dignitate, sed tam excreuit tomus iste Prælati, vt si cum germano Subdito velim eum associare, dictum tractatum dismembrare cogar, immò & omnino omittere; cũ viri doctissimi de hac materia speciales libros ediderint. Inter quos Aretin. in pract. Mansus de mod. proced. in caus. Reg. Ghisilier. de iud. Reg. Aldrete de disc. rel. Spathar. de mod. corrig. Reg. Triuis. de or. proc. inter Reg. Ioseph de S. Maria in trib. Relig. Thomas à IESV de reg. visit. & in c. 10. reg. Carmel. dub. 3. Suar. to. 4. de relig. tr. 3. lib. 10. à c. 11. Bart. in to. 4. addito ad q. reg. Rodriq; Rodriq; de ord. iud. Long. de cas. reser. p. 2. in 5. cas. de iud. reg. Mir. de ord. iud. & pract. reg. Possunt præterea videri Vilagut in sua pract. crim. can. Foller. Diaz, Sayr. in clau. reg. lib. 12. à c. 7. qui omnes DD. totam videntur absoluere materiam. Agit 2. Prælatus cũ subditis extra iudicium, & hoc modo etiam dupliciter, publicè scilicet, & priuatim; de quibus hic solùm breuiter pauca attingam.

Aretinus. Mansus. Ghisiler. Aldrete. Spathar. Triuisan. Io: de S. M. Th. à Iesu. Suarez. Barti. Rodriq; Longus. Miranda. Vilagut. Follerius. Diaz. Sayrus.

CAPVT VNICVM.

Quomodo Prælatus agat cum subditis extra iudicium tàm publicè, quàm priuatim.

1. NOTO 1. quòd licèt to. 1. huius op. in regulis, quas ad finem illius posui pro quiete subditorum, reg. 19. subditũ consuluerim, vt quantum posset, nimiam Prælatorum familiaritatem deuitaret. Tum quia Prælatorum vita est in continuis motibus, & anxietatibus, confluentibus ex omni parte negotijs, vnde quietè viuere non potest nec ipse, nec qui cum eo familiaritatem habet, & amicitiã, si enim cũ amico omnia deliberãda sunt, præceptore Seneca ep. 3. qui fieri potest vt curarum Prælati particeps nõ sit familiaris subditus? Tum quia omnia grauamina, quæ recipiunt à Prælato subditi, natura sic inclinante, in amicum illius refundunt. Tum quia cum omnia sibi licere putent imperantes, nihil, vel minimum tribuũt familiaribus; vnde cecinit Ouid. 3. trist. eleg. 4. *Nam quamquam soli possint prodesse potentes, non prosunt, potiùs plurimũ obesse solent.* Vnde illis semper timendum præcipitium est, cum præsertim agitur de Prælatis parum virtuosis. Quare puto sanum meum illud consilium, quòd video etiam probari ab Eccl. cap. 13. *Ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur.* & Horat. lib. 10. ep. 18.

Ouidius.

Horatius.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici
Expertus metuit.

Prælatis tamen omnino necessarium existimo, habere amicos, & familiares & magis necessarium, quam ignis, & aqua; non enim sine amico habebit, vt ait Cassiod. in proł. lib. de amic. parum à princ. *Cui vota, & affectus suos communicet, cui conscientiæ suæ sinum, cui solatium suum, aut aliquid de molestijs irruentibus euaporet. Solus est, qui sine amico est.* Et sine amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum. Sine amicorum solatio viuere, nihil est aliud, quam mori. Vnde dicebat quidã Nec solus vellem esse in paradiso. Et rectè; nam cum omnium creator Deus hominem effinxisset, illũq; in paradiso voluptatis constituisset, vidẽs quòd bonum nõ esset, eum esse solũ, dixit, *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et nullam posse esse felicitatem sine socio, docuit aliquando Seneca. *E diuerso autem,* subdit Cassiod. *quanta est iucũditas, quanta securitas, habere cum quo loquaris, vt tecum, cui arcanum committere quem in tuis secretioribus habeas vt te ipsum. Cui plena securitate reueles, quantum in studijs spiritualibus à te ipse defeceris, aut profeceris apud Deum.* Et Synes. de reg. col. 11. *Quæ, inquit, ô illa Rege dignior possessio, quàm amici consortium? quis secundarum rerũ particeps iucundior? quis in aduersis fortunæ casibus tolerandis stabilior? quis in laudando syncerior? quis in acrius obiurgando munus obeat?* Dulcis vita amico sociata, morborum omnium, dolorum omnium leuamen vnicum amicus verus. Quo vno amara dulcescunt, mollescunt aspera, leuigantur scabra, prosperantur aduersa, hilarescunt tristia, siccãtur lacrymæ, & mors ipsa in amãtis sinu vita potiùs, quam mors est. Et Naz. or. 6. in princ. *Amicus fidelis viuus thesaurus. Amicus fidelis solatij portus.* Et ep. 128. *Si quis interrogauerit me, quid eorũ, quæ in vita sunt, pulcherrimũ sit? Dicerem vtiq; amicos esse. Ex his vero quinam potissimum honorandi sint? Bonos enunciarem.* Et quòd imperantibus amici sint necessarij, multis exemplis docet Ioan. à S. M. in pol. c. 31. Ioan. Red. de maiest. princ. §. Paucis familiarem, à num. 14. Contz. lib. 2. pol. cap. 11. Sars. in exerc. pol. ad illa verba Eccl. 6. *Amicus fidelis protectio fortis.* Troil. in eluc. lib. 4. cap. 25. consid. 1. n. 7. Nostris Prælatis vnus Christus sufficiat, qui ex 12. Apostolis tres familiarissimos habuit, Petrũ, Iacobum, & Ioannem, quos & participes fecit suæ gloriæ in monte, & futuræ ignominiæ in horto. Quatuor autem sunt, propter quæ Prælatis sunt amici necessarij. 1. ad conuersandum cum ipsis; nullum enim tempus feliciùs consumitur, quã illud, quo cum amicis conuersamur. 2. vt eis omnia sui cordis penetralia referent, quo maximè mens subleuatur, cum alterũ videat & gaudia, & dolores ipsius participare. 3. vt eos adiuuent in ferendis Prælatiæ laboribus & sint tot oculi, tot aures, tot ora, tot manus, quæ & videant, & audiãt subditorũ necessitates & temporales, & spirituales, easq; Prælato suggerant, vt possit remedium adhibere. 4. vt bona ipsorum Prælatorũ magnificent, & mala liberè corrigant. Nec excusatur ab habendis amicis

Cassiodor.

Cassiod.

Synesius.

D. Nazian.

Præla-

Prælatus, quātūuis sanctus, quantūuis doctus; quia vt ait Sen. ep.9. *Sapiens etiā ſi contentus eſt ſe, tamē habere amicū vult, ſi ob nihil aliud, vt exerceat amicitiā, ne tam magna virtus iaceat.* Imo probitatis, vel improbitatis magnū indicium eſt, multos, vel nullos habere amicos, vt aiebat Plat. ep.7. col. mihi 6. vbi loquens de Dionyſio tyranno, ait, *Carebat amicis, fidiſq; hominibus, quo nullum maius eſt argumentum, vel improbitatis, ſi deſint, vel probitatis, ſi adſint.*

Seneca. Plato.

2. Noto 2. quod amici à Prælato eligendi, nō debēt eſſe quicūq; ſed viri ſolūmodò probi; nā hi ſolū æternū amāt, quiq; ſint amicitia digni, & quib⁹ inſit virt⁹ amoris cauſa, quales profitebatur habere Naz. ep. 109. cū dicebat, *Amicos cū dico, probos, & honeſtos intelligo, eoſq; qui nobis virtutis nexu copulātur quandoquidem quoq; ipſos ſtudio tenemus.* Nā pręterquā quòd ſolū inter bonos amicitias eſſe poteſt, vt docet Ariſt. 8. eth. c.5. ſi malos in amicos aſſumat Prælatus malū ſe ſtatim manifeſtabit; tales enim ſum⁹ quales ſūt, quibuſcū cōuerſamur. Vnde cū ſtudioſis libros euoluimus, cū armigeris colluctamur; cū venatoribus feras perſequimur, cū potatoribus inebriamur, cū ambitioſis dignitates ambimus, cū ſuſurronibus murmuramus, cū curioſis noua quęrimus, cum teneris tenera loquimur, cū auaris pecuniā amamus, cū claudis claudicam⁹ & cū peruerſis peruertimur, & cum ſanctis sācti ſimus. Quare optimū ſēper exiſtimaui conſiliū Mæcenatis, datū Cæſari, vt refert Dio lib. 52. cū ait. *Ad hæc libertorū etiam, ac familiariū optimū quemq; in honore habere oportet; quia id & decus tibi magnū, & ſecuritatē affert. Nulli tamen nimia eſt indulgenda poteſtia, ſed ita moderandū omnibus, vt ne in quā te reprehenſionē committās. Nā quæcunq; vel rectē vel ſecus egerint, omnia tibi imputabuntur, taliſq; te omnes iudicabūt, qualia eos facta exercere permiſeris.* Nec ſufficit iſtos amicos eſſe bonos quò ad ſe, & quò ad amicū, ſed debēt præterea eſſe natura pacifici, pacis ſēper cōſilia dātes, animū iratū Prælati mitigātes; vnde vitandi viri triſtes, & melācholici, qui oīa gemūt, & de omnibus querelas formāt. Vitandi itē inimici pacis, & trāquillitatis, qui omnia ferro, & igne terminari vellēt. Vitādi itē inconſtātes, qui ſtatu pręſēti nūquā contēti, nouitates amāt, prçterita recolūt, & futura appetunt; nā Sen. ep. 120. ait, quòd *Maximū indiciū eſt malæ mentis fluctuatio.* Vitādi etiā quidā delicatuli, qui quacūq; re etiā minima amicos deſerūt, & nouos requirūt, de quib⁹ Caſſiod. in prol. lib. de amic. *Ille longè eſt à lege amicitiæ alienus, qui ſic hodie amat, vt herì oderit; ſic omni homini amicus, vt nemini fidus: hodie laudās, cras vituperās; hodie blādiens, cras mordēs; hodie prōptus ad oſcula, cras ad opprobria; cuius amicitia leniter cōparatur, & leui exſufflatur offenſa.* Vitādi etiā ambitioſi; nā iſti ſūt omnino infideles, idoliſ ſolū dignitatis prætēſæ adorātibus ſolū fideles, qui ad illud adiuuare poſſūt, et pro eo tēpore. Vitādi etiā auari; nā iſti oīa venalia habēt, & ex *auaritia*, ait Ambr. in apol. c.4. *ſepē nequitia procreātur, ſcilicet proditio, fraus, fallacia, periuriū, inquietudo, violētia, & cōtra miſericordiā obduratio.* Vitādi quoq; amici fortunæ; hi enim ſūt, ſicut qui *parauit amicū aduerſus vincula latrurū opē*, vt ait Sen. ep. 9. *cū primū crepuerit catena; diſcedet: qui. n. cauſa vtilitatis aſſumptus eſt, tamdiu placebit, quādiu vtilis erit.* Vnde poeta.

Senec. Caſſiod. D. Amb. Seneca.

Non eſt perſonæ, ſed proſperitatis amicus,
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Eccl. 6. Et Eccl. 6. *Multi colūt perſonā potētis, et amicē tibi bone tribulatis.* Et Prouerb. 19. *Eſt amicus ſecundū tēpus ſuū, & nō permanebit in die tribulationis.* Amicus autē verus nihil in reb⁹ amici quærit, niſi ſola beneuolentia, ſcilicet vt gratis amet amantē ſe. De hoc Greg. lib. 2. ep. 33. *Nullus fidelior ſibi ad conſulendū eſſe poteſt, quā qui nō ſua, ſed te diligit.* Hic gaudet e amici bonis, triſtatur malis, et ſua poſtponit amici bonis. Hic nulli rei honeſtę parcit amici cauſa, nec niſi honeſta, quantūuis importunat⁹, ab amico petit, & quæ nō decet amicū facere, nec putat decere amicū petere. Ad quòd facit id quod refert Valer. lib. 6. c.4. de P. Rutilio, qui cū amico iniuſta petēti ſuū officiū pernegaſſet, iſq; indignabūdus diceret, *Quid ergo opus eſt mihi tua amicitia, ſi quæ obtero, non accipio? Immo, ait Rutilius, Quid mihi tua, ſi propter te aliquid inhoneſte facturus ſim?* Sit itaq; amicus Prælati probus, & ſectus, Prælati amās, nō dignitatis, à ſuauiſſimo ſyncerita is affectionū fomite, mutuaq; rerū honeſtarū obſequela, ac crebra collatione, voluntatūq; iugi, paritate, fideq; inuiolabili à multo tēpore ante acquiſitā dignitatē procreatus. Vide Io: de Lign. in tr. de amic. §. de amicorū delectu. Vide etiam. §. ſeq. vbi an noui amici præferēdi ſint veterib⁹. Et cōcludit, quod ſic, ſi ſūt meliores. Et §. ſeq. quçrit, an amic⁹ Superior ex vi amicitię debeat ſe inferiori pacificare; Et concludit, quòd in pertinētibus ad dignitatē ſe præferre debet. Tu dic, quòd in publico poteſt, in priuato non debet. Et §. anteced. quærit, an amico exiſtenti in triſtitia delectabilis ſit pręſentia amici. Et concludit, quòd ſic, propter multa.

D. Greg. Valer. Ioan: de Lign.

3. Noto 3. quòd cōtrouertitur inter morales Philoſ. an amicis omnia ſint arcana credenda an eis ſit clauis cordis noſtri cōſignanda? Plutar. in Chil. *Ames eatenus*, inquit, *quaſi aliquādo ſis odio fortè habiturus. Itē eatenus oderis, tamquā fortaſſe ſis amaturus.* Et ita amico vtendum iubet Sophocl. vt eum poſſe fieri inimicū exiſtimetur.

Plutar. Sophocles.

Amico ego velim
Sic credere, atq; commēdare, vt nonſiquam
Semper futuro. Nam profectò plurimis
Sodalitatis portus infidus fuit.

Sen. omnia amico aperiēda cenſet ep. 3. *Si aliquem amicū exiſtimas, cui nō tantumdē credis, quantū tibi vehementer erras, & nō ſatis noſti vim veræ amicitiæ. Tu verò omnia cum amico delibera, ſed de ipſo prius: poſt amicitiam credendū eſt, ante amicitiam iudicandum.*

Seneca.

4. Vt dicā quid ſētio in hac re. Suppono. 1. ſolā verā amicitiā habere radices in virtute, & ſolū inter bonos, & virtuoſos eſſe poſſe. Et licèt aliquādo inter malos amicitia videatur eſſe; ea amicitia non eſt, ſed factio, ſeu familiaritas, aut contubernalitas, quæ ceſſat, ceſſāte intereſſe, vtili, vel delectabili, quod eſt inter ipſos. ita Io: de Lign. loc. cit. §. De his inter quos poteſt amicitia cōtrahi, n. 2. Suppono 2. quod ſolū amicitia, quæ eſt fūdata in virtute pōt eſſe perpetua. Vnde Prou. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt.* Cū enī radices in virtute habeat, quę cū tēpore magis radicatur, et maiores facit fructus, nō ſatietas, nō ætatis, aut morū diuerſitas, nō deniq; fortunæ cōmutatio, quæ tēporis decurſu variari ſolēt, amici beneuolētiam variā, aut inſtabilē reddere poſſūt. Vnde Caſſiod. loc. cit. ait, quòd *Amicitia, quæ deſinere potuit, numquam fuit vera. Ideò qui vel læſus deſiit diligere, quem amauerat, amicus in veritate non fuit.*

Ioan. de Lign. Caſſiod.

5. His poſitis, fateor cū Sen. quòd quādo amic⁹ eſt verus, nihil eſt illi occultādū. Vnde Chriſtus Io. 15 *Iā non dicā vos ſeruos, quia ſeruus neſcit, quid faciat dominus eius. Vos autē dixi amicos, quia oīa quæcumq; audiui*

Seneca.

audiui à Patre meo, nota feci vobis. Et amicū nō esse, qui aliquid amico occultat, cōuincit locus ille Iudic. 14. *Odisti me, & nō diligis, idcirco problema, quod proposuisti filijs populi mei, nō vis mihi exponere.* Quia tamē ita natura corrupta est, vt vix cuiqua fidere possimus, & vix amicū liceat inuenire, vnde mirāa Sap. Eccl. 6. dixit, *Qui inuenit amicū, inuenit thesaurū.* Et quia cordis penetralia nō penetram homines, ideo Superiores moneo, vt ea omnia, quæ ad exercitiū virtutis spectāt, amico cōmunicēt. Item quæ cōsultatione indigēt. Secretū verò sibi seruēt in ijs, quę manifestasse aliquādo poterit eos pęnitere. Seruent hoc pręsertim generosiores Prælati qui solēt esse incautiores. Quo. n. quilq; lotior est, quò animo celsiore, eò plus insidijs patet, cū. n. ex se se cœteros metiatur, candorē suū legit in omnibus nec dolos metuit, quibus caret; ignoratq; insidias, quas nullas parat; quò fit vt faciliùs in amici infidi insidias prolabatur. Vnde de Agesilao refert Xenoph in or. pro illo, quòd *Ab hostibus difficulter circūueniri poterat, ab amicis facillimè falsa persuasione decipiebatur.*

Xenoph.

6. Noto 4. quòd cū amicis habētibus supradictas cōditiones, potest priuatim Prælatus familiariter tractare, secūq; pro illo tēpore, arbitris seclusis, super dignitate, dispensare. Cū. n. nō sit periculū, vt inde superbiat, seq; parem Prælato existimēt, & in publico exigat ita tractari, id multū iuuabit ad sublevandā Pręlati naturā curis cōtinuis defatigatā. In publico vellē vt hos, ac cœteros, tractaret, nec signū aliquod partialitatis erga ipsos ostēderet, tā in promouēdo eos ad honores, quā in exonerādo ab oneribus; alioquin. n. et in amicos aliorū cōcitabit inuidiā, et in se ipsū inęqualis, et iniusti Superioris odiū. Hoc ipsū puto voluisse Bonau. de sex al. Seraph. c. 6. cum dixit, *Ac licet meliores in affectu præferendi sint minoribus, & oēs propter spē salutis in Christo amplectēdi sint. In actu tamē exhibitionis exterioris taliter se gerat ad oēs, vt nullus se ab eo contēni propter alios suspicetur, ne alicui indignatio, & inuidia in alios nutriatur.* At hoc procedēdi modo nō sunt aliqui cōtēti, dicētes, Amici sem nō solū in te ad dignitatē promouēdo, sed etiam in ea tibi vsq; ad mortē defēdēda. Quo igitur iure, non pares vis facere ijs in honorib & gratijs, qui tibi cōtrarij fuerūt in electione, & dignitate consequēda, & modò omnē occasionē quęrūt, vt te ignominiosè illa priuēt? Certè melius hoc pacto esset; inimicū tibi fuisse, nā inimici tui omnib fruūtur, gratijs, & priuilegijs, quib amici tui, & tamē amicorū labores nō attingūt, & nihilomin Scriptura dicit, quòd qui fuerūt laborū, et tribulationū socij, debēt esse participes gaudiorū, et consolationū. Et certè si in tribunali carnis res esset definienda, in istorū fauorē decidendū videtur. Vnde etiam dictis rationibus coacti aliqui Prælati, hac praxi vtūtur, vt amicos, & electores suos velint sēper, salua consciētia, super oēs esse, amplioribus honorib affici, vt tales cognosci; Qui verò illi cōtrarij fuere, quiescere iubēt, & ab honorib pro suo tēpore absoluūt, nō tamen eos vexāt, neq; vexari permittunt, & hoc sibi multū prodesse putā ad amicos cōparandos. Quā praxim fouet doctrina Synes. de reg. pag. 11. *Probi quidē, ac benigni Regis quodnā euidētius populo argumētū, quā si beatos oēs faciat, quorū familiaritate vtitur? hoc enim pacto etiā longinquiorib amabilē se præstabit, bonisq; id in voto erit, Regis amicitiā sibi demereri posse.* Sed quoniā Prælati regulares sūt præsertim inducti ad regimē animarū, quod est quacūq; alia re pretiosius, vt dicitur in c. *Præcipim* 1. q. 1. ideò dicti Prælati obtētas Prælatias a Deo principaliter recognoscere debēt, et hic omnes, & qui fauerūt & qui nō, secundū sua merita, & secundū Dei, a- ... ctare, si aliter, quod plus fauet multoties, quā suffragiū denegas, quā qui largitur. Quod si Prælati singulares secus faciant, fouebunt rixas, factiones, & odia; Nec mirū, si aliquādo quæ glorioso inchoata sūt principio, lugubri claudūtur exitu Synes. Regē mundanū instruit, & loquitur secundū carnē. Non nego tamē, quod teneriorē affectū erga sibi beneuolos non debeant habere, sed hic ostendi non debet cum periculo indignationis aliorum. Et hoc affectu debent esse contēti dicti beneuoli, si secūdò Deū procedere velint; nā finis principalis electionis nō est bonū personæ electæ, sed cōmunitatis; quod si hoc non attendat, iniustū, & iniquū est illis annuere. Neq; etiā nego, quòd, cœteris paribus nō possit anteponi beneuolus minùs beneuolo. Et aduerte, quòd in dubio nō debet Prælatus pro amico iudicare, nisi priùs certò credat, ius illi esse, vt tradit Nau. in c. Si quis autē, n. 134. de pęnit. dist. 7. Chokier de confer. Eccl. q. 61. nu. 9. vbi tota illa q. agit, an possit pro amico iudex cōtra ius facere; Et an iudex, possit amico pœnam remittere, ait quòd sic gloss. in cap. Nisi, de off. leg. Tu glossa, si sit arbitraria, & nulli præiudicet.

Nauarr. Chokier

7. Noto 5. multū interesse Prælatis regularibus beneuolentiā subditorū; hæc. n. est firmissimū regiminis pręsidiū, vt ait Synes. cit. pag. 11. & pag. 13. ait, quòd nullū *est imperium tutius, quam illud, quod amore, & charitate munitur.* Vnde visū est multoties quāplures Prælatos sola subditorū beneuolētia cōtra potentiores gloriosè præualuisse. Hæc verò beneuolētia nō acquiritur se se in cellis cōtinendo, subditos non audiēdo, aut difficillimè, austerū, & iratū se illis semper monstrādo, vēto sēper arcu cū illis practicādo, in quinto semper tono cū illis loquēdo, eorū dicta subsānando, eos numquā rectis oculis aspiciēdo; sed affabilitate, & cōsuetudine, flendo cū flentibus, gaudendo cū gaudētibus, stādo cū stātibus, & cum currentibus currēdo, prōptè, & patiēter eos audiēdo, blādè, & humaniter respōdēdo, afflictos consolādo, infirmos visitādo, necessaria ministrādo, beneficia, & gratias citò, & hilariter largiēdo. Hæc Synes. loc. cit. pag. 11. *Regi cum militibus sæpius versandū, non domi sū se continendū esse philosophia præcipiebat: beneuolētiā enim, quæ sola firmissimū est Regis pręsidiū, ex quotidiana cōsuetudine colligi ostēdebat.* & pag. 12. de eod. Rege loquēs, ait. *Cū equite equitabit, & cū pedite decurret, & cū armato armatus incedet, & cū cestrale cētra exercebitur, & cū leuis armaturæ militibus iaculabitur, &c.* Sed hæc ita facere debet noster Prælatus; vt nec facilitas de grauitate, nec grauitas aliquid detrahat de beneuolētia; nā si aspetè nimis erga illos se gerat, odio habēt; si multū remissè, vel contemnūt, vel superbiunt. Bern. 4. de cons. c. 6. *Ego nec seuerus velim, nec dissolutus, vt non de seueritate sis onerosus, nec de familiaritate contemptui. Vtilis semper custodiatur, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat.*

Synes.

D. Bern.

Hęc sunt, quæ ad laudē, & gloriā Dei, B. M. V. ac S. P. N. Frācisci de Paula, in gratiā Prælatorū, infirma semper valetudine, curisq; regiminis distractus edolaui, anno ætatis meæ 46. Faxit Deus, vt Prælatorum, cœterorumq; Regularium, quibus laboro, vtilitati concedant. Amen.

F I N I S.

ADM. R. P. F.

LAVRENTII DE PEYRINIS GENVENSIS,

Ordinis Minimorum S. FRANCISCI DE PAVLA, in Prouincia Genuensi vice Generalis,

Nec non Sanctissimæ Inquisitionis contra hæreticam prauitatem Vicarij.

FORMVLARIVM PRAELATORVM REGVLARIVM,

In quo habentur omnes ferè formæ, ad officium Prælati legitimè exercendum necessariæ; Et præsertim ad modum procedendi iudicialiter. Cum notis, dictarum formarum materias declarantibus.

Opus Prælatis omnibus necessarium.

ÆDICTIO SECVNDA.



PLACENTIÆ;

Ex officina Typographica Io. Antonij Ardizzoni Impressoris Cam.Duc.

SVPERIORVM PERMISSV.

Facultas Reuerendiss. P. Generalis.

F. Franciscus à Longobardis totius sacri Minimorũ Ordinis Sanctiss. Patris nostri Franc. de Paula Corrector generalis Reuerendo Patri F. Laurentio de Peyrinis, eiusdem Ordinis Theologo facultatem facimus, vt possit typis mandare librum, qui inscribitur, *Formularium Prælatorum Regularium*, dummodò diligenter examinetur, & approbetur à duobus Theologis, siuè nostri, siuè alterius Ordinis, nominandis à R. P. Prouinciali nostræ Prouinciæ Genuensis; & adsit etiam facultas aliorum, ad quos pertinet. In quorum &c. Datum Romæ in nostro Conuentu S. Andreæ de Frattis, die 2. Octobris, 1632.

F. Franciscus à Longobardis indignus Generalis.

Fr. Io. Chrysostomus Malaspina, in Prou. Gen. Min. Cor. Prou. Committo examinationem prædicti libri P. F. Hieronymo Trimarchi, & P. F. Francisco Maria de Agrifolijs Theologis nostri Ord. Dat. Genuæ die 27. Ianuarij 1633.

F. Io. Chrysostomus qui supra.

APPROBATIO.

OPVS Admod. R. P. Laurentij de Peyrinis nostri sacri Minimorum Ordinis S. Francisci à Paula olim per tres vices Prouincialis huius Prouinciæ Genuensis, Theologi, ac Canonistæ doctissimi, inscriptum, Formularium Prælatorum Regularium, *commissioni R. Adm. P. F. Ioannis Chrysostomi Malaspinæ, eiusdem Prouinciæ Prouincialis, vt par est, satisfacere volens, legi, & nihil vidi, quod catholicæ fidei aduersetur, aut bonis obstet moribus. Immò puto fore opus Religiosis omnibus, non solummodo Minimis, sed alijs gratissimum, vtillissimum, per necessarium; & dignissimum iudico, vt lucem videat, & typis mandetur. Fateor velim, nolim, Italos Minimorum alumnos, & Auctoris Commilitones non parùm obligatos censeri huic tanto viro, qui, vt nostrorum necessitatibus occurat, corporalis propriæ salutis iacturam fecisse videtur, ac facere non desistit. Faxit Deus, vt ad maiorem Dei gloriam sanitatem recuperet, & maiora videbimus. E Genuensi Minimorũ Iesu Mariæ Musæo, die 16. Decembris, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexcentesimo trigesimo tertio.*

ITA TESTOR.

F. Hieronymus Trimarchi Messanensis, Ord. Minim. S. Francisci à Paula in Gymnasio Mamertino eiusd. Ord. S. T. L. & Iuris Pontificij Professor.

APPROBATIO.

EGO infrascriptus ad huius libri, qui *Formularium Prælatorum Regularium inscribitur, Auctore R. A. P. F. Laurentio de Peyrinis, &c.* examen, ac discussio delectus, fidem facio librum eumdem attente à me perlectum fuisse, nec quidquam, animaduersum, quod fidei Catholicæ, bonisq; moribus non sit consentaneum. Cuncta quinimmo in ipso fulgere cognoui, sanamq; præferri doctrinam, delectabili formarum, notationumq; varietate, omnibus sapientiæ studiosis, ac Regularium præcipuè superiorum optatis, Vertumni instar, accommodatam, ac opportunam. Quare typis dignissimum censeo. In quorum fidem, &c. Datum Genuæ in nostro Iesu Mariæ Collegio die 1. Octobris 1635.

F. Franciscus Maria de Agrifolijs Genuensis Ordinis Minimorum S. T. P. Auctorisq; Discipulus; Et A. R. P. Zelosi Collega.

APPROBATIO.

I*Vssu Reuerendissimi P. Inquisitoris Genuen. Vidi* Formularium Prælatorum Regulariũ *ab Admod. Reuer. P. Fr. Laurentio de Peyrinis Genuen. Ordinis Minim. S. Francisci de Paula conscriptum, nihilq; in eo reperiri bonis moribus, aut fidei contrariũ sed si typis mandetur ob doctrinæ, & eruditionis, quam continet varietatem, omnibus præsertim Regularibus existimo futurum valde vtile. In quorum fidem &c. Genuæ in domo professa Societ. Iesu 13. Nouembris 1635.*

Io: Maria Camulius Præpositus domus professæ Soc. Iesu.

APPROBATIO.

S*icut complacuit Reuerendiss. P. Inquisitori Gen. Ego subscriptus hoc* Formularium Prælatorum Regularium *Auctore R. A. P. F. Laurentio de Peyrinis perlegi, & vt bonis moribus, ac fidei Catholicæ consonum, ita omnibus numeris absolutissimum, eunctisque Regularibus Prælatis præsertim vtilissimum, & quod typis euulgetur dignissimum censui. In Quorum fidem &c. Dat. Genuæ XVII. Kal. Decemb. M.D.C. XXXV.*

D. Ludouicus Modronus Clericus Reg. S. Pauli Præpositus.

IMPRIMATVR.

Fr. Vincentius Pretus à Serraualle Magister Inquisitor Genuę.

Denuò Imprimatur.

Inquisitor Placentiæ.

Franciscus Saluaticus Vic. Gen.

Rosa Vidit.

FORMVLARII PRAELATORVM REGVLARIVM.

CAPVT PRIMVM.

De forma absoluendi ab excommunicatione in forma consueta Ecclesiæ.



VM alicui est commissum absoluere ab excommunicatione in forma consueta Ecclesiæ. 1. curare debet absoluens, vt excommunicatus parti læsæ satisfaciat, cap. Porrò, de sent. excom. quòd si non potest pro tunc satisfacere, vt det sufficientem cautionem de satisfaciendo; aut saltem, si eam præstare non potest, iuret se, cumprimùm poterit, satisfacturum. Deinde, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit graue, iuramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fient pro tali causa, & præcipuè quòd deinceps non ampliùs ita delinquet, cap. Ex tenore, de sent. excom. Denique pœnitentem coram se vtroque genu flexo in humero vsque ad camisiam exclusiuè denudato, virga, aut disciplina, siuè etiàm cingolo sedens cooperto capite, leuiter percutiat, dicendo totum psalmum Miserere, cum Gloria Patri, &c. Cap. A nobis, el a. de sent. excom. Deinde surgit, & aperto capite dicit. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos à malo.* ℣. *Saluum fac seruum tuum, vel ancillam tuam, Domine.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo, vel in ea* ℟. *Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus Vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo:* Oremus. *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum*, vel *famulam tuam*, *quem* vel *quam sententia excommunicationis constringit miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Mox sedeat, & cooperto capite dicat. *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ N.* vel *R. P. N. Generalis*, vel *talis Superioris mihi commissa, absoluo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi vel incurrisse declaratus es, propter talem*, vel *talem causam, & restituo te communioni, & vnitati fidelium, & sanctis sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, ✠ Et Filij, & Spiritus Sancti.* ℟. *Amen.*

1. Noto 1. quòd supradicta forma desumpta est ex Rituali Romano reformato à Paulo V. 1. p. de Sacram. pœnitentiæ, in princip. fol. mihi 47. quam explicat Nau. cap. 1. in princip. de pœnit. d. 6. nu. 53. Et aduerte, quòd si absoluens sit Ordinarius debet omittere illam clausulam *Navarrus*
Et Sanctissimi Domini nostri, &c. nam tunc absoluit auctoritate propria.

2. Noto 2. quòd ille, cui committitur absolutio sub prædicta forma, si eam non seruat, peccatum ex genere suo mortale committit. Nam contrauenire mandatis Superiorum in re graui mortale est. Absolutio tamen tenet, nisi mandans absolutè præciperet, quòd non absolueret, nisi sub prædicta forma; nam tunc talis omissio redderet omnino nullam absolutioné ob non seruatam conditionem. Vnde bene monet Rituale Romanum loc. cit. quòd literæ cômissionales diligenter inspiciantur. Atque, *Armilla.*
ità docent Armilla verb. *Absolutio*, num. 59. *Angelus.*
Angel. eod. 3. nu. 2. Suarez to. 5. in 3. p. disp. *Suarez.*
19. sect. 1. nu. 10. Reginald. in praxi, libro 9. *Reginald.*
num. 76.

3. Noto 3. quòd sufficiens cautio, quam debet dare absoluendus ab excommunicatione de satisfaciendo parti, est vel pignoratitia, vel fideiussoria, vel saltem iuratoria. Ità Syluest. *Syluester.*
ver. *Absolutio* 3. n. 3. Sanchez. 2. in decal. cap. 13. *Sanchez.*
nu. 23. & nu. 34. ait, talem cautionem non esse præstandam in mortis articulo, quando iam loquela, aut vsu rationis quis destitutus est.

4. Noto 4. quòd quando in literis commissionalibus apponitur clausula, *Satisfacta parte*, vel similis absolutio aliter data irrita est; secus verò, quando potestas conceditur absque tali clausula. Ita Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 7. sect. 5. num. 44. Quòd si pars ad vexandum reum nolit satisfactionem admittere, tunc sufficit, quòd reus sit paratus satisfacere, & quòd det prædictam cautionem; nam ad impossibile nemo tenetur. Ita Couarru. in cap. *Alma mater* 1. p. §. *Couarruu.*
11. nu. 11. Regin. in praxi, lib. 9. num. 65. & 66. *Reginald.*
Suarez loc. cit. nu. 41.

5. Noto 5. quòd iuramentum de parendo mandatis Superioris, vel ipsius absoluentis semper dandum est, etiamsi pars sit satisfacta, seu cautio præstita, cap. *Cum desideres*, iuncta Glossa

verb. *Ad cautelam*, de feut.excom.Couarr. loc. cit. in princip. Sanchez loco cit. nu. 18.

6. Noto 6. circa illud, quòd in dicta forma dicitur, quòd absoluendus debeat habere humerum nudum vsque ad camisiam exclusiuè, id esse intelligendum de viris, non verò de mulieribus, Monialibus V. G. neque etiam de masculis iunioribus, vt notat Angel. ver. *Absolutio* 3. num. 1. dicto 4. Vbi autem adesset consuetudo, vt omnes masculi, etiam iuniores, nudarentur omnino, etiam camisia, ea seruada esset. Nam de hoc puncto nihil habetur in iure, sed consuetudo illud introduxit ad magis mortificandos rebelles, & solennizandā auctoritatem Ecclesiæ; quare illi legitimè præscriptæ standum est. Circa mulieres tamen consuetudo est, vt absoluantur absq; vlla denudatione ob periculum incōtinentiæ attenta humana fragilitate. Quod etiā intellige de mulieribus senioribus: nam semper reiiciatur memoria, & stupa fomitis facile accenditur. Ita Suarez tom. 5. in 3. par. disp. 19. sect. 2. num. 11. Regin. in praxi, lib. 9. nu. 74. Sylu. verb. *Absolutio* 3. nu. 4.

Angelus.

Suarez. Reginald. Sylvester.

7. Noto 7. quòd in solemni, & publica absolutione ab excommunicatione absoluens debet esse indutus superpelliceo, & stola violacei coloris; in priuata verò non est necesse. Ita Suarez loc. cit. qui num. 8. ait, quod inuocatio illa Trinitatis non est de necessitate, cum nec sit de ratione sacramentalis absolutionis. Nec illa clausula *Restituo te*, Nam absolutio, & restituo hoc loco idem sunt. Nec, per se loquendo, necesse est, causam excommunicationis in absolutione exprimere; quia illa per se non spectat ad effectum absolutionis, & satis implicitè includitur in illa clausula *Quam incurristi*. Hæc, inquam, non sunt de necessitate absolutionis; vnde in priuata absolutione omitti possunt, præsertim cum aliqua causa; in publica autem non possunt sine culpa, vt dixi num. 2. necesse tamen est, si absoluendus sit pluribus excommunicationibus innodatus, id aliquibus verbis exprimere, saltem illis generalibus *Ab omni vinculo excommunicationis, quo innodatus existis*. Vel certè ind. finitis, *Ab excommunicationibus*; quamuis ad tollendum dubium semper melius sit addere signum distributiuum. Si verò absoluat ab vna excommunicatione, & non ab alia, necesse est, vt intentionem suam determinet ad eam, quam auferre vult, & vt eam determinationem verbis aliquo modo exprimat; quod optimè fit exprimendo causam censuræ. Itā Suarez loc. cit. num. 9. Regin. loc. cit. num. 80. vbi addit, quòd si absoluens habeat intentionem absoluendi pænitentem ab omnibus excommunicationibus, quibus ipsum irretitum nouit, illas omnes cōprehendendo illis verbis, *Absoluo te à vinculo excommunicationis*, absoluit ab omnibus, etiamsi in absolutione non exprimat causas omnes, nec addat illa verba, *Toties, quoties eam incurristi*. Quia cum sola verba *Absoluo te à vinculo excōmunicationis*, sint forma sufficiens per ea tolli possunt omnes excommunicationes, quibus aliquis irretitus est, si cum tali intentione ab habente sufficientem iurisdictionem proferantur.

8. Noto 8. quòd si absolutio ab excommunicatione detur ad cautelam, quia scilicet dubitatur, an excommunicatio teneat, an eam incurrerit, &c. Tunc prætermittenda sunt omnia supradicta, & absolutè dicendum. *Auctoritate, qua fungor, siue priuilegio mihi, aut tibi concesso, Absoluo te ab omnibus censuris excommunicationis maioris, vel minoris, interdicti, & suspensionis, si quibus quomodolibet ligatus existis, quatenus indiget possum*. Ita Nau. cap. 1. in princ. de pœnit. d. 6. nu. 66. qui tamen ibi aduertit vere, *Pro qua conclusione*; & cum eo Reginal. in praxi, lib. 9. n. 85. quòd sic absolutus debet habere animum satisfaciendi parti læsæ, si, & quando sciuerit se excommunicatum fuisse. Immò addunt, quòd si absoluendus sit solitus rarò confiteri, potest ab eo exigi iuramentum de faciendo, quod debet, si se aliquam censuram incurrisse nouerit. Videatur Sylu. verb. *Absolutio* 6. num. 2. dicto 1. Armill. eod. nu. 66. De hac absolutione ad cautelam agunt. Suar. de ceus. disp. 7. lect. 8. a nu. 12. Couarr. lo cap. *Alma Mater*, p. 1. §. 12. nu. 7.


Nauarr. Regin.

Sylvester. Armill. Suarez. Couarr.

9. Noto 9. quòd in absolutione ab excommunicatione minori non requiritur iuratoria cautio de parēdo mandatis, aut dāno resarciēdo nec requiruntur verbera, aut Psalmus *Miserere*; sed, facta cōfessione per pœnitentem, Sacerdos dicat simpliciter. *Absoluo te à vinculo excommunicationis minoris, quam incurristi propter talem causam, & restituo te communioni, & participationi sacramentorum, quibus priuatus eras*. Ita Syl. verb. *Absolutio* 3. n. 5. Suar. de cens. disp. 24. sect. 4. n. 5. Sylvester. Suarez.

CAP. II.

De forma absoluendi excommunicatum iam mortuum.



SI quis excommunicatus ex hac vita decedens, dederit signum contritionis, ne ecclesiastica, careat sepultura sed suffragijs Ecclesiæ, quatenus fieri poterit, adiuuetur, absolui potest hoc modo. Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur, & absoluatur, vt supra; deinde absolutum in loco sacro sepeliatur. Si verò fuerit sepultum in loco profano, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem in loco sacro sepelietur: Sed si commodè exhumari non potest, locus sepulturæ verberetur, postea absoluatur: Quòd si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulcrum. Dum autem corpus, siue sepulturam verberat sacerdos, dicat antiphonam, *Exultabunt Domino ossa humiliata*, Psal. *Miserere mei, &c.* Quo finito absoluat dicendo. *Auctoritate mihi concessa ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi*, vel *incurrisse declaratus es propter talem causam, & restituo te communioni fidelium. In nomine Patris, ✠ Et Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Deinde dicatur Psalmus, *De profundis*. Et in fine. ℣. *Requiem æternam dona ei Domine*. ℟. *Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos à malo*. ℣. *A porta inferi*. ℟. *Erue Domine animam eius*. ℣. *Requiescat in pace* ℟. *Amē*. ℣. *Domine exaudi orationem meā*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. Oremus. *Deus, quæsumus Domine, anima famuli tui,*

tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerij sedem, quietis beatitudinē, & superni luminis claritatē. Per Christū Domin. nostrū. &c. Amē.


1. Noto. 1. quod ille, qui in excommunicatione mortuus est cum signis contritionis, & pœnitentiæ, adhuc tamen potest absolui, cap. *A nobis*, el.2. de sent.excom. non quòd Ecclesia in mortuos directam habeat iurisdictionem, cū dictum sit Matthei. 18. *Quodcumque ligaueris super terram*, *&c.* Sed quod per dictam absolutionem declarat Ecclesia mortuum non esse exhumandum, si fuerit sepultus; vel posse sepeliri in loco sacro, si nondum fuerit sepultus; vel, si forsan fuerit sepultus in loco profano, quòd possit inde ad locum sacrum transferri; & similiter, quòd pro eo possint celebrari publicè officia, & missæ, aliæque piæ preces. Atque ita
Couarr. Couar in cap. *Alma Mater*, p.1. §.11.nu.8. Vas-
Vasquez. quez de excom. dub.17. num. 7. Valent. tom.4.
Valentia. disp. 7 q. 17.p.4. fine; Armilla verb. *Absolutio*,
Armilla. nu. 68. & 70. Suarez tom.5. in 3. p. disp.5. sect.
Suarez. 1.nn. 11. Barbosa in cap. *A nobis* cit. nu.7.
Barbosa. 2. Noto 2. quòd pro eo, qui in excommunicatione mortuus est, non potest publicè in specie orari, propter scandalum, cap. *A nobis*, el.2. de sent. excom. vbi glossa verb. *A fidelibus*; cap. *Sacris*, eod. tit. cap. fin. d.78. Si tamen cum signis decessit pœnitentiæ, potest orari priuatim, etiā in specie, & nominatim, etiā in *Memento missæ*. Nam licèt missa sit oratio publica, spatium tamen illud conceditur Sacerdoti tamquam per-
Paludan. sonæ priuatæ, vt possit orare pro suis. Ita Palud.
Syluester in 4 d 18 q.1. art.1. conclus. 3. Sylu. ver. *Excom-*
Alterius. *municatio* 1. nu.2. & ver. *Excommunicatio* 3. dicto 20 Suarez loc. cit. latè Alterius tom. 1. de excom. lib. 1. disp. 5. cap.9.

3. Noto 3. quod cum excommunicato mortuo, etiam in humanis, non est communicandū V.G. ipsum lauando, vestiendo, aut ecclesiasticæ
Reginald. sepulturæ tradendo. Ita Regin. in praxi, lib.32.
Barbosa. tract. 1. num. 85. Barbosa in cap. *A nobis* el. 2. de sent. excom. nu. 5. Addunt tamen, quòd qui excommunicatum sepeliret in loco profano, ne aerem corrumperet, nec peccaret, nec excommunicationem minorem incideret; quia solùm per accidens gratificaretur excommunicato.

4. Noto 4. quòd addit Barbosa in cap. *Sacris*, de sent excom. nu 4 quòd legatum factum ab excommunicato Ecclesiæ ministris, vt pro illo orent, missas, & diuina officiā celebrent, non potest ab illis recipi, cum pro excommunicato orandum nō sit: Si verò legatum sit factum Ecclesiæ absque aliquo onere, potest ab illius ministris recipi. Tum quia excōmunicatus potest ad vsus profanos testari, vt fusè probat Ricciuli. de iur. person. lib. 4. cap. 58. à nu.7. Ergo
Ricciullus etiam ad vsus pios, vt Ricciuli. nu.14. Tum quia cum Ecclesia per hoc legatum non obligetur ad orandum pro illo, non est cur non possit illud in eleemosynam recipere, cum possit recipere eleemosynam ab excommunicato viuente, vt Ricciulius loc. cit. nu.16. & dixi to. 1. priuil. in const. 2. Iulij II. n.25. & habetur in cap. *Si verè*, de sent. excom. Contrarium tamen, quòd scilicet ab excommunicatis non possit recipi legatum, etiam sine onere missarum, & diuinorum officiorum, docent Reginal. in praxi, libro 31. nu.14. & alij apud Ricciull. loc. cit. nu.14. quia alioquin frustraneum esset priuilegiū concessū Prædicatoribvs in cap. *Cum voluntate*, §. *Prædicatores*; & nobis Minimis a Iulio II. in const. eius 2. §.8. tom.2. nostrorum priuil. quo possumus ab excommunicatis, & vsurarijs publicis licitè eleemosynam recipere. Ego tn priuil. loc. cit. iam dixi, quòd hoc priuilegium fuit concessum ad tollendos scrupulos. Re tamen melius considerata, nunc dicendum videtur, quòd de iure communi possumus ab excommunicatis, & publicis vsurarijs eleemosynam recipere necessariam pro vitæ sustentatione: & in his terminis loquitur dictum cap. *Si verè*; & innuit dictum cap. *Cum voluntate*, ibi, *Præsertim si aliàs non valeant ille loco sustentationem habere*. Et illa dictio *Præsertim* includit casum minùs dubitabilem; quasi dicat Pontifex, tempore necessitatis non est dubium, quòd possunt Mendicantes ab excommunicatis, & vsurarijs, publicis eleemosynam recipere; sed concedo illis, vt etiam possint ab ijsdem extra illud tempus eleemosynas recipere. Itaque regulares participantes nobiscum in priuilegijs, vel cum Prædicatoribus, possunt ab excōmunicatis legata, & alias quascunque eleemosynas recipere, & exigere, & etiam in iudicio procurare, modò onera missarum, & officiorum non habeant anexa. De alijs autem, qui de dicto priuilegio nō participant, est difficultas. Et ego cum Reginaldo sentio, extra casum necessitatis victus, vel vestitus, aut Ecclesiæ reparationis non esse licitum dicta legata recipere. Nam videtur habere speciem auaritiæ, immò & inimicitiæ, quòd, quis amicus Ecclesiæ velit ab illius inimico donū recipere.

CAP. III.

De forma absoluendi, à suspensione, vel interdicto extra, vel intra sacramentalem confessionem.



I Sacerdoti sit commissa facultas absoluendi aliquē à suspensione, vel interdicto, quamuis nulla verba sint præcipuè determinata, vti poterit hac forma. Pœnitens dicat *Confiteor*, *&c.* Sacerdos *Misereatur*, *&c. Indulgentiam*, *&c. Auctoritate mihi ab N. tradita, ego te Absoluo à vinculo suspensionis*, vel *interdicti*, *quam*, vel *quod propter talem causam incurristi, seu incurrisse declaratus es. In nomine Patris*, ✠ *Et Filij*, *& Spiritus Sancti. Amen.*

1. Noto 1. quòd si absolutio fiat ad cautelam, loco illius clausulæ, *quam incurristi*, dicendum
Syluester. est, *si quam incurristi*. Vide Syluest. ver. *Absolutio*
Armill. 6. nu.2. vers. *Secundum est* Armill. eodem, n. 67.
Suarez. Suar. de censur. disp.29. sect.3. à nu. 1. qui nu.2. aduertit, quod illa particula, *Et te restituo*, non est necessaria, quamuis antiqui Summistæ illam ponant; absoluendo enim tollitur suspensionis vinculum, & illicò absolutus remanet habilis ad suum officium exercendum. Vnde Rituale Romanum Pauli V. quod sequor, illam omisit. Addit etiam nu. 3. quòd in casibus grauioribus exigendum est ab absoluendo iuramentū obediendi præceptis Ecclesiæ, & petenda est satisfactio, & cautio, vt dictū est supra cap.2. Et hoc tam in absolutione à suspēsione, quàm ab interdicto. Videatur Bon. de cēs. disp.3. q.6. p.vl. à n.2; *Bonacina.*

CAP.

CAP. IV.

De forma absoluendi, seu potius dispensandi super irregularitate.



I dispensatio facienda sit in confessione sacramentali, siue extra, postquam Sacerdos absoluerit à peccatis, addat. *Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate* vel, *irregularitatibus*, si sunt plures, *in quam*, vel *in quas*, *ob talem*, vel *tales causas*, eas exprimendo, *incurristi, & habilem reddo, & restituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum. In nomine Patris, ✠ Et Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Si nullum habeat ordinem, dicatur, *Et habilem reddo te ad omnes ordines suscipiendos*, vel etiam ad alia iuxta tenorem mandati. Quod si necesse sit dignitatem restituere subiungatur, & *restituo tibi talem dignitatem. In nomine Patris, &c.*

1. Noto 1. quòd si dispensatio fiat ad cautelã, dicendum est, *Dispenso tecum super irregularitate*, vel *irregularitatibus, si quam*, vel *si quas contraxisti*. Sayrus de cens. lib. 7. cap. fin. nu. 18. Bonac. de cens. disp. 7. q. 5. p. vlt. nu. 7. *Sayrus. Bonacina.*

2. Noto 2. quòd Irregularitas probabiliùs tollitur per verbum. *Dispenso*, quàm per verbũ, *Absoluo*. Nam absolutio propriè significat actum iustitiæ, in quo causa aliqua terminatur; dispensatio verò solùm est quædam exceptio à communi lege, seu prohibitione. Cum ergo Irregularitas habeat vim cuiusdam absolutæ prohibitionis, vel perpetuæ simpliciter, vel pro tali tempore, seu durante tali statu rerum, quantumcunq; hominem pœniteat sui delicti, vel causam suam in iudicium afferat, nunquam potest ex vi alicuius sententiæ liberari à tali onere; Sed cum Superior vult tale onus habenti fauere, declarat, illum (stante tali, vel tali causa) dicto oneri non subesse, quòd fit per dispensationem commodiùs quàm per absolutionem, vt dicunt Henriquez lib. 14. cap. 17. nu. 4. Suarez de cens. disp. 41. sect. 1. nu. 4. licet alij apud dictum Henriquez loc. cit. in comm. lit. K. præter quos Sayrus de cens. lib. 7. cap. fin. nu. 17. & Bonac. de cens. disp. 7. q. 5. p. vlt. nu. 8. dicant, quòd irregularitas quæcunque potest etiam tolli per verbum *Absoluo* cum intentione irregularitatem tollendi prolatum. *Suarez. Henriq. Sayrus. Bonacina.*

3. Noto 3. quòd Doctores communiter tenent nullam extare certam, & determinatam formam dispensandi super Irregularitate. Ita Bonac. loc. cit. num. 7. Henriq. Sayr. loc. cit. Suarez loc. cit. sect. 3. nu. 1. Auila de cens. p. 7. disp. 10. in princip. Attamen post Rituale Romanum auctoritate Summi Pontificis Pauli V. editum, à quo forma hic descripta, desumpta est, hæc doctrina non videtur habere ampliùs locum. Nam cum Romana Ecclesia dictam formam determinauerit, eamque proposuerit omnibus ecclesiasticis, hortataque fuerit, vt eam inuiolabiliter obseruarent, iam non potest dici, quòd non extet determinata forma; Quare licèt, qui aliter dispensaret, validè quidem dispensaret (nisi fortè illi esset commissum, vt dispensaret seruata omnino dicta forma) mortaliter tamen peccaret, vt dixi supra, cap. 1. nu. 1. Nam res est magni momenti proposita ab Ecclesia, vt ab omnibus inuiolate obseruetur, vt constat ex verbis, quibus vtitur Paulus V. in principio dicti Ritualis: Quæ accipe *Quapropter hortamur in Domino omnes, vt imposterum tamquam Ecclesiæ Romanæ filij, eiusdem Ecclesiæ omnium matris, & magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus vtantur. Et in hac re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatus vsus antiquitatis statuit inuiolatè obseruent.* Potest tamen communis opinio intelligi de forma omnino necessaria, quæ non obseruata nullam reddat dispensationem. *Auila.*

4. Noto 4. quòd quando aliquis est pluribus Irregularitatibus irretitus propter delicta eiusdem rationis, quia V. G. pluriès excommunicatus celebrauit, non est necesse in dispensatione apponere clausulam, *Toties, quoties*, quamuis toties incurrerit Irregularitatem, quoties celebrauit, cum iteratione facti prohibiti sub Irregularitate iteretur Irregularitas, vt docet Bonac. cum multis de cens. disp. 7. q. 5. p. vlt. num. 1. sed sufficit dicere *Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi, eò quia excommunicatus celebrasti*. Ita Henriquez lib. 14. cap. 7. num. 5. Auila de censur. p. 7. disp. 10. dub. 8. & Bonac. loc. cit. Si autem delicta, propter quæ incurrit Irregularitates, sunt diuersa, vt si V. G. excommunicatus celebrauit, & occidit hominem, cum tunc etiam Irregularitates sint diuersæ, debet dispensans à singulis dispensare, & singularum in specie Irregularis dispensationem petijt; cũ enim dispensatio sit stricti iuris, & Irregularitates sint diuersæ, à quibus non fit illatio, dispensatus ab vna, non censetur dispensatus ab alia, vt docent. Auila loc. cit. Henriquez lib. 14. cap. 10. nu. 3. Bonac. loc. cit. Si autem generaliter dispenset in omnibus Irregularitatibus, quas contraxit dispensandus, tunc super omnibus erit dispensatus, generalis enim illa dispensatio omnes Irregularitates, etiam diuersi generis, comprehendit. Nec est necesse addere signum illud vniuersale, *Omnis* sed satis est dicere, *Dispenso tecum super irregularitatibus, &c.* Nam clausula illa Indefinita æquipollet vniuersali. Ita Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 41. sect. 3. num. 2. Bonac. loc. cit. *Henriq. Auila. Bonacina. Suarez. Bonacina.*

CAP. V.

De forma absolutionis generalis, quæ datur Regularibus in diebus reconciliationum.



N diebus solemnibus in Ordine nostro, ac etiam in quibusdam alijs fit reconciliatio inter Religiosos hoc pacto. Conueniunt omnes Fratres in capitulo, & Prælatus vel alius de eius iussione facit paruum sermonem de disciplina claustrali, vel alia materia. Deinde ad nutum Prælati omnes genuflectunt, & dicunt *Confiteor, &c.* Quo finito, Prælatus stans indutus stola conuenientis coloris dicit. *Misereatur vestri, &c. Indulgentiam, &c.* Deinde sedendo dicit.

Si n-

Si tenemini aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, in quantum se extendunt gratiæ, & priuilegia Ordini nostro indulta, mihi commissa, & vobis concessa, ego absoluo vos, & restituo vos Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ communioni, & vnitati fidelium. In nomine Patris, ✠ & Filij, Et Spiritus Sancti. Amē. Item eadem auctoritate ego dispenso vobiscum super irregularitate, vel irregularitatibus, si quam, vel si quas contraxistis, & habilito vos executioni ordinum, & officiorum vestrorum. Item eadem auctoritate ego absoluo vos ab omni transgressione Regulæ, & constitutionum, & ordinationum, & admonitionum maiorum nostrorum, & ab omni pœnitentia oblita, vel neglecta, & ab omnibus alijs, de quib' consueuit fieri absolutio in capitulis, vel solemnitatibus, vt sitis absoluti hic, & ante tribunal Domini nostri Iesu Christi habeatisque vitam æternam, & viuatis in sæcula sæculorum. Amen. His peractis Prælatus ipse imponit aliquam pœnitentiam, & facta facultate aliquibus ad suum beneplacitum absoluendi à casibus reseruatis, deposita stola genuflectit, & petit in communi veniam ab omnibus suis subditis, quos rogat, vt idem ipsi faciant. Quibus absolutis, surgit Prælatus, & cum eo reliqui, & omnes accedunt, in signum reconciliationis, ad deosculandas Prælati manus, à quo benignè, & læte recipiuntur hoc pacto, videlicet. Porrigit singulis Prælatus manum sinistram deosculandam, & eodem osculi tempore ponit dexteram super caput ipsius deosculantis, Deinde omnes osculo se inuicem, & amplexu pacis complectuntur.

1. Noto 1. quòd istæ absolutiones prosunt ad multa quæ recensui tom. 1. Relig. q. 1. cap. 5. notab. 7. vers. *Si vrgeant* & in specie prosunt ijs, qui per obliuionem, vel inaduertentiam, seu ignorantiam, quia scilicet nesciebant aliquid esse peccatum, seu habere excommunicationem annexam, in aliquam censuram, vel pœnam incurrerunt. Nam cum deinde fuerint recordati, vel sciuerint se in aliquam censuram, vel pœnam reseruatam incurrisse, non tenentur amplius dictas censuras, & pœnas Superiori habenti facultatem ab illis absoluēdi, confiteri, sed sufficit, quòd simpliciter confiteantur cuicunque confessario peccata, ob quæ illas incurrerunt. Atque ita docet Palud. in 4. dist. 18. q. 5.
Paludan. ar. 3. conclus. 4. quem sequuntur Angel. verb.
Angelus. *Confessio* 1. §. 18. vers. *Et nota hic* Rosell. verb.
Rosella. *Confessio* 2. §. 9. vers. *Et nota hic* Sylu. verb.
Syluester. *Confessio* 1. q. 4. num. 7. Armill. eodem, nu. 13.
Armilla. Tabien. verb. *Confessio sacramentalis*, §. 16.
Tabiena Nauarr. In manual. cap. 26. nu. 13. & cap. *Con-*
Nauarrus *siderent*, §. *Cautus*, nu. 38 de pœnit. d. 5.

2. Noto 2. quòd ista forma fuit approbata à Clemente. VIII. Anno Domini 1592. die 10. Aprilis, vt refert
Roderic. Hieronymus Roderic. in resol. regul. resol. 3. num. 14.

✠ ✠.
✠.

CAP. VI.

De forma absolutionis generalis, quæ dari solet in extremis vitæ constitutis.

DOMINVS Noster Iesus Christus per merita suæ Sacratissimæ passionis te absoluat & gratiam suam tibi infundat: & ego auctoritate ipsius ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Summorum Pontificum, mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, & ab omni sententia suspensionis, & interdicti. & dispenso tecum in omni irregularitate, si quam contraxisti. Eadem auctoritate ego absoluo te ab omni transgressione votorum tui Ordinis & statutorum papaliū, generalium, prouincialium localium & synodalium quorumcunque. Eadem auctoritate absoluo te ab omni officio malè persoluto, horis indebitè transpositis, vel dimissis. Item eadem auctoritate absoluo te ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquisti; concedens tibi remissionem & indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum confessorum, & cunctorum de quibus etiam non recordaris, in quantum claues Ecclesiæ se extendunt. Item eadem auctoritate absoluo te à penis purgatorij, quas pro peccatis commissis, & delictis in hoc mundo perpetratis meruisti restituendo te illi innocentiæ in qua eras, quando baptizatus fuisti. In nomine Patris ✠ & Filij, & Spiritus Sancti. Amē. Quod si hac vice non decesseris, reseruo tibi hanc gratiam vsque ad mortis tuæ articulum.

1. Noto 1. quòd ista forma desumpta fuit ad verbum ex Manipulo Fratrum Minorum, p. 60 de absolutione, forma 2. Breuiorem tamen, & quæ tantùm valet, quantùm illa, affert Rodriq. tom. 1. quæst. regul. q. 62. ar. 9. Et sic habet. *Auctoritate apostolica mihi commissa, absoluo te ab omnibus peccatis tuis, in quantum possum: & restituo te Sacramentis Ecclesiæ; & concedo tibi indulgentiam plenariam, quam tibi concessam à Domino Papa, si forte non moriaris, eadem auctoritate reseruo tibi pro vltimo articulo mortis. In nomine Patris.* ✠ &c.

2. Noto 2. quòd istud priuilegium absolutionis, & Indulgentiæ concessum est Religiosis claustralibus ab Eugenio IV. Sixto IV. & alijs Summis Pontificibus, vt referunt Casarub. in *Casarub.*
comp. priuileg. verb. *Absolutio extraord. quoad* *Rodriq.*
Fratres, à num. 1. Rodriquez tom. 1. qq. Regul. *Miranda.*
q. 62. art. 6. Mirand. tom. 2. manual q. 33 ar. 7.

3. Noto

3. Noto 3. circa illam particulam, *Concedo tibi indulgentiam plenariam omnium peccatorum, de quibus etiam non recordaris*, quòd istud est magnum priuilegium, quod à nullo reperitur concessum, nisi ab Eugenio IV. vt ait Cæsarub. in compend. vor. *Indulgentia*, notab. 3. §. *Est esse sciendum*. Nam alij Summi Pontifices concedunt quidem indulgentias plenarias, sed contritis, & confessis, aut saltem propositum confitendi habentibus; quare solùm concedunt remissionem pœnæ illorum peccatorum, de quibus pœnitens, vel habuit contritionem, vel confessus est; at verò de illis, quorum oblitus est; nullam mentionem faciunt; vnde cum indulgentiæ tantùm valeant, quantùm sonant, illorum remissionem non concedunt secundùm aliquos vt ait Cæsar. loc. cit. §. *Quarta causa*, licet alij oppositum teneant apud eundem ibi; quibus adhæreo, sentiens etiam cum D. Thom. in 4. d. 21. q. 2. art. 2. & Cordub. in q. theolog. lib. 5. q. 39. p. 2. opin. 3. quòd absolutio sacramentalis, cadere potest super peccata viuentis oblita, & ignorata generaliter tantùm confessa, aut etiam super omnino inculpabiliter omissa, nec generaliter confessa: Nam absolutio sacramentalis ex opere operato præstat primam gratiam rectè confitenti, vt suppono, quæ repugnat tam peccatis generaliter confessis, ac inculpabiliter oblitis, & ignoratis, quàm specialiter confessis, cum vnum peccatum mortale sine alio non possit remitti. Et licèt peccata oblita, cum in mentem venerint, sint de nouo confitenda, id tamen non est, quia non fuerint rectè absoluta, sed quia, cum in sacramentali confessione requirantur duo, vt ait D. Thom. loc. cit. ad 1. scilicet absolutio, & iudicium Sacerdotis satisfactionem imponentis, licèt peccata oblita fuerint absoluta debent, iterum confessioni subijci postquam in mentem venerint, vt suppleatur, quod sacramentali confessioni defuit. Secus dic cum Corduba loc. cit. ad 3. quòd per primam absolutionem non sunt simpliciter absoluta, sed ex suppositione duntaxat, scilicet dum aliàs in speciali illa confiteri non possumus.

D.Thom.
Corduba.

4. Noto 4. circa illam clausulam, *Quòd si hac vice non decesseris*, &c. Quòd quando alicui est concessa aliqua indulgentia pro articulo mortis, si in articulo mortis constitutus dicta indulgentia vtatur, & ad sanitatem deinde reuocetur non potest ampliùs dictam indulgentiam lucrari, quando in vero mortis articulo constituetur, quia illa per primum vsum expirauit. Ita Nau. in sum. cap. 26. nu. 31. vers. *Vigesimo Tertio* Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 62. ar. 6. & tom. 2. q. 87. art. 9. licèt Cordub. in quæst. thelog. lib. 5. q. 39. punct. 1. dicto 3. opin. 3. dicat, quòd quando indulgentia conceditur simpliciter pro articulo mortis, intelligi debet vniuersaliter, idest, toties, quoties quis ad talem articulum venerit; indefinita enim æquipollet vniuersali. Priuilegium ergò Eugenij IV. quòd illa indulgentia possit reseruari pro vero articulo mortis, & quòd valeat pro oblitis, valet ad tollendos omnes scrupulos, & controuersias. Aduerte autem, quòd dictus Pontifex requirit, quòd qui dictam indulgentiam lucrari voluerint, oportet, vt dixerint per annum singulis hebdomadis semel septem psalmos pœnitentiales cum suis litanijs; qui autem legere nesciunt, debent alia pia opera ad arbitrium sui confessarij facere. Qui autem impedimento detenti in dictis vnius anni hebdomadis commodè recitare, aut alia pia opera facere nequierit, vel si ex inaduertentia, aut obliuione aliquid omiserit, ex tunc in vna altera septimana etiam alterius anni sequentis, vel aliàs quam primùm illud implere possit, satisfaciat. Et tandem, si quis præfatos psalmos, aut pia opera in toto, vel in parte commodè adimplere nequierit, aut omiserit, potest quilibet Confessor, aut Sacerdos in alia pietatis opera commutare, prout saluti animarum viderit expedire. Ita dictum priuilegium refert Rodriquez dicta q. 62. ar. 6. licèt ergo Mirand. to. 2. man. q. 32. ar. 7. & Cæsarub. in comp. verb. *Absolutio extraordinaria quò ad Fratres* nu. 4. prætendant, Regulares habere alia priuilegia dictam indulgentiam, & remissionem concedentia, absque onere dictos psalmos recitandi, & alia pia opera exercendi, ea tamen fortè non sunt tam clara, & ampla. Quare consultum est, quòd omnes dictos psalmos recitent, vel alia opera pia faciant. Quòd si quis omiserit, consultum est, vt in articulo mortis constitutus roget Confessorem, vt dicta opera in alia mutet congrua tempori, vel, si fortè infirmus valdè grauatus id non recordetur, Confessarius ipse infirmum moneat, & commutet.

Nauarrus
Rodriq.

5. Noto 5. quòd Nicolaus V. vt refert Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 62. ar. 6. & to. 2. q. 87. art. 11. declarauit, quòd cum aliquis Fratrum inciderit in dementiam, lethargiam, vel amiserit loquelam propter infirmitatem, vel aliàs antequam absoluatur, & recipiat plenariam remissionem, vel etiam quia non habuit copiam confessarij, possit in dicto mortis articulo quicunque Sacerdos sæcularis, vel regularis eum nihilominus absoluere, & huiusmodi plenariam peccatorum suorum remissionem auctoritate apostolica illi impendere. *Rodriq.*

6. Aduerte autem, quòd ad hoc, vt possit quis in dictis casibus absolui, oportet, quòd declarauerit, cum esset sanæ mentis, vel ex signis exterioribus constet, quòd voluerit plenariè absolui, vel constet, quòd habuit contritionem cum proposito confitendi. Ita Cord. in q. Theolog. lib. 5. q. 39. p. 2. opin. 3. Rodriq. loc. cit. art. 11. *Corduba.* *Rodriq.*

7. Aduerte etiam hac occasione, quòd absoluendus est, qui nutibus tantùm absolutionem à confessario quærit; quòd multis probat Diana p. 3. tract. 3. resol. 1. Immò etiam si absolutionem non petat, modò tamen signa contritionis ostendat, tundendo pectus, &c. Diana ibid. resol. 2. Sit etiam absoluendus moribundus dicta contritionis signa ostendens, sed dubitatur, an ea ortum habeant ex contritione, vel ex angustia mortis. Diana ibid. resol. 3. cum dubia in meliorem partem sint interpretanda, præsertim in illo articulo, in quo nullus præsumendus est immemor suæ salutis, & hæc opinio faueat animæ. Est etiam absoluendus moribundus, qui in absentia confessarij confessionem petijt, vel signa pœnitentiæ fecit testante hoc vno saltem teste. Diana resol. 4. & 5. Est etiam absoluendus, qui in periculo *Diana.*

mortis

mortis constitutus confessus est, sed non absolutus, quem deinde ad absoluendum veniens confessarius reperit loquelam amisisse, Diana resol. 6. Et denique est absoluendus sub conditione, *Si capax es absolutionis*, moribundus sensibus destitutus, qui neque petijt confessionem, neque vllum signum dedit contritionis, modò solitus fuisset christianè viuere, vt V.G. si quis ex improuiso fuit vulneratus ad mortem, &c. Ita Homobonus in examine p. 1. tract. 7. cap. 18. q. 84. quem confutat Diana resol. 8. Et ratio omnium istorum est, Quia illa opinio est amplectenda, quæ magis fauet pœnitenti, cum sacramenta sint instituta, vt medicinæ suscipientium, præsertim quando nulla fit iniuria sacramento; At Ministrare sacramenta sequendo opinionem probabilem, non est irrogare iniuriam sacramento. Immò addit Io: Sancius apud Dianam loc. cit. resol. 9. quòd vbi imminet periculum violationis religionis, aut charitatis, potius violanda est religio, quàm charitas, quia hæc plus stringit, quàm illa; pro salute enim animarum nostrarum humiliauit se Christus vsque ad mortem, iuri cedens suæ maiestatis.

Diana. *Homobon.* *Ioannes.*

8. Noto 6. quòd ista indulgentia potest religiosus frui, etiam si in itinere extra Religionē decedat; potest enim rogare quemcunque Præsbyterum sæcularem, vel regularem alterius Ordinis vt vigore dictæ concessionis Eugenij eum absoluat, & indulgentiam concedat. Quod dixit propter aliud priuilegium Innoc. VIII. Mirand. tom. 2. manual. q. 33. ar. 7. & habet hoc priuilegium Innoc. vnum particulare, quòd scilicet possit Confessarius sic electus in articulo mortis dictum moribundum absoluere plenariè ab omnibus casibus, ac si esset Summus Pontifex, & eadem auctoritate illi indulgentiam plenariam concedere.

Miranda.

9. Noto 7. quòd præfata absolutio debet necessariò concedi à Confessore; Nam si ab hoc non concedatur, cum ægrotus eam sibi concedere non possit, eam non lucrabitur. Ita Rodriquez to. 1. qq. regul. q. 62. ar. 9. Mirand. loc. cit. ar. 8. vers. *Sed modo insurgit*. Et non debet concedi, antequàm probabiliter videatur infirmus esse in extremis, sed debet concedi eo temporis momento, quo moraliter creditur ipsum, ad minus mortaliter non peccaturum, ne postea pro peccatis commissis post dictam absolutionem satisfactione indigeat, quam commodè præstare non possit. Ita Rodriquez, & Mirand. loc. cit. Cordub. in quæst. theolog. lib. 5. q. 39. p. 1. dicto 1. Sin autem non possit ægrotus Confessorem eligere, vel habere, consequetur nihilominus dictam indulgentiam, si sit in statu gratiæ, vt dixi to. 2. nostr. priuil. in const. 8. Pauli V. num. 10. & inuocando in eodem statu ore, vel non potens ore, corde deuotè nomen Iesu, lucrabitur indulgentiam plenariā, concessā à Paulo V. in ead. const. §. 8.

Rodriq. *Miranda.* *Corduba.*

10. Noto 8. quòd licèt verum sit, quòd dicta indulgentia plenaria, & absolutio generalis debet dari à Confessore electo ab ipso ægroto, etiam à Prælato non specialiter deputato; non est tamen omittenda in Ordine nostro laudabilis consuetudo, vt in illo casu ægroto assignetur Confessarius specialis à Prælato, ad votum tamen ipsius ægroti. Vbi autem vsus inualuit, vt ægrotus priùs confiteatur, & sacramētaliter absoluatur à Confessario electo, & deinde extra Sacramentum dicta generalis absolutio infirmo detur à Prælato, vel alio Sacerdote de eius iussione, tolerari potest, vt innuit Nauar. in manual. cap. 26. num. 31. & Mirand. tom. 2. manual. q. 33. ar. 8. in forma dictæ absolutionis, Cordub. loc. cit. vers. *Et creditur*. Sed tunc omitti debet illa clausula, *Absoluo te à peccatis tuis*. Nam certum est, quod extra sacramentū pœnitentiæ peccata non remittuntur, vt ait Cordub. loc. cit. Posset tamen adhuc proferri, intelligendo per peccata pœnas peccatis debitas, quod est multum familiare in Scriptura sacra. 1. Petri 2. *Peccata nostra ipse pertulit*, idest, pœnas debitas nostris peccatis. 2. Mach. 12. *Vt à peccatis soluerentur*, idest, à pœnis debitis pro peccatis huius vitæ. Et Isaiæ 53. *Et ipse peccata multorum tulit*. Attamen Reuerendissimus Pater F. Franciscus à Longobardis nostri Ordinis meritissimus Generalis, vir doctissimus, dum hanc Genuensem Prouinciam visitaret Anno 1633. die 28. Maij, dixit, dictam clausulam esse omittendam, quando datur dicta absolutio extra sacramentū pœnitentiæ. Nam tunc dicta absolutio est solum quædam deprecatio Ecclesiæ ad impetrandum remissionem culparum, seu pœnarum, aut alia bona, & remotionem impedimentorum ad bene moriendum, & quædam absolutio iurisdictionalis ab excommunicationibus, seu alijs censuris, vel pœnis ecclesiasticis, si eis forte esset obnoxius: Et concessio indulgentiæ plenariæ, vt docebat Corduba in quæst. theol. lib. 5. q. 39. p. 2. dict. 1. vers. *Et creditur*. Quando autem datur ægroto, debet ægrotus ipse, si potest, vel, si nequeat, circunstantes dicere *Confiteor*, &c. quo dicto, Sacerdos dicat, *Misereatur*, &c. *Indulgentiam*, &c. Deinde, *Dominus noster*, &c.

Nauarrus *Miranda.* *Corduba.*

11. Noto 9. quod dicta indulgentia non est reuocata per constit. 8. Pauli V. tom. 2. nostr. priuil. vt ibi dixi, n. 10. & dicit etiam Roderic. in resol. regul. resol. 3. nu. 32. Immò dictus Pontifex in eadem const. §. 8. concessit indulgentiam plenariam quibusuis Religiosis confessis, & sacra communione refectis, vel saltem contritis, si id facere nequiuerint, in articulo mortis constitutis, qui nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem, corde deuotè inuocauerint.

Rodericus

12. Noto 10. quòd etiam si ægrotus post dictam absolutionem, & indulgentiam decedens, sit liber à pœnis purgatorij, non per hoc tamen debent omitti fieri pro eo suffragia. Nam 1. potest esse, quòd interuenerit aliquis defectus, propter quem non sit indulgentiam consecutus. 2. Quia licèt dicta suffragia non prosint animæ existenti in cælo quò ad satisfactionem, quia est in termino, & nulla amplius satisfactione indiget, prosunt tamen quò ad satisfactionem alijs animabus purgatorij; Tum quia deperdi non possunt, cum sint bona opera, Tum quia Ecclesia licèt suffragia, missas V. G. offerat principaliter pro aliquo, & sic illi principaliter prosint, offert tamen etiam generaliter pro omnibus, & pro omnibus ad Deum preces fundit. Vnde si non prosunt illi, pro quo sunt principaliter oblata, quia, non indiget, prosunt alijs indigentibus, pro quibus sunt minùs principaliter oblata; animæ autem, pro

qua

qua sunt specialiter oblata, existenti in cælo prosunt etiam, quia illi ex hoc augetur gaudium accidentale, gaudet enim magnoperè videns, quòd suis confratribus ipsa affert multum vtilitatis per suffragia sibi specialiter oblata. 3. Quia magis est vtile animæ liberari per missas, & alia suffragia, quàm per indulgentias, quia per istas tantùm tollitur pœna, at per illa tollitur pœna, & augetur illi gaudium accidentale perpetuum; gaudet enim plurimum ob profectum amicorum suffragia impendentium; gaudet amplius honore, Deo per suffragia exhibito; & denique gaudet suffragio animabus per suffragia impenso. Vnde magis prodest animæ liberari per suffragia, quàm per indulgentias, licèt per illa tardiùs, & per istas citiùs liberetur; quoniam satiùs videtur, ad tempus pœnam pati, quam gaudio etiam accidentali perpetuò priuari. Ita Gabriel in can. missæ, lectione 57. tit. *De indulgentia pro defunctis* in med. Casarub. in comp. verb. *Indulgentia*, in fine, notab. 3. vers. vltimo. Vide plura huiusmodi apud Nauarr. tom. 3. tract. de indulgentia, notab. 22. nu. 50. Lauor. de indulg. p. 2. cap. 30. à nu. 142.

Gabriel. *Casarub.* *Nauarrus* *Lauorius*

CAP. VII.

De forma absolutionis, quæ datur electoribus in capitulo ad effectum electionis.

Dicto Confiteor ab omnibus capitularibus genuflexis, Præsidens capituli eos ad effectum electionis faciendæ absoluit dicens, *Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. Si tenemini aliquo vinculo excõmunicationis maioris, vel minoris, interdicti, vel suspensionis, in quantum se extendunt gratiæ, & priuilegia Ordini nostro concessa, vos omnes ad effectum electionis faciendæ, seu electionum faciendarum absoluo, & restituo vos sacrosanctis sacramẽtis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium. In nomine Patris, ✠ & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Item eadem auctoritate ad eundem effectum ego dispenso vobiscum super omni irregularitate, si quam contraxistis, & habilito vos executioni ordinum, & officiorum vestrorum.*

1 Noto 1. quòd nullus excommunicatus, siue publicus, siue secretus, nec vlius suspensus, aut interdictus, seu etiam irregularis, potest ad dignitates ecclesiasticas assumi, vt probo to. 1. Relig. q. 2. cap. 5. & §§. seq. Quare ad omnes scrupulos, & ambiguitates tollendas inuenta est illa absolutio, qua præcedente, si deinde electus, vel electores reperiantur aliqua censura innodati, electio erit nihilominus valida, nec poterit ex eo capite impugnari, vt habet Chokier de exemp. p. 4. q. 69. num. 1.

Chokier

2 Noto 2. quòd ea forma, quæ est in nostro Rituali, est manca; nam non dispensat super irregularitatibus, super quibus tamen est expresse dispensandum, vt tenent Nau. in sum. cap. 27. nu. 254. Paris de relig. lib. 4. q. 3. nu. 40. Chokier loc. cit. num. 5. vel saltem tacitè per clausulam, *A censuris, & pœnis* vt ego dico to. 2. Relig. cit. nu. 46. Vnde in hac forma expresse posui dispensationem super irregularitate, ad hoc, vt si quis in capitulo reperiretur irregularis, posset beneficio dictæ absolutionis frui. Nam alioquin non frueretur, vt dico loc. cit. Relig. nu. 9. vbi etiam dixi, quòd ista absolutio, & dispensatio non absoluit, neque dispensat, nisi à censuris, & super irregularitatibus, à quibus potest absoluere, & dispensare Præsidens Capituli. Nec prodest ei, qui absens eligeretur, vt ibidem dixi.

Nauarrus *Parisius*

3. Noto denique, quòd to. 2. Relig. q. 2. cap. 5. nu. 46. dicebam quòd in absolutione, quæ datur in Capitulis à Prælatis ad effectum electionis, licèt non exprimatur irregularitas, ea tamen tacitè intellecta cẽsetur in illa dictione *Pœnis*, si in ea absolutione exprimatur, *A censuris, & pœnis*. Quam doctrinam cum non bene recepisset Alphonsus de Leone, dixit in suo tract. de offic. Capellani, q. 4. praxi 6. nu. 96. hæc formalia verba. *Sed contrarium defendit Pierinus in suo Prælato regulari, q. 2. cap. 5. §. 3. nu. 46. qui fundatur in verbo illo, A pœnis, contento in dicta clausula. Quod fundamentum quàm leue sit, patet ex dictis à nobis tractatu de iubileo, parte 1. à nu. 54.* Quibus verbis respondere decreui. Et in primis dico, quòd ego ibi loquor de irregularitate, quæ est pœna, idest, quæ prouenit ex delicto, V. G. quo excommunicatus celebrat, vel suscipit ordines, &c. non de illa, quæ dicitur indecentia, vt quæ prouenit ex bigamia, vel ex membri alicuius priuatione, aut etiam ex homicidio quomodocunque facto; hoc enim etiam indecẽtiam dicit. Et constat, quia fundor in illa dictione *Pœnis*. Quam distinctionem probant omnes Doctores, quos hic mox citabo. Deinde dico quòd necessariò per illam dictionem, *A pœnis*, in casu, de quo loquor, intelligenda est inter alia irregularitas; Nam dicta absolutio, quæ datur in Capitulis à Prælatis, datur ad effectum, ne electio deinde secuta inualidari possit; Sed irregularitas est impedimentum canonicum, quod ipso iure electionem inualidat, vt dico dicto loco cit. Relig. Prælati nu. 44. Ergo per illam debet etiam irregularitas tolli: Nam alioqui dicta absolutio esset manca, & non inseruiret fini, ad quem est adinuenta. Tertiò dico, quòd ego opinionem contrariam, quæ dicit, irregularitatem non dispensari, nisi de ea fiat expressa mentio, quam latè defendit Trullẽch in expositione bullæ cruciatæ, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 17. à nu. 4. cum quamplurimis Doctorib⁹, quos affert Diana p. 1. tract. 11. de bulla Cruciatæ resol. 27. in princip. non improbaui, immò probabilem existimaui loc. cit. Relig. Prælati nu. 9. Dico 4. quòd opinio mea, quæ dicit, quòd irregularitas tollitur per illam clausulam, *Teque Absoluentes à censuris, & pœnis*, est Soti in 4. dist. 22. q. 3. ar. 1. vers. *Secundum discrimen*, Bannes 2. 2. q. 64. ar. 8. tit. *Iam verò in quarta parte*, &c. dub. 1. Bartholomæi Medinæ 1. 2. q. 96. ar. 4. col. 8. dub. *An humanæ leges obligent*

Alph. Leo. *Trullench* *Diana* *Sotus* *Bannes* *Medina*

cum

tam vita discrimine, in responsione ad 1. pag. mihi 511. & in instructione confessor. c. 11. §. 9. vbi ait, hanc opinionẽ esse magis verã, & magis conformem sacris Canonibus,
Cordub. Cordub. in quæst. Theolog. lib. 5. de indulgentijs, q. 44. dub. 4. & de casibus conscientiæ q. 144. vers. *La segunda opinion*, vbi ait, hanc in rigore esse magis verã opinionem,
Salon. Salon. 2. 2. q. 64. ar. 8. controuers. 4. concl. 1.
Salas. Salas de legib. disp. 15. sect. 1. concl. 2. nu. 16. tract. 14.
Aragon. Aragon 22. q. 64. ar. 8. col. 11. vers. *Secunda conclusio*; & in fine ait, hanc opinionem esse magis conformem communi Doctorum interpretationi;
Ledesma. Ledesma 1. p. summæ, tr. de censuris ecclesiasticis, c. 1. vers. *D'esta resolusion* fol. 537. & versu, *A esta duda*, dicit, quòd ista opinio est communis discipul. S. Th.
Naldus. Nald. in summa, ver. *Irregularis*, nu. 25.
Nugnus. Nugnus 3. p. q. 27. in expos. bullæ Cruciatæ, §. vltimo, in princip. latè, & ex professo mordicus hanc sententiam defendit
Gutierrez Gutierrez Canonic. qq. lib. 1. c. 3. per totum, vbi omnibus contrarijs respondet,
Fernand. Fernandez in examine, c. 9. de bulla Cruciatæ, §. 14.
Corradus. Corradus in sũma, q. 355. in addit.
Vega. Vega noster in speculo Curatorum, to. 2. c. 12. de cens. eccles. nu. 383.
Cruz. Cruz in directorio conscientiæ, de irregul. dub. 15. conclus. 2. vbi ait, hanc esse communem Thomistarum, ait etiã, contrariam esse probabilẽ, quam tenent Canonistæ. Hanc opinionẽ probabilem dicunt
Roriquez. Rodriquez in expos. bullæ Cruciatæ, §. 9. n. 64. vbi ait, posse quemlibet hanc opinionem absquè scrupulo sequi, & consulere. Et
Henriq. Henriquez lib. 7. de Indulg. c. 13. §. 6. versu, *Qua sententia*, vbi dicit hãc sententiã esse probabilẽ propter grauiũ Doctorum auctoritatem, & rationes, & quòd esset admittenda in praxi. Eam etiã tanquam probabilẽ defendit Diana p. 1. tr. 11. de bulla Cruciatæ, resol. 57. versu *Quid ego sentiã*. Fundamenta autem horum Doctorũ sunt duo præcipuè. 1. quòd irregularitas, quæ prouenit ex delicto, est vera censura ecclesiastica, & cõmuniter includitur in illa dictione, *A cẽsuris*. Ita loquuntur Sor, Arag. & alij. 2. quòd dicta irregularitas est vera pœna, & sic includitur in illa dictione *Pœnis*. Ita loquuntur de mente omniũ, & clariùs, quã alij, Medina in instruct. cit. Salon, & Ledesma. Ex quibus appatet, quã leuiter dixerit Alphonsus Leo, meum fundamentum leue, cũ eo fundamento potissimũ tot insignes Doctores dictã sententiam renuerint.

4. Ad illud, quod dicit idem Alphonsus, leuitatẽ nostri fundamẽti constare ex his, quæ ipse dicit in tr. de Iubilæo, p. 2. à num. 54. fateor me dictum nu. 54. pluriès legisse, & in eo nil penitùs reperisse, quòd leuitatem dicti mei fundamenti insinuaret. immò in dicto num. expressè dicit, quòd nisi in bulla expressè exciperetur irregularitatis dispositio, nõ esset omnino improbabile, quòd ex vi dictorum verborum, *Censuris, & pœnis ecclesiasticis*, confessor possit dispensare super Irregularitate contracta ex eo, quòd celebrauit in censura. Et loc. cit. de officio capellani dictus Alphonsus nostrã opinionem approbat in casu violationis censuræ, idest, in irregularitate, quæ prouenit ex delicto, vt dixi. Si ergo in his casibus Leo ipse nostrã sententiã probat nullo adducto fundamẽto, quomodò potuit dicere leue fundamentum nostrũ, qui nec fortiùs, nec debiliùs adducit? Hæc in mei defensionem dicta volui, quæ si Leonem (quod dicunt periculosum) aliquantò vellicant, ipse in culpa est, qui prouocauit, non ego, qui respondere compulsus sum, vt dicam cum Hieronymo epistol. 14. ad August. *D. Hieron.*

CAP. VIII.

De forma absolutionis, alicui data ex cõmissione sũmi Pœnitentiarij.



IN nomine Domini, Amen. Nos Frater N. Vicarius generalis Ordinis N. ad infrascripta peragenda ab Eminentissimo Domino N. S. R. E. Cardinali sũmo Pœnitentiario specialiter delegatus, prout in literis sub sigillo Pœnitentiariæ, vt moris est, expeditis sub datum Romæ apud Sãctum Petrum caled. Iunij, Pontificatus S. D. N. Domini Vrbani diuina prouidẽtia Papæ VIII. anno eius 4. nobis exhibitis innotescit, à F. N. Sacerdote professo eiusdem Ordinis de infrascriptis excessibus plurimùm dolente, debita cum instantia requisiti, vt sibi dictarum literarum vigore auctoritate nobis concessa absolutionis beneficium in vtroque foro à censuris ecclesiasticis, alijsque pœnis, quas incurrit benignè impendamus, nec nõ super contracta per eũ irregularitate, quòd ad omnes etiã sacros, ac Presbyteratus ordines extra ætatem legitimam aliàs se promouendũ curauerit, in ijsque ministrauerit, ac præterea vt in prætactis ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, voce actiua, & passiua gaudere valeat, misericorditer dispensemus. Huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica nobis cõmissa, quaque fungimur in hac parte, eundem F. N. corã nobis genuflexũ, humiliterquè petentẽ à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa incurrit, & excessibus huiusmodi in vtroque foro in forma Ecclesiæ consueta (ipso tamen ab exercitio prædictorũ ordinũ arbitrio nostro suspenso remanente) absoluimus, atque omnino relaxamus; quotidianã illi prætereà ex nunc vsque ad legitimæ ætatis accessum, septem psalmorum cum litanijs flexis genibus recitationem pro salutari pœnitentia iniũgentes; sic absoluimus, suspendimus, & iniũximus, iuxta formã dictarum literarũ apostolicarũ, nõ solùm præmisso, sed omni etiã alio meliori modo, quo de iure possumus, ac valemus. Datũ Romæ in nostro Conuẽtu N. die 1. mensis Semptemb. anno Domini 1627. Pontificatus S. D. N. Domini Vrbani diuina prouid. Papæ VIII. anno 5. Volens autẽ præfatus delegatus cũ dicto supplicante dispensare super Irregularitate, & alijs pœnis vigore dictarum literarũ, transacto tempore congruo, ait.

In Nomine Domini, Amē. Nos F. N. Vic., generalis Ordinis N. prædicta apostolica auctoritate fungētes, prætacto Fr. N. à cēsuris, vt supra, à nobis absoluto, & ab exercitio suorū ordinū ad arbitriū nostrū, vt ex superioribus nostris constat literis, suspenso, vlterius instante, humiliterque petente, ad ampliorē earundem literarum executionem progrediendo, cum eodem Fratre N. vigesimum quintum ætatis annū, vt ex oblato nobis R. Presbyteri N. Parochi Ecclesiæ S. Angeli, Diœcesis N. baptismali chirographo patet, attingente, super irregularitate ex præmissis per eum quomodolibet contracta, ac prætereà quòd, ea, & suspensione præfata non obstantibus in suis ordinibus (modo tamen canonicum aliud nequaquam obstet impedimentum) etiam in altaris ministerio ministrare, & quæcunque sui ordini officia, & dignitates, si aliàs canonicè ad illas, & iuxta eiusdem Ordinis regularia instituta eligatur, vel assumatur gerere, atque exercere, voceque actiua, & passiua frui licitè valeat, misericorditer in Domino, eadem apostolica auctoritate nobis commissa, dispensamus. Non obstantibus ijs omnibus, quæ in prædictis literis cauetur non obstare. Atque ita dispensamus iuxta formam dictarum literarum non solùm prædicto, sed quouis alio meliori modo, &c. Datum, &c. vt supra.

CAP. IX.

De forma faciendi fidem absolutionis alicui datæ ex commissione summi Pœnitentiarij.

FRATER, &c. Ordinis N. Vicarius generalis. Vi præsentium omnibus, et singulis fidē facimus, & attestamur, quòd die 19. mēsis Ianuarij anno 1627. auctoritate nobis à sūmo Pœnitentiario per suas literas datas Romæ apud S. Petrū die 1. Ianuarij eiusdē anni specialiter cōcessa, Fratrē N. Clericū nostri Ordinis professum ab excōmunicatione in vtroq; foro cæterisq; pœnis ecclesiasticis, quas propter delicta in præfatis sacræ Pœnitentiariæ literis contēta, incurrit, in forma consueta Ecclesiæ, pœnitentia salutari, alijsq; omnibus, quæ de iure fuerūt iniungēda, eidē iniunctis, absoluimus; Cumq; prædicto Fratre N. die 25. eiusdē mensis (pœnitētia parte iam peracta) super irregularitate per eum ex præmissis in dictis literis quomodolibet contracta pariter dispēsauimus. Ita ut ad omnes, etiā sacros, & Presbyteratus ordines, si ad id idoneus reperiatur, promoueri, & postquam promotus fuerit, actiua, et passiua uoce ita gaudere queat ut quæcunq; nostri ordinis officia, ac dignitates, si ad illa canonicè, & iuxta eiusdē Ordinis regularia instituta assumatur, uel eligatur, gerere licitè ualeat, ac exercere. Nō obstātibus etiā cōstitutionibus & ordinationibus apostolicis, nec nō nostri Ordinis statutis, & priuilegijs cæterisq; cōtrarijs quibuscunque. In quorū fidē, &c. Datū Romæ, &c.

1. Noto, quòd non est necesse, quòd prædicta absolutio, & dispēsatio fiat in foro pœnitētiæ, audita scilicet cōfessione sacramētali, sed sufficit quòd fiat in foro cōscientiæ, quatenus hoc forū distinguitur à foro exteriori, & publico, vt multis probat Sāch. 8. de matrim. disp. 34. n. 29.

CAP. X.

De forma accusationis.



EVERENDE admodum Pater Prouincialis. Ego Frater Zelaus de Zelantibus accuso Fratrem Improbum de Scandalosis, quòd pluriès temerario ausu sanctissimum Dei nomen impia, atque sacrilega blasphemia commacularit in hac verba, inuito Deo, idque præsertim die 10. Ianuarij, anno 1634. immediate post Vesperas in inferiori Claustro Conuentus. N. in ea videlicet parte, ex qua ad exteriorem prædicti Conuentus ianuam patet aditus, præsentibus F. Veridico Cortesio, & F. Fideli de Bonis. Quocirca, ne in tanto illi scelere impunè liceat gloriari, vtque iusta in eum animaduersionis metu cæterorum animi ab huiusmodi perpetrandis sceleribus posthac contineãtur, nō calumniæ quidē, vel maleuolentiæ studio, sed iuris publici tuendi, atque pia in Deum, Religionemque nostram voluntate permotus Reuerēdam admodùm Paternitatem tuam etiam, atque etiam rogo, & insto, vt illum, testibus examinatis, ad nostrorum statutorum formã, ac præscriptum digna facto pœna mulctet, ac afficiat. Paternitati siquidem tuæ coram adm. RR. PP. Iusto de Bonis, Mansueto de Mansuetis, nec non Constantino de Ferraria tuis, atque huius N. Prouinciæ Collegis, & Conindicibus iure iurando polliceor atque confirmo prætacta omnia vera esse, ac sic omnino se habere; vt propterea ad exitum vsque, & definitiuam sententiam ea prosequi cupiam talionis pœnam, si defecero, libentissimè subiturus. In quorum omnium fidē præsentes subscribo die, & anno, vt supra. Ita est Fr. Zelans de Zelantibus.

1. Noto 1. quòd hæc forma cum omnibus suis clausulis habetur expressè in leg. Libellorum, ff. de accus. Et omnes dictæ clausulæ declarantur ab Aretino in sua practica criminali, cap. *Aretinus.*

D. Thomas. Malderus. Triuisan. Mansus. Aldrete. Ghisiler.

li, cap. 5. de accus. Pro quibus etiam videri possunt D. Thom. 2.2.q.68.art.4. Malder. 2.2. tract. 6. cap. 1. dub. 1. Triuisan in sua praxi, cap. 6. Mansus de modo proced. in causa regular. cap. 5. Aldrete de disciplin. regul. tuenda lib. 1. cap. 4. Ghisiler. de iudice regul. cap. 16.

2. Noto 1. quòd accusatio non videtur esse in vsu apud Regulares reformatos. Tum quia vix sine peccato exerceri potest, vt docet gloss. in cap. *Si quis Episcopus*, verb. *Illaudabilis*, 2. quæst. 7. & Ghisil. de iudic. regul. cap. 16. nu. 45. Et colligitur ex dicto cap. *Si quis Episcopus*, vbi accusatio vocatur illaudabilis intentio. Tum quia accusatio vindictam quærit, non emendationem. Vnde quando Iudex procedit per viam accusationis, non potest quicquam de pœna reo per leges debita detrahere, sed tenetur eam omnem illi infligere; Quare accusatio quasi semper supponit odium.

Th. à Iesu.

Tum quia nullum est vitium, quod per viam denunciationis iuridicè manifestari & per cuius punitionem bono publico non possit prouideri. Quare censet Thom. à Iesu de regul. visit. tract. 1. cap. 4. num. 6. quòd accusatio paci, & tranquillitati Religionis non expedit; & propterea quòd est omnino releganda à Religionibus reformatis. Quapropter non videntur teneri Superiores vllam accusationem recipere. Et aduerte, quòd in Religionibus, in quibus per accusationem proceditur, potest Prælatus receptam accusationem rescindere quando ex tali rescissione malus bonum oriundum est communitati: & hoc non obstante partis instantia. Ita Rodriq. tom. 2. qq. regul. q. 41. art. 5. vbi citat Cal. & Aragon.

Rodriq.

CAP. XI.

De forma concedendi facultatem alienandi.

FRATER N. Ordinis N. Generalis. *Dilectis nobis in Christo Filijs, Correctori, & Fratribus Conuentus S. N. salutem in Domino. Debitum pastoralis officij, quòd nullo nostro merito, sed sola Dei prouidentia gerimus, exposcit, vt ea, ad quæ iure naturæ nostri tenentur subditi, nec valent sine auctoritate nostra executioni mandare, illis, cum exigunt, benignè concedamus. Quare, cum, sicut nobis nuper exposuistis, Conuentus vester N. temporis iniuria ære alieno ita grauatus existat, vt propterea nisi quid immobile ex annuis redditibus detrahatis, soluendo esse desperetis, fieri quinimmo facilè possit, vt in vos deuotorum amicorum qui opibus, ac pecunijs, prout opus est Religioni adesse solent præfata soluendi impotentia graue odium concitetis, vel pristina saltem nequaquam frui valeatis eorum beneuolentia nobis humiliter supplicastis, vt iuxta apostolicã facultatem, domum vobis prædicto loco N. sitam minùs commodam, nec centum aureorum de Camera redditum annuum excedentem alienandi facultatem elargiremur. Nos, qui à iustitia ne latum quidem vnguem, & præsertim quòad pecuniæ debitam solutionem, recedendum putamus (ne quam alijs euitandam culpam quotidie Religiosi decantant, ijdem, qui lux sunt mundi, turpiùs ascribatur) eamdemque domum tibi constitutam vobis minùs vtilem, ac valorem annuum centum aureorum de Camera non excedere credentes, auctoritate apostolica nobis per literas in forma breuis a felic. record. Clem. VII. concessa præsentium tenore prædictam domum sub suis confinibus, & terminis latiùs in contractu desuper per publicum instrumentum faciendo exprimendis, vendendi, seu aliàs iusto contractu alienandi (modò tamen duarum ex tribus partibus vestri Capituli consensus accedat, pretiumque in supradictorum debitorum solutionem vnico contextu conuertatur) licentiam vobis, & facultatem impartimur. Constit. felic. rec. Pauli Papæ II. quæ incipit. Ambitiosæ, cui per easdem literas derogatur, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem &c.*

1. Noto 1. quod antiquitùs Generales habebant priuilegium concedendi facultatem alienandi suis Fratribus, vt constat ex const. 9. Iulij II. & ex const. 5. Clem. VII. Vide, quæ dico ad dictam const. 9. & quæ addo tom. 3. priuileg. cap. 3. num. 2.

2. Nunc autem pone casum, de quo fui quæsitus. Regulares vnius Cõuentus habuerunt ab aliquo deuoto scuta mille implicanda in annuos redditus pro celebratione volua missæ quotidianæ; habebant autem dicti Religiosi quamdam massariam, seu tenuram, in qua domus pro massario fuerat combusta a Gallis tẽpore belli, vnde cogebãtur cõducere pro dicto massario aliam domũ à quodam vicino. Quærebant à me, an possent de dictis scutis mille (cum non possent aliundè) fabricare dictam domum, imponendo in illa obligationem recitandi missam perpetuam? Ego semper putaui, quòd sic. Tum quia illa domus est de sui natura fructifera; & licèt in præsentiarum fructificare non videatur, est per accidens; licèt etiã possit dici fructificare, quatenus liberat à solutione domus conductæ. Tum quia possunt dicti Regulares ex illa pecunia domum emere, quare ergo non possunt ex eadem illam fabricare? Tum quia pecunia illa est versa in vtilitatem perpetuam Monasterij. Tum quia possunt ex illa pecunia annuum censum extinguere, vt sensisse viros doctos in facti contingentia in hoc casu, retulit mihi ex nostris P. Trimarchi. Atque ita sentire videtur Marta in suis decis. voto 243. num. 3. & 5. Idem dico, si ecclesia, vel Conuentus minaretur ruinam, nec possent aliunde reparari.

Trimarch. Marta.

Nam tunc possent reparari ex illis mille scutis. Quia, sicut si aliquis deuotus ecclesiam, vel Conuentum a se fabricatum alicui Religioni donaret cum onere alicuius missæ quotidianæ perpetuæ, illi Religiosi possent dictum Conuentum, seu ecclesiam cum tali onere suscipere, & obligarentur posteri ad illam missam celebrandam, ita, si Ecclesia, vel Conuentus ruinam minaretur, possent Religiosi illius dicta scuta mille in reparatione illius expendere, & tenerentur posteri ad missam celebrandam: monimentum tamen aliquod esset in publico collocandum, quo posteris innotesceret, quòd ex illa pecunia Conuentus, seu Ecclesia fuit fabricata. Neque obstat, quod illa scuta mille non fructificant secundùm mentem sacræ Congreg. de celeb. miss. § 5. quod habes in consl. 9. Vrb. VIII. tom. 2. nostr. priu. Nam in primis id est per accidens, natura sua tamen apta sunt fructificare. Deinde etiam fructificant. Nam in ecclesia diruta non potest celebrari, nec per consequens ex ea possunt percipi emolumenta, quæ ex ecclesijs rectè administratis recipiuntur. Tertio, prius est locus, quam locatum; ergo si missa debet celebrari in Ecclesia, si hæc non adest, celebrari non potest. Denique, si illi Religiosi non haberent Conuentum ad habitandum, possent ad hunc effectum domum conducere, & annuam pensionem pro ea soluere; quare ergo non possent ad tale damnum vitandum ex illa sic vinculata pecunia conuentum fabricare; ita colligitur ex Maria loco supra citato.

3. Et vlteriùs quæro, an Regulares indigentes victu, nec reperientes, qui creditò illis tribuat, nec possint consensum expectare Romani Pontificis, possint absque dicto consensu, & absque incursu censurarum res pretiosas in pignus tradere, seu pecunias ad cambiũ sumere, si aliter non reperiant? Et dato, quòd traditio pignoris, non reperiant, an possint dictas res pretiosas vendere, immo & immobilia? Item an possint armenta monasterij absque dicto cõsensu vẽdere, si careant pascuis & periculũ sit ne pereant? Respondet affirmatiue Mezala 2. par. variat. resol. 113. num. 3. modo adsit consensus maioris partis Conuentus, & prælati. Tum quia necessitas facit licitum id, quod aliàs tale non erat; cap. *Quod non est licitum*, de reg. iur. Tum quia non est prohibitũ, ea bona ecclesiastica alienari, quę magis expedit distrahi, quam seruari secundũ Redoanum de reb. Eccles. non alien. quæst. 51. cap. 1. num. 4. quem sequitur Quaran. in summ. bull. verb. *Alienatio*, num. 38. Tum quia lex non ligat, quando de facto seruari non potest, l. 1. §. dies, ff. *Quando appell. sit*; cap. *Erit autem* d. 4. Tum quia lex seruanda non est, quando iniquè fieret, si seruaretur, vt probat D. Thom. 2. 2. quæst. 120. art. 1. Tum quia in qualibet prohibitione censetur excepta causa occurrens, quæ suaderet oppositum; cap. *De cætero*, & cap. *Quamnis*, de sent. excom. cap. *Excellentissimus*, 11. q. 3. Tum quia, quæ ob fauorem sunt introducta, non debent in odium retorqueri; l. *Nulla iuris ratio*, ff. de leg. reg. *Quod ob gratiam*, de reg. iur. in 6. Tum quia impossibilium nulla est obligatio; l. *Impossibilium*, ff. de reg. iur. reg. *Nemo potest*, de reg. iur. in 6. & ità Anno Domini 1627. Panormi ex consilio Nostri P. Trimarchi seruatum fuit in Conuentu nostro S. Oliuę: Fratres enim in pignus tradiderunt lampades argenteas.

Megala

CAP. XII.

De forma appellationis.

EGO Frater N. coram R. P. V. *appellandi animo, ac voluntate propono, & dico, quòd decem abhinc diebus, nondum elapsis in blasphemiæ causa quæ in iudicio coram vobis vertebatur, sententiam (si sententia iure vocari potest) contra me tulistis definitiuam, meque propterea per eamdem vestram prætensam sententiam ad tres menses pœna carceris condemnandum censuistis. Quo circa, vt mihi per iura concesso ad tuendam innocentiã appellationis subsidio fruar, ab eadem prætensa sententia, ipsius nullitate semper salua, meque prægrauante, tanquam iniqua, & iniusta, ad Eminentissimum Cardinalem N N. nostri Ordinis Protectorem appello, eo quòd nimirum a R. P. V. ad me condemnandum admissi testes grauiter, aperteque infensi mihi sunt, atque inimici, nec contestes itidem, nec omni exceptione maiores. Apostolos etiam vt 1. 2. & 3. cum debita instantia mihi concedantur exposco; protestorque præcipuè, appellationem huiusmodi per me in eadem exerceri, vt eam tamen corrigere, emendare, ac innouare, eamque verbo intimare, & vt expedire mihi visum fuerit, prosequi posse omnino velim, atque contendam. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd Religiosi possunt beneficio appellationis vti, quando iniustè grauantur à suis Superioribus, vt dicunt Aretin. in sua practica, cap. 10. Mansus de mod. corrig. regul. cap. 7. num. 12. Thom. à Iesu de visit. regul. tract. 3. cap. 17. num. 5. Ghisiler. de ind. reg. cap. 15. num. 19. & latè probaui cum multis alijs tom. 1. Relig. cap. 20. quæst. 1. conclus. 2. & sic habet praxis Romanæ Curiæ. Debet tamen ista appellatio fieri gradatim, idest, à Correctore ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, &c. vt dixi loc. cit. Relig. vers. *Aduertendum tamen*, & tom. 3 priuileg. cap. 4. num. 25. vbi pono decretum sacræ Congreg. Si autem appellatio fiat immediatè ad sanctam Sedem, valebit, vt probo loc. proximè cit. num. 14. Verum est, quòd non debet ista appellatio fieri, nisi à definitiua sententia, vt statuit Trid. sess. 13. cap. 1. de refor. pro quo puncto vide plura in loc. cit. relig.

Aretinus. Mansus. Th. à Iesu Ghisiler.

2. Noto

3. Noto 3. quòd appellatio potest etiam fieri vna voce, vt si, lecta sententia, reus statim dicat, Ego à tali sententia tanquam iniqua, & iniusta ad talem Superiorem appello; leg. 1. ff. de appell. Si autem statim non appellet, habet tempus decem dierum ad appellandum; cap. *Anteriorum*, 2. q. 6. & tunc debet appellationem in scriptis proponere modo dicto. Et aduerta quòd omnes clausulæ positæ in dicta forma debent seruandæ sunt, si appellatio fiat in scriptis; debet enim continere nomina appellantis, aduersarij, iudicis à quo, & ad quem; leg. 1. §. fin. de appel. debet etiam continere grauamen, à quo appellatur; cap. *Cum fit Romana* de appell. & causam, propter quam ipsum grauamen impugnatur; cap. *Vt debitus*. de appell. quòd vltimum in appellationibus, etiam à definitiua, inter Regulares semper esse obseruandum, ita vt iudex non teneatur appellationi deferre, nisi causa exprimatur, vt possit discernere, an dictæ appellationi sit deferendum, pluribus docent Sanch. 6. in decal. cap. 8. nu. 105. Thomas à Iesu de visit. reg. tract. 3. cap. 17, nu. 8. licet Aldrete cum alijs de discipl. tuend, lib. 1. cap. 18. nu. 6. dicat, quòd in appellatione à definitiua non sit necesse exprimere dictam causam. Et quòd iudicare, an causa expressa in appellatione sit legitima, nec ne, pertineat ad iudicem à quo, docet Farin. 1. p. praxis crimin. lib. 1. q. 38. de tortura, nu. 29. Et quòd iudicare quænam appellatio sit friuola, relinquatur arbitrio iudicis à quo docent, Menoch. de arbitr. cas. 197. nu. 7. Barbos. in cap. *Cum appellationibus* nu. 2. de appell. in 6. si tamen aliqua ex prædictis clausulis apud Regulares omitteretur, non viciaretur appellatio; argum. cap. *Qualiter, & Quando*, el. 2. §. fin. de accus. eo quia Regulares fori iudicialis non sunt valde periti, cum eellæ potiùs quàm foro incumbant. Ita Ghisler. de iudic. regul. cap. 15. nu. 6.

Sanchez. Th. à Iesu. Aldrete. Farinac. Barbosa.

CAP. XIII.

De forma apostolorum, qui debent dari appellanti à iudice à quo.

S*Anctissimo in Christo Patri, et Domino, Domino Vrbano sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Sũmo Pontifici. Frater Ingenuus Ordinis Minimorum Generalis indignus eius deuotus filius, ac obediens, post pedum deosculationem. Nouerit sanctitas vestra, quòd, cum in causa, quæ inter fratrem Rigidum ex vna parte, & Fratrem Mansuetum ex alia super percussione, de qua dictus Frater Rigidus accusabatur, coram me iu iudicio vertebatur, sententiam pro prædicto Mansueto contra prædictum Rigidũ tulissem definitiuam, ab huiusmodi sententia idem Frater Rigidus ad Sanctitatem vestram, Sedemque apostolicã appellauit. Idcirco ipsum Rigidum appellantem à meo iudicio dimitto, & ad Sanctitatem vestram, his littris in testimonium præmissorũ sigillo nostro munitis, examinandum dirigo, atque mando. In quorum fidem, &c. Datum, &c.*

CAP. XIV.

De eadem forma breuiori.

F*Rater, &c. Tibi Fratri Rigido eiusdem Ordinis professo salutem. Quoniam à definitiua sententia, qua te pœna carceris ad tres menses condemnaui, à me tu appellasti, ea propter à mei iudicij obseruatione bis apostolis te expedio, & ad eius, ad quem appellasti, examen dirigo, ac remitto. In quorũ fidem, etc.*

1. Noto 1. quod apostoli sunt literæ quædam breues instruentes iudicem appellatum, & omnes circumstantias appellationis comprehendentes. Et debent continere, *Quis appellet, A quo, Contra quem, Super quo, Ex qua causa, & an iudex, à quo appellatur; appellationi detulerit*. Ita Panor. in pract. cap. 14. Ghisil. de ind. regul. cap. 15. à num. 38. Quinque verò sunt appostolorum species, vt Ghisil. nu. 41. Quidam sunt dimissorij, quando iudex appellationi detulit. Quidam sunt refutatorij, quando non detulit. Quidam reuerentiales, quando detulit ob solam reuerentiam iudicis appellati, non quià appellatio id ferret. Quidam sunt conuentionales, quando pars appellationem admittit, siue in iudicio, siue extra, iudice ipso, aut recusante, aut tacente. Quidã denique sunt testimoniales, quando scilicet ab honesta persona conceduntur, eò quia appellans timuit apostolos petere, seu etiam appellare à iudice, dubitans de violentia, sed appellauit, & protestatus est coram aliqua honesta persona, à qua deinde el tribuantur apostoli vt docent Sylu. verb. *Appellatio*, nu. 13. in finem, Ghisil. loc. cit. nu. 45. Pro apostolis dimissorijs valent duæ formæ positæ. Pro alijs pono cap. sequentia.

Panorm. Ghisiler.

CAP. XV.

De forma apostolorũ refutatoriorũ.

F*Rater Ingenuus Generalis, etc. Tibi Fratri Rigido, &c. Quoniam, quam tu à nostra definitiua sententia aggressus fuisti, appellatio, friuola nobis, temereque suscepta visa fuit, eidem propterea nequaquam detulimus hoc tibi dumtaxat responsum pro apostolis refutatorijs concedentes. In quorum fidem, &c.*

1. Nota, quòd potest hæc forma aliter fieri, nimirum sicut. 1. posita cap. 13. vsque ad illam clausulam exclusiue, *Idcirco ipsum*, &c. cuius loco ponitur sequens. *Cum verò huiusmodi ap-*

pellatio frinola sit, ac frustratoria, temerè quippè & nulla ratione interposita, atque adeo illi meritò non sit deferendum, nec ego propterea detuli, hosque tantummodo apostolos refutatorios eidem sum impertitus. In quorum fidem, &c.

CAP. XVI.

De froma apostolorum reuerentialium.



Rater, &c. Tibi, &c. Quamuis appellatio tua friuola nobis, temerèque suscepta visa fuerit, ob nostram tamen in appostolicam Sedem, ad quam appellasti, reuerentiam, ac venerationem, illi duximus deferendum, vt re ipsa detulimus hos tibi proinde reuerentiales apostolos concedentes. in quorum fidem, &c.

CAP. XVII.

De forma apostolorum conuentionalium.

F *Rater &c. tibi etc. Cũ in causa quæ corã nobis inter Fratrẽ Rigidũ ex vna parte, & Fratrem Mansuetũ ex alia vertebatur, definitiuam sententiam pro prędicto Mansueto contra præfactum Fratrem Rigidum tulissemus, pœna carceris ad tres menses eum condemnantes, ad apostolicam Sedem idem frater Rigidus appellauit, nobisque præfata appellationi vtpotè friuolæ, temereque susceptæ non deferentibus, prædictus Frater Mansuetus eam censuit admittendam, vt de facto admisit. Cumque à nobis debita cum instantia apostolos petijsset hos conuentionales eidem fuimus impertiti. In quorum fidem etc.*

CAP. XVIII.

De forma apostolorum testimonialium.

F *Rater Iustus de Cortesijs Ordinis N. Theologus, ac Concionator, &c. Vi præsentium omnibus, & singulis has nostras literas inspecturis pariterque lecturis fidem facimus, & attestamur die 19. Ianuarij præsentis anni 1634. Fratrem Macrobium de Afflictis eiusdem Ordinis Sacerdotem coram nobis alijsque testibus infrascriptis, tempore, locoque congruo intra tempus à iure statutũ, non semel tantùm, sed iterum, ac tertiò ab admodum R. P. F. Austero de Rigidis N. huius Prouinciæ Prouinciali humiliter, instanterque petijsse, vt apostoli sibi ad appellationem suam prosequendam concederentur, qui tamen à prædicto Patre Prouinciali eidẽ Fratri Macrobio fuere denegati. Et in horum omniũ fidem has ei testimoniales literas cum testibus infrascriptis impertimi. In quorũ, &c.* Si autem non denegauerit expressè, sed malitiosè distulerit, vt tempus à iure præfixum transiret, dicat. *Qui tamen à prædicto Patre Prouinciali differente quotidie, ac procrastinante eidem Fratri Macrobio concessi non fuerẽ, differẽdo de die in diem: quę quidem dilatio cum callida, & malitiosa mihi visa fuerit, ne iustitia iniquè impediatur, has eidẽ appellanti testimoniales literas cum testibus infrascriptis impertimi. In quorum fidem, &c.*

5. Noto, quòd si dictus appellans, propter iustum timorem, ne impediretur à Prouinciali suam appellationem prosequi, non est ausus ab eo petere apostolos, tunc facienda est forma sequens.

CAP. XIX.

De forma concedendi apostolos testimoniales, quando appellans non fuit ausus illos petere à iudice appellato.

F *Rater, &c. vt in forma præced. Vi præsentium omnibus, ac singulis fidem facimus. & attestamur, quòd eum die, anno, &c Frater Macrobius de Afflictis Ordinis nostri Sacerdos ad Sanctam Sedem à quadam sententia contra ipsum ab admodùm Reuerendo Patre Fratre Austero de Rigidis, huius nostræ Prouintiæ Prouinciali lata appellauisset, idem Pater Prouincialis tali se appellatione prægrauatum ostendit. Quare minitando, prædicto Fratri Macrobio dixit, vt suã exequeretur sententiam. quòdque, si eum ampliùs de huiusmodi appellatione loquentem audiret, carceribus præciperet mancipandũ. Ea propter à prædicto Patre Prouinciali apostolos petere nequaquam ausus est idem Macrobius, sed instanter, non semel tantùm, ac bis, ter immo, quaterque, intra tempus præfixum nobis coram testibus infrascriptis, vt sibi ijdem concederentur. supplicauit. Cum verò, quas idem Prouincialis minitatur pœnas, exequi soleat, ac iusta petentibus non*

sit

sit denegādus assensus, & vniuscuiusque sint partes efficere, ne iustitia impediatur. omnibusque tandē proximi cura sit à legis auctore demandata prædicto Fratri Macrobio hos testimoniales apostol.s libenti animo concessimus. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1, circa apostolos in communi, quòd debent peti intra 30. dies, alioquin censetur appellationi renunciatū, cap. *Ab eo*, de appell. in 6. l. *Nonnulli*, Cod. de appell. Potest verò iudex terminum assignare appellanti ad petendos apostolos, intra quem, nisi petat, appellationi renunciasse censeatur; Clem. *Quamuis* §. *Verum*, de appell. Potest item iudex assignare terminum appellanti ad prosequendam suam appellationem, & ad se præsentandum coram iudice appellato; Panor. in pract. cap. 514. nu. 9. Et iuncio dicti apostolis immediatè ante illam clausulam cap. 14. *In quorum fidem*, dicat, *Duorum tamen mensium terminum sibi præfigendo, ad se coram iudice, ad quem appellasti, præsentandū.*


2. Noto 2. quòd dicti apostoli debent ab appellante instanter peti, idest, non solùm semel, sed bis, & ter, Clem. *Quamuis*, §. fin. de appell. cap. *Ab eo* de appell. in 6. An autem sufficiat instanter petere vnica vice pluriès vno tempore, an verò necessum sit petere pér plures vices diuersis temporibus, difficultas est inter Doctores, Glossa in dicto cap. *Ab eo*, verbo *Instanter*, putat necesse esse petere per plures vices, & diuersis temporibus. Ego puto, quòd possunt vno, & eodem tempore pluriès instanter peti V:G. adeo Superiorem, & rogo, vt digneiur mihi concedere apostolos, ipse negat; ego iterum insto, vt velit concedere, ipso iterum negat; tunc ego tertiò insto, si ipse neget, non teneor ampliùs petere. Atque ita videtur colligi ex dicta Clem. *Quamuis*, § fin. ibi *loco, & tempore sæpius, & instanter vno contextu etiam requisitus*. Si autem superior non neget, sed differat, si adest tempus apostolos petendi, teneor iterum, atque iterum petere, quousque videam ipsum malitiosè differre.

3. Noto 3. quòd iudex à quo, tenetur intra terminum 30. dierum apostolos cum debita instantia sæpius petitos loco, & tempore congruo concedere; alioquin potest appellans suam appellationem prosequi ꝑ dicta Clem. *Quamuis*, §. *Quòd si iudex*. Et ruit quicquid fuerit à iudice appellato contra dictum appellantem impostenum attentatum; cap. *Ab eo* de appell. in 6. Et aduerte, quòd idem est apostolos denegare, ac fraudulenter, & negligenter dissimulare; vnde si non neget, nec cōcedat, sed malitiosè differat, poterit nihilominus appellans absque dictis apostolis appellationem suam prosequi, ac si fuissent expresse denegati. Ita expresse dicta Clem. *Quamuis*, §. fin.

4. Noto 4. circa apostolos testimoniales, quòd quando Prælatus nō vult dare apostolos, debet appellans illos petere coram persona fide digna, quæ persona tenetur dicto appellanti præfatos apostolos concedere, iuxta ea, quæ dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 30. concl. 1. vers. *Si autem Superior*; & docet Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. nu. 7. Si autem dictus appellans timeat, Prælatum non solùm non concessurum dictos apostolos, sed etiam impediturum suæ appellationis prosecutionem, & negotiationibus effecturum, vt prælatus, ad quem est appellatum, falsis informationibus præueniatur in præiudicium sua causæ, tunc poterit coram persona, vel personis fide dignis dictos apostolos petere, iuxta doctrinam Syluest. & Ghisil. quos hîc lupta citaui cap. 14. nu. 1. ad quam inclinat Suarez loc. cit. in fine, & habetur expresse in cap. fin. de appell. Aduerte autem, quòd hæc persona honesta, à qua, & coram qua petuntur apostoli, non debet esse excommunicata, vel aliàs inhabilis: & apostoli debent ab ea peti coram testibus, & corā illis debet causa metus explicari: & dicti apostoli debent ab ea peti intra terminum 30. dierum, quando appellaos non audet petere à iudice. Si autem petat, & iudex differat, & appellantem verbis pascat, vsque dum transeat tempus à iure præfixum, tunc debent peti à dicta persona statim dicto tempore transacto. Hæc omnia colliguntur ex cap. fin. de appell. & dicunt expresse Ricciu. 4. p. collect. 1355. Barbos. ad dicr. cap. fin. à nu. 10. vbi etiam à nu. 1. docet, quis sit iustus metus. Et quæ dixi de petitione apostolorum, intellige etiam de appellatione, de qua loquitur dictum cap. fin. Ita vt si nō audeat quis appellare à Prouinciali, propter timorem carceris V. G. appellare possit corā persona honesta, & testibus.

CAP. XX.

De forma recipiendi apostatas ad Religionem reuertentes.



1. NOTO 1. quòd circa modum recipiendi apostatas ad Religionem reuertētes, nihil ferè reperitur in iure cautum; eos tamen esse benignè recipiendos tanquam filios prodigos in paternam domum redeuntes, docent Nao. lib. 3. consil. de regular. consil. 75. nu. 8. Mirand. tom. 1. manual. q. 51. art. 5. glossa in cap. *A nobis*, de apost. verbo *Resipiscant*. Quod etiam monuit Sacra Congreg. Concilij, vt refero tom. 2. nostr. priuileg. in constit. 10. Vrb. VIII. §. 3.

2. Noto 2. quòd in constit. 2. Pauli IV. eodē tom. 2. nost. priuil. habetur modus dictos apostatas recipiendi, quem nullo alio loco inuenies; vnde Passar. in Formulario nostri Ordinis ex dicta constit. formauit sequentem modum, quem deinde ex eo desumpsit Confectius in summa priuil. Mendic. tit. 13. cap. 21.

3. Primò igitur cogendi sunt renunciare omnibus, & singulis apostolicis literis contra eorum professionem impetratis; præstito etiā per eosdem iuramento in manibus Superiorum, aut eorum, quibus hī commiserint, quòd talia, aut similia impetrare nunquam imposterum attentabunt. Quòd si nullas literas obtinuerint tenentur iurare, se in posterum non ampliùs apostataturos.

4. Secundo. Taliter recepti actiua, & passiua vocibus, iureq; primogenituræ, néc nō publica ad populum prædicatione, & confessionis secularium

cularium auditionē priuati sunt, ac per nullos Superiores, nec etiam per generale, seu prouinciale Capitulum rehabilitari possunt, donec ad minus per quadriennium bene, & laudabiliter vixerint; quo expleto, poterit Generalis, vel Prouincialis, Capitulorum duarū ex tribus partium vocalium accedente consensu, rehabilitare, dummodò tempus, quo remanserunt extra Religionem, intra suæ professionis annos non computetur.

5. Tertio. Absoluendi sunt ab excommunicatione; nam omnis apostata est excommunicatus, siue habitum dimittat, siue non, vt probo tom. 1. Relig. q. 1. cap. 26. concl. 1. licèt multi Doctores, quos ibi cito, ver. *Circa hanc*; dicant, apostatam non esse excommunicatum, nisi habitum dimittat: Sed nostra opinio est securior, & in praxi sequenda.

6. Quarto. Si in dicta apostasia ordines etiā minores receperunt, cum sint excommunicati, sunt irregulares; cap. *Cum illorū*, de sent. excom. §. *Si autem*, cap *Consultationi*, de apostatis. Item sunt suspensi; nam ordines recipiens absque licentia sui Prælati remanet suspensus. Trid. sess. 14. de reform. cap. 2. fine. Qua suspensione stante, si celebrat, vel alios ordines exercet, est irregularis cap. 1. §. *Scituros*, de sent. & re iudic. in 6. quare in primis sunt dispensandi super irregularitate; deinde absoluendi à suspensione. Vide loco cit. Relig. vbi probaui Prælatos regulares habere potestatem dictos apostatas absoluendi, & dispensandi.

Sigismun.
Sanchez.
Auila.
Vechius.
Reginald.
Rodriq.
Confessius.
Portel.
Cruz.
Alph. Leo.
Henriq.
Layman.

7. Aduerte autem circa irregularitatē, quòd plurimi Doctores censent, posse Prælatos Regulares cum suis subditis in vtroque foro in ea dispensare. Inter quos Sigism. de elect. dub. 71. nu. 13. Sanchez. 2. in decal. cap. 11. nu. 21. Auila de censur. p. 7. disp. 10. dub. 7. Vechius de nouit. disp. 9. dub. 16. nu. 8. Reginal. in praxi lib. 30. tract. 2. nu. 29. vers. *Sextum est*. Rodriquez to. 1. qq. regul. q. 64. ar. 13. & 14. Confessus in summa priuil. tit. 17. cap. 7. Portel in addit. ad dub. regul. verbo *Dispensare*, §. 4. Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 16. concl. 8. Alphons. Leo de confess. p. 2. recoll. 11. nu. 116. Henriquez lib. 14. cap. 7. §. 5. Layman de irregul. tract. 5. p. 5. c. 9. nu. 7. & constat ex constit. 2. Iulij II. §. 29. tom. 1. nostr. priuil. quæ cum simpliciter dicat, posse dictos Prælatos super omnibus irregularitatibus dispensare, in vtroque foro id intelligendum est; nam beneficia Principis sunt amplianda; leg. *Beneficium*. ff. de const. Princ. & verba simpliciter posita generaliter sunt intelligenda, cap. *Quia circa*, de priuil. glossa in cap. *Præterea*, verb. *Simpliciter*, de offic. deleg. Sed quoad forum exterius audio aliter habere stylum Romanæ Curiæ.

8. Debent eis imponi, & intimari nō solùm pœnæ dictæ nu. 4. sed etiam aliæ secundùm uniuscuiusque Ordinis statuta. Mitè tamen cum ijs semper agendum, & indulgendum aliquid, ne laxiori vitæ assueti, seueritatem formidantes, iterum Religionis desertores fiant.

9. Aduerte, quòd in Ordine nostro, transacto quadriennio dicto nu. 4. ac rehabilitati per aliquod dictorum capitulorum, non possunt præfici vsque ad decennium; cap. Valent. 4. n. 52. & tēpus, quo in apostasia fuerunt, etiāsi rehabilitentur ad gradus, & honores nunquā in illorum professione computatur; cap. Paris. nu. 17. Paulæ num. 39. Apostatæ verò, qui auctoritate apostolica ab Ordine exierunt, fictis nimirum causis impetrādo aliquod apostolicum diploma, non possunt ampliùs recipi, nisi per Patrem Generalem, aut de illius speciali mandato; cap. Bononiæ 2. nu. 9. Paulæ n. 32. Romæ 3. nu. 24. Reliqui, qui absque literis apostolicis apostatarunt, recipi poterunt à Prouinciali cum suis Collegis; Romæ 3. cit. Circa verò eos, qui ordines in apostasia suscepere, videndum, & obseruandum omnino est statutum Barchin. 1. n. 10.

10. Aduerte etiam, quòd apostatæ sunt singulis annis à Superioribus localibus perquirendi, & curandum, vt ad Religionem reuertantur; quòd si nolint de plano, & amicabiliter redire, tenentur dicti Superiores sub pœna priuationis sui officij ipso facto, ac vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad omnia officia in posterum obtinenda eos cogere. Ita statuitur in const. 10. Vrbani VIII. §. 3. 7. & 9. & dicto §. 3. in specie statuitur, quòd *Si apostatæ huiusmodi intra montes infra quatuor, vltra montes verò infra octo menses à præfati decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium, ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur.*

11. Quæres autem circa hanc remissionem duo I. An dictis apostatis intra dictum terminum redeuntibus remitti debeant pœnæ incursæ tantùm propter apostasiam; an verò etiam aliæ incursæ propter delicta, quæ apostasiæ causam dedere? 2. An dicta impunitate frui possit, qui tempore illo quatuor, vel octo mensium detinebatur in carcere, seu graui infirmitate, aut etiam in seruitute ab infidelibus.

12. Ad 1. Putant aliqui ijs vtrasque pœnas remittendas. Nam, inquiunt, priuilegium Principis est largè interpretandum, vt dicebam nu. 7. Deinde nulla est apposita particula restrictiua: Si enim Papa noluisset illis remitti, nisi solas pœnas apostasiæ, apposuisset aliquam particulam taxatiuam, vt particulam, *Tantùm*, *Duntaxat*, &c. Cum ergo non apposuerit, signum est, quòd voluerit vtrasque pœnas remitti 3. Quia Pontifex in hac remissione concedenda videtur intendisse salutem animarum ipsorum apostatarum; vt ergo hic finis obtineatur dicendū est intendisse, vtrasque pœnas remitti; nam alioqui certum est, quòd qui propter timorem pœnæ triremium apostatauit, non est rediturus ob solam remissionem pœnarum apostasiæ. 4. Quia qui vult consequens, vult, & antecedens, cap. *Præterea*, cap. *Prudentiam*, §. *Cæterum*, de offic. deleg. cap. *Ex parte*, de sponsal. Panor. in cap. *Venerabilis*, de iudic. Si ergo Papa vult liberare dictos apostatas à pœnis apostasiæ, ergo etiam vult liberare ab illis, quæ dictæ apostasiæ causam dederunt 5. Quia minus malum est remittere apostatæ pœnas omnes, quàm linquere illum in statu perditionis; at minus malum ad euitandum maius quandoque sustinetur, cap. *Duo*, d. 13. ergo, &c. 6. Quia videtur Papa in hoc decreto voluisse tanquam pius, & sanctus Pa-

Panormit.

stor

stor omnes dispersas oues ad ouile reducere, & per hoc generalem indulgentiam, & remissionem concessit, vt solent etiam Principes seculares, qui tempore belli omnes exules, etiã capitali pœna damnatos, remittunt. Nec est mirum, quod Papa voluerit tam largam remissionem apostatis facere; nam sancta pia Mater Ecclesia, quæ filiorum suorum salutem æternam anhelat, etiam hæreticos, & inde apostatas, cum sponte redeunt, amplectitur hilariter, suoque gremio aggregat absque vllis pœnis exterioribus, vt docet Simanca de catholic. instit. tit. de pœnit. & conuers. num. 28. iudicans prudenter aliquando maximam iustitiam esse, iustitiam non exercere, vt Medici etiam in curatione humani corporis, optimum medicamentum esse aiunt aliquando, nullum medicamentum adhibere. Alijs hæc sententia non placet, propter textum, qui solùm videtur intendere remissionem pœnarum propter apostasiam contractarum. Prima sententia mentem magis, quàm literam, respicit. Secunda à litera non discedit. Cum ergo non in cortice, sed in medulla lex consistat, cap. *Marchion*, 1. quæst. 1. Ego primæ sententiæ adhærendum puto. Ita tamen, vt pœnitentijs aliquibus salutaribus non careant dicti apostatæ sponte redeuntes.

Simanca.

13 Ad 2. puto, dictos sic impeditos posse frui præfata remissione, etiamsi à præfatis impedimentis non liberarentur, nisi post decem, vel amplius, annos; nam impedito non currit tempus, cap. *Quia diuersitatem*, de concess. præbend. cap. fin. de elect. Capell. Tholos. decis. 90. Riccius 1. p. praxis, decis. 657. nu. 5. Onus autẽ probandi dictum impedimentum ipsi redeunti apostatæ incumbet.

Riccius.

LITERA B.

CAP. I.


De forma, qua declaratur, aliquem esse Ordinis Benefactorem.



RATER N. Ordinis N. in Prouincia N. Prouincialis. Illustri Domino, Domino N. salutem, ac perennem benedictionem. Cum ad summa, & præclara, quæ in Ordinem nostrum, atque in hoc præcipuè N. Collegium verbis, ac operibus contulisti, beneficia nostra cogitationis aciem conuertimus, nullam tibi pro ijs, vel minimam referre posse gratiam ingenuè confitemur. Si quid tamen voces possunt, quas paupertas non eripit, si quid spiritus, qui solus homini in summa inopia pro possessione relictus est, facere non possumus, quin aliquod saltem grati animi signum præferamus. Harum ergo literarum serie, ac vive Religionis nostræ Benefactorem nominamus, suscipimus, cooptamus, & libentissimè declaramus. Omniaque præterea cum spiritualia, tum etiam (si qua possumus) temporalia bona, quibus cæteri Benefactores potiuntur, & gaudent, tibi pariter communicamus, cõcedimus, & elargimur. Omnes, ac singulos nostri Ordinis Superiores & subditos quam studiosè possumus rogantes, vt te tanquam nostrum eximiũ, singularemque Benefactorẽ agnoscant, & excipiant atque omni humanitatis genere, quantũ religiosa fert charitas, benignè complectantur. In quorũ fidem &c.

CAP. II.

De eadem forma facta à Generali.




RATER N. Ordinis N. Generalis indignus. Admodum Reuerendis PP. Prouincialibus, Correctoribus, ac Vicarijs, cæterisque nostri Ordinis Superioribus, & subditis salutem, paternamque benedictionem.

Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino, Domino, Episcopo N. ad quædam suæ diœcesis negotia Romam properanti, eiusdem pietatis, deuotionisque erga Ordinem nostrum, quantum possumus, consouendæ causa, has nostras literas elargiti sumus; quibus quidem vobis praeceptum esse volumus vt in per ciuitates, aut oppida, quæ incolitis, transeunti reuerentiæ cultum illicò tanquam singulari nostro Benefactori atque humanissimos vos hospites strenuè, ac efficaciter exhibeatis. Quòd si illum apud vos fortè diuersari, adesque vestras sua præsentia luce condecorare non piguerit, cum meritorum, generisque singularis excellentia parim quoque exigat obsequij, atque obseruantiæ vicissitudinem præcipimus vobis, & mandamus, vt per elegantes cœnobij cellas, lautioremque supellectilem hilari, ac benigna fronte eidem offeratis, atque concedatis. In quorum, &c.

CAP. III.

De forma, quæ fieri potest benefactori, seu aliàs amico peregrinanti, vt Fratres ei eleemosynas largiantur.



RATER, &c. (vt capite antecedenti) Religionis nostræ vir studiosissimus, atque olim eximius Benefactor, Dominus Dominus N. per ea, in quibus degitis, oppida, ac ciuitates, proprios reuisurus

furtur lares, pertransibit. Quare cum benemeritis vltro fit, & cum fœnore praestanda beneuolentia, hominem vobis in summam egestatem aduersa fortuna redactum maxime commendandum & nostrae auctoritatis fulcro iuuandum esse censuimus. His igitur literis vobis praecipimus, vt eum ad domos nostras, & cœnobia diuertentem omni liberalitatis genere, & charitatis studio tractetis; nec non pro Conuentuum facultate, eleemosynis vobis a Christi fidelibus impertitis eidem succurratis. Et Dominus vos benedicat. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. circa has tres formas, quòd praefatae literae non sunt concedendae, nisi veris Benefactoribus, & amicis Religionis. Nam, cum Religiones mendicantium ex eleemosynis viuant cum sudore quaesitis hoc tempore, impium esset propter carnem, & sanguinem tollere panem filiorum,& dare extraneis,& de patrimonio Christi non videtur alendus nisi seruus, & amicus Christi: Et impium est de pane pauperum pascere viros facinorosos, ac à patria extorres, ac profugos mundum cursitantes.

2. Noto 2. quòd forma, qua declaratur aliquis Benefactor, est valde differens à forma participationum; Nam in participationibus applicatur Benefactoribus valor satisfactorius bonorum operum Religiosorum; hic autem solùm impetratorius. Et vt plurimùm istae literae Benefactorum fiunt, ad hoc, vt illis peregrinantibus aliquod temporale suffragium à Fratribus, & Ordinis deuotis tribuatur: participationes verò solùm bona spiritualia concedunt, licèt deinde dictis participantibus teneamur etiam, si casus occurrat temporalia, iuxta nostram paupertatem, elargiri, & potiori iure. Tum ratione fraternitatis,& filiationis, quibus communicamus. Tum ratione maiorum beneficiorum acceptorum, vt supponitur.

3. Noto 3. quòd dicti Superiores, & Fratres, ad quos diuertunt Benefactores cū dictis literis, tenentur eis praestare illa omnia, quae in literis continentur. Quia benefacientibus benefacere, naturale est. Et singulae Religiones, praesertim Mendicantium, & specialissimè nostra, vnum corpus per se constituunt, cuius membra sunt Conuentus, & Prouinciae. Vnde sicut in corpore naturali beneficium, quod vni membrorum fit, ab omnibus membris, & consequenter à toto corpore participatur, ita beneficium, quod vni fit Conuentui, omnibus Conuentibus, & consequenter toti Religioni censetur esse factum. Quare quando casus occurrit, singuli Conuentus tenētur Benefactori vnius tantùm Conuentus vicem rependere, alioquin peccant contra gratitudinem. Et quando literae sunt Generalis, qui est totius Religionis caput,& moderator, tenentur Fratres obseruare tenorem dictarum literarum, non solùm ratione gratitudinis, sed etiam ratione reuerentiae, & obedientiae. Quando verò literae sunt alicuius Praelati Inferioris V. G. Prouincialis, aut etiam Correctoris, tunc debent obseruari, tum ratione gratitudinis, tum ratione ligaminis fraternitatis, quod intercedit inter singulos Fratres vnius Religionis, tum ratione boni exempli; nam alioqui Benefactores scandalizantur, videntes, quòd tam mala correspondentia sit inter Fratres vnius Religionis, & quòd tam malè tractentur Benefactores. Tum denique ratione boni regiminis; nam videntes seculares quòd Benefactores Religionum vbique terrarum cognoscuntur, animantur ab illis ad benefaciendum, dicentes; Quis scit, an aliquando sim mundum lustraturus, & Religiosorum sim necessitatem habiturus?

LITERA C.

CAP. I.

De forma principiandi Capitulum generale.



IN *Nomine Domini, Amen. Incipit Capitulum generale Ordinis N. celebratum in Conuentu N. Ciuitatis N. in loco Capituli anno Domini 1634. die 1. Februarij.*

Summa plane, ac singulari Numinis prouidentia, qua cuncta moderatur, & regit, factum esse nemo non videt, vt sacrorum Ordinū Antesignani, ac Patriarchae statis quibusdam temporibus religiosorum cœtuum conuentuumque celebrationem mandarent? Vt enim caelesti lumine collustratos Religionum sanctuaria instituisse credimus, ita plane Numinis eiusdem fulgore generalia Comitia in suis quemque Religionibus nō ambiguimus imperasse. Praeclarum sanè inuentum, ac sapientissimè excogitatum. Quid enim prodest iecisse semina, nisi rigatio, qua & ipsa valeant germinare subsequatur? Quid sacras iuuat in Dei Ecclesia Religiones plantare, nisi opportuna Capitulorum celebratione fœcundo velut imbre, fiant, sicut oliua fructifera in Domo Domini? Quid in monte Dei coagulato, & pingui religiosas vites conserere ui prouida sollicitudine, & generalis praesertim Capituli sanctionibus, aqua veluti sapientiae, reficiendas, insignique fructuum copia exornandas curent selecti cultores? Quid hortos tandem Domini parare delitiosissimos, si sine perito, atque industrio abyciantur cultore? Haec omnia spectasse censendum est claros illos Dominica vinea propagatores, & fidei catholicae primarios duces, ac disseminatores, quibus

quibus in vnum collectis viros placuit eligere, & destinare? Hac Tridentinam Synodū grauiter in ea verba pracipientem. Prouincialia Concilia pro moderādis moribus, corrigendis excessibus, controuersijs componendis celebrentur: *Nec non si addere liceat, pro summo Religionis Antistite, ac Pastore eligendo, ex quo, tanquam ex capite in subdita membra religiosa disciplina fluat pretiosū vnguentū. Quamobrē cū nostra paruula Cōgregationis sanctissimus Parens generales conuentus ad ea, quæ nuper recensuimus, agenda, gerenda, atque exequenda suis regularibus statutis indixerit: tempore itidem per proximè prateritum generale capitulum, seu per apostolicam sedem, vel per Ordinis constitutiones prafixo aduentante Patres. quibus id oneris incumbebat, in prætactum Conuentum N. concesserunt, vbi nimirum statuta die in vnum collecti, & Spiritus Sancti missa solemni primùm decantata, sacraque communione refecti, in capituli locum conuenere, ibique continuatis precibus, & Commissorum, Vicariorumque prouincialium testimonialibus literis adapertis, ijsque omnibus tanquam legitimis receptis, & admissis, lectis etiam omnibus de iure legendis decretis, factisque protestationibus, necnon à censuris, & pœnis ad effectum futurarum electionum data absolutione, ac de meliori eligendo sumpto iuramento, deuenerunt, &c.*

CAP. II.

De forma incipiendi Capitulum prouinciale.

IN nomine Domini, Amen. Incipit Capitulum prouinciale Ordinis N. celebratum in Conuentu N. Ciuitatis N. anno Domini 1634. die, &c.

Sanctos esse, ac perutiles religiosorū cœtus in nomine Domini celebratos, ea sacri eloquij verba testantur Prouerb. 8. Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. *Enimuero cum bonorum omnium fons diuina sit sapientia, non nisi bonum profectò, ac salutare, & ad ecclesiasticam disciplinam tuendam accomodatum esse potest, quicquid consilij in religiosis comitijs, ea prasidente, suscipitur. Id proprio didicerant experimento sanctissimi religiosa vita institutores; atque eam ob rem nil antiquius sibi, atque Religioni vtilius fore meditabantur, quàm prudentem, ac opportunam religiosorum, conuentuum celebrationem, illamque prasertim, in qua de pracipuo agitur eligendo Pastore, à quo veluti fonte, subiectorum omnium tanquam riuulorum, puritas, vel impuritas conspicitur emanare. Quare cum Ordinis N. prudentissimus Parens, ac Legislator pro deligendis Pastoribus, alijsque necessarijs peragendis in quacunque sua Religionis Prouincia diem Sancti Michaelis Archangeli 29. scilicet Septembris cadentem prafixerit, Patres ad hoc deputati, Spiritus Sancti missa celebrata, sacraque communione refecti, die 28. prædicti mensis in locum capituli conuenere, vbi quidem continuatis precibus, commissorumque testimonialibus literis adapertis, ijsque omnibus tanquam legitimis exceptis, & admissis, lectis etiam de iure legendis decretis, factisque protestationibus, nec non à censuris, & pœnis ad effectum electionum impertita absolutione, ac de meliori eligendo præstito iuramento, deuenerunt, &c.*

CAP. III.

De forma, incipendi Capitulum definitorium.

IN nomine Domini, Amen. Incipit Capitulum definitoriū Ordinis Minimorum celebratum in Conuentu N. Ciuitatis N. anno Domini, &c.

Quàm efficax, ac præstans sit ad diuinæ opis consecutionem plurium in Domino Conuentus, ac societas, quamque ad publicam vtilitatem insigniter valeat, satis profectò in Euangelio significauit Diuina Veritas. Nā si dixerat. Vbi duo, vel tres meo nomine conuenerint, ad eos venio, interque eos sum. Et si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, quantò illuc libentiùs se conferet, quò non duo tantùm, vel tres, sed plurimi ijque proceres, & capita ad Dei gloriā, & subditorum emolumentum proficiscuntur? Quid est quod, vel votis petere, vel precibus à Deo consequi non possit tanta simul grauissimorum hominum frequentia? Praclarè id docuit D. Chrisostomus. Non pariter, *inquit* exoras cum solus Dominū obsecras, atque quando vna cum fratribus tuis id facis. Est in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris, clamor felici societate, ex qua orationes infirmiores se simul complexæ validiores in cælum

euehun-

euehuntur. *Quin et natura, ac ratione ipsa duci videmur, vt in granioribus rebus definiendis, aliorum consilium societatemque exquiramus; vel quòd cantior deliberatio emergat, si ad nostram multorum accesserit sententia, vel quia apud illos, quibus consulere maximè cupimus, maiorem auctoritatē, & pondus habeat consultatio, in quam plures consenserint. Quamobrem consultè quidem, ac consideratè, diuinis illustrati fulgoribus Maiores nostri sacrorum Ordinū Coryphai, pro Religionis vinea diligentiùs excolenda Patrum Conuentus, seu Capitula instituère. Nouerant quippè, nil tam salutare, tamque magnificum, & gloriosum in hanc ipsam matrem religionum posse proficisci, quàm quod ex sacra Capitulorum celebratione, tanquā ex peculiari Spiritus Sancti aura, emanaret. Cum ergo Sancti Michaelis Archangeli festo, die 29. Septembris cadente definitorium Capitulum annuatim celebrandum statuerit Minimorum Patriarcha Frācisens à Paula, N. huius Prouinciæ Patres definitores eiusdem mensis die 28. in præfato Conuentu congregati, Spiritus Sancti missa solemni decantata sacraque communione refecti in Capituli locum se contulere, vbi continuatis precibus, lectis de iure legendis, factis protestationibus, absolutionequè ad effectum gerendorum impertita, ac de meliori eligendo præstito iuramento, deuenerunt, &c.*

1. Noto 1. Circa has tres formas, quòd in Capitulis generalibus adest omnimoda potestas faciendi statuta in spiritualibus, & temporalibus, pro conseruatione Regulæ, vt concesserunt Innocentius VIII. Martinus V. Eugenius IV. & Leo X. apud Rodriquez tom. 1. quæst. reg. q. 41. art. 2. quæ tamen statuta debent esse secundùm Regulam, iuxta ea, quæ latè dico tom. 1. Relig. q. 1. cap. 8. per totum. Et facta illicò omnes obligant, & censentur confirmata ab apostolica Sede, vt concessit Iulius II. apud Rodriquez ibid. & alij summi Pontifices, quos affero tom. 1. priuil. in const. Pyrrhi, num. 10. vbi etiam habes, quomodò Capitula generalia possint facere statuta in materia, de qua disponit ius commune. Et aduerte quòd licèt omnes Capitulantes dictis Capitulis non interfuerint, quicquid tamen à maiori parte factum fuerit, ab alijs ratum haberi debet, & ab omnibus obseruari vt concesserunt Clemens III. & Celestinus V. apud Rodriquez ibid. In Ordine nostro non possunt fieri statuta, nisi de consensu totius Capituli, aut saltem duarum partium ipsius, per const. 27. Leonis X. §. 4. tom. 1. nostr. priuil.

Rodriq.

2. Noto 2. quòd omnes interessentes Capitulis generalibus, siue sint capitulares, siue nō; & hi, siuè sint Laici, siue Oblati, siue etiam Nouitij, siue Sacerdotes, aut Clerici possunt absolui à Confessoribus specialiter deputatis à Capitulo generali, non solùm durante dicto Capitulo generali, sed etiam 20. diebus immediatè post, ab omnibus casibus, & censuris etiā sedi apostolicæ reseruatis, & dispensari super omnibus, & quibuscunque Irregularitatibus ex quacunque causa prouenientibus, per concessionem Eugenij IV. Sixti IV. apud Rodriquez loc. cit. art. 4. & tom. 3. summæ cap. 9. nu. 1. vbi excipit Irregularitatem prouenientem ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, & bigamia. Quam tamen cum Sixtus IV. non excipiat, videtur simpliciter dicēdum, quòd etiam super his possint dicti Confessarij dispensare, cum priuilegium Principis sit latè interpretandum; & verba simpliciter prolata sint simpliciter intelligenda, vt sæpius dixi. Possunt item præfati Confessarij specialiter deputati, durante dicto tempore, præfatis Fratribus interessentibus dictis Capitulis generalibus concedere indulgentiam plenariam. Quibus concessionibus, & Indulgentijs fruuntur omnes Mēdicantes, vt docet Rodriquez loc. cit. Sed hæc indulgentia cum alijs similibus post cōst. 8. Pauli V. quam habes tom. 2. nostror. priuil. vacat, quicquid in contrarium probare conetur Roderic. in resol. regul. resol. 77. nu. 45. *Rodericus*

3. Noto 3. quòd illa clausula, *In nomine Domini*, non est de necessitate, æquum tamen est, eam semper apponere, quia conuenit, omnes actus nostros in nomine Domini inchoari cap. *In nomine Domini* d. 23. cap. *Non licet*, 26. q. 5. *sine ipso* enim *factum est nihil*, Ioannis 1. & *Omne bonum desursum est, descendens à Patre luminum*, Iacob. 1. Ita Abbas in cap. 1. de fide instrum. nu. 3. Mandagot. de elect. cap. 1. & cap. 19. forma 1. Specul. lib. 2. de instrum. edit. §. 2. num. 2. *Abbas* *Mandag.* *Speculator*

4. Noto 4. quòd illa clausula *Anno Domini*, &c. est omnino necessaria ad hoc, vt dictis Capitulis plena adhibeatur fides. Nam registratio illa actorum capituli facta à scriba tanquam Notario, & persona publica, est veluti instrumentum, quod secundùm inueteratam consuetudinem de iure approbatam nō valet, nisi illi sit additus annus, & mensis. Ita Specul. loc. cit. num. 4. Abbas cit. num. 3. & habetur in cap. *Abbate* citan.

5. Noto 5. quòd illa clausula *In Conuentu*, &c. *Ciuitatis*, &c. est etiam necessaria. Sicut enim necessarium est tempus, ita & locus. Ita Abbas loc. cit. vbi eius Addit. Boerius ad Mandagot. cap. 59. form. 1. lit. G. & habetur in cap. *Abbate*, de sent. & re iudic. in 6. §. *Quare*; & ibi Barbosa num. 12. Et aduerte, quòd non solùm locus ponendus est, sed etiam locus loci, idest *in loco capituli*, qui est locus Conuētus. Ita Specul. loc. cit. nu. 9. Non est tamen iste secundus locus ita necessarius, vt nisi apponatur, electionem vitiet, vt dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 31. notab. 4. *Boerius.* *Barbosa.*

6. Noto 6. circa illam clausulam *vbi duo, vel tres* &c. quod in Euangelio Matthæi cap. 18. num. 20. Christus dixit *vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, & hoc est de fide. Sed difficultas est, quid sit congregari in nomine Christi. Basil. in regulis breu. interrog. 225. ait, quòd est conuenire ad faciendam voluntatem Christi; Origen. *Basilius.* *Origen.*

tract.

tract.6. in Matthæum versus finem ait, *Sicut in musicis nisi fuerit conuenientia vocum, non delectat audientem, sic & Ecclesia nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum, consentiamus ergo, vt congregatis nobis in nomine Iesu, sit Iesus in medio nostrum. Verbum*

Chrysost. *scilicet Dei, & sapientia, & virtus ipsius.* Chrysostom. hom.61. in cap. 18. Matthæi ait, quòd congregari in nomine Christi est conuenire propter gloriam Christi, plura loca Chrysostom. exponentis dictum locum, videri possunt apud Seruium Euangelicæ dispositionis

Hieron. cap.92. notab. 6. folio mihi 645. Hieronym. ait hoc esse præmium viuentium in pace, vt

Hilarius. Christus in medio illorum sit. Idem dicit Hilarius, *In tantum humanæ pacis studuit concordiæ, vt vnitatis merito omnia, quæ à Deo precanda sint, impetranda esse confirmet, & vbi duo atque tres pari spiritu, ac voluntate collecti sint, ibi se medium eorum polliceatur futurum.* Idem scotit

Theophil. Theophil., & D. Thomas in catena ad dictum

D. Thom. Matthæi locum, Caiet. ibidem, Anselmus, *Idem*

Caietanus. (loquit) *rata est sententia consentientium, quia*

Anselmus. *Deus habitat cum eis* Carthus. explanat. 12. in

Carthus. Matth. ait, *vbi enim sunt duo &c. congregati in nomine meo idest in me, videlicet in charitate, & gratia, vel secundum voluntatem meam, seu ad honorem, & gloriam nominis mei, ibi sum in medio eorum, idest inter eos, atque in cordibus singulorum per Spiritus Sancti directionem piam gubernationem, & precum illorum gratiosam exanditionem.* Euthymus in cap. suo 38. in Matth. *in nomine meo idest propter me, propter præcepta mea.*

Abulensis. Abul. q.122. in cap. 18. Matth. ait, quòd tribus modis dicuntur aliqui congregati in nomine Christi. 1. quando actus, ad quos congregantur, expectantur à Christo, vt sunt definitiones fidei, quæ fiunt in Concilijs. 2. quando in operatione, quæ fieri debet, inuocatur nomen Christi, tanquam in auxilium operantium, & ita inuocandus est Christus in exordijs operum nostrorum, & tunc illa fiunt in gloriam Christi. 3. quando congregati sunt aliqui ad faciendum aliquid, quod ad Christum pertinet, omne autem bonum ad Christum pertinet, & ideo quandocunque congregãtur aliqui ad faciendum aliquod bonum, & bono animo dicuntur congregari in nomine Christi, & q. 123. ait, quòd Christus dicitur esse in medio eorũ, qui in nomine eius sunt congregati, eos incitando ad operandum, quia sine eius incitatione non possumus quidquã facere.

Verdelaus Verdelai exposit. in Euangelia totius anni num. 100. folio mihi 126. congregari in nomine Domini, idest

Barradas. in charitate. Barradas tom. 2. lib. 10. cap. 35. congregari in nomine eius, est conuenire in fide, & infra ait, *præterea patrum, & sacerdotum conuentibus interesse colliges Christum adiutorem. Si enim inter duos, vel tres est, erit & inter plures Congregatos.*

Lucas Brugensis. Lucas Brugensis ita explicat, duo vel tres *multo magis si duo, vel tria millia, aut Ecclesia vniuersa,* Congregati *ad postulandam precibus à Deo, vel tractandam inter se rem quamcunque,* In nomine meo, *idest propter me, mea causa, quia res facit ad honorem meum, seu auctoritate mea, tanquam gerentes personam meam,* ibi sum in medio eorum *præsertim gratia, ac fauore singulari, operans intus in eis, & extra protegens ibi sum, vt eorum rogatus adiuuem, eosque voti compotes reddam, custodiens, & arctiùs etiam coniungens eos.*

Gagnelus. Gagn. *quoties duo, vel tres ad disserendum de fide, dogmatibus, & præceptis diuinis conueniunt, Christus præsens semper adest, verùm quia etiam vni iustè viuenti, & quæ iusta sunt docenti, vel scribenti Christus adest, vult tamen manifestare, quantum illi placet concordia, atque vnanimitas inter fideles,*

Bencius. Benc. *Congregari in nomine Christi, idest propter Christum ad ipsius gloriam ex Chrysost. vel in nomine Christi inuocato, vel eius auctoritate congregari, & eius personam gerentes conuenire.*

Sa. Sa *monuit ad concordiam, nunc præmium pollicetur, quod est in medio eorum, Chry. idest propter me.*

Iansenius Iansen. in concordia Euangelica cap. 71. super illis verbis. Iterum dico vobis *in nomine meo,* inquit, *idest propter me, & causam aliquam ad me pertinentem, ibi sum in medio illorum, quasi dicat ob meam præsentiam exandibilis patri efficitur eorum oratio,*

Maldon. Mald. *difficilius dictu est, quid sit in nomine Christi congregari, alij enim in nomine Christi, idest propter Christum interpretantur, ita vt qui congregantur nihil aliud quam Christum, & gloriam eius quærent, vt Chrysost. & Euthymius, alij inuocato nomine Christi, quod & videtur melius conuenire, quod de oratione agebatur. Mihi accommodatè ad id, de quo agitur, & ad consuetudinem loquendi, nomine Christi congregari, nihil aliud videtur esse, quã eius auctoritate, eiusque personam gerentes conuenire;*

Contzen. Contzen *ad hunc locum* q. vnica, *in nomine Christi congregari, est conuenire eius auctoritate, ad eius gloriã, vt caput, & Dominũ ipsum agnoscens;*

Perez. Perez in Pentatsucho fidei de concilio dub. 6. cap. 5. conclus. 5. num. 33. & 34. ait. congregari in nomine Christi, est congregari auctoritate

Bellarm. Christi, Bellarm. tom. 1. controu. lib. 2. de concil. auctor. cap. 2. ait. *Quorum verborum hæc sententia est, si duo, vel tres congregati in nomine meo obtinent semper, quod petunt, à Deo, nimirum sapientiam, & lumen, quod sufficit eis ad cognoscenda ea, quæ ipsis necessaria sunt, quantò magis Episcopi omnes congregati in nomine meo semper obtinebunt, quod iustè petunt, idest sapientiam, & lumen. Itaque siue pauci, siue multi, siue priuati, siue Episcopi congregentur in nomine Christi, omnes habent Christum præsentem, & adiuuantem, & obtinent, quod eis conuenit obtinere.* Linquo Hæreticorum expositionem, quæ est apud Maldon. Perez, & Bencium.

7. Cum ergo dicimus Christum interesse, speciali modo nostris Capitulis, non intelligas eum ibi interesse, auctorizando, & definiendo, ita vt omnes actus, qui in dictis capitulis fiunt, sint irrefragabilis auctoritatis, vt sunt definitiones fidei, quæ fiunt in Concilijs generalibus, vel prouincialibus congregatis auctoritate Papæ, & ab eo confirmatis, sed intellige, quòd ibi adest Christus in medio non solùm propter præsentiam suæ diuinitatis, secundum quam vbique est, sed magis ratione specialis suæ gratiæ, & assistentiæ, qua eorum operationes dirigit, & orationes Deo Patri facit acceptas, vt loquitur Iansenius loc. cit. inspirando, dirigendo, adiuuando, vel, quia dicta capitula congregantur propter solam gloriam Christi,

ad stabiliendas nimirum virtutes, & ad extirpande vitia, vt dicebant Chrysost. Euthym. Carthus. Abul. Bencius, Sa, Brugen. & alij, vel quia dicta capitula fiunt prius inuocato nomine Christi, vt dicebant Abul. Bencius, & alij; vel quia denique dicta capitula in nomine Christi congregentur; tunc autem in eius nomine congregantur, ait Mald. cum eius auctoritate conueniunt, tunc, eius auctoritate conueniunt, cum Romani Pontificis eius Vicarij auctoritate conuocantur, & confirmantur, sed hæc capitula congregantur auctoritate Papæ mediate, vel immediate, ab eoque etiam quandoque, cum petitur, confirmantur, ergo auctoritate, & nomine Christi congregari dicenda sunt, & consequenter quòd Christus in medio illorum sit, iuxta Euangelicum dictum, dicendum est. Nec aliter potest dici, nam alioquin ad quid inseruiant illæ preces, & inuocationes Spiritus Sancti, quæ fiunt in principio dictorũ Capitulorum, non videtur.

D. Chrys. Euthym. Carthus. Abul. Bencius.

8. Si dicas, quod, cum ex hoc loco probent Patres infallibilitatem Conciliorum generalium, & prouincialium, vt dicunt Bellarm. Mald. Bencius, Contzen, & alij, non est ille afferendus ad stabiliendam auctoritatem Capitulorum Regularium.

Bellarm. Mald. Bencius. Contzen.

Respond. nos illum non adducere ad stabiliendam auctoritatem dictorum capitulorum, quæ fallibilia omnino sunt, sed solùm ad probandam specialem assistentiam Christi in eis per inspirationem, directionem, &c. & quòd ad hæc capitula possit adaptari, constat, quia ista capitula sunt pars Ecclesię suo capiti vnita, & colligitur ex Barrad. Brugen. Bellar. locis cit. Immò quòd illis adaptari possit dixit mihi viua voce R. A. P. Stephanus Menochius Præpositus domus professæ Societatis Iesu Genuensis, Vir doctissimus, & in sacris literis versatissimus, vt constat ex eius commentarijs in totam scripturam sacram, & alijs operibus, & Magister meus. Et tandem hoc conuincit Const. 5. Iulij. 2. §. 1. tom. 1. nostr. priuil. ibi, *Spiritus Sancti gratia cooperante.*

Brugen.

9. Noto 7. circa illas clausulas, *Spiritus Sancti missa solemni primùm decantata, sacraque communione refecti*, quod istæ clausulæ non sunt ita necessariæ, vt omissæ vitient electionem; sunt tamen de maxima congruentia. Nam; cũ agatur de re tam graui, qualis est Pastorum electio, decet, electores esse valde puros, & amicos Dei, vt auxilio ipsius possint bono communi proprijs passionibus postpositis, prospicere; Et sic docui tom. 1. Relig. cit. & dicunt Sigism. de electione, dub. 19. num. 5. Lauor. de elect. cit. 4. cap. 19. num. 43. Baysius verò de elect. p. 3. cap. 13. num. 2. & 3. & Mandag. de elect. cap. 19. dicunt, quòd post Concilium Basiliense dictæ clausulæ sunt de substantia. Sed non est recedendum à communi: decet tamen, vt dixi quòd omnes electores adsint missæ Spiritus Sãcti, & sacra communione reficiantur, & deinde, præcedente cruce, ad locum Capituli, cantando hymnum, *Veni Creator Spiritus*, concedant, & ingressi omnes genuflexi dicant, *Veni Creator Spiritus reple tuorum*, &c. cum oratione, *Deus, qui corda fidelium*. Et ait Baysius loc. cit. c. 14. id esse solitum fieri. Et aduerte, quòd supponendo, quòd hoc modo ingrediantur electores in locum Capituli, posui in formula supra dictis, *ibique continuatis precibus*. Nam, si hoc modo non ingrediantur, sed intermedies tempus aliquod inter celebrationem missæ, & ingressum Capituli, loco illius particulæ, *continuatis* reponendum est, *repetitis*.

Sigismund. Lauorius. Baysius. Mandag.

10. Noto 8. circa illam clausulam, *& Commissorum testimonialibus literis apertis*, &c. quòd cum legitimatio Capituli ante omnia præcedere debeat, oportet videre, an omnes electores legitimi sint. Quapropter diligenter inuestigandum, an literæ Commissorum, qui sunt veluti Procuratores Prouinciarum, subsistant, tam secundùm iura communia, quam secundum constitutiones Ordinis. In primis enim Procurator debet docere de mandato; cap. 1. de procur. vbi gloss. verb. *Mandato* docet tria requiri ad hoc, vt mandatum sit legitimum 1. vt contineat nomen eius, qui Procuratorem eum constituit 2. quòd contineat causam, ad quam constituitur 3. quòd promittat habere ratum, quod ab eo, & cum eo factum fuit.

11. Sed, an dicti Commissi, qui nondum docuerunt de mandato, debeant votare in admissione aliorum Commissorum, dubitari potest. Et quidem iure videtur dicendum, quòd non, cum enim nondum sint admissi tanquam legitimi electores, votare non possunt; debent enim ante omnia de suo bono iure docere; vnde non deberent in Capitulum admitti, nisi postquam fuerint tanquam legitimi electores recepti, pone enim, quòd ipsorum aliquis postea inueniatur non legitimus, si iste votauit in deputatione illius, qui habet legere literas Cõmissorum, & in admissione aliquorum Commissorum, certè præfata deputatio, & dictæ admissiones poterunt censeri non legitimæ ex eo, quòd in eis fuit admissus aliquis non legitimus. Consuetudo tamen obtinuit in nostra Religione, quòd omnes votent in præfatis admissionibus, & deputatione, & vnus post alium exeat, dum ipsius literæ testimoniales leguntur, vt maiori cũ libertate possint impugnari à quocunque. Quæ consuetudo sustineri potest ex eo, quòd præfatæ admissiones, & deputatio non fiunt secundum Canones, sed alta voce, & parui momenti existimantur. Vnde, cum de breui accingendus habeatur pro accincto, leg. penult. ff. de testam. milit. & quæ proximè instant, in esse videantur, leg. *Iesta*, vers. *Dicebam*, ff. *Si certum petat*; & paria sint aliquid esse factum, vel esse destinatum proximè fieri, leg. *Vestimentum*, ff. de auro, & argento, dicendum est, quòd dicta consuetudo etiã iure sustineri possit.

12. Noto 9. circa illam clausulam, *lectis etiam omnibus de iure legendis*, quòd ista clausula apponitur propter ordinationem Clem. VIII. vt constat ex const. 10. Vrbani VIII. §. 53. tom. 2. nostri priuil. in qua iubetur, quòd in electionibus ante omnia legantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum; Quæ autem ista sint, habes per extensum in nostro Rituali p. 1. cap. 14. Et præterea legenda est constitutio, seu decretum sacræ Congregationis S. R. & vniuersalis Inquisitionis, de manda-

de mandato Sanctiss. D. Nostri Vrbani VIII. quæ incipit *Sanctissimus*, & habes tomo 3. nostror. priuileg. constitutione XIII. alias XXIII. cap. 12. folio 344. Item legendum est statutum Sacræ Congregat. de propaganda fide factum coram S. D. N. P. Vrbano VIII. die 16. Octobris Anno 1643. quod habes tomo 3. priuileg. cap. 3. num. 11.

13. Noto 10. circa illam clausulam, *factisque protestationibus*. quòd protestationes, vt dixi in nostro Rituali loc. cit. fiunt à Præsidente Capituli hoc modo. *Protestor, quod non intendo excludere aliquem admittendum, nec admittere quemquam excludendum*. Ista autem protestatio valet; quia si, facta electione, reperiatur aliquem illi interfuisse, qui interesse non debebat, vel aliquem per ignorantiam, vel negligentiam, non per contemptum, non interfuisse, qui interesse debebat, stante protestatione, non vitiatur electio. De hac protestatione, loquuntur Baysius de electione, p. 3. cap. 14. num. 3. Mandag. de elect. cap. 20. Si autem electores admitterent scienter aliquem non admittendum, vel admittendum scienter excluderent, tunc protestatio non valeret. Boerius ad dictum locum Mandag. lit. G.

Baysius. Mandag.

14. Noto 11. circa illam clausulam, *ad futurarum electionum effectum data absolutione*, quòd pro ea videnda sunt, quæ dixi supra, lit. A. cap. 7. & pro illa clausula, *sumpto iuramento*, vide infra, litera. E. cap. 2. vbi late.

CAP. IV.

De forma, qua Superior scribit inferiori, vt aliquem in carceres detrudat.

FRATER N. &c. Prouincialis R. P. F. N. Conuentus Nostri N. Ciuitatis N. Correctori sal. in Domino. Cum iuxta sacrorum Canonum doctrinam multùm Reipublicæ intersit, dignam factis pœnam ab improbis persolui, ne impunitas peccandi grauiorum peccatorum sit illecebra, & venia facilitas incentiuum tribuat delinquendi. Nos, quibus ex pastoralis officij debito legum custodia est demandata, quorumque est pœnis per easdem leges inflictis; delinquentes coercere, cum à viris grauibus, omnique exceptione maioribus intellexerimus, Fratrem N. Dei timore postposito, linguæ iaculum in P. F. N. probata vita Religiosum & laudabilis opinionis virum acuisse, eumque apud seculares cum non modico eorum scandalo contra Regulæ nostræ statuta diffamasse; atque adeò ob huiusmodi trangressionis delictum carceris pœnam incurrerit; Eapropter, ne iustitiæ locus desit in tanto crimine, vtque vnius punitio cæteros reddat ad peccandum tardiores, & quem natura ipsa retinere in officio nõ potuit, à maleficio merita pœna submoueat, in virtute Spiritus Sancti tibi præcipimus, vt his acceptis, eumdem Fratrem N. prudentiæ sale adhibito, in tui Conuentus carcerem iussu nostro, & mãdato quamprimùm detrudas, ne sui Ordinis effugere valeat disciplinam. Sub eadem præterea forma præcipientes, ne absque nostra in scriptis licentia, & facultate illum vnquam quoquo modo extrahas, & educas. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quod tom. 1. Relig. q. 1. cap. 13. de carceribus dixi multa, & quomodò, & quando Religiosus debeat incarcerari.

2. Noto 2. quòd carceres in Ordine nostro debent esse fortes, sed humani, & sufficiẽter illustrati. Ita habetur in Correctorio nu. 52. atque ita, præter fidam custodiam, nihil aliud debent habere tormenti, vt præcepit Constantinus Imperator referente Graffio p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. nu. 128 & Farin. 1. p. praxis, lib. 2. q. 27. nu. 97. Vbi etiam addit, quòd carceres non debẽt esse tetri, obscuri, atque subterranei; & quòd Prælatus, qui delinquentẽ in tetro carcere claudit, efficitur irregularis, & reputatur homicida. Sed ea Regula nostra, qua Constantinus, & Far. loquuntur de carcere ad custodiã dato, de quo loquitur lex 1. Cod. de custodia reorum; Sed cum apud Regulares carceres etiam adhibeantur ad afflictionem corporis, & in pœnam delictorum, ideò possunt carceres esse aliquantò obscuriores, arctiores, & terribiliores, modò ab humanitate omnino non discedant, præsertim quando crimina sunt grauia, & sola carceris pœna puniuntur; Quod in sententia, quã profiteor, pœnam triremium in exilium esse apud Regulares committendam, est omnino necessarium; cum enim pœna triremium solis sit Religiosis infligenda propter delicta, quæ in seculo pœnam mortis merentur, si pœna triremium est in pœnam carceris commutanda, & cõmutatio debet iusta proportione fieri, ad hoc, vt inter has pœnas sit rationalis proportio, debet carcer datus pro triremi esse horridus, & austerus: carcer nãque debet dari secundũ qualitatem delicti, ac personæ, vt habetur l. 1. Cod. de custod. reor. & leg. fin. Cod. de accus. Atque ita docent Gomez. tom. 3. variar. cap. 9. nu. 6. Iulius Clarus in pract. crim. lib. 5. §. fin. q. 46. nu. 1. Roderic. in resol. reg. resol. 43. nu. 2. Farin. p. 1. praxis crim. lib. 1. q. 27. nu. 104. & nu. 99. Quarè consulo, vt in Conuentibus, in quibus de ordinario fiunt iudicia, sint duo carceres, vnus ad custodiã, qui sit clarus, humanus, non subterraneus; alter ad pœnam, qui sit durus, arctus, austerus, & acer, & possit pro delicti, & personæ qualitate reddi durior, & temperatior.

Graffius. Farinac.

Gomez. I. Clarus. Rodericus Farinac.

3. Noto 3. quòd quando quis se videt incarcerari, si appellet, ista appellatio nõ suspendit incarceratione; Quia, si suspẽderet, omnes carcerandi appellarent, ad fugiendũ carcerẽ. Ita Clarus loc. cit. nu. 1. vers. *Sed quid*, vbi Baiar. nu. 6. & nu. 5. ait, quòd iniuste carceratus potest semper appellare, etiam post decẽ dies à tẽpore capturæ, quia grauamen est continuũ, & successiuum.

Baiardus.

4. Noto 4. quòd si iuste carceratus, malitia custodis carcerum, seu commentariensis, aufugiat, eadem pœna puniendus venit custos

qua puniri debebat carceratus: si verò non malitia, sed negligentia, non ita tamen crassa, quæ reputetur malitia, vt si carcerem apertum relinquat, tunc arbitrio Iudicis, pro modo culpæ erit puniendus. Ita Farin. 1. p. praxis, q. 31. num. 1. 3. 8. 9. & 13. Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 302. num. 2. 7. & 11. quem vide toto illo casu, quis declarat, in quibus casibus excusetur custos, si carceratus aufugiat. Et aduertit Farin. loc. cit. nu. 14. quòd custos carcerum tenetur non solùm de dolo, & lata culpa, sed etiã de leui, & leuissima; sed Regulares, qui pro carcerum custodia mercedem non recipiunt, sed solùm ad id obedientia Prælati astringuntur, non puto teneri de culpa leuissima, sed solùm de lata, & leui; atque ita solum puto, propter has culpas posse à Prælato puniri: Et solùm puto dictos custodes mortaliter peccare, quando ipsorum malitia, vel lata culpa, seu crassa negligentia reus aufugit. Et num. 26. notat Farin. quòd in specie tunc custos dicitur fuisse negligens culpa lata, quando carceratus per ostium, quod reperit apertum, aufugit; & quòd non est sine culpa, quando recipiendo claues ab ostio, non prouidet, an sit reseratum, vel apertum. Aduerte etiam, quòd si custos carceris committat alteri carcerum custodiam, si culpa istius subcustodis ab ipso electi reus fugit, tenetur de culpa illius custos ipse principalis; nam tunc, quia mala electio est in culpa, ideò ipse tenetur de culpa sui substituti; secus autẽ, si substitutus fuisset electus à iudice, nam tunc cessat ratio malæ electionis. Ita Far. loc. cit. nu. 49. & 57. Quare consultũ est, vt custodes carcerum, quando nõ possunt propter aliquod impedimentum, illorũ curam habere, seu non possunt carceratis solitam refectionẽ per se ipsos deferre, vt petant à Superiore, cuinam relinquendæ sint claues carceris, aut per quemnam illis deferendum sit, quod comedant. Et denique num. 138. dicit idem Farin. quòd custos carcerum excusatur à culpa, & negligentia, quando facit id in carceribus custodiendis, quod fieri solitũ est per alios custodes.

5. Noto 5. quòd custos carceris non debet permittere, quod aliquis carceratum alloquatur, vel ad eum afferat literas, vel nuncios; quòd si permittat, quando carceratus detinetur propter aliquod graue delictum, aut quando Superior id illi vetuit, omnino peccat mortaliter, & potest puniri arbitrio Superioris; & idem est, si ipse per se amicorum precibus, vel muneribus corruptus, dictas literas, vel nuncios deferat. Ita Farin. 1. p. praxis, lib. 1. cap. 31. num. 104. & 105. vbi id probat ex quadam constitutione Pij V. & ad id facit Clem. 1. §. *Porro*, de hæret. Et puto etiam, mortaliter peccare dictum custodem, quando non defert fideliter dictis carceratis illa, & sola fercula, quæ iubet Prælatus V. G. si Prælatus iubeat, quòd solùm illis ferat panem, & aquam, ipse autem per compassionem ferat etiam pulmentum, & pictantiam; nam tunc impedit, vel iustam torturam, vel iustam pœnam, & facit contra obedientiam Prælati in re graui, & impedit iustitiam, & facit contra commune bonum Religionis, cuius multùm interest, ne delicta impunita remaneant. Ita Rodriq. tom. 1. qq. regul. quæst. 43. art. 2. vbi ait, *summum genus pieta-*

Farinac.
Menochius
Farinac.
Rodriguez

tis esse in hac re esse crudelem; & in fine dicti artic. concludit, quòd quando dictis carceratis est in pœnam iustam impositum, quod bis in hebdomada V. G. comedant panem, & aquam, peccant, & puto mortaliter, non solùm custos, sed etiam alij quicunque Fratres, qui his diebus alios cibos ministrant. Et aduerte, quòd non est custodis carcerum, vel alterius cuiuscunque subditi, declarare, quòd carceratus ibi iniustè detinetur; sed ad hoc, vt legitimè dicendus sit carceratus iniustè detineri, debet id euidenter constare, ita vt nulla tergiuersatione possit dicta carceratio excusari; quòd est valde difficile, & in dubijs semper præsumendum est pro parte Superioris, & sic illi obediendum, nisi etiam manifestè constaret de inimicitia illius cum carcerato; nam tunc faciliùs constare posset de euidentia iniustæ carcerationis.

6. Noto 6. quòd in omnibus Conuentibus debent constitui carceres, aut saltem in qualibet Prouincia ad castigandos reos; & sunt pessimi regiminis rei illi Superiores, qui id negligunt; immò mortaliter peccare puto, arg. cap. *Abbates*, 18. quæst. 2. & cap. *Si clericus*, de sent. excomm. in 6. & docet Aldrete de discipl. mond. lib. 1. cap. 10. num. 1. & statuitur expressè in decretis sacræ Cong. Concilij de apostatis, & electis, quæ refero tom. 2. nostr. prlit. in consi. 10. Vrbani VIII. §. 4. vbi dicitur: *Vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia.*

CAP. V.

De forma ferendi censuras.

FRATER *Iustus, &c. Ordinis N. & in Prouincia N. minimus Corrector Prouincialis. Cum Fratrem Obstinatum de Rebellibus Ordinis nostri Sacerdotem primò, iterum, tertiò, ac etiam quater ad conuincendam malitiam legitimè monuerim, vt ad rationem de quibusdam, quæ nos cognoscere oportebat, coram nobis reddendam compareret, seu, vt ab ingressu domus Margaritæ de Senis desisteret, seu, vt pallium Fratri Homibono de Canutis restitueret, ipse verò huiusmodi nostrum contempserit explere mandatum: Idcirco, ne parùm humilibus prodesse videatur obedientia, si contumacibus nihil obsit præceptorum contemptus, auctoritate Dei Omnipotentis Patris, Filij, & Spiritus Sancti, necnon Beatorum Apostolorũ Petri, & Pauli, omniumque Sanctorũ auctoritate, eundem Fratrem N. eius sic exigẽte contumacia, bis scriptis excommunicamus; ab officio, seu beneficio suspendimus, seu interdicimus, tamdiuque* (si excommunicauit) *ipsũ vitandum denunciamus, quousque nostrũ perfecerit mandatũ, vt Spiritus eius in districti iudicij die saluus esse mereatur. In quorum fidem, &c. Datum, &c. Frater Iustus, &c.*

2. Noto

Suarez. Coninck. Sayrus. Chokier.

1. Noto 1. quòd antequam feratur censura, debet necessario præcedere monitio; cap. *Sacro*, cap. *Contingat*, el. 2. de sent. excom. cap. *Romana*, cap. *Statuimus*, eod. tit. in 6. cap. *Reprehensibilis*, de appell. cap. *Indignè*, 10. q. 3. vbi *Deductorem communicet*, Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 3. sect. 8. num. 1. Coninck de cens. disp. 13. dub. 9. num. 79. Sayrus de cens. lib. 1. cap. 12. num. 32. Chokier de Confer. eccles. p. 2. q. 79. num. 2. Et ratio est. Quia censuræ solùm feruntur ad inobedientes reducendum; cap. *Cum medicinalis*, de sent. excom. in 6. Quare si infirmus potest leuioribus remedijs curari, non est cur adhibeantur grauiora. Vnde inferunt Sot. in 4. d. 22. q. 1. art. 2. concl. 3. Nau. in manual. cap. 27. num. 8. Auila de censur. p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 7. conclus. 4 & 5. quòd omissio dictarum monitionum est peccatum mortale, contra Canones in materia graui.

Sotus. Nauarrus. Auila.

2. Noto 2. quòd in censuris, quæ feruntur à iure, aut per statutum, seu ordinationem Prælati pro peccatis futuris, non est necesse, quòd præcedat monitio. Nam statuta ipsa, seu ordinationes, aut leges per se continuò omnes monent, vt metu pœnæ caueant peccata ita prohibita. Suarez cit. à num. 3. Coninck num. 77. Sayrus num. 6. Angel. verb. Excomm. 1. §. 1. Syluest. eod. 1. num. 13. Auila loc. cit. dub. 10. vers. *Ex dictis facile*.

Suarez. Coninck. Sayrus. Angelus. Syluester.

3. Noto 3. quòd ad hoc, vt ista monitio sit canonica debet esse trina, Barb. in cap. *Sacro*, de sent. excom. num. 6. vers. *Tertiùs quando*. Nau. loc. cit. num. 10. Mir. tom. 2. Man. q. 35. art. 3. concl. 4. cap. *Romana*, cap. *Constitutionem*, de sent. excom. in 6. Et in hac trina monitione reus debet nominatim exprimi. Et debet fieri, aut tribus vicibus diuersis, aut vna vice pro tribus, cum aliquorum dierum competenti internallo iudicio prudentis. Chokier cit. nu. 13. Coninck nu. 79. Sayrus nu. 32. Suarez sect. 9. num. 2. & habetur in dicto cap. *Constitutionem*.

Auila. Barbosa. Nauarrus. Miranda. Chokier. Coninck. Sayrus. Suarez.

4. Noto 4. quòd hæc monitio debet fieri nomine iudicis; nam debet esse talis, quòd si reus non pareat contumax, & inobediens existat, quod esse non potest, nisi admonitio Superioris auctoritate sit facta. Ita Suarez. tom. 5. in 3. p. disp. 3. sect. 11. num. 1. Coninck loc. cit. vers. *Secundo*. Item debet fieri immediatè ipsi reo; nam reus non potest dici contumax, nisi personaliter admoneatur. Ita Henriquez lib. 13. cap. 17. §. 3. Couarr. in cap. *Alma mater* 1. p. 1. §. 9. num. 4. Suar. loc. cit. nu. 4. Quòd si fieri illi immediatè non possit, quia latitat, fiat in publico loco V. G. in choro, vel in capitulo, aut refectorio. Et ratio est. Quia hæc admonitio tendit ad correctionem, quam, si quis nolit audire, iam pro contumaci habetur; eo proinde iusta in illum ferri potest censura. Ita Sayrus de cens. lib. 1. cap. 12. num. 12. Suarez loc. cit. Chokier de Confer. eccles. p. 2. q. 79. num. 4. Item debet hæc monitio fieri coram personis idoneis, per quas possit probari; si necesse fuerit; cap. *Sacro*, de sent. excom. Petrus Greg. lib. 4. decret. tit. 16. de sent. excom. cap. 6. Filliuc. tom. 1. tract. 11. cap. 4. num. 101. Non est tamen necesse, quòd hæc monitio in scriptis fiat, quia lex id non dicit, sed sufficit, quòd fiat coram testibus, ad hoc vt probari possit, vt dixi. Ita Suarez loc. cit. num. 2. Sylu. verb. excom. 1. num. 12. Filliuc. cit. Item debet fieri sub comminatione censuræ, quæ est ferenda monitus, si non comparet; nam alioquin non poterit iudicari contumax; qui enim simplici monitione non mouetur, mouetur audita comminatione grauissimæ pœnæ. Atque ita colligitur ex Trident. sess. 25. cap. 3. de refor. & ex cap. *Nemo Episcoporum*, 11. q. 3. Coninck de cens. disp. 13. dub. 9. num. 80. vers. *Quartò debet*. Vide pro his dictis Palud. in 4. d. 18. q. 8. art. 7.

Henriq. Couarruu. P. Gregor. Filliucius. Suarez. Syluester. Coninck. Paludan.

5. Noto 5. quòd quando contumacia est notoria, canonica monitio non est necessaria, iuxta gloss. in cap. *Manifesta*, [illegible] Llamas 1. p. 1. meth. cap. 9. §. 23. Couarr. in cap. *Alma mater*, p. 2. §. 9. num. & probant ex cap. *Illud*, de cleric. excommun. Secus tamen esset, si solùm notorium sit peccatum, non contumacia; quia tunc præcedere debet monitio, vt Couarr. loc. cit. & Henriquez lib. 13. cap. 17. §. 3.

Llamas. Couar. Henriq.

6. Noto 6. quòd dicta monitio non est ita de essentia, vt si omittatur, censura sit nulla, vt probat sufficienter cap. *Romana*, de sent. excom. in 6. & docent Sot. in 4. d. 22. quæst. 1. art. 4. concl. 3. vers. *Quòd si scisitanis*. Coninck de censuris disp. 13. dub. 9. num. 81. Filliucius tom. 1. tract. 11. cap. 4. num. 104. Suarez de cens. disp. 3. sect. 11. nu. 1. Henriq. loc. cit. fine; Auila de cens. p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 9. Gutier. can. q. lib. 1. cap. 4. num. 4. Sayrus de cens. lib. 1. cap. 12. num. 26. Couarr. loc. cit. num. 7. Barbosa in cap. *Romana* cit. num. 21. & in cap. *Sacro* num. 5.

Sotus. Coninck. Filliucius. Suarez. Auila. Gutierrez. Sayrus. Barbosa.

7. Noto 7. quòd ad dictas monitiones faciendas tenentur etiam Prælati regulares. Ita Syluester verb. Excom. 1. num. 14. Sayrus loc. cit. num. 21. 22. Nauar. in man. cap. 27. nu. 8. Auila loc. cit. dub. 8. qui addit, quòd id non habent priuilegium Mendicantes. Sed Gabriel in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 2. conclus. 7. & Llamas 1. p. meth. cap. 9. §. 23. dicunt, hanc trinam monitionem apud Regulares non esse in vsu. Et quando aliquis actus non est in vsu, quòd non incurrat pœnam, neque culpam illi contrafaciens, dicunt Sylu. & Nau. loc. cit.

Syluester. Nauarrus. Gabriel. Llamas.

8. Noto 8. quòd forma dictarum monitionum potest esse talis. *Fr. &c. Prouincialis Ordinis N. in Prouincia N. Vi præsentium monemus Fratrem N. Ordinis nostri professum, vt intra terminum sex dierum, à die huius monitionis nostræ incipiendorum, quorum duos pro 1. duos pro 2. & reliquos pro 3. & vltimo termino peremptorio, et monitione canonica assignamus, restituat Fratri N. librum, quem ab eo abstulit. Quòd si infra dictum tempus nostris non obedieris mandatis, ex nunc ipsum excommunicatum, seu suspensum, &c. declaramus. In quorum fidem, &c. Datum, &c.* Seu potest aliter hoc pacto, videlicet. *Fr. &c. Tenore præsentium præcipiendo mandamus Fratri N. vt statim, habito præsenti præcepto, compareat coram nobis in camera audientiæ nostra in Conuentu Iesu Mariæ Genuæ, ad nostris standum, & parendum mandatis, pro nonnullis concernentibus, interesse officii nostri, sub pœna suspensionis ab officio in casu inobedientiæ. In quorum fidem, &c.*

9. Notò 9. quòd censura debet ferri in scripto, in quo causa, propter quam fertur, in indiuiduo exprimatur; quod quidem scriptum, si à reo intra mensem requiratur, debet ei authenticum tradi, idest, manu Superioris censuram ferentis subscriptum, sub pœna contrafacientibus suspensionis per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officijs. Ita habetur in cap. 1. de sent. excom. in 6. Quas conditiones declarant Suar. tom. 5. in 3. p. disp. 3. sect. 13. & Saytus de cens. lib. 1. cap. 13. à num. 1. Quare dicunt Nau. loc. cit. & Auila p. 2. c. 2. disp. vnic. dub. 3. quòd solo verbo temerè ferens excommunicationem, peccat mortaliter. Excusantur autem à pœna, & à culpa, qui solo verbo excõmunicant propter aliquam iustam, & vrgentem causam, vt ait Auila loc. cit. Nec censura solo verbo prolata absque scripto, erit ob hoc nulla, vt constat ex dicto cap. 1. de sent. excom. in 6. & docent Suarez loc. cit. num. 11. Filliuc. tom. 2. tract. 11. cap. 4. num. 109. apud Regulares istam conditionem non esse in vsu dicunt P. Greg. & Llamas cit. nu. 7. & Leo X. illis concessit, quòd non tenerentur proferre censuras in scriptis, vt refertur in comp. priu. Mendic. verb. Excom. §. 7. & dicunt Rodriq. tom. 2. qq. regul. q. 59. ar. 3. Auila loc. cit. cap. 5. disp. 1. dub. 8. Tambur. de iure Abbatum, tom. 2. disp. 14. q. 1. num. 2.

Suarez. Sayrus. Nauarrus. Auila. Filliucius. Rodriquez. Auila. Tambur. Paludan.

10. Aduertit autem Palud. in 4. dist. 18. q. 7. ar. 3. conclus. 10. quòd pœnas positas in dicto cap. 1. de sent. excom. in 6. non incurrit Iudex, nisi quando suspendit aliquem ab illo actu, qui suo iure competit ipsi suspenso; nam si suspendit ab actu, qui Iudici competit, non eas incurrit, etiamsi sinè scripto, & monitionibus suspendat; quia talis non est propriè suspensio, sed inhibitio. Quare si Prælatus, cuius auctoritate Fratres approbantur ad confessiones audiendas, aliquem sic approbatum suspendat sinè scriptis, & monitione, nullam pœnam incurret, quia sicut nudo verbo talem potestatem dedit, ita æqualiter potest eam auferre. Immò addit Palud. quòd solo verbo potest eos etiam suspendere ab audiendis secularium confessionibus, quia licèt talem facultatem habeant Regulares à Papa, habent tamen, mediante Prælato; quam doctrinam sequitur Sayrus lib. 1. de cens. cap. 8. à num. 18.

Sayrus.

11. Et aduerte hic etiam, quòd suspensio potest ferri propter delictum præteritum, & tunc non requiritur monitio; cap. *Tam literis* §. *Archipresbyterum*, de test. Et potest etiam ferri propter delictum futurum, & tunc requiritur monitio, quia non potest constare de contumacia, nisi priùs moneatur. Filliuc. tom. 1. tract. 17. cap. 4. num. 65.

Filliuc.

12. Noto 10. quòd in excommunicatione solemni, quæ à solis Prælatis superioribus, iuxtà cap. *Debent*, 11. q. 3. & Trid. sess. 25. de refor. cap. 3. pro re aliqua enormissima potest ferri, debent duodecim Sacerdotes Prælatum indutum amictu, stola & piuuiali violacei coloris circumstare, tenentes omnes, & etiam Prælatus ipse, candelas in manibus ardentes, quas in conclusione excommunicationis projicere debent in terram, & pedibus conculcare. Et has candelas deinde esse extra ecclesiam projiciendas, tanquam sal infatuatum, docet Glossa in dicto cap. *Debent*, ver. *Conculcare*. Sed ibi Turrecrem. ait, posse eas ad vsum communem redigi. Vide pro hoc puncto P. Greg. lib. 4. decret. tit. 16. cap. 6. in comm. lit. H. Couarr. in cap. *Alma Mater* p. 1. §. 8. num. 6. Sayr. de cens. lib. 1. cap. 15. à num. 1. Et formam huiusmodi excommunicationis vide in Pontific. Romano, tit. *Ordo excommunicandi* pag. mihi 459. Verùm infrascripta possunt Prælati regulares vti ad maximum terrorem incutiendum.

Turrecremata. P. Gregor. Couarrus. Sayrus.

CAP. VI.

De forma ferendi censuram excommunicationis solemnem.



FRATER N. Prouincialis Ordinis N. in Prouincia N. Cum, suadente Diabolo, duo aurei annuli, &c. è digitis B. M. Virginis execrabili manu sublati sint; Nos ad effectum reuelationis 1. 2. & 3. cum debitis temporum internallis, ignotum furem canonice monuimus, vt sub interminatione æterna pœna sublatos annulos, &c. quoquomodo restitueret; ipse autem, Diabolo cor eius indurante, eiusmodi nostras monitiones contempserit, nec restituere sublatas res vllo modo voluerit. Idcirco Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nec non Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum auctoritate, mediocritatisque nostra ligandi, atque soluendi potestate, eumdem furem cum complicibus, si quos habet, bonis omnibus Christianis communibus priuamus, atque à Christianorum omnium societate, sanctaque matris Ecclesiæ liminibus in cælo, & in terra excludimus, ac separamus; excommunicatum etiam, ac anathematizatum esse decernimus; cumque Diabolo, & Angelis eius, atque omnibus reprobis in ignem æternum damnatum pariter iudicamus; Vt propterea domi, atque extra sit maledictus; maledictus in ciuitate, & in agro, maledictus vigilando & dormiẽdo, maledictus manducãdo, & bibẽdo, maledictus ambulãdo, et sedẽdo, maledicta sit caro eius, et ossa, à plãta pedis vsque ad verticem nõ habeat sanitatem. Veniat super illum maledictio hominis, quam per Moysem in lege Filijs iniquitatis Dominus promisit. Deleatur nomen eius de libro viuentium, & cum iustis non scribatur, Fiat pars, & hæreditas eius cum Cain fratricida, cum Datan, & Abiron, cum Anania, & Saphira, cum Simone mago, & Iuda proditore, & cum eis, qui dixerunt Deo, Recede à nobis, semitam viarum tuarum nolumus. Pereat in die iudicij, deuoret eum ignis perpetuus cum Diabolo, & Angelis eius, nisi restituerit.

trierit, & ad emendationem veneris, Omnes respondent *Fiat, Fiat, Fiat*.

Nota, quòd cum supradicta forma vsus fuisset aliquando quidam Prælatus regularis pro enormissimo furto, statim fur apparuit, & furtum fuit restitutum.

CAP. VII.

De forma Citationis.

F*RATER N. Ordinis N. in Provincia N. Provincialis. Dilecto nobis in Christo F. N. salutem in Domino. Etsi regulares personæ sub arctissimo paupertatis voto Domino famulantes nihil proprium, sed omnia in communi, tanquam nihil habentes, & solo Pastoris nutu, arbitrioque relinquenda, in terris possideant, non inde tamen cuiusuis esse putamus, quæ à Superiore alicui in vsum concessa sunt, sua quasi sponte, ac voluntate in totius communitatis præiudicium, ac perturbationem, quoquo modo distrahere, ac vsurpare. Quin verò, si secus à quoquam attentari contingat, Prælati eiusdem, qui reipublicæ tutor, & procurator habetur, munus esse censemus, nihil non agere, & tentare, quò omnium, singulorumque indemnitati, ac saluti, prout in Domino conspicit salubriter expedire, opportunè provideatur. Cum igitur superioribus diebus Fr. Simplicius de Ignauis corã nobis expostulauerit librum sibi ad vsum concessũ, ex industria te suffuratum esse, nec sæpius obnixèque roganti reddere voluisse. Nos, qui indecens valde, & contra naturam esse perspicimus, alterius incommodo suum commodum quemquam augere, ac locupletari, districtè tibi præcipimus ac mandamus, vt, his nostris acceptis intra quindecim dierum spatium sublatum librum præfato Simplicio reddas, ac remittas. Quòd si eiusmodi librum in rem tuam, vel vsum conuertere iure potuisse confidis, die 16. Martij huius anni, quam tibi peremptoriam assignamus, in hoc nostro N. Conuentu siue per te, siue per idoneum Procuratorem, causa sufficienter instructum, coram nobis volumus, vt compareas, ac te sistas eidem Simplicio de iustitia responsurus. Sin autem ad præfixum terminum comparere, atque adesse neglexeris, nos in prætacta causa, ac negotio, quantum de iure concessum fuerit, procedemus. In quorum fidem, &c. Datum N. die 15. Februarij 1634.*

CAP. VIII.

De eadem forma, quando iudex est delegatus.

F*RATER N. Ordinis N. in Conuentu N. sacræ Theologiæ Lector, & in causa, de quo infra, Iudex delegatus. F. N. &c. salutem in Domino. Reuerendi admodùm Patris Fratris N. huius prouinciæ N. Provincialis eiusmodi exemplo literas noueris nos recepisse.* Hic ponitur per extensum dictarum literarũ tenor. Deinde subditur. *Iussis ergo præfati adm. R. P. humiliter, vt fas est, obtemperare volentes, tibi supradicto auctoritate nobis hac in parte concessa, ac demandata præcipimus, vt eidem F. Simplicio* (hic est pars offensa propter iniuriam. & c. ad cuius instantiam facta est delegatio, qui supponitur nominatus in literis delegationis) *intra decem dies ab his nostris acceptis iustè, ac legitimè pro sublato libro satisfacias. Quòd si eiusmodi librum, &c.* vt in supradicta forma, vsque ad finem.

CAP. IX.

De eadem forma, quando reus se absentauit.

F*RATER N. &c. Pastoralis officij debitum nos admonet, & inducit, vt ad eorum Religiosorum, qui Dei timore postposito, præcipuas Sanctæ Ecclesiæ gemmas, sacerdotes nimirum, ea, qua conuenit, reuerentia obseruare contemnunt, & in eos manus violentas ausu sacrilego iniicere non verentur, effrænatam libidinem, atque audaciam, ne longiùs prorepat, comprimendam nostræ potestatis gladium exeramus. Cum nuper igitur Frater Simplicius de Finali nostri Ordinis Sacerdos, ac in N. Collegio Conuentualis coram nobis conquestus fuerit vulnus sibi in capite a Fratre Ardente de Iracundis Oblato die 18. Februarij anni 1634. in choro superiori præsentibus Fratre A. & Fratre B. pugione inflictum, instanterque à nobis eiusmodi vulnus spectantibus, & contrectantibus petierit, vt sibi de iustitia prouideremus. Nos, qui cunctis ius, & iustitiam, vt decet ministrare cupimus, neminemque suis iuribus priuare, aut aliàs indebitè molestare eundem F. Ardentem illicò per P. F. N. præ-*

tacto

tacti Collegij Correctore iussimus inquirendũ; ipse autem nobis renunciauit omnibus à se perspectis eiusdem Collegij cellis, atque officinis, inueniri minimè potuisse. Cum autem iussu nostro à P. F. N. praefati Collegij Procuratore per ciuitatem, & loca quibus eum immorari credi poterat, iterum perquisitus nequaquam inuentus sit, edicto hoc nostro, seu litteris, quas in publico eiusdem Collegij refectorio, coram omnibus Fratribus legendas mandauimus, eiusdemque valuis triũ dierum spatio affigendas, praememoratum Fratrem Ardentem citandum esse decreuimus, vt de facto citamus, ad personaliter in eodem Iesu Mariae Collegio intra dies triginta (quos illi pro termino peremptorio assignamus) à die praefatae citationis inchoandos, coram nobis comparendum in praefata causa de iustitia responsurum. Quòd si intra praefixum terminum comparere contempserit, contra illum, tanquam contumacem, & confessum, prout de iure, procedemus. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

CAP. X.

De eadem forma breuiori, quando reus aufugit.



ANNO Domini 1634. die 18. Februarij. Hic in publico refectorio hora prandij Fratribus discumbentibus iussu, ac mandato R. Adm. P. F. N. Prouincialis &c. citatur F. N. ad se coram eodem Patre Prouinciali intra dies triginta, a praesenti die computandos personaliter comparendum, ac praesentandum, ijs de quibus interrogatus fuerit legitime responsurus. Alias omnibus notum sit contra ipsum, tanquam contumacem, & confessum, prout iuris fuerit, praedictum Patrem Prouincialem processurum. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd 1. citationis forma, quae posita est cap. 7. ponitur à Specul. lib. 2. partic. 1. de cit. §. 5. num. 4. & desumitur ex cap. *Tam ex litteris*, §. fin. de in integrum rest. & ex cap. *Venerabilis*, de dolo, & contum. *Speculator*

2. Noto 2. quòd citatio per litteras debet continere nomen, cognomen, & officium citantis; nomen, & cognomen citati; causã, propter quã citatur; locũ ad quẽ citatur; diẽ, ad quẽ citatur; & nomẽ illius, ad cuius instantiã citatur, & quòd per se, vel legitimũ responsalẽ, & idoneum ad causam sufficienter instructum compareat, & an peremptoriè, vel non fiat citatio. Ita Specul. loc. cit. num. 1. Et aduerte, quòd citatio etiam in notorijs, & probatis criminibus est facienda; nam est de iure naturae; Clem. *Pastoralis*, §. *Caeterum*, de re iud. cap. *Deus Omnipotens*, 2. q. 1. Roderic. in resol. regul. resol. 44. num. 1. Glossa in extrau. *Rem non nouam*, de dolo, & contum. verb. *Quis, quid, vbi*. Et addit, quòd Papa aliter procedere non potest. Aduerte etiam, quòd non valet citatio, si non assignetur terminus competens citato ad comparendum; sicut enim citatio est de iure naturae, ita etiam competens tempus ad respondendum, vt Portel in dub. reg. Ver. *Citatio* num. 37. neque item valet citatio, si quis citetur ad locum, sibi non tutum, cap. *Ex parte*, de appell. *Rodericus* *Portel.*

3. Noto 3. quando iudex non est ordinarius, sed delegatus, debet in citatione inserere de verbo ad verbum tenorem suae commissionis. Specul. loc. cit. num. 2. Vide plura n. 10.

4. Noto 4. quòd si reus se absentauit, ita vt non possit sciri, vbi sit, tunc potest citari per edictum. Specul. loc. cit. §. 4. nu. 15. Menoch. de recuper. possess. remed. 8. à num. 101. Riccius p. 1. collect. 177. Barb. in cap. fin. de dolo, & contum. num. 3. Gratian. discept. forens. to. 2, cap. 194. num. 9. Gutier. pract. Quaest. lib. 1. q. 133. num. 2. si verò reus vocatus se praesentare noluerit, registrata citatione in processu & notata etiam diligentia cursoris, habebitur tanquam confessus, leg. *Eius qui delatorem*, ff. de iur. fisc. vnde poterit à iudice ex officio procedente puniri, cap. 2. de confess. Ita Aretin. in pract. crim. p. 3. cap. 3. *Speculator* *Menochius* *Riccius.* *Barbosa.* *Gratianus* *Gutierrez*

5. Noto 5. quòd licet citatio rei sit de essentia iudicij, vt constat, modus tamen citandi videtur illi accidentalis. Vnde in hoc, dummodò essentia seruetur citationis, sunt seruandae consuetudines singularum Religionum. In nostra, & credo etiam seruari in multis alijs, si reus sit absens, scribitur illi epistola per aliquem confidentem Superioris, proprijs manibus tradenda, qua ei praecipitur per obedientiam, nulla intimata causa specialiter contenta in processu contra illum, vt ad praesentiam Prouincialis V. G. veniat, quia habet tractare cum illo de aliquibus causis specialibus. Si verò reus sit praesens in eodem Conuentu per quemlibet Fratrem vocatur; vt veniat ad praesentiã Patris Prouincialis. Qui modus etiam seruatur in Religione Minorũ, vt docet Spathar. de mod. corrig. regul. tract. 9. cap. 2. num. 2. Rodriq. tom. 2. qq. reg. q. 17 art. 2. Roderic. resol. 44. num. 2. Aretin. in pract. crim. de reo cap. 2. vers. *Obseruandum est tamen*. Nunquam tamen potest reus haberi pro contumaci, & confesso, nisi illi terminus peremptorius assignetur, cum comminatione delicti confessi, vt in simili de cens. dixi hic supra, cap. 4. nu. 4. *Spathar.* *Rodriquez* *Rodericus* *Aretinus.*

6. Noto 6. quòd fuga delinquentis ante formatam inquisitionem, vel assumptas informationes probat semiplenè, & facit indicium ad torturam; nam arguit conscientiam delicti commissi. Fuga verò delinquentis post transmissã inquisitionem, vel informationes assumptas per officium iudicis non est sufficiens indicium ad torturam, quando causa est capitalis, secus autem, si causa non sit capitalis; nam tunc, si cum fuga adsit fama publica, facit indicium ad torturam. Galinus in compend. practicae crimin. Iulij Clari, q. 21. vers. *Secundò opponitur*. *Galinus.*

CAP.

CAP. XI.

De forma instituendi Confessores Regularium.

FRATER N. &c. Dilecto nobis in Christo P. F. N. Ordinis nostri Sacerdoti salutem. Vi præsentiū tibi per examinatores nostros ad hoc specialiter deputatos idoneo reperto, & per nos approbato, Fratrū nostrorum confessiones audiendi, ac pœnitentes, præterquam à casibus, & censuris nobis reseruatis, absoluendi concedimus facultatem. Te in Domino admonentes, vt, quæ pro recta huius sacramenti administratione per Sacros Canones sancita fuerint, attentè perlegas, accuratéquè obserues. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd confessarius electus à Prouinciali ad confessiones audiendas in vna Prouincia, non potest confessiones audire in alia; nam Prouincialis solùm habet iurisdictionem in sua Prouincia, & hoc redundaret in præiudicium Prouincialium aliarum Prouinciarū; & sic practicatur in nostra Religione. Ita ex Tabiena notat noster P. Vega 1. p. sum. edit. ital. cap. 61. casu 3.

Tabiena.
Vega.

2. Noto 2. quòd Clerici, qui habent propriū confessarium assignatum, non possunt confiteri de mortalibus alijs Confessarijs assignatis communiter pro Fratribus: nam assignationi illi generali pro omnibus derogatur per assignationem illam specialem Confessoris Clericorum, iuxta reg. 34. de reg. iur. in 6. quæ habet, quòd, *Generi per speciem derogatur*. Deinde, quid faceret illa specialis assignatio, si possent omnibus confiteri? 3. quia contraria opinio, quam tenet Diana 3. p. resol. tr. 2. resol. 5. multùm relaxat disciplinam regularem. Vnde puto, quòd confessarius audiens confessionem Clericorum, seu Oblatorum habentium confessorem assignatum, peccet mortaliter, & quod confessiones sint nullæ defectu iurisdictionis, & quòd possit puniri tanquam confessiones audiens sine licentia. Atque ita semper practicari vidi in Religione nostra, & constat ex Correct. num. 99. quoad nouitios; & quoad alios patet ex Reg. num. 18. Et audio etiam id esse indubitatum in Religionibus obseruantibus. Atque ita tenet Portel in dub. regul. verb. *Nouitij absolutio*, num. 36. Innuit Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 15. num. 7. Concedendi tamen sunt alij confessarij tempore reconciliationum, vt sanctè in Ordine nostro seruatur. Legendus est Peregrinus in additament. p. 3. quæsit. 8. & 9. vbi omnia argumenta Dianæ reijcit, & pluribus nostram confirmat sententiam.

Diana.
Portel.
Suarez.
Peregrin.

CAP. XII.

De forma, qua Prælatus regularis præsentat subditum Episcopo, ad hoc vt eum approbet ad confessiones secularium excipiendas.

FRATER N. &c. Præsentium tenore, ac vi te præfatum per nostros Examinatores idoneum repertum, ad vtriusque sexus secularium confessiones in Diœcesi N. audiendas, obtenta prius ab Ordinario approbatione, admittimus, ac deputamus; eundem Ordinarium humiliter, obnixèque rogantes, vt præfata approbatione pro necessitate nostræ Ecclesiæ dignari non dedignetur. In quorum fidem, &c.

CAP. XIII.

De eadem forma.

FRATER N. &c. Christiana vita disciplina moribusque probatos Sacerdotes, qui sua scientiâ curare vulnera, aliena non detegunt, medendis Christianorum omnium morbis præficiendos esse, tum communis salutis cura, tum verò pastoralis officij debitum monet, atque hortatur. Cum igitur te præfatum Patrem honestis moribus, peritia, scientiâque florere satis noscamus, idoneumque propterea censeamus, cui id muneris demandetur, Illustrissimo Archiepiscopo N. his nostris literis præsentamus, humiliter, obnixèque rogantes, vt te examinatorum eius testimonio, ac calculo dignum, idoneumque existimatum ad vtriusque sexus fidelium confessiones excipiendas, pœnitentesque absoluendos, ob Christianorum hominum Ecclesias nostras frequentantium consolationem, in sua Diœcesi approbet, atque admittat. In quorum fidem, &c.

1. Quæritur, An Parochus electus à Prælato regulari, vt inseruiat Parochiæ annexæ monasterio, admissus ab Episcopo præuio examine ad curam dictæ Parochiæ iuxta formam traditam in Concilio Trid. sess. 25. de regul. cap. 11. possit à successore illius, qui eum admisit, de nouo pro administratione dictæ Parochiæ, examinari; quādo scilicet pro serenitate suę cōsciētiæ examinat alios simplices cōfessores? &, non posse, quia Trid. sess. 23. c. 15. de refor. expressè decernit, quòd habentes parochiale beneficium debent reputari idonei ad audiendas secularium confessiones, sed dictus Parochus

habet

habet parochiale beneficium, ergo per Concilium debet reputari idoneus, nec consequenter potest à successore Episcopo examinari, maior est certa, & eam docet Coninck. de Sacramentis disp. 8. dub. 7. num. 49. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 28. sect. 4. num. 1. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 11. num. 1. vers. *Secundum qui*, Fagundez in 2. præcep. Eccleſiæ lib. 7. cap. 2. num. 2. Et ratio est, quia hoc ipso, quòd iudicantur idonei ad curam animarum exercendam, censentur approbati.

Coninck. Suarez. Layman. Fagundez

2. Aduertendum autem est, quòd Concilium loquitur ibi vniuersaliter de omnibus habentibus parochiale beneficium, siue ij sint clerici seculares, siue regulares, ait enim generaliter, *Nullum etiam regularem posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium*, &c. Cum enim supra negasset vllum Sacerdotem, etiam regularem, posse confessiones audire, volens hoc dictum limitare ait, *nisi* &c. Dictio autem *nisi*, vt declarat Barb. de diction. dict. 217. num. 5. & 6. quando oratio negatiua præcedit, vt hic affirmat, & includit tò omne, quod est negatum, vult ergo Concilium in sensu formali dicere, nullum Sacerdotem, neque regularem, neque secularem posse cōfessiones quorumcunque secularium, etiam sacerdotum, audire. Habentem autem Parochiale beneficiū, siue is secularis, siue regularis sit, posse quorumcunque, etiam Sacerdotum, confessiones audire.

Barbosa.

3. Quòd verò, qui beneficium Parochiale obtinuit, non sit amplius examinādus à successore docet Panor. in cap. *Accepimus* de ætat, & qualit. num. 3. & 6. Riccius 3. p. praxis resol. 591. nu. 1. & habetur expressè in dicto cap. *Accepimus*, ibi, *Quos à te, vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constares*. Et ratio est, quia Parochus eo ipso, quòd parochiale beneficium obtinuit, habet ordinariam potestatem à Summo Pontifice. Ita Barbos. de offic. Parochi cap. 19. nu. 1. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 10. nu. 3. & habetur expressè in Clem. Dudum, de sepult. §. *Verùm*, vbi dicitur, quòd Parochis de iure competit prædicare, & confessiones audire.

Panorm. Riccius. Barbosa. Layman.

4. Quòd autem Parochus ille regularis parochiale beneficium habeat, constat, quia habet curam animarū, hoc est ius, & potestatē conferendi Sacramenta in populo certis limitibus distincto, & ipsi commisso; Parochialem autē Ecclesiam, & Ecclesiam curam animarum habentem, ius canonicum apertè beneficium appellat, cap. *Extirpandæ* fine, cap. *De multa* §. *Porrò* de præb. cap. *Cum in cunctis* §. *Inferiora*, de elect. Ita Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 1. q. 5. vers. *Nescio equidem* in med. Fagundez in 2. præcep. Eccles. lib. 7. cap. 2. nu. 40.

Azor. Fagundez

5. Obijcies 1. Concilium solùm loqui de Parochis, qui habent Ecclesiam in titulum, quam tamen non habet ille Parochus regularis.

2. Quia illa Cura animarum, quam habet dictus regularis, non potest vocari beneficium, cum de ratione beneficij ecclesiastici sit perpetuitas, ille autem regularis est amouibilis ad nutum superioris.

3. Quia congregatio Concilij, quam refert Fagundez in 2. præcept. Ecclef. lib. 7. cap. 2. nu. 56. habet, quòd confessores semel ab Episcopo præuio examine approbati, non possunt ab eodem iterum examinari, possint tamen à successore.

4. Quia Capellani, & coadiutores parochorum, vt videtur esse iste regularis, examinantur.

5. Quia si consuetudo alicubi obtinuerit, quòd dicti Parochi regulares examinentur, examinari possunt.

6. Quia Sacra Congregatio Concilij die 28. Augusti 1628. declarauit Parochos approbatos ab antecessoribus tempore prouisionis Parochialium posse ab Episcopo iterum examinari, tam in visitatione, quam extra.

6. Ad 1. Dico, illum Parochum habere illam Parochialem in titulum, quia habet ius ministrandi Sacramenta in illo populo, & exigendi fructus tali administrationi annexos, & tenetur rationem suæ administrationis reddere. Ita Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 16. q. 2. dicitur tamen communiter, non habere illam in titulum, sed solùm iure administrationis, & Commendæ, quia cum proprium habere nō possit, non facit fructus suos, sed quod recipit, vel exigit ratione dicti beneficij, tenetur tradere superiori illius Conuentus, qui illum alit, quod tamen non impedit, quominùs dicatur habere illud beneficium in titulum, vt innuit Trid. sess. 14. cap. 10. de reform. Colligitur ex Azorio loc. cit. vers. *Sed sciendum est*. Et Garcia de benefic. p. 7. cap. 10. num. 40.

Azor. Garcia.

Ad 2. Verum quidem est, quòd ille Parochus non habet illud beneficium perpetuum, sed hoc non obstat. Nam satis est, quod habeat eo modo perpetuum, qui ad rationem beneficij sufficiat; beneficij autem ratio non postulat, nisi vt ad certum, & finitum tempus non conferatur. Quòd verò beneficium detur ad tempus incertum, & infinitum, scilicet quoad illud reuocauerit superior, rationem beneficij non tollit, aut minuit; nam si superior voluerit, poterit illum Parochum per totam vitam in beneficio retinere. Huc accedit, quod perpetuum dicitur in iure, quod est poreitate, & habitu perpetuum, vt docent Innoc. Hostien. Abbas, & Glossa in cap. *Clericos* de cohabitat. cleric. & mulier. verb. *Perpetuam*. Adde, quòd perpetuū iura vocant, quod certo tempore non finitur, ac terminatur, etiamsi detur ad nutum, & voluntatem superioris. *Iuris peritus* ff. de excus. tut. Ita iisdem verbis Azor. p. 2. lib. 3. cap. 16. q. 12. sed hoc beneficium non est ad certum tempus, nec certo tempore finitur, & est potestate perpetuum, quia potest superior illud in perpetuum tribuere; ergo est perpetuum eo modo, qui satis est ad constituendum beneficium ecclesiasticum. Et quòd de essentia beneficij ecclesiastici non sit esse perpetuū Garc. de benef. p. 1. cap. 2. num. 66. Quia, inquit, beneficia regularia de sui natura sunt manualia, & ad nutū amouibilia; & quòd beneficia manualia sint verè beneficia, Azor. loc. cit. & Garc. loc. cit. nu. 66. Adde, quòd sacra Congreg. Rit. 9. Aprilis 1622. declarauit, quòd Parochus amouibilis Cathedralis in processionibus debet incedere cum capitulo dictæ Cathedralis supra Priores, & Plebanos, & Curatos Perpetuos

Innocen. Hostien. Abbas. Glossa. Azor.

petuos beneficiatos. Ita refert Barbos. in collect. bullar. verb. *Parochus* in fine. Ex quo colligo, quòd amouibilitas nihil officit, quo ad dignitatem dicto Parocho.

Ad 3. R. Illum Parochum non esse simplicem confessorem, sed esse Parochum habenté, præuio examine Episcopi, facultatem ordinaria auctoritate ministrandi, non solùm Sacramentum pœnitentiæ, sed alia omnia Sacramenta. Vnde non valet argumentari à simplicibus confessoribus ad ipsum. Tum quòd isti Parochi solent accuratiùs examinari ab Episcopis, cum examinentur ad curam animarum, & eodem rigore examinarut, quo alij Parochi, tum quòd habent maiorem præeminentiam, quam simplices confessores, & à minori ad maius *Rodriquez.* non valet argumentum. Videatur Rodriquez tom. 1. quæst. reg. quæst. 36. art. 4. vbi habet, quòd iste Parochus habet beneficium Curatũ.

Ad 4. R. Capellanum, seu Coadiutorem Parochi non esse beneficiarium. Tum quia non habet neque ius, neque titulum beneficij, sed *Abbas.* solum functionem, & ministerium, Ita Abbas *Azor.* in cap *De Rectore*, de Cleric. ægrot. nu. 6. Azor. p. 2. lib. 3. cap. 2. q. 4. Qui addit, quòd nequè etiã dicitur habere beneficium, etiamsi sit adiutor cum iure, & auctoritate succedendi, quia tunc solùm habet ius ad beneficium, non autem est in beneficio. Vnde non est mirum, cum beneficium Parochiale non habeat, quòd teneatur examini se subijcere.

Ad 5. Dico, quòd consuetudo, vt habeat vim, debet esse legitimè præscripta, at contra regulares non præscribitur, nisi per spatium 40. vel centum annorum, vt dicit Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 36. art. 3. col. vltim. & penul. Et data dicta præscriptione, onus eam probandi *Mascard.* incumbit asserenti, vt probat Mascard. de prob. concl. 1218. & in specie num. 6. Et insuper deberet probare titulum, & bonam fidem, & possessinem dictorum annorum, vt habet Rodriq. loc. cit. vbi similem ferè casum decidit. Nec obstaret, quòd dicti Parochi sponte se subiecissent dicto examini; nam præterquamquod non est verisimile, quòd scientes se non teneri ad examen, voluerint illi se sponte subijcere, cum de nemine præsumendum sit, quòd sua iura iactare velit, cap. *Super hoc*, cap. *Sollicitè*, de renunc. spol. dicta spontanea exhibitio examini, non potuit iuri publico dictorũ parochorum derogare, cap. *Si diligenti*, de foro comp. Adde quòd Romæ adest consuetudo, quòd dicti Parochi semel admissi, non amplius examinentur, etiamsi noui creentur Pontifices, & noui eorum Vicarij.

Ad 6. Dico, illam declarationem non officere, nam vel intelligitur, quòd quando Episcopus prouidet alicui Ecclesiæ vacanti de aliquo Parocho in interim, quo illi proprius Pastor assignatur, iste sic pro interim prouisus decedẽte Episcopo, possit à successore iterum examinari, & est conformis alteri declarationi, de qua in argumento contrario 3. loc. proposito, & rationi, quia cum non habeat neque beneficium, neque titulum, nullum ius habet non se dicto examini subijciendi, & videtur, quòd ita debeat dicta declaratio intelligi, nam alioqui posset Episcopus successor omnes Parochos examinare contra Concilium Trid. & DD. cit. nu. 3. quòd licèt aliqui concedant putantes Concilium solùm debere intelligi, quòd dicti Parochi non possint examinari ab eodem Episcopo, non autem, quod non possint à successore, cum tamen consuetudo, quæ est optima legum interpres, cap. *Cum dilectus* §. *Dictus de consuetudine*, semper sit interpretata, dictum locum Concilij, quòd dicti Parochi non possint, nec ab eodem, nec a successore examinari consuetudini standum est. Vel intelligitur, quòd possit Episcopus omnes Parochos tempore visitationis, vel extra examinare, & cum non faciat differentiam inter Parochos regulares, & seculares, non debet ordinarius successor eam differentiã facere, quòd si faciat, regulares grauat contra Clem. *Dudum*, de sepul. §. *per huiusmodi*.

CAP. XIV.

De forma instituendi Confessarium Ordinarium Monialium.



FRATER N. &c. Dilecto nobis in Christo Patri F. N. &c. Etsi Religiosis omnibus, ac Christi seruis cura nostra demandatis pastoralis officij debito consulere, ac prouidere in Domino tenemur; præ cæteris tamen omnibus impolluta templi vasa, pretiosasque margaritas, nostri Ordinis scilicet sanctimoniales, ac sponsas, quæ, ne profano quoquam fascinarentur obtutu, arctiori se se, abditiorique custodiæ manciparunt, singulari quodam nostræ circunspectionis auxilio, ac sollicita præsertim Spiritualis Patris, seu Confessarij deputatione in via Domini decet confoueri, quo feruentiùs salutari pœnitentiæ pharmaco spiritualibus suis medentes languoribus, cælestium contemplationi, ac purioris vitæ studio sine intermissione valeant desudare. Te igitur præfatum, de cuius vita, morumque integritate, prudentia itidem, scientia, atque peritia satis edocti sumus, cuique propterea spiritualis Christi sponsarum cura meritò possit commendari, ordinarium Monialium nostrarum Conuentus Sancti N. Ciuitatis N. Confessarium eligimus, & constituimus: earumdem Monialium, necnon secularium, si quæ in prædicto Monasterio extiterint, confessiones excipiendi, easque ab omnibus casibus, etiam nobis specialiter reseruatis, absoluendi, præfati insuper Monasterij clausuram, ad sacramenta illis in casibus vrgentis necessitatis ministranda, seruatis seruandis, ingrediendi facultatem tibi concedentes. In quorum fidem, etc.

Cap.

CAP. XV.

De forma instituendi Confessarium extraordinarium Monialium.

FRATER N. Inter cæteras pastoralis officij nostri curas, illa nos præcipuè vrget, ac fatigat, per quam infirmioris sexus, gregisque tenerioris, Sanctimonialium, inquam, virginea perpetuæ castitatis laureola sub Religionis nostræ iugo, altissimo famulantium, saluti, spiritualique consolationi prospicitur, ac pœnitentiæ onus, in quo hominum conscientiæ religantur, suauius, & leuius reddi posse arbitramur. Cum igitur ex Sacri Tridentini Concilij decreto idoneum Confessorem extraordinarium Monialibus nobis subiectis quotannis offerre, atque exhibere teneamur, quo eadem Christi sponsæ Sacramentali pœnitentiæ medicina indigentes liberiùs malis suis mederi, ac Diaboli laqueos valeant euitare; idcirco te præmemoratum Patrem, cuius iampridem honestos mores, prudentiam, atque doctrinam experti sumus, extraordinarium Confessorem Monialium N. Ciuitatis N. facultatem quoque easdem ab omnibus casibus, & censuris nobis reseruatis absoluendi tibi concedentes, eligimus, ac deputamus. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd in qualibet Prouincia debent constitui per Capitulum prouinciale adminus tres Patres graues, & periti, quorum officium sit examinare Prædicatores, Lectores, Confessores, ac etiam promouendos ad quoscunque ordines, priusquam à Prælatis approbentur ad præfata munera exercenda. Ita statuitur in const. 10. Vrbani VIII. §. 54. tom. 1. nostr. priu.

2. Noto 2. quòd Episcopi propriè non dant licentiam Regularibus cōfessiones audiēdi, sed solùm approbant personam, & iudicant, quòd talis persona regularis, quæ illis præsentatur, est idonea ad Sacramentum pœnitentiæ ministrandum; qua approbatione stante, illicò Papa illis facultatem facit dictum Sacramentum ministrandi. Ita colligitur ex Trident. sess. 23. de refor. cap. 15. ibi, *idoneus iudicetur, & approbationem, &c.* non dicit Concilium, quòd debeant obtinere licentiam, sed solùm approbationem, vt latè probo tom. 1. nostr. priuil. in const. 1. Sixti IV. num. 44. & in addit. ad dicta priuilegia, cap. 2. num. 2.

3. Noto 3. quòd in Clem. *Dudum*, de sepult. §. *Statuimus* decernitur, quòd Regulares approbandi ab Episcopis ad confessiones excipiendas, debeant à suis Prælatis illis præsentari per se, vel per idoneos Fratres, seu etiam per literas testimoniales dictorum Prælatorum (vt modo est in vsu) humiliterque ab iis petere, vt dictos sic præsentatos ad dictas confessiones excipiendas admittant. Quare ante omnia debent Episcopi à regularibus se exponētibus pro approbatione ad confessiones, petere dictas literas testimoniales præsentationis, quando personaliter non præsentantur per suos Superiores, vel per alios Fratres idoneos de eorumdem Superiorum commissione. Cum enim Regulares non possint examinari ab Episcopis, nisi super sufficienti literatura, vt dixi to. 1. priu. in const. 26. Leonis X. num. 8. & idoneitas morum potissimè requiratur in his, qui debent munus cōfessarij obire, primum probat Episcopus per examen, secundum supponit ex literis testimonialibus Prælati, vel præsentatione personali. Quare improbanda omnino est illa praxis aliquorum Episcoporum, qui absque dictis literis, vel præsentatione Regulares idoneos repertos quoad literaturam approbant ad dictas confessiones excipiendas; nec ego eos absoluo à peccato mortali; faciunt enim contra dictam Clem. in re graui.

4. Noto 4. quòd Confessores Monialium, tam ordinarij quàm extraordinarij post const. Gregorij. XV. §. 4. quàm habes tom. 2. nostr. priuil. in constit. eius 2. non sufficit, quòd solùm sint approbati à Prælatis regularibus quibus dictæ Moniales subiectæ sunt, sed prætereà debēt approbari, & idonei iudicari ab Episcopis, in quorū diœcesibus dictæ Moniales existunt. Possuntque Episcopi monere Prælatos regulares, vt dictos Cōfessarios Monialiū iam approbatos, ex causa rationabili ipsis Episcopis benè nota amoueant. Et in casu, quo non amouerant, possunt Episcopi, quoties, & quando opus esse iudicauerint, per se ipsos amouere. Et aduerte, quòd super dicta cōstit. factæ sunt à sacra Cong. Concilij diuersæ declarationes quoad hūc punctum, quas habes loc. cit. post dictam constitutionem. Et in primis, quòd Regulares ab Episcopis generaliter approbati ad excipiendas secularium confessiones, nō censentur approbati ad excipiendas confessiones Monialium, sed ad hoc indigent speciali approbatione. Nec approbati ad audiendas confessiones Monialium vnius Monasterij, possunt audire confessiones Monialiū alterius Monasterij, licèt sint eiusdem Ordinis. Similiter Confessores extraordinarij pro vna vice ab Episcopo approbati, non possunt pluriès in vim dictæ approbationis huiusmodi Monialium confessiones audire, sed toties approbari debent, quoties casus approbationis contigerit. Dixi tamen in tomo 3. priuil. regul. cap. 4. num 4. quòd secundum probabilem opinionem tempore Iubilæi Confessarius approbatus ad confessiones secularium audiendas, poterit Monialium confessiones audire, eisque munus absolutionis impendere, licèt non sit specialiter deputatus.

5. Et aduerte etiam, quòd ad Confessorem extraordinariū, qui ex decreto Concilij Trid. Monialibus assignatur, tenetur quælibet Monialis accedere, cui tamen liberum est illi sua peccata confiteri, vel non confiteri. Ita ordinatum est in quibusdam ordinationibus factis à Congreg. Regul. anno 1589. & anno 1592. vt refert Piasecius in praxi Episc. p. 2. cap. 3. pag. mihi 207. *Piasecius.*

6. Aduerte etiam, quòd dictus Confessarius extraordinarius potest ab Episcopis deputari Monialibus Regularibus subiectis, vigore Trid. sess. 24. de regul. cap. 10. etiamsi sit al-

Barbosa. terius Ordinis, vt resoluit Barbosa de potest. Episcopi, p. 2. alleg. 25. num. 48. Quod tamen intellige, si præfatæ Moniales petant, vel quia nolit earum Prælatus talem Confessarium deputare, vel quia deputato ipsæ nolint confiteri; nam hoc est priuilegium, quod inuitum non confertur, & expressè habet Trid. loc. cit. ibi, *Bis, aut ter in anno offeratur.*

7. Noto 5. quòd per illam clausulam positam in cap. 13. *Seruatis seruandis*, intelligitur; quòd prædictus Confessarius tenetur seruare omnes constitutiones Episcopi, & etiam Conuentus, si quæ sint institutæ pro recta administratione sui muneris.

CAP. XVI.

De forma confirmandi Vicarium electum loco Correctoris defuncti.

FRATER N. Ordinis N. in Prouincia N. Prouincialis. Dilectis nobis in Christo Patribus, & Fratribus nostri Conuentus S. N. de Sarzana salutem, ac perennem benedictionem. Ad excolendam Christi Domini vineam, meritis licèt imparibus, vocati, ijs libenter annuimus, ac nostræ potestatis robur propensiùs adijcimus, per quæ adsciti nobis eiusdem vineæ operarij, & concustodes in suscepta culturæ officio magis, magisque valeant stabiliri, & consoueri. Cum propter obitum igitur veneranda memoria P. F. N. Conuentus vestri olim Correctoris, eiusdem Conuentus Correctoriatu vacante, vos Fratres locales inibi, & vocales, ad quos præfata electio, iuxta nostras constitutiones, pertinebat, legitimè, vt per vestras singulorum syngraphis obsignatas literas nobis innotuit, congregati, in præfati Conuentus Vicarium P. F. N. virum pietate non minùs, quàm literis conspicuum elegeritis, necnon, vt electionem huiusmodi confirmaremus humiliter, obnixeque à nobis petieritis. Nos attendentes omnia in præfata electione requisita iuxta Canones, & Constitutiones, seruata fuisse, eandem, nostrorum Collegarum accedente consensu, duximus esse confirmandã, vt de facto his nostris literis laudamus, approbamus, & cõfirmamus. Prædicto insuper sic per vos electo Vicario omnẽ in spiritualibus, & temporalibus auctoritatem elargientes, quæ huiusmodi Vicarij solẽt, & debent perfrui, atque gaudere. Omnibus itidem, ac singulis eiusdem Conuentus Patribus, & Fratribus inibi, tam in præsentiarum commorantibus, quàm imposterum, eius durante officio, commoraturis, in virtute Sanctæ obedientiæ præcipientes, vt debitum illi honorem, atq; obedientiam, tanquam suo legitimo Superiori præstent, ac exhibeant. In quorum fidem, &c.

CAP. XVII.

De forma confirmationis Correctoris Romani.

FRATER N. Ordinis Minimorum Generalis. Venerandis Patribus, & Fratribus nostri Conuentus S. Andreæ de Fratis sal. Ex vestris literis singulorum subscriptis chirographo cognouimus die 29. Septembris anni præsentis in capituli locum, vt mos est, pro præfati Conuentus Correctore eligendo vos conuenisse, necnon, seruatis seruandis, venerabilem P. F. N. virum sanè literarum non minus splendore, quàm morum probitate illustrem vnanimi consensu elegiße. Quam porro electionem, vt confirmaremus, instanter, atque humiliter poposcistis. Nos attendentes omnia, quæ de iure, & more fieri, & seruari debent, in præfacta electione gesta, ac seruata fuiße, eam de nostrorum Collegarum consilio, & assensu confirmamus libenter, & approbamus, prædictumque Patrem à vobis electum in præfati vestri Conuentus Correctorem vobis damus, & concedimus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Omnem præterea auctoritatem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus super eiusdem Conuentus personis, ac bonis, quàm alij Correctores sic electi, & confirmati, tam de iure, quàm de approbata consuetudine habere consueuerunt, eidem elargimur; omnibus, & singulis in præfato Conuentu constitutis, & constituendis Patribus, ac Fratribus in virtute Spiritus Sancti præcipientes, vt prædicto Correctori à nobis sic confirmato, in omnibus, quæ Dei cultum, & Regulæ obseruantiam concernunt promptè obediant, illique debitum honorem, & reuerentiam exhibeant, ac persoluant. In quorum fidem, &c. Datum &c.



CAP. XVIII.

De forma confirmationis Prouincialium.



RATER N. Ordinis N. Generalis indignus. Charissimis in Christo Patribus, & Fratribus Prouinciæ nostræ N. salutem, atque Spiritus Sancti benedictionem. Vestras proximè super canonica vestri Prouincialis, suorumque Collegarum à singulis præfatis capitulantibus vnanimiter, seu canonicè, (si non fuerunt vnanimes) legitimè, ac pro more, loco, & tempore die penultima Septembris proximè præteriti, in prouinciali vestro celebrato capitulo, habita electione, proprio singulorum capitulantium chirographo obsignatas literas, accepimus; maximaque sumus lætitia affecti, quòd communi bono, diuini cultus incremento, necnon regulari obseruantiæ tam egregiè per vos consultum fuerit, ac prouisum, nostræque tandem expectationi, atque desiderio cumulatissimè satisfactum. Quandoquidem R. A. P. F. N. virum eximia pietate, eximia prudentia, ac doctrina, præclaris, ingenuisque moribus collucentem, in tractandis rebus versatum, in administrando solertem, omnique tandem virtutum genere coruscantem in benemeritum prouincialem coaptastis, ac elegistis. Cuius quidem electionem, vt nos, tanquam sublimiores potestates, quibus inferiores ordine subduntur hierarchicho, benedictione nostra, atque auctoritate confirmare, approbareque dignaremur, obnixe postulastis. Nos igitur attendentes, quicquid iuris humana potest conditio, tam exactè in ea obseruatum fuisse, vt quòd electioni obesse queat, nec in ipsa electione, nec in eligentibus seu electoribus aduertere quicquam potuerimus, de auctoritatis, ac potestatis nostræ Plenitudine, necnon de venerabilium nostrorum Collegarum consilio, & assensu, harum serie, ac tenore electionem præfatam approbamus, & confirmamus, ac benemeritum Prouincialem R. A. P. F. N. eiusque Collegas venerabiles Patres Fratres N. N. N. quos pariter confirmamus, vobis damus, ac concedimus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Prædictis omnibus, ac singulis omnimodam officij sui, iuxta Regulæ nostræ constitutionum, priuilegiorumque indulta, & præcepta, liberè exercendi facultatem tribuentes. Vniuersis præterea, ac singulis præfatæ nostræ Prouinciæ Patribus, & Fratribus nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna præcipientes, vt eidem Patri Prouinciali in omnibus ad Dei honorem, eorumque professionis institutum pertinentibus humiliter, promptequè obediant, ac subijciantur. In quorum omnium fidem, & robur præsentes, nostra, collegarumque nostrorum manibus subscriptas, maiorisque officij nostri sigillo munitas dedimus. Romæ in Conuentu, &c.

1. Noto 1. quòd ad confirmationem non requiritur certa forma, sed sufficit quodcunque dictum, aut factum, quo Superior, ad quem pertinet confirmare, declaret voluntatem suam confirmandi. Vnde si Superior fit præsens electioni, & eam factam voce approbet, nulla alia scriptura requiritur; similiter, si electus ad confirmatorem accedat, & hic illi dicat, Gaudeo tua electione, vel illum amplexet, seu benedicat, vel ei det locum illius Superioritatis, seu faciat, vt subditi illi manuum deosculatione obedientiam promittant, nihil aliud requiritur, cum tunc confirmasse censeatur; vbi enim verba non sunt de substantia, non minùs valet factum, quàm verba, vt docet Panor. in cap. *Ecclesiæ vestræ* el. 1. de elect. *Panormit.*
num. 3. Atque ita docent Sigism. de elect. dub. *Sigismun.*
46. num. 5. Lauor. de elect. tit. 4. cap. 25. *Lauor.*
num. 63.

2. Noto 2. quòd Generales omnium ferè Religionum statim ac electi sunt, censentur cõfirmati per priuilegia illis concessa, vt dicit Sigism. loc. cit. dub. 46. num. 3. & de nostro Generali constat ex const. 2. Iulij II. §. 1. & habetur in cap. Paulæ num. 23. vnde statim suũ officium exercet, verùm quidem est, quòd si extra Romam fiat electio, consuetum est, vt antequam incipiat Religionem visitare, accedat ad deosculandos pedes *Sanctissimi*, ab eoque benedictionem petat. Idem fit, cum electio celebratur Romæ, sed tunc accedunt ad dictum Papam omnes capitulantes processionaliter cum omnibus alijs Fratribus, qui tunc Romæ reperiuntur, quasi illi præsentantes electionem factam, suamque benedictionem, & approbationem petentes; quæ praxis seruatur etiam ab alijs Religionibus, præsertim quando Capitulum celebratur Romæ. Si tamen electio fiat in Hispania V.G. & priùsquam Romam petat, velit illas Prouincias visitare, bene potest; quia, vt dixi, iam est confirmatus. De Prouincialibus autem maior est difficultas, an statim electi habeant administrationem. Singularũ Religionum constitutiones sunt inspiciendæ. In nostra habent statim administrationem, per cap. Paulæ cit. & per dictam const. 2. Iulij II. §. 4. sed non per hoc censentur statim confirmati, sed tenentur confirmationẽ petere à Generali intra tres menses, prout statuitur in cap. *Quam sit* de elect. in 6. & colligitur ex dicto cap. Paulæ. Idem dicendum est de Correc-

torij

toribus Romanis; nam licèt statim electi habeant administrationem, tenentur nihilominus intra dictum tempus confirmationem petere à Generali. Quòd si tà Prouinciales, quam dicti Correctores intra dictum tempus confirmationem non petierint, eorum respectiuè electiones nullæ ipso iure censentur, dicto cap. *Quam sit* §. *Cæterum* de elect. in 6. Et ratio horum est: quia illud exercitium non est perfectum, nisi post confirmationem, vt dicunt Lauor. de elect. tit. 4. cap. 25. num. 66. Sigism. de elect. dub. 46. nu. 17. Vnde semper ante confirmationem, potest contra dictam electionem opponi, non obstante præfato exercitio, vt Lauor. ibid. num. 6. Quare illud exercitium non est absolutum, sed conditionatum, donec confirmatio accedat; nec per illud potest absolutè dici traditam esse prælaturæ possessionem, sed solùm commodatam ad tempus, ne Prouincia sinè capite remaneat.

Lauor.
Sigismun.

3. Noto 3. quòd ad confirmatorem pertinet diligenter examinare electionem, & personas eligentium, & electorum, priusquàm ad confirmationem procedat, cap. fin. de elect. in 6. cap. *Cum nobis*, cap. *Venerabilem*, cap. *Nihil*, de elect. Dixi tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 31. §. 11. conclus. 1. Et docent communiter Doctores, Lauorius de elect. tit. 4. cap. 25. num. 52. Sigismund. de elect. dub. 46. num. 7. Castell. de elect. cap. 14. num. 6. Et hoc, etiamsi nihil contra electum opponatur, cap. *Cum nobis* §. *His igitur*, cap. *Nihil*, de elect. vbi Gloss. verb. *Examinet*; Castel. num. 6. Lauor. num. 53. Verùm dixi loc. cit. Relig. quòd erat tuta, & iuridica illa praxis, & consuetudo, quam obseruant omnes ferè Religiones, confirmandi electiones Prouincialium, nullo præcedente iuridico examine, & adhibendi fidem famæ, & literis testimonialibus capitulantium. Quod etiam probat Sigism. de elect. dub. 46. num. 32. Lauor. loc. cit. num. 60. Colligitur ex Clem. *Exiui* §. *Demum*, de verb. signific. ibi, *exceptione*, vbi Glossa not. 5. qui textus, licèt loquatur solùm de ordine Minorum, corroborat tamen consuetudinem aliorum Ordinum.

Lauorius.
Sigismun.
Castellin.

4. Noto 4. quòd prædicta confirmatio potest dupliciter fieri, 1. in forma communi; & est, quando fit conditionaliter, non cognito de causa, vt si dicatur, *Confirmo te in Prouincialem, si legitimè electus fuisti*, seu, *Si res ita se habet, vt nobis scripsistis*, seu simpliciter confirmet, absque vlla cognitione causæ: sed hæc confirmatio nullum ius tribuit, & ea non obstante, potest quilibet contra electionem sic confirmatam opponere, valet autem, si electio sit legitima, & nihil contra illam opponatur; nam tunc ea electio nulla viterius confirmatione indiget, & de hac confirmatione est textus in cap. *Quia diuersitatem*, de concess. præb. & ibi Gloss. in ver. *Forma communi* 2. fit confirmatio ex certa scientia; & est, quando confirmator est plenè informatus de toto negotio electionis, & in cõfirmatione apponit clausulam, *Confirmamus ex certa scientia*, seu aliam æquiualentem, V. G. *Nos attendentes, dictam electionem esse legitimam*; seu *in ea fuisse omnia, quæ iura requirunt, obseruata*; vel *Cum nobis constet electionem fuisse canonicam, &c.* Hæc confirmatio ius tribuit, actus confirmat, & consolidat, vnde contra eam non potest amplius opponi; cap. 1. de transact. Quòd si hæc confirmatio fiat à Papa, vel eius Legato, cum clausula, *Supplentes de plenitudine potestatis omnem defectum*, talis confirmatio operatur, vt electio alias inualida ex tunc validetur, vt probat Panor. in cap. 1. de confir. vtil. vel inutil. num. 6. & 7. Baysius de elect. p. 3. cap. 43. num. 11. Et quod Legatus de latere, seu Nuncius Apostolicus, habens auctoritatem Legati de latere, possit confirmare Prouinciales electos, docet Baysius loc. cit. num. 4. Boerius ad Mandagot. de elect. cap. 56. lit. X. versu *Coram Papa*; qui tamen limitat, nisi fuerit ad Papam appellatum.

Panormit.
Baysius.
Boerius.

5. Aduerte autem, quod dicta clausula, *Supplentes omnem defectum*, non supplet defectus substantiales, V. G. si electus esset excommunicatus, &c. sed solùm defectus solemnitatis, V. G. absentiam electoris, omissionem missæ de Spiritu Sancto, &c. de quibus defectibus dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 31. atque ita docet Redoanus de alien. rubric. 21. num. 74. tom. 15. tract. p. 2. Quod tamen limitandum est, nisi confirmator haberet certam scientiam dicti defectus substantialis: nam tunc Papa, aut Legatus confirmans cum tali notitia, censetur etiam, dicto defectu substantiali non obstante, confirmare. De hac autem certa scientia deberet constare in literis confirmationis, per clausulam specialem significatiuã defectus, aut generalem, quæ diceret, *Supplentes omnem defectum etiam substantialem*. Atque ita docent expressè Felin. in cap. *Ex parte*, el. 1. de rescrip. num. 42. Baysius loc. cit. Melchior Palaez in quæst. feudal. p. 4. q. 2. num. 6. tom. 10. tract. p. 1. Lauor. de elect. cap. 25. num. 78. qui bene addit, quòd Papa potest supplere defectus quidem substantiales, sed illos tantùm, super quibus potest dispensare, illos scilicet, qui sunt de iure positiuo, non autem illos, qui sunt de iure naturali, vt defectus omnimodæ scientiæ, vel si electus esset ita vitiosus, vt præbiturus esset scandalum, & ruinam communitati, iste enim defectus est de iure naturali, & diuino, quod dictat, vitiosis non esse Reipublicæ administrationem committendam, vtpore qui eam suis malis exemplis sunt perdituri, & Paulus aiebat, Prælatum debere sinè crimine esse. Et quòd dicta clausula *Supplentes omnem defectum* non suppleat defectus naturales, docet Barbosa de clausulis, claus. 104. num. 3.

Redoanus.
Felinus.
Baysius.
Palaez.
Lauorius.
Barbosa.

6. Noto 5. quòd electio illius, qui est grauatus in fama apud viros bonos, non est confirmanda, vtpote si fuit accusatus de aliquo graui delicto. Ita habetur expressè in cap. *Omnipotens Deus*, de accus. & ibi Gloss. & in cap. *Tantis Daniel*, d. 81. Gloss. in cap. vlt. de test. & attest. ver. *Pendente*, ad quod facit doctrina Aret. in pract. crim. de num. test. cap. 2. vers. *Testes itaque*, Thomæ à Iesu tract. 3. de visit. regul. cap. 7. nu. 10. asserentium, *Quinque, aut sex testes singulares, quamuis nihil probent ad infligendas poenas ordinarias, & positiuas, sufficere tamen ad excludendum aliquem electum à Definitoriatu, vel Prouincialatu, &c.* & id colligunt ex Iulio Claro in pract. crim. q. 53. vers. *Dixi etiam*.

Aretinus.
Th. à Iesu
I. Clarus.

Nec est confirmanda illa electio, ex qua timetur futurum aliquod scandalum, etiamsi electua nullum defectum patiatur. Ita Panor. in cap. 1. de elect. num. 8. Turrecrem. in cap. *Si forte*, d. 63. & in cap. *Si duo*, d. 79. num. 1. P. Greg. de elect. cap. 5. nu. 22. Felin. in cap. 2. de præscrip. num. 2. vers. *Decimus tertio*; Rota coram Seraph. decis. 516. num. 4. Sigism. de elect. dub. 45. num. 7. nam multa licita sunt dimittenda scandali vitandi causa, iuxta ea, quæ dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 7. concl. 4. vers. *Ad euitandum*. Putant etiam aliqui, quòd electio facta in magna discordia, & sine magno excessu votorum possit à confirmatore cassari, ad euitandas futuras discordias, religiosam tranquillitatem euertentes, præsertim quando electus est vir cholericus, & iniuriarum memor, ac vindicatiuus. Ita Castell. de elect. cap. 14. num. 58. ver. *Et pariter*; Azor. tom. 2. Instit. moral. lib. 6. cap. 14. q. 11. pro quo facit cap. *Nihil*, §. *Cæterum*, de elect. ibi, *in concordia*. Quod dictum tamen limitandum est, nisi post electionem conueniant, & repacificentur, vt solet. Aliqui etiā censent, liberū esse confirmatori, confirmare, vel cassare electionē, prout sibi secundùm scientiam priuatam, vel publicam videbitur bono communi expedire, ac etiam posse electionem canonicam, & in persona benemerita factam cassare. Ita Bannes 2. 2. q. 67. ar. 2. in respons. ad 2. quem tamen Castell. loc. cit. num. 56. & Lauor. de elect. tit. 4. cap. 25. num. 59. intelligunt, supposita semper causa rationabili, quæ apta sit iuridicè probari, si fuerit necesse, & cum hac limitatione subscribo. Et aduerte bene, quòd Superior confirmans electionem illius, quem scit esse negligentē, & remissum in obseruantijs regularibus, peccat mortaliter, licèt aliàs nullum defectum patiatur. Ita Megalius in promptuario, ver. *Correctio fraterna*, num. 13. vers. *Ex quibus*.

7. Sed hic quæres, an causa rationalis, quam prætendit confirmator habere non confirmandi, debeat iuridicè probari, an verò satis sit, eam probare extraiudicialiter? R. quòd confirmator non tenetur dictam causam iuridicè probare, sed sufficit, quòd eam probet extraiudicialiter absque examinatione iuridica, restium, & instrumenti, ad solam famam attendendo. Ita Innoc. in cap. *Postquam*, de electione, Io. Andreas ibid. num. 6. & in cap. 1. de postul. Prælat. num. 4. & 5. Butrius in cap. 1. de postul. Præl. num. 50. Anchar. in dict. cap. *Postquam*, num. 3. Lauor. de elect. tit. 4. cap. 25. num. 55. Abbas in dict. cap. *Postquam*, Castell. de elect. cap. 14. num. 47. Et est textus expressus in Clem. *Exiui* §. *Demum*, de verb. signific. circa fin. & in cap. *Indemnitatibus*, de elect. in 6. Et ita seruatur in Religione Minorum, vt probat dicta Clem. cit. & dicit Sigism. de elect. dub. 46. num. 9. Et de Religione Prædicatorum idem dicit Castell. loc. cit. nu. 12. Et in Ordine nostro ita etiam semper seruatum fuit. Cum enim anno 1611. in Prouincia Paulæ electus fuisset in Prouincialem P. F. Gregorius Baronus, ea electio absque processu, & iuridica informatione, cum solo consilio, & cōsensu Collegarum fuit à P. Generali tunc temporis Didaco Arias cassata, & eius loco electus Pater F. Ioannes de Paula. Quod eodem tempore ab eodem Generali factum est in Prouincia Tusciæ, cum. enim ibi fuisset electus P. F. Isidorus de Mayda, eam electionem dictus Generalis cassauit, & eius loco elegit Patrem Fratrem Marcellum à Paula. Idem contigit anno 1633. in Prouincia Neapolis: cum enim ibi esset electus Prouincialis P. Petrus à Neapoli. R. P. F. Franciscus à Longobardis dictam electionem cassauit modo dicto, & eius loco elegit P. F. Chrysostomum à Neapoli, & idem eueniit in Prouincia Granatensi anno 1634. vbi idem Generalis cassauit electionem Prouincialis factam in personam P. Petri de Cuenca, & Cardenas, & eius loco suffecit P. Thomam Camposano; & eodem anno cassauit idem P. Generalis in Prouincia Hispalensi electionem Prouincialis in personam P. Petri Veterano, & eius loco elegit P. Petrum Vasquez, & supponitur in cap. generali Aueniion. 2. nu. 14. Et hoc singulis annis seruatur in capitulis definitorijs, vbi electiones Correctorum, iusta interueniente causa, approbantur, & reprobantur, absque figura iudicij. Probant hoc alij ex eo, quòd Prouinciales absque iuridica informatione confirmantur cum sola consultatione Collegarum, & Generalis, & cum contrariorum eadem debeat esse disciplina, cap. *Translato*, de const. cap. *Intellectum*, de iuresur. Aristot. 7. top. cap. 1. eodem modo poterit Prouincialium electio infirmari, absque scilicet iuridicis informationibus. Sed hæc ratio non probat: nam illud axiomā, *Contrariorum, &c.* intelligitur procedere, quando militat eadem ratio, non verò quando diuersa, vt latè probat Tuschus lit. C. conclus. 113. per totam. Hic autem militat diuersa ratio, nam iura promptiora sunt ad fauendum, leg. *Fauorabiliores*, ff. de regul. iuris, leg. *Absentem*, ff. de pœnis. Et aduerte, quòd quando electio cassatur propter formam non seruatam, aut defectum electorum, nullum præiuditium fit famæ, & honori electi. Ita expressè in cap. *Considerauimus*, de elect. Aduerte etiam, quòd vbi est consuetudo, vt causa non confirmandi iuridicè probetur, ea seruenda est, vt constat ex his, quæ habet Gonzal. ad reg. 8. cancell. in annot. gloss. 9. num. 43. & Sigism. de elect. dub. 46. num. 8. & eam etiam censeo esse iuridicè probandam, quando confirmator esset inimicus electi. Immò quod semper sit iuridicè probanda, probat Portel p. 2. casu 4. num. 3. de casibus conscientiæ, quod est valde rationabile, & ad obuiandum fraudibus optimum remedium.

8. Sed pone, quòd in aliqua Prouincia sint electi duo Prouinciales, quisnam eorum erit confirmandus? R. nullum esse confirmandum quando electores malo zelo, & temeritate certantium sic elegerunt. Ita habetur expressè in cap. *Si duo*, d. 79. præsertim, quando id factum est cū scandalo, Gloss. in cap. *Considerauimus*, ver. *Ordinationem*, de elect. Si autē bono zelo ducti partes ita se diuiserunt, tunc iudicio Prælati, qui habet cōfirmare, ille præferendus est, qui maioribus meritis iuuatur, & qui magis à Prouincia appetitur. Ita habetur expressè in cap.

cap. *Si fortè*, 1. q. 3. cap. *Nec nouum*, iuncta gloss. margin. 8. q. 1. potest verò Prælatus confirmans, dictis electionibus cassatis, quem voluerit è duobus de nouo eligere, cap. *Considerauimus*, de elect. vbi id docent Anchar. & Io. Andr. num. 7.

Anchar. Io. Andr.

9. Sed pone casum, quòd Superior, qui habet confirmare Prouincialem V. G. casset electionem digni, & nouam electionem in personam, alterius faciat, illique possessionem tradat; si primo electus appellet de dicta cassatione ad Superiorem illius, qui habebat confirmare, & obtineat sententiam fauorabilem, scilicet suam electionem fuisse canonicam, & ideò malè fuisse cassatam, quisnam ex his duobus erit in Prouincialatu sustinendus? Respondeo, videri posse alicui secundam electionem esse sustinendam.

1. Quia, primò electus per electionem ante confirmationem non acquisiuit, nisi ius ad rem quod est valde tenue, cap. *Quam sit*, de elect. lib. 6. & reuocabile, nam sic electus non dicitur assumptus, aut promotus, cap. *Super his*, de accusat. & nullam tribuit actionem in rem, sed tantùm in personam, vt dicunt DD. citan. At verò secundò electus ab habente potestatem confirmandi, cum censeatur electus, & confirmatus, acquisiuit ius perfectum, idest, ius in re, quod omnino est irreuocabile. Ita docent Lessius lib. 2. de iust. cap. 2. dub. 2. num. 10. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 16. q. 3. & cap. 14. q. 4. Nauar. in man. cap. 17. num. 69. Castell. de elect. cap. 1. num. 17. facit Felin. in cap. *Cum Bertoldus*, de sent. & re iudic. num. 3. quatenus ait, quòd beneficium per solam electionem nō dicitur esse Clerici. Facit nostrum Correct. num. 108. qnatenus solis Prouincialibus electis, & confirmatis tribuit liberum exercitium sui officij.

Lessius. Azor. Nauarr. Felinus.

2. Quia si Titius vendat equum Caio, & antequam eum illi tradat, vendat Mæuio, prior emptor, ideſt Caius, habet quidem actionem contra Titium, & potest eum cogere ad restitutionem pretij, & interesse, sed non potest sibi vendicare equum, quia primus emptor per solam venditionem acquisiuit solùm ius ad rem; at secundus per venditionem, & traditionem acquisiuit ius in re, ita Lessius loc. cit. Couarru. lib. 2. variar. cap. 19. num. 4. Rebell. de oblig. inst. p. 2. lib. 14. q. 7. sect. 2. num. 13. Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 2. vers. *Sicut autem*; Gomezius variar. tom. 2. cap. 2. num. 20. Ita dicendum est in præsenti casu, cum eadem ratio militet in vtroque.

Molin. Gomezius.

3. Quia si Petrus contrahat sponsalia cum Antonia, & deinde Antonia etiam sine vlla legitima causa contrahat matrimonium de præsenti cum Paulo, tenebit matrimonium de præsenti, cum sit indissolubiliter contractum cum Paulo, nec poterit Petrus repetere ab eo sponsam, sed solùm agere contra sponsam, & alios, qui cum ea promiserunt, actione iniuriarum, vt habetur in cap. *Si inter*, de sponsal. & cap. 1. de sponsa duorum, & docet Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 48. num. 1. At electio comparatur sponsalibus, & confirmatio matrimonio de præsenti, quoniam per electionē inchoatur spirituale coniugium inter Prælatum, & Ecclesiam, quod per confirmationem perficitur, vt habetur in cap. *Inter corporalia*, de transl. Episc. & ibi Barbosa num. 4. vbi affert innumeros Doctores docentes, valere argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, sed in matrimonio carnali matrimonium de præsenti prælertur matrimonio de futuro contracto per sponsalia, ergo, & in spirituali debet præferri.

Sanchez. Barbosa.

10. His tamen non obstantibus, puto, quòd eo casu sit sustinendus 1. electus. Tum quia iure suo iniustè priuatus est restituendus; cap. *Conquerente* de rest. spoliat. sed iste fuit priuatus iure suo per electionē acquisito; quòd enim electio ius tribuat electo, probo tom. 1. Relig. q. 1. cap. 31. §. 6. conclus. 11. & etiam in Ordine nostro, vt probo ibid. §. 7. per totum. Nec quidquam facit, quòd hoc ius tenue sit; enim vtcunque tenue, ius tamen est, quo electus absque rationabili causa priuari non potest, vt ijsdē locis probaui. Tum quia leg. *In operis*, ff. *locati*, disponitur, quòd si quis locauit rem duobus, tenetur soluere primo, & ille præfertur 2. conductori, etiamsi huic res locata fit tradita, & id expressè tenet. Iason in leg. *Quoties*, Cod. de rei vendic. col. 8. vers. 13. dicens, quòd id est frequens, & quotidianus casus: ergo pari modo, si illa Prouincia est locata duobus (non enim potest dici maritata, quia non est verè connubium, cum sit temporale, sed congruentiùs dicitur locata, vt concubina, quæ concubinario non maritatur, sed locatur ad tempus) primus est secundo præferendus. Tum quia, si quis à me aufetat iniustè pallium, & alteri vendat, illudque illi tradat, possum ego illud repetere, & ab emptore etiam bonæ fidei recuperare, immo iste emptor bonæ fidei, statim ac sciuerit pallium esse meum, tenetur illud mihi restituere, vt dicunt omnes Doctores de hoc agentes, in specie Sayrus in claui reg. lib. 10. tract. 2. cap. 2. num. 1. quare ergo non potero recuperare Prouincialatum à me iniustè ablatum, etiam ab eo, qui bona fide possidet? Neque valet, quòd iste secundo electus, fuerit electus à Superiore habente potestatem; nam cum Superior non habeat talem facultatem, nisi in casu illegitimæ electionis, cum electio in casu nostro fuerit legitima, vt suppono, talis facultas ei non competit. Neque item valet dicere, quòd is, à quo ablatum est pallium habebat ius in re in illo pallio, electus autem ante confirmationem habet solùm ius ad rem; nam sicut ille, à quo ablatum est pallium non habet amplius in eo ius in re, cum illud non possideat, habet tamen ius ad rem, quia habet ius ad illud recuperandum, ita illi, qui solùm habebat ius ad electionem, cum illo fuerit priuatus iniustè remanet aliquod ius ad illud recuperandum. Tum denique quia, si contraria doctrina admittatur in Religionibus, omnia breui tempore ad dominium despoticum, & tyrannicum reducentur: non enim omnes superiores sancti, neque omnes iusti, ac pij. Atque ita multis probat Portel 2. p. cas. casu 4. num. 9. Nec est nouum in iure, quòd electio iam confirmata cassetur cap. *Quod sicut*, cap. *Cum dilectus*, cap. *Cum inter Canonicos*, de elect.

Iason. Sayrus. Portel.

11. Ad 1. ergo in contrarium R. quòd licet ius per electionem acquisitum imperfectū sit, ius tamen est, quo electus iniustè priuari non potest; nec potest absolutè dici ius ad rem, cum tribuatur illud ius cùm traditione expressa officij, & illius exercitio; vnde post acceptationem videtur potiùs ius in re, sed adhuc imperfectum ante confirmationem; pro quo facit cap. *Si tibi absenti*, de præb. in 6. Deinde licet singulariter sit verum, quod qui habet solùm ius ad rem, non habeat actionem realem, sed solùm personalē, id tamen fallit in duobus casibus. 1. quando res est tradita alicui titulo gratuito. 2. quando ille, cui est tradita, eam mala fide accepit, idest sciens iam fuisse alteri traditam, vt explicat Couarr. lib. 2. variar. cap. 19. num. 5. Atque ita similiter Lessius lib. 2. de iust. cap. 3. dub. 3. num. 13. Cum ergo in casu nostro Prouincialatus titulo gratuito traditus sit illi, qui sciebat, iam illum per electionem fuisse collatum alteri, certum est, quòd hic habet ius, & actionem etiam realem ad recuperandum dictum Prouincialatum sibi iniustè ablatum. Adde, quòd licet ius ad rem sit tenue, non est tamen ita tenue, quin Doctores dicant, eum, qui iniustè impedit aliquem à consecutione alicuius dignitatis, ad quam certò fuisset electus, teneri ad restitutionem damnorum, quæ ob id passus est eligendus, vt bene probat Sayrus in claui reg. lib. 11. c. 3. n. 18.

Couarruu. *Lessius.*

12. Ad 2. Illa doctrina non admittitur in venditore ecclesiastico, in quo maximè reprobata est variatio, & illusio, cap. *Quod autem*, de iure patron. Clem. *Cum illusio*, de ieiunio. Et probant Roman. Alex. Hippol. apud Couar. loc. cit. num. 4. Sed esto, quòd etiam in hoc admitteretur, vt probat Couar. ibi, ea tamen non habet locum in eo, qui scit, rem fuisse alteri venditam, vt limitat ibid. Couarr. num. 5. Less. loc. cit. & Gomezius rem ex professo tractans tom. 1. variar. cap. 2. num. 20. vers. *Secundò principaliter limita*. In casu autem nostro, qui secundò Prouincialatum accepit, sciebat illum iam fuisse alteri per electionem collatum; vnde, qui illo fuit iniustè priuatus habet ius reale ad illum recuperandum.

Couarruu. *Lessius.* *Gomezius.*

13. Ad 3. concedo totam vim argumenti. Sed dico, illud habere solùm locum in beneficijs ecclesiasticis, in quibus beneficiarius maritat se vinculo indissolubili, ac perpetuo ecclesiæ sibi traditæ. Sed dignitates regulares non sunt propriè beneficia ecclesiastica, vt probo cū multis tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 31. §. 9. sub conclus. 21. nec illas habens maritat se ecclesiæ vinculo perpetuo, sed solùm temporali, nec illas amat, vt sponsas, sed vt concubinas ad tempus, vt loquitur Sanchez lib. 2. consil. cap. 1. dub. 2. num. 1. quare non est mirum, si dignitas alteri collata, & tradita per Superiorem, qui eligendo confirmauit, possit recuperari ab eo, qui solùm ad illam fuerat electus.

Sanchez.

14. Ad vltimum. Attende 1. pro practica, quòd Prouincialis electus à Capitulo, cuius electio fuisset cassata à Generali, & alius eius loco electus, posset, habita notitia de noua electione, intra tempus congruum appellare ad superiorem, & interim se manutenere in possessione officij, & alter electus à Generali teneretur habere patientiam, quousque per Superiorem, ad quem fuit appellatum, declararetur, electionem primam fuisse benè, vel malè cassatam. Puto enim, quòd appellatio executionē retardet, vt probaui tom. 3. priuil. regul. cap. 4. num. 17. Et ita etiam tenuit P. Trimarchi noster. Et licet hic electus à Generali, sit electus, & confirmatus, cum tamen non adhuc habeat possessionem officij, quæ est de essentia illius, potest ille, qui est in tali possessione, à prætenso grauamine appellare, & in dicta possessione se manutenere, cum melior semper sit conditio possidentis.

Trimarchi.

15. Aduerte 2. quòd quando electores dubitarent de cassatione electionis ab ipsis factæ, petendo confirmationem, possent addere clausulam. *Quam confirmationem sperant à benignitate P. V. R. obtinere; quòd si secus fiat, protestantur velle audiri, & ex nunc appellant ad Sedem apostolicam.* Sic enim ligantur manus confirmatoris, vt licet cassare possit, non possit tamen nouam electionem facere; nam, appellatione interposita, non potest fieri noua electio; quod si fiat, est ipso iure nulla, vt statuitur in cap. *Considerauimus*, de elect. Vnde electus faciliùs suam electionē defendet, cū ius quærēdum faciliùs impediatur, quàm quod tollatur ius iam quæsitum, vt probat Barbosa in axiomat. iuris, axiom. 135. num. 2. & faciliùs est vnum cōfirmatorem superare, quàm confirmatorem, & de nouo electum. Nec debent confirmatores tali clausula dedignari: nam qui ius suum quærit, nemini facit iniuriam, vt probat idem Barbosa.

Barbosa.

CAP. XIX.

De forma erigendi Confraternitates.



RATER N. &c. Ordinis Prædicatorum Vicarius Generalis. Vniuersis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Cum inter alia priuilegia, quibus à Sancta Sede Apostolica Religio nostra decorata est; secularium Confraternitates sub inuocatione Sanctissimi Rosarij erigendi, eisque spirituales gratias, priuilegia, & indulgentias communicandi habeat facultatem; in huiusmodi Confraternitatibus constituendis si ad Christi fidelium salutem promouendam expedire animaduertit, liberalem se se præbere consueuit. Nos igitur, qui generalem totius Ordinis curam gerimus, sperantes fore, vt ex hac spiritualium gratiarum participatione Christi fideles ad deuotionem, & pietatem magis excitentur; auctoritate nobis à summis Pontificibus concessa, Confraternitatem Sanctissimi Rosarij in Ecclesia Sanctæ Margaritæ loci N. Diœcesis N. de consensu Illustrissimi Archiepiscopi Diœcesis præfatæ, qui eiusdem Confraternitatis institutum, pietatem, ac religionem literis patentibus nobis nuper

exhibitis,

exhibitis, commendauit, dummodò tamen alia similis in ipso, vel alio ad tria milliaria propinquo loco, hactenus erecta non fuerit, per præsentes nostras literas instituimus; illique, & pro tempore existentibus vtriusque sexus Confratribus elargimur, & communicamus indulgentias; priuilegia, & spirituales gratias sigillatim inferius descriptas, nostræque primariæ Confraternitati Sanctæ Mariæ super Mineruam nominatim, expressè, & præcisè per Breue S. D. N. Pauli Papæ V. tenoris sequentis concessas. Hic ponitur per extensum totum Breue Sanctissimi Papæ, qui indulgentias instituendæ Confraternitatis concessit. Deinde subditur. Quibus omnibus indulgentijs, & spiritualibus gratijs singillatim descriptis, Confraternitatem ipsam nunc erectam eiusque confratres potiri, & gaudere posse decernimus, iuxta felicis record. Clem. Papæ VIII. constitutionem sequentem. Hic ponitur totus tenor constitutionis Clementis VIII. quæ incipit, Quæcunque, quam habes apud Quaran. in sum. verb. Confraternitates, pag. mihi 272. & apud Cherub. tom. 3. bull. constit. 115. Clem. VIII. pag. mihi 164. Deinde subditur. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd ista forma desumpta est ex summa bullarij Quaranta loc. cit. & aliam similem formam pro Confratribus habentibus facultatem aggregandi, affert Flauius Cherub. (Fl. Cherub.) in compend. bullarij, in const. 111. Clem. VIII. quam const. Clementis declarat ad longum Franciscus Leo (F. Leo.) in thes. fori eccles. p. 4. cap. 2. & ego cap. 9. num. 78. tom. 3. priuil. regul. illam affero in summa cum nonnullis declarationibus circa eam factis à sacra Congreg. Indulg.

2. Noto 2. quòd non seruata forma instituendi, vel aggregandi Confraternitates data à Clem. VIII. in supradicta const. Confraternitas instituta, vel aggregata nullum habet priuilegium, neque indulgentiam, sed est nullius roboris, & momenti, cap. Cum dilecta, de rescrip. cap. fin. de rest. spoliat. Franciscus Leo loc. cit. nu. 104.

CAP. XX.

De forma eligendi Conseruatorem in aliqua Prouincia, vel Conuentu.

FRATER N. Ordinis N. Generalis, Illustrissimo Domino N. Episcopo N. salutẽ in Domino. Sedes Apostolica regularium personarum, quæ relicto seculo, Dei se se obsequio manciparunt, quieti, ac tranquillitati consulere cupiens, ad ea, quæ religiosum earumdem propositum impedire possunt remouenda, sollicitè semper, ac paternè intendit. Contuens igitur, refrigescente charitate, sic complurium iniquitatem abundare, vt succensa, velut ignis, eorum impietas, contra ecclesias, ac regulares personas, eò validius inflammetur quò eas infirmiores esse vel, qui easdem tueantur, rariores cernit comperiri; huiusmodi molestatoribus, præsumptoribus, atque iniuriosis hominibus se se opponere, eorumdemque temeritatem compescere quam maximè cupiens, viros grauitate, auctoritateque præcellentes, necnon in ecclesiastica dignitate constitutos, qui eas ab apertis iniurijs, & vexationibus tuerentur, in Protectores, Conseruatoresque eligendi facultatem gratiosè concessit, ac liberaliter impertiuit. Quo sane beneficio nostræ Prouinciæ N. Patres frui peroptantes, in suo prouinciali Capitulo nuper in Conuentu S. N. ciuitatis N. die 29 septembris anno 1634. celebrato, Illustrissimæ vestræ dominationis pietati, virtuti, doctrinæ, ac zelo, necnon in agendis prudentiæ summopere fidentes, vnanimi voce, ac suffragio eam pro futuro dumtaxat quinquennio in Conuentus N. Conseruatorem libentissimè elegerunt; quatenus, videlicet iuxta canonicas sanctiones, sibique ab apostolica sede concessa priuilegia, efficacis suæ defensionis præsidium, vt res postulauerit, eidem præstare, ac exhibere non dedignetur. Nos prudentiam, doctrinamque vestram religiosas virtutes, ac regiminis experientiã probè cognoscentes, maxima sumus ob huiusmodi electionem affecti iucunditate, vestri muniminis clypeo, consilio itidem beneficio, ac virtute non parùm sperantes impiorum, perditorumque hominum molestias, vexationes, atque iniurias facillimè delusuros. Quamobrem præsentium tenore, ac vi præfatam Dominationis vestræ electionem notam facimus, eamdemque, quantum officij nostri ratio postulat laudamus, approbamus, & confirmamus cum omni ea auctoritate, & potestate, qua iuxta canonicas sanctiones, & nostri Ordinis priuilegia regularium Ordinum Conseruatores frui valent, ac gaudere. Quod prætereà officium, & munus vt alacriori promptiorique animo Illustrissima Dominatio vestra suscipiat, ac exequatur eam ad omnium spiritualium bonorum, quæ per vniuersi nostri Ordinis Fratres; ac sorores auctor bonorum Deus sua misericordia fieri donauerit, communionem, pariticipationemque libentissimè admittimus. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd Gregorius XV. fecit de conseruatoribus vnam constitutionem, quam affe-

io, &

ro, & declaro, quinto loco tom. 2. priuil. in qua statuit, quod eligendi in conseruatores, debeant esse iudices synodales, & semel electi debeant durare ad minùs per quinquennium; & quòd habentes facultatem eligendi Conseruatorem, postquam illum elegerint, debeant notificare Ordinarijs locorum.

2. Noto 2. quòd illa clausula, *Pro futuro duntaxat quinquennio*, significat, quòd iurisdictio illo tempore elapso finitur etiam quoad negotia inchoata. Io. Andreas in cap. fin. de offic. deleg. in 6. Mandos. de signat. gratiæ, tit. *Conseruatoria* vers. *Addi deberet*, alioquin enim omissa eiusmodi clausula quoad negotia saltem cœpta perpetuò durabit iurisdictio, vt ait Mandos. cit. & Chokier de exemp. p. 1. q. 39. num. 18. Vnde consulo, vt semper dicta clausula in Conseruatorijs apponatur, propter inconstantiam humanæ vitæ: nam, eo tempore finito, in libertate eligentium est, dictam iurisdictionem prorogare. Chokier de Conseru. p. 2. q. 7. num. 7. Plura de Conseru. dico ad dictam const. 5. Gregorij XV. & ad cap. 11. tom. 3. priuil. regul.

Io. Andr. Mandosius

Chokier.

3. Quæres 1. an Conseruator possit sibi assumere ad placitum notarium, quo vtatur in suis negotijs, & causis expediendis. 2. Et quid si Episcopus præceperit in synodo diœcesana, vt conseruatores vtantur notarijs Episcopalibus. 3. Quid etiam si consuetudo obtinuerit, vt dictis solùm notarijs vtantur? 4. Quid si, stante dicto statuto, & consuetudine, Episcopus suis notarijs inhibeat, ne quicquam pro conseruatore actuent?

Ad 1. R. affirmatiuè per textum clarum in 10 cap. *Statutum* §. *Notarium* de rescript. in 6. & cap. *Quoniam* §. *Statuimus* de probat. Baldus leg. 1. C. de sportulis &c. & in cap. *Quoniam* de probat. num. 9. Addit Panor. in dicto cap. *Quoniam* de prob. verb. *An notarius*, & Panor. nu. 3. Barbos. dicto cap. *Quoniam* num. 4. & semel electus non potest, nec debet remoueri, nisi ex causa superueniente, per quam mereatur remoueri. Idem addit Panor. loc. cit. & Barbos. etiam cit. facit cap. *Statutum* §. *Notarium* de rescript. in 6. ibi *Notarius*, & vbi id notat Gloss. notat autem Panor. cit. num. 4. & dicitur dicto cap. *Quoniam contra*, quòd acta debent remanere penes Notarium, quia si de sua scriptura dubitaretur postea periculum imminere, vnde sua interest, vt penes eum remaneant; potest tamen Iudex velle sibi dari copiam authenticã ipsorum actuum, vt ait Panor. ibid. qui etiam notat, quod dictus notarius tenetur dare exempla actorum partibus petentibus, & habetur in dicto cap. *Quoniam*, notat etiam Anchar. in dicto cap. *Statutum* §. *Notarium*, quòd potest Conseruator cogere partes ad satisfaciendum assessoribus, si quos assumpserit, & Notario.

Baldus.

Panorm. Barbosa.

Ad 2. dico Episcopum non posse præcipere Cõseruatori, vt vtatur notarijs Episcopalibus, tum quia, vt modo probaui, iura, & DD. volunt, vt deputatio, & electio Notarij ad conseruatorem spectet. Tum quia, Conseruator est delegatus Papæ cap. 1. & 2. cap. fin. de iud. deleg. in 6. & Papæ iurisdictione vtitur, non propria l. *Solet* ff. de iurisd. om. iud. & consequenter superior quoad hoc Ordinarij, vnde potest etiam Ordinarium punire si illi non obediat in his, quæ ad eius iurisdictionem spectant, vt in cap. *Sane* cap. *Pastoralis* de iudic. deleg. & cap. *Quia Pontificali* eodem tit. in 6. sed inferior superiori ius non dicit, cap. *Inferior* d. 21.

Ad 3. in primis potest esse difficultas, an hæc consuetudo adsit, cum ante constitutionem Greg. XV. de Conseruatoribus, non solùm iudices synodales possent esse Conseruatores, sed etiam quicunque in ecclesiastica dignitate constituti, vt Abbates, Superiores regulares, &c. qui cum essent omnino exempti à iurisdictione Ordinarij, nec ipsius statutis tenerentur, verisimile est, quòd alijs notarijs à notarijs Episcopi vsi fuerint; Sed esto, quod ista consuetudo esset, non posset tamen impedire, quin Conseruator possit sibi ad libitum notarium eligere, nam facultas, quam habet Conseruator eligendi notarium, est ad placitum suum; licet enim teneatur notarium eligere, vt constat ex cap. *Quoniam cõtra* §. *Statuimus*, de probat. quòd tamen eligat hunc, vel illum suæ voluntati remittitur, cum legislator de hoc nihil statuat, cap. *De causis* §. *Illis etiam*, de offic. deleg. sed priuilegium aliquid faciendi est de sui natura perpetuum, reg. *Decet* de regul. iuris in 6. & iuri, seu facultati aliquid faciendi præscribi non potest, leg. *Viã publicam* ff. de via publica, Antonius Gabriel commun. opinion. lib. 5. conclus. 10. num. 1. vbi plures Doctores, & textus ad id adducit, & libero arbitrio non præscribitur Gloss. in leg. *Vnica*, verb. *Pro socio*, Cod. de annal. except. Anton. Gabriel ibid. conclus. 12. num. 1. cum multis: plura ad hoc probandum affert Moneta de Conser. cap. 10. à num. 417. vbi id latissimè probat, & de optione canonica cap. 8. q. 2. à num. 10 Castro Palaus tract. 3. de priuil. disp. 4. p. 18. num. 5. *Ant. Gab.* *Castro Palaus.*

Ad 4. Dico 1. quòd Conseruator non obstante inhibitione Episcopi, potest assumere sibi alium notarium habentem facultatem acta scribendi in causis Ecclesiasticis, iuxta dicta ad primum, quòd si etiam potestas secularis suis notarijs inhibeat, tunc potest Conseruator vtrumque excommunicare, tanquam suam iurisdictionem impedientes nam iudici permittitur iurisdictionem suam defendere cap. *Dilecti* de sent. excom. cap. *Ex parte* de verb. signific. Castanæus de consuet. Burgund. rubrica 1. §. 5. à num. 85. Innoc. in cap. *Olim*. el. 1. de restit. spoliat. num. 8. & in cap. *Dilectis* de pœnit. num. 2. nam, concessa iurisdictione, conceduntur ea omnia, sine quibus dicta iurisdictio exerceri non potest, cap. *Pastoralis* in princ. cap. *Præterea* de offic. deleg. leg. 2. ff. de iurisdic. omnium iudic. Dico 2. quòd si Conseruator notarium habere non potest, nõ per hoc potest eius officium impediri, nam tunc potest vocare duos viros idoneos, qui fideliter vniuersa iudicij acta conscribant, videlicet citationes, &c. ita ijsdem verbis habetur in cap. *Quoniam contra* de probat. vbi aduertit Glossa verb. *Duos viros*, in fin. quòd licet textus non dicat, quòd isti duo viri debeant dicta acta scribere in præsentia testium, tamen tutius est, quòd dicti testes adhibeantur, si adhiberi possunt; *Castanæus Innocent.*

Cap.

CAP. XXI.

De forma prouidendi de Correctore, quando electio propter aliquam causam ad Prouincialem est deuoluta.

FRATER N. Prouincialis, Ordinis N. in Prouincia N. *Venerandis Patribus Conuentus Sancti N. Ciuitatis N. Salutem. Animarum regimini, meritis licet imparibus, annuente Domino præsidentes, cum in omnibus, quæ commissi gregis salutem, ac pacem fouent, tum verò in ijs, quæ maximum religiosi status detrimentum auertere possunt, atque ad religiosi pastoris electionem pertinere noscuntur, decet per nostri officij vigilantiam, ac sollicitudinem salubriter prouideri. Cum propter obitum igitur bonæ mem. P.F.N. præfati Conuentus olim Correctoris, eiusdem Cœnobij Correctoriatu vacante intra tempus vobis per constitutiones nostras ad eligendum constitutum*, seu ob discordias vestras, vel Fratrum vocalium penuriam, *alium successorem eligere neglexeritis*, vel propter discordiam, aut penuriam nequiueritis. *Atque adeò ob huiusmodi vestram negligentiam*, seu discordiam, aut penuriam *à vestro pariter eligendi iure cecideritis, & ad nos, nostrosque Collegas præfatum Correctorem eligendi potestas ipso iure fuerit deuoluta, vestram in hac parte negligentiam*, vel impotentiam *supplere cupientes*, seu discordiam vestram commiserentes, *ne deficiente Pastore damnum aliquod temporale, vel spirituale prætactus Conuentus subire cogatur, vnà cum collegis nostris via scrutinij, seruatis seruandis. P. F. N. magna virtute, ac prudentia virum, eiusmodi regimini aptum, atque idoneum, eiusdem Conuentus Correctorem elegimus, ac destinauimus; eundemque sic electum præsentiũ tenore, ac vi vobis damus, & concedimus. Omnem illi, cum in temporalibus, tum spiritualibus, qua cæteri frui debent, ac solent correctores, auctoritatem conferentes. Vobis omnibus prætereà, ac singulis sanctæ obedientiæ merito præcipientes, vt debitum ei honorem, reuerentiã, atq; obedientiam humiliter exhibeatis. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd tempus, intra quod debet fieri electio in casu mortis, de iure communi est trium mensium. Ita habetur in cap. *Ne pro defectu*, de elect. quo tempore durante, si non fiat ab electoribus, deuoluitur ad Prælatum maiorem, qui intra dictum trium mensium spatium prouidere tenetur; quòd si non prouideat, deuoluitur ad eius superiorem. Ita in eodem cap. *Ne pro defectu*, in Ordine nostro idem seruatur in omnibus electionibus, per c. Roman. 6. num. 14. dub. 2. excepto in casu mortis Prouincialis; nam tunc electio successoris debet fieri intra mensem per statutum cap. Barchinon. 3. num. 3.

2. Noto 2. quòd in Ordine nostro Prælatus, qui habet prouidere de aliquo superiore per deuolutionem, debet procedere eligendo via scrutinij vna cum suis Collegis, quod colligitur ex cap. Auenion. 2. nu. 14. & vsus tot annorum comprobauit; & dixi tom. 3. priuil. regul. cap. 13. num. 24.

CAP. XXII.

De forma dicendi culpam in capitulis culparum.

PATER, *dico meam culpam de diuino officio, male, & negligenter persoluto; de silentio non bene custodito; de reuerentia tibi, & alijs maioribus meis non legitimè exhibita; de officijs mihi commissis negligenter, & non charitatiue peractis; de modestia in omnibus actionibus meis non ritè seruata; de scandalo forsan dato, tam secularibus, quàm Fratribus; de inobseruantia Regulæ nostræ; de torpedine in acquirenda perfectione. De his, ac alijs omnibus transgressionibus meis, quibus quomodocunque offendi Deum, te, proximum, ac Regulam nostram, dico meam culpam, & humiliter deprecor, vt amore IESV CHISTI mihi pœnitentiam ad beneplacitum tuum imponere digneris.*

1. Noto 1. quòd capitula culparum in Ordine nostro fiunt singulis secũdis, quartis, & sextis ferijs festo duplici non impeditis, per statutum Correctorij, num. 28. quibus interesse debent omnes Fratres locales, quantuncunque priuilegiati, vt Lectores, &c. regula enim ibi nullum excludit. An Collegæ Prouincialis teneantur interesse dictis capitulis, quando celebrantur à Correctore, dixi tom. 3. priuil cap. 12. num. 10. Et quòd omnes teneantur ad pœnitentias ibi impositas à Correctore, dixi tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 5. notab. 7. vers. *At singules*, Et aduerte, quòd in dictis capitulis dicitur non solùm culpa de prædictis trangressionibus generalibus, sed etiam de alijs particularibus in publico, vel in priuato commissis, V. G. de vase aliquo fracto, de re ad proprium vsum concessa non diligenter custodita, de errore in choro, vel alibi commisso.

2. Noto 2. quòd ista capitulã culparum sunt præcipuè ordinata à Legislatoribus propter quatuor, 1. vt in eis tractetur de obseruantia Regulæ, de disciplina custodienda, retinenda, amplianda; de abusibus extirpandis, & inob-

ser-

ſeruantijs tollendis; quæ, quia fragilitate noſtræ naturæ ad malum pronæ, facilè introducuntur, ideò tam frequenter dicta capitula celebrari mandatur. 2. vt Prælatus in his agat de ſalute animarũ, qualiter ſ. debeant ſubditi in via Dei progredi, ſecundũ diuerſum vniuſcuiuſque ſtatum, munus, vel profectum in communi, aut in particulari. 3. vt Fratres ibi ſuas culpas ſpontaneè confiteantur. 4. vt in his fiant recommendationes pro Papa, Cardinalibus, Protectore, Rege, & alijs benefactoribus; quòd in Ordine noſtro præcipitur in Correctorio, *Th. à Ieſu.* num. 29. Ita Thomas à Ieſu in expoſ. ſuæ regul. p. 3. cap. 12. dub. 1. verſ. *Quod autem*.

3. Noto 3. quòd Sanctiſſimus Patriarcha noſter in dicto Correctorio, num. 32. præcipit Correctoribus, vt in dictis capitulis diu non detineant Fratres. Quod non ita intelligendum eſt, vt quidam parùm deuoti falsò putant, vt ita breuitati ſtudeant, quòd officio ſuo non ſatisfaciant, ſed quòd inanibus, & inutilibus verbis, dicterijs, aut hiſtorijs nihil proficientibus, capitulum non detineant. Poſſunt itaque, & debent Correctores in dictis capitulis de obſeruantia Regulæ, & animarum ſalute tractare, breuiter, ac dilucidè omnes ad obſeruantiam hortando, & ad ſaluti animæ propriæ conſulendum.

4. Noto 4. quòd nemo tenetur in dictis capitulis culpam dicere de culpis interioribus, *D. Baſil.* licèt fieri cum laude poſſit, vt ait Baſil. ſerm. 4. exercit. in fine, & in regul. fuſior. interrog. 37. Neque etiam tenetur quis culpã dicere in capitulis de peccatis exterioribus ſecretis, ſi grauia ſint, cum nemo ſe infamare teneatur; *D. Hieron.* quod docuit S. Hieronym. in reg. monachar. cap. 9. Si verò peccata grauia publica ſint non eſt dubium, quin poſſint, & debeant in capitulis accuſari, cum per hanc accuſationem reus nullum incurrat ſuæ famæ detrimentum. Solùm ergo in his capitulis dicenda eſt culpa de peccatis, & negligentijs ſupradictis in forma, & de alijs huiuſmodi leuioribus, ex quorum manifeſtatione non ſolùm fama non amittitur, ſed multùm augetur, cum ſepties in die *Caſſianus.* cadat iuſtus. Atque ita docet Caſſian. lib. 4. inſti. cap. 16. dicens. *Si quis igitur gylonem fictilem caſu aliquo fregerit, non aliter negligentiam ſuam, quam publica diluat pænitentia, cunctiſque in ſinaxi Fratribus congregatis, tamdiu proſtratus in terra veniam poſtulabit, donec orationum conſummetur ſolemnitas, impetraturus eam, cum iuſſus fuerit Abbatis iudicio de ſola ſurgere. Eodem modo ſatisfaciat quiſque ad opus aliquod accerſitus; vel ſi ad congregationem ſolitam tardiùs occurrerit; aut ſi decantans pſalmum vel modicum titubauerit. Similiter ſi ſuperbè, ſi duriùs, ſi contumaciùs reſponderit*, &c. quæ *D. Bened.* ibi habet Caſſian. Et ſimilia præcipit D. Be-*D. Thomas* ned. in ſua regula, cap. 46. & docet D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 4.

5. Noto 5. quòd difficultari poteſt, an in dictis capitulis teneamur ſolùm dicere communes illas culpas in forma poſitas, an verò alias huiuſmodi quotidie occurrentes? Ad quam difficultatem reſpondeo, nullum eſſe generale præceptum, quod ad id obliget Regulares; ſolùm videndæ ſunt conſtitutiones ſingulorum. In ordine noſtro mihi certiſſimum eſt, quòd tenemur etiam dicere alias quotidie occurrentes. Ait enim Legislator in Correct. n. 30. *Primitùs defectus ſuos in ſimul proferant, deinde, qui ſpeciales culpas habuerint, illas inibi particulariter dicant.* Et ita ſemper obſeruari vidi in noſtro Conuentu Ieſu Mariæ. Quare reprehendẽdi ſunt acriter, præcipuè iuuenes, & ſeueriùs caſtigandi, quando frangunt aliquod vas, &c. etiam in occulto, ſi culpam publicè in refectorio, vel capitulo non dicant; & ſæpiùs ad huiuſmodi obſeruantiam ſunt hortandi. Et quòd ſint ſeueriùs caſtigandi, quando culpa alias ſcitur, de qua ipſi non dixerunt culpam, præcipit expreſſè D. Benedictus in ſua regul. cap. 45. & 46. nam, *apud iudicem bonum confeſſio mater eſt indulgentiæ*, vt ait Chryſoſ. homil. 20. de confeſſ. *D. Chryſ.*

6. Noto 6. circa ordinem dicendi culpam à Fratribus in dictis capitulis, quòd noſter Legislator, qui nihil intactum reliquit, in Correct. num. 30. hoc ordine eam dici iubet, ſcilicet, vt primùm eam *dicant cuncti nouitij; deinde alij profeſſi: quibus omnibus excluſis, ſinguli Fratres profeſſi*. Et ſubdit. *Quibus ſingulis taliter finitis, aliqua lectio præſentis Correctorij illic, & in refectorio taliter recitetur, quod ſemel ſingulis tribus menſibus ſemper integrè legatur.* Et illud, quod hic præcipitur de legẽdo Correctorio, ſtatutum eſt in Clem. 1. de ſtatu Monachor. §. *Sane*; vbi dicitur, quòd lecta Regula, debet à Superiore Capituli vulgariter exponi propter iuniores, ideſt, propter eos, qui iuuenes ſunt in obſeruantia Regulæ, etiamſi octogenarij ſint in Religione, ſeu non callent linguã latinam, qui numquã deſunt, ſaltẽ Cõuerſi.

7. Hic poteſt eſſe difficultas, an Clerici recenter profeſſi manentes in nouitiatu cum alijs nouitijs ſub cura Magiſtri, teneantur dicere culpam cum nouitijs, & recedere, nouitijs recedentibus; an verò debeant eam dicere cum alijs profeſſis. Ego puto, quòd debeant dicere culpam cum nouitijs; & his exeuntibus, exire. Cum enim habeantur, & tractentur tanquam nouitij, eodem modo ipſi ſe gerere, & ab alijs tractari tanquam nouitij debent. Et hoc eſt conforme decretis Clem. VIII. confirmatis ab Vrbano VIII. tom. 2. noſtr. priuil. in conſt. eius 10. §. 107. Neque obſtat Regula noſtra loc. cit. quando dicit, quòd profeſſi dicant culpam excluſis nouitijs; nam loquitur de profeſſis antiquis, qui iam exierunt è nouitiatu, & in negotijs, & tractatibus Monaſterij cum alijs profeſſis interſunt, vt conſtat ex eodem, num. 30. vbi Legislator ait, quod *completo culparum capitulo, ſi quæ poſtea tractanda fuerint, breuiter, ac ſuccinctè inibi tractentur*, ideſt, in præſentia cunctorum Fratrum profeſſorum. Papa autem non vult, quòd hi profeſſi manentes in nouitiatu in negotijs Conuentus ſe intromittant, nec communibus tractatibus interſint.

8. Circa modum, quo ſunt celebranda à Correctore hæc capitula culparum, vide formam ad vnguem deſcriptam in noſtro Rituali p. 1. cap. 11. & plura de iſtis capitulis vide apud Humbertum in ſpec. p. 2. lib. 4. cap. 3. & Thom. *Humbert.* à Ieſu in expoſit. ſuæ regulæ, p. 3. cap. 10. dub. *Th. à Ieſu.* 1. 2. & 3. Et aduerte, quòd in Ordine noſtro non eſt in vſu officium particulare zelatoris,

ſeu

seu correctoris culparum in capitulis, sed hoc officium facit Corrector Conuentus, qui super hoc specialiter inuigilat, & in capitulis, dictis communibus culpis, si aliquam ipse sciat ex his, quæ ibi dici possunt, & videat, quòd, qui eam commisit, non accuset, ipse Corrector eam accusat, & seueriori punit pœna, quàm si ipse delinquens sponte accusasset. Hoc autem officium Patres nostri annexum voluerunt esse officio Correctoris, propter multa. Et 1. Quia odiosum est, ad vitandas discordias inter subditos, tolerant enim faciliùs subditi accusari à Prælato, quàm ab alio. 2. Ad resistendum passionibus, quò enim quis est in maiori constitutus dignitate, eò minores habet passiones. 3. Vt cum maiori libertate fieret; nulli enim est dubium, quòd Prælatus, cum habeat iurisdictionem, potest illud facere maiori cum libertate, neque tantum timet minas, aut murmura subditorum. 4. Vt maiori cum charitate fieret; cum enim pater sit subditorum, ex puro iuuandi filios, & subditos amore id facere præsumendum est. 5. Vt maiori cum prudentia fieret; supponitur enim de Prælato, quòd sit prudentior cœteris. Neque obstat, quòd quis non possit esse accusator, & iudex cap. 1. & 2. 4. q. 4. nam culpæ, quæ hic accusantur, sunt leues, & publicæ, quæ nullam infamiam, neque ruborem important, & leuissima diluuntur pœna; vnde parùm refert, quòd idem sit accusator, & iudex. Adde, quòd hoc est in fauorem delinquentis, propter dicta. Et sicut non est inconueniens, quòd in sacramento pœnitentiæ idem pœnitens sit actor, reus, & testis, quia hoc cedit in bonum animæ ipsius; ita neque hoc est inconueniens in his capitulis, cum id cedat in bonum transgressoris, & ipse transgressor hoc maximè contentus sit.

9. Noto 7. quòd pœnitentiæ impositæ à Prælatis in capitulo, non remittuntur per indulgentias; nam indulgentia solùm remittit tertiam partem pœnitentiæ, idest, satisfactionem pœnitentialem, quæ est Deo debita pro peccatis, non autem remittit pœnam iudicialem debitam hominibus, aut Ecclesiæ, aut in foro
Corduba. contentioso. Ita Corduba in q. theolog. lib. 5. q. 8. vers. *Sequitur alia particula, Deo debitam.*

10. Noto 8. quòd fructus istorum capitulorum culparum sunt 1. expurgatio propriorum defectuum, iuxta illud Prou. 18. *Iustus accusator est sui* 2. quia Religiosus propalando defectus suos, abnegat semetipsum, quod est totius perfectionis summarium, iuxta illud Matth. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* 3. quia sic odit animam, & corpus suum, dum animam suam subijcit confusioni, & corpus pœnis iniungendis, iuxta illud Ioan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* 4. quia amorem proprium destruit per illam sui confusionem, & contemptum 5. Quia humilitatem acquirit, iuxta illud Gregorij 22. moral. cap. 14.
B. Greg.
Humilitatis indicium est peccatum suum accusare, & accusantibus non negare. 6. quia illa præuaricationum regularium accusatio, facit accu-
D. Bern. santem regulæ obseruatorem, iuxta illud Bern. de dispens. & precep. *Illum dico securum, quî etiamsi interdum obedientiæ limitem præterit, consilium tamen non respuit pœnitentiæ. Regulares namque terminos etsi sæpe deliquerit, nō euadit tamen, qui censuræ, quæ ex regula est, disciplinam nō subterfugit. Pars siquidem regulæ est regularis correctio, & in ea reperitur non solùm bonæ vitæ instructio, sed & emendatio prauæ.* 7. denique, quia accusatione illa delentur peccata venialia, etiam quoad culpam, in quantum scilicet Religiosus libenter se accusat, & patienter fert pœnitentiam impositam; & potest accusatio fieri cum tanta detestatione, vt etiam deleat culpam peccati mortalis, si adsit propositum confessionis. Hoc enim habet contritio. Atque ita docet Seruat. in catechismo noui. tom. Seruatius.
2. lect. 2. vers. *Octauum.*

11. Noto 9. quòd Paulus V. concessit dicentibus culpas in capitulo corde contrito indulgentiam trium annorum, & totidem quadragenarum, vt constat ex eius const. 8. tom. 2. nostr. priuil. §. 15. Vbi aduerte, quòd ad hanc indulgentiam lucrandam, non est necesse spiritualiter communicare, aut aliud virtutum exercitium facere; nam particula, *et* in dicto §. posita, stat disiunctiuè. Vnde sufficit, ad hanc indulgentiam lucrandam, vnum ex illis tribus membris verificari. Quare satis erit, si dictas culpas quis dicat in capitulo verè pœnitens, & corde contrito.

12. Noto 10. circa modum dicendi culpam, quòd illum docet Bonau. in specul. discipl. p. D. Bonau.
1. cap. 10. his verbis. *Postremò vt disciplinatè, & debito modo fiat huiusmodi confessio, debent circa eam honestatem, cautelam, & humilitatem seruare. Honestatem, vt culpæ narrationem nudo capite, & non videndo, non circumspiciendo, aut cum manu aliquid faciendo, sed iunctis manibus potiùs, vel aliter honestè dispositis, exequantur. Cautelam in hoc precipuè habeant, vt se paucis verbis expediant, & in culpa sua nullum alium, quàm se ipsos inuoluant; quod & cautelam, & puritatem concernit. Humilitatem habere debent in gestu corporis, & in verbis.*

In gestu quidem, vt ad terram,
iuxta Fratrum consuetudinem,
se prosternant humiliter.
In verbis autem, vt
verba subiec-
tionis, &
pœ-
nitentiæ nullam sint omni-
no notam superbiæ, vel
impatientiæ con-
tinentia.

* * *



LITERA D.

CAP. I.


De forma denunciationis, iudicialis.



EVERENDE admodum Pater: Iustitiæ zelo incitatus, ne delicta in publicum Religionis damnum maneant impunita, tibi tanquam iudici per denunciationis modum expono, his præteritis diebus in Ecclesia S. Syluestri de Pisis vnd cum Fratre N. me commorantem à quodam Ordinis nostri deuoto seculari, N. nuncupato, accepisse, parùm honestæ conditionis, & famæ mulieris, nomine N. in vico Sancti Dominici degentis domum à Fratre Improbo de scandalosis adiri, ac frequentari, vt tota propterea huius loci vicinia ob huiusmodi frequentationem offensa sit valde, atque scandalizata. Quamobrem cum bis, ac ter, iuxta Euangelium, prætactum Fratrem Improbum monuissem, obnixèque rogassem, vt ab ea domo frequentanda desisteret, nihilque me, vt præfatus nostri Ordinis deuotus heri coram Fratre N. meo socio testatus est, profecisse cognouerim, tuam idcirco Paternitatem conueniendam existimaui, vt ex pastoralis officij debito huic tam graui scandalo quouis meliori modo consulat, ac prouideat, prout in Domino iudicauerit salubriter expedire. In quorum fidem, &c. Datum in hoc Conuentu N. die 24. Martij, anno 1634. Frater Iustus de bonis affirmo, vt supra.

CAP. II.

De forma denunciationis Euangelicæ.



EVERENDE Pater. Pio in Deum, Religionem, ac proximum charitatis affectu permotus, tibi tanquam Patri denuncio, lineas camisias côtra Regulæ nostræ præscriptum cumque aliorum Fratrum scandalo F. N. deferre, de quo quidem cum frustra fuerit à me terque, quaterque monitus, vt se emendaret, ac resipisceret nec quicquam me profecisse prospexerim, tuam idcirco Paternitatem conueniendam existimaui, itidemque rogandam, vt ex pastoralis officij debito eiusdem saluti, aliorumque offendiculo, omni meliori modo, quo tua prudentia expedire iudicauerit, consulere velit, ac prouidere. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd denunciatio est duplex; euangelica, quæ fit Superiori vt patri; & iudicialis, quæ fit Superiori, vt iudici. Hæ autem denunciationes multùm inter se differunt: nam prima ex solo charitatis fonte promanat: secunda verò ex zelo iustitiæ. A prima nullus excusari potest, quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo; a secunda excusantur omnes illi, ad quos iure aliquo id non pertinet. Prima semper trinam monitionem prærequirit, iuxta illud Euangelij, *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum*, &c. Secunda licèt communiter dictas monitiones prærequirat, cap. *Qualiter*, & *Quando*, el. 1. §. penultimo, de accusat. cap. *Cum dilectus* eodem tit. vel saltem duas, vt vult Abbas in cap. *Nouit*, num. 57. de iudic. aliquando tamen sine illis fieri potest, quando scilicet delictum est notorium, seu fieri debet de proximo notorium, quia non potest stare secretum; aut etiam quando licèt delictum sit occultum, est tamen contra bonum commune, vel priuatum iuxta illa, quæ dicit Aldrete de disciplina tuenda, lib. 1. cap. 5. à num. 15. qui tamen num. 31. limitat in quocunque peccato secreto, etiam contra bonum commune, vel priuatum, si quia peccatum tale nouit, noscat etiam peccatorem per fraternam correctionem emendandum. In prima numquam datur locus iudiciali processui, seu ad summum, vt aliqui prætendunt, aperitur via iudicij, vt per famam, vel aliud æquiualens, iudex nouum instituat procedendi modum per viam inquisitionis ex munere. In secunda Prælatus, si expedire videbitur, potest iudicialiter procedere. In prima non exigitur de iure communi à denunciatore, vel testibus iuramentum. In secunda verò maximè, & à reo, & à testibus, & à denunciatore. In 1. non omnia substantialia iudicij seruari debent. In 2. maximè. Prior puram delinquentis emendam petit, 2. etiam aliquam pœnam. 1. in scriptis necessariò non redigitur, sed tantummodò fieri potest ad aures Prælati. 2. in processu registrari debet. 1. soli Prælato communiter fit. 2. etiã eius Socijs. Vide pro his Tuschum ver. *Denunciatio* concl. 196. Mansum de mod. proced. in caus. reg. cap. 4. num. 4. & cap. 13. à num. 1. Thom. à Iesu de visit. regul. tract. 1. cap. 4. nu. 4. quem vide à cap. 9. vsque ad 19. si cupis scire, quæ delicta manifestanda sint Prælato, vt patri; pro quo puncto vide etiã Aldr. loc. cit. c. 6.

Abbas. *Aldrete.* *Tuschus.* *Mansus.* *Th. à Iesu.* *Aldrete.*

2. Noto 2. quòd peccata, quæ communiter existimantur in Religionibus esse contra bonũ commune, sunt infrascripta. Hæresia, blasphemia, machinatio grauium offensarum contra Superiores; si quis esset proditor Religionis, eam notabili infamia, siue calumnija in conspectu secularium afficiens; qui pacem inter Superiores iniquè turbaret; qui zizania inter Superiores, & subditos, seu inter subditos ipsos seminaret; qui Religionis secreta in damnum commune, vel priuatum alicui reuelaret;

celaret; qui literas, & sigilla Superiorum falsificaret; edentes libellos famosos; subornatores electionum ad malum finem; dissipatores bonorum Monasterij; publicè scandalum, præcipuè coram secularibus; Superiores relaxatè viuentes, susurratores, & murmuratores consuetudinarij; aliaque nonnulla, quæ referunt Thom. à Iesu de visit. regul. tract. 1. cap. 12. à num. 4. & Aldrete loc. cit. num. 28. cum Mirand. de ordine iudic. tom. 1. qu. 22. ar. 2. concl. 2. in princip. Sanchez lib. 6. consil. cap. 3. dub. 2. num. 2. Peccata autem, quæ sunt in damnum priuatum alicuius Fratris, sunt machinatio mortis, vel grauis vulneris, aut etiam machinatio contra famam alicuius viri grauis, & de Religione benemeriti. Hæc, inquam, omnia peccata absque correctione fraterna reuelanda sunt Prælato per denunciationem, nisi qui scit peccata, sciat etiam certò, peccatorem fore emendandum per fraternam correctionem; nam tunc hæc omnino esset adhibenda, nec posset sine peccato mortali omitti. Atque ita tenet Aldrete loc. cit. num. 31. Thom. à Iesu loc. cit. num. 12. Sayrus in claui reg. lib. 11. cap. 4. num. 4. Sed non puto esse necessarium scire certò, etiam in ijs casibus peccatorem fore emendandum, sed puto satis esse, quòd corrigens habeat spem probabilem emendationis, sicut in alijs peccatis; nam cum ista certitudo possit vix haberi, vix poterit dari casus in hac materia, in quo dicta correctio sit adhibenda; cum tamen sæpius probauerim, omnem casum, etiam hæresis, admittere ante denunciationem correctionem fraternam.

Th. à Iesu. Miranda. Sanchez. Aldrete. Th. à Iesu.

3. Aduerte autem differentiam, quæ est inter peccata, quæ sunt in damnum communitatis, aut graue alicuius priuati, & peccata, quæ sunt in damnum solius committentis, quoad denunciationem, nam peccata in damnum communitatis, & priuati alicuius tenemur solùm corrigere ante denunciationem, quando certo scimus, per nostram correctionem peccatorem fore emendandum secundum aliquos: peccata autem in solius committentis damnum tenemur corrigere, etiamsi solùm probabiliter speremus emendam. Vlteriùs peccata in damnum communitatis tenemur solùm vna vice corrigere modo dicto; peccata autem in damnum solius committentis tenemur semper corrigere ante denunciationem etiam paternam, quousque non amittamus spem lucrandi fratrem, vt docet Sanchez lib. 6. consil. cap. 2. dub. 6. num. 11. Tertiò, quando peccata sunt contra bonum commune, potest iudex procedere per viam inquisitionis contra delinquentem, etiamsi contra ipsum non sit probata infamia; secus autem, quando peccata sunt solùm contra delinquentem. Vide Spathar. de modo corrig. regul. tract. 3. cap. 8. à num. 1.

Sanchez.

4. Sed quæres, an peccata carnis sint censenda in damnum communitatis? R. Aliqui absolutè affirmant. Aldrete de disciplin. tuenda, lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 28. & 29. Mirand. de ordine iudic. tom. 1. q. 22. ar. 2. conclus. 2. Ioseph. à S. Maria in tribun. relig. tract. 2. cap. 3. §. 2. Diana p. 3. tract. 2. resol. 69. Alij absolutè negant; Rodriq. de ord. iud. cap. 3. num. 4. Spathar. de modo corrig. regul. tract. 3. cap. 8. num. 9. Victor. Mansus de modo proced. in causis regul. cap. 9. num. 4. Alij distinguunt; nam si adest periculum publicationis, putant, quòd sint in publicam perniciem; secus, si non adest. Ita Io: Valerius in differ. iuris, ver. *Inquisitio*, differentia 1. num. 6. Thom. à Iesu de visit. regul. tract. 1. cap. 12. num. 6. In omnium sententia vnus, aut duplex actus fornicationis non esset censendus in damnum publicum, nec similiter vnus, aut duplex actus criminis pessimi, secundùm Dianam loc. cit. qui id refert ex Pitigiano. Mihi dicendum videtur cum Rodriquez loc. cit. hæc peccata non esse de se ex natura sua contra bonum publicum; quia non tendunt directè in publicam perniciem, nec habent pro obiecto proximo malum publicum, nec apta sunt ex se totam rempublicam, aut communitatem contaminare, si secretò, & cum cautela sapienti fiant; maximè tamen super illis est Prælato Religiosorum inuigilandum; nam quandoque quod ex natura sua aptum non est aliquid facere, id ex accidenti, & in aliquibus circumstantijs facere potest. Sanchez lib. 6. consil. cap. 3. dub. 23. ait, quòd peccatum sodomiæ non est contra rempublicam, nisi quando quis faceret professionem magna industria quoscunque posset hoc vitio corrumpere.

Aldrete. Miranda. I. à S. M. Diana. Rodriq. Spathar. Mansus. Io: Valer. Th. à Iesu. Sanchez.

5. Noto 3. quòd licèt delictum graue sit, & probari possit per denunciationem iudicialem, si tamen sit occultum, & reus illud agnoscat, & fateatur, paratusque sit pœnitentiam agere, nõ potest Prælatus tunc reum iudicialiter punire, sed debet ei aliquam iniungere pœnitentiam, vt præcaueat in futurum. Ita Aldrete de disciplin. tuenda, lib. 1. cap. 6. nu. 8. Th. à Iesu de visit. regul. tract 1. cap. 12. nu. 12. Si verò delinquens neget delictum, vel nolit pœnitentiam conuenientem recipere, tunc ad duriora remedia secundum delicti qualitatem recurrendum; & si delictum probari iudicialiter possit, probandum est, ne subditus ex sua obstinatione impunitatis cõmodum reportet. Si vero probari non possit, obiurgandus est subditus, & minis terrendus, vt cautiùs viuat; abstinendum tamen hoc casu à processu formando, ne, cum delictum probari non possit, incurrat Prælatus in odium subditi, & hic glorietur de sua euasione. Vnde etiamsi Prælatus certò sciat subditum tale peccatum commisisse, cum tamen de eo nihil foras appareat, tolerandum est, & rogandus Deus pro ipso peccatore, & in primis cauendum est ab obiurgatione publica, ex qua delinquens scandalizetur apud Fratres, vt sanctè monet Bonau. de sex alis Seraph. cap. 7. S. Anton. 3. p. cap. 7. §. 7. Auferendæ tamen sunt occasiones, & diligentiùs circa eum inuigilandum, sed cum maxima prudentia, & charitate, nam fama subditorum à veris Prælatis non minùs debet æstimari, quàm propria.

Aldrete. Th. à Iesu. D. Bonau. D. Anton.

6. Noto 4. quòd quando denunciator expressè protestatur, quòd denunciat Prælato, vt patri, non potest Prælatus iudicis partes agere, cùm eo casu ipse solùm delictú sciat, vt persona priuata, non vt publica, qualis est iudex. Vnde si velit punire vt iudex, reus est famæ proximi, & ea solùm potest remedia adhibere, quæ bonus adhiberet paterfamilias, nisi bonum commune, aut proximi detrimentum aliud suadeat. Ita Aldrete loc. cit. cap. 6. nu. 12. & in primis tenetur Prælatus sic denunciatum delictum secretum seruare, solùmque occultè Fratrem corrigere, cap. *Si peccauerit*, 2. q. 1. nam de iure naturæ proximi famam seruare tenemur. Vnde si dubitetur, quod Prælatus debeat occultum Fratris delictum propalare, ei denunciandum nõ est. Ita Aldrete loc. cit. á num. 19. Quod adeò verum est, vt ne propalare illud possit etiam de denunciatoris licentia, qui dominus famæ sui proximi non est. Vnde illud, quòd dicunt Thom. à Iesu de visit. regul. tract. 1. cap. 19. n. 3. & Sanchez lib. 6. consil. cap. 2. dub. 11. nu. 4. quòd poterit Prælatus subditum corripere coram aliquo, vel aliquibus Patribus prudentibus, non est admittendum, nisi ad summum in casu, quo subditus obstinatè delictum negaret, & non esset paratus correctionem admittere, & iam aliàs fuisset de tali errore sic à Prælato paterne monitus, vt docet Bannes 2. 2. q. 33. ar. 8. dub. 4. conclu. 3. Tales tandem vellem erga suos subditos se exhibere Prælatos, quales, si essent subditi vellent sibi exhiberi præpositos, vt dicitur in cap. *Quorumdam*, d. 74.

Aldrete.
Th. à Iesu
Sanchez.
Bannes.

7. Noto 5. quòd quando delictum denunciatur Prælato, vt iudici, debet hic omnes iudicis partes assumere, præsertim in delictis grauibus, & criminalibus. Vnde neminem debet inauditum condemnare, nec facilè subditos incarcerare, præsertim si personæ graues sint; neque delicta non plenè probata sententiare; in dubijs reis semper fauere, recursus non respuere; & cum agitur de Prælatorum punitione, tenetur dare reo nomina testium, quòd habetur in cap. penultimo, iuncta glossa, verb. *Copiam*, de accus. & expressiùs in cap. *Qualiter, & quando*, el. 2. eodem tit. §. *Debet igitur*; & ita sentit stylus Curiæ Romanæ; & in Ordine nostro est sine controuersia, per cap. Genuens. 6. num. 22. confirmatum in cap. Barcin. 1. num. 18. & docent Aldrete de discipl. relig. tuend. lib. 1. cap. 14. à num. 6. Roderic. in resol. regul. resol. 42. num. 35. vbi multos citat; Aretin. in praxi de reorum defens. cap. 2. Mansus de modo proced. in caus. regul. cap. 7. num. 8. Dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 20. §. vii. in fine; & declarauit Bonif. VIII. in quadam constit. quam refert Thom. à Iesu de visit. regul. tract. 3. cap. 1. et in hoc casu speciali de punitione Prælati, appellatio legitima sententiam suspendit, vt probo tomo. 3. priuil. regul. cap. 4. num. 17. Puram itaque subditorum correctionem intendant Prælati; & quæ monitis possunt corrigere, non corrigant pœnis; & quæ secretò emendare possunt, non emendent in publico; neque vnquam quempiam in publico puniant, quem priùs monendo non curauerint secretò corrigere; & quæ bonis artibus obtinere possunt, non tentent obtinere malis; & quæ consequi possunt de bono, & amicabili, non curent obtinere litigijs; ita vt non puniant vnquam; & sciant quod Prælatorum seueritas ab eis subditorum animus alienat, recordentur sæpe illius dicterij, *Summum ius summa iniuria*; & meminerint, quod rigurosæ leges potius ad terrorem, quam ad obseruantiam sunt inductæ, & quod omnia eis quidem scire licitum est, non tamen omnia persequi; vnde quando punire coguntur, misericordia iustitiam temperent, vt patres potiùs, quam iudices appareant, qui pepercisse gaudent, non gaudent puniuisse.

Aldrete.
Roderic.
Aretinus.
Mansus.
Th. à Iesu

8. Noto 6. quòd Prælatus antequam denunciationem iuridicam admittat, a quacunque persona illa fiat, debet denunciantem interrogare, an correctionem fraternam per se, vel per interpositam personam adhibuerit. Quod si dictam correctionem indebitè omiserit, non debet iuridicam denunciationem admittere, sed solùm euangelicam. Ita Thom. à Iesu de visit. regul. tract. 1. cap. 17. num. 5. immo ait Ghisl. de iudic. regul. cap. 16. num. 68. quòd debet denunciantem interrogare præstito iuramento. Quam doctrinam hauserunt ex Cai. 2. 2. q. 33. ar. 7. in respons. ad 5. & ego ei libenter subscribo; nam decet in religionibus omnia per charitatem gubernari, & malignis pro posse est resistendum. Vnde quando Prælatus olet, denunciantem esse malignum, quantæcunque sit auctoritatis, non debet eius denunciationem admittere, neque etiam audire debet denunciantem, qui denunciat virum eximium, ac probatæ vitæ, & perplurimos annos in Religione laudabiliter conuersatum; & hoc quamuis denuncians sit vir eminentissimus, & aliàs pijssimus; nam aliquando etiam illi tales (vasa enim lutea sumus omnes) se præcipitant in proximi oppressionem, & depressionem; quod lugendum quidem est, sed compatiendum humanæ nostræ fragilitati. Ita Thom. à Iesu loc. cit. nu. 1. & habetur expressè in cap. *Qualiter, & Quando*, el. 1. §. fin. & in cap. *Cum dilectus*, de accus.

Th. à Iesu
Ghisler.
Caietanus
Th. à Iesu

9. Noto 7. quòd in denunciatione iudiciali denuncians potest assumi in testem secundum Sotum lib. 5. de inst. q. 6. ar. 2. conclus. 4. & memb. 2. q. 4. de teg. secr. conclus. 8. vers. *Sed dubium egregium est*; quem sequuntur Thom. à Iesu de visit. regul. tract. 1. cap. 4. nu. 3. & cap. 19 nu. 5. Aretin. in pract. cap. 2. de num. test. vers. *Nec etiam iure diuino*, Spathar. de modo corrig. regul. tract. 7. cap. 12. num. 12. Triuis. de modo proced. in causis crim. cap. 7. num. 3. Aldrete de disciplina tuend. lib. 2. cap. 3. nu. 20. Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 13. ar. 6. Bann. 2. 2. q. 33. ar. 8. dub. 3. vers. *Pro explicatione*; Lessius lib. 2. de iust. cap. 30. nu. 30. Mascard. de prob. conclus. 107. num. 9. Nauar. in man. cap. 25. num. 33. Sanchez lib. 6. consil. cap. 2. dub. 13. Et probant ex cap. *In omni*, de test. Sed quòd denunciator non possit esse testis, docent Cai. 2. 2. q. 69. ar. 2. vers. *Ad secundum dicitur*; Val. tom. 3. disp. 5. q. 13. p. 2. col. 4. vers. *Caietanus verò*; Abbas cap. *In omni*, de test. num. 4. Aragon. 2. 2. q. 33. ar. 8. col. 4. vers. *Sed est aliud dubium*; Malderus 2. 2. q. 33. ar. 8. dubit. 5. dicto 3. Et ratio est; Tum quia idem non debet esse actor, & testis,

Sotus.
Th. à Iesu
Aretinus.
Spatharius
Triuisan.
Aldrete.
Rodriq.
Bannes.
Lessius.
Mascard.
Nauarrus
Sanchez.
Caietanus.
Valentia.
Abbas.
Aragon.
Malderus.

cap.

cap. 1. & 2. 4. q. 4. cap. *Forus*, §. *Iurgium*, de verb. signif. cap. *In primis* §. *quia ergo* 2. q. 1. vbi glossa verbo *Accusatores*. Habetur etiam in cap. *Cum P.* de accusat. Tum quia præsumptio est contra illum, qui intat, vt damnum, seu pœna alteri infligatur, cap. *Si quis*, 2. q. 7. Tum quia aduocatus, seu procurator in causa principali non admittitur in testem in causa appellationis, propter affectionem, quam habet ad causam, cap. fin. de appell. in 6. ergo fortiùs denunciator non debet admitti in testem, cum, si non probet, possit timere, vel pœnam, vel dedecus. Tum quia ad iudicium rectum quatuor personæ requiruntur, cap. 1. & 2. 4. q. 4. actor scilicet, iudex, testis, & reus; neque vllus horum potest duorum personam agere, vt ibid. dicitur. Tum quia Iulius III. in const. eius 13. §. 10. In multis apud Cherub. tom. 1. bull. f. 715. habet, quòd in peccato blasphemiæ denuncians cum iuramento possit haberi loco testis, cum ergo id specialiter concedat in blasphemia in alijs negare videtur, & innuit, quòd absque speciali indulto non licebat. Ad cap. *In omni*, dico quòd intelligitur in leuibus delictis, & vbi non agitur de pœna graui. Ita Abbas loc. cit. Farin. lib. 3. praxis crim. q. 108. num. 151. Mascar. loc. cit. num. 15. Vel intellige dictum textum in denunciatione facta Prælato, vt patri. Ita Val. loc. cit. vers. *Secus autem est*; Mascar. cit. num. 12. Less. loc. cit. Thom. à Iesu loc. cit. cap. 19. num. 5. Quare contraria sententia non est tuta, neque in Religiosibus vllo modo practicanda in causis grauibus propter dictas rationes. Et Sot. loc. cit. de secreto leg. eam trepidans admittit, dicens. *Hoc dixerim probabiliter, vt ostendam saltem in crimine grauitatis hæreticæ nihil fieri contra ius, si denuncians recipiatur in testem; quamuis in alijs priuatis delictis non esset forte adeo consulendum.*

Abbas. Farin. Mascard. Valentia. Lessius. Th. à Iesu

Sotus.

Et quòad hæresim, & reliqua delicta contra communitatem cum Soto sentit Malder. loc. cit. concl. 2. Et Aldret. ad hoc, vt denunciator possit recipi in testem, requirit, quòd proprijs oculis delictum viderit, quòd ad propriam vindictam non agat, neque suam, aut suorum prosequatur iniuriam, neque eius intersit, quòd reus puniatur; quòd si aliquid horum in eo concurrat, reijci debet tanquam omnino suspectus. Prima itaque sententia potest amplecti in denunciatione euangelica, vel etiam in denunciatione iuridica in causis leuibus, in quibus neque dedecus, neque grauis pœna timetur, sed solum agitur de pœnis salutaribus.

Malderus Aldrete.

10. Et Aduerte, quòd DD. pro hac vltima sententia citati præsertim Aragon, nolunt, vt denunciator admittatur in testem, etiamsi alia via, qua ipse denunciauit, procedatur. V. G. si quis Prælato tanquam patri denunciauit delictum aliquod, quod quidem delictum deinde sit ab alio eidem Prælato tanquam iudici denunciatum, non potest in hoc secundo iudicio examinari tanquam testis, qui Prælato tanquam patri illud idem delictum denunciauit; quia semper habetur tanquam suspectus, & sæpe induit se ouina pelle lupus rapax. Vnde, cum non possit intellectus noster vortices humanæ mentis penetrare, tutius est, vt prudens, & charitatiuus Prælatus non examinet denunciantem paternè tanquam testem in foro iudiciali cum periculo damnificandi proximum in re graui.

Aragon.

CAP. III.

De forma definitionis, seu decisionis alicuius casus specialiter commissi.

FRATER N. à Reuerendissimo P. F. N. specialiter deputatus, cognitor, & decisor causæ, & causarum inter R. P. F. N. Prouincialem Mediolanensem ex vna, & R. P. F. N. Prouincialem Bononiæ ex altera partibus vertentis, & vertentium de, & super obligatione, vel non, soluendi quasdam pecunias, quas prædictus Prouincialis Mediolanensis à Prouinciali Bononiæ prætendebat, visis allegationibus, iuribus, replicationibus hinc inde, verbo, & scripto factis, etiam super dubijs à nobis in vtramque partem excitatis; visis uidendis, & considerandis maturè consideratis, dicimus, declaramus, decidimus, & definimus, Bononiæ Prouincialem esse, ac fore condemnandum, ut de facto condemnamus ad soluendum Prouinciali Mediolanensi scuta quingenta auri in auro; sicque præfatæ prætensioni ac prætensionibus perpetuum silentium fore, & esse imponendum, ut de facto imponimus, omni meliori modo, uia, & forma, quibus de iure possumus, ac debemus. Datum, &c. Ita declaraui, decidi, diffiniui, scripsi, & subscripsi. Ego Frater N.

1. Noto 1. quòd delegatus ad aliquam particularem causam, debet in primis diligenter attendere ad literas suæ delegationis; nam irritum est quicquid agit, excedens sibi traditam potestatem, cap. *Cum dilecta*, §. *Dictum*, de rescrip. cap. *Venerabilis* §. *Porro*, de iudic. deleg. Specul. lib. 1. partic. 1. de iudic. deleg. §. 5. num. 1. Barbosa in cap. *Cum dilecta* cit. num. 4. & 5. Goffr. in sum. de offic. deleg. §. *Officium delegati*. Nam quicquid agitur non seruata forma mandati, corruit, vt multis probat Barb. loc. cit. num. 8.

Speculator Barbosa. Goffredus.

2. Noto 2. quòd quando delegatus est persona particularis, V. G. quando Generalis, vel Prouincialis committit aliquam causam alicui Fratri particulari, debet hic literas suæ delegationis ostendere, vel Prouinciali, si sit delegatus à Generali, vel Correctori, si sit delegatus à Prouinciali, ad hoc, vt Ordinarius permittat ipsum pacificè vti iurisdictione in suo territorio, & eum in casibus occurrentibus adiuuet; colligitur ex cap. *Cum in iure*, de offic. iud. deleg.

3. No-

3. Noto 3. quòd delegatus in citatione partium debet inserere formam suæ delegationis, alioquin citatio non valet. Ita Barbosa in cap. *Cum in iure* cit. num. 5.

Barbosa.

4. Noto 4. quòd delegatus debet diligenter de partium iuribus cognoscere, easque in priuato, & in publico audire, ad hoc, vt possit secundum scientiam causam diffinire, & hoc etiamsi in commissione decisionis causæ nulla fiat mentio de cognitione; nam qui vult consequens, intelligitur etiam velle necessarium antecedens ad illud; cap. *Prudentiam* §. *Cæterum*, de off. iud. del. fine, cap. *Præterea* §. *Hoc sibi*, eod. tit. Marian. Socin. in cap. *Venerabilis*, de iudic. in princ. Goffred. loc. cit. §. *Item officium*.

M. Socin. Goffredus.

5. Noto 5. quòd licèt Ordinarius Iudex sciat, delegatum tulisse sententiam iniustam, si tamen illi executio committatur, illam exequi debet, quia delegatus est supra ipsum, & Ordinarius hoc casu est merus executor cap. *Pastoralis*, §. *Quia verò*, de offic. deleg. Venerus in exam lib. 7. cap. 11. num. 23. Sed tu dic, quòd si Ordinario euidenter constet de iniustitia sententiæ, non debet illam vllo modo exequi, ne cooperari videatur delegati iniquitati. Ita D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 6. ad 3. Barb. in dicto cap. *Pastoralis*, num. 14. vbi quamplures citat: quod ita verum est, vt si executor tentauerit dictam iniustam sententiã exequi, potest illi impunè resisti, perinde ac priuato vim inferenti; leg. *Prohibitum*, Cod. *de iure fisci*, lib. 10. Barb. loc. cit. Ille verò textus cap. *Pastoralis* intelligitur in ciuilibus, & vbi non agitur de magno præiudicio partis; seu quando non constat euidenter de iniustitia, sed solùm dubitatur; aut denique intelligitur de delegato Principis. Quare non habet vllo modo locum in delegato Superiorum regularium; vnde si iste iniustam sententiam ferat, non tenetur Ordinarius eam exequi. Immò puto, quòd delegato conanti dictam iniustam sententiam exequi teneatur Ordinarius resistere, cum ad ipsum pertineat suas oues ab iniustis raptoribus defendere, & suorum subditorum incolumitati cõsulere, nõ obstante textu in cap. *Si quando*, de iud. deleg. vbi dicitur, quòd Ordinarius non debet iudicis delegati mandato resistere violenter, sed apud ipsum instare, vt differat executionem, quousque maior Superior fuerit informatus: nam iste textus intelligitur de delegato Principis supremi; & in causis ciuilibus; seu quando sententia non est euidenter iniusta.

Venerus. D. Thom. Barbosa.

6. Noto 6. quòd iurisdictio iudicis delegati spirat morte delegantis, nisi negotium priùs fuerit inceptum, vt dixi tom. 3. priuil. regul. cap. 4. num. 10. Venerus in exam. lib. 7. cap. 11. num. 38.

Venerus.

7. Noto 7 quòd delegatus potest recusari, cap. *Causam quæ*, de iudic. deleg. tam ante, quàm post inceptum negotium, seu litis contestationem, cap. *Insinuante*, de iudic. deleg. Recusato autem iudice delegato, eligi debent arbitri ad decidendam recusationis causam, cap. *Suspicionis*, de iudic. deleg. Plura de iudic. deleg. vide apud Venerom cit. lib. 7. cap. 11. Goffred. lib. 1. sum. de iudic. deleg. Specul. lib. 1. partic. 1. de iudic. deleg.

CAP. IV.

De forma diffinitionis generalis à Visitatoribus faciendæ.



RATER N. &c. Ordinis N. Generalis vniuersis, & singulis Prouinciæ nostræ N. Patribus, ac Fratribus salutem, & morum reformationem.

Religionis nostræ speculatores, quamuis immeriti, diuina prouidentia constituti, demandata nobis dispensationis officio, Christique charitate vrgemur, vt ministerium nostrum, verique speculatoris pensa exsoluere studeamus. Inter quæ quidem, cum à sacris Canonibus, atque à nostris præsertim regularibus statutis, opportunà subditorum visitatio iure optimo commendetur, quæ veluti spiritualis quædam est Religiosorum cultura, quà diuinarum rerum veneratio, regularisque disciplina instauratur, & complura alia ex visitantium zelo, ac prudentia ad Dei gloriam, Religionisque commodum, ac vtilitatem consequuntur. Eam ob causam in hanc nostram Prouinciam N. descendere visum est, vt cuncta ne erga filios nostros sint prospera, & salua cerneremus. Cumque omnia accuratè rimari, sedulòque explorare studuissemus, non sinè intimo doloris sensu in huius Prouinciæ hortulo zizanias non paucas excreuisse conspeximus, & dum domus Domini torcularia optimo sanctæ conuersationis vino, gratissimoque religiosæ disciplinæ oleo redundare existimaremus, acerbissimas parùm honestæ vitæ labruscas, & fœdissimam irreligiositatis amurcam animaduertimus effluxisse. Quare huiusmodi vitiorum zizanias, ac steriles auenas ex agro Domini radicitùs euellendas, vberioraque pro iis virtutum, bonorumque operum semina, iuxta nostrarum virium imbecillitatem, statim curauimus iacienda; Ac præterea, ne mala hæc iterum prodirent, salutaria non pauca, ac præseruatiua medicamina, & non vulgaria statutorum antidota promulgauimus. Demum verò, ne quid quod pium, verumque pastorem, ac patrem deceat, in nobis desideraretur, euangelicæ correctionis operam dedimus non ignauam; & quantum, honesti habita ratione, licuit, misericordiam, pietatem, ac debitoris virgam medullitùs exhibuimus.

Quoniam

Quoniam verò nonnulla, iuris ordine seruato, tanquam iudices cognouimus, quæ sine animaduersione aliqua, seu pœna nequeunt præteriri, oleum semper cum manna miscentes, Deumque præ oculis habentes, ac pæmissis de iure præmittendis, nec quoquam ex ijs, quæ iurium dispositiones exigunt, prætermisso; Collegarum nostrorum accedente consilio, atque assensu, Christi nomine inuocato, ad infrascriptam diffinitionem duximus deueniendum, vt per præsentes in Conuentu S. N. de N. ad hoc per nos specialiter electo, coram toto eiusdem capitulo, ac prædictæ Prouinciæ Patre Prouinciali de facto, ac re ipsa deuenimus.

Atque in primis cū nobis legitimè constiterit, Fratrem Delicatum contra Regulæ nostræ tenorem lineas camisias absque Medici, & Correctoris licentia, nulla necessitate pressum detulisse, eum propterea in pœnas contra huiusmodi offensores in nostro Correctorio num. 19. inflictas incidisse, atque adeò sibi quinque dierum spatio vino, & pictantia abstinendum fore declaramus.

Et quia Frater Indeuotus, absque legitima causa, diebus, & festis Communioni deputatis, ipsam sacram Communionem recipere omisit, eundem declaramus in pœnas contra tales in Correctorio num. 27. inflictas incidisse, atque ita sibi dominico die proxime venturo silentium seruandum, panemque, & aquam dumtaxat in terra sedendo pariter comedendum. Et sic de reliquis. *Sic dicimus, diffinimus, pronunciamus, sententiamus, non solùm hoc, sed & omni alio meliori modo, via, & forma, quibus de iure possumus, & valemus. In quorum fidem subscripsimus, nostrique officij sigillo communiuimus.* Hic omnes subscribunt, Generalis scilicet, & Collegæ, & apponitur suo loco sigillum. Deinde Notarius, seu Scriba publicat coram capitulo præfatam diffinitionem hoc pacto. *Lecta, lata, & publicata fuit præfata diffinitio per me Fratrem N. Notarium, seu Scribam dictæ visitationis, de mandato Reuerendissimi Patris Generalis, coram eodem, & præfati Conuentus Sancti N. de N. capitulo, necnon prædictæ Prouinciæ Prouinciali. Et in fidem dicti Pater Prouincialis, ac Pater Corrector se subscripserunt die 14. Aprilis, 1634.*

LITERA E.

CAP. I.

De forma monendi aliquem, vt ab ebrietate desistat.

FRATER N. Ordinis N. in Prouincia N. Prouincialis, Prouincialatus onere infirmitati nostræ à Domino, nullis nostris exigentibus meritis, imposito admonemur, sedulò nobis inuigilandum esse, vt quæ quotidie in agro Domini ex veteri maledicto vitiorū spina, ac tribuli nascuntur, officij nostri ministerio, ne altiùs excrescant radicitùs extirpentur. Et sanè, si ad vitium aliquod euellendum demandati muneris sollicitudo nos extimulat, ad abominabilem porro ebrietatis turpitudinem, multorum malorum, insigniumque flagitiorum fontem, ac scaturiginem totis viribus extirpandam quammaximè vrget, atque inducit. Cum itaque, sicut non sinè maxima animi nostri molestia persæpè accepimus, P. F. N. in huiusmodi ebrietatis vitium cum multorum scandalo, atque offendiculo prolabatur, & plures subinde murmurationes, detractiones, calumnias, aliaque nefaria verba in Dei proximique honoris maximum detrimentum euomat. Nos perpendentes animo, quàm tetrū, ac turpe vitium sit, cum in profanis, tum verò maximè in Sacerdotibus ebrietas, quamque periculosa; ea propter huic fæditati, ne longiùs serpat occurere cupientes, his nostris literis (quas P. Correctorem Conuentus nostri N. in quo præfatus N. localiter degit, eidem publicè legendas, ac intimandas curare volumus, ac mandamus) ipsum monemus, atque hortamur, vt nimiam vini potationem, quæ eiusmodi ebrietatis, ac temulentiæ est causa, deuitet. Sin verò pudendo huic flagitio, & dictu pariter, ac visu fædissimo vitiùs inhæserit, secundum innectas olim contra ebriosos canonicas sanctiones, ac iura, à nobis se sciat, iuxta delicti magnitudinem, atque fæditatem, meritæ pœna coercendum. In quorum fidem, &c.

Nos prò modo procedendi contra ebriosos quæ dixi tom. 2. Praxis, q. 2. cap. 5. num. 66. & de ebrietate dixi multa ibidem à num. 58. vsque ad 71. & cap. 3. à num. 214.

CAP. II.

De forma iuramenti præstandi ab electoribus ante electionem de meliori eligendo.



GO Frater N. iuro, & promitto Deo Omnipotenti, ac B. Patri nostro Francisco de Paula, illum eligere, quem credam secundùm meam conscientiam futurum huic Ordini, vel huic Prouinciæ, vel huic Conuentui in spiritualibus, & temporalibus vtiliorem, & probiorem.

1. Noto 1. quod electores in Capitulo congregati, antequam ad actum electionis deueniant, tenentur sub dicta forma iurare, per decretum Clementis VIII. quod habes tom. 2. nostr. priu. in const. 10. Vrbani VIII. §. 53. vbi dicitur, *Iurent electores secundùm veritatem cuiusque conscientiæ*, &c. quod iuramentum exigitur etiam ex decretis Concilij Basilensis, sess. 20. & 38. & ex Concilio 3. Coloniensi, p. 1. cap. 7. & 8. & consonat Concilio Trident. sess. 24. de reform. cap. 1. & 13.

2. Noto 2. circa illam clausulam requisitam in hoc iuramento à Papa, *Secundùm veritatem cuiusque conscientiæ*, quòd electores debent eligere illum, quem probiorem iudicant secundùm id, quod conscientia propria illis dictat. Est autem conscientia actus intellectus practici, in indiuiduo dictans aliquid esse faciendum, vel fugiendum. Ita D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. iuncta doctrina Malderi ibid. tract. de conscien. disput. 8. Addidi illam particulam, *In indiuiduo*, vt facerem differentiam inter conscientiam, & synderesim: nam hæc in genere iudicat, omne malum esse fugiendum, & omne bonum sequendum; conscientia autem dictat, hoc malum in indiuiduo esse vitandum V. G. Formemus hunc syllogismum, Omne malũ est vitandum, Eligere indignum est malum, tum quia est contra ius naturæ dictatum à Deo; tum quia turpe est communitati, quæ in te confidit in hoc electionis articulo, tale, & tantum damnum inferre, Ergo vitandum est. Sed Petrus indignus est; Ergo non est illi suffragandum. Maior huius syllogismi dictatur à synderesi. Minor est dictata à ratione superiori, quæ secundùm August. de Trinit. lib. 12. cap. 7. intendit rebus æternis conspiciendis, aut consulendis; Subsumptum verò dictatur à ratione inferiori, quæ secundùm eundem August. ibid. intendit rebus temporalibus; Quam doctrinam approbat Valent. tom. 2. disput. 6. q. 5. p. 3. col. 3. vers. *Ratio superior*. Consequentia autem iuncta cum subsumpto eiusque conclusione dictatur à conscientia; est autem conscientia duplex. Alia recta, seu vera quæ ex synderesi, veroque subsumpto verum iudicium infert. Alia verò est erronea, quæ ex synderesi, falsoque subsumpto falsum iudicium infert. Quando ergo Papa dicit, quòd iurent electores secundùm veritatem cuiusque conscientiæ, certum est, quòd

D. Thomas
Malderus.
D. Aug.
Valentia.

non loquitur de conscientia erronea, quæ legibus diuinis, & humanis aduersatur, sed de conscientia recta, quæ illis est conformis. Quòd si quis habeat conscientiam inuincibiliter erroneam de aliquo, quòd sit indignus, qui tamen in rei veritate dignus sit, dicunt communiter Doctores, quod tenetur secundùm illam operari, si eam deponere non potest; nam facere contra dictamen rationis, malum est. Ego puto, quod priusquam ad operandũ deueniat, teneatur facere quantum potest, vt veritas illi aperiatur, aperietur autem, si consulat viros doctos, prudentes, & pios de idoneitate eligendi; si eligendus sit propositus à Superiore, qui non sit solitus indignos proponere, si maior pars eligentium sit parata concurrere, & inter hos sint aliqui viri pij, & prudentes. Quibus diligentijs factis, si adhuc conscientia in sua erroneitate perseueret, sequenda est. Neque in hoc casu est procedendum secundùm propriam voluntatem, cum conscientia sit actus intellectus, vt dixi, & probat Cord. in quæst. theolog. lib. 3. q. 1. p. 3. intellectus autem est idem cum ratione; vnde libertas, quæ est de essentia electionis, non est libertas animalitatis, qua asinus in publico foro crepitat, sed rationalitatis, qua homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus, in se Dei quædam principia operandi habens, secundùm illa operatur. Quare tunc dicitur homo liberè operari, & eligere, dum operatur secundùm rectam rationem. Ex quibus.

Corduba.

3. Colligitur 1. quòd si determinandum sit aliquod negotium per suffragia publica, suffragia danda sunt libera, non quidem secundùm simplex arbitrium voluntatis, sed secundùm rationem; atque ita elector, seu suffragans, debet posse dare rationem sui suffragij cuicunque petenti. Si autem quis suffragetur secundùm propriam voluntatem ratione non regulatam, potest à Superiore puniri, nam in Rebus publicis, maximè politicis, & rationabiliter viuentibus, quales sunt Religiones, non secundum bestialitatem cuiuslibet procedendum est, sed secundùm rationem rectam. Adde, quòd communitas dans facultatem electoribus eligendi, & votandi, eam illis tribuit in ædificationem, non in destructionem, cum exterminandum sit, quòd ratione caret, cap. *Chorepiscopi*, d. 68. Et propterea nõ omnibus talis facultas datur, sed solũ certis aliquibus generibus personarũ, quæ prudentiores æstimantur.

4. Colligitur 2. quòd dans suffragium, & eligens etiam secretò, non debet eligere secundùm propriam passionem, aut interesse, saltem primariò, nam sic peccaret contra dictum iuramentum, quod debet esse, non secundùm propriam passionem, aut interesse, sed secundùm propriam conscientiam ratione regulatam; quo pacto conscientia dicitur ab Origene lib. 2. in epistol. ad Rom. *Pædagogus animæ*, & à Basilio lib. prouerb. init. *naturale iudicatorium*; & à Damasc. lib. 4. de fide orthod. cap. 22. *Lux intellectus nostri.*

Origenes.
D. Basil.
D. Damasc.

5. Colligitur 3. quòd elector, quando fecit quantum potuit, vt scientiam, & veritatem attingeret, circa qualitates personæ eligendæ, si tamen adhuc id non assequatur, potest liberè suffragari, & absque scrupulo cuicunque con-

scientia

sciencia dictauerit, cum suffragia danda sint, non secundùm veritatem in re, sed secundùm veritatem, quam conscientia cuiuscunque verum existimat, modo conscientia regulata sit à ratione, non absolutè à voluntate, sed à voluntate illuminata, & ducta ab intellectu, seu ratione. Sed pro supradictis diffusiùs explicandis vide Sayrum in claui reg. lib. 2. cap. 2. & 3. Maldar. 1. 2. q. 19. ar. 5. & 6. tract. de conscient. disp. 82. cum sequentibus; Cordub. in quæst. theolog. lib. 3. q. 1. Rodriq. in sum. tom. 1. cap. 71. Quæ dixisse libuit ad consolationem scrupulosorum, & ad confusionem aliorum.

Sayrus. Maldarus.

6. Noto 3. quòd electores debent iurare, se probiores electuros; probiores autem intellige, non in ordine ad seipsos, sed in ordine ad alios. Vnde, si sit aliquis valde sanctus, regimini tamen ineptus, iste minus dignus censendus est, quàm minùs sanctus, sed regimini aptus, vt docent D. Thom. 2. 2. q. 63. ar. 2. & q. 183. ar. 3. & dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 31. §. 1. notab. 3.

7. Quæres 1. An istud iuramentum sit de substantia electionis, itaut electionem inualidet, si non præcesserit? R. quòd aliqui putant, non esse de substantia, si simpliciter consideretur; esse tamen de substantia, si respiciamus ad dictum decretum Clem. VIII. quod fuit cõfirmatum ab omnibus Pontificibus subsequentibus, & ad Concilium Basiliense, & Colonien. Ita Petrus Greg. de elect. cap. 16. num. 4. Lanor. de elect. cap. 19. num. 50. Peregr. in addit. ad constit. Cleric. regul. p. 2. dub. 7. putat, quòd electio non est quidem ipso iure nulla, tamen quòd potest annullari. Sed nullo modo puto pertinere ad substantiam electionis, sed tantùm ad bene esse; non enim puto, omnia illa decreta esse præceptiua sed quamplura illorum solùm esse directiua, inter quæ est illud. Nec obstat regula *Quæ contra*, quæ est 64. de reg. iur. in 6. & l. *Non dubium*, C. de leg. vbi dicitur, quòd *Quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi*: nam intelligitur de lege prohibitiua, vt clarè constat ex dicta L. *Non dubium*, non autem de lege ordinatiua, qualis est ista. Concilia autem illa non sunt fidei inuiolabilis. An autem electores non iurantes possint puniri? Puto, quòd sic. Quia contrafaciunt decretis Papæ; & habetur expressè in dictis statutis Clem. VIII. §. 57.

P. Greg. Lanorius. Peregrin.

8. Quæres 2. An sit necesse, quòd illud iuramentum præstetur ad sacra Dei Euangelia? R. sufficere, quòd sumatur tangendo pectus more sacerdotali, cum nihil exprimatur in dictis decretis. Et ita vsus obtinuit in nostra Religione. Ita Sigism. de elect. dub. 26. num. 5. Lanor. loc. cit. num. 51. apud quos alij.

Sigismun.

9. Quæres 3. An Vicarius missus ad eligendum loco Prouincialis V. G. possit hoc iuramentũ præstare, cũ non sit per se primarius elector? Et an debeat iurare in animam propriam, vel in animã ipsum constituentis? R. quòd, cũ iuramentũ debeat præstari à Vicario in ordine ad actũ ab ipsomet exercendũ secundùm iudicium propriæ conscientiæ, potest, & debet ab ipsomet sumi; cum præsertim Vicarij huiusmodi fiant cum generali mandato ad eligendum. Atque ita iurant in animam propriam, non constituentium. Ita Sigism. de elect. loc. cit. num 7. & 8. Lanor. cit. num. 52. Sed de isto iuramento vide infra lit. V. cap. 6.

10. Quæres 4. An stante prædicto iuramento, possit quis adhuc minus dignum eligere? R. posse, quando maior pars electorum vult eligere minus dignum; tunc enim minor pars potest concurrere cum maiori parte, & etiam ipsa minus dignum eligere, præsertim quando in dicta maiori parte adsunt aliqui viri docti, pariter, & pij, atque prudentes, secundùm statum rerum, in quibus sunt; nec tunc censenda est minor pars facere contra iuramentum: nam eo casu ille minùs dignus censetur magis dignus, quia est magis acceptus. Et vniuersaliter in Capitulis quibuscunque ille censendus est magis dignus; qui est magis acceptus electoribus, & ille est magis acceptus electoribus, cũ quo maior illorum pars concurrit: experientia enim constat, quòd magis gratus electoribus suauiùs gubernat, & maiùs, ac promptiùs illi obeditur. Et cum suauis gubernatio sit vtilior, tum spirituali, tum temporali bono Religionis, sequitur quòd hic, & nunc iste sit probior alijs; & consequenter minor pars non solùm potest se maiori parti conformare, sed etiam debet; alioqui non consulit bono communi. Atque ita docent Sylu. verb. *Electio* 3. q. 2. Caiet. in summ. verb. *Electio* vers. *Et scito hic*, Salon. 2. 2. q. 63. ar. 2. controu. 4. vers. *In hanc partem Thomistæ*; Io: Valerius in controu. iuris, ver. *Electio*, controu. 1. num. 2. ver. *Quarto quando videt*, Bann. 2. 2. q. 63. ar. 2. dub. 3. conclus. 3. Vega 1. p. summ. cap. 97. casu 1. Diana tom. 3. tract. 5. resol. 110. Sanch. lib. 2. consil. cap. 1. dub. 4. num. 6.

Syluester. Caietanus. Salon. Io: Valer. Bannes. Vega. Diana. Sanchez.

11. Quæres 5. An electores Definitorum, Collegarum, Commissorum, Discretorum teneantur iurare? R. Affirmatiuè. Tum quòd dicti omnes habent iurisdictionem, & magnã auctoritatem ad condendas leges, definiendas causas tam temporales, quàm spirituales, vel in Capitulo generali, vel in prouinciali, aut definitorio, vel cum Prælato, cuius officij participes sunt. Tum quòd ita expressè habetur in dictis decretis Clem. VIII. num. 53. vbi dicitur, *In Superiorum, & Officialium omnium electionibus, &c. iurent electores, &c.*

12. Aduerte hic, quòd quando fit iuramentum de eligendo meliori, intelligitur de possibilibus haberi, non de meliori simpliciter. Ita Caiet. 2. 2. q. 63. ar. 2. sive. Itam intelligitur iuramentum de meliori eligendo secundum statuta Religionis V. G. in Ordine nostro Commissus ad Capitulum Prouinciale debet esse vnus ex electoribus, & Correctores debent eligi de corpore Prouinciæ. Quando ergo iuro, me electurum Commissum, quem iudicauero probiorem, intelligitur, quòd eligam ex illis, qui secundum statuta possunt eligi nõ de melioribus simpliciter. Et sic de Correctoribus. Ita Aragon 2. 2. q. 63. ar. 2. Sanchez lib. 2. consil. cap. 1. dub 12. num. 3.

Aragon. Sanchez.

13. Aduerte etiam, quòd quando elector habet amicum, quem certissimè scit esse dignum, potest eligere illum, quando non videt certissimè, & euidenter, alium esse digniorem, sed probabiliter tantùm; nam ea certitudo, qua nouit, suum amicum, esse dignum,

habita

habita longa experientia, præferenda est opinioni, quæ habetur de maiori alterius dignitate, & cum certitudo opinioni præualeat, in isto casu amicus de quo sum certus, quòd est dignus, censetur dignior illo, de quo solùm opinionem habeo, quòd sit dignior, iuxta illud. *Tene certum, & dimitte incertum*. Ita Sanch. loc. cit. n. 4.

24. Aduerte etiam, quòd electores tenentur adhibere mediocrem diligentiam ad inquirédum digniorem, idest, eam diligentiam adhibere tenentur, quam viri diligentes adhibent in curãdis rebus proprijs, non quam adhibent diligentissimi. Vnde non debent esse contenti generali, & superficiali diligentia, sed debent adhibere diligentiam particularem, & ea professo: nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam adhibere media necessaria ad illum finem obtinendum; sed electores tenentur eligere digniorem, tum ex officio, tum ex præstito iuramento. Ergo ex eisdem motiuis (qui enim vult consequens, vult etiã, & antecedens ducens ad illud) tenentur adhibere mediocrem diligentiam. Ita Sanchez loc. cit. num. 3. vbi citat Caiet. Sotum, Aragon, Salon, Nau. & alios.

CAP. III.

De forma, qua Scriba in Capitulo electus, illi fidelitatem promittit.

EGO Frater N. electus in Scribam huius Capituli, iuro, & promitto Deo Omnipotenti, & vobis Patribus, vt singulis, & vniuersis, quòd ero fidelis in hoc munere exercendo.

1. Noto 1. quod hoc iuramentum sumitur tacto pectore, more sacerdotali; estque introductum in nostra Religione ab anno 1520. die 16. Maij, quo Parisijs celebratum est Capitulum generale, in quo, vt patet ex num. 5. Patres illius Capituli desierunt eligere quatuor illos Scrutatores, qui singula Patrum vota audirent, & scrutarentur, & solùm decreuerunt, dicta vota audiri, & seruari per Scribam capitulariter electum, confisi de illius fidelitate. Vnde factum est, vt in sequentibus capitulis semper Scriba electus iuret, & promittat Capitulo fidelitatem.

2. Noto 2. quòd licèt in Ordine nostro Scrutatores non scrutentur singulorum vota, vt videtur velle cap. *Quia propter*, de elect. non tamen per hoc potest dici, quòd electiones in Ordine nostro non sint canonicæ, vt quidam ignorantes nimis audacter ausi sunt dicere; nam inprimis reliqua omnia requisita in dicto cap. obseruantur ad vnguem, vt probaui tom. 2. Relig. q. 1. cap. 31. notab. 6. & denominatio sumitur à maiori, & digniori parte: Barb. de axiom. iuris, axiom. 69. nu. 1. Deinde Glossa in dicto cap. *Quia propter*, verb. *Senior*, ait, hunc numerum Scrutatorum non esse de substantia electionis; ait enim, *quòd tres tantùm debeant esse inquisitores, non credo esse de substantia, dummodò tot sint, quòd fraus fieri non possit*. Sed, scrutante solo Scriba in ordine nostro, maior fraus fieri non potest, quàm fieret, scrutantibus tribus. Et licèt dicta Glossa videatur dicere, non esse de substantia, quòd tantùm sint tres, annuens posse esse plures, non verò pauciores; non video tamen, quare possint esse plures, quàm tres, & non pauciores, cum textus tres requirat. Vnde concludo, quòd, si nõ est de substantia, quòd sint tantum tres, quia possunt esse quatuor V. G. neque sit de substantia, quòd sint tantùm tres, quia possunt duo, vel unus tantùm; & sic Mirand. tom. 2 manual. q. 23. ar. 29. ver. *Tertio est*, ait, quòd secundum opinionem multorum Doctorum; non est de substantia electionis, quòd Scrutatores debeant esse tres. Tertio. Quia numerus ille Scrutatorum in fauorem electionis, ne scilicet in ea fraus fieret, introductus est. Ergo, si cum minori electorum incommodo, & cum eadem exclusione fraudis, fieri potest electio cum vno solo Scrutatore non est contra mentem Canonis, vnum solum adhibere. sed hoc obtinetur cum solo illo Scrutatore in Ordine nostro; sic enim cũ maiori libertate dant sua vota electores, nec vlla maior fraus potest in electione tali fieri, quàm si adhiberentur tres; Ergo. Quarto: Quia ille numerus trium Scrutatorum tollit multum de libertate electoribus, quod fuit motiuum nostri Capituli generalis; non enim omnes sunt gigantes, sed libertas est maximè essentialis electioni, & ita vt, ea non posita, cesset omninò electio, vt dicitur in cap. *Periculum* §. *Cæterum*, de elect. in 6. Ergo inuenire modũ, quo electiones fiant cũ libertate maiori, non est facere contra mentem Canonis; immò est Canonem adiuuare, quod est concessum in cap. 1. de nou. op. nunciat. non enim potuit Canonum auctor fraudibus omnibus obuiare. Quinto. Quia dato, quòd iste noster modus eligendi per vnum solum Scrutatorem, esset contra illud cap. *Quia propter*, de elect. quoad illud punctum de tribus Scrutatoribus, quod non concedo; tamen potest dici, quòd longa, ac præscripta consuetudo centum, & plus annorum abrogauerit illum Canonem quoad hoc punctum. Sexto. Quia Summi Pontifices ab illo anno 1520. confirmauerunt omnes electiones nostrorum Generalium, tanquam ritè, & canonicè factas. Ergo signum est, quòd non censuerunt, esse factas contra Canones: quod si censuerunt; cum nihilominus confirmauerint, & plerumque causa cognita, dicendum est, quòd dictos Canones abrogauerint. Septimò. Quia cum fuisset recursum aliquando ad sacram Congreg. Regularium, vt dignaretur declarare, an hic modus eligendi, qui seruatur in nostra Religione, esset contra Canones, sacra Congregatio, re maturè discussa, declarauit, quòd Religio continuaret in dicto modo eligendi, & consequenter quòd non erat iste modus contra Canones. Octauo. Quia iste punctus de tribus Scrutatoribus videtur abrogatus per Concilium Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6. quatenus summam requirit in electionibus secretudinem; Et ita censuit Mir. tom. 2. manual. q. 23. art. 29. vers. septimo. Nono. Quia licet tres isti Scrutatores non scrutentur singulorum vota, quando dantur ab electoribus, scrutantur tamen ea, quando iam data sunt, & electione secuta,

Barbosa.

Mirand.

tuta; Et tandem, quòd hic modus eligendi in Ordine nostro non sit contra Canones, docuit doctissimus Passarel. in schol. super capitul. Auenion. 1. num. 2.

CAP. IV.

De forma communis electionis, quæ fieri debet electione secuta.

EGO Frater N. *nomine meo, & nomine eorum, qui mecum consenserunt, eligo in Generalem Ordinis N. vel in Prouincialem Prouinciæ N. &c. P. F. N. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

1. Noto, quòd ista communis electio, electione secuta facienda est per Scribam; vt fit ordinariè in Ordine nostro, vel per alium à Capitulo deputatum, in casu, quo forte ipse Scriba in prælatum eligeretur. Et pro hac electione videnda sunt, quæ dico tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 31. notab. 2. & quomodo ordiendũ sit negotium electionis à principio vsque ad finem, vide in 1. parte nostri Ritualis, cap. 14.

CAP. V.

De forma literarum electionis Correctoris localis mittendarum ad Capitulum diffinitorium, vel Prouinciale pro confirmatione.

IN *Nomine Domini Amen. Reuerendi admodùm Patres. Cum ad nos Conuentus huius N. locales Fratres, & vocales de iure pertineat eiusdemmet Conuentus Correctoris electio, die ad hoc per regularia statuta præfixo, qui est 15. Septembris, ad prædictum munus obeundum, solemni priùs Spiritus sancti missa decantata sacra communione refecti in Capituli locum processionaliter concessimus: ubi quidem diuino Numine iterum inuocato, Capituloque per Patrem Correctorem rehabilitato, factis protestationibus, cæterisque peractis, quæ de iure, & more fieri solent, & debent, ad electionem tandem eiusdem Conuentus Correctoris deuenimus; ac per uiam scrutinij electus est R. P. F. N. ut hic per præsentes inclusas schedulas uidere licet; quæ porro electio tanquam canonica, & uiri de Religione benemeriti, ut à RR. adm. Paternitatibus VV. pro nostra consolatione, & huiusce Conuentus, tum Spirituali, tum temporali profectu confirmetur, humiliter deposcimus; In quorum fidem, &c.*

CAP. VI.

De eadem forma in casu electionis non secutæ propter discordiam.

IN *nomine Domini, Amen. Reuerendi admodùm Patres, Sanctæ, atque catholicæ Ecclesiæ filios dissensionis interdum, atque discordiæ densa caligine circumuolui, etsi iniucundum nec nouum tamen, nec graue, nec reprehensibile iudicatur. Est enim fragilitatis nedum humanæ, verum etiam sanctorum hominum, purissimorumque spirituum naturalis ad dissensionem procliuitas, & inclinatio. Nonne in faciem se Petro restitisse gloriatur quodammodo vas electionis? Et cuius mens in legendo non erecta, longo regni Persarum Principis, alteriusque Angeli dissidio retinetur? vt mirum propterea uideri nequaquam debeat si nos humi repentes, luteaque vasa circumferentes, in huiusce nostri Conuentus N. Correctoris electione, ob quam in capituli locum die præfixa conueneramus, peractis peragendis, minime concordes, in varias coacti simus abire sententias, nec optatum nobis concessum sit pastorem eligere & cooptare. Quamobrem, venia in primis petita, Reuerendas admodum Paternitates vestras obnixè rogamus, vt bonum nobis, prudentemque Correctorem, qui non Dominus sit, sed pater, non lupus, sed pastor, nõ timorem incutiat, sed amorem præferat, pro hoc nostro Cõuentu dignentur prouidere. Quod quidem breui fore sperantes, Deũ interim precabimur, vt Reuerendas admodum Paternitates vestras in cunctis salubriter dirigat, illisque efficacis gratiæ luce præsit, & assistat. In quorum fidem, &c.*

CAP. VII.

De eadem forma in casu electionis non secutæ propter penuriam Fratrum vocalium.

IN *nomine Domini, Amen. Reuerendi admodùm Patres. Nos huius Conuentus N. Corrector, & Fratres locales, ac vocales; notum vobis facimus, quòd habendæ electionis Correctoris præfati Conuen-*

tus

tus instante die, peractis secundum iura peragendis, Capituli locum ingressi, haud posse nos ob Fratrum vocalium penuriam, electionem prædictam, iuxta nostra statuta, celebrare comperimus. Quamobrem RR. admodùm Paternitates vestras obnixè rogamus, vt inopiæ, miseriaque nostræ commiserantes, idoneum Correctorem, qui prælibato Conuentui, cum in temporalibus, tum verò spiritualibus prodesse queat, ac velit, dignentur prouidere. Et Dominus sit illis propitius. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. circa has tres formas, quòd in omni electione per scrutinium debet præcedere tractatus consultorius, vt dico tom. 3. priuil. cap. 9. num. 7. In Ordine nostro iste tractatus in Capitulis generalibus, & prouincialibus incipit à dio, quo aperitur Capitulum, idest, quo primò electores capitulariter conueniunt. In Capitulis verò localibus, in quibus eliguntur Superiores locales incipit ab horis 24. ante præfatam electionem, & hoc de more Religionis, idque intelligitur, etiamsi Superiores nihil dicant electoribus. Nec est necesse, quòd iste tractatus fiat in communi, idest, omnibus capitularibus congregatis, & consulentibus, sed sufficit quòd electores duo, vel plures inter se tractent de persona eligenda, & ita semper seruari vidi. Cui practicæ standum est, cum nihil clarè habeamus de iure circa hoc statutum. Tractatio autem ista, quam facere debent inter se electores, potest esse de persona eligenda in communi, V.G. si electores dicant inter se, volumus eligere personam idoneam, quæ possit, & valeat necessitatibus Religionis subuenire: Seu etiam potest esse in particulari de tali persona eligenda, V. G. Pater talis mihi videretur esse bonus pro tali dignitate, nam vir est valde pius, prudens, ac doctus, &c.

2. Noto 2. quòd electio Superiorum localium in Ordine nostro ad Fratres locales pertinet per Regulam nu. 49. & est conforme iuri cõmuni, cap. 1. de elect. fit autem die 15. Septembris, per determinationem cap. Romani 6. n. 16.

3. Noto 3. quòd ante quamlibet electionem canonicam debet cantari missa Spiritus Sancti, cui debent interesse omnes electores, quique debent eo die ante electionem confiteri, & communicare, & cantata missa, debent, processionaliter cantando, *Veni creator Spiritus*, procedere ad locum Capituli. Quæ omnia esse de substantia electionis post Concilium Basiliense, docet Baysius in direct. elect. p. 3. cap. 13. num. 2. & 3. & fuerunt seruata in 1. Capitulo generali nostri Ordinis Romæ celebrato num. 15. & in Capitulo Parisiensi, num. 5. & in cap. Romano 3. num. 8. & in cap. Val. 4. num. 1. & in Cap. Malachitano, num. 1. Sed licèt putem, quòd non sint de substantia, vt dixi tom. 1. Relig. cap. 31. notab. 4. conuenientissimè tamen esse statuta existimo; atque ita debere omnino seruari, vt in forma præscripsi. Et certè missa Spiritus sancti est ita in cõsuetudine, vt sinè mortali eam non posse omitti putem. Confessio, & communio videntur etiam

Baysius.

necessariæ; cum enim inuocanda sit Spiritus sancti gratia ad effectum bonæ electionis, & hæc omnimodam puritatem requirat, consonum videtur, vt dictis sacramentis anima purificetur, ad hoc, vt inuocantibus Spiritus sanctus assistat. Qui autem omittunt hæc facere, non est mirum, si quandoque abortum faciant, & monstra Prælatorum gignant; nam cum nõ debita puritate assistentiam Spiritus sancti postulent, hic tales electiones contemnit, & ignorat, iuxta illud Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me Principes extiterunt, & non cognoui.*

4. Noto 4. quòd post ingressum Capituli, & nouam inuocationem diuini Numinis legitimatur Capitulum hoc modo, scilicet. In Capitulo generali, & prouinciali leguntur literæ patentes Commissorum, & Vicariorum, si qui adsint; interimque ipsi respectiuè Capitulo exeunt; quòd si contra dictas literas, aut dictos Commissos nihil opponatur, singulorum publicis votis admittuntur. Ita statuitur pro Ordine nostro in cap. Rom. 3. num. 4. In Capitulis localibus exeunt extra Capitulum singuli electores, vnus post alium, & deinde votis remanentium, si nihil opponatur, admittuntur. Sed hic exitus non videtur necessarius in isto Capitulo locali, cum nullus sit de nouo admittendus, qui de Capitulo non sit, & si aliquid contra quemquam de dicto Capitulo opponendum sit, possit, & debeat opponi, ipso præsente, vt se deffendere possit. Quare hic Genuæ seruatur, quòd congregatis in Capitulo omnibus vocalibus, Corrector dicit. Est ne aliquis, qui habeat aliquid opponere contra quemquam ex Patribus hic præsentibus, propter quòd non possit habere vocem in ista electione? Si aliquis dicat, Ego habeo opponere contra P.F. N. hic F.N. iubetur exire de Capitulo, & audiuntur oppositiones; si opponat aliquid friuolum, non admittitur; si opponat aliquid substantiale, vocatur ille, contra quem oppositum est, & manifestatur illi oppositio, ad hoc, vt se defendat. Auditis vtriusque rationibus, Capitulum iudicat. Si verò, dicente Correctore, an aliquis habeat quidquam opponere, nullus respondeat, vel singuli dicant, ego nihil habeo, Corrector dicit, *Sit nomen Domini benedictum*, & proceditur ad vlteriora.

5. Noto 5. quòd, prædictis finitis fiunt per Præsidentem Capituli protestationes de non admittendo excludendum, & de non excludendo admittendum. Deinde datur absolutio à censuris ad effectum electionis. Atque ita statutum est pro Ordine nostro in cap. Barcin. 1. num. 2. & in Genuens. 5. num. 1. Quid autem iuuent dictæ protestationes, vide Mandagor. de elect. p. 1. cap. 20. Et scias, quòd iuuant ad saluandam electionem in casu, quo ibi esset aliquis, qui vocem non haberet per quemcunque defectum; nam protestatio hæc valet ad probandum, quòd non fuit scienter admissus. Quid autem iuuet dicta absolutio, dixi supra lit. A. cap. 7.

Madagor.

6. Noto 6. quòd in Ordine nostro non possunt Prouinciales, non solùm præsidere in Capitulo locali congregato pro electione Correctoris facienda, sed nec etiam illi interesse. Quòd statutum est ad saluandam libertatem

elec-

electionis, in cap. Val. 4. num. 26. Possunt tamen Generales in dictis Capitulis localibus præsidere, vt ibidem dicitur.

7. Noto 7. quòd electiones Correctorum in Ordine nostro non publicantur, nisi in Capitulis dictis toriis, aut Prouincialibus. In Capitulis verò localibus, finito scrutinio Scriba dicit, *Adest electus*. Et ita diffinitum est in cap. Valent. 4. num. 26. Vide quæ dico tom. 1. Religiosi q. 1. cap. 31. §. 7.

8. Noto 8. quòd numerus sufficiens pro facienda electione Correctoris sunt duo Fratres locales, & vocales, quia, cum possint eligere extra Conuentum de corpore Prouinciæ, manet in illis duobus vera libertas. Ita Passar. in Schol. ex Auenion. ad dub. 12. de canonica electione. Et fuit ita declaratum à Sacra Congreg. anno Domini 1628. vt refero tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 4. num. 119. Et habetur in cap. *Nullus* de elect. Si autem electio facienda sit de corpore Capituli, duo non sufficiunt, neque tres, sed adminùs requiruntur quatuor, vt electores liberi sint; alioquin electio nulla est, cum libertas sit de illius essentia, vt bene

Passarell. aduertit Passar. ibidem.

9 Noto 9. quòd dubitant Doctores, an sit simonia permutare res spirituales V.G. orabo pro te Deū, si tu oraueris pro me eundem, si mihi confitenti aures dabis, ego tibi confitenti aures dabo, ego baptizabo te, si tu baptizaueris me. Ri-

Siluester. cardus in 4. d. 25. ar. 3. q. 1. ad. 1. Sylu. verbo *Simo-*

Armilla. *nia* 3. 16. in fine, Armilla n. 42. Petrus Nauar.

P. Nauar. de restit. lib. 2. cap. 2. num. 386. affirmant: quia in cap. *Quæsitum* de rerum permut. dicitur, quòd datio rei spiritualis pro alia spirituali, interueniente pacto, est simoniaca. Negant

Aragon. verò esse simoniam Aragon 2. 2. q. 100. ar. 1.

Sotus. col. 8. Sotus lib. 9. de iustit. q. 5. ar. 2. ad 3.

Victoria. Victoria relect. de simonia num. 17. Rodriq.

Rodriq. tom. 1. sum. cap. 66. num. 2. Sanchez tom. 1.

Sanchez. opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 44. num. 3. quia, inquiunt, ea solùm simonia prohibetur, qua aliquid spirituale temporali pretio emitur, Actor. 8. & colligitur ex cap. 1. Matthæi, & ad caput *Quæsitum* dicunt, quòd solū loquitur de beneficijs.

10. Hinc deducit Sanchez, quòd excusantur à simonia monachi conuenientes inter se hoc pacto, elige me in Prouincialem, & ego te eligam in Priorem, quia licet hæc officia sint spiritualia, non sunt tamen beneficia, & ait ita

Diana. sentire doctos iuniores, hæc refert etiam Diana 4. parte suarum resol. tract. 4. miscell. resol. 150.

11. Sed hæc deductio mihi non videtur legitima. 1. quia etiam probata secunda sententia, & probato, quòd officia regularia non sint beneficia, vt docui tom. 1. relig. q. 1. cap. 31. §. 9. dicto 21. versu *Nauarrus*, illa exempla, quæ ponunt Doctores 1. sententiæ, sunt purè spiritualia, officia autem ista non sunt purè spiritualia; nam, vel dicunt ex æquo spiritualitatem, & temporalitatem, vel saltem vnum altero solùm principaliùs, vt dixi tom. 2. Relig. q. 1. cap. 7. num. 13. & fusiùs cap. 5. à num. 61. vnde non valet deductio à purè spiritualibus ad spirituale, & temporale mixtum. 2. quia in cap. *De hoc, de simonia* expressè declaratur simoniacum esse, tali modo pacisci, dabo tibi suffragium in hac electione, si mihi dabis in alia, & præter Doctores, quos ad id adduxi tom. 1. relig. q. 1. cap. 31. §. 9. dicto 2. id do-

cent Azor instit. moral. p. 3. lib. 12. cap. 7. q. 1. *Azorius.*

versu *Et ibidem*, Diana 3. p. tract. 2. resol. 125. *Diana.*

Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. cap. 39. *Suarez.*


num. 13. & 14. quem videbis pro elucidatione huius difficultatis ibidem cap. 31. à num. 1. & num. 20. & sequentibus. Et aduerte semper, quòd ideo ille modus procedendi in electionibus dicitur, & censetur, simoniacus, quia lege ecclesiastica est prohibitus dicto cap. *De hoc de simonia*, vt innuit Suarez dicto cap. 39. nu. 14. vbi addit, quòd quia dictis officijs est semper aliquod temporale annexum si tales pactiones fiant propter illud temporale principaliter, est etiam simonia contra ius naturale. Quare non

video, quomodo illa doctrina Sanchez possit *Sanchez.*

saluari, nisi dicatur, quòd taliter pacisci non est simoniacum, quatenus simonia est iure naturali prohibita, vt loquuntur multi Doctores pro 2. opinione citati, & in specie Victoria. Et si ad dictum caput *De hoc* respondeat Sanchez, quòd loquitur de beneficijs. Dico 1. quòd Papa ibi damnat tanquam simoniacum modū illum procedendi in electionibus, dabo tibi prioratum, si tu consenseris mecum in prouincialatu. 2. Dico quòd licet officia regularia nō sint beneficia, sunt tamen illis multùm similia, vnde debent eodem iure censeri, præsertim in fauorem animæ. 3. Dico, quòd opinio illa Sanchez nullo modo est probabilis, quia ipse primus eam adinuenit, & non satis probauit, imò etiamsi eam probaret, esset adhuc mihi improbabilis, quia viam aperiret multis negotiationibus illicitis, & sordidis. Verum quidem est, multos Doctores, quos citat Diana 4. p. tract. 4. resol. 155. verso *Verum his*, asserere simoniam solo iure ecclesiastico prohibitam non subiacere pœnis simoniæ, nec nullitatem inducere, nec excommunicationem, vnde sic electi peccant quidem mortaliter, tamen non tenentur prælaturæ sic obtentæ renunciare, nec excommunicati sunt secundum istos, sed his non adhæsi tom. 1. relig. subd. cap. 31. §. 9. conclus. 1. vers. *Tertiò probatur*, cum doctoribus, quos refert idem Diana in principio dictæ resolutionis.

CAP. VIII.

De forma literarum electionis Correctoris per mortem prædecessoris, mittendarum ad Prouincialem, & collegas pro confirmatione.



N nomine Domini Amen. Reuerendi admodùm Patres. Notum sit PP. VV. anno Domini 1634. die 24. Aprilis bonæ memoriæ P. F. N. huiusce nostri Conuentus N. olim Correctore defuncto, eiusque corpore Ecclesiastica tradito sepultura.

tura. Nos P. F. N. ab eodem defuncto, infirmitate durante, Vicarium institutum, vna cum Fratribus localibus, & vocalibus pradicti Conuentus die 26. Aprilis Capituli locum ingressos, diligentique inter nos deliberatione pramissa electionem Correctoris loco defuncti, quòd Fratres omnes vocales, ad quos spectabat, adesse cerneremus, die 27. Aprilis celebrandam statuisse. Atque ita diem vigesimum septimum hora mane consueta ad huiusmodi electionem faciendam prafiximus, ac destinauimus. Quo sanè die aduentante, Spiritus Sancti missa primùm celebrata, in Capituli locum conuenimus, ac pramissis de iure pramittendis, ad pralibati Correctoris electionem pariter deuenimus, factoque scrutinio, Patrem Fratrem N. Scriba attestante, electum fuisse, vt ex inclusis schedulis innotescit, compertum est. Qua porro electio tanquam canonica, Patrisque de Religione benemeriti, vt à RR. admodùm Paternit. VV. confirmetur obnixè deposcimus, ac postulamus. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd annus, & dies mortis Prælati debent poni in præfatis literis, vt sciatur, quando ecclesia cœperit vacare; Mandagot. de elect. p. 1. forma 1. Itidem debet exprimi nomen Prælati defuncti, vt sciatur per cuiusnam mortem vacauerit ecclesia, cap. *Bona*, el. 1. & 2. de postul. Prælat. Item non debet fieri electio, priusquam defuncti corpus ecclesiasticæ sepulturæ tradatur, sed hoc solùm est de honestate, vt Mandag. de elect. p. 1. cap. 1. Mandag.

2. Noto 2. quòd in casu mortis Correctoris localis in Ordine nostro Vicarius ab eo ante mortem, sua infirmitate durante, constitutus, remanet Vicarius, quousque alter de nouo eligatur à Capitulo locali; præsidetque in omnibus, etiam in electione noui Vicarij loco defuncti. Sic statutum est in cap. Barcin. 3. sect. 4. num. 4. Quòd si Corrector subitanea, & improuisa morte decedat, tunc primus in officio, si adsit, vel primus senior antiquitate Religionis, si non adsint Seniores, Capitulum congregabit, ad determinandum diem electionis, cœteraque facienda, quæ necessariò fieri debent; argum. cap. *Volumus*, iuncta Glossa, verbo *Clerus*, d. 89.

3. Sed quid, si moriatur Corrector ex morte subita, & Seniores sint extra Conuentum, quando reuerrentur, erit ne primus Senior vicarius? Distinguendum puto. Vel eodem die sunt reuersuri vel non. Si primum, puto, quòd tunc Vicariatus pertineat ad primum Seniorem; illa enim breuis absentia est omnino per accidens; deinde non potest dici absens, qui est in loco, vel ciuitate, cum commodè possit vocari; argumento eorum, quæ dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 31. §. 6. conclus. 3. quòd ad electionem vocandi sunt, qui sunt in ciuitate, vel loco; Si verò Seniores non sunt eodem die reuersuri, tunc subdistinguo. Vel sunt absentes propter negotia Conuentus, vel propter negotia propria. Si primum, quando reuertuntur, primus Senior sumit officiū; nam qui reipublicæ causa abest, adesse videtur, & absentia non nocet illi, qui propter negotia Conuentus abest, cap. *Exposuisti*, de dilat. Bart. ad leg. *Testamento*, ff. de alimen. & cib. legat. num. vn. Et habetur expresse in regul. iuris Cæsarei 183. quæ dicit. Quòd *absentia eius, qui reipublicæ causa abest, neque ei, neque alijs damnosa esse debet*. Quæ ratio valet etiam ad probandum, quod quando in Conuentu essent duo Seniores, & tertius antiquior fuisset missus ad aliqua negotia Conuentus, breui reuersurus cum hic reuertitur debet exercere officium Vicarij. Si verò sunt absentes propter negotia propria, tunc Vicariatus illi non debetur, sed antiquiori, qui erat in Conuentu tempore mortis: nam quando abest ob propria commoda, lex illi non suffragatur; vnde verè absens dicendus est. Et eodem modo philosophandum puto de Collegis Generalis, quando hic moreretur, & primus abesset propter negotia Religionis; breui tamen rediturus. Bartolus.

4. Noto 3. quòd in huiusmodi electione Vicarij loco Correctoris defuncti vocem habent, qui locales in dicto Conuentu erant ante, vel in principio infirmitatis, etiamsi non fuerint in eodem Conuentu per trimestre ante locales; cum constitutio Clem. VIII. intelligenda sit de electionibus, quæ annuatim fiunt mense Septembris, & non de alijs. Ita statuitur in cap. Barcin. 3. sess. 4. num. 5. Quòd si eo tempore non fuerint Fratres vocales in præfato Conuentu in sufficienti numero pro tali electione celebranda, scribendum est Prouinciali, qui prouidebit, vt in cap. Valent. 4. num. 30. in quo statuitur, quòd in casu mortis possit Prouincialis propria auctoritate prouidere per aliquot dies de Vicario, quousque electio Vicarij ordinarij fiat ab electoribus. Quod tamen post dictum statutum Barcin. non videtur habere locum, nisi in casu mortis repentinæ, & defectu Fratrum vocalium, vbi Prouincialis esset præsens, vel parùm distans.

5. Noto 4. quòd electio Correctoris facta causa mortis non debet, publicari, sed statim ac fuerit secùta claudi debet, & mitti ad Patrem Prouincialem, & collegas, qui eam confirment. Ita statuitur in dicto cap. Barcin. 3. num. 6.

CAP. IX.

De forma literarum electionis Correctorum Romanorum mittendarum ad Patrem Generalem pro Confirmatione.

IN nomine Domini; Amen. Reuerendissime Pater. Nos Corrector, & Fratres in Conuentu S. N. de Vrbe locales, & vocales R. P. V. significamus; noui Correctoris prafati Conuentus electionis

habenda

habenda, instante termino, die videlicet 29. mensis Septembris, hora mane consueta Spiritus Sancti missa priùs decantata, sacra refectos synaxi, campanulæ sono, vt moris est, in Capituli locum conuenisse; vbi quidem, præmissis de iure præmittendis, ad electionem Correctoris deuenimus. Atque ita via scrutinij electus est P.F.N. singulari pietate vir, & literarum scientia apprimè condecoratus, quem itidem in ecclesiam, Te Deum laudamus *decantando, hilarè, atque iucundè comitatum humili, ac religiosa manuum deosculatione venerabundi excepimus, eique tanquã Patri, ac Pastori debitam præstitimus obedientiam. Cum huiusmodi igitur nostra electio ritè, & canonicè facta sit, vtcumque præferat tanto muneri idoneum, R. P. V. obnixè rogamus, vt eam pro nostra consolatione, nostrique Conuentus vtilitate confirmare digne tur, Deum illi propitium interim exoptantes. In quorum fidem &c.*

1. Noto, quòd electiones Correctorum Vrbis in Ordine nostro fiunt in die S. Michaelis Archangeli die 29. Sept. & statim electi publicantur, & exercent officium, ita consuetudine approbante, vt dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 4. n. 93. immo per priuilegium Iulij II. quòd habetur tom. 1. nostr. priu. in const. 2. Iulij II. §. 4. Tenentur tamen confirmationem petere à Generali, vt declarant cap. Paulæ num. 13. & Val. 3. nu. 9. & de illis Correctoribus dixi tom. 1. nostr. priu. in const. 7. Pauli V. à num. 18.

CAP. X.

De forma electionis Discreti destinandi ad Capitulum Prouinciale.

IN nomine Domini, Amen. Nos Fr. in Cõuentu N. Ciuitatis N. locales, pariter ac vocales, vobis RR. adm. Patribus prouinciale Capitulum in Conuentu N. celebrantibus notum facimus, ac declaramus, die 25. Septembris à nobis vnanimiter in Capitulo, ob huius nostri Conuentus Discretum, destinandum ad prouinciale Capitulum pro electione Prouincialis celebranda, iuribusque tuendis, ac eiusdem Conuentus necessarijs rebus proponendis cæterisque peragendis, quæ eiusmodi alij Discreti in prouincialibus Capitulis de iure facere possunt eligendũ congregatis, præmissis de iure, & consuetudine præmittendis, via scrutinij ritè, ac canonicè ad id munus assumptum P.F.N. virum non minùs pium, quam doctum, & in agendis maximè versatum. Quem quidem sic electum hisce testimonialibus literis proprio singulorum chirographo subscriptis munitum, vobis destinamus. Rogantes humiliter RR. adm. PP. VV. vt eum gratiosè suscipere velint, ac dignentur. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd in Ordine nostro eligere Prouincialem spectat ad Prouincialem sociorem officium, illius Collegas, Correctores cuiuslibet Conuentus Prouinciæ, & ad Discretos in quolibet Conuentu eligendos. Ita statuitur in nostro Correctorio, num. 101.

2. Noto 2. quòd isti Discreti debent eligi de corpore Capituli localis, à quo mittuntur. Ita statuitur in cap. Val. 1. num. 18.

3. Noto 3. quòd isti Discreti debent habere literas testimoniales suarum commissionum, alioquin non recipiuntur, per statutum cap. Genuens. 1. num. 16. cum enim sint veluti Procuratores suorum Conuentuum, meritò absque mandato suorum Conuentuum, reijciuntur, iuxta cap. 1. de procurator. cap. *Lectis*, d. 63. cap. *Nobilissimus* d. 97.

4. Noto 4. quòd si propter penuriam Fratrum, vel discordiam dictus Discretus in aliquo Conuentu fieri non possit, tunc Capitulum locale tenetur scribere Capitulo prouinciali, notificando illi impotentiam, vel penuriam; quæ literæ poterunt formari, mutatis mutandis, ad instar similium literarum positarum hic supra, cap. 6. & 7. Aduerte autem, quòd si in electione Discreti suffragia sint paria, & electione ter repetita, adhuc persistat dicta paritas, tunc potest solus Corrector nominare ad tale munus, quem è duobus habentibus dicta paria suffragia maluerit. Ita statutum est in cap. Gen. 6. num. 16. Si verò vota non fuerint paria, tunc in Discretum eligendus est à Correctore, qui plura suffragia habuit, iuxta determinationem cap. Barcin. 3. sess. 5. num. 1.

CAP. XI.

De forma electionis Commissi ad Capitulum Generale destinandi.

IN nomine Domini, Amen. Reuerendi adm. Patres. Nos Fratres Prouincialis, ac Definitores Prouinciæ N. Ordinis N. die 29. Septembris anni 1632. iuxta Ordinis nostri constitutiones in Conuentu N. pro celebratione capituli intermedij vnanimiter congregati, seruatis de iure seruandis, iuxta Concilij Tridentini decreta, summorũ Pontificum constitutiones, & regularia statuta, omnibusque, in singulis huius Prouinciæ Conuentibus habitis electionibus Commissi ad proximum Capitulum generale destinandi ritè perspectis, in cũctis eisdẽ Cõuentibus P.F.N. ad eiusmodi munus electum destinatumque fuisse comperimus. Quem quidẽ sic electum nos etiam confirmauimus; eumdemque sic electum, & confirmatum, ad vos Reuerendos admodùm Patres, generale Capitulum celebran-

lebrantes dirigimus, & ad eligendum una nobiscum generale, ac supremum totius Ordinis caput cæterosque Officiales; & ad omnia, & singula quæ in eodem Capitulo peragi necesse fuerit, peragenda; potissimùm verò ad totius Religionis negotia. & in specie istius nostræ Prouinciæ bonum, & commodum concernentia, diligenter, atque efficaciter proponenda, gerenda, & pertractanda. Pro quibus sanè (eius prudentiæ maximè fidentes) generale mandatũ pro casu quocunque necessario, etiã expressè exprimendo, speciale quoque expressum. immo specialissimum, & expressissimum mandatum requirente eidem concedimus, & impertimur RR. adm. PP. VV. maiori, quo possumus studio rogantes, ut illum benignè, & perhumanè excipere non dedignentur. In quorũ fidem subscripsimus, & nostræ Prouinciæ sigillo communiuimus. Datum, &c.

1. Noto 1. quòd ad Capitulum generale Ordinis nostri secundùm Correct. num. 93. debent accedere omnes Prouinciales Religionis; & prætereà duo Commissi ex vnaquaque Prouincia eligendi in Capitulo prouinciali ex omnibus Commissis ad illud destinatis ex singulis Conuentibus pro celebrando Capitulo prouinciali. Sed modo post 1. const. Pij V. tom. 1. nostr. priuil. ad dictum Capitulum non accedit nisi vnus Commissus ex vnaquaque Prouincia, qui eligitur in cap. vltimo definitorio ex omnibus Commissis electis in singulis Conuentibus cuiuslibet Prouinciæ, prout statuitur in Cap. Valent. 4. num. 28.

2. Noto 2. quòd hæc forma procedit, quando vnus solus fuit in Commissum electus ab omnibus Conuentibus; si verò plures fuerint electi, tunc mutanda est illa clausula, *omnibusque in singulis, &c.* in hanc *omnibusque in singulis Conuentibus habitis Commissorum electionibus adapertis, ex his via scrutinij P. F. N. ad huiusmodi munus elegimus, ac destinauimus.*

3. Noto 3. quòd debet Commissus portare literas sui Commissariatus, vel Capitulum, in quo fuit electus, authenticatum; cap. Rom. 3. num. 4. Cap. 1. Genuæ nu. 16. Cap. Paulæ, nu. 35. propter rationem dictam cap. præced. notab. 3.

4. Noto 4. quòd Commissus non potest proponere in Capitulo, nisi quæ continentur expressè in literis suæ commissionis; Cap. 1. Auenion. num. 22. Si tamen in dictis literis apponatur illa clausula, *Pro casu quocunque*, quam in hac forma posui, poterit quæcunque negotia proponere; valet enim illa clausula perindè, ac si negotia ipsa exprimerentur. Barbosa de clausul. clausul. 102. à num. 2. *Barbosa.*

5. Noto 5. quòd si dictus Commissus electus ante Capitulum decederet, vel suis exigentibus delictis, vel defectu electionis, vel alia iusta causa deponeretur, tunc poterit eligi alter per eosdem Prouincialem, & Definitores determinata die, per eos statuenda, facta priùs in quolibet Conuentu ipsius electione. Ita statuitur in Cap. Val. 4. num. 88. & in Cap. Barcin. 3. sess. 5. versùs finem, additur duabus dictis causis alia tertia, nimirum probatæ infirmitatis, cum particula taxatiua excludente omnes alias causas. Et aduerte, quòd ad Commissum ipsum spectat dictam suam infirmitatẽ, vel aliud impedimentum, si quod haberet, quod illi impediret accessum ad dictum Capitulum generale, probare, & constat ex l. *Actor*, C. de probat.

CAP. XII.

De forma literarum electionis Commissi factæ in singulis Conuentibus, mittendarum ad Capitulum Prouinciale pro confirmatione.

IN *nomine Domini, Amen. Reuerendi adm. Patres. Cum in sacro Pentecostes die anni proximè uenturi Capitulum generale celebrãdum sit, ad quod Pater aliquis solertia prudentia & consilio pollens, Commissi nomine insignitus ab unaquaque Prouincia est dirigendus, ac destinandus, is autem in singulis cuiusque Prouinciæ Conuentibus priùs eligi debeat. tum verò demum in hoc definitorio Capitulo eundem confirmari, seu ex multis eligi oporteat.* Nos *propterea huius Conuentus* N. *locales Fratres, ac uocales pro præfata electione celebranda die 15. Septembris in Capituli locum conuenimus ubi quidem solemnibus peractis ac Spiritus sancti* Numine *inuocato, legitimato Capitulo, omnibusque tandem, quæ de iure secundùm* Canones, *Pontificum decreta, regularesque constitutiones complenda sunt, exactis, ac completis, ad prædictam electionem via scrutinij deuenimus. Atque ita P. F. N. vt ex hic inclusis schedulis innotescit electus fuit. Quæ quidem electio tanquam canonica ac Patris de Religione benemeriti, vt a vobis confirmetur, studiosè poscimus, atque humiliter efflagitamus. In quorum fidem, &c.*

1. Noto, quòd electio Commissi pro Capitulo generali in Ordine nostro non publicatur statim facta, sed mittitur secreta ad Capitulum definitorium, vt dixi hic supra, cap. 7. notab. 7. de elect. Correctorum.



CAP. XIII.

De forma litterarum electionis Provincialis mittendarum ad Patrem Generalem pro confirmatione.

IN nomine Domini, Amen. Reverendissime Pater. Nos infrascripti in hoc provinciali Capitulo Provinciæ N. Ordinis N. vocem habentes, R. P. V. ea qua decet, reuerentia, his literis adeuntes, dicemus & commouemus, nos die 29. Septembris quo festum caste S. Michaelis Archangeli, in Conuentu N. per proximè præteritum difinitorium Capitulum destinato, pro nostra Prouincia capite, ac Pastore, qui clementia, pietate zeli rectitudine, harumque mediatrice discretiane præditus foret, quique diligi potius studeret, quam timeri, nec amorem suum pro se, sed pro omnibus quæritaret; deligendo, conuenisse, ac omnibus, quæ de more, & iure peragi, & consummari solent, ac debent, adamussim peractis, & consummatis, vnanimi consensu, ac voluntate (si autem electio non sit facta concorditer, dicatur *maiori suffragiorum parte) R. adm. P. F. N. virum scientia claritate fulgentem, moribus, & exemplo illustrem, pium, iustum, prudentem, & vigilantem omnium calculo existimatum, via scrutinij ad prælatum munus elegisse, illique præterea dedisse in Collegas Venerabiles Patres N. N. N. viros illo prudentia, ac pietate nihilosecius corruscantes. Cumque huiusmodi electiones canonicæ sint, ac Patrum de Religione præclarè meritorum, vt à R. V. P. confirmentur, humiliter, ac studiosè deposcimus, quò valeant nobis, ac Prouinciæ nostræ, fauente Deo, praeesse sanctissimè, & præstantissimè prodesse. In quorum fidem præsens electionis nostræ decretum Reuerendissimæ P. V. proprijs manibus subscriptum, & Prouinciæ nostræ sigillo munitum dirigimus, ac transmittimus. Datum, &c.*

CAP. XIV.

De eadem forma in casu mortis Prouincialis.

IN nomine Domini, Amen. Reuerendissime Pater cum, deficiente Pastore, ob longam, diuturnamque vacationem, quotidianis destituta solatijs, grauia in spiritualibus, ac temporalibus dispendia patiantur ecclesiæ; maioresque nostri propterea, matura præmissa deliberatione, vltra mensem Prouincialis dignitatem vacare nequaquam debere censuerint. Ea propter in Genuensi Iesu Mariæ Conuentu die 20. Octobris anno 1632. bonæ memoriæ R. adm. P. F. Deodato Lamellino huius Genuensis Prouinciæ quondam Prouinciali defuncto, ipsiusque corpore cæremonialiter, ac reuerenter in eiusdem Conuentus ecclesia ecclesiasticę tradita sepulturę, ne viduitatis suę incommoda Prouincia ipsa diutiùs deploraret, pro futuri Pastoris electione celebranda, à nobis electoribus, per nostras constitutiones deputatis, primus fuit Nouembris dies vnanimi consensu assignatus. Quo quidem aduentante, in Capituli locum sono campanulę omnes conuenimus, solemnique Spiritus Sancti missa, cunctis astantibus, sacraque refectis Eucharistia, priùs decantata, diuinoque iterum Numine ibidem implorato, ad electionem Proscribę deuenimus; atque ita votorum omnium vi P. F. N. electus fuit, tum verò ad Scribę electionem via scrutinij progressi; eumdem P. F. N. electum pariter fuisse perspeximus. Eadem autem forma vtentes, ad electionem Prouincialis processimus, & nemine discrepante, seu, si non fuerunt vnanimes, *decem votorum è quindecim vigore, ac vi* R. P. F. N. *virũ utique prouidum & discretum literarum scientia, vita, & moribus meritò commendandum, in ętate legitima constitutum, ex legitimo matrimonio procreatum, in spiritualibus, ac temporalibus valde circumspectum elegimus. Quam quidem electionem mandato nostro per Scribam solemniter, ac communiter celebratam omnes approbauimus, gratam habuimus & acceptauimus. Postmodùm autem eandem pręfata* N. *absenti intra tempus à iure statutum pręsentauimus, obnixe rogantes, instanterque flagitantes, ut suum illi ęqua atque libenti animo pręstaret assensum. Qui demũ diuinę haud cupiens resistere voluntati, votis nostris intra tẽpus à iure statutũ obsecundauit, electioni de se factę humillimè consentiendo. Ea propter à R. P. V. tam deuotè, quàm demissè vnanimi studio deposcimus, ut electionem prętactam sic solemniter, canonicèque celebratam confirmare dignetur, quò nobis, & Prouincię nostrę, auctore Deo, veluti Pastor idoneus, pręesse queat utiliter, & prodesse, nosque et alij eiusdem subditi sub ipsius regimine, ac ductu coram Deo salubriter militare valeamus. Cæterum, ut R. P. V. cognoscat euidentiùs nostrum omnium vota in prędictis omnibus, & singulis conspirasse, atque in huiusmodi petitione unanimes exis-*

tere, ac concordes præsens electionis nostræ decretum Reuerendiss. P. V. nostris iuxta canonica statuta proprijs roboratū chirographis, & subscriptum, nostroque Prouinciæ sigillo communitum trasmittimus. Datum, &c.

CAP. XV.

De eadem forma facta à Capitulo definitorio vsque ad quod tantùm durant electiones Prouincialium factæ causa mortis.

IN nomine Domini, Amen. Reuerendissime Pater. Nos infrascripti Prouinciæ N. Definitores fidem facimus, ac attestamur Reuerendiss. P. V. quòd Septembris die 29. anni 1633. mane hora consueta in Conuentu S. N. de. N. per proximè præteritum prouinciale Capitulum definitorij Capituli celebrationi destinato conuenientes, vicariatus prouincialis officio, propter obitum R. adm. P. F. N. præfatæ olim Prouinciæ Prouincialis, R. adm. Patri F. N. collato, expirante, ad eiusdem Prouinciæ Prouincialis electionem deuenimus; atque ita vnanimi omnium consensu prædictus P. F. N. vir sanè de Religione nostra benemeritus, vt alias P. V. Reuerendiss. nostris literis declarauimus, electus est. Quam quidem electionem, vt Reuerendiss. P. V. confirmare dignetur, humiliter, obnixeque deposcimus; eundem namque Patrem in regiminis solio constitutū non parum fauente Deo, cū in spiritualibus, tum tēporalibus huic minimæ nostræ Prouinciæ profuturū speramus. In quorum fidē, &c.

1. Noto 1. quod Capitulum prouinciale in Ordine nostro, ac etiam Capitulum generale celebrari debent in Conuentu per proximè præteritum Capitulum prouinciale, vel generale determinato. Ita statuitur in nostra Regula, num. 48. & in Correctorio, num. 101. & congruit cap. *In singulis*, §. *Huiusmodi*, de statu Monachor. In casu verò mortis Prouincialis debet celebrari Capitulum in Conuentu, vbi defunctus decessit, quia Corrector dicti Conuentus ei interesse debet, per statutum Cap. Pauiæ, num. 38. qui tamen locus mutari poterit, si aliqua vrgens ratio suadeat, de consensu tamen maioris partis electorum. Item si extra Conuentum decedat Prouincialis, debet Capitulum nouæ electionis celebrari in Conuentu proximiori loco, in quo decessit; per dictum statutum Pauiæ. Item electio Collegæ Generalis, vel Zelosi in casu mortis fieri debet in ea Prouincia, in qua habitus est nuntius de morte, Cap. Val. 5. nu. 19. ad 4. & in eo Conuentu, quem eligendum duxerit Generalis, vt ibidem statuitur.

2. Noto 2. quòd secundùm Canones electio celebrari debet intra tres menses à die mortis Prælati præteriti; cap. *Ne pro defectu*, de elect. & ita generaliter in Ordine nostro fuit de quacunque electione conclusum in Cap. Rom. 6. num. 14. dub. 2. Sed hoc tempus quoad Prouinciales dumtaxat in cap. Barcin. 3. sess. 4. fuit coarctatum ad terminum vnius mensis.

3. Noto 3. quòd eligendus in Prælatum debet esse vir bonæ vitæ, constitutus in sacris, ex legitimo matrimonio natus, in ætate legitima constitutus, in temporalibus circumspectus, & etiam in spiritualibus, qui possit iura ecclesiæ tueri, prudens, docilis, temperatus, castus, sobrius, cautus, humilis, affabilis, misericors, in lege Dei instructus, in Scripturarum sensibus acutus, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus; doctus, prouidus, maturus, & qui reprehendi non possit, Deo, & hominibus placens, hospitalis, bonis moribus ornatus, ac mansuetus. Quæ omnia probantur ex cap. *Ad episcopum*, d. 61. cap. *Cum in cunctis*, de elect. cap. *Nisi cumpridem*, de renunc. & ex his, quæ dico tom. 2. Relig. tota q. 2.

4. Noto 4. quòd quando electus commendatur apud confirmatorem per illas clausulas, *prouidum, & discretum, literarum scientia*, &c. debet id fieri secundum veritatem, & secundùm iudicium conscientiæ propriæ, itaut in facto ita sit, vel saltem sentiat esse, sicut scribit ille, qui cōmendat; nā alioquin peccat, si scribat id, quod non sentit esse verū; nam qui cōtra cōscientiam facit, ædificat sibi ad gehennā, vt dicitur in c. *Literas*, §. *Porro*, de rest. spol. Ita Boer. ad p. 2. Mand. de elect. forma 13. ver. *Prouidum*. Boerius.

5. Noto 5. quòd, electione facta, si electus sit præsens, deducitur ad ecclesiam, cantando, *Te Deum laudamus*, & inthronizatur idest, illi sedenti in cathedra, ad hoc parata, per manum deosculationem obedientia redditur. Hæc autē nullo iure statuuntur, nec sunt de substantia electionis; vnde si omittātur, nō per hoc potest cassari electio; quia tamē sunt de laudabili, & antiquissima consuetudine introducta, ideò omitti non debent. ita Mand. de elect. p. 1. c. 35. Mandag.

6. Noto 6. quòd, electione secuta, tenentur electores eam electo præsentare, si non sit præsens, intra octo dies à die electionis, cap. *Cupientes*, §. *Cæterum*, de elect. in 6. electus verò tenetur consentire intra mensē à die præsentationis, cap. *Quam sit*, cap. *Si Religiosus*, de elect. in 6.

7. Noto 7. quòd in subscriptionibus, quæ fiunt à singulis capitulantibus, debet exprimi dignitas, tam præterità, quàm præsens, hoc pacto, videlicet. Ita est Frater N. de N. Corrector præteritus Iesu Mariæ Genuæ, nunc in Collegam adm. R. P. Prouincialis assumptus; nam magis præsumitur pro his, qui sunt in maioribus dignitatibus, cap. *Ecclesia*, el. 2. de elect. §. *Tandem*, ibi, *Cardinalis alios, meritis, & authoritate*. Boerius ad Mandag. p. 2. cap. 59. forma 14. verb. *Ego G.* Si autem aliquis capitularis scribere non posset, propter infirmitatem chiragræ V. G. &c. tunc debet subscribere per alium, hoc modo, *Ego Frater N. Corrector præteritus Iesu Mariæ Genuæ, nunc in Collegam adm. R. P. Prouincialis assumptus interfui omnibus prædictis & per P. F. N. Correctorem Sauonæ subscribi feci, quia propter infirmitatem chiragra scribere non poteram*, ita Mandag. Boerius. Mandag.

loc.

loc. cit. in fine. Et ratio est; quia qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se; reg. *Qui facit*, quæ est 72. de reg. iur. in 6.

8. Noto 8. quod electiones Vicariorum, à quocunque fiant, in Ordine nostro non durant nisi vsque ad Capitulū definitoriū, nisi Capitulū generale citius foret celebrandum. ita statutū est in cap. 1. Forijul. nu. 19. & congruit cap. *Ea, quæ*, de sta. Monach. §. *Quod p Abbas*. Quod intelligendum est inclusiue, vt declarauit Cap. Val. 4. num. 20.

9. Noto 9. quòd, mortuo Prouinciali, in Ordine nostro electio successoris spectat ad Correctorem Conuentus, in quo mortuus est, & ad Collegas Prouinciales defunctí; vel, si mortuus sit extra Conuentum, ad Correctorem proximioris Conuentus, per statuta Cap. Genuens. 1. num. 19 & Paulæ num. 38. Et de ista electione abundè dixi toto cap. 13. tom. 3. priuil. regul. Quòd si dicta mors contingat eo tempore, quo Generalis fuerit præsens in dicta Prouincia, tunc præfata electio spectat ad dictum Generalem cum suis Collegis, & ad supradictos cumulatiuè. Ita statuitur in Cap. Rom. 6. num. 14. ad 10. dubium. Quòd si contingat, in dicta electione vota esse æqualia, liberum erit Generali ex illis sic in paritate electis, seu ex alijs quibuscunque, ijs exclusis, quem voluerit eligere, per dictum statutum Roman. 6.

CAP. XVI.

De forma præsentandi electionem electo absenti.

FRATER N. *Corrector Conuentus N. & Collega Prouincialis Prouinciæ N. R. adm. P. F. N. salutem. Nouerit P. V. adm. R. ob decessum è viuis bonæ memoræ adm. R. P. F. N. huius Prouinciæ olim Prouincialis, Pastore suo, Deo sic disponente, nostrum hunc paruulum gregem caruisse: atque adeò nosmetipsos, ad quos de iure in eo casu pertinebat electio, die 1. Nouembris anni 1632, in Conuentu N. conuenisse, vbi prætactus N. decesserat, ac omnibus, quæ de iure complenda sunt, exactis, & completis, via scrutinij procedentes P. V. adm. R. in nostrum Prouincialem, ac Pastorem tandem elegisse, ac destinasse. Cui quidem electioni, vt P. V. suum præbeat assensum, instanter petimus, ac suppliciter exoramus. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quod dicta notificatio electionis absenti debet præsentari authentica, id est, subscripta ab omnibus electoribus, seu à solo Scriba de mandato dictorum electorum; & habita tali notificatione, non debet electus statim cōsentire, ne præsumatur ambitiosus, cap. *Sicut ie*, 1. q. 6. sed debet respondere, quòd accipit tempus ad deliberandum de ea; & deliberatione habita, respondebit, prout sibi Dominus inspirauerit; tempore enim indigemus, vt aliquid maturiùs peragamus, cap. *Ponderet*, d. 50.

2. Noto 2. quòd hæc eadem forma poterit fieri quando fuerit electus quis in absentia tempore ordinariç electionis, hoc pacto. *Nouerit P. V. adm. R. huius nostræ Prouinciæ N. electionis Prouincialis celebrandæ instante tempore, nos, ad quos huiusmodi spectabat electio, in Conuentu Sancti N. die 29. Septembris anni 1632. legitimè congregatos, peractis de iure peragendis via scrutinij procedentes, P. V. adm. R. elegisse. Cui quidem electioni*, &c.

CAP. XVII.

De forma, qua absens electus præstat electioni consensum.

FRATER *&c Ordinis N. Prouincialis, RR. PP. Definitoribus*, seu *Capituli Prouincialis Prouinciæ N. salutem. Vestras legimus literas, quibus nobis declaratum est, vos omnes pro eligendo Prouinciæ vestræ Pastore in Capitulo congregatos, Spiritus Sancti instinctu in personam nostram vnanimi consensu conuenisse, nosque tandem in vestrum Prouincialem electos fuisse, ac destinatos. Matura equidem deliberatione præuia, tenuitatem nostram, infirmitatemque perpendentes, ancipiti cura diu distracti, diuino Spiritu demum inflammati, supernę Dei voluntati nequaquam duximus obsistendum. Atque ita ad honorem summæ, ac indiuiduæ Trinitatis, B. M. V. nec non Sanctissimi Patriarchæ nostri Francisci, sub cuius viuimus famulatu, prædictæ electioni annuimus, & consensimus. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd electus tenetur electioni consentire intra mensem à die præsentationis, intra quem nisi consenserit, cadit à iure per electionem acquisito, cap. *Quam sit*, de elect. in 6.

2. Noto 2. quòd si is, qui valet omnipotentis Dei oues pascere, renuat pro sua quiete, & commodis quærendis, ostendit se Pastorem summum minimè amare. Si enim Vnigenitus Patris pro explenda vtilitate omnium, de secreto Patris egressus est, ad publicum bonum nostrum quærendum, nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus vtilitati proximi; Ita Greg. lib. 6. regest. epist. 5. & refertur cap. *In scripturis*, 8. q. 1. & Aug. relatus in cap. *Olim*, ead. causa, & q. ait. *Qui electus ab Ecclesia, ministerium euangelizandi renuerit, ab Ecclesia ipsa meritò, dignèque contemnitur.* D. Greg. D. Aug.

CAP. XVIII.

De forma constituendi Procuratorem ad petendam confirmationem Generalis, vel Prouincialis electi, in casu, quo altera pars alium elegisset, seu dictæ electioni se opposuisset.

IN *nomine Domini, Amen. F. N. Ordinis N. Generalis, vel Prouincialis electus, nominatim fecit, & constituit P. F. Georgium Lupum, & P. F. Anselmum Guidum, ac eorum quemlibet in solidum, ita vt occupantis conditio melior nequaquam sit, sed quicquid cœperit vnus, alter perficere queat, certos suos Procuratores, ac speciales Nuncios ad comparendum, seque præsentandum coram S. Domino D. nostro Vrbano Papa VIII. seu coram Reuerendiss. P. F. N. nostri Ordinis Generali, iuxta sacros Canones, ad Dominum Papam, seu Reuerendiss. P. Generalem de toto electionis successu instruendum; & ad Generalatus, vel Prouincialatus in persona N. factæ electionis confirmationem petendam; temereque præterea contra Regulam, & constitutiones attentatam P. F. N. electionem impugnandam, & ad appellationem ab eodem contra prædictum N. ac electores eius interpositam prosequendam, nominatim fecit, & constituit. Eisdem Procuratoribus, atque eorum cuilibet super prædictis omnibus, & prædictorum quolibet agendi, & defendendi; libellum, ac libellos offerendi, & recipiendi; de calumnia, & veritate dicendi, in animam illius iuramentum præstandi, excipiendi, replicandi, crimina, & defectus opponendi, ac probandi; testes, & instrumenta producendi, sententiam, & sententias audiendi; quotiesque necesse fuerit appellandi, & appellationem ipsam, vel appellationes ipsas prosequendi; vnum vel plures Procuratores substituendi, eosque, quoties eis, vel eorum alteri expedire visum fuerit, reuocandi; ac Procuratoris officium, quandocunque placuerit, resumendi; aliaque omnia & singula, quæ in prædictis, aut circa prædicta necessaria fuerint, vel etiam opportuna, faciendi, plenam, generalem, ac liberam tribuens potestatem. Mihi itidem Notario infrascripto nomine omnium, quorum interest, aut intererit in futurum, solemniter stipulanti, spondens, ac promittens, quicquid per eosdem Procuratores, vel eorum alterum, seu per substitutum, vel ab eis, aut eorum altero substitutos, in præmissis, & præmissorum quolibet actum, seu gestum fuerit, ratum se, ac firmum perpetuò habiturum. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quod ista forma procedit, quando in aliquo Capitulo essent electi duo Generales, vel Prouinciales, & tunc vnusquisque electus per se solus, vel simul cum suis sequacibus, potest vnum, vel duos expensis proprijs Procuratores constituere, ad suã confirmationem petendã seu potiùs informandum Papam de toto electionis negotiu, Ita statuitur in cap. *Cupientes*. §. *Si vero*, de elect. in 6. Potest etiam non solùm electus confirmationem suæ electionis petere, cap. *Cum dilectus*, de consuetud. sed etiam eamdem possunt petere ipsi eligentes etiam per se soli, absque interuentu electi, vt ait Boerius ad c. 59. Mandag. form. 17. lit. E. & Gloss. in cap. *Quàm sit*, ver. *Petere*, de elect. in 6. Si verò solùm vna electio facta sit, cui aliqui de Capitulo se opposuerint, tunc illa clausula, *temereque præterea, electionem impugnandam*, est omittenda. Et aduerte, quòd isti Procuratores possunt esse de numero ipsorum eligentium, vt ait idem Boerius loc. cit. lit. B. Aduerte etiam, quod ipsi opponentes, quando vna solùm electio est celebrata, possunt vnum, aut plures ex ipsis Procuratores constituere sub prædicta forma, ad impugnandam electionem N. & opponendum, &c. Ita habetur in cap. *Cupientes*, §. *Si verò*, de elect. in 6. Quòd seruatum est in nostro Ordine in cap. Barcin. 3. vbi illi, qui se opposuerunt electioni Generalis in dicto Capitulo electi, constituerunt Procuratores ad comparendum, &c. — Boerius.

2. Noto 2. quòd ista forma facienda est per Notarium publicum, cũ enim debeant hi Procuratores in iudicio comparere, non admitterentur, nisi essent publicis instrumentis roborati, cap. 1. de Procur. Vnde quia subscriptiones electorum non possunt esse cognitæ iudici, & faciliùs possunt falsificari, publicus Notarius est necessarius. Puto tamen, quòd non sit necesse, quòd iste Notarius sit secularis imperatoria auctoritate electus, sed quòd sufficiat, si sit electus à Prouinciali, vel Generali, virtute constit. Pij V. de qua tom. 2. nostr. priu. in constit. eius 9. & tom. 3. priuil. reg. cap. 6. num. 15. Sed Barcinone vsi sumus Notario seculari, & puto tutius ad tollendos scrupulos. Pro declaratione singularum clausularum istius formæ vide Boerium ad cap. 59. Mandag. form. 17. Vide etiam Sigism. de elect. dub. 48. nu. 22. — Boerius. Sigismun.

CAP. XIX.

De forma, qua appellatur, ne quis in Prælatum eligatur.



R. adm. Patres. Cum ius quærendum, quàm quæsitum faciliùs abdicetur, & incipienti malo, re integra, satiùs sit obstruere viã, ne si semel radices egerit, & inueterata fuerit malitia, tanquam congenita ægritudo difficiliùs extinguatur. Ea propter ego F. N. Prouincialis attendens, maiorem huius Capituli partem, seù complures ex his Patribus electoribus, Generalem eligere meditari, ac velle P. F. N. in scientia, ætate, ac ordinibus defectum patientem, maiorisque præterea excommunicationis vinculo, quòd in Fratrem Præsumptuosum; lericum manus iniecerit violentas, innodatum; irregularem etiam quòd sic excommunicatus existens diuinis se se immiscere ausus fuerit. Considerans insuper, eosdem ipsos, qui eligere contendunt, maioris excommunicationis vinculo pariter irretitos, quòd simoniacè prædictum N. seu ad Regis Cochim instantiam, qui eis hac super re literas dedit, cupiant eligere. Huiusmodi autem si haberetur electio, tam graue mihi, quam toti Religioni obueniret incommodum, nec modicum inde emergeret præiudicium; eam ob rem, pro mihi etiam adhærentibus, seu in futurum adhærere cupientibus, his scriptis manu mea obsignatis, coram testibus infrascriptis, ad Sedem apostolicam appello, ne per prædictos, vel quoscunque alios præfatus N. eligatur. Super hac prætereà Sancta Dei Euangelia corporaliter à me tacta, iuro & confirmo, omnia, & singula, quæ per me superius expressa sunt, vera esse me credere, ac existimare, eademque tueri me posse, atque probare. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd omnis appellatio in electionibus debet necessario continere tria, vt valeat. I. vt in literis appellationis omnia, & singula exprimantur, quæ appellantes possunt obijcere, vel in formam electionis, vel in personas electi, aut electorum. 2. vt id fiat coram personis authenticis, vel coram persona, quæ super hoc perhibeat testimonium veritatis, vt coram Notario, vel Præsidente Capituli, aut coram toto Capitulo, sumptis aliquorum testimonijs. 3. Vt ipsi appellantes præsteot corporaliter iuramentum, quòd credunt ea, quæ sic exprimunt, esse vera, & posse probare. Ita habetur in cap. *Vt circa*, de elect. in 6. & declarat Boerius ad Mandag. de elect. p. 3. cap. 60. forma 1. 2. & 3. Et pro declaratione istius decretalis, *Vt circa* vide Sigism. de elect. dub. 48. à num. 11. Vide etiam, quæ dico tom. 1. Relig. q. 1. cap. 31. §. 11.

Boerius. *Sigism.*

2. Noto 2. quòd post appellationem illi, quorum interest, possunt appellanti adhærere, & non alij, cap. *Cum inter R. §. Nos attendentes*, de elect. cap. *Non solum* 38. q. 6. Isti autem sunt non solùm electores, sed omnes ij, qui deberent esse subditi, vt cum multis probat Sigism. loc. cit. num. 7. & Barb. in cap. *Vt circa*, num. 18. de elect. in 6. debent tamen id facere intra decem dies postquam sciuerint appellatum esse, vt docet Boerius ad cap. 60. Mandag. forma 1. ver. *Adhærentes*. Forma autem adhærendi erit subscribere appellationem hoc pacto. *Ego F. N. Prouincialis N. suprascriptæ oppositioni adhæreo.*

Barbosa. *Boerius.* *Mandag.*


3. Noto 3. quod opponentes alicuius electioni notorium defectum, vel quod ipsi per sufficientes testes notorium possunt facere, non possunt postea desistere à tali oppositione, alioquin puniri debent, cap. *Ab eo*, de elect. in 6. Sigism. loc. cit. à num. 6.

Sigism.

4. Noto 4. quòd Paulus V. prohibuit, dignitates Regularium dari ad instantiam cuiuscunque personæ extra Ordinem existentis, quantæuis sint excellentiæ, vt habes tom. 2. nostr. priuil. in constit. 5. quam fusiùs declaro tom. 3. dictorum priuil. cap. 10. à num. 1.

CAP. XX.

De forma appellationis contra personam iam electam.



R. adm. Patres. Cum in oppressorum subsidium appellationis remedium sit adinuentum. Ea propter ego F. N. Prouincialis N. attendens P. N. à maiori Capituli parte Religionis nostræ Generalem electum, eiusmodi, ac tanto scientiæ, doctrinaque defectui subesse, vt à Generalatus fastigio iure merito sit exturbandus. Cernens itidem, electionis suæ tempore maioris excommunicationis vinculo innodatum extitisse, ob vsurpatam contra hæreticam prauitatem inquisitoris iurisdictionem, in Prouincia N. Fratrem N. qui in incantato magnete mulieres ad se pertrahebat, puniendo. Considerans quoque electionis suæ tempore maiori excommunicatione irretitos electores, ipsum per labem simoniacam eligendo. Animaduertens prætereà, in electione ipsa collationem, quæ secundùm Canones fieri debebat, prætermissam, necnon eamdem electionem, cui me adesse oportebat, me contempto, in carcerem quinimò, ne interessem, detruso, fuisse celebratam, ab ipsa electione temerè, & contra statuta canonica, in graue meum, Religionisque nostræ præiudicium attentata, pro me, mihique adhærentibus, seù adherere in futurum cupientibus, scriptis hisce manu mea obsigna-

tis,

tis, coram testibus infrascriptis, ad Sedem apostolicam appello, & super hæc sancta Dei euangelia, quæ corporaliter tango, omnia, & singula, quæ per me superiùs expressa sunt, vera esse, meque credere, probare, tueri que posse, omnino iuro, & confirmo. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quod istę formę possunt fieri in quibuscunque appellationibus circa electiones, siue appellatio fiat ad Papam, siue ad Generalem, siue ad Prouincialem, aut quemcunque alium Superiorem, mutatis mutandis, modo semper seruentur illa tria, quę dixi cap. præced. num. 1. quę tamen solùm locum habent, quando à dictis electionibus appellatur extra iudicium, V. G. in Capitulo: nam quando in iudicio appellari contingit, V. G. coram confirmatore, tunc non est necesse seruare dictam formam, vt habetur in cap. *Constitutis*, de elect. in 6. dicit Sig. de elect. dub. 48. n. 19. Vide Boer. ad Mand. p. 3. de elect. cap. 60. forma 1. verb. *Appello*; vbi etiam notat, quòd quando appellatio fit in iudicio coram iudice, petendi sunt Apostoli, cap. *Vt debitus*, de appell. qui tamen non sunt necessariò petendi, quando appellatur extra iudicium, si tamen petantur, nullum malum erit.

Sigism. Boerius.

2. Noto 2. quòd Paulus V. prohibuit Prælatis regularibus cognoscere causas ad Inquisitores pertinentes, vt habetur tom. 2. nostr. priu. in constit. 9. Pauli V. Pro huius formæ explicatione vide Boerium ad cap. 60. Mandag. forma 1.

CAP. XXI.

De forma, qua debent testes fidem facere de appellatione facta.

FRATER N. *Prouincialis, N. & F. N. Commissus N. Vniuersis præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Præsentium insinuatione cunctis volumus innotescere, R. adm. P. F. N. Prouincialem N. coram nobis constitutum anno 1634. die 1. Maij, ab electione in persona N. habita, ac celebrata, suprascripto tenore ad apostolicam Sedem appellasse, tactisque ab eodem corporaliter sacrosanctis Dei Euangelijs, præstitum iuramentum, omnia, & singula, in appellatione ipsa expressa, vera esse se credere, ac posse probare. In quorum quidem testimonium præsentes literas conscribendas curauimus, nostrisque syngraphis subscripsimus, ac nostro etiam sigillo communiuimus. Datum, &c.*

1. Noto quod hoc testimonium potest fieri immediatè sub eadem appellatione à duobus testibus in dignitate constitutis, si fiat appellatio in Capitulo generali, vel prouinciali, vel ab alijs Fratribus, si fiat in Capitulo locali. Potest etiam fieri à Notario publico, vel Capituli Præsidente, si coram ijs dicta appellatio fiat. Potest item fieri separatum ab appellatione; & tunc mutanda erit illa clausula posita cap. 20. *Coram testibus infrascriptis*, in aliam hoc pacto. *Coram vobis Patribus, quos in testimonium huius meæ appellationis adduco.* Et tunc sufficiet, vt subscribant tres, aut quatuor. Si autem fiat coram Præsidente, dicat. *Coram Illustrissima Dominatione vestra, cui humiliter supplico,* vt de hac appellatione testimonium facere dignetur.

CAP. XXII.

De forma monendi electores de morte Generalis, vt electioni interesse possint.



FRATER N. *Collega Generalis antiquior, atque Ordinis interim N. Vicarius pariter Generalis. Cum recolendæ memoriæ R. P. F. N. huius nostræ Religionis meritissimus olim Generalis Corrector die 1. Ianuarij anni 1634 in nostro S. N. de N. Conuentu (quod non sinè maximo luctu, atque dolore commemoramus) naturæ debitum soluens, spiritum suum reddiderit Creatori. Nos, in quorum manus Religionis sigilla iure ipso deuenere, & Vicarij Generalis vicem gerimus, muneris nostri partes exequi volentes, ea de re vos certiores faciendos existimauimus, cum vt eidem Patri parentare, tum verò, vt vos itineri pro successore in Conuentu N. die 1 Iunij eiusdem anni eligendo accingere valeatis: Quo quidem die hora consueta, si in prædicto Conuentu nequaquam adfueritis, nos cum illis, qui ibi interfuerint, vobis diutiùs non expectatis, ad electionem Vicarij generalis, absentia vestra nullatenus obstante, procedemus. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd in Ordine nostro per mortem Generalis sigilla Religionis (quæ potiùs dici debent sacratissimæ Reliquiæ, cum sint illa eadem, quibus vtebatur B. Pater noster Franciscus) remanent penès antiquiorem Collegã, dictæ morti præsentem, qui quidem Collega gerit vicem Vicarij Generalis vsque ad illius electionem, quæ debet fieri intra quinque mẽses computandos à die mortis præfati Generalis. Qui quidem Collega tenetur monere omnes Prouinciales Religionis, vt dicto defuncto parentalia faciant: tenetur etiam monere specialiter Prouinciales, qui debent electioni interesse, & etiam eos, qui debent Commissos ad dictam electionem mittere. Ita habetur in const. 1. Vrbani VIII. quam habes tom. 3. priuil. regul. cap. 12.

2. Noto 2. quòd quando dictus antiquior

Collega scribit Prouinciali, cuius Prouincia habet mittere Commissum, scribit sub eadem forma, qua Prouincialibus, mutata illa clausula, *tum verò, vt vos itineri &c.* In hanc, *tum verò vt de Commisso ad prætactam electionem in Conuentum N. destinando pro die prima Iunij eiusdem anni prouidere valeatis.*

CAP. XXIII.

De forma monendi Religionem de morte Generalis, vt ei parentet.

FRATER N. &c. Vniuersis Religionis N. Fratribus, tam Superioribus, quam subditis salutem. Iam vacauit à mundana curia, Reuerendi adm. Patres, Fratresque charissimi, Reuerendissimus P. F. N. noster olim Generalis, & communis parens. Iam sibi traditum depositum, fideliterque semper custoditum, animam scilicet, parenti, & Saluatori Deo reddidit immaculatam, & candidam. Deploranda est quidem nobis de tam optimo integerrimoque parente iactura, deplorandum tam clarum ornamentum, & decus amisisse; deplorandum, & inclytam nostram Religionem spirituali quodam perfugio, & salubri animarum medicamento dolenter orbatam; sed etiam gratulandum felicitati ipsius, ne propter detrimentum nostrum illudque breue, & perexiguum, illi gloriam, ac felicissimum cum Deo auum uideamur inuidisse. Gaudendum ipsius iamdiù concupita, & expectata dissolutione, vtpote cui immarcessibilis successerit corona gloriæ. Letandum quòd in amplexibus Christi sui iam latus quiescat, fruens æternæ gloriæ dulcedine, fructu suorum laborum. Decorent itaque sensus sua funera lacrymis. Ratio verò, Auete, dicat, dulces exuuiæ, & in spe requiescite ossa sanctissima. Et charitas vestra parentare non desinat parenti optimo, Deumquè obnixè rogare, vt dignus tanto parente successor eligatur. Valete, Romæ.

CAP. XXIV.

De forma, qua Generalis monet Religionem de morte alicuius Collegæ, & de noua electione.

FRATER N. &c. Vniuersis, &c. vt hic supra. Nihil in terra sinè causa fit, & de humo non egreditur dolor, ait S. Iob, nos verò causas rerum, quæ in iustissima Dei mente sunt, ignorantes, dolorem, & laborem concipimus, & parturimus vsque adhuc, cum quædam nobis occurrunt præter cordis nostri propositum. Certè id huic nostro Ordini, nobisquè accidit ex inopinata, intempestiuaquè morte R. P. N. Collegæ nostri Itali, cuius virtutes, pietas, ingenuique animi synceritas, cum insigni erudicione, rerum agendarum peritia, atque infatigabili solertia coniuncta, sicut maximum Ordini nostro decus, laboribusque nostris non exiguum leuamen afferebant, ità illius à nobis ad aliam vitam transitus summam tristitiam edidit. Desijt viuere Catanæ die 27. Martij anno 1624. dum instaret meridies, sancto quidem fine, & vt decebat Minimum. Cuius obitus cum ad aures nostras in visitationis nostræ Panormitanæ Prouinciæ decursu peruenisset, leuauimus oculos ad cælum, vt ad Patrem luminum recurreremus, à quo omne datũ optimũ, donumquè perfectum descendit, functiquè officio funeris de subrogando alio Collega loco defuncti serò cogitauimus; tandemquè seruatis de iure seruandis, vnà cum R. P. Prouinciali Panormitano, eiusquè Collegis, atquè P. Correctore Conuentus S. Oliuæ, quem ob absentiam R. P. nostri Collegæ Hispani ad effectum electionis assumpsimus iuxta statuta Ordinis nostri, die 13. Aprilis huius anni præsentis 1624. vnanimi consensu in Collegam nostrum generalem Italum delegimus R. P. F. N. virum probatæ virtutis, ac doctrina, & in rebus Religionis exercitatum; cuius electionem voluimus vobis omnibus esse cognitam, vt simul cum orationibus, quas omnes fundere debetis pro anima dicti defuncti Collegæ nostri, Deo etiam illũ cõmendetis, qui ad id officij, eius loco assumptus est, laboresquè nostros frequenti sacrificiorum, & meditationum obsequio iuuetis. In quorum fidem nos vnà cum reliquis Patribus subscripsimus, & sigillo, &c.

1. Noto 1. quòd in Cap. generali Ordinis nostri

nosti Romæ 7. celebrato. sess. 8. vespertina sine, statutum est, quòd quando contingeret fieri de nouo aliquam electionem alicuius Collegæ Generalis, vel Zelosi, mittatur statutum de noua electione in quamlibet Prouinciam. Qui casus cum contigisset tempore R. P. Ægidij, Camart, ipse primus prædicta forma vsus est, quam hic ad verbum posui, vt esset ornamento nunc opera.

2. Noto 2. quòd Generalis in Ordine nostro, accepto nuncio de morte alicuius ipsius Collegæ, in ea Prouincia, in qua dictum nunciū accipit, facit electionem noui Collegæ. Ad quam electionem interueniunt reliqui Collegæ ipsius Generalis, & Prouincialis illius Prouinciæ, cū suis Collegis. Verùm si aliquis Collegarum dicti Generalis tunc tēporis in remotis agat, ita ut difficilis sit eius accessus, tunc potest P. Generalis assumere eius loco Correctorem illius Conuentus, quem dictus Reuerendissimus elegerit, pro dicta electione celebranda. Quòd si defuerint duo Collegæ, assumendus erit primus senior dicti Correctoris; & si tres, assumendus erit secundus Senior. Ita statuitur in Cap. Genuens. 2. num. 18. & in Cap. Paul. num. 37. & in Cap. Valent. 5. num. 19. ad 4. Et aduerte, quòd assumptio Correctoris, & Seniorum sit solùm loco Collegarum Generalis, non autem loco Collegarum Prouincialis in casu absentiæ, vt constat clarè ex dicto statuto Val in fine, vbi dicitur, *Et sic cum his electoribus fiet vnius duorum, vel trium electis*. Electiones verò Collegarum Prouincialis loco defunctorum non fiunt à Generali, Deinde statutum illud loquitur de electione Collegarum Generalis. Si autem Collega moriatur in præsentia P. Generalis, tunc electio successoris fieri debet à Generali cum reliquis Collegis, & Correctore illius Conuentus, in quo talis mors contigerit, seu cum Correctore proximioris Conuentus, si contingat dictum Collegam extra Conuentum mori; Quòd si in illo Conuentu, in quo Collega moritur, vel qui est proximior morti, reperiatur Prouincialis illius Prouinciæ, tunc, relicto Correctore, electio fit à præfatis cum dicto Prouinciali. Ita statuitur in cap. Tolos. num. 12. & Rom. 2. num. 13.

3. Aduerte autem, quòd electio omnino celebranda est in ea Prouincia, in qua certus nuncius de morte accipitur, liberum tamen est Generali eligere, quem Conuentum illius Prouinciæ voluerit pro dicta electione. Quòd si mors succedat in aliquo Conuentu, præsente Generali, tunc electio in dicto Conuentu celebranda est, nec potest P. Generalis Conuentum mutare. Ita apertè colligitur ex dicto statuto cap. Val. 5. num. 10.

4. Aduerte etiam, quòd, si aliquis Collega Prouincialis agat in remotis partibus, itaut eius accessus sit difficilis, vel cum multis expensis, tunc expectari non debet, neque vocari, vt colligitur ex dicto statuto Valent. & ex Capitulo Genuen. 2. num. 18. & congruit cap. *Cum inter*, el. 2. de. elect. Qui autem sit valde distans, declarat Glossa ibi, ver. *Remoti*; vt nimirum sit ille, qui est extra Prouinciam, in qua facienda est electio, nisi consuetudo maiorem distantiam requirat. Sed si commodè vocari potest, vocandus, & expectandus est, arg. dictorum statutorum, & dict. cap. *Cum inter*, quæ cum statuant, non esse vocandum, qui commodè vocari, & venire non potest, simul statuunt, quòd si commodè venire potest, vocandus, & expectandus est. Et idem dic de Collega generali, quando commodè vocari potest.

5. Sed tunc remanet difficultas, an loco illius Collegæ Prouincialis, qui commodè vocari non potest, sit alius substituendus? Puto, quòd non. Tum quia nulla adest necessitas talis substitutionis, cum electio æquè bene fieri possit per præsentes, & destinatos à prædictis statutis. Tum quia hoc non dicunt præfata statuta, quæ cum id dicant, cum abest Collega Generalis si voluissent, vt aliquis loco absentis Collegæ Prouincialis substitueretur, id etiam dixissent. Tum quia talis suppletio est prohibita, vbi aliud non est per statuta Ordinis definitum, per Concilium Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6.

6. Aduerte tandem, quòd assumptio Correctoris, & Seniorum loco Collegarum absentium, non est contra Correct. num. 113. vt perperam putat Isnard. verb. *Electis Collegarum*, immo omnino secundùm illud. Requirit enim Correctorium, vt loco Collegæ absentis substituatur alius per reliquos Socios, & Capitulum locale; nemo verò dubitat, quòd vicem Capituli localis supplere possit Capitulum generale. Cum ergo hoc determinet, ad tollendas lites, vt illo casu Generalis assumat Correctorem, non est dicendus Generalis assumere Correctorem loco Collegæ absentis, sed Capitulum generale cum Generali ipso, & alijs Collegis. Quod est omnino conforme Correctorio, & Capitulum generale prouidet pro omnibus casibus. *Isnardus*

CAP. XXV.


De forma monendi electores, vt adsint electioni in casu mortis Prouincialis.

FRATER N. antiquior Prouincialis Collega & Vicarij prouincialis vices gerens R. P. F. N. salutem. Cum in Conuentu N. die 4. Ianuarij anni 1634. adm. R. Pater F. N. huius Prouinciæ quondam Prouincialis è vita cessisset. illius corpore ecclesiasticæ concredito sepulturæ. Nos, quibus sigilla Prouinciæ remanserunt, cum alijs, quos Vicarij prouincialis electioni interesse opus erat, in vnum congregati, ne nostra Prouincia diù viduata maneret, pro futuri Vicarij prouincialis electione habenda, cæterisque, quæ ad hanc finem peragi contigerit, peragendis, diem 28. eiusdem mensis, eumdemque Conuentum, iuxta nostra statuta, designauimus. Quod tibi quidem signi-

significandum esse censuimus, ne ignorantiam praetendere queas. Mandantes, vt praedicto die hora consueta ad Capitulum in praefatum Conuentum accedas, vt vna nobiscum de electione futuri Prouincialis agatur, ac pertractetur: Alioquin, te non expectato, nec vlteriùs vocato, etiamsi praedictum terminum per nos, qui sumus in maiori parte, in hoc Capitulo vocem habentes, contingeret prorogari, in huiusmodi electionis negotio omnino procedemus, tui absentia nequaquam obstante. Ad huiusmodi autem literas tibi praesentandas, atque intimandas dilectum F. N. specialiter constituimus, ac deputauimus. In quorum fidem omnes subscripsimus, & Prouinciae sigillo has nostras communiuimus. Dat. &c.

CAP. XXVI.

De forma, qua deputatus ad vocandum absentem, se illum vocasse fidem facit.



GO F. N. Procurator Conuentus N. Ciuitatis N. & ad infrascripta specialiter deputatus, his literis fidem facio, meoque iuramento omnibus, & quibuscunque attestor, die 20. Ianuarij anni 1634. viua voce ex parte, & de mandato Patrum electorum Vicarij prouincialis huius N. Prouinciae Ordinis N. R. P. F. N. Collegam prouincalem in inferiori claustro Conuentus S. N. manè post Tertiam existentem monitum à me fuisse, vt die 28. praedicti mensis hora manè consueta ad Vicarij Prouincialis electionem, quod ea dies praefixus esset terminus, accederet; reliquos alioquin Patres electores eius minimè obstante absentia, ad electionem celebrandam progressuros. Fidem insuper facio, iuro, & vt supra, attestor, quòd praefato N. Collega praesentaui in proprijs manibus authenticum exemplar ab alijs electoribus subscriptum, ac sigillatum, necnon de verbo ad verbum, nullo vel verbo, aut syllaba à decreto hic supra contento, subscripto, ac sigillato penitùs immutatis, Quae quidem omnia coram P. F. N. & P. F. N. testibus à me vocatis gessi, ac peregi. In quorum fidem propria manu subscripsi, &c. Subscribunt etiam testes.

1. Noto 1. quòd in Ordine nostro per statutum cap. Barcin. 3. sess. 4. vespertina, num. 3. in casu mortis Prouincialis sigilla Prouinciae remanent penes antiquiorem Collegam, qui cum alijs debet statuere terminum, quem voluerit, intra mensem ad eligendum Vicarium prouincialem, & monere electores absentes de morte dicti Prouincialis, ad hoc vt possint electioni interesse. Ita Mandagot. de elect. cap. 4. & cap. 59. à forma 1. vsque ad 6. vbi semper Boetius. Sed pro hac electione vide ad longum, quae dixi tom. 3. priuil. Regul. cap. 13. vbi ex professo hanc materiam tractaui. *Mandagotus.*

2. Noto 2. quòd citare absentes, & assignare terminum ad eligendum ad praesentes pertinet cap. *Cum inter*, el. 2. & cap. *Bonae*, el. 1. de elect. Et hoc, etiamsi non esset praesens, nisi vnus solus, cap. *Si fortè*, d. 65. Boetius ad cap. 4. Mandag. p. 1. ver. *Praesentes*. *Boetius.*

3. Noto 3. quòd citatio absentium debet fieri per specialem nuncium, seu per alium quemcunque, ita tamen, vt dicta citatio dictis absentibus sigillatim intimetur ne possint negare se citatos si non compareant, & sic electionem annullare. Et nuncius debet coram testibus fide dignis dictam intimationem absenti facere, vt in quocunque casu probari possit; nam non praesumitur quis citatus, nisi probetur, cap. *Prohibuisti*, d. 83. An autem nuncio iuranti se citasse, credendum sit. Dic, quòd non, si similiter ille, qui dicitur citatus contrarium suo iuramento probet. Ita Boetius ad cap. 4. Mandag. loc. cit. verb. *Citator*.

4. Noto 4. quòd citatio absentium nullo modo debet fieri, quando Praelatus est in extremis, & de eius salute desperatur; nam, viuente Praelato, tractatus de electione est illicitus. Ita Panor. in cap. *Bonae* el. 2. de elect. nu. 2. & num. 12. Petrus Greg. de elect. cap. 13. nu. 4. Lauor. de elect. tit. 4. cap. 18. num. 19. *Panormit. P. Greg. Lauorius.*

5. Noto 5. quòd electio non debet fieri antequam corpus defuncti sepulturae sit traditum, cap. *Bonae* el. 1. §. *Electionem*, de elect. vbi Panor. num. 11. ait, quòd si fiat electio ante sepulturam, non per hoc cassanda est. Vide Specul. lib. 4. de elect. §. 1. *Speculator.*

6. Noto 6. quòd ante mortem Praelati electores sub poena peccati mortalis non possunt alicui promittere de illo eligendo, cap. 2. de concess. praeb. Quòd si promittant, promissio nullam obligationem inducit, cap. *Relatum*, eodem tit.

CAP. XXVII.

De forma prouidendi de Prouinciali, quando electio ad Generalem propter discordiam est deuoluta.

FRATER *N. Generalis, &c. Vniuersis, ac singulis Prouinciae nostrae N. PP. & FF. salutem. Ex literis electorum Prouincialis huius vestrae Prouinciae nobis innotuit, eos statuta die in Capituli locum pro eiusdem Prouinciae Prouin-*

ciali

ciali eligendo conuocatos, inter ipsos oborta dissensione, ac discordia, in nullam personam conuenire potuisse. Quamobrem cum, elapso termino prætacta electio fuerit ad nos deuoluta, ne quidquam diuturno Pastoris, seù Prouincialis defectu, vestra prouincia in temporalibus, ac spiritualibus dispendium subeundum sit, diuino priùs Numine implorato, consummatisque de iure consummandis scrutiny via vna cum Collegis nostris P. F. N. uirum cum literis, tum uerò moribus præclarum Prouincialem uobis, & Patrem elegimus, ac destinauimus. Quem porrò sic electum præsentium tenore uobis damus. Omnem illi tum in spiritualibus, tum temporalibus, qua cæteri Prouinciales perfrui debent, ac solent, auctoritatem impertientes. Vobis præterea, non solùm ue uniuersis, sed etiam ut singulis, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna præcipientes, ut ei tanquam legitimo uestro Prælato, ac Prouinciali in cunctis, quæ nec contra Deũ, nec Regulam uestram fuerint, obediatis, eique debitum honorem, & reuerentiam exhibeatis. Et Dominus uos benedicat. In quorum fidem, &c.

CAP. XXVIII.

De eadem forma, quando electio fuit cassata propter formam non seruatam.

F RATER N. &c. vt in forma præcedenti. *Cum tu suum Pastorem, ac Prouincialem P. F. N. Prouincia uestra elegerit; Nos ipsius electionis decreto examinato, in eo scrutiny formam, quæ in consimilibus electionibus necessariò exigitur, seruatam minimè fuisse comperimus. electi quippe non fuerunt Scrutatores, &c. Eamdemque propterea electionem cassauimus & annullauimus. Cum autem hoc casu electio ad nos fuisset deuoluta ne uestra Prouincia diù Pastore destituta, detrimentum aliquod in temporalibus, & spiritualibus pateretur, seruatis seruãdis, uia scrutiny una cũ Collegis nostris infrascriptis P. F. N. uirum cum literis, &c*, vt cap. præcedenti.

1. Nota pro istis duobus capitibus præcedentibus, quæ dico tom. 3. priuil. regul. cap. 13. à num. 22. vbi habes quomodò procedere debeat Generalis in casu deuolutionis.

CAP. XXIX.

De forma bonæ electionis suadendæ.



RATER N. *Ordinis N. Generalis. Reuerendis adm. Patribus Capitulum prouinciale in Conuentu S. N Prouinciæ N. celebrantibus salutem & spiritus sancti assistentiam. Quas exaramus literas, uobis in unum congregatis redditas confidimus. ijsque simul paternam uobis benedictionem, quæ firmat domum medullitùs impartimur. diuinumque Numen benignum uobis expetimus, ac propitium. Vtinam certè in Spiritu sancto à quo sancta omnis, & uera unitas dimanat, conueneritis. Quòd uerò muneris nostri partes efflagitant, illud in primis monemus nil uos ad Dei gloriam & huius N. Prouinciæ salutem utilius agere posse, quam si bonum Pastorem, eidemque Prouinciæ gubernandæ idoneum studueritis promouendum, totius namque Domini familiæ status, & ordo nutabit, si quòd requiritur in corpore, non inueniatur in capite; alienisque peccatis communicantes mortaliter uos peccaturos protestor, nisi quem digniorem, & præfatæ uestræ Prouinciæ magis utilem iudicaueritis, non precibus quidem, humanoue affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eius exigentibus meritis præficiendum curaueritis. Deum quippe, cuius nunc res agitur, præ oculis uos habuisse comprobabitur, si Religionis salutem utilitati uestræ præferentes non in proprium quidem sed commune commodum mentis uestræ aciem intenderitis. Quamobrem nos per Deum uiuum, nec non uirtute Spiritus sancti. ac sub animarum uestrarum periculo adiuramus, vt non nisi in eum, quem vtiliorem secundùm Deum in temporalibus ac spiritualibus præfatæ vestræ Prouinciæ vtiliorē iudicaueritis, omnino consentiatis. Et Dominus vos benedicat. roremque perennem suæ super vos misericordiæ benignus infundat. Valete. Romæ, &c.*

1. Noto, quod hæc formula desumpta est ex Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 1. ex c. *Miramur*, d. 61. ex c. *Ab exordio*, d. 25. ex c. *Licet ergo*, 8. q. 1.

CAP. XXX.

De eadem forma, quando facienda est electio per mortem.



RATER &c. vt cap. præcedenti. *Quantùm nobis doloris peperit obitus R. adm. P. F. N. Prouinciæ vestræ olim Proui-*

cialis

cialis viri planè sempiterna memoria digni, quique, ut diuturna lucis usura pro vestra Prouincia, totiusque Religionis commodo frueretur, cunctis valde exoptabile, tantum cœpimus gaudij, & iucunditatis, quòd eum ad percipiendum laborum suorum fructum in cælum credamus euolasse; nec in ista Prouincia deesse, qui eius queat pro dignitate personam gerere, ullo pacto dubitamus. Ad quod quidem peragendum, vestraque Prouinciæ caput eligendum, cum vos, consto de more cœtu audiamus conuenisse, muneris nostri duximus vos omnes in unum istic conuocatos ex animo salutare, simulque monere, ut sedula mentis cogitatione pensetis, quàm magnum sit id, quod à vobis suscipitur, quanto delectu, ac prudentia, quantaque synceritate, ac studio peragendum. Eligendū ex omnibus præficiendum aiebat ille, qui omnibus imperet. Nos verò & eum, qui omnium miserijs compati, omnium uitia corrigere, omniumque uirtutes promouere ualeat, eligendum censemus. Procul ergo à nobis priuatus sēsus, atque affectus, absit liuor, ac indignatio, dissidentiumque animorum contentio, quibus nihil sapienter, ac iustè ad rectam rationis normam geri solet, & consummari. Versetur ob oculos nostri Ordinis sanctissimum Fundatorem uestro interesse cœtui, uosque singulos obseruare, abditos mentis recessus, & singulorum corda perscrutari existimate. Huius si ad tacitam sententiā, consiliūque suffragia uestra dirigenda putaueritis, non dubito, quin in scopum collimaturi, ac eiusmodi Prouinciæ uestræ Rectorē electuri sitis, qui cum magno Ordinis incremento, magnaquè electorum apud omnes laude, Fundatori optimo simillimus, uos sapientissimè, sanctissimèque gubernet. Valete. Et Dominus sit uobiscum, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

CAP. XXXI.

De forma literarum, quibus animatur quis ad retinendam dignitatem, quam renunciare intendit.

FRATER N. Ordinis N. Generalis. Reuerendo adm P. F. N. nostra Prouinciæ N. Prouinciali salutem. Ex tuis literis intellexímus, ægrè te multū ferre, supra modūque uexari, quòd à Patribus istius Prouinciæ fueris in Prouincialem electus, ut qui quietem potius, quàm Superioris locū occultarum sollicitudinum, & periculorum plenum semper optasti & parere, quàm imperare semper maluisti: id si à te fit ut primatum, honoremque refugias, lætamur equidem modestam esse hanc tibi mentem, ambitioneque uacantem; ut id pertinaciter non est expetendum, sed uoluntati Dei per electores declaratæ, perque nos approbatæ humiliter acquiescendum. Si oneris, curarumque molestia hebescis ac rumperis, & sic Deo reluctaris, non rectè facis; nam præterquamquod non tibi soli natus es, Deum non amare conuinceris, cum pro illius grege laborare recuses. Si gregis malitia, quem curare desperas id tentas, haud equidem bene facis, nam, te saltem Rectore, non ruet, sicque gratum Deo opus efficies illum comprimendo; Medicus enim ægrotum curare non ualens, maximè curat, fomentis, & oleo curando, ne pereat. Cum quod in te est peregeris, reliquum Deo commenda, cui sua omnis, aut stat, aut cadit creatura. Si corporis debilitate moueris, quæ te impotentem omnino reddit sinè spe sanitatis recuperandæ, audiendus es; sed in animum inducere nequaquam possumus. Patres istos adeò imprudentes consilijue expertes fuisse, ut onus euidenter importabile humeris tuis tentauerint superimponere. Si eiusmodi non est debilitas tua cū uiribus mentis potiùs, quàm corporis, Prælati regimen imitatur, gloriari potiùs debes in infirmitate tua cum Apostolo, quàm languescere; nonnumquam enim corporis, infirmitas fortitudinem cordis augmentat. Si scientiam te ad id habere non confidis necessariam; Hæc licet sit in Pastore eminens desideranda, modò tamen sit competens, toleranda; ut enim inquit Apostolus scientia inflat, charitas autem ædificat, atque adeò imperfectum scientię potest supplere perfectio charitatis: Prudentis itaque, & sapientis cum sit Religiosi; dignitates nec quærere, nec amare; cum tamen ex præcepto, ac Dei uoluntate subire oportet, atque capessere, non confuso, & alienato, sed syncero, atque sollicito tractandę ingenio. Tu prudentia hac utere, & sapientiam sectare, ne Religiosi nomen apud Religiosos, immarcescibilem uerò apud Deum, Pastoribusque debitam felicitatis laureolam amittas.

Vale.

CAP. XXXII.

De forma dandi licentiam Religioso, ut possit esse executor alicuius testamenti.

FRATER N. *Provincialis, &c.* R. P. F. N. *salutem. Etsi per apostolicum praeceptum à secularibus negotijs Deo in Religionibus famulantibus sit penitùs abstinendum; ea tamen, quę pietatem redolent, & charitatem, eisdem non solùm concessit Apostolus, verum etiam disertis verbis imperitavit*, Tu verò inquiens sectarè pietatem, & charitatem. *Quod nobis prę sertim charitatis insignia gestantibus, illaque cęlum scandere contendentibus praescriptum fuisse non ambigimus, Quare nos, qui in spirituali militia huic religiosę familiae, indignè licèt praesidemus, ea omnia, quae pietatem, charitatemque sapiunt, ardentiùs, quàm cęteri, tenemur exantlare. Cum ergo conditio per nobilem N. testamento executor fueris institutus, nec id muneris valeas absque nostra obtenta licentia suscipere. Nos qui de tua conscientię puritate, & in rebus agendis dexteritate, atque prudentia satis, superque edocti sumus, praesentium tenore liberum tibi executoris munus in testamento praedicto, atque codicillis, si adsint, secundùm Deum, regulamque instituta, ut ab eodem N. dispositum, ordinatumque fuerit, suscipiendi, exercendique licentiam concedimus, & facultatem; In cuius licentiae praeterea, & executionis robur, ac testimonium, praesentes has literas exarandas curavimus, manuque nostra subscriptas officij nostri sigillo communivimus. Datum &c.*

1. Noto 1. pro hac forma, quae dico tom. 2. Praelati, q. 3. cap. 5. à nu. 22. & attende ad doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 187. art. 2. in corpore, ubi docet, non licere Religiosis negotia secularium tractare causa cupiditatis, bene tamē causa charitatis: nam hoc ipso, quòd proximo serviunt propter Deum, dilectioni divinae obsequuntur. Et probat ex illo 4. Regum, 4. ubi Elisaeus dixit ad mulierem. *Num quid habes negotium, & vis ut loquar Regi vel Principi militiae?* Et habetur expressè in cap. 1. d. 88. D. Thom.

2. Noto 2. quòd in Ordine nostro in cap. Barcinon. 1. num. 13. praecipitur, *ne quis possit suscipere commissiones causarum, arbitria, sive iudicia, sive executiones testamentorum, neque dispensationes aliarum rerum, sub poenis suspensionis per sex menses Superioribus, subditis verò privationis utriusque vocis per biennium.* Et ratio huius, prohibitionis est. *Quia ex talibus sequi solent odia, damna, & scandala Ordini, & Fratribus*, Circa quod statutum,

3. Adverte 1. quòd intelligitur de non admittendis arbitrijs, & iudicijs personarum secularium, ut patet ex titulo, qui est, *De non accipiendis iudicijs secularium*, non verò De non accipiendis arbitrijs, & iudicijs personarum religiosarum. Quare licet non possint Minimi esse iudices, & arbitri personarum secularium, possunt tamen esse iudices, & arbitri cum debitis licentijs Superiorum personarum religiosarum, quia à diversis non fit illatio; & habet satis clarè Gloss. in summa cap. 1. d. 88.

4. Adverte 2. quòd dictum statutum intelligitur iuxta doctrinam D. Tho. cit. num. praeced. quòd scilicet non possint recipi iudicia secularium causa cupiditatis, non verò, quòd non possint recipi causa charitatis pro consanguineis, pupillis, viduis, amicis, benefactoribus, &c. praesertim si non habent alias personas magis idoneas: nam tunc videretur pugnare cum recta ratione. Atq; ita hoc statutum intelligit. Passarel. in schol. ad dictum statutū; & innuitur in cap. *Episcopus*, ei 4. iuncta Glossa, d. 88. D. Thom. Passarell.

5. Adverte 3. quòd non obligatur Religiosus ad dicta iudicia suscipienda, nisi in casu gravis, & multò magis gravissimae, vel extremae necessitatis. Nam non tenentur Religiosi optima quaeque charitatis opera extra casum necessitatis exercere.

6. Adverte etiam, quòd Regulares quando debent eligere arbitros, in causa suspicionis non tenentur illos eligere ex sua Religione, sed possunt extra illam eligere. Nullum enim habemus ius in contrarium. Et ita practicatur. Limita tamen nisi aliud per constitutiones particulares Religionis sit statutum.

CAP. XXXIII.

De forma eximendi aliquem ab officijs Ordinis.

FRATER N. *Ordinis N. Generalis* R. P. F. N. *salutem. Praelatorū munus, & aequitas praemia pro meritis compensantium flagitat, ac exposcit, ut ij, qui pro Religionis honore, & augmento graviora sollicitudinis studia subiere, quique, reipsa haud obscurè testante, maiora quoq; si valerent devotionis obsequia eidem studiosiùs impensuri dignoscuntur, potioribus gratijs, & favoribus cumulentur, ut & illorum studium exindè cunctis pleniùs innotescat, & eorum exemplo ad similia cęteri propensiùs excitentur. Hinc ad assiduos, quos studiorum, concionum, regiminumque causa in Religione labores perpessus fuisti, nostrae mentis aciem dirigentes, ad humiles etiam preces attendentes super hoc nuper nobis porrectas, aetati, ac aegritudinibus tuis benignè compatientes, ut eò ferventiùs divinis valeas insistere, te a quibuscunque*

Supe-

Superioratus nostri Ordinis cura eximendum esse decreuimus, prout præsentium tenore officij nostri auctoritate eximimus, ac penitus liberamus. Omnibus, & singulis eiusdem nostri Ordinis Superioribus, sub quorum regimine pro tempore deges, in virtute Spiritus Sancti præcipientes, vt te super præfata exemptione meritorū tuorū intuitu tibi concessa molestare, cōtraque eamdem exemptionē ad cuiuscunque Superioratus officium, & munus suscipiendum cogere, & impellere nequaquam audeant. In contrarium non obstantibus quibuscunque. In quorum fidem, &c.

CAP. XXXIV.

De eadem forma concedente exemptionem ab oneribus Communitatis.



RATER &c. vt cap. præced. *Boni Pastoris est lassas, & ægras oues opportuna reficere quiete, tenerioribus herbiculis refocillare, salubrioribus confortare cibarijs, clarioribus refrigerare fōtibus, dulcioribus cōsolari sermonibus, illarūque imbecillitati amanter compati, easdemque eandem communibus defatigationibus misericorditer relaxare. Ne ergo veri, probique Pastoris officia, & partes in nobis desiderari videantur, te præfatum Patrem, qui te Ordini nostro ab ineunte ætate deuouisti, eidemque opportunis, religiosisque iam actibus, gestis, ac præclaris, magno fructu, & commodo, populorūque laudabili ædificatione insignem exhibuisti famulatum, quique modo ad senilem redactus ætatem tanta prægrauaris imbecillitate, vt iuueniles amplius labores nequeas sustinere, te ab oneribus propterea Cōmunitatis, in qua degis, & pro tempore degere contigerit, nocta scilicet ad matutinum surgendi, ad processiones, defunctorumque sepulturae adeundi, refectorum, &c. frequentandi, harum literarum serie, ac vi eximimus, & absoluimus, exemptumque pariter, ac absolutum esse volumus, & iubemus. Pro tua præterea voluntatis libito, ac præcipuè si casus omnino tulerit, in cella horis tibi percommodis comedendi, lineisque indusijs, Medici tamen adhibito consilio vtendi, cæteraque itidem, quæ imbecillitati, ac senectuti tuæ secundùm Deum, rectāque prudentiam conducere videbuntur, efficiendi licentiam, & facultatem concedentes. Superioribus etiam, in quorum Conuentibus immorari cōtigerit in virtute Spiritus sancti præcipientes, vt præfatis te exemptionibus, meritorum ergo tibi concessis pacificè frui sināt, ac gaudere, nec in ijs quoquomodo vexare audeant, vel præsumant. In contrarium non obstantibus quibuscunque. In quorum fidem, &c.*

CAP. XXXV.

De forma eximendi aliquem in casu particulari a iurisdictione Superioris ordinarij.

FRATER &c. vt cap. XXXIII. *Qui inferiorum Prælatorum, cum in suscepto ministerio non excedunt, iura tuemur, subditorum quoque nostrorum, cum eos ab inferioribus Pastoribus prægrauari contingit, nequaquam obliuisci debemus. Quare cum fide digno testimonio nobis innotuerit P. F. N. Prouincia N. Prouincialem esse tibi valde infensum, nec te, nec tua à multo tempore benignis oculis aspicere, vt dubitari propterea iure merito posse, ne in causa inter te, & Fratrem N. coram ipso vertitur, affectu potiùs, quam ratione ducatur. Ea propter quē quam sub nostro regimine iniustè vexari nolentes, prædictam causam ab illius tribunali submouentes, ad nos auocamus, & ne in ea se immiscere ampliùs valeat, districtè inhibemus; teque tandem in præfata causa ab eius iurisdictione omnino eximimus, exemptūque esse volumus, & pronunciamus. Cassum insuper, nullum, ac inualidum declarantes, quicquid in ea ab illo post præsentium notitiam contigerit attentari. Mandantes nihilominus in virtute Spiritus sancti prædicto N. Prouinciali; ne te in posterum quoad præfatam causam vllatenus audeat molestare. In contrarium non obstantibus quibuscunque. In quorum fidem, &c.*

10. Noto 1. quòd possunt Generales eximere aliquem ab officijs publicis gerendis, & ab oneribus communitatis, & idem dic proportionaliter de Prouincialibus. Tum ratione generalis illius auctoritatis, quam habent, sicut puniendi delicta, ita præmiandi virtutes. Tum quia ille potest priuilegium concedere, qui potest legem ferre, vt dixi cum multis tom. 1. q. 1. in constit. Pyzil, num. 6. at dicti Prælati possunt legem ferre, quia habent potestatem quasi Episcopalē. Tum quia ita habet cōmunis praxis omnium Religionum. Nec refert, quòd dictæ exemptiones, V. G. quòd quis

non teneatur recipere dignitates, sine contra Regulam: nam licet verum sit, quòd non potest Prælatus quicquam contra Regulam suis subditis concedere, potest tamen in aliquo casu, iusta interueniente causa, cum aliquo dispensare, etiam super Regulam, vt probaui tom. 1. Relig. q. 1. cap. 8. §. 5. conclus. 10. Adde, quòd talis exemptio causa remunerationis concessa, cum sit potius beneficium, quam priuilegium, non dicitur esse contra Regulam, sed potiùs secundùm illam, & secundùm iura naturæ, quòd benemeritis præmia elargitur, iuxta illud, *Stant sua præmia laudi*, idest, virtuti. Ita Tusch. ver. *Exemptio*, conclus. 567. num. 7. & 8. *Tuschus.*

2. Noto 2. quòd dicta exemptio concessa propter causam infirmitatis, aut propter benemerita, non potest reuocari, nec à Superiore, qui illam concessit, nec à successore suo, etiam causa ingratitudinis. Est etiam exemptio onerosa, idest, causa remunerationis concessa, quæ transit in naturam contractus, de cuius substantia est, vt reuocari non possit, vt probat Tuschus loc. cit. num. 1. Quod intellige, etiamsi immineret necessitas, vel vtilitas publica, vt probat idem Tusch. ibid. conclus. 570. num. 5. Sed hoc casu talem exemptionem reuocare pertineret ad supremum Prælatum, puta Papam, seu in Religionibus ad minùs ad Capitulum generale. Consulendum tamen esset in tali casu necessitatis sic priuilegiato, vt communitatem releuaret, nec per hoc perderet priuilegium exemptionis, cum solùm in illo casu necessitatis publicæ vtilitati consulens, dicto priuilegio cederet.

3. Noto 3. quòd eximere subditum à totali obedientia sui Prælati ordinarij non potest Generalis respectu Prouincialium, neque Prouincialis respectu Correctorum, vt dicit à S. Fausto in Thesauro Relig. lib. 6. quæst. 146. & dixi cum multis tom. 1. p. 1. in const. 5. Iulij II. num. 6. & in constit. … eiusdem Papæ, num. 1. fine, potest tamen in aliquo casu particulari illum eximere, & causam aliquam ad se auocare. Sicut enim potest superior Prælatus causa interueniente, inferiorem totali iurisdictione priuare, ita eadem causa interueniente, potest eamdem iurisdictionem limitare, & aliquali eum priuare, Quòd docet Mandos. de inhibit. q. 4. num. 2. & q. 100. num. 2. tom. 5. tract. Roman. consil. 37. in princ. Tuschus ver. *Exemptio*, concl. 554. n. 7. & habetur in leg. 2. ff. De his, qui sunt sui, vel alieni iuris; & Instit. eodem tit. §. *Sed hoc tempore*. Et aduerte, quod inhibitio, & auocatio in hoc casu sunt idem, vt probat Mandos. loc. cit. q. 100. num. 16. Aduerte etiam, quòd, si occurrat aliqua dubietas circa inhibitionem, ea declaranda est per iudicem inhibentem, vtporè Superiorem; Ita Mandos. loc. cit. q. 94. Aduerte hic demum, quòd dato, quòd in aliqua Religione sint concessæ aliquæ exemptiones Prouincialibus V.G. aut Definitoribus, aut Lectoribus, &c. non potest Generalis dictas exemptiones concedere illis, qui dicta officia non exercuerunt. Ita Vrb. VIII sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ac suspensionis ab officio prohibuit Generalibus, vt constat ex eius const. 99. tom. 4. Bullarij. Vnde collige, quòd non possunt dicti Generales concedere exemptiones intuitu meritorum his, qui merita non habent. Et pro istis exemptionibus, an, & quæ, & quomodo, & à quo concedi possint vide to. 3. priuil. mendic. in const. 15. alias 25. Vrbani VIII.

Mandosius. *Romanus.* *Tuschus.*

CAP. XXXVI.

De forma concedendi licentiam alicui Religioso exorcizandi.

FRATER N. Generalis R. P. F. N. nostri Ordinis Sacerdoti salutem. Exorcizandi munus, fili charissime arduũ valde, & difficile est; requiris enim in exorcizante maximam conscientiæ puritatem, prudentiã itidem, sagacitatem, & experientiam haud sanè minorem. Quibus profectò virtutibus præfulgere cum fide digno testimonio apud nos commenderis, nos tibi præfato præsentium literarum tenore prædictum exorcizandi munus cum arreptitijs quibuscunque, & a dæmone oppressis exercendi concedimus facultatem; immò id ad maiorem dæmonum confusionem, in virtute Spiritus sancti tibi præcipimus, ac mandamus. Seriò monentes, vt a disputatione cum dæmone, vana, ac futili rerum interrogatione omnino abstineas; ieiunijs potius, orationibusque eos vincere, & ab oppressorum corporibus eijcere satagendo. Quòd præterea munus, ne in ecclesijs tantũ, priuatinè quoad quæcunque alia loca exercere valeas, iniungimus, pariter ac mandamus, & Dominus te benedicat. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd in Ordine nostro dare licentiam munus Exorcistæ exercendi, pertinet ad Generalem per statutum cap. Auenion. 3. num. 13. Potest etiam talem licentiam dare Vicarius generalis, habens generale mandatum faciendi etiam ea, quæ speciale mandatum requirerent.

2. Noto 2. quòd potestas exorcizandi ex officio solis Sacerdotibus, vel ordinem Exorcistatus habentibus competit, vt probant Valent. tom. 4. disp. 6. q. 8. p. 1. col. penult. vers. *Iam ad primum*, Sanch. 2. in decal. cap. 41 num. 18. Thyræus de dæmoniacis, cap. … num. 505. & probant ex illo Act. 19. vbi dæmon obiecit filijs Sceuæ Iniquè huiusmodi potestatem vsurpantibus, *Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? & insiliens in eos*, &c. *Valentia. Sanchez. Thyræus.*

3. Noto 3. quòd circa munus Exorcistatus rectè exercendum aliqua præcepit S. Carolus in suis synodis prouincialibus. Et primum, quòd duo obsessi simul non exorcizentur; in synodo prouinciali 4. Secundũ, quòd mulieres nõ tangantur

gantur ab Exorcista, ibid. Tertium, quòd exorcismi fiant tantùm in ecclesia; quod etiam præcepit R. P. F. Franciscus à Loogobardis nostri Ordinis Generalis) paucis præsentibus, & vna saltem ecclesiastico. Et hoc neque ante ortum, neque post solis occasum.

4. Noto 4. quòd si sit exorcizanda Monialis, debet id fieri a confessario Monialis ipsius (habita priùs licentia à Sede Apostolica) in ecclesia exteriori, ianuis clausis, præsentibus fœminis honestis, vel alijs viris prouectæ ætatis. Ita declarauit sacr. Congreg. Regularium a. Iulij anno 1606. vt refert Gauantus in manual. Episcop. verb. *Monialium cura spiritualis*, num. 30. Puto tamen, quòd confessarius talis artis nô expertus, possit hanc curam alteri experto demandare, modò ipse semper exorcizanti assistat: nam non credo, voluisse sacram Congreg. inexperto tantum munus demandare. Et puto etiam non requiri licentiam Sedis apostolicæ, neque alias conditiones requisitas in dicta declaratione, quando Monialis exorcizatur ad experiendum, an sit obsessa à dæmone. Quo casu posset etiam secularis, de quo dubitatur, exorcizari in domo propria: nam aliud est exorcizare oppressum à dæmone, & aliud probare, an sit aliquis oppressus.

5. Noto 5. quòd si Episcopi mandent, vt nulli in suis Episcopatibus munus Exorcistæ exerceant sinè ipsorum licentia, Regulares, vtporè qui ab ipsorum iurisdictione sunt exempti, non tenentur illo præcepto; sed possunt absque dicta Episcoporum licentia exorcizare. Ita Portel in addit. ad dub. regul. ver. *Exorcismus*, Diana rom. 3. tract. 2. resol. 36. Nauar. lib. 1. consil. de offic. iudic. ord. consil. 6. nu. 4. qui addit, quòd nec Papa, saltem sinè iusta causa, id potest interdicere, cum sit præceptum diuinum, Marci vlt. *In nomine meo dæmonia ejicient*. Quod tamen intelligit Suarez to. 2. de relig. lib. 4. de adiurat. cap. 1. num. 10. & 11. de adiuratione priuata, non de publica, & solemni, quę solùm competit ministris Ecclesiæ ad ordinem Exorcistæ promotis. Puto itaque, posse quemlibet Christianum in casu repentino, & improuiso, vbi minister nullus adesset Ecclesiæ, & dæmon vexaret obsessum, illum auctoritate Christi adiurare, vt desineret obsessum molestare.

6. Noto 6. quòd Exorcista antequam hoc munus exercendum arripiat, his armis debet se munire 1. per sacramentalem confessionem debet puritatem conscientiæ procurare. 2. debet priùs multùm orationi instare. 3. ieiunijs corpus affligere. 4. magnam animi submissionem studiosiùs induere. 5. diuino amore flagrare. 6. benè de Dei adiutorio sperare. Quas conditiones iustissimas esse, ac dæmonibus multùm inuisas, & magnum robur habere ad dęmonum vires frangendas, operaque ipsorum dissoluenda, tum exemplis, tum rationibus, tum etiam Christi auctoritate probat Thyræus de dæmoniacis, cap. 38. à num. 507.

7. Noto 7. quòd quinque pręcipuè modis, quos latè prosequitur Thyræus loc. cit. cap. 41. à num. 545. & capitibus sequen. expellunt dæmones ab humanis corporibus Exorcistæ. 1. est per inuocationem nominis Iesu. 2. per vsum reliquiarum, 3. per impressionem sanctæ Crucis. 4. per vsum rerum consecratarum, & benedictarum. 5. per adiurationem exorcismorum. Tandem, 20, & quomodò, & quando dictis obsessis à dæmone, & quibus fatuis danda sit sacra communio, vide apud Ximenez nostrum in erudit. Euangelica, lib. 23. exhort. 9. §. 2. per totum.

Gauant. Portel. Diana. Nauarr. Suarez. Thyræus. Ximenez.

CAP. XXXVII.

De forma literarum concedendarum expulsis ab Ordine.

FRATER N. Generalis, &c. *Omnibus præsentes literas inspectur s, pariter ac lecturis salutem. Noueri nt cuncti qualiter in Prouincia nostra N. visitanda inter alia comperimus F. N. Ordinis nostri Sacerdotem professum ab annis decem suę professionis immemorem, ea perpetrasse delicta, eaque scandala Fratribus & secularibus dedisse, tamque multas arripuisse fugas, vt verumque omnium publicum transgressorem, & constitutionum regularium cõtemptorem extitisse adeo impudenter, ac inuerecundè, vt quoties nostro subeunt animo sinè ingenti horrore, ac luctu vix queant excidere. Quę quidem irreligiosi b minus nit. a, & scelera eum iusta animaduersione, panchresto veluti medicamento, ex eius animo conuellere sępissimè studuerimus, propterque eadem ob crimina carceribus, ut ex processibus contra ipsum ad sacrorum Canonum, nostrarumque constitutionum præscriptum formatis liquet, per annum detentus, nullatenus resipuerit, aut ullam pręstiterit emendationis spem, obdurato quin potius animo in sua adhuc persisteret, mutis pernicacia, ne contagione pestifera plurimos perderet, ac inficeret, ceù pecudem morbidam, putreque membrum, tanquam incorrigibilem, ad formam decreti sacrę Congregationis Concilij de apostatis, & eiectis, eorum ad quos pertinet consilio, & co-sensu accedente, iuxta præfatam constitutionem eundem N. per definitiuam sententiam à nostra Religione eiecimus, nostrique ordinis habitu spoliauimus, ut harum literarum serie, ac tenore, eiectum, pariter ac spoliatum declaramus. In quorum omnium fidem præsentes literas iussu nostro conscriptas, sigilloque munitas, prætacto N. pro suę conscientię securitate tradidimus, & concessimus. Datum &c.*

CAP. XXXVIII.

De eadem forma, absque expressione causæ.

FRATER &c. vt cap. preced. *Noueritis, qualiter iustis de causis animum nostrum mouentibus considerantes eam, & causas, de quibus in processu per nos anno Domini 1634. à die 8. May contra P. F. N. nostri Ordinis Sacerdotem professum in seculo nominatum N. de N. cum consilio, & consensu eorum, ad quos spectat fabricato, maximo animi nostri mœrore, ac necessitate ferè compulsi, omnibus de iure requisitis tentatis, ac peractis prædictum N. a nostra Religione expulimus, ac dimisimus expulsumque, & dimissum his literis declaramus. In quorum fidem, &c.*

CAP. XXXIX.

De forma, qua Generalis debet monere Episcopum de supradicta expulsione.

FRATER, &c. *Illustrissimo Domino Episcopo N. salutem in Domino. Illustrissimæ Dominationi vestræ notum sit, qualiter nos ad Canonum, & apostolicarum constitutionum formam, & decreti præsertim Congreg. Concilij de apostatis, & eiectis, procedentes, per nostram definitiuam sententiam quam in scriptis tulimus hoc anno 1634. sub die 8. May a nostra Religione tanquam incorrigibilē P. F. N. de N. Religionis præfatæ professum, et ad sacrum Presbyteratus ordinem promotū, dimisimus, & eiecimus. Quod Illustrissimæ vestræ Dominationi significandū esse censuimus, vt & nos apostolicis obtēperaremus mādatis, & pecoris sui vultū agnosceret Dominatio vestra, eaque etiam circa præfatum N. exequi valeat, quæ in præfato decreto peragenda iussit eadem sacra Congregatio. Et Dominus sit Illustrissimæ Dominationi vestræ propitius. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quod circa eiectos adest decretum Congreg. Concilij, quod refero tom. 2. nostr. priuil. in const. 10. Vrbani VIII. §. 4. in quo plura statuuntur. Et primò, quòd nullus possit à Religione eijci, nisi vltra ea, quæ de iure cōmuni requiruntur, ad hoc vt quis incorrigibilis censeatur, fuerit per annum in carceribus probatus in ieiunio, & pœnitentia, sublatis in hac parte constitutionibus Religionū, etiam ab apostolica Sede approbatis. De iure autem communi is censetur incorrigibilis, qui redit iterum ad priora delicta, et maiora, ac interea peractas post tertiam monitionem, vel distulit iniunctam pœnitentiam facere, aut fugam cepit, & occultat se, ea non peracta. Ita Aldrete de discipl. tuenda lib. 2. cap. 26. num. 14. Barb. in cap. *Cum non ab homine*, de iud. nu. 7. & colligitur ex dicto cap. vide quæ dixi circa hoc tom. 1. Relig. q. 1. cap. 25. sub conclus. 3. Et aduerte hic, quod ille, qui iustè detinetur in carcere ad hoc, vt probetur per annū in ieiunio, & pœnitentia, si aufugiat, præsumitur incorrigibilis, & potest absque alia difficultate à religione eijci, ac si omnino in carcere integrum annum compleuisset, quia recusat emendare vitam suam, & consequenter iam videtur satisfactum menti Pontifici. Nec est opus eum iterum ad religionem reuocare, sed potest tanquam contumax absens habitu spoliari.

Aldrete. Barbosa.

2. Secundò statuitur, quòd quando, concurrentibus prædictis conditionibus, aliquis erit eijciendus, non possit eijci à Prouincialibus, sed a Generali dumtaxat, seu etiam Visitatore generali, de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendorum in Capitulo generali; & tunc non nisi plenè probatis causis expulsionis ad formam Canonum. Aduerte autē circa dictos sex Patres aliud decretum Cong. quod refero ad dictam const. 10. Vrb. VIII. nu. 1. in quo habetur, quòd quando casus occurrerit, possit Generalis assumere ad hoc munus sex Definitores Prouinciæ, in qua iudicium faciendum erit. Et in Ordine nostro in Cap. Barcin. 3. sess. 5. vespertina, num. 12. statutum, est, vt super hoc puncto denuo supplicaretur Pontifici. Sed meo videri nulla adest necessitas supplicandi Pontifici, cum nulla adsit difficultas adimplendi mentem sacræ Congreg. Potest enim in quolibet Capitulo generali determinari dictus numerus sex Patrum, quorum tres possunt esse tres Collegæ Patris Generalis, & alij tres P. Prouincialis, cum duobus primis Collegis Prouinciæ, in qua hoc iudicium erit faciendum. Quod decretum tandem factum est in Cap. generali Massiliæ 3. celebrato num. 30.

3. Tertiò statuitur, quòd eiecti, quamdiù nō redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, etiamsi Laici, & Oblati sint, aut etiā Clerici, nondum in sacris ordinati, & iurisdictioni, ac obedientiæ Ordinarij loci, in quo sunt naturales, seu viuunt, subsint.

4. Quartò, quòd Generalis, statim lata expulsionis sententia, teneatur eam dicto Ordinario notificare, vt vultum pecoris sui diligenter agnoscat. Et dato casu, quòd Generalis non solùm eiecerit, sed etiam propter rationabiles causas per aliquod tempus à loco, vbi prædictus eiectus habitabat, eum iusserit exulare, tunc Generalis tenebitur in dictis literis expulsionis dictam clausulam apponere, apposita etiam grauiori adhuc pœna in casu inobedientiæ; & non solùm Episcopo loci eamdē notificare, sed etiam Episcopo, in cuius diœcesi eiectus iussus est exulare.

5. Quintò statuitur, quòd Generalis non concedat eiecto literas testimoniales eum ad Sedem apostolicam reijcientes, vel ad aliam Religio-

ligionem ingredi mandantes. Et ratio potest esse; quia hi electi aliam Religionem non vouerunt, possunt tamen, si velint, aliam Religionem ingredi, de licentia tamē prælati propriæ Religionis, & cum alijs conditionibus, ad transitum requisitis in eodem decreto Congreg. Lezana. vt aduertit Lezana in q. regul. cap. 23. nu. 8.

6. Sextò statuitur, quòd dicti eiecti, quamdiù extra Religionem degerint, sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarij locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi; si autem dictos Ordines exerceant fiunt irregulares; suspensus enim, si exerceat Ordines, fit irregula- Bonacina; ris; Bonac. de censur. in particulari, disp. 3. q. 8. p. 12. num 5. qui addit num. 6. & de clausura, q. 2. p. 12 § 6. per totum, quòd ista suspensio est reseruata summo Pontifici, neque possunt dicti electi maiores Ordines assumere, si qui eis desint; est enim ridiculum eum, qui minoribus Ordinibus pœnæ causa prohibitus est, ad maiores aspirare, vt dicitur in leg. *Relegatorum*, § fin. ff. de interd. & qui est indignus Ordine inferiori, indignior multò est superiore, arg. leg. *Qui indignus*, ff. de Senator. cap. *Cum illorum*, de sent. excom. §. *Primos*, vbi Glos. verb. *Minora*.

7. Septimò statuitur, quòd Superiores, idest, Prouinciales, vel Generales, seu etiam locales Regularium, singulis annis sollicitè requirant dictos eiectos, & eos curent ad Religionem reducere, dummodò adsit euidens in eis emendationis spes. quæ spes haberi debet ex literis testimonialibus Episcoporum (oneratâ dictorū Episcoporum in his literis concedendis conscientia) in quorum diœcesibus dicti eiecti commorantur. Aduerte, quòd dicta spes emendationis ad hoc, vt cogatur Religio eiectum quærere, & de nouo recipere, nō est satis, quòd sit probabilis, sed debet esse euidens; vnde non sufficit, quòd Episcopus dicat, se credere, talem electum esse emendatum, sed debet dicere, sibi constare ex pluribus actibus virtutum, dictum eiectum esse emendatum, & ideo esse dignum, vt ad Religionem denuò admittatur. Quod testimonium si falsò ferat Episcopus, nulli dubium est, quòd mortaliter peccet, cum Congregatio suæ conscientię, id remittat: & est peccatum contra iustitiam, Religionem lædens in re grauissima: Vnde etiam puto, quòd dictus Episcopus teneretur ad omnia damna, quæ per tale falsum testimonium passa fuerit dicta Religio. Aduerte etiam, quòd dicti Superiores quando sciunt, aliquem electum bene, & cum exemplo, ac virtuosè viuere in seculo, tenentur sub pœna peccati mortalis, & sub pœna priuationis suorum officiorum ipso facto incurrenda, ac vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, singulis annis quærere, & procurare, vt ad Reli- Bonacina; gionem reuertatur. Ita Bonac. de Clausura, q. 2. p. 11. §. 2. nu. 12. Et istæ pœnæ sunt reseruatę summo Pontifici, interdicta potestate Generalibus, & Protectoribus illas moderandi, ac relaxandi, vt ex eodem decreto constat. Reliqua de electis vide tom. 1. Relig. q. 1. cap. 25. per totum.

LITERA F.

CAP. I.

De forma professionis fidei faciendæ à Prælatis regularibus.

EGO F. N. Ordinis N. Generalis, firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus; & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxta consensum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse verè, & propriè sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis; licèt non omnia singulis necessaria; scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his Baptismum,

mum. Confirmationem, & Ordinē sinè sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ catholicę ritus in sacramentorū omniū solemni administratione recipio & admitto. Omnia, & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridētina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in missa offerri Deum verum, proprium & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi; fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam conuersionem catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi.

Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas. firmissimè assero. Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendum. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam & apostolicam Romanam Ecclesiam omniū Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco. Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cæteraque item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio atque profiteor. Simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, anathematizo. Hanc verò catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo eamdem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, uel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Potest hæc alia clausula addi ex constit. Fratrum Minorum Conuent. In correctionibus iudicialibus grauium criminum, & in prouisionibus, promotionibus, confirmationibus, destitutionibus, & repulsionibus faciendis de personis dicti Ordinis fideliter secundùm Deum, & Regulam B. F. puramque, & rectam conscientiam me habebo, ac toto meæ gubernationis tempore, quantum in me fuerit, adnitar studiosissimè, vt Regulæ & constitutionum nostrarum obseruantia in Religione exquisitè vigeat, itaut de cultu diuino, & de regulari disciplina, si quid ad meliorem formā redigendum comperero, non patiar, vt curā, mea, labor, industria, studium desideretur. Ego, qui supra, F. N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Not. circa hanc fidei professionem, quæ dico tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 6. vbi concludo, quòd in illis Religionibus, in quibus non est in vsu, non obligat.

CAP. II.

De forma, qua declaratur, aliquem fuisse in numerum Fundatorum, à Capitulo generali receptum.



FRATER N. Ordinis N. Generalis. Omnibus, & quibuscunque præsentes litteras inspecturis salutem. Vniuersis, ac singulis præsentes literas inspecturis, pariter, & lecturis, notum sit, in generali Capitulo Ordinis N. anno Domini 1634. sub die 12. Maij Romæ celebrata, Illustrissimam Dominam D. N. Comitissam de N. ob amplum, ac per magnificum in Ciuitate N. extructum, fundatumque cœnobium, Religionique nostræ competentibus annuis redditibus ad duodecim religiosos viros alendos assignatis dono datum, in Fundatricum album ascriptam, cooptatamque fuisse. Quocirca illam ad omnium gratiarum; & priuilegiorū, quibus cœteræ Ordinis nostri Fundatrices perfrui, & gaudere solent, participationem cōmunionēque admittendā, præsentiū literarum serie, ac tenore declaramus, vt de facto admittimus, & recipimus Omnibus, & singulis eiusdem Ordinis Superioribus præcipientes, vt eam prętactis priuilegijs pacificè frui sinant, atque permittant. In quorum fidem, &c.

CAP. III.

De eadem forma facienda à Prouinciali, seu Correctore, quando contingeret Fundatorem peregrinari.

FRATER N. Ordinis N. in Prouincia N. Prouincialis. Vniuersis eiusdem Ordinis Patribus, ac Fratribus salutem in Domino. Religionis nostræ, cui præsumus, Deo auctore, decor, atque vtilitas maximè postulat, vt ijs libenter inuigilemus, eaque omnia propensiùs exequamur, per quæ hospitalitas, ac beneficentia, cum in omnes, tum verò in eos, quorum opera, subsidio, ac labore religiosa loca creuisse cernimus, officiosè exhibeantur. Cum enim quicquid Religiosi possident, pauperum sit, atque à pijs, deuotisque Christi fidelibus in eos liberalissimè effluat, erubescendum nobis esset, si cunctis domus nostræ ianua non pateret, si Christi bona, Christi bonitate largita soli deuoraremus: si beneficentissimos nostri Ordinis deuotos perhumaniter excipere, & beneficio affecti vicem rependere, gratiamque apud nos florescentem custodire negligeremus. Cum perillustris igitur D. D. N. cui has nostras dedimus, Conuentus nostri N. Fundator extiterit, ac in numerum proinde Fundatorum in Generali Capitulo N. relatus sit, in hancque nostram Prouinciam N. opibus, studio, fauore, mente denique beneficentissimus in dies se se ostenderit, hæc omnia vobis præsentium literarum serie, ac tenore significanda esse censuimus, eo sanè consilio, vt omnium, singulorumque eiusdem instituti Superiorum, Religiosorumque ad quoscumque diuertere contigerit, benignitatem, gratique animi voluntatem excitaremus, ad ea omnia liberalitatis, humanitatis, ac hospitalitatis officia, hilari, ac benigna fronte eidem exoluenda, quæ in cæteros Ordinis nostri Fundatores, Benefactoresque conferri solent, quæque ijs præstanda seriò monuit sanctissimus noster Patriarcha. Quod quidem si a vobis, vt certò speramus, & summoperè cupimus, peractum fuerit, quam erga eum grati animi significationem dederitis, nulla vnquam nostri obscurandam pollicemur obliuione. Quibus verò, si nequeat agere, vel referre gratias non valebimus, immortales tamen erimus habituri in quorum fidem, &c.

1. Noto quòd priuilegia Fundatorum nostri Ordinis sunt in triplici differentia. Alia enim sunt illis concessa iure communi. Alia iure priuilegiorum. Et alia iure Regulæ nostræ, aut constitutionum. Iure communi Fundatoribus competunt tria iura. 1. est ius onerosum, per quod ipse Fundator tenetur Monasterium defendere, & protegere. 2. est ius vtile, per quod Fratres tenentur Fundatorem ad paupertatem redactum alere. 3. est ius honorificum, per quod Fundatores debent in Ecclesia, quam fundarunt, in omnibus præ cœteris honorari. Sed de his dixi plenius tom. 3. priuil. regul. cap. 3. à num. 25.

2. Iure priuilegiorum habent maxima priuilegia nostri Fundatores. Et 1. ipsi, & eorum liberi vtriusque sexus, tam procreati tempore fundationis, quam in posterum procreandi gaudent omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, gratijs, libertatibus, exemptionibus, indultis, concessionibus, & indulgentijs, quibus fruuntur Fratres ipsi. Ita concessit Iulius II. vt constat, ex eius constit. 1. §. 24. tom. 1. nostr. priuil. circa quem §. Vide quæ ibi dico, num. 52. vbi in specie noto, quòd fruuntur omnibus gratijs spiritualibus, quibus Fratres ipsi, v. G. possunt absolui ab ijs casibus, à quibus possunt absolui Fratres. Fruuntur omnibus indulgētijs, quibus fruuntur Religiosi, etiā post constitutionē Pauli V. de indulgentijs. Possunt adesse diuinis tempore interdicti, modo interdicto causā nō dederint. 2. gaudēt omnibus bonis spiritualibus, ieiunijs, orationibus, &c. quæ per vniuersum Ordinem tam à Fratribus, quam a Monialibus fiunt; & hoc, etiamsi literas participationum non habeant; eo enim ipso quòd Fundatores declarantur, illis censentur dictæ participationes concessæ. Ita concessit idem Iulius loc. cit. in const. eius 4. §. 5. 3. eo ipso quòd sunt in Fundatores recepti, habent facultatem lucrandi Indulgentiam plenariam semel in vita ad suum beneplacitum, & etiam in morte. Ita concessit Idem Iulius loc. cit. in const. eius 1. § 39. 4. dicendo quinquies orationem dominicam, & toties salutationem angelicam in ecclesia, vel in oratorio, aut domo propria, vel alibi, temporibus stationum, lucrantur omnes indulgentias, quas lucrantur illi, qui dictis temporibus personaliter visitant Ecclesias tam intra, quam extra Vrbem. Ita concessit Iulius II. loc. cit.

3. Iure verò regulæ nostræ. 1. possunt Fundatrices ingredi cum sua comitiua in omnes Conuentus nostræ Religionis. Ita statuitur in Regula, num. 23. Correct. num. 39. cum declaratione cap. Tolosani, num. 21. Et habetur etiam in const. 7. Clementis VII. §. 2. tom. 1. nostr. priuil. vbi etiam §. 3. declaratur, quæ sint Fundatrices. Quod priuilegium est in viridi obseruantia, vt probo to. 1. priuil. in const. 6. Iulij II. à num. 6.

4. De filiabus, & neptibus Fundatricum, an possint similiter ingredi dicta Monasteria, dubitari potest, cum priuilegium patroni ad hæredes transeat. Circa hoc punctum, in Capitulo nostro generali Romæ 7. celebrato, num. 19. statuitur, quòd filiæ Fundatricum possint ingredi nostros Conuentus, non tamen filiæ filiarum, seu neptes dictarum Fundatricum, & in Cap. Massil. 2. nu. 41. statuitur, quòd filiæ fundatricū possint viuen-

viuente matre etiam absente, Conuentus nostros ingredi: & declaratur non licere filiabus naturalibus Fundatorũ, siue Fundatricum defectu legitimitatis Conuentus nostros intrare. Sed non apparet, cur neptes excludantur a materno iure. Addito, quòd Iulius II. tom. 1. nostr. priuil. in const. eius 2. §. 14. concedit, quod Fundatrices, & earum filiæ procreatæ, & procreandæ fruantur priuilegijs Fundatricum. Quare loc. cit. in const. 7. Clem. VII. num. 3. dicit, quòd Fundatricibus succedunt omnes filiæ per capita, filiæ verò filiarum succedunt per stirpes. Atq; ita prima filia filiæ Fundatricis, alijs filiabus exclusis, seù prima neptis Fundatricis, potest hoc priuilegio vti. Quod collegi ex arbore iuris patronatus. Et nunc etiam confirmo; nam non video, cur neptes (nisi aliud pactum intercedat) debeant hoc priuilegio priuari. Quare illud statutum Capituli Romani intelligendum est iuxta dicta, quòd scilicet prohibeat omnes filias filiarum, seu omnes neptes Fundatricum ingredi in nostros Conuentus; non tamen quod prohibeat, primas neptes per stirpes ingredi, nam alioqui priuaret illas neptes iure, quod illis competit per ius commune, & damnificaret Religionẽ; possent enim ex hoc aliquæ matronæ retardari munere Fundatricum recipiendo. Et denique cum ius commune id illis concedat, & Papa nullibi prohibeat, non est credendum velle Religionem sibi, & suis Fundatricibus præiudicare, cap. *Sollicitæ* de restit. spol.

5. Secundò. Possunt nostri Fundatores cum suis famulis in nostrorũ Conuentuum infirmarijs carnes comedere, ita statutũ est in c. Massil. 3. nu. 36. quantumuis alijs sine Breui apostolico non concedatur ex cap. Genuensi 1. num. 32.

LITERA G.

CAP. I.

De forma, qua generalis declarat, aliquem in Capitulo generali electum fuisse Patronum, ac Protectorem alicuius Prouinciæ,

Excellentissimo D. D. N. Principi, &c.

FRATER N. *Ordinis N. Generalis indignus P. P. P. Religionis nostræ minimæ vitis in excelso plantatæ charitatis monte, principes viros, ac operarios, qui ad eam, vel sepiendam, uel excolendam non nihil opis contulerint, præcipuis quibusdam titulis, ac nominibus consueuit venerari. Cum inter plurimos igitur, nec ignobiles illi eiusdem colonos, Excellentiam tuam, gloriosissime Princeps, peculiari quadam existimaueris obseruantia dignam generalis Patrum nostrorum consessus; facere non potuit, quin, ut florescentem apud se gratiam custodiret, Fundatorem priùs, dein verò, Prouinciæ N. votis respondens, Protectorem, ac Patronum acclamaret. Nec eos sanè fefellit opinio. Id namque, & commemorabilis in omnes annos beneuolentia exposcebat, qua nascentem olim Prouinciam N. totamque nostram Religionem in suam fidem, & clientelam susceperunt maiores tui. Id & maxima beneficia, quibus nos eousque obstrinxit, & cumulauit Domus tua, vt Principis N. Fratres, vel ab ipso iam tum surgentis Ordinis exordio, Parentum dignatione, vocarentur nostri Religiosi. Id tandem quotidiana illa efflagitare videbantur pietatis, ac liberalitatis officia, quibus nos Excellentia tua deditissimos veluti filios nunquam desinis consectari. Quamobrem cum eorum quæ in generalibus Comitijs sancita esse noscuntur, executio ad nos, tanquam præcipuos vitis eiusdem custodes, maximè pertineat, Excellentiã, Dominationem tuam in benemeritum Prouinciæ nostræ N. Patronum, ac Protectorem assumptum, & cum gratiarum actione exceptum fuisse omnibusque proinde gratijs, fauoribus, ac indultis, quæ cæteris alijs Protectoribus, ac Patronis impertita sunt, frui, & gaudere meritò posse, ac valere; harum serie, & vi decernimus, ac declaramus. Demum verò, temporalibus hisce titulis spirituales etiam, in maius propensæ voluntatis argumentum, diuitias adiungere cupientes, eam quoque ad omnium missarum, orationum, suffragiorum, meditationum, prædicationum, peregrinationum, abstinentiarum, omniumque bonorum, quæ per vniuersos nostri Ordinis Fratres, ac Sorores fieri donauerit auctor bonorum Iesus Christus, earundem præsentium tenore participationem, communionemque venerabundi suscipimus. Quo scilicet spiritualibus istis fulta subsidijs, sempiternam gloriam faciliùs consequatur. In quorum fidem &c.*

CAP. II.

De forma, qua Generalis scribit, hortando iuuenes ad studendum.

FRATER N. *Ordinis N. Generalis, Vniuersis in Christo filijs charissimis Collegij nostri N. studentibus salutem. Quòd ad literarum studia non remissè, sed alacriter capessenda vos interpellem, verecundia inest, ac*

gene-

pone Religio? Vos ne ergo ad id, ad quod natura ipsa impellit, status prouocat, professioque cogit adhortor. Omnes homines natura scire desiderant, *dixit Philosophus. Scientia verò haud sinè labore paritur, & studio (si labor tamen in discendo est, non magis voluptas) Et cum Religiosorum omnium status, ac ratio in diuinorum contemplatione maximè consistat, hæc autem non nisi in sacrarum literarum studio reperiatur, quid aliud sanè ex instituti vestri ratione cõsequi videtur, quàm vt totis vos animis literis dedicetis, nullusque effluat dies, in quo uel aliquotulas moras, in eis non impendatis. Cũque uestram haud tantùm, (nec enim nobis solùm nati) sed & proximorum, publicè, priuatimque docendo, curare salutem profiteamini literarum scientiam negligentes, quid alios docebitis? legis doctrinam à uobis, quo pacto exquiret uulgus imperitum & qui paruulorũ mentes illustrabitis, in tenebris ambulando? Magni Gregorij excipite uerba.* Qui ad officiũ prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant? *Studijs ergo uiribus totis incendite religiosi iuuenes, filijque charissimi; ad studia non segnis anhelet animus, sedulum illis insudet ingenium; hoc præsertim ætatis flore literis accommodatissimo. Parate in iuuentute, quo uti ualeatis in senio. Adolescentia æstate colligite, quod opportunè deinceps in uestrũ, aliorumque cõmodum dispergatis. Nullum est, mihi credite, ornamentum, quod uestram magis deceat, et decoret ætatem, nulla ratio, qua sustinere meliùs, tuerique possitis expectationem, quam nõ exiguam de uobis sibi tota promittit Religio; nihil, quod ad excolendum animum, & rectè, sanctèque uiuendum plus afferat momenti. Hinc enim certam uestram facietis uocationem; hinc uires sumetis ad extendendam immortalitatem, & honestissimam nominis gloriam propagandam; hinc denique (quod omnium potissimum quæritur) facilius iter uobis struere poteritis ad beatam cæli perennitatẽ. Sic tamen adhibendam scientiam, sic suscipiendam doctrinam existimate, ut memineritis, sinè uerà pietate, Deique timore esse uanum omne, quod discimus; & illud uerissimè scriptum,* Scientia inflat, Charitas autem ædificat. *Sic in amore uiuite literarum, ut nullis uoluptatibus, nullisuè illecebris abducamini. Ita scientiarum studijs uacate, ut deuotionis tamen feruor, & disciplinæ censura minimè remittatur. Illud uenerandæ memoriæ Reuerendissimi Patris Lamarc Ordinis Minimorum Generalis illustrè dicterium animo identidem reuoluentes,* Maledictum studium, quod impedit deuotionis feruorem. *Contra uero cogitate,* scientiam, *ex Bonauenturæ sententia,* quæ pro virtute despicitur, per virtutẽ postmodùm meliùs inueniri. *Nil prosunt, mihi credite, sinè pietate literæ, nil sinè deuotione scientia. Scientiam Christi soli Christi sequaces, & mundi cõtemptores assequuntur: nec ad scientiæ lumen proceditur, nisi germen iustitiæ præcedat in anima. Ea quæso animis vestris numquam excidant beatissimi Patris Francisci à Paula Doctorum hominum studiosissimi ad Ioannem Quintinum aurea verba.* Sic, *namque aiebat,* literis deludandũ, vt earum nihilominus piæ voluntatis, sanctæque operationis feruor comes esset indiuiduus; sic doctrinæ studium amplectendum, vt bonorum tamen operum exemplo cæteris quisque prodesse valeret. *Pari itaque gressu in hoc binio incedendum:* Nam & *sanctitudo sinè scientia plerumque errat, vel non plenè elucescit, & scientia sinè sanctitudine vitiorum scatet vermibus, ac sordescit: Cum verò eas constat veluti indiuisa copula cõuenire nihil vtilius, nihil honestius in humana vita potest excogitari. O nos beatos, qui primos ætatis annos literis dedicastis; iacta in vobis sunt semina, de quibus vberrimi fructus sunt nascituri, quos facilè dabitis, si cum pietate, Deique timore in studijs vixeritis literarũ. Valete, & vestras pergite pro nobis ad Deum fundere preces, cuius benedictio sit super vos semper in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen Datum, &c.*

Noto, quòd in his adhortationibus debent Prælati esse multum solliciti, nam studia literarum inseruiunt multùm, & ad stabiliendam catholicam Ecclesiam, & ad honorandam, & augendam religionem, & quamplurimum ad disciplinam regularem introducendam, & conseruandam, *ama enim,* inquit Hieronymus, *studia literarum, & carnis lasciuiam non amabis;* Ad hoc facit symbolum illud, quod affert Syluester Petrasancta vir in omni literarum genere eruditus de symbolis Heroicis lib. 9. cap. 3. vbi picto Heliconis colle, addit Lemma *Adimunt mea pascua virus,* nam sicut illius collis pascua colubris venenum mitigant, vt aiunt, ita etiam literarum studia vim habent ad mentium vitia persananda, & ad permotiones prauas animi sedandas. Petrasancta.

CAP.

CAP. III.

De forma literarum pastoralium, quas solent Generales ad subditos scribere.

§. 1. FRATER Ægidius Camart, Rebeliensis, totius Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Corrector generalis licèt immeritus. Omnibus Reuerendis Patribus Prouincialibus, Correctoribus, Vicarijs, & alijs Fratribus in eodē Ordine Domino famulantibus sibi dilectis filijs in Christo Iesu salutem in eo, qui mandat salutes Iacob. Vt primum ad nostræ Minimitanæ familiæ regimen, Domino ita disponente, assumpti fuimus, in id tota mentis acie intendimus, vt quæ ad Dei obsequium, Religionis nostræ augmentum, Fratrumque in ea degentium quietem pertinent, omni conatu prosequeremur. Cui fini consequendo cum impares in nobis animi, corporisque vires nulla merita varios defectus animaduerteremus, inuasit nos sollicitudo non modica ne boni, perfectique regiminis administratio, quam ab vnius cuspitis electione omnes undique Fratres sperabant, aliquā ex nostra insufficientia remoram pateretur. Nec uana timoris causa si in humana tantùm ope, nostrisque omnino uiribus conquiescendum foret. Tot enim sunt, & tam multiplices miseriarum nostrarum, atque defectuum aceruī, ut facili negotio animo nostro diffidere possimus, nisi aliunde subleuetur. Itaque ad montes æternos oculorum aciem conuertere necessarium fuit, bonorumque omnium largitor Deus, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, toto cordis affectu conueniendus, quatenus ab illius immensa liberalitate eas omnes animi dotes, quæ ad Generalatus onus integrè sustinendum desiderantur, excipiamus. Vestra omnium interest, dilectissimi filij, qui in Beati Patris Nostri Francisci de Paula castris sub Charitatis uexillo dimicatis; deque communi omnium salute agitur, cum de persistē Pastoris, qui pro uniuerso grege excubias agat, iusto, ac sancto regimine agitur; hæ omnium partes sunt; atque ideo intimis animæ desiderijs, ac suspirijs, frequentique oratione Deum pulsare conuenit, ut pro infinita sua liberalitate ex abundantibus misericordiæ suæ thesauris ea nobis Spiritus sancti charismata effundere dignetur, quę ad legitimam concrēditi nobis officij administrationem pro omnium Fratrum salute sunt necessaria. Fauet quidem nostris desiderijs, communique Ordinis vtilitati Illustrissimi, ac Reuerendissimi Principis, ac D. Cardinalis Aldobrandini totius Minimitanæ familiæ Protectoris Zelātissimi insignis in Deū pietas, in rebus agendis prudentia, in Religionis negotijs administrandis charitas, in Fratres omnes beneuolentia, vt meritò sperare possimus sub tanti Protectoris moderatione pristinum Ordinis florem redire posse; quem certè non solùm tanquam à Sanctissimo Domino Gregorio Papa nobis donatum, sed cælesti Numine bene nobis volente; demissim suspicere, ac venerari debemus, ob singulares tanti Principis virtutes. Ille tamen, vt est in Deum vehementer affectus, diuinam etiam nobis opem adesse desiderat. Hoc igitur primùm à vobis postulamus dilectissimi filij, vt per singulas Ordinis nostri Prouincias quilibet Prouincialis in præcipuis Conuentibus quadraginta horarū Orationē instituat; in alijs verò, vbi exiguus Fratrum numerus est, specialia quædam exercitiorū genera maximè vero in augustissimo missæ Sacrificio indicere satagat, quatenus Minimitana nostra familia sub Dei tutela nouis virtutū incrementis augeatur; regularis obseruantia uigor restoreatur, fit in ea votorum Deo nuncupatorum integra persolutio; charitatis nexus feliciter astringatur; vigeat vnanimis omnium in Dei obsequio consensus; pacis diuinæ fœdera singulos in inuicem consocient; & (quod maximè necessarium est) humilitatem nostram misericordiæ suæ oculis intueatur, virtute muniat, veritatis suæ scuto protegat; donis cælestibus ad commune totius Religionis bonum exornet; illoque Spiritus sui splendore superinduat, qui Ordini nostro regendo, vobisque omnibus in ea, quam professi estis, viuendi ratione conseruandis necessarius est.

§. 2. Porrò orationum nostrarum incensum in Dei conspectu dirigetur, atque inde fructus non vulgaris exurget, si quæ sunt diuini seruitij, diurnum videlicet, nocturnumque officium sedulò exhibeamus. Quid enim aliud vnumquemque nostrum ab illecebris mundi, à sæculi delitijs auulsit, at que in hanc Minimitanæ Religionis eremum sub Sancti Patris Francisci de Paula vexillo euocauit, nisi diuini cultus inspirata charitas, feruensque diuini honoris zelus? Videte ergo, ne opus Dei fraudulenter fiat inter vos, sed iuxta Regulæ præscriptam horis assuetis cum timore, & reuerentia diuinum officium persoluere curetis. Nec quisquam temerè, aut sine legitima, atque non vulgari causa chorum sua præsentia

sentia fraudet ; sed omnes vbique vnanimes vno ore Dei laudes recitent.

§. 3. *Adhibenda quoque vobis est diligentia, ne omittatur meditationis ordinariæ studium ; sed statis horis in Ecclesiam coadunari debetis, vt ibidem orationis mentalis adipe corda Fratrum saginentur. Diffiniant igitur Patres Prouinciales commodum aliquod tempus, quo in commune conuenientes, cælesti huic exercitio uacare possitis. Ad quod certè vehementer nos hortatur sanctissimus Patriarcha noster.*

§. 4. *Quia uerò sacræ Religionis corpus non ex solo capite constat, sed etiam uaria membrorum compage, quorum unumquodque, iuxta sibi conuenientem qualitatem, capiti adminiculum præbeat ; ea ratione commendatam nobis habemus electionem superiorum omnium, qui nobis ueluti uiua, & sana membra cooperari debent. Quos uerò maximè desideremus, paucis accipite.*

§. 5. *Primùm eligantur à uobis in Prouinciales, & Correctores, qui zelum Dei habeant ; Patres prudentia maturi, in oratione feruentes, & assidui, qui spirituali discretione polleant ; qui regularis obseruantiæ sint tenaces ; deinde sint immunes ab omni auaritia, quæ idolorum est seruitus ; qui manus excutiant à munerum acceptione ; qui in religiosa paupertate conquiescant : decet enim eos, qui ad Religionis moderationem uocantur, commune Religionis bonum sibi proponere, Fratrumque suorum consolationem ; non autem propriæ, priuatęque utilitati deseruire.*

§. 6. *Certè, si quos uouerimus sinistro fauore, aut furtiuis munerum, donorumque pollicitationibus ad aliquem Superioritatis gradum ascendisse, uix ei committendam iudicabimus, uel unicam dominici gregis ouiculam, qui in illis non Christum, sed exteriora quęsierit. Porrò nobiscum perpendite, quantùm mali ex hoc corrupto fonte oriatur. Hinc enim profluit peruersi, ac contagiosi exempli labes ; fieri enim nequit, ut inferiorum Officialium, quorum plurimi in singulis Conuentibus degunt, manus ab huiusmodi largitionibus sint immunes, cum uiderint Superiores in consimili cęno uolutari ; at qui mundis manibus addiderit fortitudinem, ipsos etiam radicitùs euertet, qui quouis prętextu proprijs commodis inhiabunt.*

§. 7. *Bonam Superiorum electionem proximè comitatur religiosa nouitiorum informatio : sunt enim tenellę Ordinis plantę, nouella germina, ex quibus oriuntur præclaræ Patrũ propagines, si in tenella ętate bonis moribus, religiosę uitę exercitijs, ac uerę, solidęque pietatis studio assueuerint. Nostis constitutiones fel. mem. Clementis VIII. quę si adamussim seruentur, maximè uero in tyronibus, & nouitijs erudiendis, non uulgarem Ordini nostro gloriam afferent. Satagite ergo, ut in qualibet Prouincia seminaria iuuenum ad Ordinem nostrum maxima cum discretione admittendorum erigantur, illisque pręficiantur, optimi quique Informatores, uiri in spirituali uita exercitati, regularis obseruantię tenaces, discretionis spiritu imbuti, & qui ex intimis animę pręcordijs charitatis zelum hauserint, ut eumdem in concreditos sibi tyrones feliciter infundant.*

§. 8. *Porrò qui in tyrocinio, ac nouitiatu bene fuerint instituti, haud dubiè suaui obedientiæ iugo se, suaque omnia subijcient, cum obedientia inter cætera vota, quæ Deo nuncupauimus, primatum teneat. Illa est, dilectissimi filij, quam præcipuè colere debemus, nec facilè illius vinculum dissolui potest, quin continuò totiùs Religionis machina dispereat. Scitis ex diuinæ Scripturæ testimonio, quàm seuerè cælestis vltio in rebelles, atque inobedientes animaduertat, & quanta malorum congeries ex obedientiæ contemptu mortales oppresserit. Nostri muneris est, vnumquemque vestrum in Domino cohortari, vt sanctam hanc, & religiosam virtutem sartam tectam custodiatis. Discant subditi maiorum imperijs non reluctari, sed humiliter parere, discant maiores Regulæ institutis, & legibus obsequi ; nec tolerandos sibi putent rebelles, sed seuerissimè in aliorum exemplum castigandos.*

§. 9. *At quoniam fieri nequit, vt perfectæ obedientiæ tenor illibatus permaneat, nisi priùs corda ab omni terrenarum rerum ambitu, ac desiderio pœnitus euacuentur, hoc in animo sibi quisque proponat, frustra exteriorem quamdam obedientiæ faciem ostentari, nisi interiùs solidas, ac veras radices in mente egerit ; non est enim coacta, aut violenta Religiosorum obedientia, sed spontaneè, ac voluntariè assumpta. Quis verò se Domino voluntariè sacrificaturum in humilitatis subiectione speret, nisi renunciationis perfectæ spiritum, idest paupertatis amorem, induerit ? Sic enim legimus, sanctissimum Patriarcham nostrum mundi blandimenta contempsisse, hostemque superbum fortiter dimi-*

CAP. III.

De forma literarum pastoralium, quas solent Generales ad subditos scribere.

§. 1. FRATER Ægidius Camart, Retbeliensis, totius Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Corrector generalis licèt immeritus. Omnibus Reuerendis Patribus Prouincialibus, Correctoribus, Vicarijs, & alijs Fratribus in eodē Ordine Domino famulantibus sibi dilectis filijs in Christo Iesu salutem in eo, qui mandat salutes Iacob. Vt primum ad nostra Minimitanæ familiæ regimen, Domino ita disponente, assumpti fuimus, in id tota mentis acie intendimus, vt quæ ad Dei obsequium, Religionis nostræ augmentum, Fratrumque in ea degentium quietem pertinent, omni conatu prosequeremur. Cui fini consequendo cum impares in nobis animi, corporisque vires nulla merita varios defectus animaduerteremus, inuasit nos sollicitudo non modica ne boni, perfectique regiminis administratio, quam ab vnius capitis electione omnes undique Fratres sperabant, aliquā ex nostra insufficientia remoram pateretur. Nec uana timoris causa si in humana tantùm ope, nostrisque omnino uiribus conquiescendum foret. Tot enim sunt, & tam multiplices miseriarum nostrarum, atque defectuum aceruī, ut facili negotio animo nostro diffidere possimus, nisi aliunde subleuetur. Itaque ad montes æternos oculorum aciem conuertere necessarium fuit, bonorumque omnium largitor Deus, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, toto cordis affectu conueniendus, quatenus ab illius immensa liberalitate eas omnes animi dotes, quæ ad Generalatus onus integrè sustinendum desiderantur, excipiamus. Vestra omnino interest, dilectissimi filij, qui in Beati Patris Nostri Francisci de Paula castris sub Charitatis uexillo dimicatis; atque communi omnium saluti agitur, cum de periculi Pastoris, qui pro uniuerso grege excubias agat, iusto, ac sancto regimine agitur; hæ omnium partes sunt; atque ideo intimis animæ desiderijs, ac suspirijs, frequentique oratione Deum pulsare conuenit, ut pro infinita suo liberalitate ex abundantibus misericordiæ suæ thesauris ea nobis Spiritus sancti charismata effundere dignetur, quæ ad legitimam concrediti nobis officij administrationem pro omnium Fratrum salute sunt necessaria. Patet quidem nostris desiderijs, communique Ordinis vtilitati Illustrissimi, ac Reuerendissimi Principis, ac D. Cardinalis Aldobrandini totius Minimitanæ familiæ Protectoris Zelātissimi insignis in Deū pietas, in rebus agendis prudentia, in Religionis negotijs administrandis charitas, in Fratres omnes beneuolentia, vt meritò sperare possimus sub tanti Protectoris moderatione pristinum Ordinis florem redire posse; quem certè non solùm tanquam à Sanctissimo Domino Gregorio Papa nobis donatum, sed cælesti Numine bene nobis volente; demissum suspicere, ac venerari debemus, ob singulares tanti Principis virtutes. Ille tamen, vt est in Deum vehementer affectus, diuinam etiam nobis opem adesse desiderat. Hoc igitur primùm à vobis postulamus dilectissimi filij, vt per singulas Ordinis nostri Prouincias quilibet Prouincialis in præcipuis Conuentibus quadraginta horarū Orationē instituat; in alijs verò, vbi exiguus Fratrum numerus est, specialia quædam exercitiorū genera maximè vero in augustissimo missæ Sacrificio indicere satagat; quatenus Minimitana nostra familia sub Dei tutela nouis virtutū incrementis augeatur, regularis obseruantiæ vigor restoreat, sit in ea votorum Deo nuncupatorum integra persolutio; charitatis nexus feliciter astringatur; vigeat vnanimis omnium in Dei obsequio consensus; pacis diuinæ fœdera singulos ad inuicem consocient; & (quod maximè necessarium est) humilitatem nostram misericordiæ suæ oculis intueatur, virtute muniat, veritatis suæ scuto protegat; donis cælestibus ad commune totius Religionis bonum exornet, illoque Spiritus sui splendore superinduat, qui Ordini nostro regendo, vobisque omnibus in ea, quam professi estis, viuendi ratione conseruandis necessarius est.

§. 2. Porrò orationum nostrarum incensum in Dei conspectu dirigetur, atque inde fructus non vulgaris exurget, si quæ sunt diuini seruitij, diurnum videlicet, nocturnumque officium sedulò exhibeamus. Quid enim aliud vnumquemque nostrum vbi vbi mundi, à sæculi delitijs auulsit, & qui in hunc Minimitanæ Religionis eremum sub Sancti Patris Francisci de Paula vexillo introduxit, nisi diuinitùs inspirata charitas, feruensque diuini honoris zelus? Videte ergo, ne opus Dei fraudulenter faciatis vos, sed iuxta Regulæ præscriptum horis assuetis cum timore, & reuerentia diuinum officium persoluere curetis. Nec quisquam temerè, aut sine legitima, atque non vulgari causa chorum sua præ-

sentia

sentia fraudet; sed omnes vbique vnanimes vno ore Dei laudes recitent.

§. 3. Adhibenda quoque vobis est diligentia, ne omittatur meditationis ordinaria studium; sed statis horis in Ecclesiam coadunari debetis, vt ibidem orationis mentalis adipe corda Fratrum saginentur. Diffiniant igitur Patres Prouinciales commodum aliquod tempus, quo in commune conuenientes, cælesti huic exercitio uacare possitis. Ad quod certè vehementer nos hortatur sanctissimus Patriarcha noster.

§. 4. Quia uerò sacra Religionis corpus non ex solo capite constat, sed etiam uaria membrorum compage, quorum unumquodque, iuxta sibi conuenientem qualitatem, capiti adminiculum præbeat; ea ratione commendatam uobis habemus electionem superiorum omnium, qui nobis ueluti uina, & sana membra cooperari debent. Quos uerò maximè desideremus, paucis accipite.

§. 5. Primùm eligantur à uobis in Prouinciales, & Correctores, qui zelum Dei habeant; Patres prudentia maturi, in oratione ferventes, & assidui, qui spirituali discretione polleant; qui regularis obseruantiæ sint tenaces; deinde sint immunes ab omni auaritia, quæ idolorum est seruitus; qui manus excutiant à munerum acceptione; qui in religiosa paupertate conquiescant: decet enim eos, qui ad Religionis moderationem uocantur, commune Religionis bonum sibi proponere, Fratrumque suorum consolationem; non autem propriæ, priuatęque utilitati deseruire.

§. 6. Certè, si quos nouerimus sinistro fauore, aut furtiuis munerum, donorumque pollicitationibus ad aliquem Superioritatis gradum ascendisse, nix ei committendam iudicabimus, uel unicam dominici gregis ouiculam, qui in illis non Christum, sed exteriora quęsierit. Porrò nobiscum perpendite, quantùm mali ex hoc corrupto fonte oriatur. Hinc enim profluit peruersi, ac contagiosi exempli labes; fieri enim nequit, ut inferiorum Officialium, quorum plurimi in singulis Conuentibus degunt, manus ab huiusmodi largitionibus sint immunes, cum uiderint Superiores in consimili cœno uolutari; at qui mundis manibus addiderit fortitudinem, ipsos etiam radicitùs euertet, qui quouis prętextu proprijs commodis inhiabunt.

§. 7. Bonam Superiorum electionem proximè comitatur religiosa nouitiorum informatio: sunt enim tenellę Ordinis plantę, nouella germina, ex quibus oriuntur præclarę Patrū propagines. si in tenella ętate bonis moribus, religiosę uitę exercitijs, ac uerę, solidęque pietatis studio assueuerint. Nostis constitutiones fel. mem. Clementis VIII. quę si adamussim seruentur, maximè uero in tyronibus, & nouitijs erudiendis, non uulgarem Ordini nostro gloriam afferent. Satagite ergo, ut in qualibet Prouincia seminaria iuuenum ad Ordinem nostrum maxima cum discretione admittendorum erigantur, illisque pręficiantur, optimi quique Informatores, uiri in spirituali uita exercitati, regularis obseruantię tenaces, discretionis spiritu imbuti, & qui ex intimis animę pręcordijs charitatis zelum hauserint, ut eumdem in concreditos sibi tyrones feliciter infundant.

§. 8. Porrò qui in tyrocinio, ac nouiciatu bene fuerint instituti, haud dubiè suaui obedientiæ iugo se, suaque omnia subijcient, cum obedientia inter cætera vota, quæ Deo nuncupauimus, primatum teneat. Illa est, dilectissimi filij, quam præcipuè colere debemus, nec facilè illius vinculum dissolui potest, quin continuò totiùs Religionis machina dispereat. Scitis ex diuina Scriptura testimonio, quàm seuerè cælestis vltio in rebelles, atque inobedientes animaduertat, & quanta malorum congeries ex obedientiæ contemptu mortales oppresserit. Nostri muneris est, vnumquemque vestrum in Domino cohortari, vt sanctam hanc, & religiosam virtutem sartam tectam custodiatis. Discant subditi maiorum imperijs non reluctari, sed humiliter parere; discant maiores Regulæ institutis, & legibus obsequi; nec tolerandos sibi putent rebelles, sed seuerissimè in aliorum exemplùm castigandos.

§. 9. At quoniam fieri nequit, vt perfectæ obedientiæ tenor illibatus permaneat, nisi priùs corda ab omni terrenarum rerum ambitu, ac desiderio penitus euacuentur, hoc in animo sibi quisque proponat, frustra exteriorem quamdam obedientiæ faciem ostentari, nisi interiùs solidas, ac veras radices in mente egerit; non est enim coacta, aut violenta Religiosorum obedientia, sed spontaneè, ac voluntariè assumpta. Quis verò se Domino voluntariè sacrificaturum in humilitatis subiectione speret, nisi renunciationis perfectæ spiritum, idest paupertatis amorem, induerit? Sic enim legimus, sanctissimum Patriarcham nostrum mundi blandimenta contempsisse, hostemque superbum fortiter dimi-

CAP. III.

De forma literarum pastoralium, quas solent Generales ad subditos scribere.

§. 1. FRATER Ægidius Camart, Retbeliensis, totius Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Corrector generalis licèt immeritus. Omnibus Reuerendis Patribus Prouincialibus, Correctoribus, Vicarijs, & alijs Fratribus in eodẽ Ordine Domino famulantibus sibi dilectis filijs in Christo Iesu salutem in eo, qui mandat salutes Iacob. Vt primum ad nostræ Minimitanæ familiæ regimen, Domino ita disponente, assumpti fuimus, in id tota mentis acie intendimus, vt quæ ad Dei obsequium, Religionis nostræ augmentum, Fratrumque in ea degentium quietem pertinent, omni conatu prosequeremur. Cui fini consequendo cum impares in nobis animi, corporisque vires nulla merita varies defectus animaduerteremus, inuasit nos sollicitudo non modica ne boni, perfectique regiminis administratio, quam ab vnius capitis electione omnes undique Fratres sperabant, aliquã ex nostra insufficientia remoram pateretur. Nec uana timoris causa si in humana tantùm ope, nostrisque omnino uiribus conquiescendum foret. Tot enim sunt, & tam multiplices miseriarum nostrarum, atque defectuum aceruí, ut facili negotio animo nostro diffidere possimus, nisi aliunde subleuetur. Itaque ad montes æternos oculorum aciem conuertere necessarium fuit, bonorumque omnium largitor Deus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, toto cordis affectu conueniendus, quatenus ab illius immensa liberalitate eas omnes animi dotes, quæ ad Generalatus onus integrè sustinendum desiderantur, excipiamus. Vestra omnino interest, dilectissimi filij, qui in Beati Patris Nostri Francisci de Paula castris sub Charitatis uexillo dimicatis; deque communi omnium salute agitur, cum de periti Pastoris, qui pro uniuerso grege excubias agat, iusto, ac sancto regimine agitur; hæ omnium partes sunt; atque ideo intimis animæ desiderijs, ac suspirijs, frequentique oratione Deum pulsare conuenit, ut pro infinita sua liberalitate ex abundantibus misericordiæ suæ thesauris ea nobis Spiritus sancti charismata effundere dignetur, quæ ad legitimam concrediti nobis officij administrationem pro omnium Fratrum salute sunt necessaria. Fauet quidem nostris desiderijs, communique Ordinis vtilitati Illustrissimi, ac Reuerendissimi Principis, ac D. Cardinalis Aldobrandini totius Minimitanæ familiæ Protectoris Zelãtissimi insignis in Deũ pietas, in rebus agendis prudentia, in Religionis negotijs administrandis charitas, in Fratres omnes beneuolentia, vt meritò sperare possimus sub tanti Protectoris moderatione pristinum Ordinis florem redire posse; quem certè non solùm tanquam à Sanctissimo Domino Gregorio Papa nobis donatum, sed cælesti Numine bene nobis volente; demissam suspicere, ac venerari debemus, ob singulares tanti Principis virtutes. Ille tamen, vt est in Deum vehementer affectus, diuinam etiam nobis opem adesse desiderat. Hoc igitur primùm à vobis postulamus dilectissimi filij, vt per singulas Ordinis nostri Prouincias quilibet Prouincialis in præcipuis Conuentibus quadraginta horarũ Orationẽ instituat; in alijs verò, vbi exiguus Fratrum numerus est, specialia quædam exercitiorũ genera, maximè vero in augustissimo missæ Sacrificio indicere satagat; quatenus Minimitana nostra familia sub Dei tutela nouis virtutũ incrementis augeatur, regularis obseruantiæ vigor refloreat, sit in ea votorum Deo nuncupatorum integra persolutio; charitatis nexus feliciter astringatur; vigeat vnanimis omnium in Dei obsequio consensus; pacis diuinæ fœdera singulos ita inuicem consocient; & (quod maximè necessarium est) humilitatem nostram misericordiæ suæ oculis intueatur, virtute muniat, veritatis suæ scuto protegat; donis cælestibus ad commune totius Religionis bonum exornet, illoque Spiritus sui splendore superinduat; qui Ordini nostro regendo, vobisque omnibus in ea, quam professi estis, viuendi ratione conseruandis necessarius est.

§. 2. Porrò orationum nostrarum incensum in Dei conspectu dirigetur, atque inde fructus non vulgaris exurget, si quæ sunt diuini seruitij, diurnum videlicet, nocturnumque officium sedulò exhibeamus. Quandonam aliud vnumquemque nostrum ab vorticibus mundi, à sæculi delitijs auulsit, et quæ in hanc Minimitanæ Religionis eremum sub Sancti Patris Francisci de Paula vexillo inuexit, nisi diuinitus inspirata charitas, feruensque diuini honoris zelus? Videte ergo, ne opus Dei fraudulenter fiat inter vos, sed iuxta Regulæ præscriptum horis assuetis cum timore, & reuerentia diuinum officium persoluere curetis. Nec quisquam temerè, aut sine legitima, atque non vulgari causa chorum sua præ-

sentia

sentia fraudet ; sed omnes vbique vnanimes vno ore Dei laudes recitent .

§. 3. *Adbibenda quoque vobis est diligentia, ne omittatur meditationis ordinariæ studium ; sed statis horis in Ecclesiam coadunari debetis , vt ibidem orationis mentalis adipe corda Fratrum saginentur . Diffiniant igitur Patres Prouinciales commodum aliquod tempus, quo in commune conuenientes , calesti huic exercitio uacare possitis . Ad quod certè vehementer nos hortatur sanctissimus Patriarcha noster .*

§. 4. *Quia uerò sacra Religionis corpus non ex solo capite constat , sed etiam uaria membrorum compage , quorum unumquodque , iuxta sibi conuenientem qualitatem , capiti adminiculum præbeat ; ea ratione commendatam uobis habemus electionem superiorum omnium , qui nobis uelut uiua , & sana membra cooperari debent. Quos uerò maximè desideremus , paucis accipite .*

§. 5. *Primùm eligantur à uobis in Prouinciales , & Correctores , qui zelum Dei habeant ; Patres prudentia maturi , in oratione feruentes , & assidui , qui spirituali discretione polleant ; qui regularis obseruantiæ sint tenaces ; deinde sint immunes ab omni auaritia , quæ idolorum est seruitus ; qui manus excutiant à munerum acceptione ; qui in religiosa paupertate conquiescant : decet enim eos , qui ad Religionis moderationem uocantur, commune Religionis bonum sibi proponere , Fratrumque suorum consolationem ; non autem propriæ , priuatęque utilitati deseruire .*

§. 6. *Certè , si quos nouerimus sinistro fauore , aut furtiuis munerum , donorumque pollicitationibus ad aliquem Superioritatis gradum ascendisse , uix ei committendam iudicabimus , uel unicam dominici gregis ouiculam , qui in illis non Christum , sed exteriora quęsierit. Porrò nobiscum perpendite , quantùm mali ex hoc corrupto fonte oriatur . Hinc enim profluit peruersi , ac contagiosi exempli labes ; fieri enim nequit , ut inferiorum Officialium , quorum plurimi in singulis Conuentibus degunt , manus ab huiusmodi largitionibus sint immunes , cum uiderint Superiores in consimili cœno uolutari ; at qui mundis manibus addiderit fortitudinem , ipsos etiam radicitùs euertet , qui quouis prętextu proprijs commodis inhiabunt .*

§. 7. *Bonam Superiorum electionem proximè comitatur religiosa nouitiorum informatio : sunt enim tenellę Ordinis plantę , nouella germina , ex quibus oriuntur præclarę Patrũ propagines , si in tenella ętate bonis moribus , religiosę uitę exercitijs , ac uerę , solidęque pietatis studio assueuerint . Nostis constitutiones fel. mem. Clementis VIII. quę si adamussim seruentur , maximè uero in tyronibus, & nouitijs erudiendis, non uulgarem Ordini nostro gloriam afferent . Satagite ergo, ut in qualibet Prouincia seminaria iuuenum ad Ordinem nostrum maxima cum discretione admittendorum erigantur , illisque pręficiantur , optimi quique Informatores , uiri in spirituali uita exercitati , regularis obseruantię tenaces , discretionis spiritu imbuti , & qui ex intimis animę pręcordijs charitatis zelum hauserint , ut eundem in concreditos sibi tyrones feliciter infundant .*

§. 8. Porrò *qui in tyrocinio , ac nouitiatu bene fuerint instituti, haud dubiè suaui obedientiæ iugo se, suaque omnia subijcient, cum obedientia inter cætera vota , qua Deo nuncupauimus , primatum teneat . Illa est , dilectissimi filij , quam præcipuè colere debemus , nec facilè illius vinculum dissolui potest, quin continuò totius Religionis machina dispereat . Scitis ex diuina Scripturæ testimonio, quàm seuerè calestis vltio in rebelles , atquè inobedientes animaduertat , & quanta malorum congeries ex obedientiæ contemptu mortales oppresserit . Nostri muneris est , vnumquemque vestrum in Domino cohortari, vt sanctam hanc, & religiosam virtutem sartam tectam custodiatis . Discant subditi maiorum imperijs non reluctari , sed humiliter parere, discant maiores Regulæ institutis , & legibus obsequi ; nec tolerandos sibi putent rebelles , sed seuerissimè in aliorum exemplùm castigandos .*

§. 9. *At quoniam fieri nequit , vt perfectæ obedientiæ tenor illibatus permaneat, nisi priùs corda ab omni terrenarum rerum ambitu , ac desiderio penitus euacuentur , hoc in animo sibi quisque proponat, frustra exteriorem quamdam obedientiæ faciem ostentari, nisi interiùs solidas, ac veras radices in mente egerit ; non est enim coacta, aut violenta Religiosorum obedientia, sed spontaneè , ac voluntariè assumpta . Quis verò se Domino voluntariè sacrificaturum in humilitatis subiectione speret, nisi renunciationis perfectæ spiritum , idest paupertatis amorem , induerit ? Sic enim legimus , sanctissimum Patriarcham nostrum mundi blandimenta contempsisse, hostemque superbum fortiter dimicando*

CAP. III.

De forma literarum pastoralium, quas solent Generales ad subditos scribere.

§. 1. FRATER Ægidius Camart, Retheliensis, totius Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Corrector generalis licèt immeritus. Omnibus Reverendis Patribus Provincialibus, Correctoribus, Vicarijs, & alijs Fratribus in eodē Ordine Domino famulantibus sibi dilectis filijs in Christo Iesu salutem in eo, qui mandat salutes Iacob. Vt primum ad nostræ Minimitanæ familiæ regimen, Domino ita disponente, assumpti fuimus, in id tota mentis acie intendimus, vt quæ ad Dei obsequium, Religionis nostræ augmentum, Fratrumque in ea degentium quietem pertinent, omni conatu prosequeremur. Cui fini consequendo cum impares in nobis animi, corporisque vires nulla merita varios defectus animadverteremus, invasit nos sollicitudo non modica ne boni, perfectique regiminis administratio, quam ab vnius capitis electione omnes undique Fratres sperabant, aliquā ex nostra insufficientia remoram pateretur. Nec vana timoris causa si in humana tantùm ope, nostrisque omnino viribus conquiescendum foret. Tot enim sunt, & tam multiplices miseriarum nostrarum, atque defectuum acervi, ut facili negotio animo nostro diffidere possimus, nisi aliunde subleuetur. Itaque ad montes æternos oculorum aciem convertere necessarium fuit, bonorumque omnium largitor Deus, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, toto cordis affectu conveniendus, quatenus ab illius immensa liberalitate eas omnes animi dotes, quæ ad Generalatus onus integrè sustinendum desiderantur, excipiamus. Vestra omnino interest, dilectissimi filij, qui in Beati Patris Nostri Francisci de Paula castris sub Charitatis vexillo dimicatis; deque communi omnium salute agitur, cum de periti Pastoris, qui pro universo grege excubias agat, iusto, ac sancto regimine agitur; hæ omnium partes sunt; atque ideo intimis animæ desiderijs, ac suspirijs, frequentique oratione Deum pulsare convenit, ut pro infinita sua liberalitate ex abundantibus misericordiæ suæ thesauris ea nobis Spiritus sancti charismata effundere dignetur, quæ ad legitimam concrediti nobis officij administrationem pro omnium Fratrum salute sunt necessaria. Patet quidem nostris desiderijs, communique Ordinis vtilitati Illustrissimi, ac Reverendissimi Principis, ac D. Cardinalis Aldobrandini totius Minimitanæ familiæ Protectoris Zelantissimi insignis in Deū pietas, in rebus agendis prudentia, in Religionis negotijs administrandis charitas, in Fratres omnes benevolentia, vt meritò sperare possimus sub tanti Protectoris moderatione pristinum Ordinis florem redire posse; quem certè non solùm tanquam à Sanctissimo Domino Gregorio Papa nobis donatum, sed cælesti Numine bene nobis volente; demississime suspicere, ac venerari debemus, ob singulares tanti Principis virtutes. Ille tamen, vt est in Deum vehementer affectus, divinam etiam nobis opem adesse desiderat. Hoc igitur primùm à vobis postulamus dilectissimi filij, vt per singulas Ordinis nostri Provincias quilibet Provincialis in præcipuis Conventibus quadraginta horarū Orationē instituat; in alijs verò, vbi exiguus Fratrum numerus est, specialia quædam exercitiorū genera, maximè vero in augustissimo missæ Sacrificio indicere satagat, quatenus Minimitana nostra familia sub Dei tutela novis virtutū incrementis augeatur, regularis observantiæ vigor restoratus sit in ea, votorum Deo nuncupatorum integra persolutio; charitatis nexus feliciter astringatur; vigeat vnanimis omnium in Dei obsequio consensus; pacis divinæ fœdera singulos ita invicem consocient; & (quod maximè necessarium est) humilitatem nostram misericordiæ suæ oculis intueatur, virtute muniat, veritatis suæ scuto protegat, donis cælestibus ad commune totius Religionis bonum exornet, illoque Spiritus sui splendore superinduat, qui Ordini nostro regendo, vobisque omnibus in ea, quam professi estis, vivendi ratione conservandis necessarius est;

§. 2. Porrò orationum nostrarum incensum in Dei conspectu dirigetur, atque inde fructus non vulgaris exurget, si quæ sunt divini servitij, diurnum videlicet, nocturnumque officium sedulò exhibeamus. Quid enim aliud vnumquemque nostrum ab illecebris mundi, à sæculi delitijs avulsit, ut quæ in sacra Minimitanæ Religionis eremum sub Sancti Patris Francisci de Paula vexillo introduxit, nisi divinitus inspirata charitas, feruensque divini honoris Zelus? Videte ergo, ne opus Dei fraudulenter fiat inter vos, sed iuxta Regulæ præscriptum horis assuetis cum timore, & reverentia divinum officium persoluere curetis. Nec quisquam temerè, aut sine legitima, atque non vulgari causa chorum sua præ-

sentia

sentia fraudet; sed omnes vbique vnanimes vno ore Dei laudes recitent.

§. 3. *Adhibenda quoque vobis est diligentia, ne omittatur meditationis ordinariæ studium; sed statis horis in Ecclesiam coadunari debetis, vt ibidem orationis mentalis adipe corda Fratrum saginentur. Diffiniant igitur Patres Prouinciales commodum aliquod tempus, quo in commune conuenientes, cælesti huic exercitio uacare possitis. Ad quod certè vehementer nos hortatur sanctissimus Patriarcha noster.*

§. 4. *Quia uerò sacræ Religionis corpus non ex solo capite constat, sed etiam uaria membrorum compage, quorum unumquodque, iuxta sibi conuenientem qualitatem, capiti adminiculum præbeat; ea ratione commendatam uobis habemus electionem superiorum omnium, qui nobis uelutì uiua, & sana membra cooperari debent. Quos uerò maximè desideremus, paucis accipite.*

§. 5. *Primùm eligantur à uobis in Prouinciales, & Correctores, qui zelum Dei habeant; Patres prudentia maturi, in oratione feruentes, & assidui, qui spirituali discretione polleant; qui regularis obseruantiæ sint tenaces; deinde sint immunes ab omni auaritia, quæ idolorum est seruitus; qui manus excutiant à munerum acceptione; qui in religiosa paupertate conquiescant: decet enim eos, qui ad Religionis moderationem uocantur, commune Religionis bonum sibi proponere, Fratrumque suorum consolationem; non autem propriæ, priuatęque utilitati deseruire.*

§. 6. *Certè, si quos nouerimus sinistro fauore, aut furtiuis munerum, donorumque pollicitationibus ad aliquem Superioritatis gradum ascendisse, uix ei committendam iudicabimus, uel unicam dominici gregis ouiculam, qui in illis non Christum, sed exteriora quęsierit. Porrò nobiscum perpendite, quantùm mali ex hoc corrupto fonte oriatur. Hinc enim profluit peruersi, ac contagiosi exempli labes; fieri enim nequit, ut inferiorum Officialium, quorum plurimi in singulis Conuentibus degunt, manus ab huiusmodi largitionibus sint immunes, cum uiderint Superiores in consimili cęno uolutari; at qui mundis manibus addiderit fortitudinem, ipsos etiam radicitùs euertet, qui quouis prętextu proprijs commodis inhiabunt.*

§. 7. *Bonam Superiorum electionem proximè comitatur religiosa nouitiorum informatio: sunt enim tenellę Ordinis plantę, nouella germina, ex quibus oriuntur præclarę Patrũ propagines, si in tenella ętate bonis moribus, religiosę uitę exercitijs, ac uerę, solidęque pietatis studio assueuerint. Nostis constitutiones fel. mem. Clementis VIII. quę si adamussim seruentur, maximè uero in tyronibus, & nouitijs erudiendis, non uulgarem Ordini nostro gloriam afferent. Satagite ergo, ut in qualibet Prouincia seminaria iuuenum ad Ordinem nostrum maxima cum discretione admittendorum erigantur, illisque pręficiantur, optimi quique Informatores, uiri in spirituali uita exercitati, regularis obseruantię tenaces, discretionis spiritu imbuti, & qui ex intimis animę pręcordijs charitatis zelum hauserint, ut eumdem in concreditos sibi tyrones feliciter infundant.*

§. 8. *Porrò qui in tyrocinio, ac nouitiatu bene fuerint instituti, haud dubiè suaui obedientiæ iugo se, suaque omnia subijcient, cum obedientia inter cætera vota, quæ Deo nuncupauimus, primatum teneat. Illa est, dilectissimi filij, quam præcipuè colere debemus, nec facilè illius vinculum dissolui potest, quin continuò totius Religionis machina dispereat. Scitis ex diuinæ Scripturæ testimonio, quàm seuerè cælestis vltio in rebelles, atquè inobedientes animaduertat, & quanta malorum congeries ex obedientiæ contemptu mortales oppresserit. Nostri muneris est, vnumquemque vestrum in Domino cohortari, vt sanctam hanc, & religiosam virtutem sartam tectam custodiatis. Discant subditi maiorum imperijs non reluctari, sed humiliter parere, discant maiores Regulæ institutis, & legibus obsequi; nec tolerandos sibi putent rebelles, sed seuerissimè in aliorum exemplùm castigandos.*

§. 9. *At quoniam fieri nequit, vt perfectæ obedientiæ tenor illibatus permaneat, nisi priùs corda ab omni terrenarum rerum ambitu, ac desiderio penitus euacuentur, hoc in animo sibi quisque proponat, frustra exteriorem quamdam obedientiæ faciem ostentari, nisi interiùs solidas, ac veras radices in mente egerit; non est enim coacta, aut violenta Religiosorum obedientia, sed spontaneè, ac voluntariè assumpta. Quis verò se Domino voluntariè sacrificaturum in humilitatis subiectione speret, nisi renunciationis perfectæ spiritum, idest paupertatis amorem, induerit? Sic enim legimus, sanctissimum Patriarcham nostrum mundi blandimenta contempsisse, hostemque superbum fortiter dimi-*

viuente matre etiam absente, Conuentus nostros ingredi: & declaratur non licere filiabus naturalibus Fundatorũ, siue Fundatricum defectu legitimitatis Conuentus nostros intrare. Sed non apparet, cur nepotes excludantur a materno iure. Addito, quòd Iulius II. tom. 1. nostr. priuil. in const. eius 1. §. 14. concedit, quod Fundatrices, & earum filiæ procreatæ, & procreandæ fruantur priuilegijs Fundatricum. Quare loc. cit. in const. 7. Clem. VII. num. 3. dixi, quòd Fundatricibus succedunt omnes filiæ per capita, filiæ verò filiarum succedunt per stirpes. Atq; ita prima filia filiæ Fundatricis, alijs filiabus exclusis, seu prima neptis Fundatricis, potest hoc priuilegio vti. Quod collegi ex arbore iuris patronatus. Et nunc etiam confirmo; nam non video, cur neptes (nisi aliud pactum intercedat) debeant hoc priuilegio priuari. Quare illud statutum Capituli Romani intelligendum est iuxta dicta, quòd scilicet prohibeat omnes filias filiarum, seu omnes neptes Fundatricum ingredi in nostros Conuentus; non tamen quod prohibeat, primas neptes per stirpes ingredi: nam alioqui priuaret illas neptes iure, quod illis competit per ius commune, & damnificaret Religionẽ; possent enim ex hoc aliquæ matronæ retardari munere Fundatricum recipiendo. Et denique cum ius commune id illis concedat, & Papa nullibi prohibeat, non est credendum velle Religionem sibi, & suis Fundatricibus præiudicare, cap. *Sollicite* de restit. spol.

5. Secundò. Possunt nostri Fundatores cum suis famulis in nostrorũ Conuentuum infirmarijs carnes comedere, ita statutũ est in c. Massil. 1. nu. 36. quantumuis alijs sinè Breui apostolico non concedatur ex cap. Genuensi 1. num. 32.

LITERA G.

CAP. I.

De forma, qua generalis declarat, aliquem in Capitulo generali electum fuisse Patronum, ac Protectorem alicuius Prouinciæ,

Excellentissimo D. D. N. Principi, &c.

FRATER N. Ordinis N. Generalis indignus P. P. P. Religionis nostræ minima vitis in excelso plantata charitatis monte, principes viros, ac operarios, qui ad eam, vel sepiendam, vel excolendam non nihil opis contulerint, præcipuis quibusdam titulis, ac nominibus consueuit venerari. Cum inter plurimos igitur, nec ignobiles vitis eiusdem colonos, Excellentiam tuam, gloriosissime Princeps, peculiari quadam existimauerit obseruantia dignam generalis Patrum nostrorum consessus; fecere non parum, quin, ut florescentem apud se gratiam custodiret, Fundatorem priùs, dein verò, Prouinciæ N. votis respondens, Protectorem, ac Patronum acclamaret. Nec eos sanè fefellit opinio. Id namque, & commemorabilis in omnes annos beneuolentia exposcebat, qua nascentem olim Prouinciam N. totamque nostram Religionem in suam fidem, & clientelam susceperunt maiores tui. Id & maxima beneficia, quibus nos usque obstrinxit, & cumulauit Domus tua, vt Principis N. Fratres, vel ab ipso iam tum surgentis Ordinis exordio, Parentum dignatione, vocarentur nostri Religiosi. Id tandem quotidiana illa efflagitare videbantur pietatis, ac liberalitatis officia, quibus nos Excellentia tua deditissimos veluti filios nunquam desinis consectare. Quamobrem cum eorum quæ in generalibus Comitijs sancita esse noscuntur, executio ad nos, tanquam præcipuos vitis eiusdem custodes, maximè pertineat, Excellentiss. Dominationem tuam in benemeritum Prouinciæ nostræ N. Patronum, ac Protectorem assumptum, & cum gratiarum actione exceptum fuisse omnibusque proinde gratijs, fauoribus, ac indultis, quæ cæteris alijs Protectoribus, ac Patronis impertita sunt, frui, & gaudere meritò posse, ac valere, harum serie, & vi decernimus, ac declaramus. Demum verò, temporalibus hisce titulis spirituales etiam, in maius propensæ voluntatis argumentum, diuitias adiungere cupientes, eam quoque ad omnium missarum, orationum, suffragiorum, meditationum, prædicationum, peregrinationum, abstinentiarum, omniumque bonorum, quæ per vniuersos nostri Ordinis Fratres, ac Sorores fieri donauerit auctor bonorum Iesus Christus, earundem præsentium tenore participationem, communionemque venerabundi suscipimus. Quo scilicet spiritualibus istis fulta subsidijs, sempiternam gloriam faciliùs consequatur. In quorum fidem &c.

CAP. II.

De forma, qua Generalis scribit, hortando iuuenes ad studendum.

FRATER N. Ordinis N. Generalis, Vniuersis in Christo filijs charissimis Collegij nostri N. studentibus salutem. Quòd ad literarum studia non remissè, sed alacriter capessenda vos interpellem, verecundia inest, ac

pene Religio. Vosne ergo ad id, ad quod natura ipsa impellit, status prouocat, professioque cogit adhortor. Omnes homines natura scire desiderant, dixit Philosophus. Scientia verò haud sinè labore paritur, & studio (, si labor tamen in discendo est, non magis voluptas) Et cum Religiosorum omnium status, ac ratio in diuinorum contemplatione maximè consistat, hac autem non nisi in sacrarum literarum studio reperiatur, quid aliud sanè ex instituti vestri ratione cõsequi videtur, quàm vt totis vos animis literis dedicetis, nullusque effluat dies, in quo uel aliquotulas moras, in eis non impendatis. Cũque uestram haud tantùm, (nec enim nobis solùm nati) sed & proximorum, publicè, priuatimque docendo, curare salutem profiteamini literarum scientiam negligentes, quid alios docebitis? legis doctrinam à nobis, quo pacto exquiret uulgus imperitum & qui paruulorũ mentes illustrabitis, in tenebris ambulando? Magni Gregorij excipite uerba. Qui ad officiũ prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant? Studijs ergo uiribus totis intendite religiosi iuuenes, filijque charissimi; ad studia non segnis anhelet animus, sedulum illis insudet ingenium; hoc præsertim ætatis flore literis accommodatissimo. Parate in iuuentute, quo uti ualeatis in senio. Adolescentia æstate colligite, quod opportunè deinceps in uestrũ, aliorumque cõmodum dispergatis. Nullum est, mihi credite, ornamentum, quod uestram magis deceat, et decoret ætatem, nulla ratio, qua sustinere meliùs, tuerique possitis expectationem, quam nõ exiguam de uobis sibi tota promittit Religio; nihil, quod ad excolendum animum, & rectè, sanctèque uiuendum plus afferat momenti. Hinc enim certam uestram facietis uocationem; hinc uires sumetis ad extendendam immortalitatem, & honestissimam nominis gloriam propagandam; hinc denique (quod omnium potissimum quæritur) facilius iter uobis struere poteritis ad beatam cæli perennitatẽ. Sic tamen adhibendam scientiam, sic suscipiendam doctrinam existimate, ut memineritis, sinè uerâ pietate, Deique timore esse uanum omne, quod discimus; & illud uerissimè scriptum, Scientia inflat, Charitas autem ædificat. Sic in amore uiuite literarum, ut nullis uoluptatibus, nullisuè illecebris abducamini. Ita scientiarum studijs uacate, ut deuotionis tamen feruor, & disciplinæ censura minimè remittatur. Illud uenerandæ memoriæ Reuerendissimi Patris Camaræ Ordinis Minimorum Generalis illustre dicterium animo identidem reuoluentes, Maledictum studium, quod impedit deuotionis feruorem. Contra uero cogitate, scientiam, ex Bonauenturæ sententia, quæ pro virtute despicitur, per virtutẽ postmodùm meliùs inueniri. Nil prosunt, mihi credite, sinè pietate literæ, nil sinè deuotione scientia. Scientiam Christi soli Christi sequaces, & mundi cõtemptores assequuntur: nec ad scientiæ lumen proceditur, nisi germen iustitiæ præcedat in anima. Ea quæso animis vestris numquam excidant beatissimi Patris Francisci à Paula Doctorum hominum studiosissimi ad Ioannem Quintinum aurea verba. Sic, namque aiebat, literis desudandũ, vt earum nihilominus piæ voluntatis, sanctæque operationis feruor comes esset indiuiduus; sic doctrinæ studium amplectendum, vt bonorum tamen operum exemplo cœteris quisque prodesse valeret. Pari itaque gressu in hoc binio incedendum: Nam & sanctitudo sinè scientia plerumque errat, vel non plenè elucescit, & scientia sinè sanctitudine vitiorum scatet vermibus, ac sordescit: Cum verò eas constat veluti indiuisa copula cõuenire nihil vtilius, nihil honestius in humana vita potest excogitari. O uos beatos, qui primos ætatis annos literis dedicastis; iacta in vobis sunt semina, de quibus vberrimi fructus sunt nascituri, quos facilè dabitis, si cum pietate, Deique timore in studijs vixeritis literarũ. Valete, & vestras pergite pro nobis ad Deum fundere preces, cuius benedictio sit super vos semper in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen Datum, &c.

Noto, quòd in his adhortationibus debent Prælati esse multum solliciti, nam studia literarum inseruiunt multùm, & ad stabiliendam catholicam Ecclesiam, & ad honorandam, & augendam religionem, & quamplurimum ad disciplinam regularem introducendam, & conseruandam, ama enim, inquit Hieronymus, studia literarum, & carnis lasciuiam non amabis; Ad hoc facit symbolum illud, quod affert Syluester Petrasancta vir in omni literarum genere eruditus de symbolis Heroicis lib. 9. cap. 3. vbi picto Heliconis colle, addit Lemma Adimunt mea pascua virus, nam sicut illius collis pascua colubris venenum mitigant, vt aiunt, ita etiam literarum studia vim habent ad mentium vitia persanande, & ad permotiones prauas animi sedandas. Petrasancta.

CAP.

sentia fraudet; sed omnes vbique vnanimes vno ore Dei laudes recitent.

§. 3. Adhibenda quoque vobis est diligentia, ut omittatur meditationis ordinariæ studium; sed statis horis in Ecclesiam coadunari debetis, vt ibidem orationis mentalis adipe corda Fratrum saginentur. Diffiniant igitur Patres Prouinciales commodum aliquod tempus, quo in communc conuenientes, cælesti huic exercitio uacare possitis. Ad quod certè vehementer nos hortatur sanctissimus Patriarcha noster.

§. 4. Quia uerò sacra Religionis corpus non ex solo capite constat, sed etiam uaria membrorum compage, quorum unumquodque, iuxta sibi conuenientem qualitatem, capiti adminiculum præbeat; ea ratione commendatam uobis habemus electionem superiorum omnium, qui nobis uelutì uiua, & sana membra cooperari debent. Quos uerò maximè desideremus, paucis accipite.

§. 5. Primùm eligantur à uobis in Prouinciales, & Correctores, qui zelum Dei habeant; Patres prudentia maturi, in oratione feruentes, & assidui, qui spirituali discretione polleant; qui regularis obseruantiæ sint tenaces; deinde sint immunes ab omni auaritia, quæ idolorum est seruitus; qui manus excutiant à munerum acceptione; qui in religiosa paupertate conquiescant: decet enim eos, qui ad Religionis moderationem uocantur, commune Religionis bonum sibi proponere, Fratrumque suorum consolationem; non autem propriæ, priuatæque utilitati deseruire.

§. 6. Certè, si quos nouerimus sinistro fauore, aut furtiuis munerum, donorumque pollicitationibus ad aliquem Superioritatis gradum ascendisse, uix ei committendam iudicabimus, uel unicam dominici gregis ouiculam, qui in illis non Christum, sed exteriora quæsierit. Porrò nobiscum perpendite, quantùm mali ex hoc corrupto fonte oriatur. Hinc enim profluit peruersi, ac contagiosi exempli labes; fieri enim nequit, ut inferiorum Officialium, quorum plurimi in singulis Conuentibus degunt, manus ab huiusmodi largitionibus sint immunes, cum uiderint Superiores in consimili cæno uolutari; ac qui mundis manibus addiderit fortitudinem, ipsos etiam radicitùs euertet, qui quouis prætextu proprijs commodis inhiabunt.

§. 7. Bonam Superiorum electionem proximè comitatur religiosa nouitiorum informatio: sunt enim tenellæ Ordinis plantæ, nouella germina, ex quibus oriuntur præclaræ Patrũ propagines, si in tenella ætate bonis moribus, religiosæ uitæ exercitijs, ac ueræ, solidæque pietatis studio assueuerint. Nostis constitutiones fel. mem. Clementis VIII. quæ si adamussim seruentur, maximè uero in tyronibus, & nouitijs erudiendis, non uulgarem Ordini nostro gloriam afferent. Satagite ergo, ut in qualibet Prouincia seminaria iuuenum ad Ordinem nostrum maxima cum discretione admittendorum erigantur, illisque præficiantur, optimi quique Informatores, uiri in spirituali uita exercitati, regularis obseruantiæ tenaces, discretionis spiritu imbuti, & qui ex intimis animæ præcordijs charitatis zelum hauserint, ut eundem in concreditos sibi tyrones feliciter infundant.

§. 8. Porrò qui in tyrocinio, ac nouitiatu bene fuerint instituti, haud dubiè suaui obedientiæ iugo se, suaque omnia subijcient, cum obedientia inter cætera uota, quæ Deo nuncupauimus, primatum teneat. Illa est, dilectissimi filij, quam præcipuè colere debemus, nec facilè illius vinculum dissolui potest, quin continuò totiùs Religionis machina dispereat. Scitis ex diuinæ Scripturæ testimonio, quàm seuerè cælestis vltio in rebelles, atquè inobedientes animaduertat, & quanta malorum congeries ex obedientiæ contemptu mortales oppresserit. Nostri muneris est, vnumquemque vestrum in Domino cohortari, vt sanctam hanc, & religiosam virtutem sartam tectam custodiatis. Discant subditi maiorum imperijs non reluctari, sed humiliter parere; discant maiores Regulæ institutis, & legibus obsequi; nec tolerandos sibi putent rebelles, sed seuerissimè in aliorum exemplùm castigandos.

§. 9. At quoniam fieri nequit, vt perfectæ obedientiæ tenor illibatus permaneat, nisi priùs corda ab omni terrenarum rerum ambitu, ac desiderio penitus euacuentur, hoc in animo sibi quisque proponat, frustra exteriorem quamdam obedientiæ faciem ostentari, nisi interiùs solidas, ac veras radices in mente egerit; non est enim coacta, aut violenta Religiosorum obedientia, sed spontaneè, ac voluntariè assumpta. Quis verò se Domino voluntariè sacrificaturum in humilitatis subiectione speret, nisi renunciationis perfectæ spiritum, idest paupertatis amorem, induerit? Sic enim legimus, sanctissimum Patriarcham nostrum mundi blandimenta contempsisse, hostemque superbum fortiter dimi-

cando superaſſe; dum pauper, & humilis perſeuerat. Monſtrum eſt, obedientiam cum cupiditate poſſidendi ſociare. Priùs agnis iungentur lupi, aut columba miluio, quam obedientia cum peculio, ſeu proprietate. Scitis, dilectiſſimi filij, quantam in diſſolutis, ac diſſipatis Regularium domibus (vtinam ne, & in noſtris) ediderit ſtragem proprietarius ille ſpiritus, qui tanquam ſingularis ferus obedientiæ. caſtitatis, aliarumq; obſeruantiarum vineam miſerè depaſtus eſt. Gemunt ſub tanti criminis tyrannide non ſingulares tantum perſonæ, ſed multæ domus, ſed integræ Prouinciæ, vt niſi diligenter ſecurim ad infelicis huius arboris radicem admoueamus, actum ſit de Regulæ noſtræ obſeruantia, actum de communi, aut cœnobiticæ vitæ ratione. Erunt Monaſteria ipſa, non quidem orationis domus, ſed ſpeluncę latronum; ille eſuriet, alter ebrius erit; iſte in miſeriæ, ac indigentię fæcibus volutabitur, alius verò ſuperfluis abundabit. Porrò tria apud nos velim ex animo cuſtodiri pro ſanctę paupertatis obſeruantia, & illa quidem non nouitia, aut inſolita, ſed iuxta Regulæ præſcriptum.

§. 10. Primum, ne quis vllo prætextu pecunias apud ſe detineat, ſiue ex concionibus, ſiue ex confeſſionum auditione, ſacriſtia, eleemoſinis, aut alio quouis modo; ſed quicquid dono datum, aut quauis ratione partum fuerit, in communi Conuentus ærario ad omnium vtilitatem Superioris arbitrio ſublevan lam recondatur.

§. 11. Alterum, vt quæ ad victum, & veſtitum, aliaſque corporis neceſſitates pertinent, iuxta Regulæ noſtræ tenorem, ſingulis diuidantur. Communis omnium victus in refectario, menſa eadem ciborum eorundem diſtributio; veſtimentorum autem partitio non in pecunia, ſed in panno, prout cuiuſque Fratris neceſſitas poſtulabit.

§. 12. Tertium, vt maxima vigeat inter nos charitas pro infirmorum ſubleuatione: hanc enim pręcipuè commendauit beatiſſimus Pater noſter S. Franciſcus. Nec dubium, quin firmiſſima pax, & diuina quędam concordia, ſeù potius Paradiſus terreſtris apud nos erit, ſi in hac communi viuendi ratione permanſerimus.

§. 13. Quis pro meritis expoſuerit, quàm iucunda, quam ſuauis ſit eorum conuerſatio, qui tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, ex ſui Superioris mandato, velut ex Dei manu, omnium, quę ſibi neceſſaria ſunt, copiam excipiunt? qui ad hunc boni communis finem, labores, vigilias, eleemoſynas, cæteraque omnia referunt; nihil aliud ſibi proponentes, quam ut nudi nudum Crucifixum amplectantur? Hęc pro meritis exponi nequeunt; cogitari ne quidem ſinè ingenti cordis iubilo poſſunt; exerceri verò cum diuino quodam feruore ſolent.

§. 14. Ex hoc paupertatis religioſę ſpiritu naſcitur incorruptę caſtitatis amor, atque inter varias, & ſuaueolentes illius flores deliciatur; hinc oritur obedientię cura: neque enim extra Monaſterij cancellus egredi volet, qui nihil in mundo concupiſcit. Germano ſanè, ac inſolubili fraternitatis vinculo ſociantur paupertas, caſtitas, & obedientia, ſe ſe mutuò producunt, mutuò conſeruant.

§. 15. Nec prætereunda quadrageſimalis vitæ obſeruatio, quæ nobis omnimodè neceſſaria eſt; ea enim auſterioris vitæ diſciplinæ flos eſt noſtri germinis; eſt ſpecialiſſimum Minimitanæ familiæ ſymbolum; hæc noſtræ militiæ teſſera, quæ nos inuicem compaginat, quæ ab alijs Ordinibus ſecernimur, vt meritò, debeamus in vna hac gemma ſecurè cuſtodienda impendere quicquid in nobis ſtrictioris pænitentiæ poſitum eſt. Ardua quidem res, ſed magni meriti, in cuius obſeruatione honor noſtræ Religionis quodammodò ſitus eſt; maxima autem in illius neglectu, ac fractione contumelia.

§. 16. Sequitur aſſidua philoſophicarum, theologicarumque diſciplinarum meditatio. Eſtque operę pretium, vt in hiſce ſtudijs iuniorum Fratrum animi exerceantur. Certum enim eſt, duplici veluti fundamento Religioſorum omnium perfectionem inniti, eximia ſcilicet in Deum pietate, quæ meritò Paradiſi fons eſt, vniuerſam animarum noſtrarum faciem irrigans: Deinde ſcientiarum humanarum, diuinarumque profeſſione, quæ ſecundas poſt deuotionem ſpiritum partes obtinet, vt iure ſit fons ille, & ciſterna Bethleem, cuius aquam omnes ſitire debent.

§. 17. Satagant ergo Patres Prouinciales, vt in ſuis quiſque Prouincijs ſtudia ordinatiſſima erigant, tum ad excolendas iuuenum mentes, tum ad vitandam inertiam, ac incurioſum otium, quod omnium pene vitiorum ſeminarium eſt. Meminerimus, quam fideliter ſanctiſſimus Patriarcha noſter Lectores, ac diſcipulos monuerit, vt omnia ad eum finem dirigant, nimirum ad ædificatoriè prædicandum, & confeſſiones audiendum. Quæ res maximè cordi nobis eſt; illique præ cæteris magnum apud nos meritum habebunt, qui in erigen-

dis

tis studijs prudentiores ; ac vigilantiores existent.

§. 18. *Hæc sunt, dilectissimi filij, quæ vobis in initio nostri Generalatus præcipuè commendata voluimus, ex quibus tot reliquarum obseruationum, quæ in Regula nostra est, seges exurgit. Hoc depositum velut fideles ministri seruate, quatenus accedentibus nobis ad vos pro visitandis Prouincijs, omnia ordinata, quieta, iusta, & pacifica occurrãt. Agite vt iam nunc priores nostri muneris partes, quæ in euellendis, destruendis, dispergendis, & eruendis nostrarum imperfectionum radicibus versantur, felicem effectum habeant; postmodùm verò, purgata mentium nostrarum area, regularis obseruantiæ germen, quod ex diuinæ agriculturæ penu, atque sanctissimi Patris nostri Francisci de Paula Regula procedit, vberiori fruge ad Ordinis nostri decorem redundabit. Dat. in nostro sanctissimæ Trinitatis Conuentu de Vrbe Nonis Iulij, 1623.*

CAP. IV.

De eadem forma.

F*RATER Franciscus à Longobardis totius sacri Ordinis Minimorum Vicarius Generalis apostolicus. Dilectis in Christo Patribus, & Fratribus eiusdem Ordinis salutem, et pacem. Vereor, dilectissimi Patres, ac Fratres, & non sinè causa, nec sinè dolore, ac tremore vereor, ne iustissimus Dominus, nostris peccatis iratus, hac tempestate Ordinem nostrum malo illo puniat, atque flagellet, de quo scriptum est.* Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum: Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terrã, quasi seruos. *Positus sum ego custos in vineis, qui vineam meam non custodiui, nec colui, & idcirco repleuerunt eam vrticæ, & spinæ, & maceria lapidum destructa est. Tantarum procellarum tempore, inter tot, tum patentes, tum latentes scopulos, magnæ nauis vndique rimis fatiscentis gubernaculum regere iubeor, qui nullius nauiculæ remum didici iam tenere. Orationes ergo, dilectissimi, fiant sinè intermissione ad Deum, vt quod, illius iustitia permisit in pœnam, misericordia conuertat in auxilium: tantum gratiæ, & spiritus mihi exorantes, vt de non idoneo, idoneus minister effectus, regularem disciplinam in nostra Religione propè collapsam restituere, vt debeo, & cupio, possim. Sicut autem nouas ordinationes inculcare superuacaneum, ita ad illius exercitationem paterno affectu, & hortatione impellere operæ pretium existimaui. Omnes igitur, per lacrymas, & sanguinem, quem B. Pater noster Franciscus profudit in fundatione huius Minimæ Religionis, rogo, atque obtestor, vt quæ in nostra Regula, & statutis, pontificijsque constitutionibus sancita sunt, ea adamussim seruare studeatis. Equidem in futura visitatione, sicut præter illa, nihil aliud omnino exigam, ita illorum exactor ero diligentissimus. Exigam autem duriter, non vt duriter exigam, sed vt efficaciter consulam; consulam conscientiæ meæ, consulam, & animabus vestris, quarum rationem redditurus sum in die iudicij, & quarum sanguis de manibus meis requiretur. Etenim sine prædictorum obseruantia, nemini nostrum, qui huic Ordini nomen dedimus, nemini prorsus vitam ingredi licebit æternam. Subeant animum nostrum, dilectissimi, subeant, quæso, verba illa professionis nostræ.* Voueo, & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, ac toti Curiæ cælesti, & tibi Patri, huicque sacro Ordini stare, & perdurare toto tempore vitæ meæ, sub vita, & Regula Fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula. *Si noluissemus polliceri, absque peccato fuissemus; quod autem semel egressum est de labijs nostris, sub æterna damnationis pœna seruare tenemur; displicet enim Deo infidelis, & stulta promissio. Meminerimus perfectionis statum nos esse professos; ac propterea ad perfectionem tendere omnino debere. Qui autem non tendit, in via Dei, reuerti conuincitur; reuertens verò audiet à Domino.* Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. *Audiet à Petro.* Canis reuersus ad suum vomitum, & Sus lota in volutabro luti: *Audiet ab Augustino.* Ex quo Deo seruire cœpi, quomodò difficilè sum expertus meliores, quam qui in Monasterijs profecerunt, ita non sum expertus peiores, quàm qui in Monasterijs ceciderunt: *Audiet à Bernardo.* Multò faciliùs reperies multos seculares conuerti ad bonum, quàm vnumquem piam de Religiosis transire ad melius: *Video equidem, & non sinè intimo dolore, & lacrymis cordis, iacere prorsus obseruantiam regularem,*

& mihi uires non suppetere ad erigendam. Sed aderit Deus bonæ voluntati, adiuuabunt vestra consilia, cooperabitur filiorũ docilitas, perficiet denique charitas. Vnum illud non prætermittam. Quicunque ad fauores pro officiis, aut gratiis recurret, præterquamquòd, in excommunicationem, aliasque pontificias pœnas incidisse irremissibiliter declarabitur, votis certè frustrabitur, apud me pessimè semper audiet, inexorabilem iudicem numquam non experietur. Id ipsum munerum largitores sibi polliceantur, quo ad pœnas sibi debitas. Valete. Romæ pridie cal. Aprilis, MDCXXX.

1. Noto 1. quòd formæ positæ cap. 3. auctor fuit doctissimus P. F. Ægidius Camart, Ordinis nostri Generalis, qui scripsit historiam Eliæ Prophetæ. Formæ autem positę cap. 4. auctor fuit piissimus P. F. Franciscus à Longobardis Ordinis nostri zelantissimus Generalis.

2. Noto 2. quòd ad scribendas literas positas his tribus capitibus tenentur omnino Generales, qui volunt proprio muneri, & propriæ conscientiæ satisfacere non solùm exemplo Apostolorum, aliorumque sanctorum, Patriarcharum, ac passim Superiorum omniũ, qui consimiles literas suis semper scripserunt, & scribunt, sed etiam, quia cum vbique per corporalem præsentiam esse non possint, vt omnibus possint prodesse, debent facere quantum possunt, hoc autem fit dictas literas communes scribendo, quibus repręsentantur ipsius Superioris præsentia, zelus, & cura boni communis. His excitatur inferiorum Superiorum iurisdictio, subditorum sensus dormitantes expergesiunt, ad sua munia alacriùs exequenda. Præterea hæ literæ conciliant Prælatis subditorum animos, ac beneuolentiam; quis namque non æstimet æstimari? Disciplinam item regularem conseruant; vigilantia namque Pastoris oues cautas reddit. Corrigunt suauiter subditorũ deprauatos mores; & omnes denique retinent in officio. Eas autem nollem, nec multùm frequentes, ne fastidirent; nec asperas, aut amaras, vel minaces, ne bilem, & choleram excitarent, sed dulces, affabiles, ac discreto zelo plenas; nam generosus animus hominis non vult nisi amore trahi: & dulcia sunt amica naturæ; & cum viris, qui verè viri sunt, plùs proficiunt verba, quàm verbera. Nec item perelegantes, aut politas, sed faciles, ac familiares, non tamen barbaras, succo, & substantia potiùs plenas, quàm verbis abstrusis, & reconditis. Tum quia nimia elegantia in literis est vitiosa, teste Tullio. Tum quia est incredibile, quantum possit Superiorum familiaritas ad captiuandas subditorum voluntates. Tum quia, quæ difficilè intelliguntur, non pauci contemnunt.

CAP. V.

De forma literarum, quibus solet Generalis tempore Capituli generalis scribere ad omnes Prouincias, ne quis ad dictum Capitulum accedat, qui vocem in eo non habeat.

FRATER N. &c. Vniuersis Ordinis nostri Superioribus, & subditis in generali Capitulo in Ciuitate N. proximè celebrando vocem de iure non habentibus salutem, ac perennem benedictionem. Pastoris est præsentia non tantùm mala à sibi commisso grege depellere, sed imminentia quoque, immo & futura quæcunque, vt humana patitur imbecillitas, ne ei obesse queant, prouido circumspectionis oculo, ac supercilio profligare. Super specula ergo nostræ Religionis, Altissimo sic disponente, viribus licèt exiguis, constituti, ad ea nostræ mentis aciem dirigere, eaque propulsare tenemur, quæ ipsius alumnos vexare aliquatenus valent, ac discindere. Cum verò confusionem pariat multitudo, & scissuras, litesque gignat stridula turba; ne mala hæc pusillum gregem nostrum inuadant, sollicitè pro viribus adnitimur, & omnem, quam possumus opem, atque operam exhibemus. Experientia itaque duce, cognoscentes, quot lites ac dissidia, tumultus, confusiones, scissurasque alias in generalibus Capitulis inutilis Fratrũ, vanis ad ea, & confictis prætextib' cõuolantium multitudo pepererit; quantũ præterea detrimẽti, ac damni in omni bonorum genere illis intulerit, in virtute ideo Spiritus sancti, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ pœnis per triennium, omnibus, & quibuscunque, tam Superioribus, quàm subditis, qui in Capitulo generali N. hoc anno celebrando vocem non habent, districtè præcipimus, & mandamus, ne absque nostra in scriptis licentia quoquomodo ad prætactum Capitulũ accedere audeant, & præsumant. Quòd si negotia ibidem necessariò tractanda quis habeat, suo vel Prouinciali, aut Commisso respectiuè committat, vel nobis etiam remittat, fidens omnino, ea nos iustè, ac pro merito expendenda, ac expedienda maximè curaturos. In quorum, &c.

1. Noto, quòd in Ordine nostro Cap. Gen. 4. num. 33. adest statutum, quo prohibetur, ne quis ad Capitulum generale accedat

absque

absque licentia Generalis, & qui aliter fecerit, ad arbitrium Generalis puniatur. Quod statutum sanctissimum est, tollit enim Fratrum vagationes, relaxationes, & libertates, vitat quamplurimas expensas, aufert conuentuum, per quos transeunt, & in quo celebrantur Capitula grauamina; & ante omnia impedit discordias, lites, & confusiones, quas isti gignunt in dicto Capitulo.

CAP. VI.

De forma, qua Generalis potest dare licentiam alicui ex suis Fratribus Episcopatum acceptandi.

FRATER N. Ordinis N. Generalis. Reuerendissimo Domino D. N. electo Episcopo N. salutem. Æterna Dei Sapientia Christus sicut una cum Patre, & Spiritu Sancto disparibus gradibus, & officijs in humano corpore membra distinxit, ita in mystico Ecclesiæ ob eiusdem integritatem, membrorumque, ex quibus compactum est, utilitatem, pedum quasdam, uel manuum uicem gerere, quosdam uerò quasi oculos esse destinauit. Et illi quidem necessarij licèt magis sint, nec oculus manui dicere queat: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij; æquissima tamen diuinitatis lege factum est, ut in mystici corporis fastigio oculi constituti cæteris membris præessent, eaque dirigerent, ac illuminarent. Eiusmodi siquidem fuere primùm Apostoli, postque ipsos nunc extant Ecclesiæ filij, seu Episcopi, populi Præsules, orbisque Principes, quos mundi lumina, sal terræ, Ciuitates in sublimi positas Dominus appellauit. Ad horum nuper consortium, ac cœtum, tuis ita meritis eflagitantibus euexit summus Pastor, & Pontifex, Præsulem te nimirum, atque Antistitem Ciuitati N. præficiendo, Munus quippe arduum, nec sarcina leuis, & uel ipsis angelicis humeris formidanda. Quam quidem (quæ tua est modestia) sponte fugiens, & declinans ad nostram, quam professus es, obedientiam confugisti, eo uel saltem consilio, ut communia Ordinis nostri suffragia nequaquam amitteres. Quin uerò etiam (si iugo collum subdere oporteat) ad illud sapienter, fortiterque ferendũ per illa tuneris. Nos igitur prudentiam tuam, doctrinã, religiososque mores, & regiminis experientiam probè agnoscentes, quamquam modestiam tuam laudamus, & suspicimus, summi tamen Pontificis propositum, & consilium magis efferimus, & excipimus, ecclesiaque N. de huiusmodi tua promotione, gratulamur. Ac præterea, ne mirabilem hierarchici Ordinis, mysticique corporis structuram, varietatemque, vel leniter immutemus, inconcussam quinimmo pro viribus tueamur, præfatum tibi Episcopatum (quod ex nobis est) acceptandi licentiam, & facultatem, præsentium tenore concedimus, & impartimur. Suffragia, demum, merita, ac Ordinis nostri beneficia illæsa non modò, atque integra tibi mansura, maiori quin potius cumulo, si fieri potest, exhibenda esse volumus, ac decernimus. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quod hæc forma desumpta est ex Formulario Prædicatorum, & solùm necessaria est, vt electus in Episcopum non deperdat participare suffragia Ordinis, & ad ostendendam humilitatem religiosam: nam, cum certum sit de iure communi, cap. *Si Religiosus*, de elect. in 6. quòd nullus Religiosus potest consentire electioni de se factæ extra Religionem, siue in Curatum, siue in Episcopum, &c. sine licentia sui Superioris, scilicet Generalis, vt dicit Villalobos par. 2. sum. tract. 35. difficul. 40. num. 3. vel Prouincialis, vt dicit Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 34. art. 5. & tom. 2. q. 58. art. 1. seu etiam Superioris localis, vt Sanchez 7. in decal. cap. 29. num. 65. nunquam fuit necessaria dicta licentia, quando beneficium impetratur à summo Pontifice, qui est supremus Religiosorum Prælatus, vt dixi tom. 1. priuil. in const. Pyrrhi, num. 9. Ita Sanch. loc cit. num. 57. petitio tamen illius summæ humilitatis est, & sic habet praxis omnium religiosorum reformatarum, præsertim nostræ. *Villalobos* *Rodriquez* *Sanchez.*

2. Noto 2. quòd statim ac aliquis Religiosus est in Episcopum creatus, vel confirmatus à Papa, & consecratus, est exemptus à iurisdictione Prælatorum regularium, vnde non potest amplius frui Religionis priuilegijs. Quare potest cella, in qua habitabat, priuari, & à Conuentu dimitti: cum enim sit effectus alterius iuris, non debet priuilegijs, & commodis, solis Fratribus concessis, frui. Ita Rodriq; tom. 2. qq. regul. q. 58. art. 4. & tom. 4. summ. cap. 68. num. 10. Portel in addit. ad dub. regul. verb. *Episcopus*, nu. 15. Sanchez 6. in decal. cap. 6. num. 32. 33. Dixi tom. 1. priuil. in const. 4. Sixti IV. num. 44. vbi ad id probandum adduxi priuilegium clarum Pauli IV. Ex quo collige, quòd ante consecrationem, licèt sit nominatus, & electus, quousque non sit confirmatus à Papa, vel consecratus, est subiectus Regulæ, quam professus est. Vnde potest suam cellam retinere, in Conuentu suæ localitatis comedere, vocem in Capitulis dare, & denique habet omnia priuilegia, & iura quæ antea habebat. Ita colligitur ex dictis Doctoribus, & dicto priuilegio Pauli IV. & dicit in specie Portel loc. cit. Et ita video seruari in praxi. *Rodriquez* *Portel.*

De his autem, qui nominantur à Papa, quia non egent confirmatione, intellige eos non esse exemptos, nisi postquam munus consecrationis obtinuerint, vt dicit expressè bulla Pauli IV. Quare licet sint nominati, si delinquant, possunt à suis Prælatis puniri.

3. Noto 3. quòd Episcopus regularis si, Episcopatu renunciato, aut etiam retento, seu cum solo titulo, impetret à Papa priuilegium, vt possit habere cellam, & victum in sua Religione, & frui omnibus gratijs, & priuilegijs illius, non potest tamen prędicta impetratione frui sine licentia Prælatorum dictæ Religionis. Ita Rodriquez in sum. tom. 4. cap. 68. num. 10. Portel loc. cit. Et habetur expressè in const. 4. Sixti IV. §. 10. tom. 1. nostr. priuil. Prælati autem, qui debent hanc licentiam concedere, sunt soli Generales. Ita statuit Callistus III. vt Rodriq; refert tom. 1. qq. regul. q. 34. art. 5. vbi addit, quòd, si dicti Episcopi absquè prædicta licentia se immisceant Capitulis generalibus, aut prouincialibus, seu alijs negotijs, vel administrationibus Ordinis, sunt ipso facto excommunicati, tam ipsi admissi, quam ipsi admittentes.

4. Et aduerte etiam, quòd post obtentam dictam gratiam à Papa remanendi in Religione, & post obtentam præfatam licentiam à Generali, non possunt tamen in Religione dignitates consequi; & ei suffraganites sunt perpetuò priuati voce actiua, & passiua. Ita decernitur in const. 4. Pauli IV. in Bullar. Rodriquez. Vbi nota, quatenus dicit, quòd non possint admitti ad dignitates, etiamsi obtinuissent ad hoc facultatem à Sede Apostolica, quòd loquitur de his, qui dictam facultatem eo tempore iam obtinuerant; ac proinde dictas facultates cassat. Nam alioquin certum est, quòd Papa potest dictam facultatem concedere, & non potuit dictus Paulus ligare manus suorum successorum, in dicta interpretatione tamen de nouo facienda, debet fieri mentio de præfata Bulla Pauli IV. expresse, vel æquipollẽter.

Rodriquez

5. Noto 4. quòd, si aliquis Prælatus regularis eligatur in Episcopum, post ipsius consecrationem illa prælatura vacat; quamuis Villalobos 2. par. sum. tract. 35. difficult. 41. nu. 5. dicat, quòd vacat statim post confirmationem. Sed tu dic, quòd non vacat, nisi post consecrationem, vt habetur in cap. *Cum in cunctis*, §. *Cum verò*, de elect. vbi gloss. verb. *Ad quem*, & Abbas num. 3. Et electio pertinet ad illos electores, ad quos pertinuisset, si esset mortuus (nisi aliud per summum Pontificem prouideatur) est enim statim priuatus beneficijs Religionis, & exẽptus à iugo monasticæ disciplinę, cap. *Statutum*, 18. q. 2. vnde non potest esse Religionis caput, cum sit disparis conditionis, clem. 1. de elect. Quare in Ordine nostro cum fuisset in Episcopum promotus Reuerendissimus Pater F. Franciscus de Mayda Generalis, summus Pontifex Gregorius XV. specialiter ei concessit, vt posset, Episcopatu non obstante, continuare in officio Generalatus vsque ad Capitulum generale, vt videri potest in const. quæ super hoc emanauit, quam refero tom. 3. priuil. regul. cap. 11. const. eius 1. Vnde collige, quòd, si Papa non concessisset continuare, non continuasset, Et idem seruatum est in promotione ad Episcopatum Patris Fratris Ludouici Doni Galli, Prouincialis Burgundiæ Ducatus, nam electio successoris acta est a deputatis secundùm constitutiones in casu mortis, in qua interuenire non potuit dictus Episcopus, quia iam erat extra Religionem. Atque ita habetur expressè in dicto cap. *Cum in cunctis*, §. *Cum vero*.

Villalobos

Abbas

6. Noto 5. quòd, si in aliqua Religione esset statutum sub pęna excommunicationis maioris ipso facto, ne quis consentiret in Episcopatum sinè licentia sui Superioris, si aliquis de ea Religione pronunciaretur Episcopus, & ille, audita tali pronunciatione, statim consentiret absque præfata licentia, esset excommunicatus, præsertim si illud statutum esset confirmatum à Papa: nam per votum professionis se obligauit ad seruanda statuta suæ Religionis. Atque ita fuisse decisum in Rota Romana, refert Thomas Falstolius Rotæ auditor in tit. de constit. decis. 1. Si autem summus Pontifex acceptare præcipiat, vel concedat, vt possit consentire absque dicta licentia, clarum est, quòd non erit excommunicatus, cum Papa sit supremus Religionum Prælatus.

Falstolius.

7. Noto 6. Quòd Episcopus regularis renuncians Episcopatui, vel si deponatur absque degradatione, non tenetur ad Religionem redire, nec Religio eum tenetur recipere; quia retinet adhue dignitatem, & eminentiam Episcopalem, quæ est causa saltem partialis, ob quam à Religione fuit exemptus. Ita Rodriq. tom. 3. quæst. regul. q. 51, art. 16. Sa ver. *Episcopus*, num. 11. Sanchez lib. 6. in decal. cap. 6. num. 19. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 1. de statu relig. num. 9. Villalobos 2. par. sum. tract. 35. difficul. 43. num. 1. Alij tamen apud eundem Villalob. num. 3. dicunt, quòd ipse tenetur redire, & quòd Religio tenetur eum recipere, quia remanet Religiosus; nam non est exemptus à Religione ratione Episcopalis dignitatis, sed ratione vinculi matrimonij, quod contraxit cum sua Ecclesia, à quo vinculo cum iam sit liberatus, tenetur ad propriam Religionem redire.

Rodriquez
Sa.
Sanchez.
Layman.
Villalobos

CAP. VII.

De forma, qua Generalis dat licentiam electo in Episcopum, vt possit in Conuentu habere cellam, & alijs priuilegijs Religionis frui.

FRATER N. Ordinis N. Generalis. R. Domino D. Episcopo N. ex Ordine nostro assumpto salutem. Apostolicæ Sedis viso priuilegio, quo R. Dominationi tuæ, in Conuentibus nostris cellam habere queas, cæterisque alijs Religiosis nostris concessis priuilegijs frui, & gaudere, nec id tamen, eadem Sede sic disponente, absque nostra expressa licentia assequi ualeas, nobis instanter supplicasti, ut præfatam tibi

imper-

impertiri facultatē dignaremur. Nos eiusdē Sedis diplomata, ea, qua decet, reuerentia uenerantes, piumque deuotionis studiū considerantes, quod a te, Episcopatui renunciando, ut intra pauperes Religiosorum cellas latitares, erga Minimam hanc Religionem, cuius ubera a puerilibus annis suxisti, egregiè satis significatum est; Tibi, vt in Conuentu nostro S. N. de N. cellam habere possis, victumque communem, necnon vt Capitulis omnibus prædicti Conuentus tam culparum, quam aliorum negotiorum, interesse, & in electionibus, vt cæteri quicunque alij Religiosi votare valeas, licentiam, & facultatem concedimus, ac impertimur. In quorum fidem, &c.

1. Noto, quòd assignare Conuentum dictis Episcopis pertinet ad Prouinciales; assignare autem illis Prouinciam, in qua debeant degere, ad Generalem spectat. Ita colligitur ex const. 4. Sixti IV. §. 10. tom. 2. nostr. priuil.

2. Aduerte etiam, quòd dicti Episcopi possunt etiam admitti ad vocem passiuam; sed non debent inuiti; nec etiam volentes decet ipsos descendere, nisi forte ex humilitate.

CAP. VIII.

De forma, qua Generalis hortatur Prouinciales ad suum officium rectè exercendum.

HVIVS paruula Congregationis regimen vt primum, inscrutabilis Dei prouidentiæ, suscepimus, illud in primis muneris nostri debitum exigere visum est, vt qui metuendum nimis, ac viribus impar, onus subijsse cernimus, compastores, cooperatoresque nostros, ad eam, in quam vocati sunt, nostræ sollicitudinis partem diligentius pertractandam incitaremus. Animarum namque Rectores amplissimum illud Angelorum nomen habent, quorum est, iuxta altissimam D. Dionysij theologiam, purgare inferiores, atque illuminare. Quòd quidem si à nobis detractaretur, ignorare omnino videremur, quàm ardua, & periculosa prouincia sit gregis dominici cura, nihilque aliud foret Pastoris munus suscipere, quā in pinnā tēpli erigi, ut cū maiori inde ignominia & grauiori lapsu rueremus. Quamobrē te R. adm. Patrē N. in quamdā nostræ curæ portionem vnà cum tuis Collegis ascitum per Christi viscera monendum cohortandum, obtestandumque censuimus, vt diuinæ quemadmodùm placuit voluntati, huius tibi Prouinciæ curam demandare, ita quoque concredito tibi gregi omni virtutum laude, sed charitate præsertim, exemplo, ac vigilantia studeas prælucere. Charitate, inquam; nam etsi omnium sit, proximos charitatis, ac pietatis studio complecti, præcipue verò ad sacras populi moderatores hoc spectat, quorum est Dominicis ouibus ita præesse, vt se tamen ex amore ad Pastorum dignitatem vocatos fuisse recordentur iuxta illud, si diligis me pasce oues meas. *Charitate ergo R. A. P. ante omnia opus est, vt Christi videlicet amore gregem pascas, amorē erga oues geras, amorem de cathedra doceas, amoris, charitatisque vexillum in omnibus studijs tuis erigas, vita denique magis, quam amore ouium priuari ducas gloriosum; diuinæ memor sententiæ.* Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis. *Charitatem scito dilectissime, & nihil ignorabis.* Sit in te charitas, *verè dixit Augustinus,* & necesse est plenitudo scientiæ consequatur. Quid enim nescit, qui charitatem scit? *Hæc docebit te, ut fomenta, & oleum magis, quàm ignem, & ferrum suarum ulceribus admoneas; hæc ut flammam de cęlo descendere nequaquam facias super oues, nec ad quemuis undecunque quæsitum colorem gladium exeras potestatis. Hac ita scies, ut potestatem ab Agno cælesti ad ædificationem animarum acceptam, in tyrannidem minimè conuertas; ut amari magis, quam timeri, ut ministrare, quam ministrari, ut pastor denique ouium, quam tonsor, & deglubitor earum nuncupari. Exēplo autem subditos ita præcurras, ut sis bonus odor Christi in omni loco, & quantum in te est, odor uitæ in uitam, non mortis in mortem; quatenus scilicet quicquid ad exactam regularis obseruantiæ formam, morumque ordinatam correctionem spectat, in te ipsa priùs, tanquam in aliarum prototypo, describens, efficias planè, ut qui in uia Dei non sapiunt, exemplo tuo sapiant, & qui sapiunt non desipiant; & qui desipiunt, resipiscant. Vigilantiam prætereà in te summopere optamus, qua super custodias gregis omni tempore uigiles, nec curarum molestia hebescas; ne, te somno oppresso, in agro tibi colendo à Domino dispensato inimicus homo superseminet Zizania, ne oculo tuo conniuente agni ab oculo maligno fascinentur; ne oues à lupo dispergantur, rapiantur, mactentur, deuorentur. Te tandē quàm maximè commonemus, ut in nulla seculi huius uoluptate caput reclinans, in solo Iesu Christi pectore, hoc est oratione, ac meditatione, quæ illius purissimum, & candidissimum pectus referunt, quæque unicum, & maximum sunt Prælatorum solatium, quasi in tutissimo nido, & tranquillissimo por-*

tu conquiescas. Ab eo enim vno pietatis, & charitatis fomenta, sancta vita exemplum, atque odorem nec non gregis custodiam & constanter patiendi robur exhauriendo tibi fore pollicemur. Qua quidem omnia Pater luminum. à quo omne bonum, & datum optimum descendit, praestare tibi gratiosè dignetur, benignèque impertiri. Datum, &c.

LITERA I.

Cap. vnicum.

De forma dispensandi illegitimos.



RATER N. Ordinis N. Generalis Patri F. N. salutem. Cupientes, vt Religiosi curæ nostræ commissi virtutum Domino, suoque simul instituto, quibus addicti sunt, in omnibus, ad quæ Spiritus sanctus eos euocauit, libere valeant deseruire; tecum propterea R. P. quem religiosa vita; spectabiles mores catholica doctrina in agendis prudentia, & honesti labores commendabilem reddunt super irregularitate, quam ex defectu natalium, seù quouis nefario coitu contraxeris, auctoritate apostolica, tenore præsentium dispensamus; ad quascunque Ordinis nostri administrationes, officia, dignitates, gradus, & honores, etiam Generalatus, pariter habilitantes, quatenus ad ea eligi, & assumi, illa que gerere, & exercere licitè, & liberè valeas, ac possis, in contrarium non obstantibus quibuscunque.

1. Noto quòd Generalis, etiam absque Capitulo, potest per se solus illegitimos habilitate, vt dixi tom. 2. Relig. Præl. q. 2. cap. 5. num. 143. Item non esse necesse nominare in specie, ex quo coitu sit natus illegitimus, docet Rodriq. quem cito ibid. num. 145. Illa etenim nominatio, cum precedunt merita illegitimi, & voluntas efficax dispensandi ex quocunque defectu, in habente potestatem id faciendi, ad nihil seruit, nisi ad iniiciendum ruborem ipsi illegitimo. *Rodriquez*

2. Aduerte autem, quòd dispensatus ad dignitates minores, non censetur dispensatus ad maiores. Vnde, si dispensans nullit illegitimum habilitare ad Generalatum, illa clausula, *etiam Generalatus*, tacenda est. Atque ita probaui loc. cit. Relig. Præl. nu. 146. Et pro hac materia illegitimitatis vide, quæ dico loc. cit. à nu. 103. vsque ad 152.

LITERA L.

CAP. I.

De forma instituendi Lectores.

FRATER N. Ordinis N. Generalis R. P. F. N. salutem. Vt primùm ad Generalatus fastigium, superna Dei prouidentia sic disponente, euecti sumus, in ea cura, ac sollicitudine iugi meditatione versamur; atque ad illud præcipuè nostræ mentis intentio ardentiùs incitatur, vt quanto nimirum studio, ac desiderio minimam nostrã Religionem post nos superstitem relinqui, & sartam tectam seruari satagimus tanto etiam conatu ad studiorum institutionem, conseruationem, innouationemque (vnde vita huius bene, beatèque transigenda facultas omnis emanat) ad vnicum veluti tuendæ Religionis præsidium animi nostri propensam voluntatem libenter adiiciamus. Quod sanè cum per prouidam non nisi, ac circumspectam Doctorum Magistrorumque designationem assequi posse videamur, gratum propterea Deo, Religionique nostræ obsequium exhibituros nos fore conspicimus, si in iis locis, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina, & germina salutaria producenda percommoda esse dignoscuntur, habiles, atque idoneos scientiarum Doctores, Præceptoresque constituamus, qui discipulorum audientiumque suorum menti bus, Dei timorem, morumque ordinatam compositionem, regularem obseruantiam, ac disciplinam vna cum literis ingenerarent. Et propter cum Prouincia nostra N. diuina fauente gratia, eiusque moderatorum laudabili opitulante consilio, ac prudentia, in rebus literariis multis ab hinc annis profecisse, & scientiarum muneribus fœcundam intueamur, vt ex ea viri scientia pollentes in dies magis, ac magis, iuuante Deo, exurgant, qui in catholica Ecclesia, uelut splendor fulgeant firmamenti, & tanquã stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad iustitiam valeant plurimos erudire; eamdem in tam egregio, ac laudabili cœpto confirmandam, omnique nostra, qua possumus, opera, atque industria promouendam existimamus. Cum igitur linguarum cognitione, Hæbraicæ præsertim, Græcæ, atque Arabicæ plurimùm se indigere cognoscat, in iisque præterea edoctum, ac versatum exposcat Lectorem, id circo te uenerandum P. F. N. cuius doctrina, docendi facilitas, disserendi elegantia, & in præfatis linguis peritia,

Ftia; ubi non probitas, et religiosi mores apud nos fide dignis testimonijs maximè commendantur, ad eiusmodi munus in aliorum commodum, & profectum, tuique obedientia insigne meritum, ac lucrum obeundum specialiter delegimus, ac destinauimus. Apostolica auctoritate, qua in hac parte fungimur, prædictarum linguarum Lectorem in Conuentu nostro N. cum omnibus gratijs, & priuilegijs, ac exemptionibus, quibus alij Lectores, iuxta nostri Ordinis præscripta, potiri, & gaudere possunt, ac solent, harum serie te damus, instituentes, ac designantes, in virtute sanctæ obedientia itidem præcipiendo, vt prædictum Lectoratus officium statim suscipias, & ad illius executionem, quam citiùs commodè poteris, te accingas. Illud te quoque paterno affectu commonentes, tuas itaque sic formare studeas lectiones, ut auditores uitæ tuæ odore, ac exemplo ad ædificatoriè conuersandum, & prædicandum idoneos, & aptos efficias. Sicque doceas in cathedra, ut ex te tamen discipuli, tanquam ex crucis suggesto uiua uirtutum simulacra exhauriant, ad quę uitam suam erigere queant, & componere. Ita enim, siue natura, siue moribus comparatum esse scis optimè, ut non tam facilè uerba eius, cui se totum quis credit, quàm facta æmulari contendat. Quo fit, ut ijs, qui alios instruunt, perperam agant, fiant ipsis subditi quam simillimi; nec quicquam eo in genere Gregoriano uerbo uerius sit, quo ait, Gregem ferri in præceps, si per prærupta uitiorum pastor gradiatur. Quod quidem ab animi tui candore, ac puritate Deus optimus maximus auertat, suamque tibi ad id munus exequendum perennem largiatur benedictionem. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd tom. 2. nostr. priuil. in const. 2. Clem. VIII. num. 22. probaui, quòd ad Religiones reformandas studia literarum erant inprimis necessaria.

2. Noto 2. quòd Regulares tenentur studijs linguarum Græcarum, &c. incumbere, per constitutionem Pauli V. quam refero tom. 2. dictorum priuil. in const. 2. Iulij II. nu. 19. quam innouauit, & ampliauit Vrbanus VIII. prout refero tom. 3. dictorum priuil. cap. 3. num. 11.

3. Noto 3. quòd priuilegia Lectorum sunt varia, secundùm varietatem Religionum. Vnde vnaquæque Religio potest sua videre. De priuilegijs Lectorum in Iure canonico agitur cap. *Quia nonnulli*, & cap. *Super specula*, de Magist. In quibus cap. statuitur, quòd Magistris assignetur aliqua specialis præbenda ratione Magisterij, ad suas subleuandas necessitates; quæ præbenda, cessante Magisterio, cessat. Ex quo collige, applicando Religionibus, quòd Magistri, seu Lectores plus indigent, quàm alij Religiosi; & quòd istud plus, mandantibus sacris Canonibus, est illi dandum de publico ærario, seu penu communi. Ex quo iustificatur illa praxis, quæ seruatur in aliquibus Regularium Collegijs, in quibus Lectoribus datur ex qualibet comestione duplex pictantia, & pro illis specialiter expenduntur singulis annis duodecim scuta ad subleuandas ipsorum proprias necessitates. Quæ quidem scuta possunt ab ipsis Lectoribus exigi de iustitia, & ad ea soluenda possunt compelli, qui secundùm ipsorum statuta tenentur, vt docet Gloss. in dicto cap. *Super specula*, ver. *Prædicti*. Et potest fieri statutum, quòd ad dicta scuta soluenda teneantur singuli Prouinciæ Conuentus, ne tantùm grauetur Conuentus, in quo sunt studia, vt colligitur ex dicto cap. *Quia nonnulli*, vbi dicitur, quòd si Metropolitana Ecclesia non sufficit ad alendum Magistros necessarios, debet Episcopus cum Capitulo, alteri ipsorum facere prouideri ab alia, seu alijs Ecclesijs suæ Diœcesis. Statuitur etiam in dicto cap. *Super specula*, §. *Docentes*, & in cap. *Relatum*, de Clerico non resid. & in cap. 2. de priuil. in 6. quòd Lectores etiamsi in suis beneficijs non resideant, possint tamen recipere fructus, quousque in docendo fuerint occupati. Ex quo etiam iustificatur illud priuilegium, quòd Lectores non tenentur ire ad chorum, neque de die, neque de nocte, prout etiam declarasse Greg. XIII. refert Gonzal. ad regul. 8. cancell. *Gonzal.* §. 7. prœm. num. 180. & confirmauit Clemens VIII. in decretis editis pro refor. regul. quæ habes tom. 2. nostr. priuil. in const. 10. Vrb. VIII. Et circa hoc priuil. vide Contzen 4. polit. cap. *Contzen.* 14. §. 8. Quæ omnia fuerunt confirmata, & ampliata à Trid. sess. 5. cap. 1. de refor. Ex quo etiam colligitur, quòd in Regularibus locum habeant; nam propè finem dicitur, quòd Episcopus debet, priusquàm aliquem ad Magisterium admittat, illum examinare de vita, moribus, & scientia, *quod tamen non intelligitur de Lectoribus legentibus in claustris Monachorum.* Quæ clausula exceptiua, cum solùm ponatur in hoc puncto de examinatione, denotat, quòd alia ibi disposita secundùm proportionem applicari debent ad Lectores regulares, de quibus etiam loquitur illud cap. nam exceptio firmat regulam in contrarium. Sunt etiam Lectores præ alijs honorandi, vt probo cum multis tom. 1. Relig. q. 2. cap. 2. num. 74. De priuilegijs Lectorum, & Studentium agit ad longum Rebuff. ex quo Contz. loc. cit. cap. 15. col- *Rebuffus.* legit centum octoginta priuilegia. Et de his ego etiam multa dixi loc. cit. Relig. Prælat. à dicto num. 74. Quales autem debeant esse Lectores, dixi ibidem, num. 76. scilicet probi, & docti; & fusè tractat Contzen loc. cit. cap. 8. *Contzen.* Et quem modum tenere debeant in docendo, docet Suar. tom. 4. de relig. tract. 3. lib. 5. cap. 3. *Suarez.* Et denique, quòd scholares tenentur, quantùm possunt, defendere opinionem singularem sui Magistri, docet Abbas in cap. *Super* *Abbas* *specula*, de Magistris num. 3. per leg. *Dicere*, §. *Vnde videndum*, ff. de arb. vbi Bartol. num. 2. *Bartolus.* Quod in tantum est verum, vt si scholaris factus iudex in iudicando sequatur opinionem sui Magistri, non tenetur in syndicatu, & excusatur à condemnatione expensarum. Ita Ad- *Add. Panormit.* dit. Panorm. ad dictum locum. Qui tamen limitat

mitat, modò Magister sit insignis.

4. Noto 4. quòd in Ordine nostro Lectores tenere debent locum suæ professionis; Correct. num 75. & , si laudabilem, ac communem modum legendi excedant, non corriguntur per Correctorem, sed per aliquem superiorum Prælatorum, ibidem. Et ita debent suas formare lectiones, vt eorum auditores ad ædificatoriè prædicandum, & confessiones audiendum aptos, & idoneos efficiant; Regul. nu. 41. Vnde colligitur, quòd Lectores possunt etiam suos scholares corrigare, & si delinquant in scholis, vel etiam alibi, directè, vel indirectè punire, non obstante, quòd morum Magistrum habeant; nam cum debeant Scholares aptos reddere ad ædificatoriè prædicandum, debent hi posse ab illis puniri, si ea perpetrent, quæ dictam ædificatoriam prædicationam impedire possunt; nam alioquin frustra id illis mandaretur, si rebelles cogere non possent; frustra esset enim illa iurisdictio, quæ vi coactiua careret; vnde illud præceptum contineret moralem impossibilitatem, & sic esset impertinens, quod non est dicendum. Nec in hoc possunt impediri a Correctoribus, nec ab alijs Superioribus, etiam maioribus, cum sit punctus Regulę, super quam Prælati non habent facultatem. Possunt itaque Lectores Scholares immodestos, loquaces, &c. disciplinare non solùm in scholis, sed etiam alibi, in refectorio scilicet, seu Capitulo, eisque iubere, vt culpas suas coram Communitate dicant, seù etiam quòd comedant panem, & aquam dumtaxat, quas pęnitentias non possunt Superiores illi condonare absque consensu Lectorum, vt dixi tom. 2. Relig. q. 1. cap. 8. num. 17.

5. Noto 5. quòd congruenter etiam in Collegijs Regularium deputantur studiorum Regentes ad modum Rectorum Vniuersitatum secularium, ad quos Regentes deferuntur causæ omnes ad studium pertinentes, & eorum determinationi statur. Hic etiam Regens potest Scholares, ac etiam Lectores circa studium delinquentes punire; & est rationi valde conformum, ne omnia circa studium occurrentia ad Superiorem deferantur. Sed de hoc infra littera R. cap 4. vide Contzen 4. politicorum, cap. 14. §. 7. Contzen.

CAP. II.

De forma dandi licentiam Religioso, vt legatione fungatur.

F*RATER N. &c. Tibi, &c. Etsi sub iugi meditationis studio, imperturbataque vitæ secessu Altissimo famulantes Religiosos, secularibus negotijs, iuxta Apostolum implicari dedeceat, ne aliqua mundialis cura occasione præpediti, ab eius quam semel aggressi sunt, sanctitatis fastigio deprimantur, ea tamen, quæ pietatem, charitatemque redolent, quæque ad maxima humano generi concilianda bona, ac non mediocre Religioni decus, & ornamentum comquirendum accommodata noscuntur, non remissè, ac fractè, sed propensiùs, ex iniuncti pastoralis officij debito, illis sunt concedenda, eadem hac Apostolo verbis illis suadente,* Tu verò sectare pietatem, & charitatem. *Quo quidem in genere cum præclarum, atque honorificum Legatorum munus habeatur, dissonum profectò, aut alienum à sacro Instituto nequaquam censendum, si ad res grauissimas in populis pertractandas, si ad legationes apud Principes, ac Magnates obeundas assumantur viri religiosi. Cum enim Legati partes sint, lectu, missuque publico, publicum negotium, non militari manu, sed ingenij viribus exantlare sacri porrò viri, quibus hæc animi non desunt ornamenta, minimè prohibendi, quin tam graui, ac pio, tamque honesto munere perfungantur. Quare cum ex tuis, quas nuper dedisti, literis cognouerimus, Serenissimo Duci N. in optatis esse, ad Christianissimum Galliæ Regem pro publicis, grauissimisque negotijs, Legatum te destinare, nec munus hoc absque nostra licentia, & facultate subire, & exequi valeas obnixè, humiliterque rogasti, vt eandem tibi facultatem impertiri dignaremur. Nos attendentes, non exiguum legationem istam, cum Reipublicæ, tum Religioni commodum, dignitatemque conferre, eam quam petis, facultatem harum serie, ac vi libentiùs elargimur. Illud seriò monentes, vt in eiusmodi munere exequendo, prudentiam, modestiam, ac fidelitatem, vt Religiosum decet, exhibeas, ne dum proximo vtilitatem parare speras, exitium inferas, & quam de tuis meritis apud Serenissimum Ducem existimationem concitasti, fœdissimo nomine deturpes, ac dehonestes. Dominus te benedicat. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd tom. 1. Relig. q. 1. cap. 3. num. 7. probaui, quòd Religiosi poterant esse legati ad quoscunque Principes, Reges, ac Imperatores. Tum quòd ille status dicit prærogatiuam, & eminantiam super statum secularium, cum sit perfectionis, & religionis, vnde nullus Principum dedignatur Religiosos Legatos recipere, quamuis priuati Religiosi sint, dedignantur tamen omnes personas priuatas seculares admittere. Tum quòd Religiosi, qui communiter ad hoc munus eliguntur, sunt literati, prudentes, ac modesti. Et in facto ibi duos ex nostris numeraui ex innumeris, qui hoc legationis munere functi fuerunt. Post quos etiam nunc placet de duabus alijs, in gratiam P. Trimarchi nostri, mentionem facere. Et primus sit P. F. Isidorus à Messana, qui eo tépore, quo Dux Maquedę erat Sicilię Prorex, intendebatque Ciuitatem Calatagironensem, propter prætensam rebellionem desolare, dictus P. Isidorus fuit missus Legatus à dicta Ciuitate ad dictum Proregem, qui ea prudentia, & maio-

& maiestate negotium gessit, vt placatus Prorex, abstinuerit à declaratione rebellionis; & consequenter à desolatione dictæ Ciuitatis. Pro quo beneficio dicta Ciuitas dedit pro fabricando in ea Conuentu diuersis vicibus scutorum decem millia, & se obligauit dare in perpetuum pro sustentatione Fratrum centum viginti vncias illius regionis, quæ fere attingunt summam scutorum aureorum ducentum quadraginta. Sed mea sententia debebat erigi statua dicto Patri in monimentum sempiternum talis, & tanti beneficij. Hæc mihi retulit P. Trimarchi noster; qui addidit, quòd tàto fuit captus amore dictus Prorex de Maqueda erga dictum P. Isidorum, quòd, vacante Ecclesia Syracusana, pro Episcopo illius nominauit apud Regem Catholicum dictum P. Isidorum. Eamdemque nominationem, & pro Episcopatu Syracusano, & pro Archiepiscopatu Messanensi in personam eiusdem Patris fecit Comes Castri, nunc Comes de Lemos, quando in eadem Insula fuit Prorex. At his non immorabatur amantissimum illud erga suam Religionem Isidori pectus, malens cum Hieronymo epistol. 99. ad Asellam *fabis in ea implere ventrem, quàm extra illam Attagenem ructare, & de comeso accipensere gloriari*. Secundus fit P. F. Franciscus a Sancto Dorotheo. Is decem, & septem legationibus functus est ad diuersos mundi Potentatus. Et testatus est mihi idem P. Trimarchi authenticas se literas Matriti super his vidisse anno 1633. & constat ex literis datis ex Turriximenia die 30. Decembris 1633. Ibique impressis ab ipso Dorotheo ad Comitem de Olinarez.

D. Hieron.

2. Noto 2. quò Legatus is est, quicunque ab alio ad alium missus est, pro aliquo negotio tractando. Colligitur ex cap. *Presbyterum*, d. 50. Is ante omnia debet esse timens Deum, veridicus, & minimè auarus, vt colligitur ex cap. 18. Exod. mittentis amicus, fidelis, vt sic eius negotium fideliter gerat; illi, ad quem mittitur, amicus, vel saltem non odiosus, quia dum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur, vt dicitur in cap. *In grauibus*, 3. q. 7. & talis debet esse, qualem eum depingit Villadiego in tract. de Legatis, q. 2. vt scilicet sit is, cuius ingressus pacificus, modestus exitus, cuius sermo ædificatio, cuius vita iusta, cuius præsentia grata, cuius memoria in benedictione, qui se amabilem præbeat, non verbo, sed opere, reuerendum se exhibeat, sed actu, non fastu; qui humilem cum humilibus, & innocentem cum innocentibus, & durum cum duris, oblata occasione, præbere se possit. Sit doctus, ac eruditus, vt in promptu possit respondere sensatè, ac resolutè: sit persona grauis, & qualificata, vt sit magis charus, & magis æstimetur ab illo, ad quem mittitur; sit eloquens, vt bene possit, & absque difficultate suos conceptus exprimere. Quare etiam latinè Orator dicitur; vnde Cicero de senect. *Legati*, ait, *verbis appositè collocatis, ac dulcedine, & vt ita dicam, orationis harmonia, animorum duritiea frangitur, ira mitigatur, odia paulatim deponuntur, clementia persuadetur, voluntates resistentium expugnantur*. Vnde Hieronymus Epist. lib. 1. epist. 16, 23. & 61. apud Paschalium c. 15.

Villadiego

Cicero.

D. Hieron.

Rideo, inquit, *Legatum, qui patrono eget*. Sit prudens, vt sciat tacenda tacere, loquenda eloqui, pro temporum, & occasionum varietate. De hac prudentia ait Bragaccia lib. 1. de Legat. cap. 4. Hæc autem prudentia experientia acquiritur; Vnde Dionys. Halic. antiquit. Rom. lib. 10. aiebat, *Nec aliunde melius consilia petuntur, quæ in futurum prosint, quam à præteritarum rerum exemplis*. Sit ante omnia modestus in verbis, gestu, & incessu. Pro quo puncto vide Bragacciam de legatis, lib. 4. cap. 11. Et de qualitatibus legatorum diffusè tractat Carolus Paschalius in suo libro de legatis, cap. 15. 16. 17. Præcipuè tamen debet legatus esse fidelis, vt possit in illo quiescere, qui mittit illum. Vnde Salomon Prouerb. 25. ait, *Sicut frigus niuis in die messis, sic legatus fidelis ei, qui misit illum, animam ipsius requiescere facit*. Elegans sanè comparatio. Sicut enim potus niue refrigeratus æstatis tempore, iuxta communem vsum loquendi, animam ardenti corpori restituit, ita anxiam, & turbulentam pro negotijs animam mittentis legatum quietam, & pacificam absque vlla dubietate reddit eiusdem legati cognita fidelitas. De hac fidelitate agit Bragaccia lib. 6. de leg. cap. 1. Marquez in suo gubern. christ. lib. 1. cap. 34.

Bragaccia

D. Halic.

Paschal.

Marquez.

3. Noto 3. quòd persona legati est sacrosancta, & inuiolabilis, & qui illam tangit, mittentem tangit, & qui illi iniuriam infert, mittenti infert, ita iure gentium disponente, vt habetur in cap. *Ius gentium*, d. 1. & in cap. *Si quis* d. 94. excommunicantur qui legatum violauerint. Et de hac legatorum immunitate tractant P. Greg. de repub. lib. 11. cap. 16. à num. 4. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3. vbi multa congerit Tiraquell. Frachetta in suo seminario, discursu 43. ferè in princ. Paschalius de legatis, cap. 25. Germonius de legatis, lib. 3. cap. 2. num. 7. & 8. Ammiratus in lib. 15. Taciti, cap. 4. nu. 4. Chauassius de vera prud. lib. 4. cap. 6. §. 3. Bragaccia de legatis, lib. 1. cap. 1. ver. *Dendo quinci*. Ratio huius inuiolabilitatis est, tum necessitas communicationis, qua indigent omnes nationes, quæ communicatio non adimpletur, nisi per legatos. Tum quod, vt ait Plato 5. de legib. *Cum peregrinus sit* (Legatus) *desertus ab amicis, & affinibus, dignus est apud homines, & Deos, qui à quacunque vexatione redimatur*.

P. Greg.

Ab Alex.

Tiraq.

Frachetta.

Paschal.

Germon.

Ammir.

Chauaß.

Bragaccia

4. Sed hic quæres, an si Legatus iniuriet illum, ad quem missus est, possit hic, absque offensa eum mittentis, dictum Legatum reiniuriare?

5. Respondetur, posse. Tum quia tunc non induit ampliùs personam Legati, cum id non habeat in mandatis ab eo, qui misit illum, vt supponitur, sed personam priuatam; vnde qui illum offendit offensus, non censetur offendere mittentem, neque Legatum illius, sed personam priuatam, quæ priùs legatione fungebatur, quare mittens non potest iustè conqueri, immo potiùs debet vindictam probare, & adhuc abutentem legatione punire, vt ait P. Greg. de repub. lib. 11. cap. 16. nu. 6. Tum quia Legatorum inuiolabilitas à iure gentium pendet; quod tamen ius gentium etiam præcipit, vt Legati munus suum modestè, & absque iniuria exequantur; ad hoc enim, vt lex sit iusta,

P. Greg.

debet

debet omnes æqualiter afficere. Legatus ergo, qui iniuria afficit illum, ad quem missus est, ius gentium violat; vnde non potest iure gentium deinde se tueri, nec ius gentium illi potest suffragari; nam frustra legis auxilium implorat, qui legem offendit. Quòd enim ius gentium non protegat Legatos, vt ipsi legationis munimi..e alios iniuria afficiant, docet

Paschali⁹. *Germoni⁹.*

Paschalius de legatis, cap. 27. in princip. P. Greg. de repub. lib. 11. cap. 16. num. 6. Germonius de Legatis, lib. 2. cap. 4. vers. *Hæc, & alia.* Tum quia qui iniuriatus reiniuriat, neminem lædit, sed iniuriam repellit; at vim vi repellere licitum esse, natura ipsa dictat. Tum quia si Legatus manus inferat illi, ad quem missus est, nemo dubitat, quòd possit eundem repercutere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere; quare ergo non licebit iniuriantem iniurijs petere? minoris ne forte æstimationis est apud viros honoratos iniuriæ affectio, quam corporis percussio? Tum quia si Legatus vocaret hæreticum illum, ad quem missus est, hic, si esset catholicus non posset, salua catholicorum lege, id dissimulare, sed teneretur ei respondere saltem, Mentiris. At hoc est illum iniuria afficere. Ergo sicut potest, immo debet in hoc casu percutientem repercutere, ita saltem poterit in alijs minoribus casibus reiniuriare. Maior huius syllogismi

Ruffinus.

est Ruffini apud Pegnam 1. par. directorij, com. 16. ver. *Et quia*; vbi sic habet. *Est quidem gloriosum Christi exemplo iniurias tolerare, vnam tamen notam hæreseos, qui fert, vel dissimulat, non est Christianus.* Tum quia Salom. Prou. 26. ait. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Quem locum expli-

D. Cyprian.

cans Cyprian. in libro de singularit. cleric. ait, *Responde insipienti contra ipsius insipientiam, vt non videatur sibi sapiens esse*: idest, aduersus insipientē correctionibus, & animaduersionibus, immo etiam virga vtere, ne impunitas illum

Salazar. *Procopius.*

deteriorem reddat, vt explicat Salazar Prou. cap. 26 vers. 4 & 5. fine. Tum quia Procopius de bello Goth lib. 1. ait, *Magna quædem, & inclyta Oratorum dignitas est, & apud omnes mortales alioquin honorabilis, sed tandiu id in se muneris retinent, quoad ipsi suæ legationis officium seruant; Nam hominem occidere, qui legatione fungatur, tunc quidem, & iure pro humanis legibus licet, cum Regem videbitur contumelia affe-*

Paschali⁹. *Germoni⁹.*

cisse. Atque ita docent Carolus Paschalius de Legatis, cap. 27. versùs finem. Germon. de Leg. lib. 2. cap. 4. vers. *Hæc, & alia*, versùs finem; & lib. 3. cap. 3. num. 7. P. Greg. de repub.

Frachetta. *Bragaccia*

lib. 11. cap. 16. num. 6. Frachetta in suo Seminario discursu 43. vers. *Mà non è men degno.* Bragacela de Legat. lib. 5. cap. 11. pag. mihi 515.

Canonher.

Canonherius quæst. in Tacitum, lib. 2. de Legatis, pag. mihi 583. ver. *Seruanda Legatis.* In-

Marquez. *Chauassius* *Liuius.*

nuunt Marquez in suo guber. christ. lib. 1. c. 34. in princip. Chauassius de perfecta prud. lib. 4. cap. 6. § 3. Neque his obstat dictum Liuij lib. 2. cap. 4. fine, vbi ait. *De Legatis paulùlum addubitatum est, & quamquàm visi sunt commisisse, vt hostium loco essent, ius tamen gentium valuit.* Vnde colligitur, quòd Legatos delinquentes Romani non punierunt. Respondetur enim, Romanos noluisse eo temporis dictos Legatos punire, non quòd iure non possent, sed quia, vel eos magnanimiter spernendos esse iudicarunt, vel quia cum illis clementia vti voluerunt, vt respondet Frachetta loc. cit. in fine; seu id fecerunt pro sua modestia, & ad aliarum gentium gratiam aucupandam, vt ait Godelenius ad dictum locum Liuij; nam alias, ait

Godeleni⁹.

dictus Godel. Romani cœperunt Legatos Annibalis euntes ad Regem Macedonicum, vt narrat Liuius lib. 3. decad. 3.

P. Gregor.

6. Consulit tamen P. Greg. lib. 11. de repub. cap. 6. num. 9. quòd fortè meliùs esset, si Princeps iniuriatus simularet iniuriam, & illam ascriberet mittenti Legatum, vel si peteret vindictam ab illo, qui Legatum misit, vel etiam si rideret Legati iniuriam, & illum excedere iuberet; quod intelligo, modò iniuria esset particularis, non vniuersalis in totum populum, aut communitatem; nam tunc, vt hic infra probabo, eam dissimulare non potest Princeps. Subdit verò P. Greg. *Possunt, & iure, ni fallor, Legatos iniuria afficientes præter mandata retinere Principes, vt interim expectent à mittentibus responsum, num talia fieri, aut dici, quæ facta, dictaue sunt, mandauerint; quòd si mittentes ratum habeant, liberos relinquere; sin minùs puniri ipsi possint, quia tunc non vt legati, sed vt priuati, & delinquentes, per iurisdictionem loci, in quo delinquunt, comprimi possunt. Immò si non probentur à suis possunt, vt hostes iure necari.*

7. Vnde collige, quòd si Legatus iniuriet illum, ad quem missus est, de mandato illius, qui misit illum, tunc offensus non potest licitè reiniuriare Legatum, qui solùm merus executor fuit, sed debet vindictam sumere de mittente. Duæ tamen adhuc requiruntur conditiones in Legato habente talem commissionem ad hoc, vt licitè possit euadere pœnam, & vitare furorem illius, ad quem missus est. 1. vt protestetur, se id dicere omnino de mandato mittentis illum. 2. vt id faciat lenissimis, & modestissimis verbis, & suauissimè, quantum fieri potest. Atque ita Germonius de

Germoni⁹.

Legatis, lib. 2. cap. 5. num. 10 & cap. 6. nu. 20. Hoc tamen adhuc periculosum est Legato, si agendum sit cum Principe cholerico. Sed quid, si Legatus iniuriet non solùm illum, ad quem missus est, sed totam ipsius communitatem, V. G. si missus ad Ducem aliquem Corsicæ, dicat, non est nouum, Corsos gentem esse barbaram, proditricem, ingratam; seu etiam ad aliquem Religiosum missus dicat, Religionem esse ingratam? liberum ne erit Duci illi Legatum reiniuriare, uel dimittere, ut hucusque dictum est, an uerò tenebitur iniuriam repellere? Ego in hoc puncto puto, quòd tenebitur in conscientia dictus Dux, seu Religiosus iniuriam repellere. Constat; quia tunc iniuria facta est communitati, quæ sinè offensa Dei tolerari non potest, cum hoc etiam redundet in offensam Dei, iuxta doctrinam D. Thomæ

D. Thomas

quodlib. 5. art. 26. & expressiùs 2. 2. q. 108. art. 1. ad 2. vbi ait, *Dicendum, quòd mali tolerantur à bonis in hoc, quòd ab eis proprias iniurias patienter sustinent, secundùm quod oportet, non autem tolerant eos, vt sustineant iniurias Dei, & proximorum; dicit enim Chrysost. hom. 5. in Matth. op. imperf. In proprijs iniurijs esse quempiam patientem, laudabile est, iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.* Et ad 4. ait, *Dicendum, quòd*

iniuria,

iniuria, quæ infertur personæ alicui, quandoque redundat in Deum, & in Ecclesiam, & tunc debet aliquis propriam iniuriam vlcisci, sicut patet de Helia, qui fecit ignem descendere super eos, qui veniebant ad ipsum capiendum, vt legitur 4. Regum 1. Et similiter Elisæus maledixit pueris eum irridentibus 4. Regum 2. In quantum verò iniuria in aliquem illata, ad eius personam pertinet, debet eam tolerare patienter, si expediat. Et opusc. 19. contra impugn. Relig. cap. 14. probat, quòd Apostolici viri maledicentibus resistere possunt, eosque repellere, non amore priuatæ gloriæ, sed communis vtilitatis. Sed si quis publicè dicat, quòd aliqua communitas Religiosorum est ingrata V. G. id redundat in maximam iniuriam Dei, cuius obsequijs illa communitas est specialiter mancipata, quasi Deus toleret sibi seruiri à personis ingratitudinis nota notatis; eo modo, quo iniuria fieret Principi, de quo diceretur, quòd toleraret in sua aula seruos scelestos. Et Tostatus q. 2. in cap. 42. Genes. ait, *Si autem iniuria facta sit alicui communitati non debet aliquo modo remitti sinè congrua satisfactione, & punitione.* Idemque censet, si iniuria facta sit personæ alicui communi. Ex quibus concludo, quòd iniuriæ factæ alicui communitati à quacumque persona factæ sint, tolerari non debent; nisi fortè prudentia tolerare suaderet ad tempus in aliquo casu speciali.

CAP. III.

De *forma dandi alicui licentiam libros imprimendi.*

F*RATER N. Ordinis N. Generalis R. P. F. N. salutem. In quãdam militantis Ecclesię curam, sollicitudinemque, meritis licèt imparibus, euocati sedulo inuigilare tenemur, vt quos in Domino filios quotidianis oneribus, doloribusque in vitam cælestem parit mater Religio, editosque non desinit tenerioris scientiæ lacte reficere, ablactatos autem solidioris doctrinæ cibo enutrit; cæteris quoque cum Religionis, tum Ecclesiæ alumnis conquisitæ sapientiæ communicatione, verbo, vel scripto nunquam non prosint.* Sapientia enim abscondita, & thesaurus inuisus: quæ vtilitas in vtrisque? *verè, grauiterque dixit Sapiens. Quod quidem si à nobis parui penderetur, muneri nostro deeße videremur. & scientiæ donum per sterilitatem euertentes Religiosi, velut infœcundę arbores cultori suo fructum denegantes, è vita mererentur excidi. Quamobrem cum ex literis tuis, quas nuper misisti, nobis innotuerit, maximo te ingenio, studioque in sacram Genesim commentaria peperiße, quę lucem publicam aspicere exoptas, obnixèque rogaueris, vt nostra tibi pro eisdem prælo subijciendis, licentiam, ac facultatem impertiri dignaremur. Nos attēdentes, eum, qui Dei beneficio rectè aliquid fecerit, cæteris quoque iuxta D. Basilij sententiam, notum facere debere: Miserrimumque esse habenti à Deo gratiam intellectus posteris suis, idest, studiosis, nihil scriptum dimittere: prętactam tibi licentiam, ac facultatem harum serie concedimus, & elargimur; modò tamen duo ex Ordine nostro Theologi, à P. F. N. huius Prouinciæ Prouinciali deligendi hæc, quæ in sacram Genesim scripto persecutus es, accuratè admodùm viderint, & perlegerint, atque ad maiorem Deo gloriam, Religioni decus, proximoque vtilitatem cõquirendam opportuna existimauerint. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd antequam libri edantur, tres requiruntur licentiæ. 1. enim requiritur Superioris religionis licentia. Et hoc puto, ne aliquid sordidi, inordinati, & obscuri in illis contineatur, quod possit librum, & Religionem simul deturpare, obscurare, & denigrare; sunt enim tam acuti huius ætatis librorum feracissimæ critici, vt libros librare non sint contenti, sed eos velint cribrare, & recribrare accuratè non solùm, sed & immisericorditer; nam plurima in libris nitentia licèt reperiant, maculis tamen quibusdam, quas aut iniuria fudit, aut humana parùm cauit natura, offenduntur, hasque memoriæ diligenter mandant, vt postea in compitis, & triuijs cunctia propalent. Miserrima gens; quæ putat, ex aliorum quisquilijs nitorem sibi comparari. 2. requiruntur licentiæ Inquisitorum, &c. Et hoc puto, ne impia sub dulci melle venena lateant, impura enim lectio maximum est vitiorum irritamentum, & ad corrumpendos animos potentissimè valet; vnde meritò acutissimis Theologis, ijsque perspicacissimis probandi, antequam edantur, libri traduntur, qui in hoc munere tenentur esse exquisitissimi, ne, si errores irrepant, prohibeantur, cum auctorum damno, & vituperio, ac insani, & imperiti vulgi detrimento, quod fugientes, & prohibitos libros vndequaque venatur, quasi in illis sapientiæ absconditi thesauri recludantur, & in concessis vulgaris solum disciplina contineatur. Plebs curiosorum fanatica, quæ in puluere aurum quærit, ac si sancta mater Ecclesia Catholica, simulque pia, quando in aliquo scriptore errores irrepserunt, si doctrina alijs sit futura vtilis Christiano populo, erroribus resecatis, libros non concederet. Secularis tertiò politia libros sua examinat trutina, ne quod scilicet in ijs contra statum Reipublicæ dogma, quod populi constantiam enecet, pacemque publicam turbet, doceatur; sicut enim cudendæ monetæ seueras leges fert, & tuetur, ita etiam de libris idem sibi statuendum, tuendumque esse opinatur; & meritò, nam plus est animos, quàm fidem commerciorum corrumpi. Et denique omnes eò tendunt, vt sicut non temerè quæuis esculenta citra delectum palato admittenda censemus, nisi antea simus per omnia certi de eorum salubritate, sic quoque, immo multò diligentiùs curandum est, ne quælibet quorumlibet nugæ quibuslibet legi permittantur. Pro librorũ impressione vide, quę dico to. 1. Relig. q. 3. c. 9

bentes, uel habituri, aliquid sibi detrahere non erubescunt. Fidelitatem denique, ingenuumque auctoris pudorem quid commemorem? ut si quos ad scripta firmanda Doctores uocet, inoffenso pede possint decurri; & si quidquam ex alienę doctrinę penu in sua opera depromat, ingenio sit nequaquam ingrato, uel impudenti, sed per quos profecerit ostendendo, in ęris alieni cumulo creditoris nomen libentissimè profiteatur. Quę quidem omnia animo reuoluens tam pręclarum, atque egregium Scriptoris opus pręlo committendum fore existimo, indubieque confiteor, ut copiosissimi nimirum scientię fructus ingenij felicitate pullulantes, ab omnibus colligantur; & quę spiritualibus angustijs capi non potest ampla supellex, in aperto orbis theatro perspecta, sapientum oculos pascat; ac probatissimi demũ, lectissimiq; auctoris labores, in quibus humana exultant industria, ex arcana mentis custodia emergentes, in omnem posterorum memoriam consecrentur. In quorum fidem, &c. Datum &c. Frater N. &c.

Nota, quòd illa forma cõprehẽdit omnia fere motiua, propter quæ libri placere solent; vnde non est necesse in cuiusque libri approbatione, immo neque deceret aliquando eam ad verbum transcribere, sed poterit quilibet suum motiuum, alijs relictis decerpere, suoque ingenio, & libro approbando accommodare.

LITERA M.

CAP. I.

De forma instituendi magistrum. Cæremoniarum.



FR. N. &c. Super muros Ecclesię constitui à Deo custodes religiosi uiri, sic diuinę laudis officijs, ritib⁹, ac cæremonijs debēt esse intēti, vt cęlestes ueluti milites, instructas cęli acies imitentur, & choros, in quibus Dei Verbũ sequentibus, nil confusum apparet, uel inconcinnum. Quod quidem si ab ijs detrectetur, uerendum profectò, ne à pręscriptis sacrorum rituum documentis resilientes à cęlesti tandem, ac pura, qua beari expectant, diuinarum mentium harmonia prolabantur. Id enim & supremo illi cętus angelici Corypheo nouimus contigisse, qui cum in lateribus aquilonis Regis magni ciuitate, ubi decies centena millia Deum laudantes assistunt, nõ stare, vt cæteri, sed impudentissimè sedere, sociamque Dei laudationem cęremoniarum neglectu dispicere pręsumpsisset, audire meruit. Quomodò cecidisti de cęlo Lucifer, qui mane oriebaris?

Hanc auertere à militibus suis irreparabilem iacturam satagentes Ecclesię Duces, ut ingenitum corporibus, animisque torporem depellerent præcipuas demãdati muneris partes eas esse censuerunt, aptos nimirum, atque idoneos quouis tempore Cęremoniarios pręficere, à quorum nutu, ac imperio cęteri, tanquam multitudo cęlestis militię ab Archangelo Gabriele, pendentes rectam psallendi rationem, sacrarumque cæremoniarum formulam ediscerent, ac feliciùs exhaurirent. In eamdem nos quoque cogitationem rapit sollicitudo nostra erga res sacras, pro quibus potissimum tuendis pastoralis officij iugum humeris nostris impositum cogitamus, quibusque neglectis, uel ipsum Religionis uocabulum negligi necesse est, ac pœnitus euanescere. Quamobrem cum te supradictum in diuini cultus ministerijs, pijsque ritibus, ac cæremonijs longe uersatissimum, scientia itidem, honestisque moribus, ac modestia præsertim commendabilem esse sciamus, te proinde, Conuentus nostri N. Cæremoniarum, & sacrorum rituum ueluti moderatorem, ac ducem, harum serie, ac ut seligimus, & destinamus. Vniuersis, & singulis eiusdem Conuentus Patribus, ac Religiosis præcipientes, ut tibi uni, quò ad rem diuinam, officium, ac reliquas omnes, tàm Ecclesiæ, quàm Cænobij generales, & peculiares, cum publicas, tum priuatas, ac domesticas cæremoniarum, siue rituum exercitationes, promptè ad nutum, alacriterque pareant, obtemperent, ac obsequantur. Eiusmodi autem munus, vt vigilantiùs, expeditiùsque obire valeas, ab omnibus etiam, quæ in eo exequendo exturbare vllatenus possint, earumdẽ nostrarũ serie prorsus eximimus, ac liberam⁹. Socium quoque tibi iungentes P. N. qui vices tuas, si res exegerit, obire, nec alias, quã à te probatas functiones edocere teneatur. Illud verò monemus in primis, quin & districtè præcipimus, vt semel saltem quolibet mense, in Ecclesiam, vel aliò, stata die Religiosis omnibus conuocatis Breuiarij, Missalisque Romani, nec non Ritualis nostri formulas, & rubricas per te explicatas, in praxim cures ab aliquibus deducendas. Ac præterea ne S. Patris Institutoris cæremonialia monimenta, diuino quodam edita artificio obsolescant, eadem ipsa, quo ad fieri poterit, tam in Ecclesia, quam in cœnaculo, atque alibi obseruanda, & in prædictis cæremoniarum conuocationibus enucleanda esse, pariter iubemus. Porrò si quidquam in ijs à Breuiarij, Missalisque Romani regulis, ac notis discrepare, vel ipsis minùs congruere animaduerteris, illud vel apta, ac opportuna conciliare expositione,

vel modestiae saltem, & quod venerationem preferat, silentio studebis inuolare. Hac tibi demum concrediti officij summa, dilecte Fili, vt ipsi videlicet sedulò intendas, & totis incumbas studijs, ac viribus, nec quidquam minutū esse scias, quod Dei causa suscipitur. In te uno nititur religiosi cultus obseruatio, quam si per steriles, ac inanes actus euerti contingat tibi vni putes tribuendum. Exere igitur uires, & cura, ut Ecclesiastica officia religiosè persoluantur. Ita enim fiet, ut ad altiora perfectionis culmina subleuari se sinant caeremonijs instructi Religiosi, & copijs omnibus uitae necessarijs, ut olim Maiores nostri, a liberalissima Dei manu cumulari mereantur. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

1. Noto 1. quòd vsus caeremoniarum praeceptus est nobis in scriptura pluribus locis Deuteron. 26. vers. 17. *Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius, & custodias caeremonias illius, & mandata, atque iudicia, & obedias eius imperio.* Et Leuitici 5. vers. 15. *anima, si praeuaricans caeremonias peccauerit, offerat &c.* Et Leuitici liber totus est in praeceptis caeremonialibus. Est autem caeremonia secundum Abulensem q. 6. ad finem in cap. 27. Exodi specialis, & externus ritus colendi Deum, in quo cultu considerari possunt, & ipse actus colendi, qui debet esse humilis, grauis, modestus, & ipsi colentes, qui debent esse ad cultum Dei specialiter instituti per consecrationem legitimam, & singulari conuersatione, ac in habitu, &c. à secularibus distincti, & instrumenta dicti cultus, vt vasa, vestes, &c. vt ex D.
D. Thomas Thoma 1. 2. q. 102. docet Carthusianus in Leuit. a. 1. Porro propter tria caeremoniae institutae sunt. 1. ad excitandam fidelium deuotionem erga sacra mysteria. 2. ad illorum instructionem, quia solent simplices erudiri per signa sensibilia, & rudiorum mens sic eleuari ad sublimiora praecipienda, vnde dum solemnes illos ritus intuentur, vel erudiuntor, vel saltem extimulantur ad inquirendum quid per illos significetur. 3. ad adumbrandam Ecclesiam triumphantem, vnde per illa, quae in celebratione missarum, & officiorum geruntur, monemur ad perennem illam solemnitatem as-
Marchantius. pirare. Ita Marchantius in virga Aaronis lect. 18. Adde vt essent ornamentum Ecclesiae vt as-
Marius. serit Marius in cap. 4. Deuteronom. Ad illa verba *quae est enim alia gens &c.* Videri potest
Hosius. D. Thomas 1. 2. q. 102. & 103. Hosius in 9. &
Lorinus. 10. praecep. decal. à cap. 86. Lorinus praefat. in leuit. cap. 7 & Trid. sess. 22. de sacrific. missae
Dereytoles cap. 5. Dereytoles noster in cap. 1. Zachariae vers. 6. q. 2. num. 5. & 6.

2. Noto 2. quòd in qualibet bene ordinata Republica tria debent esse genera praeceptorū, moralium nimirum, iudicialium, & caeremonialium, sic Deus in Republica Iudaeorum, ab ipso instituta, haec praecepta instituit, vt constat ex multis locis Deuteronom. praesertim cap. 4. vbi ait. *Quae est enim alia gens sic inclyta, vt habeat caeremonias, iustaque iudicia, et vniuersā legē.* Custodia autem horum praeceptorum superioribus Reipublicae demandatur, & hoc ad ipsius Reipublicae perfectionem, necessitatem, & decorem pertinet, vt D. Thomas probat 2. 2. q. 183. *D. Thomas*
a. 2. Quia autem haec praecepta diuersas actiones dicūt, quae per vnum solum hominem recte adimpleri non possunt. Ideo oportet, vt ad diuersas actiones diuersi homines deputentur, vt probat D. Tho. loc. cit. Et sic Christus in christiana Republica, vt ait Apostulus ad Ephesios 4. *dedit quosdā quidē Apostolos, quosdā autē prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Sic in rebus publicis secularibus habetur summus omnium moderator, iudices ministrantes iustitiam, & alij dirigentes ea, quae ad Reipublicae pulchritudinem, & decorem faciunt. Sic etiam in quibuscunque particularibus Ecclesijs, quae etiam paruae Reipublicae sunt, habetur summus moderator Episcopus, Vicarius, seu alij iudices causarum, & magistri caeremoniarum dirigentes ea, quae ad exteriorem cultū Dei pertinent. Cum ergo noster legislator imitatione Dei illa tria praeceptorum genera instituerit in sua religione, nimirū Regulam, in qua moralia praecepta continentur, Correctorium, in quo iudicialia, & Ceremoniale, in quo ceremonialia, quod nullus legislatorum fecit, quod sciam, consequenter meritò vocatur religio nostra inclyta, magnifica, insignis, & super omnes perfecta, vt probo diffuse disp. 1. Proemiali cōmentar. in regul. minim. cap. 3. complectens totius religionis perfectionem, vt canit Ecclesia in respōsorijs B. P. Quae quidem praecepta cum per vnum hominem rectè exerceri nō possint, ideo oportet, vt cura saltem caeremoniarum alicui Patri particulari tradatur, relicta cura aliorum superioribus ordinarijs. Quod mihi videtur sine difficultate in ordine nostro, eo enim ipso quòd caeremonias instituit, videtur etiam demandasse curam illarum alicui fratri particulari, qui illas dirigeret, doceret, explicaret, practicaret, est enim vsus caeremoniarum perdifficilis, cum ad minutissima descendat, vnde diligenti directore indiget eius praxis. Nec potest superior his vacare, cum multis alijs curis distrahatur. Vnde in religione nostra in Conuentibus principalioribus semper adfuit dictus magister caeremoniarum, qui quidem in Hispania vocatur magister Chori. In Italia verò magister caeremoniarum. Et cum dictus magister multùm conferat ad diuinum cultum augendū, ad adiuuandum studium religiosorum circa diuina officia, & ad excitandam populi deuotionem, decet illum in omnibus Ecclesijs praecipuè collegiatis, & regularibus principalibus instituere, qui sit vir probus, in dignitate sacerdotali cōstitutus, bonis moribus ornatus, alios grauitate, doctrina, prudentia, & decore praecellens, in Ecclesiasticis ministerijs sufficienter instructus, sacrorumque rituum, ac caeremoniarum studiosus.

3. Noto 3. quòd de magistro caeremoniarum tractant Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 5. Castaldus in praxi caerem. Sect. 1. per totam, Caeremon. cleric. minorum cap. 1. Eius officium est cuncta munera Ecclesiastica prospicere, & prouidere praesertim in diebus solemnioribus, vt tempore scilicet, & loco omnia sint in Ecclesia rectè disposita. Item in vigilia cuiusque diei festi solemnioris debet affi-

gere tabellã, in qua ministri officia illius diei completuri designentur omnes, eosque de particularibus cæremonijs illius diei instruere, sacristamque monere, vt præparet, quæ in particulari dictis diebus sunt præparanda. Attendereque etiam debet diligenter, an omnes, deuote, & grauiter, ac humiliter edoctas cęremonias seruent, negligentes, illius muneris est, charitatiuè monere, vt diligentiores sint, & per hoc necesse est, vt superiores mandent, vt illi omnes simpliciter pareant, & absque repugnantia, aut disputatione faciant, quæ ab illo mandantur. Quòd si ipse in aliquo defecerit à superiore dumtaxat moneatur, seù à Patribus senioribus, & grauibus adhoc, vt confusio vitetur.

4. Noto 4. quòd nuper in dubium versum est, an Cæremoniale nostrum fuerit à B. P. immediatè compositum, an verò solùm de illius iussione, & ab ipso approbatum. Ego puto, quòd fuerit ab ipso immediate compositum, & probat mihi euidenter titulus dicti cęremonialis, qui talis est. *Cæremoniæ obseruantissimi Ordinis fratrum minimorum à Beatissimo Francisco de Paula prædicti ordinis præcipuo institutore diuino quodam artificio editæ*, Qui titulus est antiquissimus, habeo enim cæremoniale impressum Parisijs anno 1528. in quo talis titulus habetur, & fuit semper hic titulus dicto cæremoniali præpositus in omnibus impressionibus, quæ de illo sunt factæ ab illo tempore, idest anno 11. post mortem B. P. vsque ad præsentem diem, & dictum cęremoniale semper fuit positum inter opera B. P. & semper fuit ab illo vsque ad hæc tempora dictus B. P. præfati cæremonialis existimatus absq; vlla hæsitatione auctor, quod etiam sentit P. Passarel. in Indice regulæ, & constitutionum verbo, *cæremoniæ P. nostri S. Francisci obseruandæ*.

5. Verum quidem est, quòd in capitulo generali Turon. num. 46. & in Tolosano num. 18. & Romano 1. num. 17. idest 2. 3. & 4. religionis dicitur quod dictum nostrum cæremoniale fuit factum tempore B. P. & decernitur in dictis Capitulis, quòd dictum cæremoniale seruetur, & legatur quousque in proximo generali capitulo de eo totaliter concludatur, ad hoc vt vnaquęque prouincia possit se in eo cõformare. In quinto verò capitulo generali, quod fuit celebratum Parisijs n. 19. & in 6. quod fuit celebratum Romæ pro tertia vice num. 16. deliberatum est, quod omnes prouinciæ se in eo conforment, cum enim in prædictis capitulis. 2. 3. & 4. reiecta fuisset decisio difficultatis, an Cæremoniale à B. P. compositum esset vbiq; seruandum propter multas, & varias difficultates, quæ ex eius obseruantia resultare videbantur ob regionum varietatem, in quintum capitulum generale proximum, quod deinde fuit celebratum Parisijs, hoc capitulum nu. 19. præcepit, vt dictum Cæremoniale ab omnibus vbique seruaretur his verbis. *Præcipientes omnibus, & singulis nostræ religionis fratribus, quòd in cæremoniarum obseruatione se studeant conformare*, quod decretum fuit confirmatum deinde in c. sequenti Romæ 3. celebrato nu. 16. sub iisdem verbis, addito solùm, quòd ad illius obseruantiam tenerentur omnes fratres, *cuiuscunq; gradus, conditionis, & status fuerint*, quod ad vnguẽ fuit obseruatum vsq; ad annum 1574. Cum enim per illa tempora fuisset reformatum Breuiariũ Romanum, religio nostra, quę nec latum vnguẽ discedere profitetur à ritibus Romanæ Ecclesiæ iuxta legislatoris præceptum in cap. 4. regulæ n. 11. congregata in cap. generali Genuen. 4. n. 32 statuendo mandauit, quòd omnes se conformarent in persoluẽdis horis canonicis, & celebratione missarum Breuiario reformato ab Ecclesia, omisso nostro Cæremoniali in his, quæ illi sunt positiuè contraria, idest in his, in quibus Cæremoniale Romanum aliquid fieri mandat, vel non fieri prohibet, non autem in his, quę sunt solùm illi cõtraria negatiuè, idest, in quibus Cæremoniale Romanum concedit aliquid ita fieri iuxta doctrinam, quam tradidi tom. 3. primi cap. 1. n. 12. quòd est multùm aduertendũ, in alijs vero seruaretur Cæremoniale nostrum, quod decretum fuit confirmatũ in c. Barcinon. 1. n. 5. & Massiliensi 1. n. mihi 63. Itaque Cæremoniale nostrum seruandum omnino est sub graui culpa (adest enim in prædictis capitulis præceptum de illius obseruantia) in his omnibus, in quibus Cęremoniale Romanum expresse cõtrarium positiue non præcipit, si autem Romanum tantummodo concedat aliquid tali modo fieri, & nostrum aliter fieri mandet, nostrum seruandum est. Et similiter seruandum est in his, quæ sunt supra, & præter Cæremoniale Romanum, idest in his, de quibus dictum Romanum Cæremoniale nihil disponit, vel ad illud nullo modo pertinent iuxta ea, quæ in simili dixi tom. 1. relig. subd. q. 1. cap. 8. in princ. nam hæc non sunt contra dictum Cæremoniale Romanum per doctrinam D. Thomæ 3. contra gentes cap. 100. Cum ergo religio nostra iam semper tenax fuerit obseruantiæ dicti nostri cæremonialis, nec illud vnquam relinquendum putauerit, nisi in his præcisè, quæ dixi, certum est, quòd antiqui illi patres, qui claram notitiam habebant de rebus B. P. vtpote eius contemporanei putarunt dictum nostrum Cęremoniale fuisse compositum à B. P.

6. Ad illud quod dicunt dicta duo capitula Cæremoniale fuisse compositum tempore B. P. R. dicta capitula non negare, quòd fuerit à B. P. compositum, sed tantùm velle, quòd post compositionem fuit traditum aliquibus patribus literatis, vt illud reuiderent, cum enim B. P. humillimus esset, parùm sibi confidebat, & nihil æstimabat propria, immo ex industria affectabat ad gloriolam vitandam, vt propria, non propria viderentur. Et licet diceremus, quòd fuit tantummodo factum de illius iussione, & ab eo solum approbatum, non per hoc tamen desineret esse B. P. nam ea nostra facimus, quæ recognita, vt hic auctoritate nostra approbamus l. 1. C. de iur. vet. enucl. & cap. *Si Apostolicæ* de præb. in 6. Seu dic, & veriùs meo videri, quòd fuit error, vel impressoris, vel Scribæ Capituli Turonensis, quem deinde errorem secuta sunt sequentia duo capitula Tolosanum 3. scilicet, & Rom. 2. quem quidem errorem sic restituo, *Cæremoniæ à bonæ memoriæ legislatore nostro compositæ*; & illius erroris causa fuit dictũ Capitulum Turonense, quod sic habet; *Cæremoniæ bonæ memoriæ legislatoris nostri compositæ*, quod cum vellet corrigere Cap. Tolosanum, addidit illam particulam *tempore*, & sic restituit,

simus, officijque nostri sigillo communiuimus; serie, ac vigore te ipsum earundem Gubernatorem ad beneplacitum nostrum eligimus, declaramus, ac destinamus. Rationabili de causa, debitisque modis, ac formis clausuram ingrediendi, Moniales alloquendi, earumque negotia peragendi, iura seruandi, lites incipiendi, ac prosequendi, necnon coram quocumque iudice tam ecclesiastico, quàm seculari comparendi, eaque omnia demum praestandi, quæ temporali earum gubernationi, regularis obseruantiæ incrementis, ac earundem puritati, & honestati in dies expedire videbuntur, in omnibus tamen, ac singulis seruatis seruandis, facultatem concedentes. Illud vnum in Domino te commonentes, vt hac omnia eo charitatis zelo, qui Christi sponsarum custodiæ, gubernationique debetur, tanquam zelotypo sponso in districto vltimi iudicij die rationem redditurus sollicitè exequaris. In quorum fidem, &c.

1. Nota pro ista forma, quæ dico tom. 2. priuil. in const. 6. Pij V. à num. 29.

CAP. III.

De forma, qua Prælatus dat facultatem alicui visitandi Monasteria Monialium.

FRATER N. Ordinis N. Generalis R. P. F. N. salutem. Florido, atque amœno huius nostræ Religionis hortulo excolendo, Deo auctore, constituti, muneris nostri esse putamus, sedulò, ac diligenter curare, vt sacri eiusdem Religionis flores, & candida præsertim lilia, Sanctimoniales videlicet, impolluta seruentur, ac illibata. Quod quidem eum per sollicitam, atque opportunam earundem visitationem, quæ alea veluti sepes hortulum munit, consequi posse videamur, ad idoneos ea propter visitatores, qui vices nostras obeant, cum ipsi adesse non valemus, destinandos inducimur, prout suadet vtilitas, & necessitas exigit, atque in Domino conspicimus salubriter expedire. Harum igitur literarum serie, ac vi, tibi præfato, cuius prudentia, scientia, ac vitæ probitas nos minimè latet, auctoritatem, facultatemque concedimus Monialium nostri Ordinis Monasterium N. Ciuitatis N. visitandi; nostrum te eiusdem Monasterij Visitatorem dantes, eligentes, & constituentes, ut auctoritate nostra, & quauis alia nobis quomodocunque legitimè competente, Regulam nostram, generalia, ac prouincialia statuta, necnon sacrosancti Concilij Trid. sacraque Congreg. Cardinalium præfati Concilij interpretum, ac Regularium negotijs præpositorum, decreta, & mandata, quascunque eiusdem Monasterij personas, quas secundum Deum, & iustitiam monitione, correctione, punitione noueris indigere, monendo, corrigendo, ac puniendo, abusus quoque, si quos forsan damnosis astu, vel quarumcunque personarum fraudibus irrepsisse comperies, funditùs euellendo, laudabiles etiam quoscunque ritus canonicis sanctionibus disciplinaque regulari conformes, piè, prudenterque inuehendo, exactè pro viribus obseruanda cures, ac enitaris. Quòd si ad absolutam prædictorum omnium executionem, in eiusdem Monasterij septa opus fuerit te introire, liberam etiam, ut res tulerit, & necessitas postulauerit, P. F. N. quem etiam præfatæ visitationis Collegam tibi assignamus, in socium assumpto, ingrediendi facultatem concedimus, & elargimur. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd visitatores Ordinis nostri, nec superiores Prælati possunt Monasteria Monialium nobis subiecta ingredi, iuxta ea, quæ dixi tom. 2. nostr. priuil. in const. 4. Pauli III. num. 2. & habetur expressè in nostro Correct. num. 38.

2. Noto 2. quod Visitatores Monialium debent omnino videre ordinationes, quas fecerunt Cardinales Congreg. Regularium; & eas refert Piasecius in sua praxi, par. 2. cap. 3. tit. de visit. Sanctimonialium, pag. mihi 204. & Quaranta in summ. bull. verb. *Monasteria Monialium*, pag. mihi 453. *Piasecius. Quaranta*

3. Noto 3. quòd concedere facultatem ingrediendi septa Monasterij Monialium in casibus necessitatis, spectat ad Superiores regulares, vt declarauit sacra Congreg. Concilij; quam declarationem dicit se vidisse authenticam Barbos. de potest. Episc. par. 2. alleg. 102. num. 41. & dixi tom. 2. priuil. in const. 6. Pij V. num. 29. Qua facultate non sunt priuati Prælati Ordinis nostri, licèt pro se ipsis ea vti non possint. Quia est expressè prohibitum in Regula Monialium, vt dixi. In casu autem dictæ necessitatis, si non possit facile obtineri licentia Prælati, posse Præfectam Monasterij dictam licentiam concedere docet Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 46. art. 8. fine. Barbos. in Trid. sess. 25. cap. 5. de reg. num. 27. Campanil. in diuers. iur. rub. 12. cap. 16. num. 25. & est valde rationabile, nam necessitas facit licitum, quod aliàs licitum non est. Et aduerte, quòd necessitas attendenda est non solum ex parte Monasterij, sed etiam ex parte Ingredientis, vt notat Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 1. cap. 10. num. 22. *Barbosa. Rodriquez. Barbosa. Campanil. Suarez.*

4. Noto 4. quòd extra casus necessitatis dare licentiam alicui ingrediendi Monasteria Monialium ad solum Papam pertinet. Colligitur ex Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Sed pone casum, quòd aliqua nobilissima fœmina obtinuerit à Summo Pontifice priuilegium ingrediendi

biliter obseruari, atque, vbi necessitas non est, inconuertibilia manere expediat; iustissimum tamen esse liquet, vt ob pias, ac rationabiles causas, quæ corporis præcipuè tangunt incolumitatem, vbi expedire videbitur, non nunquam intermittantur, ne illa, quæ pro sola charitate inducta, ac statuta esse dignoscuntur, contra charitatē teneantur. Cum Pastoralis igitur officij debitū, natura, ac charitatis lex exposcat, vt Sanctimonialiū Monasterio N. Ciuitatis, N. idoneū Medicū conquiramus, cuius opera, atque industria sanitatis beneficio potita, iucundiùs valeant Altissimo deseruire. Harum idcirco nostrarum literarum serie, ac vi tibi perill. Domino N. Medico Monasterij N. Ciuitatis N. septa, præstito tamen priùs iuramento, ingrediendi, ad eiusdem Sanctimonialium, quæ in infirmaria communi lecto detentæ, ad crates se transferre nequeunt, ægritudines, infirmitatesque curandas, ad annum duraturam licentiam, ac facultatem concedimus. Iure iurando te obstringentes, ne vllis alijs in rebus te ingeras, ac inijcias, quam in ijs, quæ honestatis ratione, artisque suæ præscripto exiguntur; minùsque cum alijs Monialibus, domicellis, ac fœminis in Monasterio degentibus agas, vel colloquaris; sed duabus ætate provectioribus, grauioribusque Monialibus ab Abbatissa deputandis comitatus, campanulę signo præcedente, oreoque non nisi Sole, ingrediaris, & ante Solis occasum pariter egrediaris, pœnis contra eos, qui Monialium Monasteria absque licentia ingrediuntur, inflictis, si secus attentaueris, omnino subijciendus. In quorum fidem, &c.

CAP. V.

De forma iuramenti præstandi ab admittendis intra clausuram Monialium,

EGO N. *Medicus electus, & deputatus Monasterij N. polliceor, & iuro me tantùm ob casus Monasterij clausuram me ingressurum, quos vrgens necessitas, infirmarum videlicet Monialium curatio innexerit. Actum quidem sic me habiturum spondeo, vt claro non nisi die ingrediar, anteque Solis occasum egrediar. Nilque præterea in Monasterio agam à munere meo, quo vitæ pro viribus perfungar, alienum, nec colloquia ibidem misceam, ac sermones. Alios autē Medicos aduocandos, ægritudo si tulerit, eos non nisi ducam, qui alijs etiam Monasterijs medeantur facultateque in scriptis denuò potitos, non nisi me præsente patiar accedere; nullumque tandem mea vice dirigam, nisi obtenta in scriptis à Superioribus licentia, & facultate. Ita me Deus adiuuet, & hæc sacrosancta Dei Euangelia, quæ corporaliter tango.*

1. Noto 1. quòd istæ duæ formæ sunt desumptæ ex Formulario Episcoporum composito à Barbosa forma 47. & 52. Et possunt, mutatis mutandis, deseruire pro omnibus, siue baiulis, siue fabricatoribus, &c. qui necessariò debebunt ingredi in dicta Monasteria. Et pro illis declarandis vide Mir. de monialibus q. 2. art. 17. & 20.

2. Noto 2. quòd in Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. in cap. *Periculoso* (quod à dicto Trid. innouatur) de statu Regul. §. fin. præcipitur sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ Episcopis, & alijs curam Monialium habentibus, vt inter alia procurent, quòd in Monasterijs sibi subiectis clausura strictissima seruetur. Ex quo puto introductum, quòd in formis concedendi licentias ingrediendi in Monasteria Monialium propter causas necessarias, apponatur illa clausula, *præstito iuramento*: nam alioquin non inuenio in bullis Pontificum, quas vidi, quòd talis clausula requiratur.

CAP. VI.

De forma dandi licentiam Correctrici recipiendi aliquam puellam ad habitum Religionis.

FRATER *N. Ordinis N. Prouincialis R. Matri Correctrici, cæterisque Monialibus Monasterij N. salutem. Pastoralis sollicitudo ac cura quæ huic nostræ Prouinciæ N. præsidemus, exigit, ac requirit, vt votis illis, per quæ animarum Christi fidelium, præsertim puellarum, Christo Saluatori sub Religionis iugo in castitatis holocausto famulari cupientium saluti consulitur, paterno affectu & charitate animamus. Cum nobilis itaque puella N. perfectioris vitæ zelo ducta, Religiosorum N. institutum suscipere, Beatique P. N. Regulam quammaximè aueat profiteri; Nos attendentes, eam in ætate legitima constitutam, sufficientique dote, cæterisque à sacris Canonibus, & Regula nostra requisitis conditionibus minimè carere, ipsam proinde ad Religionis habitum recipiendi, & ad professionē tempore præscripto admittendi (monito tamen priùs ante mensem per matrem Correctricem Episcopo, vt iuxta sacri Tridentini Concilij decretum puellę mentem explorare valeat)*

leat) licentiam vobis concedimus, & impertimur. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quod Præfecta Monasterij Monialium, etiam de consensu dictarum Monialium, non potest puellam ad habitum recipere absque licentia suorum Prælatorum. Quòd concessit Nicolaus V. Fratribus Minoribus pro *Cæsar.V.* Monialibus S. Claræ, vt refert Cæsar. in comp. ver. *Moniales*, num. 10. Quod puto ad alias omnes Religiones extendi, cum sit fauorabile. *Rodriquez* Atque ita tenent Rodriquez tom. 3. quæst. reg. q. 9. art. 2. & eius Compendiator resol. 101. nu. 2. *Miranda.* Mir. de Monial. q. 8. art. 1. qui dicunt, ita obseruari apud omnes Religiones, cum Moniales iurisdictioni Prælatorum subdantur. In Ordine tamen nostro videtur dicendum, quòd talis receptio pertineat ad Matrem Correctricem, in num. enim 3. Regulæ Sororum dicitur, *Ad hunc Ordinem Minimorum quadragesimalis vitæ zelo, & maioris pœnitentiæ intuitu migrare cupientes per Matres Correctrices recipiantur in Sorores, vel Oblatas, &c.* Sed non puto, mentem legislatoris fuisse, negotium tantæ qualitatis solùm dispositioni Correctricis remittere. Quare textum illum Regulæ intelligo, quòd possit mater Correctrix cum suo capitulo de licentia Superioris puellas ad habitum recipere.

2. Noto 2. quòd in Trid. sess. 25. de regul. cap. 17. præcipitur, quòd puellæ ante ingressum Monasterij, & ante professionem examinentur, an statum illum libere elegerint. Et præcipitur Præfectæ Conuentus sub pœna suspensionis ab officio, quandiu Episcopo videbitur, vt ante mensem professionis cuiuslibet Monialis, moneat Episcopum. ad hoc, vt possit tale examen facere, vel per se, vel per suum Vicarium, aut per alium quemcunque ad suum *Rodriquez* beneplacitum. Dicunt tamen Rodriq; tom. 3. *Sanchez.* qq. regul. q. 12. art. 2. Sanch. 5. in decal. cap. 4. *Miranda.* Mir. de Monial. q. 8. art. 4. quòd vsu iam receptum est, saltem in Hispania, semel tantùm, idest ante professionem, dictas puellas examinare. Et addit Sanch. quòd omissio talis examinis est quidem peccatum mortale ex genere suo, tam ex parte puellæ profitentis, quam ex parte Abbatissæ recipientis: nam contrauenire Concilio generali in re graui, qualis censetur à Concilio res ista, vt patet ex appositione pœnæ suspensionis, quæ res grauis est, peccatum mortale est; non tamen professionem irritat, quia Concilium id non dicit, & cum simus in odiosis, non debet fieri extensio. Dicunt etiam prædicti Rodriq; loc. cit. Mir. art. 2. Sanch. 4. in decal. cap. 18. num. 33. quòd possunt puellæ ante annum duodecimum recipi in Conuentibus ad habitum Religionis, vt sint nouitiæ, licèt proprius nouitiatus non incipiat nisi in anno 15. (vt colligitur ex Trid. sess. 25. de Regul. c. 15. seu vt alij, post annum 12. de quo non disputo) & hoc probant explicando Concilium Tridentinum loc. cit. cap. 17.

CAP. VII.

De forma dandi licentiam Monialibus recipiendi puellam in Monasterium causa educationis.

FRATER N. &c. R.dæ D. *Abbatissæ, &c. Tametsi cum psalterio cytharas, seculares videlicet fœminas, cum candidis religiosi thalami sponsis, post Christum sponsum die, ac nocte; hymnos, & laudes personando, cursitantibus conflet minimè conuenire, vbi tamen de proba fœminei sexus educatione, institutioneque agitur, vnde omnis vitæ consequentis honestas, ac disciplina emanat, incongruum nequaquam videtur; si eas, ob Ecclesiæ catholicæ commune bonum, domus vna, tectumque excipiat, atque vna viuere concedatur. Salutis enim portus cum sint Monasteria & amœnissimum veluti pratum, vbi tanquam lilia candent affectiones castitatis; velut rosæ rubent patientiæ, ac pietatis exercitamenta, vt viola redolent humilitatis exempla, vbi diuina spei laurus perpetuò virens iucundum præstat vmbraculum, vbi tandem cælestis doctrinæ imber copiosissimè decidit, nihil sanè ad laudatissimam illam christianæ vitæ rationem in teneriori sexu retinendam, maiorem vim habere dignoscitur, quàm earundem secularium personarum cum Sanctimonialibus in claustro societas, & contubernium. Quin uero, cum hæ ipsæ puellæ, ac fœminæ seculi pompas relinquant, eoque vestitu intromittantur, qui virginali pudori, modestiæque conueniat, eandemque seruent clausuræ legem, quam Moniales, Religiosæ quodammodo censentur, vt sub eodem proinde Monasterij iugo colla subdere valeat meritò sustineri. Cum nobilis itaque puella N. educationis causa, vtque iuuentutis florem illibatum Domino sacret, atque ab omnibus mundi contagijs seruetur immunis, in Sanctimonialium Monasterio N. permanere exoptet, ac exposcat. Nos attendentes, quantum ad rectam institutionem maxime valeat societas, si bona sit, & quicquid extra Cœnobij paradisum reperitur, sollicitudinis, periculi, atque doloris plenum esse, harum serie, ac tibi præfatæ Abbatissæ nobilem puellam N. in eodem Monasterio educandam, modò in habitu virginali pudori conueniente incedat, nullamque secum famulam adducat, eidemque subsit clausuræ legi, cui cæteræ Moniales, earundem maioris partis accedente consensu, recipiendi facultatem concedimus, &*

impar-

impartimur, Decernentes, semel egressam in præmemoratū Monasterium reuerti ampliùs non posse, nec eam iterum admittendi vllam vobis concessā intelligi facultatem. Mandantes prætereà, vt, exacto ætatis anno vigesimo quinto, eam vlteriùs retinere non possitis, ab eodem quinimmo monasterio statim dimittatis. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd prædictæ omnes conditiones requiruntur ad hoc, vt puellæ recipi possint educandæ in Monasterijs Monialium, prout constat ex declaratione Concilij, quam affero tom. 2. nostr. priuil. in const. 6. Pij V. num. 10. Dicit autem Zerola in praxi, par. 1. verb. *Moniales* ad 10. quòd si puella egrediatur cum licentia Prælati, & consensu Abbatissæ, & Conuentus causa ægritudinis curandæ, potest iterum admitti, si de nouo accedat licentia Prælati, & consensus Abbatissæ, ac Conuentus. Zerola.

2. Noto 2. quòd in Ordine nostro hæc non valent, obstante Regula Sororum, nu. 17. Vnde Patres Capituli generalis Bonon. 2. num 6. noluerunt concedere Monialibus. S. Heliæ vrbis Messanæ, vt possent intra septa recipere puellam decem annorum pro tangendis pecunijs, quia dixerunt, esse contrarium Regulæ. Quod etiam fatetur Passarel. in scholijs ex Genuens. num. 21. qui tamen bene addit, quòd recipi poterunt, modò habeant intentionem suo tempore profitendi. Passarell.

3. Ad vltimum hic nota, quòd religiosi nostri Ordinis non possunt assumere onus audiendi confessiones Monialium alteriùs Ordinis à nostro, nisi cogantur à Sancta Sede Apostolica: Ita statutum est in Cap. 1. Foriulij num. 8. quod decretum dicitur fuisse confirmatum à Sede Apostolica in Cap. 2. Foriulij num. 5.

CAP. VIII.

De modo scribendi alicui, vt mulierum familiaritatem vitet.

F*RATER N. Ordinis N. Prouincialis R. P. F. N. salutem. Dum mentis cogitatione reuoluimus, quam impensè sacrarum literarum Doctores, ac Sancti Patres mulierum cum viris commercia insectentur, exinde statim, insanabile virus, mentes hominum, & corpora natum inficere, sub ijsdem latitare cōijcimus, nec temerè quidem. Est enim mulier naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, ut meritò exclamet Sapiens,* Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens. *Quod sacra Scriptura testimonium sic lubet accipere, ut minus nociturus dicatur uir sanè nequam, quàm mulier etiam Sancta, si utrique sæpe communices. Hæc namque inter se vbi conspirant uirtus, & forma, stupor, & sexus, appetendi irritamenta congeminant, ac uehementiùs afficiunt, quàm simpliciter unum. Quin & spiritualis amor affectiones quandoque & sensuum motus molliùs rapit, & tandem improuidos flectit ad nefas. Nec, ut grauiter aiebat Hieronymus, uiro credendum, qui a spectaculis mulierum illæsum se dicat euasisse, quādo Dauid sanctissimus Regum uisa Bersabee se lauante, raptus sit ad libidinosum incendium. Quare rectè, ac sapienter consulebat Bonauentura, non esse uiris cum muliere, quantumuis honesta, religiosa, ac sancta, familiaritatem contraendam, quòd excepto uidelicet periculo carnalis tentationis, quæ ex tali familiaritate semper incurritur, dum malum, quod sub specie boni latet, non timetur: excepta etiam infamiæ, & suspicionis macula, quam alij ob hoc sæpe concipiunt, magnam cordis generat inquietem eiusmodi priuata affectio, dum quā erga eam afficeris, semper cupis ostendere dilectionem, atque hoc sibi notum fieri concupiscis. Et tandem, mihi crede, exclamat Hieronymus, non potest corde cum Domino habitare, qui fœminarum accessibus delectatur. Si sanctissimi igitur uiri uirtutum muniti præsidijs, sanctarum etiam fœminarum commercia tam anxiè fugienda deprædicant, quid homini, quæso, de terra terreno, si cum inhonestis irreligiosis, nec sanctis fœminis colloquatur assiduè, inuiset sæpè, illarumque frequentet domos, crebra munuscula, blandasque, & dulces literulas det, ac recipiat quę sāctus amor non habet? Hæc porrò sunt parum honestæ consuetudinis, ac conuersationis argumenta. Quare cum tu fili charissime, qui lora sensuum nondum in potestate tenes, nec es, ut conijcimus, impassibilitatem adeptus, sępius, ut fide digno testimonio renunciatum nobis est, cum N. mundana, & uana satis muliere familiariter nimis, ac immodestè conuersari, continuisque accessibus eius domū frequētare, ibique per multas horas in secretis collocutionibus permanere uisus fueris, ne in exequēdis officij nostri partibus perniciosa negligentia delinquamus, te his literis 1. 2. ac 3. monemus, & in uirtute Spiritus Sancti, ac sub excommunicationis maioris latæ sententiæ, necnon in Regula nostra, & constitutionibus contentis pœnis præcipimus, & mādamus, ut à præfata mulieris consuetudine, ac familiaritate, prædictis, seu alijs consimilibus modis omnino abstineas. Quòd si secus agere, atque attentare præsumpseris, ex nunc, prout ex tunc, in præfatas pœnas te incurrisse declaramus. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd in sacris Canonibus, cap. *Clericus*, cap. *Volumus*, cap. *In omnibus*, cap. *Clerici*, d. 81. cap. *Peruenit*, el. t. cap. *In decima*, 18. q. 2. prohibetur Religiosis collocutio solitaria, & fa-

digendam, & semel, vel pluries, prout ad id requisitus fuerit, unum, vel plures, ac plura, publicas, & publica, actus, & instrumenta exinde conficienda, & debitis signis, & characteribus subscribenda, publicanda, & authenticanda (quibus quidem ab eo confectis, & authenticatis actibus, ac instrumentis eadem apostolica auctoritate eam omnem in iudicio, & extra, fidem habendam esse decernimus, quæ ijs haberetur, si per publicos Notarios essent stipulata) harum serie, ac ut, eademque nobis concessa Romani Pontificis auctoritate (ab eo tamen prius coram nobis genuflexo, corporali fidelitatis iuramento ad sacra Dei Euangelia coram testibus infrascriptis recepto) similiter elegimus, constituimus, & destinauimus. In quorum fidem, &c. Ita est, Frater N. testis, &c.

1. Noto 1. quòd Pius V. concessit priuilegium Regularibus creandi dictos Notarios cū supradicta auctoritate, ut cōstat ex eius const. 9. tom. 1. nostr. priuil. vbi multa dixi circa hoc priuilegium; & aliqua addidi tom. 3. priuil. Regul. cap. 6. num. 15. & dicto tom. 1. priuil. num. 9. posui formam iuramenti præstandi à dicto Notario, quæ ibi videri potest.

2. Noto 2. quòd vltra casus positos loc. cit. in quibus possunt procedere dicti Notarij, possunt etiam intimare, & exequi mandata Apostolica, ab Auditore Cameræ Apostolicæ, alijsque Apostolicis iudicibus emanata, quando cōcernunt interesse Regularium. Sunt enim hæc eodem modo mandata Apostolica, ac si herent immediatè à Papa. Et hoc priuilegium concessum est Regularibus, ad eos liberandum ab obsidione, qua illos aliquando obsidebant Notarij publici, ne in odium potentium secularium inciderent. Quare est multùm æstimandum.

3. Adverte autem hic, quòd leges, & priuilegia multis modis ampliantur, & limitantur, vt dixi tom. 3. priuil. cap. 1. nu. 6. & sequ. Vnde non debet alicui videri mirum, si ego tom. 1. priuil. loc. cit. hanc constitutionem interpretando ampliauerim ea fine illius ad plures casus, qui expressè in ea non continentur; V. G. in dicta constit. datur potestas creandi istos Notarios Generalibus, Vicarijs, & Prouincialibus; Ego autem eam etiam ampliaui ad Superiores locales. Tum quia in dicta constit. nulla adest taxatiua particula, ex qua colligi possit, mentem Papæ fuisse solùm dictam potestatem præfatis concedere priuatiuè quò ad omnes alios; vnde clarè constat, remisisse regulis iuris communis extensionem suæ const. Tum quia, cum dicta constitutio sit emanata pro intimandis indultis Apostolicis concernētibus interesse Superiorum localium, vel Monialium, pone quòd Prouincialis, aut Generalis dictum Notarium non creauerint, & quòd Prouincialis sit in partibus longinquis, si casus occurrat, in quo pro interesse alicuius Conuentus Monialium debeat aliquod indultum Apostolicū intimari, nec possit expectari creatio Notarij facienda à Prouinciali, quis dicat, esse contra mentem Papæ, quod Superior localis possit eo casu Notarium creare, immo puto, quòd esset contra mentem illius, si non crearet, mens enim Papæ fuit obsistere, ne Regularium iustitia impediretur defectu Notarij. Dicendum igitur est, quòd nominauit solùm Generales, Vicarios, ac Prouinciales, quia voluit ad istos ordinariè pertinere dictorum Notariorum creationem, & quòd in præsētia istorum non possent dicti Superiores locales Notarios creare, non autem quòd non possint in dicto casu vrgentiæ. Dixi etiam in dictis locis, quibus de his Notarijs tractaui, quòd poterāt creari Notarij pro sumēdis informationib⁹ nouitiorum, & pro fabricandis processibus, pro facienda fide de aliquo defuncto, &c. Tum quia potest contingere, quòd hæc aliquando sint aliquibus iudicibus extra Religionem, mādantibus Superioribus ostendenda, & intimanda. Tum quia possunt esse connexa dictis Indultis Apostolicis. Vnde cum de annexis, & connexis idem sit iudicium, non est mirum, quòd etiam ad hæc extenderim dictorum Notariorum facultatem. Quod etiam innuitur in dicta, constit. §. 2. ibi *aliaque omnia, & singula circa ea requisita, &c.* Tum quia verba legis sunt interpretanda secundum subiectam materiam, cap. *Intelligentia*, de verb. sign. Ita Rodriq. tom. 1. qq. reg. q. 11. art. 6. reg. 12. qui exemplum affert in Notario eligendo pro sumendis informationibus volentium Religionem ingredi, qui non est necesse, quòd sit imperialis, vel Apostolicus, sed sufficit electum esse à Generali, vel Prouinciali. Quam doctrinam probat Castrus Palaus tom. 1. op. mor. tract. 3. d. 5. §. 3. num. 8.

Rodriq.

Palaus.

Tum quia si possunt facere id quod est plus, intimare nimirum, & authenticare priuilegia Apostolica, cur non poterunt facere informationes, processus, &c. quod est multo minus. Argumentum autem à maiori ad minus validū est, vt multis probat Barbosa in loc. comm. argum. loco 67. num. 1. Hæc dixi pro aliquibus, qui licet multùm profecerint alienis laboribus, eos impugnant audacter plusquàm doctè. Placet etiam hac occasione hic notare, quòd Lezana in q. regul. cap. 14. num. 21. in fine, ait, quòd ego tom. 1. priuil. in const. 1. Iulij II. §. 16. num. 35. citaui non fideliter aliquos auctores. Verè hic auctor hanc immeritò notā mihi inurit. Tum quòd, cum ipse in dicto suo opere passim mea vtatur doctrina, videtur etiam suo operi irrogare iniuriam, cum meis in illo tam frequenter vtatur, si fideliter, vt ipse ait, Doctores meam doctrinam confirmantes non affero. Tum quia (sit ipsius bona venia dictum) parùm attente legit, quæ ibidem dico num. 36. Cum enim attulissem priuilegia, & Doctores, quibus videbatur probari, quòd poterant Prælati regulares absoluere suos subditos à suspensione deducta ad forum contentiosum, dicto num. 36. dico, quòd, cum dicta priuilegia non determinent, an solùm in foro conscientiæ id sit intelligendum, an verò etiam in foro fori, cum fauores sint ampliandi, de vtroque foro intelligenda sūt. Si ergo propter dictā rationē intelligo priuilegia de vtroque foro, cur non pos-

Barbosa.

Lezana.

possum intelligere de vtroque foro Doctores dictis priuilegijs inhærentes, nec forum specificantes? Verè verum est illud *Ad reprehendenda aliena dicta, vel facta ardet omnibus animus.* Ingenuè fateor, quamplurimos auctores reperi (quis est enim, qui non labatur aliquando?) in hoc genere impudentes, nullum tamen, vt ex meis scriptis apparet, publicaui. Hæc prætermittere non potui, ne fidelitas, quam profiteor in auctoribus referendis, temeraretur.

CAP. II.

De forma committendi alicui nouitiorum receptionem.

FRATER *N. Ordinis N. Prouincialis P. F. N. salutem. Religiosę vineæ custodes à Domino constituti in illud præcipuè die, noctuque mens nostra erigitur, vt palmites, ex quibus plantanda est, eligendos quammaximè curemus. Nihil enim ad Religionis vineam dissipandam, regularemque disciplinam pœnitùs labefactandam maiores vires habere, experientia teste, didicimus, quam si nouellæ in domo Domini plantationes, Religionisque propagines inconsideratè seligantur. Quot namque ex recipientium incuria adulterinos palmites insertos, quoties non quidem virtutum delectabiles gemmas excreuisse, sed inutiles tantummodò vitiorum articulos in sterili sarmento vidimus relictos? quoties frondosos tantū luxuriantis animi coliculos, pampinosque sinè purpureo charitatis racemo, expullulasse conspeximus? quoties, inquam, monstro mirabilius, sub religiosa veste homines vidimus seculares, filios diffidentiæ, fructus inutiles, ac acerbos, sociorum onus, & scandalum, Informatorisque confusionem? Quantos initio quidem oues, & agnos, modico tamen elapso temporis interuallo, lupos euasisse comperimus? Quot demum de excelso in abyssum, è pauimento in sterquilinium, è solio in cloacam, de cælo in cœnum, de claustro in seculum, de paradiso in infernum vidimus corruisse? Hæc, & alia id genus Religionis damna, & mala animo nostro identidem reuoluentes, non alia sane ratione religiosæ vineæ indemnitati, ac propagationi consulere posse existimamus, quàm sollicitos, lynceos, atque prudentes viros constituendo, qui vices nostras obeuntes, in hoc unum opus urgeantur, & quo spiritu, ac mente, unm melioris uidelicet frugis, & perfectioris uitæ zelo, Deoque liberius inseruiendi cupiditate religiosę uitæ genus elegerint, nouitij diligenter exquirant. Cum nobilis itaque adolescens N. filius N. ciuis N. Instituti nostri suscipiendi desiderio maximè teneatur, idque à Patribus non semel obnixè postulauerit. Nos attendentes, nouos adolescentium palmites futuram uitis fœcunditatem initio præseferentes ab agro Religionis nequaquam esse abiungendos, earum seriè, ac ui tibi præmemorato facultatem damus, & concedimus, ut eundem N. diligenti tamen, ac iuridico de necessarijs conditionibus, iuxta constitutiones pontificias, Regulam, & statuta nostra, præmisso examine, ualeas admittere. Illud te seriò commonentes, ùt in tanti ponderis negotio à perfido, & proditore assumendo magnopere caueas, ne per unum, tanquam per Iudam, plurimi fluctuemus in nauicula, & quæ proprijs meritis firma est, alienis Religio conturbetur. Quamuis autem præclaris, honestisque moribus tuis, uirtuti, ac prudentię non parum fidamus, ęquum tamen esse censemus, immo pręcipimus, ut rem hanc totius Ordinis fundamentum, absque R. P. F. N. Conuentus nostri N. Correctoris, eiusque Seniorum, siue Sociorum consilio, & assensu, nullatenus aggrediaris, ac perficias. Secus uerò attentando, receptionem huiusmodi nullam ex nunc, teque itidem pro tali temerario ausu nequaquam impunè abiturum declaramus, ac promittimus. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd meo videri maximum omnium negotiorum, quæ Prælatis regularibus quotidie occurrunt, est receptio nouitiorum, ex ea enim pendet totale Religionis bonum, sicut ex bonorum palmitum (vt Humberti similitudine vtar par. 2. speculi, lib. 5. cap. 1.) plantatione totalis vini perfectio. Vnde amantes suæ Religionis Prælati in hac re deliberanda plumbeo incedunt pede, emunctisque naribus lyncea superponunt perspicilla. Ego in receptione nouitiorum, vt, quantum possem, pro humili intellectus mei captu Religioni meæ consulerem, semper aduerti, vltra ea, quæ debent aduerti in iuridica eorum informatione, à quo spiritu ad Religionem duceretur nouitius. Quatuor enim genera personarum Religiones ingrediuntur, & vnumquodque à suo spiritu trahitur. *Humbert.*

2. Alij enim trahuntur à spiritu carnis, quæ cum ali non possit in mundo, vel vt vellet, vel vt deceret, suam incolumitatem quærens, in portum Religionis, in quo panis nunquam dicitur deficere, ingredi omni diligentia satagit. Isti non fiunt Religiosi propter Christum, sed propter panem Christi. Quare si aliquando pauper Christus illis panem denegat, & ipsi statim illi vale dicunt, idest, si quandoque Prælatus, qui in Religionibus est loco Christi, illis præ Religionis paupertate non ministrat abundanter omnia, quæ ad carnem molliter curandam ipsi peroptant, illicò murmuribus, & stridoribus Conuentum inquietant, auaritiæ, vel saltem imprudentiæ Prælatum accusant, audaciores etiam tyrannum nominant, & obedire recusant, missasque, si sacerdotes sint, pro

se, non

ſe, non pro Conuentu, qui illis, vt aiunt, non prouidet, celebrare prætendunt; ſi non ſiot Sacerdotes, vel chorum petere, vel pro Conuentu laborare nolunt, ſed potiùs otiari, ſeu pro ſibi ipſis laborare. Quod ſi Prælatus ad eos quietandos illis oſtendat ſtatum Conuentus, demonſtretque non poſſe præ temporum anguſtijs aliter facere, videre recuſant, ſolum quærentes, quæ ad cuticulam impinguandam iudicant neceſſaria; vnde autem ea ſint haurienda profitentur ſe nolle ſcire. Iſti arcendi omnino ſunt à pauperum Chriſti commercio, & ſocietate, vtpote qui potiùs carnem, quę in Religionibus maceratur, quàm ſpiritum, quod eſt Religioſorum proprium, impinguare contendũt. Cognoſcuntur autem vel ex eo principaliter, quod externa, iiſq; importunis fauoribus Religionem ingredi tentant, non fidentes meritis, quibus carent; vel ex eo, quòd ſigna nulla deuotionis oſtendunt; vel ex eo, quòd nulli Religioni affecti, per omnes diſcurrunt, quouſq; inueniant, quæ eos recipere velit.

3. Alij ducuntur à ſpiritu Diaboli, qui cum videat, Religioſos totis viribus, diu, noctuque ſtudere quomodò placeant ei, cuius famulatui ſe nuncuparunt, talr operi impiè inuidens curat pro poſſe, illud vel diſſoluere omnino, vel ſaltem perturbare; & cum per ſe ipſum id obtinere deſperet, cum in hoc incumbat ipſe a liter Religioſi, vt illi reſiſtant, & technas eius bene norint, ſuggerit aliquibus eiuſdem farinæ viris, vt Religionem ingrediantur, quibus tanquam med ja efficaciſſimis, vtitur ad ſua opera complenda. Iſti zizania ſemper ſeminant inter Fratres, pręſentem ſemper Religionis ſtatum nauſeant, nouitates amant, ſuæ ſunt Religionis oſores, aliarum ſemper laudes canunt, ſuæ miſerias, alienis Religioſis ſemper inuident, non amore virtutis, ſed odio quietis, vt mentes aliorum in fluctibus conſeruent. Primi iſti ſunt ad iniquitates patrandas, ad hoc vt alij eorum exemplo faciliùs ſequantur, ac luctantes impellunt cohortationibus, quibus ſi non obtineant, vtuntur fraudibus, aliquando inſidijs neceſſitant. Ab iſtis iudico multò plus eſſe cauendum, quàm à Diabolo ipſo, Diabolus enim ſuggeſtione, & delectatione non ad peccatum inducit, iſti autem non ſolùm illis modis, ſed etiam ſuo malo exemplo ad peccandum trahũt; efficaciora autem ſunt exempla, quàm ſuggeſtiones præſertim in iunioribus, & plus perſuadet vnum malum exemplum, quam omnes orationes Ciceronis, & Demoſthenis. Iſti difficilè cognoſcentur in principio; non enim deſunt illorum doctori artes, quibus eorum tegat artes; lumen tamen aliquod habere poterit prudens Prælatus, frequenter cum eis colloquẽdo, eorum ſpiritum ſubtiliter examinando, motus oculorum, & faciei accuratè notando, eorum amicos, & conſanguineos diligenter, ſed quaſi videatur aliud agens, examinando.

4. Alij trahuntur à ſpiritu mundi, qui totus in maligno poſitus eſt, ideſt, in ipnreitijs vitiorum. Cum enim videant aliqui non poſſe ſe ſuis cupiditatibus, auaritia, gula, ſuperbia, ambitione, luxuria ſaturari, deſperati mundum relinquunt, quaſi non dantem illis, quòd cupiunt, & ad Religionem pergunt, non amore virtutis, ſed potiùs quadam deſperatione. Iſti, cum non amore Religionis trahãtur, fere ſemper remanent in vitijs, & peccatis, & omni de Religioſo nabent, niſi nomen, cum mundum affectu non deſerant. Iſti ſapientes ſuot ſo oculis ſuis, vnde, etiã per iniuriam recepti eſſent, ex hoc ſolum deberent ei ..., iuxta illud Bernardi, *Nouitium ſapientem abijce*. Non admittunt purgatoria vitiorum medicamenta, antidota præſeruatiua renuunt, & reſpuunt medicamina conferentia ad virtutes conſequendas, cuiuſmodi ſunt humilitas cordis, puritas operis, innocentia vitæ, abſtinentiæ, mortificationes, &c. Quòd ſi ratione ſtatus ea cogantur aliquando exequi, blaſphemando id faciunt, in mundum ſemper cum Hæbręis reuerti ſtudent, Religioni detrahunt, eius infirmitates propalant. Iſti mundo relinquendi ſunt, vt illius cœno bene voluari ſap dam buccellam inferuo deuorandam ſuo tempore offerant. Cognoſcuntur facilè ex collocutione, ex ante acta vita, ex geſtu, inceſſu, & ex eo præſertim, quòd nunquam ſunt reſoluti; volunt, & non volunt; volunt mundum deſerere propter dictas rationes, ſed dubitant de Religionis ſucceſſu; vnde ſemper procraſtinant; & ſi eis, aſpera, & dura prædicentur, vt fieri ſolet, & debet, propoſitum ſæpe mutant, vel ſaltem multum tepeſcunt.

5. Alij ducuntur à Spiritu Sancto. Cupientes enim toto affectu Deo inſeruire, conſpicientes id non facilè ſe conſequi poſſe in ſeculo, ad Religionem confugiunt. *Aduerſa eſt enim confidentia*, vt loquitur Cyprian. de ſingul. cleric. *Qua periculis vitam ſuam pro certo commendat; & lubrica ſpe tenet, quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe poſſe ſperat; incerta eſt victoria inter beſtiolas acma pugnare; & impoſſibilis liberatio eſt flammis circumdari, & non ardere. Verendum eſt dormienti in ripa, ne cadat. Quare*, vt idem ait lib. 1. ep. 11. *Liberanda eſt vigilanter de periculoſis locis nauis, ne inter ſcopulos, & ſaxa frangatur; eximenda eſt velocitas de incendio ſarcina, priuſquàm flammis ſuperuenientibus concremetur; nam nemo diu tutus eſt in periculo proximus*. Iſti ex puro corde ſunt ſuæ Religionis amantes, eius ſemper prædicant laudes, exultant iubilo, liquefiunt, & rapiuntur in extaſim, ſi quando aliquod egregium, & laude digniſſimum à ſuis Confratribus fuerit exantlatum, illud geſtientes omnibus narrant, ad ſidera vſque tollunt, lingua ſiunt, vt omnibus id innoteſcat. Infirmitates Religionis occultant; ſi non poſſunt, pro viribus defendunt; ſi factum aliquod ſui Confratris parùm religioſum audiunt, excruciantur, vt occultetur tum ſecularibus, tum iunioribus Fratribus ſatagunt, curant tamen, vt à Prælatis corrigatur, vt alijs talis caſtigatio proſit; ad publica ſcandala excandeſcunt impunita remanere nõ permittunt, immo vt ſeueriſſimè puniantur inſtant. Iſti ſunt, qui Religiones conſeruant, ampliant, exaltant; olbti ſtudent, niſi quomodo Deo, & ſuæ Religioni placeant; iſti rixantes inter ſe Fratres concordare procurant, virtutes amplexantur, abominantur vitia, virtuoſos Fratres adorant, in vitijs obſtinatos oderunt ad mortem. O vtinam talibus eſſent Religiones plenæ. Non tam nauſearet aliquibus Religionis ſtatus. Sed quid? non in mundo, ſed in Paradiſo deliciarum eſſemus. Valeo iſti cognoſcuntur ſigno, quando ſcilicet ditatio re- D. Cypria.

 ceptio-

ceptionia, eorum intrandi desiderium auget; nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Austeritatum Religionis prædicatio feruorem augmentat; magnitudo namque bonæ voluntatis in recipiendo, signum est Spiritus sancti inhabitantis, & in eo operantis, vt ait Gregorius apud Humbertum in speculo p. 2. lib. 5. cap. 1. Qui addit, quòd ex duobus generibus hominum domus Religionis replēda est; vel de simplicibus, qui sensu, & voluntate ad assequendum religiosam prudentiam feruentes apparuerint, & habiles; vel de prudentibus, quos Religiosæ, & sanctæ simplicitatis constiterit esse æmulatores.

D. Gregor. Humbert.

6. Et aduertit ibidem Humbertus, quòd tribus de causis recipiuntur aliquando ad Religionem non idonei. 1. Ex cupiditate recipientium, non timentium aliquos ad Religionem recipere, vel propter bona ipsorum temporalia, vel vt gratum faciant alicui Magnati seculari, à quo aliquem fauorem expectant pro suo interesse particulari, quod tamen neque pro generali est faciendum; nam infecta pecus totum corrumpit ouile, & vna ex his bestijs sufficit ad totam Religionem subuertendam, inquietandam, & scandalizandam. Vnde præstat amicum, & benefactorem perdere, quam talia monstra recipere. Quæ enim societas viuorum cum mortuis? Mortui sunt Religiosi, & in claustrorum sepulcris sepulti; isti viuunt mundo, & proprijs passionibus; vnde non mirum, si, quando in Religionibus recipiuntur, eas subuertunt. 2. Accidit ex carnalitate eorundem recipientium, qui cum Dei ordinatione filios non habeant, Diaboli procuratione nepotulos sibi aggregant, quos in Religionem recipi faciunt, non vt saluentur, sed vt ditentur, & per eos fortiores efficiantur, qui sicut carnaliter ingrediuntur, sic post ingressum carnaliter cōuersantur. *Quod enim natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*, Io. 3. Tertiò hoc accidit ex parentum carnalium improbitate, qui filios, quos ineptos, & stolidos noscunt, vel quos præ multitudine, iuxta eorum statum, non possunt gubernare, in Religione ponunt, vt ab eis se expediant, potiùs intendentes eorum corporalem prouisionem, quàm eorum salutem.

7. Noto 2. quòd est tantæ importantiæ nouitiorum receptio, vt in generali commissione non veniat, sed requiratur expressa commissio, quod pro Ordine nostro doctè collegit Passar. in schol. ex Batch. num. 12. in princ. ex cap. 2. Correct. num. 16. Vnde quando Generalis, vel Prouincialis faciunt aliquem Vicarium cum omni potestate sua (nisi ponant clausulam, *Vt possis recipere nouitios*, vel saltem, posito aliquo casu specialie mandatum requirente, subdat illam clausulam, *Vt possis omnia facere, quæ per nos facere possemus, etiamsi nostrum speciale mandatum requirerent*) non potest nouitios recipere. Quæ autem sint illa, quæ requirunt speciale mandatum, & de vigore illius clausulæ, *Etiamsi nostrum speciale*, &c. Vide Passarel. in fine Formul. Ordin. de intellectu Vicariæ auctoritatis.

Passarell.

CAP. III.

De forma committendi alicui, vt informationes sumat de nouitio ad Religionem recipiendo.

FRATER N. Prouincialis N. R. P. F. N. salutem. Ad nostrum Cœnobium N. Ciuitatis N. non paucis abhinc mensibus incessanter accedit N. filius N. ciuis N. Instituti nostri suscipiendi cupiditate summopere incensus. Quoniam verò, iuxta summorum Pontificum constitutiones, nostrique Ordinis statuta, de recipiēdi, ac professuri uita, & moribus, alijsque ad id requisitis qualitatibus informationes præcedere opus est. Tibi propterea præmemorato, cuius fidelitati, ac prudentiæ non parùm fidimus, harum literarum serie, ac vi cōmittimus, vt prædictas informationes coram publico aliquo Notario, seu alio eiusdem nostri Ordinis fide digno Religioso, ad arbitriū tuum deputando nostro nomine sumas, duos, aut tres, vel etiam plures testes, sumpto tamen priùs per eosdem iuramento, iuxta interrogatoriorum tenorem, quem hic alligatum recipies, examinando, omnem tibi plenariam ad hoc potestatem, quæ de iure requiritur, impertientes. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd eadem forma potest fieri, mutatis mutandis, quando nouitius est iam receptus in nouiciatu, seu quando informatio est facienda in eodem Conuentu, in quo nouitius receptus est. Interrogatoria autem, quæ debent fieri testibus, sunt hæc. 1. An cognoscant, cognouerintque patrem, & matrem, atque auos dicti N. & an sciant, ipsos esse, vel fuisse ex bono genere natos, non descendentes ex Iudæis, vel Mahumetanis, qui post baptisma receptum iterum à fide catholica recesserint, ac in foro Ecclesiastico fuerint per hoc damnati, seu ab hæreticis item relapsis, & similiter condemnatis, vel an sciant, ipsius patris, aut matris, atque aui, siue paterni, siue materni ossa, vel statuas fuisse combustas. 2. An sciant dictum N. esse filium legitum præfatorum, atque vt talem ab ijsdem fuisse habitum, & reputatum. 3. An sciant dictum N. esse liberum, idest, non aliquo matrimonij rati, vel consummati vinculo ligatum. 4. An sciant, dictum N. esse virum probum, & bonis moribus imbutū, & an sciant, eum perpetrasse aliquod delictum, vt furtum, vel latrocinium, aut homicidium, quod fuerit deductum in iudicium, aut super eo fuerit facta inquisitio. 5. An sciant, dictum N. esse debitis supra suas facultates onustum, quæ persoluere non possit. 6. An sciant, eum habuisse aliquam administrationem publicam, vel priuatam; & esse ratiocinijs obligatum, atque obnoxium, ita quòd super illis ei aliqua molestia illata sit, vel timendum sit, ne inferatur. 7.

An sci-

An sciant, ipsum N. velle Religionem ingredi sponte, & Religionis, ac pietatis feruore, an verò aliqua humana ratione ductum. Circa istas interrogationes vide Mirand.tom.1.man. q. 21. ar. 5. & quæ dico tom. 2. Relig.q. 3. cap. 2. à num.33. Et aduerte, quòd informationes iuridicæ non est necesse, quòd fiant de omnibus dictis Interrogatorijs, sed sufficit, quòd fiant de vltimis quatuor, vt dico loc.cit. Immo putant aliqui, quod possit etiam omitti 7. vt ibidem dico, num. 35.

Miranda.

2. Noto 2. quòd, si timeatur, ne inducendus minis, vel precibus à sancto proposito remoueatur, poterunt dictæ Informationes omitti vsque ad tempus professionis, & nouitius poterit habitu Religionis indui, præstito iuramento coram eis, ad quos spectat eum recipere, vel coram Superiore Conuentus, quòd nullum habet impedimentum ex contentis in bulla Sixti V. vel in alijs statutis Regulæ, vt dico loc.cit.num. 32. Sed quia de præfata sumptione iuramenti debent illud recipientes testimonium ferre, vt possint se tueri, si super hoc aliqua lis eis moueatur, ideo subnecto dicti testimonij formam.

CAP. IV.

De forma, qua potest ferri testimonium, nouitium sumpsisse iuramentum, nullum se impedimentum habere ex prohibentibus Religionis ingressum.

EGO Frater N. Corrector Conuentus N. Ordinis N. vna cum meis Senioribus infrascriptis, præsentium literarum tenore fidem facio, & omnibus, & quibuscunque, ad quos spectabit has uidere, & examinare, verbo ueritatis attestor, die 2. Augusti, anni 1634. coram me, & Senioribus infrascriptis, N. ætatis annorum 18. Religionem nostram ingredi exoptantem, à me uocatum, ab eoque (cum ob timorem, ne ab eiusmodi sancto proposito dimoueretur, informationes de eodem fieri cōmodè non potuerint) iuramentum desumptū, an à parentibus, qui post susceptum baptisma à fide recesserint, vel quorum ossa combusta sint, ortum ducat, an suorum parentum legitimus filius semper sit habitus, an vllum inierit matrimonium, vllumque itidem commiserit delictum, quod sit ad iudicium deductum, an vllis debitis, aut ratiocinijs obstrictus sit, amore ne tandem virtutis, an potiùs passione aliqua mundiali, Ordini nostro se addicere concupiscat. Quibus quidem omnibus iure iurando adstrictus, cum vera se, tactis sacris, dicturum spopondisset nullo se ex prædictis capitibus, vel vinculis teneri, vel comprehendi, neque ad ipsum quoquam modo ea pertinere respondit, ac in fidem se subscripsit. In quorum fidem. &c.

1. Noto, quod non est necesse de omnibus iuramentum sumere, sed solùm de his, quæ dixi cap. 3. num. 1. fine; & quod hoc iuramentum debet sumi etiam ab his, qui non sunt maiores 16. annis, vt dixi tom. 2. Relig. q. 3. cap. 1. nu. 10. & quod de his, qui noti sunt, non est necesse fieri informationes, neque dictum iuramentum sumere, vt dixi loc. cit. num. 16.

CAP. V.

De forma ferendi testimonium de informationibus sumptis circa eum, qui vult Religionem ingredi.

FRATER N. Ordinis N. à R. P. F. N. ad infrascriptam informationem sumendam specialiter deputatus, fidem facio, ac omnibus, & quibuscunque attestor, N. N. de N. filium, ætatis annorum decem, & octo, ex relapsis hæreticis, aut Mauris, alysuè infidelibus, qui post susceptum baptisma à fide recesserint, nequaquam descendere; legitimum præterea ac naturalem ex legitimo matrimonio à prædicto N. & N. eiusdem legitima vxore, catholicis quidem, honestis, ac pijs hominibus procreatum, nec vllo de præsenti, aut de futuro matrimonio implicitum, vel obligatum, nec bannitum itidem, aut homicidam, vel furti cuiuspiam accusatum, aliouè crimine damnatum esse confirmo. Ad hæc, nec ære alieno grauatum, aut reddendis rationibus, siue negotiandi, siue alia de causa obnoxium esse, testor pariter, & affirmo. Religionem tandem N. non fori euitandi causa, aut humana aliqua ratione ductum, sed diuino tantum Spiritu afflatum ingredi exoptare, ingenuè ac sanctè polliceor, prout N. quondam N. fabertignarius, ætatis annorum 60. & N. filius N. fabricator, ætatis annorum 40. testes noti, & fide digni, plenam, & sufficientem scientiæ causam reddentes, sunt attestati. In quorum fidem, &c.

1. Nota, quod hæc forma potest fieri à Notario religioso electo ad formam bullæ Pij V. vt dixi tom. 2. priu. in const. 9. Pij V. num. 4. & potest etiam fieri à Notario seculari, vt habet consuetudo hic Genuæ.

LITERA O.

CAP. I.

De forma simplicis obedientiæ.

FRATER N. Ordinis N. Dilecto nobis in Christo Fratri N. salutem. Vi præsentium constituimus te localem in nostra Prouincia N. sub obedientia Superioris illam moderantis. In quorum fidem. &c.

CAP. II.

De obedientia ad petitionem, cum commendatione personæ.

FRATER N. Ordinis N. Generalis R. P. F. N. salutem. Honestis, ac pijs petitionibus tuis annuere cupientes, in nostra te Prouincia N. localem constituimus, R. ad. eiusdem Prouinciæ Prouinciali præsentium tenore significantes, id præcipuè à nobis exoptari, vt te perhumaniter. ac lætissima fronte suscipiat, atque omni charitatis affectu benignè complectatur; id enim, & tua in Religionem merita virtutisque præmia exposcunt, & singularia erga nos studia officiaque quamplurima, quibus nostram apud præfatum Prouincialem commendationem promereris, non parùm exigunt, ac requirunt. Quæ quidem humanitatis obsequia si tibi exhibita fuisse intelligemus, erit profectò cur gaudeamus, nec nostram vulgarem fuisse commendationem, & digno te laborum tuorum præmio ab omnibus condonari. In quorum fidem, &c.

CAP. III.

De forma obedientiæ visitandi domum S. Mariæ Lauretanæ.

FRATER, &c. Etsi Religiosos viros, qui se sub Religionis iugo claustris addixerunt discurrere, ac peruagari non liceat; & in Cænobijs degentes Angelici Doctoris testimonio ampliùs mereantur, quàm aliò ad lucrandas indulgentias, vel orbis Ecclesias sub Sanctorum fundatas vocabulis, passim visitandas peregrinando; eam tamen, quæ in Lauretana Ciuitate ad Beatissimæ Virginis honorem. & singulari quadam cælesti dispensatione consilij dedicata est, quamque celebriori memoria conuenit venerari, quominus quandoque visitent, ac pia deuotione colant, prohibendum nequaquam videtur. Cum, & purissima eadem augustissimaque cæli Regina eorumdem Religiosorum in castitatis holocausto Altissimo famulantium vota perfectiùs, ac citius, quam cæteri Sancti dirigere. & ad gratiam exauditionis propensius admittere dignoscatur Quamobrem cum tu, charissime in Domino fili, à nobis instanter, obnixèque petieris, vt Lauretanam, sacratissimę Virginis domum inuisendi facultatem tibi impertiremus, nos id non modicam animo tuo iucunditatem, spiritualeque solatium, atque vtilitatem parituram fidentes, eamdem, quam petis, licentiam, ac facultatem pręsentium tenore libenter concedimus, & elargimur. Omnibus te, ac singulis Religionis nostrę Prouincialibus, Correctoribus, ac Fratribus cæterisque etiam aliorum Ordinum Superioribus, ac subditis, nec non, & Reuerendis Ecclesiarũ Curatis, ac Rectoribus, ad quos diuertere contigerit, maiori, quo possumus, studio commendantes, eosdemque in Domino rogantes, vt vultu hilari, fronteque benigna te excipere, hospitioque colligere. ac bonis demum temporalibus, quę à Domino consecuti sunt, ad itineris labores perferendos, alere, ac reficere non dedignentur. Nos enim ex parte nostra hoc tis volumus esse pollicitum constantissimèque obseruatum, quòd nullus vnquam abiturus sit dies, quo non preces nostras tanto libentiùs virtutum Domino pro ipsis offeramus, quanto in te beneficentiores nouerimus extitisse. In quorum fidem. &c.

1. Noto, quod decet Superiores esse multùm parcos in his obedientijs concedendis, quę fratrum discursus important; est enim monachus extra Conuentum velut equus effrænis, qui cum fræno sit assuetus, cum ab eo se liberum sentit, quasi sui iuris factus huc atque illuc absque regula, & necessitate discurrit, etiã cũ periculo pręcipitij. Est item Monachus extra Monasterium velut piscis extra aquam, vt dicunt patres, & sicut piscis extra aquam moritur, ita mille mortibus animæ est expositus Monachus extra Monasterium, Nec quidquam facio, quod obedientia concedatur ad visitanda limina Apostolorum, aut Sanctam Mariam Lauretanam, aut sacrosanctum Domini sepulchrum, nam quantumuis peregrinatio sit pia, longa, et ardua plus semper meretur Monachus manens in Monasterio sub obedientiæ iugo, atque regularis disciplina, quam si dicta loca nudis pedibus inuiseret, istæ enim peregrinationes sunt voluntariæ, vt suppono, & in ijs affligitur tantum corpus, mens autem, cum sit in libertate exhilaratur, & Monachus manens in Monasterio affligit animam per sui ipsius abnegationem, & mortificationem propriæ voluntatis, vnde tantum præstat ista sui abnegatio dictæ peregrinationi quantum corpori præstat anima, quare dicebat D. Thomas apud Casarubium in compendio

pendiò post verbum *Indulgentia quo ad seculares vstane*, notabili 1. versu. *Item notandum. Quod religiosi existentes in suis Monasterijs promerentur amplius, quam discurrendo, aut peregrinando ad lucrandum indulgentias.* Consulo itaque, vt superiores sint parci in dictis obedientijs concedendis, præsertim in ordine nostro, in quo votum vitæ quadragesimalis difficillimum reddit iter, quòd si quandoque pietas, necessitas, aut alia rationabilis causa suadeat dictas obedientias concedere, id non fiat nisi assignato socio ad libitum Superioris, & determinato tempore ad eundum, & redeundum, & designato itinere, per quod transeundum sit.

CAP. IV.

De obedientia per modum transitus, cum commendatione.

FRATER, *&c. Tametsi cunctos Religionis nostræ alumnos tã spiritualibus, quàm temporalibus subsidijs, atque ornamentis pro viribus confouere paternę charitatis affectu compellamur, facere tamen non possumus, quin eos peculiaribus gratijs, & fauoribus cumulemus, quorum præclara in Religionẽ studia, & merita id exigere nouimus, ac postulare. Cum itaque sicut nobis exposuisti in Hispaniam pro quibusdam tuis expediendis negotijs contendere exoptes, eamque ob rem nostram tibi super hoc licentiam, & facultatem autas impertiri. Nos attendentes honestos labores, sanctaque tua officia, quibus totum Ordinem illustras, hæc, & ampliora quidem promererè, votis tuis, quò ad eadem religiosæ uitæ officia persoluenda promptior fias, & alacrior, annuere libentissimè cupientes tenore præsentium, nostrique auctoritate officij in Hispaniam, cum tibi opportunum uisum fuerit, proficiscendi, ipsasque etiam partes, Prouincias, & Ciuitates, ad quas pro ijs, quæ nobis significasti, peragendis negotijs pergendum esse existimaueris, adeundi licentiã tibi concedimus, & elargimur. Omnibus, ac singulis Religionis nostræ Fratribus, & Superioribus potissimum præcipientes, ut in ijsdem tractandis, atque absoluendis opem tibi omnem, operamque suam, fauorem, auxilium, commoditatemque suppeditent, ac omni te humanitatis genere, atque officio benignè in Domino complectantur. Cæterùm uerò, ijs omnibus expletis, & consumatis, ad hunc tuæ assignationis Conuentum quamprimùm cura, ut reuertaris. Et angelico te comitatu incolumen ducat, ac reducat salutis auctor. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd obedientiarum infinitę sunt formæ pro multitudine negotiorum, quæ quotidie occurrunt; has solum posui, quia frequentiores.

2. Noto 2. quòd Correctores tenentur ex debito iustitiæ recipere, & benigne tractare Fratres hospites per suos Conuentus transeuntes, ita vt mortaliter peccent, si in hoc delinquant. Tum quòd sacri Canones id expressè præcipiunt, cap. *Hospitalem*, d.42. cap.1. de emptione, & vend. cap. *Monachi*, de præb. & dignit. Trid. sess.25. cap.8. de refor. Sacris autem Canonibus contrauenire in se graui, mortale est. Tum quòd nostra Regula id expressè præcipit num.34. & supponitur in Cap. Valent.4. nu.47. Tum quòd id etiam pręcipit Scriptura sacra, ad Rom.12. & ad Hæbræos 13. & Matth. 25. Tum quòd Religiosi, præsertim nos Minimi, quorũ Religio non est dismembrata, sed vnita in vinculo charitatis, ac communis omnibus, & singulis, habent ius ad Religionis bona; vnde sæpe dixi, quòd Religio tenetur Religiosum alere ex iustitia; & probat Lessius lib. 2. de iust. cap.35. dub.18. num. 68. vers. *Sed contra*. Nec maius ius habent ad bona Prouincię, in qua habitum sumpserunt, quàm illius, in qua viuunt, (quando in illis non fiunt filiationes) cum obedientia ducantur modò in hanc, modo in illam Prouinciam. Et sicut quando profitentur, non se obligant solùm ad inseruiendum illi Conuentui, seu Prouinciæ, in qua profitentur, sed toti Religioni in communi, ita è conuerso tota Religio in communi se obligat ad illum alendum vbicunque resideat cum Superioris licentia. Quare Religiosi peregrinantes, seu itinerantes cum licentijs suorum Prælatorum non debent recipi propriè tanquam hospites, sed tanquam Fratres ius habentes ad vescendum cibis, qui comeduntur in illa Communitate, in qua degunt, eodem prorsus modo, ac Fratres in illa residentes de familia. Attento etiam & præsertim, quòd hospites sũt subditi illorum Superiorum in quorum Conuentibus degunt, tum secundùm ius commune, tum secundùm nostras constitutiones, vt probaui tom.2. Religiosi q. 1. cap. 8. num.21. Vide quæ dico tom.2. priuil. in const.6. Vrbani VIII. num. 1.

3. Ex quibus collige, quòd meo videri, Cõuentus tenetur Fratri hospiti venienti cum sua obedientia, & non habenti pecunias, vel quia eas amiserit, vel consumpserit, vel quia ei fuerint sublatæ, soluere modestum, & religiosam paupertatem olentem naulum, & ei prouidere vsque ad alium eiusdem Religionis Conuentum, vt possit suam obedientiam complere. Ex quo enim incedit cum obedientia sui Superioris, habet ius, vt vescatur bonis suæ Religionis; & videtur, quòd possit obligare Religionem tanquam procurator, vt negotium suæ Religionis vtiliter gerat, alioquin si pecunias sibi in viaticum datas amiserit, & non possit pedibus mendicando incedere, cogetur permanere in Conuentu, ad quem diuertarit, & sic non poterit obedientiam sui Superioris complere.

4. An autem Conuentus hospitij possit deinde elargitam pecuniam repetere à Conuentu Prouinciæ, ex qua hospes discessit, potest esse dubium. Sed quicquid sit de iure, vellem, vt

possit

posset repetere, nam sic faciliores essent Superiores Conuentuales, qui communiter solent esse auari, ad prouidendum hospitibus de necessarijs.

5. Noto 3. quòd si aliquis Frater hospes infirmetur in aliquo Conuentu, non tenetur Conuentus, a quo discessit, quicquam resarcire Conuentui, in quo infirmatus est. Ita pro Ordine nostro statutum est in cap. Tolos. num. 30. in cap. 2. Rom. num. 18. in cap. 1. Genuens. nu. 21. & in cap. Paulæ num. 39. vbi sic habetur. *Sed quantùm ad Fratres de Conuentu in Conuentum per obedientiam transmigrantes, & in alieno Conuentu ægrotantes, definierunt, quòd iuxta facultates talis Conuentus, vbi eos infirmari contigerit, iuxta Regulæ nostræ tenorem, charitatiuè tractentur. Nec propter hoc Fratres alterius Conuentus Conuentui, vbi eum infirmari contigerit, aliquid, resarcire, seu refundere teneantur.*

6. Ex quibus collige, quòd si aliquis Frater hospes propter aliquod delictum detineatur in carceribus Episcopi, vel Inquisitoris, teneatur Conuentus eū ibi alere, nec possit per hoc quicquam prætendere ab ea Prouincia, à qua hospes ille discessit, seu in qua hospes ille moratur, vel sumpsit habitum; valet enim argumentum ab infirmitate corporis ad infirmitatem animi, vt notat Barbosa in locis communibus, lit. A. num. 104.

Barbosa.

7. Sed quæres, an Correctores locales teneātur recipere, & alere Fratres fugitiuos, & sinè obedientia ambulantes, ac, si infirmentur, curare? R. quòd de iustitia non tenentur, cum sint extra obedientiam. Et colligitur ex nostro statuto citato num. 5. ibi, *per obedientiam*, vbi innuitur, quòd si transeant sinè obedientia, non tenetur Religio eos alere. Attamen pro Ordine nostro in cap. Romano 6. num. 13. *Concedunt Patres, quod, si sint infirmi ipsi fugitiui, possint retineri vsque ad sanitatem; & alij etiam per tres dies, secundùm pium Religionis morem retineantur, & statim postea remittantur ad suos legitimos Superiores*. Vbi noto illa verba, *possint retinere*; & illa, *secundùm pium Religionis morem*; quæ innuunt, non teneri ex iustitia Correctores dictos fugitiuos infirmos curare, & sanos recipere, sed solum ex charitate. Quod statutum sanctum, & laudabile est.

8. Statutum autem, quod aliqui intentarunt, vt fugitiui statim ac aliquem Conuentum appulerint, incarcerentur, habitu spolientur, & in carceribus detineantur, quousque fugitiuorum Superior Prouincialis admonitus fuerit, & de tali fugitiuo, quid faciendum fuerit, respondeat. Zelum quidem regularis obseruantiæ, & fugitiuorum frænum præseferre videtur, sed non secundùm scientiam; nam moraliter est impossibile seruatu, & videtur contra charitatem, & Religioni damnosum. 2. probatur; nam pone, quòd aliquis fugitiuus ex Prouincia Germaniæ, vel Poloniæ veniat ad hunc Conuentum Genuensem V.G. si debeat detineri in carceribus, quousque veniat responsum à Prouinciali Germaniæ, detinebitur per duos, aut tres menses cum dispendio Conuentus. Et pone, quòd Prouincialis ille sit inimicus dicti fugitiui, cum Prouincialis sciet, ipsum fugitiuum esse carceratum, non respondebit nisi post multum temporis; Sed pone, quòd respondeat, quòd dictus fugitiuus perpetrauit aliquod delictum, & quòd detineatur in carceribus, quousque processum mittat, erit ne expectandus dictus processus? Certè hæc tempus requirunt, dispendia causant, & nullū remedium adhibetur fugitiuis; & cum fugæ aliqnādo causentur ex leuitate, supra merita quis punietur vt plurimum; deinde cum processus non possit terminari sine reo, cui dandæ sunt defensiones, à quo poterit excipi super depositione testium? Si super his omnibus scribendum sit Prouinciali Germaniæ, quantum temporis requiretur? Tandem pone, quòd Prouincialis Germaniæ reum condemnet ad carcerem per annum; ista pœnitentia vel esset implenda in loco delicti, vt de iure videtur; & tunc licentiato fugitiuo è carceribus, quis illum ducet ad Prouinciam Germaniæ? Vel esset implenda in Conuentu Genuensi, & non videtur, cur debeat ita grauari. Alia multa incommoda in hoc sunt, quæ alijs consideranda relinquo, & quæ statutum illud reddunt moraliter impossibile. 2. Scilicet quòd sit contra charitatem, constat. Tum quia fraterna charitas postulat, vt indigenti, quamuis peccatori, subueniamus; at subuentio non est, peccatorem Fratrem carceribus detinere, habituque spoliare, & quæ charitas est, fugientem ex leuitate ita crudeliter recipere? Tum quia hominis animus precibus faciliùs trahitur, quàm baculo, vnde faciliùs suadetur alicui benignitate, vt ad propria reuertatur, quàm carceribus. Tum quia pone, quòd aliquis sit grauatus à suo Superiore, & vt talis recurrat ad maiorem Prælatum, iste certè sinè obedientia ambulabit, quis enim eā illi dabit? Hic autē si transeat per aliquem Conuentum, secundùm illud statutum esset incarcerandus; sed cur? cum afflictus non sit affligendus? Quòd autem tale statutum futurum esset Religioni damnosum, paret, Nam nullus fugitiuus Conuentus petet, sed omnes in cauponis per Ciuitates remanebunt, cum scandalo secularium; scandalizantur enim seculares videntes Religiosos cauponam petere in locis, in quibus adsunt Conuentus eiusdem Religionis, & ex hoc Religio multùm perdit; putant enim seculares, quòd Conuentus nolit dictos hospites recipere, & ipsi fugitiui ad se excusādum id dicunt. Adde, quòd, stante rigore huius statuti, multi, vt habeant quò recurrant, falsificabunt obedientias, ex quarum falsificatione quantum damnum proueniat Religioni, nemo non nouit. Tolerabilius ergo est, fugitiuos Fratres hospitio recipere, charitatiuèque tractare, hortarique, vt ad propria redeant, illos cum literis commendatitijs, & veniæ impetratorijs dimittere, quàm ipsos carceribus detrudere. Concludo itaque, quòd Superiores locales tenentur ex iustitia Fratres hospites recipere, ac benignè tractare: ad hospitandum inuitare, infirmos curare; quòd si non faciant, peccant mortaliter, & possunt ex hoc solùm officijs suis priuari. Quod mihi satis probat cap. *Archidiaconum*, d. 85. in quo inhospitalis promoueri vetatur, sed illud crimen, quod impedit promouendum, deijcit promotum, quando est ex sua natura malum. Ergo.

9. Noto vltimò, quòd qui habent obedientiam à Reuerendiss. P. Generali non possunt à

Pre-

Prouincijs, seu Conuentibus, in quibus degunt discedere, nisi prius originale ipsius obedientiæ monstrauerint P. Prouinciali Prouinciæ, a qua discedunt. Ita statutum est in cap. Rom. 7. sess. 10. matutina decreto penultimo: & est ratio valde consonum; tum quia ipsi cura incumbit omnium Conuentuum, & Fratrum suæ Prouinciæ, vnde debet scire quidquid in illa Prouincia agitur, vt regimen ipsius sit religiosum, & rationabile: tum quia ita dictat ratio ipsa naturalitatis, & vrbanitatis: tum quia contrariorum eadem est disciplina, vt dicunt Philosophi, & Iuristæ, sed quando quis accedit ad aliquam Prouinciam ante omnia literas obedientiales ostēdit Patri Prouinciali illius Prouinciæ, ergo debet eas literas ostendere, vt verificetur doctrina Philosophi, Patri Prouinciali Prouinciæ, quando à Prouincia discedit: tum quia ita habet inueterata, & legitimè præscripta consuetudo Religionis: vnde si aliquis sine ostensione dictæ originalis obedientiæ facta Prouinciali Prouinciæ, vt dictum est, discederet ab aliqua Prouincia posset P. Prouincialis dictum discedentem punire tanquam fugitiuum. Nec sufficit dictas obedientias ostendere Correctori Conuentus, à quo discedit propter dicta; quinimo posset Corrector, qui id permitteret tāquam vsurpator alienæ iurisdictionis a Prouinciali puniri.

CAP. V.

De forma mittendi Fratres ad sumendos ordines.



FRATER N. Ordinis N. Prouincialis. Dilecto nobis in Christo, etc. Præsentium vi, ac tenore tibi præfato præcipimus, ac mandamus, vt ad Subdiaconatus ordinem te conferas suscipiendum; Perillustrem, Reuerendissimumque D. D. Episcopum N. in cuius Diœcesi localiter commoraris, seu alium quemcunque, ipsomet N. ordinationes non celebrante, obnixè rogantes, vt eodem te ordine insignire, ac super interstitijs, Ecclesiæ nostræ vtilitate, vel necessitate sic postulante, dispensare dignetur. Nos enim de tua eidem sufficientia, tum quò ad mores, scientiam, & ætatem, tum quò ad reliquas à sacris Canonibus, & Tridentino præsertim Concilio requisitas conditiones fidem facimus, atque attestamur. Demum verò huiusmodi beneficij dignitatem cum remetiri nulla alia ratione possimus, nisi in templis, nisi in medijs religionibus, caremonijs; altarium, nullum profectò diem lapsurum spondemus, quo non suæ Perillustris, ac Reuerendissimæ Dominationis memoriam deferendo sacrificio excitemus, vbi Patri Filius immolatur. In quorum fidem, & c.

CAP. VI.

De eadem forma sub amplioribus verbis.



QVAE ad sacrosancti altaris ministerium, diuini cultus honorificentiam, catholicaque Ecclesiæ vtilitatem, atque incrementum conducere videntur, ea nobis, quibus alios regendi cura, meritis licèt imparibus, est commissa, verbis illis Apostoli disertè præscribi pensamus. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. *Atque ita cum ex ministrorum Ecclesiæ deputatione ea omnia profluere quotidiano discamus experimento, ad eiusmodi sanè ministros (si quos idoneos reperimus) prudenter, ac sollicitè cooptandos maxima incendimur cupiditate. Vobis igitur præmemoratis eiusdem nostri Ordinis Clericis professis, atque in minoribus ordinatis, probis, bonisque moribus, ac literaria disciplina satis imbutis, in ætate legitima constitutis, nec non in susceptis ordinibus exercitatis, omnibusq; tandem, iuxta Tridentini Concily sanctiones, summorumque Pontificum decreta, instructis, ac exornatis, in virtute sanctæ obediētia præcipimus, ac mandamus, vt ad sacrum Subdiaconatus ordinem suscipiendum vos conferatis: Perillustrem, ac Reuerendissimum D. O. Episcopum N. in cuius Diœcesi localiter immoramini, seu a ium quemcunque Perillustrem, ac Reuerendissimum Antistitem, ad quem, ipso N. Ordinationes non celebrante, diuertere cōtigerit, exorantes, vt præfato vos ordine insignire, ac super interstitijs quibuscunque opus est dispensare dignetur, Ecclesiæ nostræ necessitate, vel vtilitate sic suadente. Cuius quidem sua Perillustris, ac Reuerendissimæ Dominationis præclari erga nos meriti memoriam nulla unquam delebit obliuio. Et Dominus nos benedicat. In quorum fidem, & c.*

1. Noto 1. quòd pro declaratione clausularum istarum formarum videa dasunt quæ dico tom. 1. Relig. cap. 7.

2. Noto 2. quòd Vrbanus VIII. per suam constitutionem 44. quam habes tom. 4. bullar. fol. 319. concessit Fratribus S. Francisci de Obseruantia, in partibus Indiarum Occidentalium commorantibus, vt possint ordinari à quocunque catholico Episcopo, ad omnes, etiam presbyteratus ordines, etiam extra tempora, & non obseruatis interstitijs, & ordino antea suscepto non exercitato. Quod tamen priuilegium non valet extra illas partes Indiarum, propter illam particulam taxatiuam, *tantùm*, quæ in dicto priuilegio habetur. Possunt tamen alij Mendicantes cum dictis Minoribus in priuilegijs participantes, habitantes in dictis par-

tibus Indiarum, eodem priuilegio ibidem vti, quia in eo, quò ad hoc, nulla adest particula restrictiua.

3. Noto 3. quòd in Clericis secularibus communior opinio tenet, literas dimissoriales ad ordines valere etiam post mortem Episcopi, qui eas concessit, & consequenter post multum

Barbosa. temporis, vt videri potest apud Barbos. de potest. Episc. par. 2. alleg. 7. num. 23. licet alij

Rebuffus. contrarium sentiant, vt Rebuffus in praxi, tit. *Formula dimissor. liter.* num. 40. & 41. Sanctus Carolus Borromæus par. 3. actorum Ecclesiæ Mediol. tit. *Edictum de sacra ordin.* vers. *Literæ verò*, ita statuit. *Literæ verò dimissoriæ de ordine suscipiendo ne vetustiores sint duobus, vel tribus mensibus, à die sacræ ordinationis supputandis.*

Nauarrus Et huic opinioni fauet multùm Nauar. lib. 1. consil. de Cleric. peregr. cons. vnic. num. 6. Apud Regulares tamen, & præsertim apud Minimos, dicendum est, dictas literas dimissoriales non valere nisi post duos, aut tres menses, seu ab vna ordinatione ad aliam. Ita tenui, sola consuetudine nostræ Religionis fundatus, tom. 1. priuil. in const. 2. Iulij II. num. 23. Quod nunc confirmo, & probo 1. auctoritate B. Caroli loc. cit. vers. *Afferant literas*; vbi loquendo de Regularibus, ait. *Afferant literas dimissorias à Superiore de ordine suscipiendo, quo eorum quisquã initiandus est; quæ literæ ne vetustiores sint duobus, vel tribus mensibus, à die sacræ ordinationis supputandis*. 2. Probatur. Quia in decreto sacræ Congreg. Concilij de anno 1596. sub die 15. Martij, facto de mandato Clem. VIII. præcipitur Superioribus, ne mittant Fratres sibi subditos ad suscipiendos ordines, nisi ad Episcopos, in quorum Diœcesibus ordinandi de familia commorantur. Quòd si dicti Episcopi ordinationes non celebrent, conceditur, vt possint mittere ad alios quoscunque, *Modo non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel absuturus; vel nullas habiturus esset ordinationes*. Sed hoc decreto stante in viridi obseruantia, vt nũc est, non possunt valere literæ dimissoriales ad ordines, nisi ab vna ordinatione ad aliã. Quod probo, quia alioquin sequeretur, quòd posset Prælatus dictas literas testimoniales concedere alicui subdito, & hic posset differre executionem illarum in id tempus, quo Diœcesanus ordinationes non celebraret; & sic Prælatus effugeret pœnas in dicto decreto inflictas, & subditus haberet intentum suum, & eleganter deluderetur dictum Congreg. decretũ. 3. Quia in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 8. de refor. præcipitur Episcopis, quòd nullum ordinent sinè literis testimonialibus facientibus fidem de vita, & moribus ordinandi, & cum qui hodie bonus est, cras possit esse malus, excommunicatus, &c. stante fragilitate nostræ naturæ, non videtur dimissoriæ facientes fidem de moribus posse valere post triennium, neque etiam post trimestre, ad faciendam fidem de moribus præsentibus, quæ est ratio Nauar. loc. cit. de Clericis peregrinis. 4. Quia aperiretur ianua fraudibus, & vagationibus. Posset enim quilibet post semel obtentas literas dimissoriales, illarum prætextu per multum temporis vagari, ac etiam meritas pœnas impunè effugere. At fraudibus via aperienda non est; Clem. 1. de vsuris; leg. *In fundo*, ff. de rei vendic. Itidem possent superiores parùm timorati reseruare sibi aliquas similes literas in alba papyro cum officij sigillo, dandas post suorum officiorum terminationem cuicunque voluerint, sub datis temporum, quibus officijs fungebantur; quod in grauissimum redundaret Religionis damnum. 5. Quia in nostro Ordine ita habet consuetudo, quam ego ab anno 34. quod indignè in Religione viuo, ita semper obseruari vidi; & sic semper fuisse in Religione obseruatum audiui à nostris senioribus. At à dignis, & laudabilibus consuetudinibus non est recedendum, cum parem habeant vim cum legibus; leg. *De quibus*, ff. de legib. §. *Ex non scripto*; Barb. de axiom. iuris, verbo *Consuetudo*, nu. 5. *Barbosa.*

4. Noto 4. quòd dictæ literæ dimissoriæ in Ordine nostro morte concedentis, seu officio finito, expirant. Probatur 1. ex dictis, quando mors secuta est post tres, aut quatuor menses, & præsertim id probat 3. ratio. 2. Quia alioquin maxima irrogaretur iniuria successori, sinè enim eius voluntate, immo contra eius voluntatem posset illius subditus ordinari, cõtra cap. *Eos, qui*, & cap. fin. de tempor. ordin. Et cum superiores soleant in termino sui officij esse liberaliores in gratijs concedẽdis, maximè quando sunt parùm timoratæ conscientiæ, possent alicui indigno dictas literas concedere, quod graue multum esset successori. 3. Quia missus ad visitandam aliquam Prouinciã re integra, morte mittentis, non potest eam ampliùs visitare, cap. *Relatum*, cap. *Gratum*, de offic. deleg. Ergo pari modo missus ad ordines suscipiendos, morte, siue naturali, siue ciuili mittentis, non potest eos amplius suscipere. 4. Quia licentia, quæ non potest concedi sinè causæ cognitione, expirat morte concedentis. Ita Panor. in cap. *Nemini*, num. 9. de offic. Legat. qui exemplificat in eo, qui habet licentiam generalem ab Episcopo, vt cui voluerit confiteatur, & ait, quòd hæc licentia simpliciter, mortuo, vel reuocato Episcopo, expirat, quia Episcopus non potest dare istam licentiam cum præiudicio Ecclesiæ parochialis sinè causæ cognitione, & consilio sui Capituli; quia hoc esset irrogare præiudicium Ecclesiæ Parochiali, quam doctrinam sequuntur Syluester verb. *Confessor* 1. q. 7. & Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 9. §. *Sextus effectus est*, vbi ait, quòd qui habet licentiam absoluendi à reseruatis, mortuo Episcopo, vel translato, ea ampliùs vti non potest. Ergo pari modo, qui habet licentiam suscipiẽdi ordines mortuo, vel functo officio concedente, ea amplius vti non potest, quia est in præiudicium successoris. 5. Quia in Ordine nostro obedientiæ datæ à Prælatis suis subditis, siue gratiosæ sint, siue odiosæ, re integra, morte politica, vel naturali concedentis, expirant; & sic semper obseruatum est in Religione, vt audiui à senioribus. Ergo etiam cessare debent licẽtiæ ad ordines. 6. Quia licentia de non residẽdo alicui concessa expirat morte cõcedentis, vt docet Gloss. in cap. *Cum ad hoc*, de Clerico non resid. verb. *Et prædecessorum tuorum*; quia est in præiudicium successoris. Ad cap. *Si cui*, de præb. in 6. & cap. *Si super gratia*, de offic. deleg. eod. lib. Et ad Doctores, quando dicunt, quòd gratia morte concedentis non expirat, respondeo, quòd

quòd intelliguntur de gratia, quæ successori non præiudicat, seu de gratia, quæ iam sortita est suum effectum.

5. Noto 5. pro Oblatis, qui obtinuerunt licentiam transeundi ad ordinem Clericorum, quòd die 18. Nouembris 1633. extitit decretum sacræ Congreg. Regul. sub hac forma. *In causa Fratris Ludouici Piccinini Oblati Ordinis Minimorum, qui, obtenta facultate per literas in forma breuis, transeundi a statu Laicali ad Clericalem, & se promoueri faciendi ad omnes sacros, etiam presbyteratus ordines, de licentia tamen suorum superiorum, se promoueri fecit ad dictos ordines ab Episcopo Capraularum, non solum absque licentia Patris Generalis, verum ipso contradicente, licèt Episcopus prædictus asseruerit, illum promouisse vigore dicti breuis, ac de licentia Nuncij Apostolici Venetiarum, & Prouincialis Prouinciæ Cardinalium, Fratris Ludouici. Sacra Congregatio Cardinalium, negotijs Regularium Præposita, Eminentiss. Gypsio referente, censuit, prænominatum Fratrem Ludouicum Piccininum suspendendum prout præsentis decreti virtute suspendit ab executione suorum ordinum arbitrio sacræ Congregationis. Romæ die 18. Nouembris, 1633. F. Antonius Cardinalis S. Onuphrij Antonius Torniellus secretarius.* Aduerte, quòd clausula in huiusmodi breuibus apponi solita, *De consensu Superiorum*, intelligenda est de Generali Ordinis, & de Prouinciali Oblatorum, prout declarauit eadem sacra Congregatio anno Domini 1630. die 2. Augusti, quam declarationem refero tom. 2. Religios. q. 3. cap. 1. num. 149.

6. Noto 6. quòd in Ordine nostro fugitiui sunt inhabiles ad ordines suscipiendos quo vsque per Generale, aut prouinciale capitulum rehabilitentur per statuta capituli Tolosani nu. 22. & Genuens. 7. nu. 17. & congruit capiti *Legi* 16. q. 1. Vtrum verò dicti fugitiui possint in susceptis ordinibus ministrare pédet ex illa quæstione, an fugitiui sint excommunicati, de qua tom. 1. relig. subditi q. 1. cap. 16. §. 1. ad finem, pro qua videndus Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. num. 9. & 10. Et quod dico de fugitiuis intellige multò magis de apostatis, qui nec ordinari possunt, nec ministrare in susceptis ordinibus, vt pro ordine nostro statutum est in cap. Romano 2. num. 7. Et Barcinonensi 1. num. 10. & est de iure, vt probaui supra lit. A cap. 10. num. 6. Et quod dico de fugitiuis, & Apostatis intellige etiam de his, qui propter alias causas sunt priuati voce actiua, & passiua, cap. fin. de temp. ordin. cap. *Cum sit de ætat.* & qualit. ord. nam ordines non conferuntur nisi personis benemeritis, vt dicitur in dicto cap. *Legi*, taliter antem priuati non sunt benemeriti. Deinde ordines dignitatem dicunt Ecclesiasticam, cap. *Ad aures*, de temporibus ordin. qua isti sunt priuati. Et quod dico de priuatis vtraque voce, intellige etiam de priuatis vna tantū nam illa priuatio deformitatem dicit, & grauē, qua ordinandus carere debet secundū prædicta iura, ordinandus autem debet laudabiliter vixisse, & se ipsum primitùs dignum probare, c. *Quicunque*, d. 77. Et ita seruatur in religione nostra quo ad ordinum receptionem, quo ad ministrationem verò in susceptis, nisi specialiter sint priuati, aliter dicendum est.

LITERA P.

CAP. I.

De forma participationum bonorum Religionis, quæ datur deuotis amicis.

FRATER, &c. *Vobis, &c. Tot præclara in nos, Ordinemque nostrum à vobis collata beneficia, quod in nobis est, remetiri, nostra maximè interesse existimamus. At quid rependere ij cogitent, qui cum Apostolis, relictis omnibus, secuti sunt Dominum? quorum possessio inopia, est & diuitiæ religiosa paupertas? Quānis autem argento, atque auro carentes, inopes esse videamur, referēdæ tamen gratiæ, remetiendique beneficij iure omnino priuari nequaquam passus est cælestis ille Agonotheta, cuius se obsequio deuouerunt Cænobitæ. De suis namque thesauris infinitis spirituales diuitias largiter, copioseque eisdem communicando, licèt nihil in terris habentes, omnia tamen voluit possidere. Diuinæ igitur liberalitati maximè fidentes, vt omnibus præfati nostri Ordinis bonis, precationibus nimirum, oblationibus, suffragijs, pensitationibus, lectionibus, succollationibus, abstinentijs, concionibus, vigilijs, chamennys, peregrinationibus, ac ceteris quæ ab vniuersis eiusdem Instituti Fratribus, vel Sororibus ille ipse, à quo bona cuncta procedunt, fieri largitus fuerit, omnes, ac singuli potiamini, harum serie, ac tenore concedimus, & indulgemus; Quatenus scilicet spiritualibus hisce suffulti, bracteata hac nihil facere, vera bona amare studeatis, illisq; frui, & satiari tandem cupiatis, in nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. In quorū fidē, &c.*

1. Nota, quòd pro declaranda illa materia participationum, videnda sunt, quę dixi tom. 2. Relig. q. 3. cap. 6. vbi ex professo eam tracto. Hic solum addo, quòd nimia abundantia dictatum participationum reddit illas contemptibiles, cum sint alioquin thesauri inæstimabiles, vnde meo videri non deberent concedi, nisi vere benefactoribus, & amicis, & cum cōsensu capituli localis, & illi, quibus conceduntur deberent scribi in aliquo libro particulari ad hoc vt post eius mortem Religio illis debita officia celebraret. Addo etiam, quòd participationes Generalis, qui functus est suo officio non valent tempore successoris propter ea, quę supra dixi de dimissorijs lit. O. cap. 6. quòd etiam consuetudo approbauit.



CAP. II.

De forma instituendi Prædicatorem.

FRATER N. &c. Ordinis N. Provincialis R. P. F. N. &c. Ex vita, Religionisque nostræ præscripto, atque instituto, diuinorum contemplationi Religiosos nostros ita intentos, atque addictos esse oportere existimamus, ut gregem tamen Dominicum consilijs, monitis, confessionibus, atque id genus alijs pietatis officijs, & verbi potissimum diuini prædicatione iuuare, & pascere nullatenus obliuiscantur. Cum verò, qui populis euangelizent, iuxta Apostoli vocem, à Pastoribus sint mittendi, harum idcirco literarum nostrarum serie, ac tenore, te præmemoratum Patrem, cuius in concionando sanam doctrinam, præclaras animi dotes, mores honestos; animarumque zelũ satis, superque cognouimus, ad verbum Dei, non in nostris tantùm, sed & in cęteris quibuscunq; orbis Ecclesijs, cuiuslibet respectiuè loci Pastoris accedente licentia, disseminandũ admittimus, & approbamus. Ad sanctæ obedientiæ meritum tibi pręcipientes, vt à falsis, scandalosis, minusuè puris doctrinis, quę sanctam Romanam Ecclesiam, Christi sponsam, Catholicorum matrem, vnicam, ac solam paradisi ianuam, vel eius Pastores, ac Pręlatos, siue etiã bonos fideliũ mores offendere quoquomodo possent, prędicandis omnino abstineas. Sanctorum quinimmo Patrum, Catholicorum Doctorum vestigijs, placitisque inhęrens, cęlestia virtutum semina, Christianamq; disciplinam in hominum corde ita studeas conserere, ut vitijs inde, atque inolitis prauę affectionis radicibus extirpatis, nouę in agro militantis Ecclesię plantationes, cælesti agricolę reseruandę, possint inueniri. In quorum fidem, &c.

CAP. III.

De eadem forma ad instantiam alicuius Prælati, vel communitatis.

FRATER N. &c. Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. D. N. Episcopi N. incredibili beneuolentiæ, ac humanitati, qua cunctos Instituti nostri, atque huius præcipuè Prouinciæ N. Religiosos complectitur in dies, gratificari quam maximè cupientes. Harum serie, ac ui te prælibatum Patrem, cuius scientia dignitas, morumque disciplina, necnon in dicendo facundia, in reprehendendo modestia, in docendo facilitas, in monendo suauitas, ac dulcedo, in adhortando uis, atque ardor non obscura nobis innotescunt; inter alios præcipuè selegimus, per quem Illustrissimi eiusdem, ac Reuerendissimi D. Episcopi, Concionatorem nostri Ordinis pro hac proxima Quadragesima à nobis exposcentis petitionibus, ac uotis obsecundaremus, cuique uerbi Dei in Ciuitate N. disseminandi munus; atque officium concrederetur, prout his literis re ipsa concredimus, ac demandamus. Præcipientes itidem, ut idoneam, atque opportunam discedendi tempestatem nactus proficiscaris, ne qua interposita mora, nostrum præfato D. Episcopo obsequendi ardentissimum studium, nostræque Religionis decus uilescat, & paruuli, qui doctrinę Euangelicę panem suspirant, cogantur interire, dum quĩ frangere debet, uitio suo negligit interesse. Illudque tandem seriò te commonemus, ut tãquam bon⁹ agricola uitia extirpare, uirtutesque conserere, & cordi potiùs, quàm auribus, prędicare quam diligẽtissimè studeas; ita enim fiet, ut concionatoris Apostolici munus absolutissimè perficias, & immarcescibilem glorię laureolam à summo omnium opifice Deo feliciùs consequaris. In quorum, &c.

CAP. IV.

De eadem forma, quando aliqua Ciuitas Prædicatorem petit in particulari.

FRATER, &c. Tibi, &c. Iucundo nominis tui, tuarumque virtutum odore, atque ea præsertim, quæ in te elucet, concionandi facundia, electi ciues N. maximo se desiderio affici nobis significarunt, vt te hac proxima Quadragesima ad verbum Dei sibi annunciandum cõstitueremus. Nos qui latam vbique ingenij tui fugam, atque uberes sacræ doctrinæ fructus, ad laudem, & gloriam Dei in agro Dominico spargi non parùm auemus, eorundem ciuium uotis, ac propensæ erga nostrum Ordinẽ uoluntati obsequi cupientes, tibi ut ad sacri Euangelij semen in eorum cordibus stato tempore seminandum te pares, atq; accingas, harũ serie pręcipimus, & mandamus. Quod quidem Christiani Euangelistæ munus ut obire queas laudabiliùs, paterna te, Apostolicaq; uoce obsecramus, ut, persuasibilibus humanæ sapiẽtię uerbis aures titillantibus, fucatisque puerorũ nugis, ineptijsq; relictis, Christum tantũmodo Crucifixũ è Cruce religiosæ vitæ, quæ est uera doctis cathedra, aptumq; Euangelistę suggestum, syncerè studeas prędicare. In quorum fidem, &c.

CAP.

CAP. V.

De forma, qua Prælatus potest se excusare, quòd non possit Prædicatorem petitum mittere propter eius infirmitatem.



AXIMA nos affecerunt lætitia litera vestra, summi quidem officij plena, summæque humanitatis. In ea verò animi nostri iucunditate hæc nobis vehemens molestia fuit, quòd ea præstare non possimus, quæ vestræ voluntati pergrata fore voluntati. Nostri Ordinis Concionatorem eximium P. F. N. postulatis, qui suaui, ac periucunde euangelicæ doctrinæ pabulo hac proximè futura Quadragesima vos recreet, ac consoletur. Nil ipsi (& credite) uilque nobis antiquius, quàm vobis ea in re gratificari. Nec quicquam sane tam arduum, tanque difficile existimate, quin illud vestra causa libentissimè subiremus; sic enim præcipuus exigit deuotionis affectus, sic maxima, præclarissimaque beneficia, quibus, & Religionem totam, atq; hanc præsertim Prouinciam N. antea cumulastis, & in dies non desistitis cumulare. Sed tamen cum noster idem Concionator exasperata cuiusdam febris paraxysmo diebus exactis accupatus, in eam redactus sit corporis imbecillitatem, vt nulla prorsus sit spes necessarias sacræ exercitationi uires tam breuis temporis spatio reuocandi, muneris nostri esse putauimus, si ad excusationem nostram benignè suscipiēdam humanitatem uestram bis literis incitaremus. Etsi namque spiritus aduersus carnem concupiscens, in uestra gratia officijs suis cōquirenda plurimus sit, atq; ardētissimus, cū tamen, quæ ab eodem patre suscepta, atq; instituta sunt, ingenij monimenta, sinè corporis ope, ac subsidio perfici, ac perpoliri, memoriaque commendari, seu etiam uoce ipsa, stomacho languente, pronunciari nequaquam ualeant, fieri planè non posse nobis pollicemur, ut tam grauis ab ipso, laboriosaque prouincia suscipiatur. Quamobrem a quo animo ferenda iactura, si qua inest, diuinæque obsecundandū uoluntati: Nam neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus; cuius inscrutabili consilio, ac prouidentia factum esse putate, ut oppressus morbo decumberet, quò alius quispiam fortè nobis præsto esset, qui & uberiori diuinæ sapientiæ aqua nos potet, & à quo felicores euangelicæ doctrinæ manipulos incundiùs referatis. Deum tamen interim exorabimus, ut pijs uestris faueat inceptis, studijsque, quo & Ciuitas uestra seruari, & à morbo tandem confirmatus noster Euangelista eximia erga nos beneficia uerbi diuini prædicatione aliquando possit remetiri. Quòd si assequetur, nulli, credite, pro uobis studio parcet, ac labori. Valete in Domino. Datum &c.

CAP. VI.

De forma generali prædicandi, à Patre Generali concessa.

FRATER &c. Vberrimos solet in dies præstare fructus uinea Domini, si Verbo Dei, tanquam salutari pluuia sæpius irrigetur. Quod cum ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio, tum uerò succedentium annorum curriculo ad hæc usq; tempora, tot gentium, ac populorum ad Christi fidem conuersione, aliysque plurimis experimentis certimus comprobatum. Quamobrem ne nos, qui in hac uinea, meritis licèt imparibus potissimum adlaboramus, quibusq; uniuersa Religionis cura est indicta, in muneris nostri executione segniores esse uideamur, quos è nostris aptos cognouimus, ad euangelicę prædicationis officium duximus deligendos. Cum itaq; de tua doctrina, moribusq; probatis nec non exemplari uita plane simus edocti, licentiam tibi concedimus, ut Sacrosanctum Christi Euangelium ubicunq; opus fuerit iuxta Sanctę Romanę Ecclesiæ, summorumque Pontificum constitutiones ualeas prædicare, Altissimum deprecantes, ut omne opus, & ministerium tuum ad ipsius gloriam, animarum salutem, & tui ipsius meritum à bonorum omnium largitore dirigatur. In quorum fiem, &c.

1. Noto 1. quòd pro ista materia Concionatorum videnda sunt, quæ dixi tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 2. tom. 2. priuil. in const. 2. Sixti IV. à num. 10. & tom. 3. priuileg. cap. 2. à num. 8.

2. Noto 2. quòd Prædicatores, & Lectores non tenentur ieiunare, vt docent Tabiena, verb. *ieiunium*, num. 16. Filliuc. tom. 2. tract. 27. q. 2. cap. 6. num. 124. & alij apud Dianam tom. 1. tract. 9. resol. 10. Quod tamen limitandum est, nisi possint æquebene, ieiunando, suo muneri satisfacere. Quod habet verum, etiamsi Lectores, & Prędicatores, ratione stipendij dicta munera exerceant, vt habet Diana resol. 11. & Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 44. nam stipendium vires non auget. *Tabiena. Filliucius. Diana. Diana. Lessius.*

3. Noto 3. quòd Regulares etiam ante Ordines sacros, modò prima tonsura sint insigniti, de licentia suorum Superiorū vbique prædica-

re possunt. Ita concessit Gregorius XIII. prout refert Cherub. tom. 2. bull. in const. 95. dicti Greg. fol. mihi 481. de quo priuilegio mentionem facit Campan. in diuers. iuris, rubrica 12. cap. 13. num. 12. Immo id licere absque priuilegio, cum sola Parochorum licentia, docet Nau. lib. 1. consil. de offic. iud. deleg. consil. 7.

Campanil. *Nauarrus*

4. Noto 4. quòd Prædicatores, & Lectores sacræ Theologiæ prædicantes, & legentes in peccato mortali, etiam occolto, peccant mortaliter, secundùm D. Thomam in 4. dist. 19. q. 2. ar. 2. quæstiun. 2. ad 4. Palud. ibidem, q. 3. ar. 3. Alij tamen dicunt, non esse mortale prædicare, & legere, quando peccatum est occultum, sed tantùm quando est publicum. Ita Sot. in 4. d. 8. q. 5. ar. 6. Suarez in 3. partem, tom. 3. disp. 16. sect. 3. Val. tom. 4. disp. 3. q. 5. p. 3. & alij apud Dianam tom. 3. tract. 4. resol. 197. Quę opinio, attėta humana fragilitate, ęquior est, nec contrarium absolutè docet D. Thomas loc. cit. Nam ait, quòd dupliciter potest contingere, aliquem sacram Scripturam docere. Vno modo ratione Prælationis. Et alio modo ratione magisterij. Deinde subdit. *Dicendum, quòd ille, qui est in peccato notorio, peccat, siue sic, siue sic doceat*, idest, siue doceat ratione Prælaturæ, siue ratione magisterij, *sed ille, qui est in peccato occulto, peccat, si primo modo doceat, non autem secundo.*

D. Thom. *Paludan.* *Sotus.* *Suarez.* *Valentia.* *Diana.*

CAP. VII.

De forma, qua Prælatus regularis potest monere Episcopum de punitione Religiosi, qui cum scandalo deliquit.



HARITATIS, ac iustitiæ Zelo refertas accepimus Illustrissimæ V. Dominationis literas, quibus instabat, vt F. N. indignum Ordinis nostri Religiosũ, qui scelestas præteritis diebus in honestum, ac grauem virum N. in publica Ciuitatis huius platea, magno cum populi scandalo, manus inferre ausus est, digna eius scelere animaduersione pęna mulctaremus deq; sumpto supplicio Dominationem Vestrã intra mensis spatium redderemus certiorem. Nos, qui Illustris. Dominationem Vestram ea, qua par est, obseruantia colimus, ac veneramur, ad eiusmodi delicti inquisitionem, prout de notorio iura disponunt, perspectis illicò literis, processimus: cumq; eumdem N. grauiter deliquisse comperimus, ex nostrarum constitutionum præscripto carceribus per annum mancipandum fore iudicauimus, ac re ipsa damnauimus, actiua, & passiua vocibus per biennium etiam priuantes. Cuius quidem nostræ diffinitionis, ac sententiæ, vt Apostolicis paremus mandatis, Illustris. D. V. his literis censuimus commonendam. Cui etiã fausta cuncta ab eo precamur, qui mandat salutes Iacob. Datum, &c.

1. Noto 1. quòd pro intelligentia huius formæ videnda sunt omnino, quæ dico tom. 1. priuil. in constit. 2. Sixti IV. num. 61. & tom. 3. dict. priuil. cap. 2. à num. 30.

2. Noto 2. quòd ad hoc, vt Episcopus possit Regularem punire, requiruntur quatuor. 1. quòd delictum sit extra claustra commissum. 2. quòd sit notorium. 3. quòd sit scandalosum. 4. quòd Episcopus institerit, vt à suo Superiore puniretur, & hic punire neglexerit. Quarum conditionum si vna desit, dispositio Concilij Trid. sess. 25. de Regul. cap. 14. locum non habet; hæc est enim natura conditionum copulatiuarum, vt vna deficiente, dispositio vim non habeat, vt probat Aldrete de disciplina relig. tuend. lib. 1. cap. 3. num. 36. Et num. 40. affert declarationem sacræ Cong. in qua statuitur, quòd Religiosus ab Ordinario capi non possit, quòd si fuerit in ipso delicto comprehensus, ad suum Superiorem recta via deferendus est. Quod etiam dixit Diana cum alijs tom. 3. tract. 2. resol. 138. Vnde si Ordinarius Religiosum capiat, & directa via non deferat ad suum Superiorem, vel intra terminum saltem 24. horarum, dixi tom. 1. priuil. cit. num. 62. & 64. quod erat excommunicatus, & præter Doctores, quos ibi ad hoc citaui, id dicit Chokier de exempt. p. 1. q. 17. num. 28. & de Conseru. eccles. p. 2. q. 97. num. 4. Si autem Episcopus tentet Regularem incarcerare, sed de facto nõ incarceret, quia aufugit, non est excommunicatus, nam pœnæ non incurrunt, nisi secuto actualiter effectu. Ita idem Chokier loc. vltimo cit. q. 98. num. 9. Et in huius doctrinæ confirmationem nota casum, quem mihi retulit P. F. Hieronymus Trimarchi ex nostris. In Prouincia Messanensi fuerunt capti à ministris Curiæ Archiepiscopalis Messanæ aliqui cuiusdam Religionis Religiosi in flagranti delicto homicidij, & ad carceres Archiepiscopatus ducti, quos cum repetijsset illorum Religio, nec vellet illos Archiepiscopus remittere, pro parte illius Religionis appellatum est ad regiam Monarchiam, quæ tandem, re bene discussa, Præsidente in ea Illustriss. Domino Petro de Neila, in fauorem Religionis sententiauit dictos Religiosos esse suę Religioni restituendos, quę eos puniret ad formam Concilij Trid. sess. 25. de Regul. cap. 14. & de facto fuere restituti. Et hoc contigit anno 1630. die 28. Augusti. Et aduerte, quòd si illa Religio suam fuisset prosecuta iniuriam, debebat ille Archiepiscopus declarari excommunicatus.

Aldrete. *Diana.* *Chokier.* *Trimarchi*

3. Noto 3. quòd si Regularis delinquat ita intra claustra, vt delictum extra claustrorum metas exiens generet in populo scandalum, non per hoc tamen potest ab Episcopo in casu negligentiæ ipsius Superioris puniri, nec potest Episcopus hoc casu Pręlato instare, vt talem delinquentem puniat; nam hoc delictum non est cõmissum extra claustra, quòd necessariò requiritur ad hoc, vt Episcopus possit Superiori instare, vt puniat. Ita Chokier de Consec. eccles. p. 2. q. 102. à num. 5.

Chokier.

4. Noto 4. quòd si Episcopus Superiorem localem moneat, aliquem Religiosum cum

populi

populi scandalo deliquisse, & instet, assignato termino, vt eum puniat, & Superior localis non possit dictum delinquentem punire, vel defectu iurisdictionis, vel alia de causa, sed id ad Prouincialem pertineat, qui tamen longè absit, ita vt nō possit intra terminum præfixum negotium expedire, tunc ad Superiorem localem pertinet petere ab Episcopo prorogationem termini, quam Episcopus nullo modo negare potest, nam terminus competens concedi debet, cap. 1. de dilat. cap. *Secundò requiris*, §. 1. de appell. cap. *Legitima*, de appell. in 6.

5. Si quæras, an Religiosus, qui habitu dimisso, & sinè tonsura miscuit se rapinis, homicidijs, & alijs enormibus delictis captus à Iudice sęculari, possit ab eo puniri, absque metu censurarum. Respondetur, quod non, nisi priùs fuerit monitus desistere, quia non perdidit priuilegium. Ita Nauar. lib. 5. consil. consil. 25. de priuil. Diana tom. 1. tract. 1. resol. 129. vbi multos Doctores affert. *Nauarrus Diana.* Et aduerte, quòd possunt Conseruatores Ordinis censuris ecclesiasticis cogere iudicem secularem, vt remittat dictum Religiosum ad suum Superiorem, non tamen tenentur hoc facere. Vnde Pręlati, qui nollent de tali sic capto se impedire, nullam pœnam incurrerent, per cap. 1. de apostatis. Si autem dictus Regularis raptor non fuisset captus à Iudice seculari, sed à suo Prælato hic per quamcunque instantiam sibi à dicto Iudice seculari factam, non posset dictum reum absque consensu Romani Pontificis illi tradere. Ita Diana loc. cit. in fine.

CAP. VIII.

De forma instituendi Præsidentem in Capitulo Prouinciali.

FRATER N. Ordinis N. Generalis. Cunctis Patribus Capitulum prouinciale in Conuentu N. celebrantibus salutem. Pastoralis sollicitudinis officium, quod super omnibus Ordinis Monasterijs, ac Fratribus dispositione diuina gerimus, licèt immeriti, mentem nostram ad ea cogitanda acriùs vrget, atq; exagitat, per quę cunctarum eiusdem Prouinciarum cōmodis sedulò intendatur; atq; ea, quæ ad nostrorum subditorum salutē quietē, ac disciplinam, nec non Religionis incrementum spectare videtur, quantum nobis ex alto conceditur, sollicitè foueantur. Quamobrem cum inter cætera, quibus Religio nostra in spiritualibus, ac temporalibus feliciùs efflorescit, & nobis concreditæ oues prosperè diriguntur, probi, ac diligentis Pastoris electio potissimùm censeatur (inde enim, & totius commissi gregis lumen, atq; ornamentum, inde honestæ vitæ germen, ac fructus, veluti ex Sole promanat) Nos, qui hanc nostram Prouinciam N. in pupilla gerimus oculorum, & commodum eius, atq; incrementum medullitùs, ac vehementiùs affectamus, probi, ac sollicitì Pastoris, qui consilio eam, prudentia, & charitate moderetur, electionem studio omni atq; industria tenemur curare. Quamobrem cum alijs decenti, prouinciali vestro Capitulo proximè celebrando per nos ipsos, vt iniuncti nobis officij ratio suadebat, interesse nequaquam valeamus, eiusdem vestri capituli prouincialis Præsidem P. F. N. virum sanè prudentem ac probatū duximus deputandum, ac delegandum, prout harum serie, ac ui designamus, & delegamus. Plenariam nostram, qua in hac parte fungimur, pręsidendi, nec non in cunctis omnino Capituli eiusdem actis, & gestis ab initio ad finem vsq; ad vltimam ipsius conclusionem assistendi auctoritatem eidem impartientes. Omnia itidem, & singula acta & gesta, quę, ipso non pręsente, fieri continget annullantes, cassantes, atq; i.. itantes. Omnibus denique, ac vestrum singulis ad Sanctę Obedientię meritum, & sub excommunicationis latę sententię pœna præcipientes, ut pręfatum N. tanquam nostrum legitimum Vicegerentem, debitum ei honorem, & reuerentiam exhibendo, benignè suscipiatis. Et Spiritus Sancti gratia sit super nos semper, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

1. Noto 1. quod pro Præsidente Capituli videnda sunt omnino, quæ dixi tom. 1. Religios. q. 1. cap. 31. §. 10.

2. Noto 2. quòd in Ordine nostro Generalis habet potestatem præsidendi in Capitulis prouincialibus, seu mittendi Præsidentes, qui in eis ipsius loco præsideant. Ita concessit Legislator ipse in Correct. num. 95. his verbis. *Veruntamen si aliquando Capitulum ipsum* (Prouinciale) *celebrare vellet, dicti Generalis specialis Vicesgerens, &c. etiam ipso Prouinciali præsente, nullus sit qui hoc impedire valeat.* Possunt etiam Generales præsidere in electionibus Correctorum; Cap. Valent. 4. num. 16. vbi id interdicitur Prouincialibus. His positis.

3. Quæres 1. An Præsidens debeat præcedere omnes Capitulares, etiam Prouincialem, nō solū in loco Capituli sed etiam extra illud? R. quòd Præsidens tēpore Capituli pręcisè, idest postquā apertum est Capitulum, debet præcedere omnes de Capitulo, etiam Prouincialem, tam in Capitulo ipso, quàm in refectorio, processionibus, & alijs omnibus locis; quia illo tempore habet iurisdictionem sibi à Generali commissam, & illius vices gerit; vnde parùm refert, quòd sit in Capitulo, aut extra, modò sit tempus Capituli, idest, modò Capitulares iam inceperint congregari; est enim tunc in sua iurisdictione. Et colligitur ex ipsa forma, ibi, *ab initio* &c. quam clausulam posuit Passar. in suo formul. num. 11. ex Correct. num. 113. & num. 104. Verum quidem est, quòd Capitulo concluso, seu licentiato, iam Præsidens suum terminauit officium, & nulla ampliùs pollet auctoritate, aut præeminentia, cum solùm pro ipso Capitulo iurisdictionem haberet. Ita ijs-

 dem

ijsdem verbis est decisum in Regula, num. 53.

4. Quæres 2. An congregare Capitulum, & illud aperire, ad Præsidentem pertineat, an verò ad Prouincialem? ℞. quòd congregare Capitulum in iure, est vocare omnes electores absentes ad electionem, & hoc ad præsidentem

Mandagot. pertinet, iuxta Mandagotum de electione, p. 2.

Syluester. cap. 59. Syluest. *Electio* 2. num. 12. Sed quando tempus electionis est iure præfixum, vt in Ordine nostro, tunc talis vocatio, neque est necessaria, neque in vsu, imò statuta die non venientes castigantur. Si autem Præsidens sit datus ad præsidendum Capitulo, cuius celebrationis terminus non sit iure assignatus, ad ipsũ pertinebit Capitulum congregare pro die celebrationis Capituli statuenda, vt dico tom. 3. priuil. cap. 9. num. 11. & cap. 13. num. 12. An autem Præsidentes Capitulorum prouincialium in Ordine nostro possint aperire Capitulum. Dico, quòd sic per textum expressum Correctorij, num. 95. vbi dicitur, quòd si Præsidens Capituli à Generali missus, voluerit Capitulum prouinciale celebrare, etiam in ipsius Prouincialis præsentia, nemo potest illum impedire. Ergo, si potest Capitulum celebrare, potest illud aperire, idest, pulsare ad Capitulum, Fratres congregare, mandare alicui, vt legat, quæ ante Capitulum legenda sunt, Capitulum habilitare, protestationes facere, à censuris, & pœnis Capitulantes absoluere. Quæ omnia vidi obseruari in tribus Capitulis generalibus, quibus interfui, nimirum Romano 6. vbi præfuit Cardinalis Aracæli Ordinis S. Dominici, Viceprotector, Romano 7. vbi præfuit Cardinalis Aldobrandinus Protector, & Barcinon. 3. vbi præfuit Ioannes Santis Episcopus Barcinonensis. Et ita etiam obseruatum est in Capitulo prouinciali Matritensi, in quo præfuit Hispaniarum Nuncius Cęsar Montius Patriarcha Antiochenus ãno 1632. vt patet ex actibus ipsius Capituli. Et ratio est, quia prædicta facere spectat ad superiorem Capituli, cum singula illa dicant actum iurisdictionis, & superioritatis; Superior autem Capituli in illo casu est solus Præsidens. Neque his obstat Correctorium nostrum num. 102. vbi dicitur, quod *Prouincialis in præsentia Generalis, vel ipsius Vicesgerentis, sui Prouincialatus officium liberè poterit exercere, & sua annua Capitula prouincialia celebrare.* Nam verum est, quòd potest Prouincialis, etiã in præsentia Generalis liberè sua annua Capitula celebrare, quando Generalis non se declarauerit velle, vel per se ipsum personaliter, vel per suum Vicesgerentem dictis Capitulis interesse; si autem se declarauerit velle interesse, tunc nõ poterit dictus Prouincialis absque illius interuentu dicta Capitula celebrare, prout declaratur in Correctorio num. 95. Cuius rei habemus bonum argumentum in constit. 2. Greg. XV. §. 14. quam refero tom. 2. priuil. Vbi ad dubium, *An Episcopus possit punire Regulares, qui procedunt ad electionem Abbatissæ ante tempus ipsi Episcopo significatum.* Sacra Congreg. respondit, *teneri Regulares significare Episcopo diem electionis Abbatissæ, eumque vsque ad præfinitum tempus expectare, si ante ipse expressè declarauerit, se vti velle facultate sibi in hac parte attributa, Abbatissarumq; electionibus per se, vel per aliũ interesse, ac præsidere.* Quod idẽ cõtingit in nostro casu.

5. Quæres 3. An Præsidens possit in dubio declarare aliquem Capitularẽ esse legitimum, vel non legitimum. ℞. certum esse, quòd non potest Præsidens priuare voce capitulari Fratres de Capitulo per quascunque querelas contra ipsos allatas, vt dixi tom. 1. Relig. q. 2. cap. 31. §. 10. conclus. 5. & docet præterea cum multis Castellin. de elect. cap. 13. à nũ. 20. Castellin.

Quando ergo dubitatur de aliquo, an possit legitime votare in illo, cap. v. g. quia electio non fuit legitima respectu formæ, &c. tunc decisio huius dubij pertinet ad maiorem, & saniorem partem Capituli. De qua re habemus textum expressum in Correctorio, num. 103. vbi dicitur. *Insuper ad decisionem quorumlibet respectiuè actuum, tam generalis, quàm Prouincialium Capitulorum admittantur cuiuslibet respectiuè superioris Prælati electores singuli.* Quòd si Capitulum hoc decidere non possit, quia vota sunt paria, vel varia, & nihil certi determinantia, tunc potest præsidens declarare, quòd sibi prudenter visum fuerit; argum. cap. *Quando ergo*, 11. q. 3. Trid. sess. 24. de refor. cap. 18. ibi, *Quorum votis, si pares, aut singulares fuerint*, &c. Quòd si maior pars numero alicui iniustitiam euidenter faceret, eum à Capitulo eijciendo, potest tunc Præsidens, minori parti adhęrendo, tanquam saniori, dictum releuare, & in Capitulum admittere, iuxta cap. 1. iuncta Glossa, ver. *Rationabiliter*, de his, quæ fiu. à mai. par. Capituli, & cap. *Ecclesia vestra*, el 2. §. fin. de elect. Nam tunc illa minor pars dicitur maior, quatenus euidentiori ratione, & pietate nititur; c. fin. d. 9. Immo puto, quod si omnes de Capitulo conuenirent ad aliquem expellẽdum, præter vnum, qui tamen euidentes rationes adduceret, quibus probaret, illum non esse expellendum, posset Præsidens declarare, istius rationibus fultus, dictum non esse expellendum; & videtur id expressum in cap. *Nicæna*, d. 31. Immo addo, quòd, etiamsi omnes de Capitulo conuenissent ad aliquem expellẽdum, sed absque rationabili, & iuridico fundamento, procedentes forsan, vel ex ignorantia, vel ex passione, posset, immo teneretur tunc Præsidens dictum admittere, non obstante contradictione totius Capituli. Moueor. Tum quia in cap. 1. de his, quæ fiunt à maiori par. Capituli, si illud, quòd obijcitur cõtra aliquẽ, non est rationabile, vel si non probetur, nõ potest illi nocere. Ergo si aliquid tale totum Capitulum obijciat alicui, ei non nocebit. Tum quia Præsidens ad hoc datur in Capitulis, vt iustitiam tueatur. Ergo, si illi constet, quòd alicui iniustitia fiat, id permittere non debet; nam sic in animę suę præiudicium iniquæ actioni cõsentiret. Vnde etiam collige, quòd potest Præsidens impedire, etiamsi omnes alij consentiant, ne fiat aliquod statutum contra ius commune, Regulam, aut constitutiones, seu etiam, quòd non sit in commune Religionis bonum. Et hæc omnia vidi practicari in dictis tribus Capitulis generalibus, quibus interfui.

6. Quæres 4. An Vicarij generales missi à Generali, si non habeant speciale mandatum, possint in Capitulis præsidere? ℞. non posse, per tex. expressum Corrector. num. 95. vbi dicitur, quòd Præsidens debet esse specialiter

Insti-

institutus. Quare licèt dicatur in literis patentibus, quòd possint omnia facere, etiamsi requirerent speciale mandatum, non tamen poterunt præsidere in dictis Capitulis. Ita habetur in cap. 2. de offic. Vicarij in 6. si autem apponatur in literis patentibus aliquod requirēs speciale mandatum, V. G. vt possit Superiores ab officijs suspendere, priuare, nouitios recipere, & deinde subdatur clausula, *Et cætera facere, quæ per nos ipsos facere possemus, etiamsi nostrum requirerent speciale mandatum*; tunc poterit etiam præsidere, & cœtera mandatum speciale requirentia facere, vt habetus in cap. *Qui ad agendum*, de procur. in 6. & docent Glos. in cap. 2. de offic. Vicar. in 6. verb. *Committantur*, Passarel. de intellectu Vicariæ auctoritatis, Couar. lib. 2. variar. cap. 5. num. 8. Barbos. in cap. 2. de offic. Vicar. cit. num. 8. Qui hanc doctrinam temperat, quòd illa clausula, *Et cætera facere, etiamsi requirerent speciale mandatum*, solùm includat similia, seu inferiora expressis, non autem maiora. Quod etiam aduertit Gloss. marginalis ad dictam glossam, vers. *Committantur*. Et propterea ego posui exempla illa suspendere, priuare, &c. nam interesse Capitulis non videtur maius, immo est quid minus, quàm priuare. Et hoc est valde notandum Vicarijs; nam alioquin poterit illis moueri lis super aliquo puncto requirente mandatum speciale. Passarell. Couarruu. Barbosa.

7. Aduerte autem, quòd si Vicarius habeat literas patentes cum clausula, *Vt possit corrigere, carcerare, Superiores priuare*, &c. cum alia subsequenti, *Et cætera facere, etiamsi requirerent mandatum speciale*, non per hoc poterit ad triremes, vel perpetuos carceres damnare, aut habitu spoliare. Nam hæc sunt quid maius, quàm corrigere, & simpliciter carcerare, immo etiā, quàm priuare.

8. Aduerte etiam, quòd si in literis patentibus dicatur, quòd possit omnia facere, quæ potest ipsemet Generalis, præter Prouinciales priuare, vel nouitios spoliare, non poterit tamen Vicarius suam auctoritatem ampliare, & & facere alia, quæ mandatum speciale requirerent. Ita Barbos. in cap. *Qui ad agendum*, de procur. in 6. num. 4. Contrarium tamen Sentiunt Tiraquel. de contractu lignagier ad finem tit. num. 96. Narbona de appell. à Vic. ad Episcopum par. 1. num. 254. Couar. lib. 2. variar. cap. 5. num. 8. Et si cupis scire diffusè, quæ sint, quæ speciale mandatum requirant, adi Barbos. de clausul. clausula 35. in impress. Lugdun. à num. 16. & in impress. Rom. claus. 17. à num. 7. & Narbonam l. cap. 2. à num. 181. Concludo ergo hanc materiam, quòd si quandoque voluerit Generalis, seu Prouincialis constituere aliquē Vicarium cum tota sua potestate, simulque voluerit tollere omnes scrupulos, debet ponere exempla ex his, quæ specialius mandatum requirunt, deinde subdere clausulam generalem. *Et cætera facere, quæ per nos facere possemus, etiamsi speciale mandatum requirerent*; postea immediatè subdere hanc clausulam, *Etiamsi maiora essent expressis*; nam sic tolletur omnis difficultas. Barbosa. Tiraquel. Narbona. Couarruu.

9. Quæres 5. An Præsidens possit eligi ad aliquam dignitatem ab ijs electoribus, quibus præest? R. neque in iure communi, neque in iure particulari nostræ Religionis reperiri, quòd eligi non possit; vnde consuetudine firmatum videtur, quod quando deputatur aliquis in Præsidentem alicuius Capituli, eo fine deputetur, vt in Prælatum eligatur. Quod id tamen non conueniat, nec iuri rationi consonum, suadere videntur sequentia. 1. Quia aufertur hoc pacto libertas electoribus, humanum enim est illum vereri, quo indiges, cap. *Visis*, 16. q. 2 Sed maior pars electorum Præsidente indiget immediate, vel saltem mediate, vt scilicet illi faueat apud Generalem pontifice, vel negatiue, Ergo timent illi contradicere, & consequenter non liberè eligunt. Secundò, quia isti Præsidentes solent inducere metum cadentem in constantem virum; cum enim sint personæ communiter potentes, & per se ipsos, & apud Generales (supponuntur enim illorum amicissimi) minantur, & cum minas consequentes exequi possint, & soleant, metum cadentem in virum cōstantem incutiunt; qui metus, cum libertatem electionis tollat, eam consequenter vitiat; cap. *Cum dilectus*, de consuet. in fine, Sigism. de elect. dub. 52. nu. 1. vide dub. 54. vbi probat, qui metus dicitur cadere in constantem virum. Tertiò, quia solent illi Præsidentes, cum possint eligi, instantissimè, & importunè rogare electores, vt votum sibi tribuant; tales autem preces, etiā iustum metum inferunt, vt probant Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 7. num. 8. Sigism. loc. cit. dub. 54. num. 9. Quartò, quia licitus quicunque eligendi modus debet carere omni dolo, & fraude, ac etiam illorum suspicione, vt docet Sylu. verb. *Electio* 2. num. 20. Sed electio, in qua Præsidens eius valet eligi, inuoluit modū minimè carentem omni fraude possibili. Ergo licitus non est. Minor est certa. Nam Præsidentes eo fine curant ad tale officium assumi, vt in Prælatos assumantur, quod vt deinde obtineāt, fauores, minas, preces, promissiones, pacta, omneque genus sordium adhibent. Atq; ita docent Mir. tom. 2. Manual. q. 22. art. 7. & Castell. de elect. cap. 13. num. 31. Quare ait idem Castell. nu. 34. quòd in Ordine Prædicatorum dicti Præsidentes eligi non possunt. Quod etiā obseruatur in Religione Capuccinorum, vt audio circa Visitatores Prouinciarum missos à Generali ad Præsidendum in aliqua Prouincia; & cuperem vt statueretur etiam in nostra. Ex quibus sequitur, quòd, cum Religiosi teneantur semper ad perfectionem tēdere, & id, quòd melius, & perfectius est, sequi, iuxta doctrinā D. Thomæ 2. 2. q. 186. art. 1. ad 4. & art. 2. in corpore, deberent omnes Religiones statuere, vt Præsidentes eligi non possent ad vllū officiū in Capitulis, quibus præsunt; seu qui illos mittunt, deberent expressè ab ijs excludere. Sigismūd. Sanchez. Syluester. Miranda. Castellin. D. Thomas

10. Quæres 6. An Præsidens legitimè missus à Generali ad præsidendum alicui electioni, possit ab electoribus recusari? R. quod simpliciter Præsidens recusari non potest, cum est legitimè institutus; potest tamen recusari, si probabiliter timetur, quòd sit timorem cadentem in virum constantem incussurus; Nam probabilis suspicio metus habetur pro metu; Rota coram Greg. XV. decis. 374. nu. 18. Bald. in leg. fin. num. 7. Cod. de iur. delibet. Timetur autem probabiliter id, vt plurimùm, ex terribilitate personæ, vt eadem Rota ibid. nu. 16. Atque ita sententiam nostram tenent Panor. in cap. *Quia* Panormit.

 propter,

propter, num. 14. de elect. Hostiens. in summ. de elect. §. *Qualiter facienda*, vers. *Qui secreto*, num. 11. col. 4. Syluest. verb. *Electio*. 1. q 10. vers. *Quintum*; Tablena eodem, num. 19. vers. *Tertium*; De Bayho in direct. elect. p. 3. cap. 35. num 6. talis autem recusatio puto, quòd debe-ret fieri à maiori parte Capituli, cap. 1. de his, quæ fiunt à maio. par. Capit.

11. Quæres 7. An auctoritas Præsidentia largè, vel strictè sit interpretanda? R. quòd meo videri est strictè interpretanda; est enim onus ordinario impositum. Vnde cum ordinarij iurisdictio sit fauorabilis, vt probat Innoc. in cap. *Dudum*, de priuil. & habetur in cap. *Peruenit*. 11. q 1. recessus ab eius iurisdictione odiosus est; cap. primo, & 2. de filijs Presb. in 6. Facit reg. *Quæ à iure communi exorbitant*, quæ est 28. de regul. iuris, in 6. Atque ita docet Chokier de exemptis, p. 1. q. 4. à num. 7. Nec refert, quòd ista facultas instituendi Præsidentem sit inclusa in Regula ipsa, & quòd per hoc nō possit dici ipsi Regulæ contraria, vel recessus ab ipsa; Nam, cum sit exceptio à regula generali, posita in Correct. num. 102. odiosa semper censenda est; Gloss. in cap. *Constitutionem*, de regul. in 6. ver. *Prorogamus*; Chokier loc. cit. num. 10. Quod etiam colligitur ex Correct. nu. 95. vbi quando datur ista facultas Generali, dicitur, quòd si Generalis velit Capitula prouincialia celebrare, nullus possit impedire, quasi diceret, Verum est, quòd Prouinciales possunt sua Capitula prouincialia celebrare, etiam præsente Generali, in honorem tamen Generalatus concedo Generali hoc priuilegium, vt quādo voluerit per se, vel per alios illis interesse, Prouincialis, qui habet iurisdictionem ordinariam, à Generali minimè dependentem, id impedire non possit. Quæ doctrina valde notanda est; nam potest inseruire ad multa.

CAP. IX.

De forma incipiendi processum in visitatione generali.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Incipit visitatio Prouinciæ N. facta a R. P. F. N. Ordinis N. Generalis, vnà cum suis Collegis, nimirum P. F. N. & P. F. N. ac P. F. N. & me F. N. Notarij vicesgerente anno Domini 1634. *Miserrimam languentis Religionis conditionem ex alto Generalatus fastigio mæstissima fronte prospectans Reuerend. P. F. N. facere non potuit, quin acerbissimè doleret, atque ingemisceret, ob graue, & acerbum dilectissimæ sponsæ vulnus, sæuissimamque calamitatem. Nec immerito quidem. Regularis enim disciplinæ robur illud primæuum emarcuisse, religiosæque obseruantiæ lucem à S. Ordinis nostri Coryphæo, igneo charitatis globo, veluti Sole, condecoratæ, ad nos transmissam penè defecisse conspiciens, hinc verò monasticæ deuotionis spiritum planè emortuum, ac languidum, illinc fraternæ pacis vincula omnino dissoluta comperiens, qui non mente ipsa, atque animo concideret vir sanè prudens, & rei publicæ studiosus? Vt non mirum propterea, si tam insueto, ac omnia ferè nostræ Religionis membra occupante squalore, & morbo piè commotus, pastoralis officij debito minimè satisfactum putarit, ni auctoritatis suæ brachijs iacentem erigeret Congregationem, illamq; deformem, ac pollutam, apposito regularium constitutionum pharmaco, cæremoniarumq; pigmento in pristinā restitueret venustatem, & salutem. Ac quemadmodum vna, eademque vita, vnoq; Christi spiritu fruuntur religiosa membra, vna sic etiam, eademq; ijs inesset regularis disciplinæ formula, idemq; pacis vinculum, feruorq; pietatis, quo, & Ordinis ipsius decreta, Patrumq; sanctiones ritè obseruari, & custodiri, virtutum regina charitas diligi, ac Deus tandem Optimus Maximus congruis queat honoribus celebrari. Quæ quidem omnia mente, animoq; perlustrans, muneris tamen tanti amplitudine, malorumq; colluuie deterritus, vel in ipso visitationis limine consistere se posse diffideret, nisi si aliò mentem reuoluens, Deum ipsum, in cuius vnius gloriam hæc ab eo suscepta moles, cogitaret. Hoc itaque sibi ante oculos proposito, diligentius examinare subinde cœpit, vnde nam eiusmodi visitationis opus aggrederetur. Quòd cum diu meditatus esset, Christi demum resurgentis putauit sequenda vestigia. qui pluries licèt post admirabilem resurrectionis triumphum discipulos suos crudelissimè mortis opprobrio exanimatos præsentia sua voluerit confirmare, grauiori tamen occurrens necessitati, eos sibi primùm censuit inuisendos, quos in Emmaus contendentes magis à recta fide nouit peregrinos. Accuratissimos etiam imitatus archiatros, prouidamq; naturam, qui in corporis humani languore, atq; ægritudine ad earum potissimùm partium opitulationem, ac subsidium se se conuertunt, quas ope sua norunt, atq; auxilio magis indigere. Ab ea igitur Prouincia felix ducendū erat initium, quæ præ cæteris pastoralem sollicitudinem, ac visitationem requirebat. Eiusmodi autem esse Prouinciam N. cum planè dijudicasset, in eam versùs iter arripuit. Atque ita die 29. Maij anni 1634. Conuentum N. appulit Deo duce. Vbi quidem per tres dies spiritu, ac corpore tantisper refocillato, die tandem prima Iunij, præfati Conuentus*

tus Patribus, ac Fratribus. inter quos etiam aderat P. F. N. eiusdem Prouinciæ Prouincialis ad sonum campanulæ in Capituli locum conuocatis idem P. Reuerendiss. suis etiam præsentibus Collegis, elegantem valde, & religiosa pietate ac deuotione refertum sermonem habuit, quo cunctos ad obseruantiam regularem, morumq; compositionem est cohortatus. Postmodùm verò omnibus, ac singulis prædicti Conuentus Patribus, ac Fratribus generaliter sub merito sanctæ obedientiæ formalis, & præceptiuæ mandauit, vt sibi in omnibus, de quibus in visitatione forent interrogati, veritatem, eaque omnia itidem, quæ ad præpotentis Dei gloriam, Fratrum reformationem, Religionis incrementum, Prouinciæque tranquillitatem necessaria, & vtilia iudicarent, cuncta demum, quæ generalem, seu specialem requirunt prouisionem, liberè patefacerent. Simpliciores etiam monuit, præceptum eiusmodi, quod ad Fratrum spectat delicta, de iis tantùm, quæ emendata non sunt, ac iuridicè & salua correctione fraterna probari queunt, intelligendum. Coram se tandem Conuentus Prouisorem aduocauit, eiq; in virtute sanctæ obedientiæ, ne pro se, suisq; Collegis, quid ampliùs quàm quinque argenteos, seu regales, diebus singulis, directè, vel indirectè expenderet districtè præcepit, illud subinferens, eo profectò consilio se minimè vocatum à Deo vt ab ouibus pasceretur, optimus quin verò veluti pastor ac pater, anathemati à Deo contra malos pastores per Isaiã fulminato renuncians, amore, pietate, iustitia, ac disciplina sibi commissas oues reficeret, easque à scelerum sordibus, & legis transgressionibus purgatas ad perfectionis montem incitaret.

Hic verò peractis, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, Ecclesiam, ac altaria, sacras vestes, aliaque ad cultum diuinum spectantia visitauit, omnibusque, ut decet, inuentis, ad Fratrum in eodem Conuentu morantiũ visitationem in cameram suæ residentiæ vnà cum præfatis Collegis se contulit. Et primò quidem vocatus F. N. Oblatus ætatis annorum 30. Religionis verò 15. ac de veritate dicenda præstito iuramento, tactis sacris, iurauit. Et

Primò fuit Interrogatus, An in hac Prouincia, & Conuentu, Regula, vota scilicet, & regularia statuta, Summorumq; Pontificum constitutiones, nec non Superiorum ordinationes seruentur?

2. An diuina officia, & missæ debitis horis, & modis, celebrentur? & an orationi mentali omnes assistant? An Religiosi ad perfectionem tendant? & qui in hoc diligentiùs incumbant?

3. An Superiores cum infirmis charitatiuè se gerant? & an sanis necessaria tribuant? an hospites hilari vultu, ac benignè tractent, ac excipiant?

4. An Superiores sibi, vel aliis quidquam tribuant, vel permittant, quod contra Dei honorem, disciplinamq; regularem cedat.

5. An Monasterii bona in eiusdem vtilitatem, ac Fratrum commodum à Superioribus expendantur? an verò in superfluos, ac vanos vsus distrahantur?

6. An Superiores, & alii Fratres exemplariter viuant, non solùm cum Fratribus ipsis, sed etiam cum secularibus?

7. An Nouitii, si adsint, qualitatibus à sacris Canonibus, & Regula nostra requisitis polleant? an ipsi à Superioribus ad Regulæ, & Canonum præscriptum recepti? an nouitiorum Informator qualitates habeat requisitas, munerique suo diligenter incumbat? an optimæ frugis specimẽ pro Religione præseferant nouitii?

8. An Lectores, si adsint, officii sui penso satisfaciant, suosq; auditores ad ædificatoriè prædicandum, & confessiones audiendum idoneos, & aptos efficiant, vt Regula præscribit? & An studentes suis studiis non segniter vacent? qui sint diligentiores? quique Fratres literis excellant? An Superiores studia foueant? studentibusq;, & Lectoribus faueant? Quibus cum fuerit per constitutum sigillatim responsum, eique omnia, quæ dixit, clara voce perlecta, dicat scriba, seu Notarius. *Atque ita dimissus fuit, animo tamen eum iterum aduocandi, si, & quoties opus fuerit. Lectum denique confirmauit, ac in fidem se subscripsit.* Postea poterit vocari alius; & sic deinceps vsque ad vltimum.

1. Noto primò, quòd mos visitandi Ecclesias est antiquissimus in Ecclesia Dei à temporibus Apostolorum, vt probat Contzen 6. polit. cap. 14. à num. 2. & habetur in cap. *Visitandi*, 18. q. 2. & in cap. *Decreuimus*, 10. q. 1. Visitatio Diœcesis præcipitur Episcopis singulis annis. Et in cap. *Relata*, ibid. auaritiæ reprehenduntur Episcopi, qui Diœcesim non visitant, volunt tamen sibi dari expensas, quas fecissent, si visitassent. Per quòd cap. dixi tom. 1. Priuil. in constit. 14. Leonis X. num. 10. quod Superioribus nostris non visitantibus nõ debentur ratæ. Quod etiam dicit Suar. lib. 9. de leg. cap. 15. num. 5. & 6. & habetur in cap. *Romana*, §. *Deinde*, de censib. in 6. & in nostris statutis in Cap. Roman. 4. num. 15. ibi, *postquam Prouincias visitauerit*, Ex quo statuto ibi, *pro equo emendo*, etiam collige, quòd ratæ in Ordine nostro debentur Generalibus pro ex-

Contzen.

Suarez.

pensis

pensa in itinere faciendis. Et in cap. *Episcopum*, 10. q. 1. habetur, quod si Episcopus ægrotet, debet mittere singulis annis Presbyteros probatos, qui loco ipsius Diœcesim visitent; & in cap. *Placuit*, ibid. decernitur, quæ visitantes Episcopi à Clericis quærere debeant. Et hæc visitatio præcipitur etiam in Tridentin. sess. 24. cap. 3. de reform. & in cap. *Venerabilis* de censibus, & quòd ad eam teneantur Prælati de iure diuino, Rodriq. tom. 2. sum. de ord. iudic. cap. 1. conclus. 2. num. 3. videatur Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 11. num. 3. tract. 3. Et aduerte, quòd nouissimè in Cap. Malsil. 2. num. 41. statutum est, quòd *Rata P. Generalis soluatur à Prouincia, siue P. Generalis visitet illam, siue non, quolibet sexennio tantummodò*.

2. Noto 2. quòd Generalis, antequam accedat ad visitandam aliquam Prouinciam, tenetur monere Prouincialem illius, quòd tali die, seu quamprimum accedet ad suam Prouinciam visitandam, vt possit se præparare ad illum debito modo recipiendum, & vt possit monere Correctores Conuentuum, vt sint parati ad visitationem. Ita Gauant. in praxi visit. §. 4. nu. 1. Piasecius in praxi, par. 2. cap. 3. num. 4. fine. Si tamen Generalis haberet informationem de aliquo Prouinciali, seu Correctore, quòd relaxatè viueret, & cum scandalo, & quod teneret aliqua prohibita in Conuentu, tunc posset Generalis, & etiam forte aliquando deberet ex improuiso illam Prouinciam, seu Conuentum appellere, vt in flagranti caperet delinquẽtes. Nam tunc monere, esset dare commoditatem illi auferendi ad tempus occasionem scãdali, & sic euitandi pœnas. Et hac praxi vsi sunt inter Regulares aliquãdo viri docti, & pij.

Gauantus. Piasecius.

3. Noto tertiò, quod Generalis debet habere suum Secretarium, qui omnes actus in visitatione occurrentes fideliter scribat. Cui, ait Thomas à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 2. §. 1. num. 10. quasi iure gentium introductum est, vt tanta fides adhibeatur intra, & extra Religionem, ac si esset Notarius publicus. Melius tamen esset, si dictus Secretarius crearetur Notarius iuxta ea, quæ dico hic supra, lit. N. cap. 1.

Th. à Iesu

4. Noto 4. quòd quando Generalis accedit ad visitandum, debet recipi summa cum reuerentia, vt præcipitur in Correct. num. 61. idest, eo modo, quo ego recipiendum docui prima parte Ritualis nostri cap. 15. qui modus habetur in Pontificali Romano, parte tertia de ordine visitandi Parochias; & expressè id docet Gauantus in praxi visitationis cap. 1. §. 5. num. 10. Neque dicas, quòd Pontificale Romanũ loquitur de receptione Episcopi, non de receptione Generalis Minimorum, cuius Religio supra fundamentum est stabilita humilitatis. Nam in primis certissimum est, quòd talis receptio nihil detrahit humilitati Prælati, alioquin S. Pater non iussisset, vt Generalis summa cum reuerẽtia reciperetur; honor namque ille non fit personæ, sed dignitati; vnde non est, quòd superbiat de honore, non sibi, sed oneri, quod fert, exhibito; alioquin illi dici posset, quòd aliquãdo asino ferenti sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, & superbienti, quòd ab omnibus adoraretur, *Non tibi, sed Religioni*. Deinde Generalis habet auctoritatem quasi Episcopalem, vt certissimi iuris est. Tertiò Tridentinum sess.

Gauantus.

25. cap. 8. de Regul. ait, loquendo de Visitatoribus Regularium, *Teneantur obseruare, quæ in sacris Canonibus, & in hoc sacro Concilio sunt decreta*. Si ergo tenentur Regulares in suis visitationibus obseruare, quæ Summi Pontifices in sacris Canonibus sanxere, quare non tenebuntur obseruare istas cæremonias, in honorem Dei, & dignitatis, ac ad populi ædificationem iussas ab Ecclesia Romana præsertim quandò sunt à proprio etiam Legislatore iussæ? Addo, quòd Generalis, quando præcipue Conuentus sunt intra Ciuitates, vbi communiter accurrit populus, sinè culpa non potest recusare, quãdo accedit ad visitandum, quin illi debitus honor illo nostro modo præscriptus exhibeatur; Nam 1. faceret contra Correct. num. 61. ibi, *summa cum reuerentia suscipiatur*. Quibus verbis includitur omnis honor religiosus. 2. faceret contra Pontificale Romanum. 3. Priuaret populũ illa ædificatione, quam recepisset, si illa solẽnis receptio fuisset executioni mandata; immò multi ex populo scandalizantur putantes nostram Religionem nõ habere cæremonias, quibus suum supremum Pastorem recipiat. 4. Quia detestatur, & tacitè de superbia videtur accusare Beatum Patrem, qui passus est recipi, cumprimum in Galliam concessit, tamquam Legatus de latere summi Pontificis, vt eius narrat historia; & tamen erat omnium humillimus, & tantum honorem vitare poterat. 5. Quia Episcopi recipiuntur illo, & magnificentiori modo, adhibetur enim etiam baldachinum; Generalis autem, vltra quòd habet auctoritatẽ quasi Episcopalem, habet ampliorem iurisdictionẽ, quàm habet quiuis Episcopus. 6. Quia Generales aliarũ Religionum etiam reformatarũ illo modo recipiuntur, vt in specie Generalis Carmelitarum discalceatorum. Tandem quia contristare proximum suum in re licita, malum est. Sed Prælatus non recipiens illos honores, contristat subditos suos in re licita. Ergo malè facit. Constat minor. Quia subditi contristantur, videntes se priuari illo honore honorandi suum Prælatum, cum se honorent illo honore suo Prælato exhibito; honor namque est in honorante, vt ait Aristot. 1. Ethic. cap. 5. Vnde in leg. *Si aliquam*, ff. de offic. Proconsul. dicitur, quòd quando Prælatus accedit ad aliquam Prouinciam *non grauatè debet suas laudes audire, cum honori suo Prouinciales id vendicent*.

Aristotel.

5. Neque his obstat, quòd in loc. cit. Correctorij dicitur, quòd Generalis recipiatur in prima ianua cuiuslibet Cõuentus processionaliter, &c. Ego vero in Rituali, non in ianua Cõuentus, sed in ianua Ecclesiæ videor dicere esse recipiendum; Nam neque ego sum contrarius Correctorio, neque hoc est contrarium mihi, neque ego dico, quòd Generalis sit recipiendus in ianua Ecclesiæ, si legor attentè. Solùm dico, quòd à loco, in quo recipitur Generalis, moueatur processio vsque ad altare maius. Potest enim Generalis recipi (nisi obstent situationes Conuentuum, quo casu locatum loco est accomodandum) in prima ianua Conuentus, & inde processionaliter duci vsque ad altare maius, ante quod ei manuum deosculatione reddatur obedientia. Nam cum sit certissimum, quòd in primo aduentu Superiorum maiorum ad aliquem Conuentum, in primis;

& ante

& antè omnia visitant Ecclesiam, adorando primùm Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, deinde venerando imaginem B. Patris Francisci, dicens Correctorium, quòd Generalis suscipiatur in prima ianua Conuentus, subintelligendum est, & quòd inde ducatur processionaliter vsque ad altare maius, vt ego dicebam. Et quòd sic debeat Correctorium intelligi, cõstat. Nam assignando modum recipiendi Vigiles, ait, quòd recipiantur in prima ianua Ecclesiæ absque processione, & assignando modũ recipiendi Prouinciales, ait, quod recipiantur in ianua chori Ecclesiæ absque processione. Sed nulla apparet ratio, quare velit, quòd, Vigiles, & Prouinciales recipiantur in Ecclesia, Generalis verò in Conuentu, & non in Ecclesia. Ergo dicendum est, Legislatorem voluisse, Generalem recipi in prima ianua Conuentus, & inde duci processionaliter vsque ad altare maius, cũ solus Generalis obuia processione recipi debeat. Atque ita consuetudo, quæ est optima legum interpres, semper illum locum Correctorij intellexit, & seruauit; semper enim Generales recepti sunt processionaliter, & sic ducti ad Ecclesiam. Quòd verò ego illos apparatus cum incenso posuerim, & processionem illo modo ordinauerim, pertinent ad illam summam reuerentiam, cum qua præcipit Correctorium, vt Generales recipiantur. Et vt appareat, me nec latum vnguem à verbis Correctorij discessisse, ea hic transcribo. *Quando Corrector generalis ad eiusdem Ordinis Conuentus diuerterit, in primis pulsetur Capituli campana, & in prima ianua cuiuslibet Conuentus summa cum reuerentia, cum cruce, & aqua benedicta suscipiatur à locali Correctore, singulisque Fratribus locum ipsum pro tempore inhabitantibus, eidem illucusque processionaliter obuiam venientibus.* Legantur rubricæ, quas ego de hoc posui, & videbitur, quòd neq; in puncto discedo ab hac dispositione. Solùm declaro textum. Quare non est, quòd mussitent aliqui minus scioli, quàm ipsi putent.

6. Noto 5. quòd non decet Visitatorem post aduentum ad aliquem, Conuentum statim visitationem incipere, sed decet expectare per duos, aut tres dies, iuxta Conuentuum possibilitatem, ad refocillationem mentis, & corporis, & interim mandare orationẽ quadraginta horarum, celebrationem aliquot missarum Spiritus Sancti, & alias publicas, ac priuatas orationes pro bono fine visitationis. Si autem Cõuentus sint paruuli, statim se expediat, ne vltra *Th. à Iesu* possibilitatem Conuentum grauet. Ita Thomas à Iesu de visit. Regul. tract. 1. cap. 2. num. 2.

7. Noto 6. quòd Visitator, quando in Capitulo intimat visitationem, debet præcipere, vt omnes manifestent, &c. prout in forma. Et ratio huius præcepti est, vt omnes habeant tempus cogitandi, & in dubijs peritos cõsulendi, *Gauantus* quæ dicere debeant, quæ tacere. Ita Gauantus in praxi visit. §. 4. num. 2. & habetur in Pontificali Romano, par. 3. de ordine visitandi Parochias. Quòd autem hoc præceptum possit esse *Spathari⁹.* formale, & præceptiuum, dicit Spatharius de modo corrig. Regul. tract. 2. cap. 3. num. 5. Et quòd illi possit annecti pœna excommunica- *Resta.* tionis, Marcus Antonius Resta in suo directorio Visitatorum, parte prima, cap. 88. vers. *Singulisq;* &c.

8. Noto 7. quòd Prælatus tenetur dictum præceptum declarare pro simplicioribus. Nam alioquin laqueos inijciet peccatorum subditis suis; & erit causa, quòd multi iniustè infamentur, & multi quamplurima peccata contra cõscientiam erroneam committãt. Et quamquam Caiet. tract. 31. respons. 5. tom. 1. opusc. dicat, *Caietanus.* talem declarationem nõ esse necessariam, quia certum est Visitatores non præcipere aliquid contra ius naturæ, vel diuinum, vnde certum etiam est, quòd nolunt de occultis, & quæ nulla laborant infamia inquirere: hanc tamen sententiam non admittit Thomas à Iesu de visitat. *Th. à Iesu* Regul. tract. 1. cap. 1. num. 5. nisi vbi omnes visitandi essent periti. Quòd quia in praxi est ferè impossibile, quia semper sunt in Conuentibus Laici, Oblati, & Clerici, & multi etiam Sacerdotes, qui hæc ignorant: ideo Caietani doctrina omnino reijcienda est, & consulendum Prælatis, vt, si sibi consulere velint, dictam declarationem non ommittant. Atque ita docent Nauar. in cap. *Inter verba*, coroll. 62. num. 250. *Nauarrus* conclus. 6. Sotus in relect. de tegend. secreto, *Sotus.* membr. 2. q. 6. conclus. 2. Sayrus in claui regia, *Sayrus.* lib. 12. cap. 11. num. 18. Et Colligitur apertè ex cap. *Qualiter, & quando*, el. 1. de accus. in fine, ibi, *exceptis occultis criminibus*.

9. Noto 8. quòd Generalis visitans non debet dare grauamen Monasterio; cap. *Visitandi*, 18. q. 2. cap. *Cum Apostolus*, de censibus; Trid. sess. 24. de reform. cap. 3. Vnde non debet sumptuosas epulas quærere vt dicitur in dicto cap. *Cum Apostolus*, §. *Quocirca* & Trid. cit. ait, *Ideo modestia contenti equitatu, famulatuq; studeant quàm celerimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absoluere*. Quibus Canonibus nõ satisfacit Prælatus, qui in se ipso frugalis est, in sua tamen comitiua prodigus. Nam parùm refert quò ad grauamen inferendum Monasterio, quòd ipse frugaliter viuat, si permittat, & velit, quòd sui opiparè, & lautè tractentur; vbi enim comedunt sex, potest comedere & alius; & Trid. expressè notat loc. cit. subdens, *nec munus quodcunque accipiant, exceptis tantùm victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderatèque pro temporis tantùm necessitate, & non vltra, erunt ministranda*. Et docent Pialec. par. 2. praxis, *Piasecius.* cap. 3. num. 3. fine; Contzen 6. polit. cap. 14. §. 6. *Contzen.* Thom. à Iesu de visit. Regul. tract. 1. cap. 2. nu. 1. *Th. à Iesu* Non est tamen condemnanda illa praxis, nec contra prædictos Canones censenda, qua vtitur nostra Religio, vt primis tribus diebus aduentus ipsius Visitatoris excipiatur in hospitio cũ sua comitiua, inibiq; iuxta Conuentuum facultates, benignè tractetur, iuxta Correct. nu. 61. & abundantiùs cibarijs ordinarijs delicatioribus, religiosis tamen, refocilletur. Nam id neque grauat Conuentum, cum fiat iuxta facultates vniusculusq; & necessarium est ad ipsum Visitatorem continuis itinerum laboribus defatigatum recreandum, & exhilarandum; quibus diebus expletis, vna plus alijs refectione, seu pictantia, in refectorio donatur. Nec item satisfacit suo muneri Prælatus, qui, vt sibi, suæque deuotioni satisfaciat, in longum profert visitationem cum Conuentuum, & Prouinciarum dispendio. Nam meo videri tempus illud est consumendum in seruitium subditorũ, & præstat omittere audire duas, aut tres missas

V. G.

V. G. visitationi incumbere, quàm ijs auditis, & visitationem contra Canones, in Conuentuum grauamen, prolongare. Tandem circa istud grauamen, quia Conuentuum alij sunt ditiores, alij pauperiores, nota regulam generalem, quæ ponitur in dicto cap. *Cum Apostolus*. *Sanè* quod debent Visitatores ita moderatè se gerere in singulis Conuentibus, vt *ex eorum accessu subditi meritò non doleant se grauari*. Quare in Conuentibus pinguioribus poterunt aliquantò abundantiùs velci, diutiùs, immorari, pinguiores ratas recipere. Attamen in ijs morari, terendo tempus in audiendis subditorum nugis, & murmuribus, fatuosq; Fratres per integros dies auscultare, in quæstionibus vtilibus discutiendis ex professo se detinere per horas, & dies integros, non video quæ sit prudentia, neq; quæ conscientia, cum ex hoc (linquo alia) Conuentus depauperentur, Prouinciæ expilentur, ære alieno grauentur, & longi temporis victum breuis hora consumat, vt dicitur in dicto cap. *Cum Apostolus* de censibus, & est contra præceptum nostri Correct. num. 104.

Th. à Iesu / Ghisileri. 10. Noto 9. quòd Thomas à Iesu de visit. Regul. cap. 2. num. 5. tract. 11. & Ghisiler. de iudice regul. cap. 16. num. 8. dicunt, quòd in examinandis Fratribus debet Generalis incipere à Priore, à quo petere debet, vt ea, quæ de statu Conuentus, aut de Religiosis, aut de qualitatibus eorū nouerit, sibi synceré referat. Sed hęc informatio est recipienda à Correctore extrajudicialiter, non in iudicio, ne fortè, si Fratres aliqui sciant, malam de se dedisse Priorem informationem, peiora de illo dicant. Quare de iudiciali informatione, à quo sit priùs sumenda, nihil inuenio scriptum in iure cōmuni, neque in Regula nostra. Vnde relinquendum puto discretioni Visitatoris. In Ordine nostro communiter incipitur ab inferioribus.

11. Noto 10. quòd Prouinciales, seu Generales tenentur visitare omnia Monasteria sui Ordinis, etiam illud, in quo ipsi de ordinario resident, ne volentes alijs medicamina præbere salutis, præbeant mortis exempla, ac vt nequeat illis illud Euangelij exprobrari; *Medice cura te ipsum*. Et præterea, cum non possit esse vbique præsens Prælatus, vt diligens, & vigilans, multa semper illum præteriret, quę correctione indigerent, quæ tamen non corrigit, quia ignorat, & non est, qui illi dicat, cum tamen in visitatione præcepto astricti, vel iuramento
Piasecius / Gauantus / Cootzen. negare non possint. Ita Piasecius in praxi, cap. 3. num. 2. Gauantus in praxi visit. §. 8. in annot. num. 1. Cootzen. 6. polit. cap. 14. nu. 16. qui ad id citat clarum, & euidens testimonium
Ghisileri / Fuscus. Concilij Aquileiensis; Ghisil. de iudic. Regul. cap. 16. num. 81. Fuscus de visit. lib. 1. cap. 3. nu. 7. Colligitur ex Trid. sess. 25. de Regul. cap. 1. & 8. Et habetur expressè in cap. *Romana*, de cens. in 6. §. 1. Si autem Prælatus regularis diligèter vigilet super gregem suum, non uidetur necessarium visitare Conuentum, in quo ordinarie residet, cum tunc illum quotidie visitare teneatur. Prædicta autem iura loquuntur de Episcopo visitante, inter quem, & Prælatum regularem est maxima differentia; nam subditos suos Prælatus regularis semper habet ante oculos, continuis momentis videt, alloquitur, corrigit, quod non contingit in Episcopo.

12. Noto 11. circa illam clausulam, quòd Prælatus debet priùs visitare illas Prouincias, aut Conuentus, qui plus visitatione indigent, quòd id habetur expressè in cap. *Romana*, §. *Ex quo*, & §. *Postquam*, in fine, de cens. in 6. Et quòd priùs fiat sermo hortatorius ad perfectionem, habetur in eodem cap. *Romana*, §. *Sanè*, & in Pontif. Romano, par. 3. de ordine visitandi parochias. Quòd à visitatione sacramenti incipiatur, dicit dictum Pontificale loc. cit. Et quòd seligantur aliqua puncta, super quibus fiant interrogationes, dicit idem Pontificale, & dict. cap. *Romana*, dicto §. *Sanè*. Et innuitur etiam in cap. *Ea, quæ*, de statu Monach. §. *Porro*, Videatur pro his omnibus Rodriq. tom. 2. sum. de ord. iudic. cap. 2. num. 2. Rodriquez

13. Noto 12. quòd Ghisil. de iud. Regul. c. 16. Ghisiler.
à num. 76. contendit, quòd in hac inquisitione generali non exigitur iuramentum à visitatis, nisi in casu speciali, quando super aliquo delicto per alicuius, seu plurium denunciationem fuerit exorta infamia. Et ita statuitur in cap. *Romana* §. *Sanè* de censib. in 6. Sed cum in hoc cap. 5. §. fin. dicatur, quòd per dictum cap. non intelligitur derogari rationabilibus, & approbatis Regularium consuetudinibus, ideò in hoc standum est Regularium constitutionibus, aut consuetudinibus, vt innuit Aldrete de discipl. Aldrete
regul. lib. 1. cap. 7. num. 4. Certè in nostra Religione iuramentum exigitur, vltra præceptum generale obedientiæ factum omnibus in principio, quando visitatio intimatur; quod tamen potest omitti, quando iuramentum exigitur. De hoc præcepto loquitur Thomas à Iesu de Th. à Iesu
visit. Regul. tract. 1. cap. 2. num. 3. Et quòd iuramentum exigi possit ab inquisitis in hac generali inquisitione, docet Victorinus Mansus de Mansus
modo proced. in causis Regul. cap. 9. nu. 1. Latè Mir. de ord. iudic. q. 6. art. 5. vbi probat, multis adductis textibus, & Doctoribus, quòd à iu- Miranda
dice seculari cogi possunt, & debent inquisiti ad dicenda, quæ indicant correctione digna, sub iuramento; à iudice vero Ecclesiastico debent cogi sub obedientia, & censuris, & nu. 36. ait, quòd hæc est communis praxis. Sed absolutè dic, quòd possunt cogi sub iuramento etiā, & censuris Ecclesiastici omnes, ac Regulares. Ita Zerola in praxi, par. 1. ver. *Visitatio*, §. 5. Zerola
vers. *Secundò*; Barbosa in cap. *Romana*, num. 16. Barbosa
de censib. in 6.

14. Noto 13. quòd si delicta sint emendata, nec adsit ampliùs periculum euidens, vel probabile recidiui, quia proxima occasio sit sublata, non possunt à subditis absque mortali peccato denunciari Prælato, quantumuis hic inquirat præciperet, ea sibi denunciari; quinimò tenetur Prælatus ipse monere simpliciores, quòd sua præcepta non intelligiuntur de delictis iam Correctis. Cum enim per denunciationem emendam fratris, intendatur si ista iam sit habita, illa superflua est; & fama proximi apud Prælatum saluanda. Quod etiam Christus docuit illis verbis Matth. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Quasi dicat, non est progrediendum viterius, scilicet ad reuelandum secretum fratris testibus, vel Ecclesiæ, quando te iam audiuit. Vnde si quis progrediatur, reus erit famæ fratris sui; peccauit enim contra charitatem nocens fratri sine necessitate; & contra iusti-

iustitiam, quia ille adhuc habet ius ad suum honorem, & famam, cum sit res secreta, & emendata. Atq; ita docent Miranda de ordin. iudic. q. 11. art. 5. à num. 44. Corduba in sum. q. 64. Longus de casib. reseru. par. 2. Cas. 5. num. 9. Salon. 2. 2. q. 68. art. 1. controu. 2. conclus. 2. qui ait, idem esse, si delictum non sit emendatum, sed certò emendandum. Et dixi to. 1. Relig. q. 1. c. 16. cōclus. 3. vers. *Nota vlterius.*

Miranda. Corduba. Longus. Salon.

15. Noto 14. quòd huius generalis inquisitionis finis est, inquirere, non solùm de vitijs, & defectibus subditorum, sed etiam de illorum virtutibus, & scientijs. Et probo 1. Quia huiusmodi visitatio fit ad hoc, vt Prælatus cognoscat vultum pecoris sui, iuxta illud Prouerb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera.* Vnde debet fieri per Prælatum ipsum, non per Visitatores, vt declarat Trid. sess. 24. de reform. cap. 3. Legitimo tamen impedimento detentus potest visitare per Visitatorem; Absque hoc tamen legitimo impedimento, si ex otiositate, aut negligentia omittat per se ipsum dictam visitationem facere puto quòd mortaliter peccabit. Nam contrauenire Concilio generali in re graui, mortale peccatum est. Sed non potest cognoscere oues suas, nisi de virtutibus, & vitijs earum informetur. 2. Quia vitia aliquando compensari possunt, & debent virtutibus, vt dicunt communiter Iuristæ, & dico hic infra, cap. 17. notab. 5. Ergò necessariò debet etiam Visitator de virtutibus inquirere alioqui dictam compensationem non poterit legitimè facere. 3. Quia in omni bene ordinata Republica specialis prouidentia Gubernatoris est, pœna afficere malos, & præmio bonos. Sed boni præmiari non possunt, nisi cognoscantur. Ergo vt cognoscantur, debet de eorum virtutibus inquiri. At hoc melius fieri non potest, quàm in huiusmodi visitatione: Ergo. 4. Quia dicit Aristot. 1. polit. cap. 9. Quòd *Vbi non summus honor, ac super reliqua omnia virtuti tribuitur, illic optimus status non potest esse diuturnus.* Sed virtus quæ ignoratur, non potest honorari. Ergo Prælatus, qui cupit statum suæ Religionis esse perpetuum, debet virtutes honorare, & consequenter cognoscere. Hoc autem commodiùs non fit, quàm in ista visitatione. 5. Quia in Trid. sess. 24. cap. 3. de refor. dicitur, quòd scopus harum visitationum est, *bonos mores tueri, prauos corrigere.* At non possunt bonos mores tueri, qui eos non agnoscunt. 6. Quia, vt audio, sic seruat sanctissima, doctissima, atq; illustrissima Religio Societatis Iesu, quæ potest esse regula omnis bene disciplinatæ Religionis. Neq; his obstat Regula nostra num. 46. in qua dicitur, quòd Visitatores *Fratrum iniquitates visitent.* Nam per hoc non negat, quòd possint, & debeant virtutes eorum etiam inquirere, cum nulla ibi apponatur particula taxatiua.

Aristotel.

16. Noto 15. quòd Prælatus in hac generali Inquisitione non potest de delictis occultis inquirere; quòd si inquirat, peccat, præbens subdito minùs prudenti occasionem reuelandi peccata secreta, & infamandi; nec subditus, quantumuis adiuratus, tenetur delictum occultum fratris reuelare. Ita Nauar. cap. *Inter verba*, coroll. 47. num. 179. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 10. cap. 11. n. 7. & habetur in cap. *Qualiter, & quando*, el. 1. de accus. Quòd si fortè aliquod delictū occultum, de quo delinquens nō laborat infamia, fuerit per aliquē, aut aliquos minus discretos: seu etiam malitiosè Prælato in tali visitatione reuelatum, non potest Prælatus per hoc delinquentem punire, neque alios interrogare, neque ad specialem inquisitionem deuenire, etiamsi delictum probari possit, nisi priùs probauerit, dictum delinquentem super hoc infamia laborare. Ita habetur in cap. *Inquisitionis*, §. *Tertiæ dubitationis*, verb. *Ad hæc*, & docent Bann. 2. 2. q. 69. art. 1. dub 1. vers. *Pro decisione*; Sanchez. lib. 6. consil. cap. 3. dub. 19. nu. 9. & cap. 8. dub. 1. num. 3. Ioseph a S. Maria in tribun. relig. tract. 3. cap. 3. §. 6. Miranda de ordine iudic. q. 11. art. 8. conclus. 1. vbi id ex professo probat, & ignaros vocat Prælatos, qui aliter faciunt. Quod etiam sentit Rodriq; tom. 2. sum. de ord. iudic. cap. 3. num. 4. Et ratio huius doctrinæ est. Quia magis nocet Reipublicæ, qui occulta delicta reuelat, quàm prosit ille, qui punit iam reuelata. Nam qui reuelat, destruit honorem ciuium, & profert in publicum malum exemplum; per punitionem autem omnia hæc non omnino reparantur. Ergo vbi iam infamia non clamat contra aliquem, non est inquirendum contra illam; & est ratio Bannes loc. cit. Aduertendum tamen, quod ista doctrina intelligitur, quando qui reuelat crimen occultum, reuelat solùm ex simplicitate, putans esse ad id obligatum, vel ad hoc, vt Prælatus charitatiuè delinquentem moneat: nam si delictum iuridicè denunciet, tunc Prælatus debet specialiter de hoc inquirere, vt monent Bann. & Mirand. loc. cit. Et ratio est. Quia tunc non procedit ampliùs per inquisitionem, sed per denunciationem, ad quam non prærequiritur infamia, sed tantum monitio; cap. *Qualiter, & quando*, el 2. de accus. §. *ad corrigendos.*

Nauarrus. Suarez. Bannes. Sanchez. à S. Maria. Rodriq.

17. Noto 16. quòd formulæ procedendi in istis Regularium visitationibus, ac etiam in alijs, variantur iuxta Prouinciarum consuetudinem, vt testatur Aldrete in præfat. lib. 3. de discipl. tuenda. Quare licèt diuersi diuersas sectentur formas, non debet reprehensibile apparere, dummodò quæ sunt de iure naturæ, gentium, sacrorum Canonum, ac propriorum statutorum seruentur; cap. *Illud*, cap. *Illa*, d. 12. Varias huiusmodi formas ponit Ghisiler. de iudice regul. cap. 16. Thomas à Iesu de visit. Regul. tract. 3. à cap. 1. Aldrete loc. cit. format processum eo modo, quo secundum iura formari debet. Ego amplam formam posui pro consolatione eorum, qui breuitate non gaudent. Pro illis autem, qui gaudent breuitate, hanc subijcio.

Aldrete. Ghisilerus. Tho. à Iesu.



CAP.

CAP. X.

De eadem forma, sed breuiori.

IN *nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate Domini 1634. die 2. Iunij. Sacrorum Canonum, sacriq; Concilij Trid. decretis, ac nostrarum constitutionum ordinationibus de Monasteriorum Religiosis visitatione obedire volens, vt par est, Reuerendiss. P. F. N. Ordinis N. Generalis vnà cum suis Collegis, scilicet P. F. N. & P. F. N. ac me Notarij vicesgerente, accessit ad Conuentum N. Prouinciæ N. & eiusdem Conuentus Patribus visitatione intimata, exhortationeque prius habita conuenienti, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum primò visitauit, altaria deinde, sacra vasa, vestes, aliaque ad diuinum cultum spectantia, omnia tandem vt par erat, se rectè habere conspiciens, ad Fratrum visitationem in cameram suæ residentiæ se contulit, ac primò quidem vocatus est P. F. N. &c.* vt cap. præcedenti.

CAP. XI.

De forma incipiendi processum in visitatione generali, facienda à iudice delegato.

IN *Nomine Domini, Amen. Anno Domini 1634. die 2. Iunij, cum ad Dei gloriam, Religionisq; commodum maximè spectet, bono communi consulere Superiores aliorumque peccata, seu defectus (si qui in aliquo inuenti sint) charitate media corrigere, ac, si opus fuerit, iusta seueritate coercere. Ideò R. P. F. N. Ordinis nostri Generalis meritissimus, sui officij debito cupiens satisfacere, nec id per se ipsum, impediente morbo, efficere valens, prouinciam hanc P. F. N. eidem cu Collegas P. F. N. & P. F. N. & me F. N. Notarij Vicesgerente assignatis; per suas literas tenoris sequentis demandauit.* Hic inferendæ sunt per extensum, & de verbo ad verbum literæ commissionis. *Quibus quidem literis, vt par erat, obedire volens præfatus R. P. F. Visitator, itineri se cum prædictis suis Collegis committens, per varios tandem casus, & varia discrimina rerum ad Conuentum N. Ciuitatis N. Prouinciæ N. appulit. Et eiusdem Conuentus Patribus conuocatis, visitationem, præuia cohortatione, intimauit, ac Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Ecclesia, Ecclesiasticisque indumentis visitatis, cum omnia honestè asseruari, & conseruari perspexisset, ad Fratrum examinationem deuenit. Ac primò quidem vocatus fuit,* &c. vt supra c. 10.

1. Nota, quod si in hac generali inquisitione nullum crimen, nullusue criminosus de aliquo crimine infamatus reperiatur, dandæ sunt gratiæ Deo, & diffinitio facienda, prout supra dictum est litera D. cap. 4. Si verò aliquod crimen famosum reperiatur, super quo specialis inquisitionis processus formari debeat, fieri potest, vt infra.

CAP. XII.

De Forma incipiendi processum contra infamatum repertum, seu denunciatum in visitatione generali.

IN *Nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate Domini 1634. die 2. Iunij. Cum inter visitandam Prouinciam istam* N. P. F. N. *de linguæ crimine malè audire, atque infamatum esse compertum sit, quòd obscœna plurima, vt non pauci deposuerunt, atq; inhonesta, cum non modico audientium scandalo, atq; offendiculo sæpissimè effutiat, Reuerendiss. P. Generalis Ordinis N. vnà cum suis Collegis* N. N. *ac me F.* N. *Secretario, &* Notarij *Vicesgerente super huiusmodi crimine contra eumdem F.* N. *specialiter inquirere decreuit; testes interrogando, reum constituendo, cæteraq; opportuna, prout de iure, peragendo. Atq; ita Fratres Conuentus* N. *vbi ipse Frater* N. *diutiùs est immoratus, super obscœna, atq: impura verborum ipsius prolatione specialiter, ac signatè interrogandos mandauit, & in specie quidem P. F. N. & P. F. N. super infamatione de dicti F. N. obscœnitate specialiter nominatos, iussit priùs aduocari. Ac primò vocatus est P. F. N. Sacerdos, ætatis annorum 40. Religionis verò 24. eiq. de veritate dicenda præstito iuramento, iurauit, &c Interrogatus autem primò fuit, an F. N. infamatum cognoscat? à quo tempore? an cum ipso commoratus sit? in quo Conuentu? & quandiù? cuius fama sit apud ipsum, ac alios? &c.* Si autem inter visitandum aliquis iuridicè denunciet delictum alicuius Fratris, incipiendo processum dicat Notarius. *In nomine Domini, Amen. Anno, &c. Cum inter visitandam Prouinciam N. contra P. F. N. sit denunciatum, vt infra.* Hic apponenda est denunciatio per extensum, quæ habetur supra, litera D. c. 1. Qua finita, subdat Notarius. *Quæ quidem*

dem audito, præfatus Reuerendiſs. P. eidem F. N. denuncianti iuramentum detulit, quòd videlicet prætactum F. N. denunciatum charitatiuè monuerit, nec tamen inde resipuerit, quòdq; non calumniandi voluntate, sed solo Dei zelo incitatus eum detulerit, quemadmodum, tactis sacris, iurauit. Quamobrem Reuerendiſs. idem P. denunciationem huiusmodi si, & in quantum de iure debet, ac omni meliori modo acceptauit, ipsiq; Fratri N. denuncianti mandauit, vt se subscriberet, prout fecit. Acta sunt hæc in Conuentu S. N. Ciuitatis N. in camera solitæ residentiæ præfati Reuerendiſs. P. Exinde verò præfatus Reuerendiſſimus, eiusq; Collegæ attendentes, Dei excellentiam, ac dignitatem, Religionisq; decus crimine isto maximè violari, nec modicum spirituali proximorum saluti inuehi detrimentum, atq; adeò impunè præteriri nequaquã debere, ad testes à denunciatore productos examinandos processerunt. Ac primò quidem vocatus est P. F. N. Sacerdos ætatis annorum, &c. Religionis verò &c. eiq; de veritate, &c. Interrogatus autem primò fuit, an F. N. denunciantem cognoscat? 2. interrogatus est, an vnquam Conuentu egrediatur? 3. an dictus testis cum præfato N. vnquam egressus sit, & à quo tempore &c. Hæc interrogatoria referuntur ad denunciationem positam supra in litera D. cap. 1. sed interrogatoria variantur secundum variationem causarum. Hæc solùm seruiunt pro exemplo.

CAP. XIII.

De forma incipiendi processum, quando constat de corpore delicti, sed ignoratur, qui illud commiserit.

IN nomine Domini, Amen. Anno Domini 1634. die 2. Iunij. Cum ad aures R. adm. P. F. N. Prouinciæ N. Ordinis N. Prouincialis, in Conuentu N. degentis, peruenisset, Fratrem Viperam in Conuentu S. N. Ciuitatis N. fuisse vulneratum, vnà cum F. N. & me F. N. Collega, ac Notarij vicesgerente, ad præfatum Monasteriũ, atq; inde in prædicti F. Viperę cellam se contulit, eumq; in lecto decumbentem graui vulnere in dextera maxilla affectum reperit. Quo quidem per eundem P. Prouincialem, eiusque Collegas, prędictos diligenter viso, atq; examinato, gladio illud inflictum, & quatuor, vel circiter digitorum longitudinem attingere cognouerunt. Pręstito autem eidem Fratri Viperæ per pręfatum P. Prouincialem de veritate dicenda iuramento, tactis sacris, iurauit. Ab eodem verò P. Prouinciali interrogatus est, quonam pacto, & à quo tempore sic vulneratus existat? Respondit, Dum hac nocte meę cellę ianuam, matutinum pergens, clauderem, eiusmodi vulnus accepi. Interrogatus deinde, qui sic eum vulneraßet? Rerspondit, Nescio; à tergo enim iniectum est mihi vulnus; cumque ego carerem lumine, & lampas in dormitorio, præter morem, esset extincta, eum agnoscere minimè potui. Interrogatus itidem, à quonam credat, plagam sibi impositam fuisse? Respondit, Fratrem Vindicẽ fuisse puto, quòd heri in refectorio coram Fratribus N. N. *inuicem rixati sumus. Quibus habitis, præfatus P. Prouincialis eumdem Fratrem Viperam ad patienter, & æquo animo ferendũ, veniamq; percußori tribuendum est adhortatus. Acta sunt hæc in præfata cella præfati Monasterij anno 1634. die 8. Iunij, & per me Notarium supradictum descripta.*

Postmodum verò prætactus idem P. Prouincialis ad cellam suæ solitæ residentiæ cum pręfatis suis Collegis concessit, habitoq; cũ eis consilio super patrato delicto, eiusmodi esse attendens, ac tam graue, vt sine maxima Dei, & proximi iniuria tolerari nequeat, ac pertransiri, vnà cum eisdem Collegis, pro inuestigando delinquente eosdem productos testes statuit examinandos. Et primò quidem eodem loco, ac die coram se vocandos curauit P. F. N. eiusdem Conuentus Correctorem, ętatis annorum, &c. Religionis, &c. eiq; de veritate dicenda præstito iuramento, &c. Interrogatus verò fuit, an, & quomodo P. Viperam cognoscat? an illum quoque sciat fuisse vulneratum? quo pacto sciat? num dici audierit? à quo? vbinã? qua occasione? quibus præsentibus? an eum cum aliquo sciat habuisse verba? cũ quo? qua occasione? quibus præsentibus? quomodo id sciat? an illum à Fratre Vindice vulneratum fuisse existimet, &c.

5. Noto 1. quòd in quibuscunq; delictis notorijs potest procedi per viam inquisitionis, & ex iudicis officio. Atq; ita, licèt aliquod delictum non denuncietur Prælato, potest, tamen hic ex officio illud inuestigare. Si autem denuntietur cum testium productione, potest adhuc alios testes ex officio examinare, præmisso decreto in actis hoc pacto. *Cum autem ad aures R. Adm. P. Prouincialis deuenisset alios à productis super eodem delicto testes reperiri, ad maiorem eiusdem notitiam, eos decreuit examinare. Atq; ita P. F. N. &c. adnecandum mandauit.* Ita docet Clarus in pract. crim. lib. 5.

Ambrosinus. Sanchez. §. fin. q. 3. num. 6. & 7. Tranquill. Ambrosinus de modo formandi processum, cap. 1. num. 1. Sanch. qui plures citat. lib. 6. consil. cap. 3. dub. 20. num. 8. vbi testatur de communi consuetudine totius orbis.

2. Noto 2. quòd in omni casu antequam iudex procedat ad aliquem actum iudiciarium, siue procedat per viam inquisitionis, siue per viam denunciationis, debet illi in primis constare delictum, contra quod procedit, fuisse commissum, seu de corpore delicti. *Clarus. Ambrosinus. Aldrete,* Ita Clarus lib. 5. §. fin. q. 4. num. 1. Ambrosinus loc. cit. num. 2. Aldrete de discipl. tuend. lib. 1. cap. 9. num. 5. Delicta autem sunt in duplici differentia. Alia sunt facti permanentis, quæ scilicet post se vestigia linquunt, vt vulnus, incendium, &c. Et de istis ante inceptionem processus illi debet constare per oculorum inspectionem, videndo scilicet vulnus, &c. Alia sunt delicta facti transeuntis, quæ scilicet vestigia non linquunt, vt adulterium, falsitas, furtum, &c. In istis non requiritur alia inuestigatio super veritate criminis, sed immediatè procedi potest contra delinquentem. Habita igitur notitia delicti, si hoc fuerit facti permanentis, iudex illud videat in primis. Si sit facti transeuntis, iudex, porrecta querela, absque alia delicti inuestigatione, potest procedere contra delinquentem, sumendo contra eum informationes, &, habitis inditijs, illum carcerare, vel citare. Ita Clarus loc. cit. num. 3. & 4. Ambros. cit. num. 5. Qui num. 10. monet, quòd aliquando licebit iudici in quibuscũque delictis, si timeatur de delinquentis fuga, illum, absque alia delicti inuestigatione, incarcerare, etiamsi adhuc iudici de delicto non constet; *Baiardus.* quod etiam sequitur Baiard. ad Clarum dicta q. 4. num. 3.

3. Noto 3. quòd circa visitationem corporis delicti, illa fieri debet, si possibile sit, in præsentia Superioris visitantis. Si autem hic sit ita impeditus, vt adesse non possit, debet fieri per Notarium, seu scribam cum reliquis Collegis; quæ facta debent in scriptis redigi, & in ijs debent notari diligenter omnia, quæ reperta fuerint; delictum scilicet principale, vulnus V. G. cum omnibus suis qualitatibus, & circunstantijs quo genere armorum sit factum, vel factum videatur. *Clarus.* Ita Clarus loc. cit. q. 4. num. 4. Ambrosinus loc. cit. num. 24. Forma autem dictæ visitationis, quando Prælatus est præsens, potest fieri, vt notatum est hoc cap. In eius absentia fit per Notarium, hoc modo. *Anno, die, mense, &c. per me Fratrem N. Scribam de mandato Adm. Rev. P. F. N. Prouincialis, &c. in præsentia RR. PP. FF. N. N. N. Collegarum eiusdem Prouincialis, inuisus est Frater Maledicus in cella suæ solitæ habitationis, lecto decumbens, vnico vulnere in dextera maxilla cum maxima sanguinis effusione vulneratus, vt ex pannis ipsis apparebat. Quo vulnere per me cum alijs Patribus Collegis diligenter considerato, gladio illud inflictum esse iudicauimus: erat autem digitos quatuor, vel circiter, oblongum.* Si verò vulneri adhibita fuerint medicamenta, ita vt eius qualitas minimè videri possit, tunc dicat. *Quod quidem vulnus, ob apposita medicamenta, nequaquam licuit videre. Quæ omnia hisce oculis egomet vidi, ac eisdem præsentibus Collegis, Fratre quoque N. & Fratre N. testibus, pro veritate adnotaui. Præmemorato insuper F. Maledico de veritate dicenda tradito iuramento, tactis sacris cum iurasset interrogatus est, quonam pacto, & à quo tempore citra sic vulneratus existat,* &c. vt supra in forma. Quibus omnibus habitis, post subscriptionem vulnerati, subscribit Notarius cum testibus.

CAP. XIV.

De forma incipiendi processum, quando constat de delinquentibus, sed non de delictis.

IN nomine Domini, Amen. Anno à Christo nato 1634. die 1. Iulij. Cum ad R. adm. P. F. N. Ordinis N. & in Prouincia N. Prouincialem, haud obscura probatorum hominum voce, fideq; dignorum sermone, non semel, atq; iterum, immo sæpiùs allatum sit, in Conuentu S. N. Ciuitatis N. Fratres nonnullos sceleribus plurimis, vitiorumq; labe se coinquinantes, nequiter admodùm, ac dissolutè contra ius, & fas vitam traducere, ad eiusmodi Conuentum vna cum P. F. N. ipsius Collega, meq; Fratre N. itidem Collega, & Notarij Vicesgerente, commeauit, vt scilicet, an res ita esset, inspiceret, ac scandalo eiusmodi, iuxta rei statum, atq; exigentiam pro viribus occurreret. Atq; adeò præfatorum Collegarum adhibito consilio, de eorundem infamatorum consuetudine, ac vitę ratione omni meliori modo via, & forma, quibus de iure valet, inquirere constituit, ac indagare. Acta sunt hæc in præmemorato Conuentu, anno, die, & mense supradictis, atq; à me præfato Notario fideli calamo conscripta. Subinde verò idemmet P. Prouincialis eos, qui sunt familiaritate prædictis Fratribus coniunctiores, examinandos, atq. in testes adhibendos esse decreuit. Et primò quidem accersendum iussit F. N. Oblatum, ætatis annorum, &c. Interrogatus autem primò fuit, an, & quomodò, atq: ex quo tempore P. F. N. & P. F. N. cognoscat? cuius opinionis, & famę cum apud se, tum apud alios existant? cur eiusmodi fama laborent? & à quo tempore hęc ipsa de eis opinio circumferatur? quo itidem pacto id sciat? de quibusnam delictis sint infamati? quo itidem pacto id norit? &c. Vide Ghisil. loc. cit. num. 87.



CAP.

CAP. XV.

De forma incipiendi processum, quando non constat de delinquente, neque etiam de delicto, nisi per dictum illius, qui damnum passus est.

IN nomine Domini, Amen. Anno à Christo nato 1634. die 1. Iulij coram R. adm. P. F. N. Ordinis N. in Prouincia N. Prouinciali, eiusq; Collegis P. F. N. & me F. N. pariter Collega, & Notarij vicesgerente, comparuit P. F. N. eique denunciauit, quòd cum haberet quasdam sibi à nobili viro D. N. in depositum datas pecunias in cella sua sublatas esse; furem tamen à se ignorari. Denunciauit praeterea, se multoties in Capitulo à viro personato die 29. Iunij praefati anni fuisse malè verberatum. conijcere tamen minime potuisse, Religiosus ne, an secularis esset, qui verberabat. De quibus quidem vt fieret inquisitio, obnixè, atq; instanter adm. P. Prouincialem postulauit, vt sceleris patrator agnitus meritas luat poenas, & sublatae pecuniae restituantur. Quod cum audisset praefatus R. adm. P. Prouincialis eidem F. N. super veritate furti eiusmodi pecuniarum, ac etiam percussionis detulit iuramentum. Qui cum iurasset ad sacra Dei Euangelia, ita esse, vt dixit; idem P. Prouincialis nostro adhibito consilio, delictorum eiusmodi inquisitionem statuit faciendam. Eam verò vt iuridicè constabiliret, de fama priùs, atq; bona ipsius denunciantis opinione, quò in actis legitimè constet, an illi habenda fides, statuit inquirendum. Ac propterea iussit accersiri P. F. N. eumq; iuramento praestito, &c. interrogauit; an praedictum F. N. denunciantem cognoscat? cuiusnam apud se, atq; alios sit opinionis? an mendaciorum effictor? ac demum credat, ne ipsum pecunias habuisse, & quare, &c. Fama probata, vocandus iterum denuncians, eiq; rursùs delato iuramento, interrogatus, an verè talia sibi fuerint sublata? an verè fuerit percussus? quem credat abstulisse? quare ita credat? deponat indicia, testesq; nominet, si quos habeat, qui factum, aut delinquentem nosse possint. Si aliquis indiciatus repertus fuerit, poterit contra illum specialis inquisitio formari; si autem nullum indicium reperiatur, habeat actor patientiam, & indicium finiatur. Poterit tamen Praelatus super sublatis rebus censuras ferre, ad effectum reuelationis, & prohibere absolutionem, & caetera facere, quae in similibus casibus inter Religiosos fieri solent. Vide Ghisil. de iudic. reg. cap. 19. num. 25. *Ghisilerî.*

1. Noto hic 1. quòd quando dicimus, ad inquisitionem de aliquo delicto debere praecedere infamiam, id est intelligendum, non de inquisitione generali, quam tenentur singulis annis facere Praelati, nam ad illam nulla infamia praerequiritur, sed illam facit Praelatus ex mero officio suo. Et constat ex cap. 1. de offic. ord. & c. *Placuit*, & cap. *Relata*, 2. q. 1. & multis probat Sanch. lib. 6. consil. cap. 3. dub. 17. num. 2. *Sanchez.* sed de inquisitione speciali, ad quam praerequiritur omnino infamia, vt probaui supra hac eadem litera, cap. 9. num. 16. An autem loco famae sufficiant indicia vehementia, disputant Doctores, Respondet Sanchez loc. cit. num. 5. non sufficere dicta indicia, sed requiri omnino infamiam. Et probatur manifestè ex cap. *Cum oporteat*, de accus. vbi gloss. verb. *Famam*, & cap. *Inquisitionis*, eod. tit. §. *Testis*, & c. *Qualiter*, el 2. de accus. vbi gloss. verb. *Ad inquirendū*, & cap. *Qualiter*, el 1. eod. tit. & pluribus probat ibi Sāch.

2. Noto 2. quòd indicia sunt in triplici differentia. Alia dicuntur leuia, quae communiter nihil probant. Alia grauia, quae communiter sunt vera; & sunt illa, quae vehementer mouent animum ad aliquid credendum; & haec semiplenè probant. Alia sunt violenta, & plena, quae ita mouent animum ad assentiendum alicui rei, vt in ea, tamquam vera quiescat, & plus inuestigare non curet; & haec probare videntur. Ita Sylu. verb. *Indicium*, in principio; *Syluester.* Armill. eod. num. 2. Tab. & Angel. in princ. *Armilla. Tabiena. Angelus.* Ad probandum indicium requiruntur ad minus duo testes iurati. An autem indicia violēta ita probent, vt illa sola sufficiant ad mouendum iudicem, vt possit ferre sententiam in criminalibus, dico, quòd non. Quia potest semper subesse aliquod dubium. Ita Sanch. lib. 6. *Sanchez.* consil. cap. 3. dub. 14. num. 4. quamuis alij apud eundem num. 3. sufficere dicant.

CAP. XVI.

De forma incipiendi processum per viam denunciationis in specie.

IN nomine Domini, Amen. Anno à Christo nato 1634. die 2. Iulij. Coram Adm. R. P. F. N. Prouinciali N. ac eius Collegis P. F. N., & P. F. N. & me F. N. pariter Collega, ac Notarij Vicesgerente, in Conuentu S. N. personaliter comparuit P. F. Iustus de Bonis, atq; eisdem Fratrem Improbum de Scandalosis Laicum de impudica cum muliere consuetudine, ac familiaritate, cum non paruo aliorum scandalo, denunciauit hoc pacto, videlicet. Hic ponitur ad verbum denunciatio, quae habetur supra lit. D. cap. 1. qua posita, subditur. *Quo quidem audito, praefatus P. Prouincia-*

lis eidem Fratri Iusto detulit iuramentum, quòd prædictum videlicet Fratrem Improbum charitatiuè, vt asserit se fecisse, monuerit, nec ipse tamen resipuerit, ac propterea, quòd, non animo quidem calumniandi, sed iusto tantum, pioq; zelo ductus ipsum detulerit, prout idem P. Iustus, tactis sacris, iurauit. Præfatus autem P. Prouincialis denunciationem eiusmodi, si, & in quantum omni meliori modo admisit, mandauitq; prædicto Fratri Iusto, ut se eidem, quemadmodùm egit, subscriberet. Acta sunt ista in prædicto Monasterio in camera solita residentiæ præfati Patris Prouincialis anno, die, & mense præscriptis, atq; à me Notarij vicesgerente fideli calamo descripta. Quibus sanè perpensis, attendens prædictus P. Prouincialis, non sine maxima Dei offensa, plurimorumq; scandalo, atque offendiculo crimē huiusmodi impunè posse præteriri, habito nobiscum consilio, super eo contra prædictum Fratrem improbum statuit esse inquirendum. Ac propterea testes ab ipso denunciante depositos iussit aduocari. Et primò quidem P. F. N. eiq; præstito iuramento, &c.

1. Noto 1. quòd iudicis officium valde difficile est, vt colligitur ex illo Sapientiæ 6. vbi iudicis conditiones ponuntur, his verbis. *Quoniam, cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundū voluntatem Dei ambulastis.* Vbi, vt apparet, tria ponuntur iudicis munia ad hoc, vt suo officio plenè satisfaciat. Primum illis verbis, *non rectè iudicastis*; per quod significatur, quòd iudex debet rectè iudicare, idest, sola negotij veritate inspecta. Quatuor autem modis corrumpitur iudicium rectum. 1. timore, dū propter potentiam timet iudex secundùm veritatē iudicare. 2. cupiditate, dum præmio ius alicuius corrumpit. 3. odio, dū contra aduersariū, abutēdo iudicio, aliquid molitur. 4. amore, dū amico contendit præstare auxilium. Secundum iudicis munus ponitur illis verbis, *nec custodistis legem iustitiæ*; per quæ verba significatur, quòd non solum iudex debet secundùm veritatem iudicare, sed etiam quòd hoc iudicium debet facere secundum ordinem præscriptum à legibus; nam nec bonum simpliciter bonum est, nisi fiat sicut decet, vt ait D. Bonau. de sex alis Seraph. c. 7. Quod munus vt bonus iudex adimpleat, debet seruare tria, scilicet exquisitè causam discutere; non facilè credere actori, neque testibus pro ipso; non præcipitanter sententiam ferre, sed omnia bene videre, & examinare eo modo, via, & forma, quibus ius præscribit. Tertium iudicis munus ponitur illis verbis, *neq; secundum voluntatem Dei ambulastis*; per quæ significatur, quòd debet iudex recta intentione iudicium exercere, non spe præmij iustitiam facere, sed amore iustitiæ. Tria autem requiruntur ad hoc, vt iudicium sit actus iustitiæ. 1. quòd procedat ex inclinatione iustitiæ; nam alioquin est peruersum. 2. quòd procedat ex auctoritate; nam alioquin est vsurpatum. 3. quòd feratur secundùm rationem prudentiæ; nam alioquin est temerarium. Vnde Foller. in practica crim. in princip. ait, quòd iudex debet habere quatuor, scilicet, auctoritatem, scientiam, experientiam, & bonam vitam, quæ ipse latè prosequitur.

D. Bonau.

Follerius.

2. Noto 2. quod iudex regularis in iudicando quando materia est grauis, quomodocunque procedat, non potest omittere ea, quę sunt de iure diuino, vel naturali. De iure autem diuino sunt, accusatio delicti, seu denunciatio, rei citatio, æqualitas iudicis erga partes, testiū pluralitas, partis auditio. De iure verò naturali sunt ista. Iudicis inimici recusatio, appellatio, defensiones legitimæ, iuramentum de veritate dicenda, quod datur testibus, testium secreta interrogatio, quòd de delicto facti permanentis constet, quòd inimici repellantur ab accusando, vel testificando. Quæ prosequitur, & probat Ghisl. de iud. regul. cap. 12. & Mirand. de ord. iud. q. 14. ar. 1. conclus. 1. 3. 4. Ita D. Thomas 2. 2. q. 33. ar. 7. ad 4. & 5. & quodlib. 1. ar. 26. Mirand. loc. cit. ar. 3. conclus. 1. Salon. 2. 2. q. 67. ar. 3. vers. *Ad secundum dico*, Nau. in rubrica de iud. num. 91. vers. *Quinto*; & in cap. *Inter Verba* conclus. 6. perfecta, coroll. 63. num. 291. Sayrus in Claui regia, lib. 12. cap. 11. num. 20. Ghisl. cit. cap. 13. nu. 1. Mansus de modo proced. in causis Regul. cap. 7. à nu. 5. Aldr. de discipl. tuend. lib. 1. cap. 1. n. 12. & 13. Sylu. verb. *Inquisitio* 2. nu. 1. dicto 11. A Sorbo in comp. priu. mend. verb. *Appellare*, vers. *Notandum quòd*. Rodriq. to. 2. qq. regul. q. 6. ar. 2. Et ratio est. Quia ius diuinum, & naturale tantùm fouent Religiosos, quantū alios, immo plus Religiosos, quia horum fama, quæ deperditur per inobseruantiam iuris, pretiosior est, vt ait Nau. loc. cit. de iud. Et ita colligitur expressè ex const. 4. Bonif. VIII. quam refert Cherub. tom. 1. bull. fol. 140. & Thom. à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 1.

Ghislerius. Miranda. D. Thom. Salon. Nauarrus. Sayrus. Mansus. Aldrete. Syluester. A Sorbo. Rodriquez. Cherubin. Th. à Iesu.

3. Neque his obstat cap. *Qualiter*, el 2. de accusat. in fine. Nam ibi solùm permittitur, quòd in Regularium iudicijs non ita exactè procedatur, seruatis scilicet apicibus iuris, & solemnitatibus, vt declarauit expressè Bonif. VIII. loc. cit. volens, quòd loco dictarum iuris solemnitatum obseruentur consuetudines approbatæ singularum Religionum, & ipsarum statuta facta, vel facienda à Capitulis generalibus. Solemnitates verò iuris sunt, quòd accusationis, seu denunciationis libellus in scriptis offeratur; quòd reorum citatio realis, seu verbalis tali, vel tali modo fiat, litis contestatio; quòd partibus tale, vel tale tempus ad respondendum, seu probandum præscribatur; testium in tali delicto probando multitudo. quòd admittantur dilatoriæ protelationes; quòd citetur reus ad videndū iurare testes; quòd sententia non feratur, nisi tali loco, tali die, & tali modo, sedendo scilicet; quòd citationes non fiant nisi per internalla; & alia, quę prosequuntur Ghisl. de iud. Regul. cap. 11. per totū; & Mirand. de ord. iud. q. 14. ar. 2. concl. 2. Neque tamē istæ omnes omitti possunt in iudicijs Regularium, sed illę solę, quę ad apices iuris spectant, & puræ sunt solemnitates, qualia sunt, citatio die non feriata, libelli porrectio in scriptis, litis contestatio, testium multitudo, longæ dilationes, receptio testium post publicatas at-

Ghislerius. Miranda.

testatio-

testationes, sententiæ sedendo prolatio, & alia huiusmodi. Nam illæ solemnitates, quæ faciunt ad adiuuandam essentiam iudicij, & ad conditiones, quæ de iure diuino, & naturali requiruntur, in eo etiam de necessitate seruandæ sunt, vt sunt dilationes congruæ, exceptiones legitimæ, traditiones nominum, ac dictorum testium, citatio partium ad sententiam, &c. de quibus Ghisil. loc. cit. cap. 11. à num. 18. Quæ omnia colliguntur, immo expressè habentur in Clem. *Sæpè*, de verb. signific.

4. Aduerte autem hic obiter, quòd gloss. fin. in dicto cap. *Qualiter* el 2. de accus. ex eo, quòd Papa dicit, quòd ordinata in dicto cap. non est necesse, quòd obseruentur tam accuratè in iudicijs Regularium, malè colligit, quòd cœtus Clericorum sit nobilior cœtu Monachorũ. Nam id concessit Papa, tum ad magis consulendum honori Monachorum, tum ad magis consulendum statui paupertatis, quam profitentur. Tum quia status Monachorum in sancta simplicitate fundatus, non videtur capax tot subtilitatum. Tum quia Monachi contemplationi potiùs, quàm iuri incumbunt. Tum quia Monachorum vinculum cum ecclesijs suis non est perpetuum, sed temporale, vnde faciliùs dissoluitur. Quare ego ex eo textu colligo potiùs argumentum contrarium, scilicet, quòd Ordo Monachorum est nobilior Ordine Clericorum, vtpotè minoribus oneribus oneratus, & magis priuilegiatus, & qui iure ordinario non censeatur; causæ namquè Magnatum simpliciter, & de plano, seruatis essentialibus, discutiuntur. Est etiam nobilior ex ea parte, quia magis actiuæ, & contemplatiuæ vitæ vacat, quam Ordo Clericorum; Monachi enim prædicant, docent, libros scribunt, infideles ad fidem conuertere student, nulli parcentes labori, aut periculo; ex Clericis autem si aliqui id faciant, remissiùs tamen id agunt, quam Regulares. In leuioribus autem culpis, & quæ infamiam non gignunt, & in amotione aliquorum ab officijs manualibus, seu alijs, quę à mera liberalitate Prælati pendent, nõ requiritur tam exacta causæ discutio (quod fortè solùm voluit Papa in illo cap. *Qualiter*,) sed possunt suas seruare constitutiones, quæ apud Religiosos loco iuris gentium habentur, vt dicit Mansus cap. 7. num. 4. Atque ita docent Sayrus in Claui regia, lib. 12. cap. 11. num. 20. Quatuor itaque illa in istis Regularium iudicijs necessariò requiruntur, quæ in omnibus alijs iudicijs sunt necessaria, nimirũ accusator idoneus, seu aliquid loco illius, testes legitimi, defensiones congruæ, iudex electus, vt habetur in cap. 1. 4. q. 4. alioquin, si aliquod istorum desit, non erit iudicium, sed latrocinium, & assassinium, vt dicunt Mansus loc. cit. num. 7. & Ghisil. cap. 12. num. 18.

Mansus.
Sayrus.
Ghisilerius.

5. Noto 3. Quòd Religiosorum peccata grauiùs sunt punienda, quàm peccata secularium; tum quia cũ debeant esse magistri virtutũ, illorum peccata alios ducunt ad interitum: cap. *Qualis* 8. q. 1. Tum quia, cum meliorem vitam professi sint, tamquam Ecclesiæ Magnates honorantur, & sic peccando violenter suo exemplo culpas extendunt, cap. *Nemo*, d. 83. Tum quia ipsorum peccata sunt grauiora propter vota; cap. *Qui bona*, 17. q. 1. & quia ipsi habent maiorem cognitionem de lege Dei; cui autem plus datum est, plus requiretur ab eo, vndè etiam seueriùs à sacris Canonibus puniuntur; cap. *Præcipuè*, 11. q. 3. cap. *Paulus*, 2. q. 7. cap. 7. d. 59. Immo aliquæ leuiores culpæ, quas leges ciuiles non puniunt in suis ciuibus, in Religiosis grauiter puniuntur a sacris Canonibus vt in cap. *Obseruandum*, 15. q. 2. Aduocato religioso nihil licet accipere sub graui pœna, cum multa tamen corradant seculares. Deponuntur Clerici frequentantes domos fæminarum, cap. *Clericus*, d. 81. Item deponuntur aleatores, cap. *Episcopus*, d. 35. Negotiator Clericus tanquam pestis fugiendus dicitur cap. *Negotiatorem*, d. 88. Venatio Clericis prohibetur cap. 1. & 2. de Clerico venatore; horum tamen plurima, vel mala non æstimantur in secularibus, vel si mala non curantur. Ergo, cum grauiter puniantur in Religiosis, signum est, quòd horum culpæ grauiùs puniendæ sunt, quàm secularium. Et aduertant Prælati, quòd leuiores culpæ non sunt spernendæ in Religione, qui enim minima spernit, paulatim defluit: & non est charitas, sed languor, malos humores non corrigere, cap. *Non putes*, 23. q. 5. nam ex hoc totalis manat subditorum ruina; cap. *Qui vitijs*, ead. causa, & quæst.

6. Sed an culpæ Religiosorum cœteris paribus sint grauiores, quàm secularium, est alia quæstio, quam diffinit D. Thomas 2. 2. q. 186. ar. 10. vbi ait, quòd possunt esse grauiores vel ratione scandali, vel ratione voti, vel ratione contemptus, si scilicet ex contemptu, vel malitia peccent; nam videntur peculiariter tunc esse ingrati Deo; quæ tamen ingratitudo non facit speciale peccatum, nisi quando peccarent formaliter, & pręcisè ex contemptu diuinorum beneficiorum: Secluso autem scandalo, & voto, quando Religiosus ex infirmitate, aut ignorantia peccat, cœteris paribus, minus est illius peccatum, quàm laici, tum extensiuè, tum intensiuè, nam peccata venialia multitudine bonorum operum obruuntur, in mortalia rarò cadit, & velociùs surgit, & quando cadit, non sinè vehementissima tẽtatione dementatus, quæ multùm de voluntario tollit, cadere æstimandus est; nam persona alioquin exercitata charitate erga Deum, & bonis operibus, non solet ex infirmitate, aut passione cadere, nisi illa passio sit multùm vehemens. Ita Valent. tom. 3. disp. 10. q. 5. p. 6.

D. Thomas.
Valentia.

7. Noto 4. Quòd querelæ contra Prælatos in actu, vel qui fuerunt, non debent statim recipi, nec facilè debent admitti probationes etiamsi videantur plenæ. Nam Prælati, qui volunt suo muneri satisfacere, corrigendo, & puniendo, quæ correctione, & punitione sunt digna, facillimè incurrunt in subditorum odiũ quantumuis misericordes esse studeant, & quàtumuis citra condignum puniant; æstimant enim semper subditi, se vltra condignum fuisse punitos ex odio, seu alia passione Prælati; Est defectus humanæ naturæ, quæ semper culpam propriam, vel excusat, vel in alium refundit, vt colligitur ex cap. *Non est crudelis*, 23. q. 5. Quare prudenter admodùm in hoc puncto se gerere debent iudices. Quod præcepit illis Pontifex in cap. *Qualiter*, el 2. de accus. illis verbis. *Licèt hoc sit obseruandum in subditis,*

diligentius tamen est obseruandum in Prælatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam, & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin immo interdum suspendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Et ideo Sancti Patres prouidè statuerunt, vt accusatio Prælatorum non facilè admittatur, ne, concussis columnis, corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsæ, sed etiam malignæ criminationi ianua præcludatur. Ad quem locum ait Panor. num. 8. Quòd quantò quis est iustior, tanto minùs potest omnibus complacere, cum diligéter debeat suum officium exequi sinè acceptione personarum. Vnde Apostolus, *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem*; intellige tamen contra veritatem. Et num. 9. ait. Nota differentiam in inquisitione facienda inter subditum, & Prælatum. Nam contra subditum sufficit præcedens fama, etiam non scandalosa, sed contra Prælatum oportet quòd præcedat fama, quæ sinè scandalo dissimulari non possit. Quare consulit Thomas à Iesu de visit. Regul. tract. 1. cap. 18. num. 10. quòd postquam aliquis defectus de Prælato fuerit Visitatoribus delatus, non debent illi statim querelam accipere, testes examinare, & processum formare, sed debent cautè, & prudenter inquirere ab alijs, absq; eò quod possint isti suspicari Prælatum de illo defectu fuisse accusatum; interrogando scilicet, quomodò se gerat Prælatus cũ tali, vel tali Religioso, nominando eos, qui vt testes fuerunt vocati, an ab eo fuerint aliquando correcti, & puniti, &c. Denique in hac materia seruandum omnino puto sanctum, ac salutare consilium D. Thomæ in 4. d. 46. q. 2. ar. 2. quæstiune. 2. ad 5. vt scilicet visitatores Prælatos manifestè non puniant, sed occultè, propter scandalum vitandum, sicut Aaron punitus fuit, quamuis nõ pęna manifesta, sicut populus. Quod intellige, quando id sinè scandalo, & periculo tẽporali, vel spirituali fieri potest.

Panorm. *Galat. 1.* *Tho. à Iesu* *D. Thom.*

8. Noto 5. quòd to. 2. Relig. cap. 3. nu. 138. dixi, quòd nõ poterat Prælatus pœnas à lege taxatas minuere absque iusta causa. Iustæ autem causæ sunt, vt ait Sanch. lib. 6. consil. cap. 1. dub. 21. nu. 11. pueritia, paupertas, senectus, doli defectus, consuetudo, quando ex pœnæ diminutione speratur emenda delinquentis, quando post commissum delictum magnum aliquod interuallũ transijt absq; delinquentis culpa, spontanea criminis confessio absque incussione metus, & quæuis alia circunstantia, quæ delictum minuat. Quibus omnibus adde delinquentis merita; nam pro ratione meritorum poterit, & debebit iudex pœnas minuere, vel omnino remittere. Cum enim scopus visitationis sit, vt definit Trid. sess. 24. cap. 3. de reform. bonos mores tueri, & prauos corrigere, seu virtutem præmiare, & vitia castigare, põderãda sũt æqua lance à Visitatoribus tam merita, quàm demerita, & si in aliquo reperiantur merita vt octo v. g., & demerita similiter vt octo, poterit vnũ cum alio compensare, & sic reum absoluere. Atq; ita docent Tiraquell. de pœnis temper. caus. 49. vbi id multis probat à num. 1. Nau. in rubric. de iudic. num. 99. Rodriq. tom. 2. qq. regul. q. 42, ar. 5. Longus de casib. reser. p. 2. casu 5. num. 89. Mirand. de ord. iudic. q. 27. ar. 5. conclus. 3. num. 72. Et probatur ex lege 2. §. *Post hæc cum Appius*, ff. de orig. iuris; leg. 1. ad finem, ff. de constit. Princip. leg. *Non omnes*, §. vlt. ff. de re milit. vnde Tullius in oratione pro Flacco *semper*, ait, *graues, ac sapientes iudices, in rebus iudicandis quid vtilitas Ciuitatis, quid communis salus, quid Reipublicæ tempora poscerent, cogitarunt.*

Sanchez. *Tiraquel.* *Nauarrus* *Rodriq.* *Longus.* *Miranda.* *Tullius.*

9. Causæ autem illæ ita dant facultatem Iudici pœnas à lege taxatas minuendi, vt, etiãsi lex prohibeat pœnam mutare, vna tamen ex his concurrentibus, possit iudex adhuc pœnam mutare, nam tunc intelligitur legis prohibitio, vt non possit mutare absq; causa. Contrarium tamen tenet Sanchez loc. cit. num. 12. scilicet, quòd quando lex mutationem prohibet, iudex, quacunq; causa interueniẽte, mutare non possit. Sed tu tene, quòd dixi; nam dantur aliqui casus, in quibus exequi pœnam legis, esset impium, & crudele. Ad cap. Illud *super eo*, de raptoribus, quod ad id probandum affert Sanchez, dico, quòd nulla ibi adest legitima causa, quare Sacerdos mutare possit pœnam ibi raptoribus impositam; loquitur enim cap. Illud in §. *Qui autem*, de eo raptore, quem, dum esset sanus, obstinata mente non pęnituit, & in morte securitatem emendandi præstare nequiuit, licet hunc in morte pœniteat, carere tamen debet sepultura; quia quamuis illa pœnitentia aliàs videatur causa iusta, vt dictus raptor sepultura non careat, eam tamen legitimam non iudicat Papa ibi, *parum prodesse videtur, sicut credimus*; & ideò contrafaciens Sacerdos punitur. Solùm igitur probat illud cap. quòd causa, quæ non iudicatur legitima à Legislatore pro minuenda pœna, non potest esse legitima ad hoc, vt iudex possit pœnam à lege taxatam minuere. Adde, quod dicit gloss. fin. in dicto cap. quòd hoc fit potiùs ad aliorum terrorem; nam mortuo illa pœna non nocet; & constat etiam ex eodem §. *Qui autem*, ibi, *sed de peccatis contritio viaticum non denegetur.*

10. Aduerte autem, quòd sicut potest iudex pœnas minuere, ita propter delicti atrocitatem, potest illas augere, vt docent Innoc. in cap. 1. de constit. Sanchez loc. cit. num. 13. & multis probat Tiraquel. loc. cit. à num. 16. Couarr. lib. 2. variar. cap. 9. num. 8.

Innocentius. *Sanchez.* *Tiraquell.* *Couarruu.*

11. Aduerte etiam, quòd non licèt apud Prælatum intercedere, vt pœnam à lege taxatam delinquenti remittat, si nulla adest iusta causa id faciendi; quia rogare Prælatum, vt faciat id, quod licitè facere non potest, est inducere illũ ad peccatum; sed pœnam à lege taxatam sine causa Prælatus remittere non potest. Ille tamen, qui fuisset offensus, posset rogare iudicem pro suo offensore absque peccato, immo cum merito, quia magnum ostenderet charitatis ardorem; qui autem speraret delinquentis emendam, posset intercedere apud iudicem, vt illi pœna minueretur; nam tunc etiam iudex habet iustam causam minuendi; secus autem, si emenda non speratur. Si denique ex mutatione, vel remissione pœnæ sequatur damnum, vel iniuria parti læsæ, non licet apud iudicem intercedere pro tali remissione, vel mutatione; nam procurare alicui benefacere, cum alterius dãno, malum est. Atq; ita docent Rodriq. tom. 2. *Rodriquez.*

qq. re-

Sanchez. qq. regul. q.43. art.1. Sanch. lib. 6. consil. c. 1. dub. 22. Ad quæ debent aduertere illi, qui de misericordia ita gloriantur, vt, pro omnibus intercedere indiscriminatim profiteantur, maximè quãdo sunt personæ graues, & auctoritatis, quarũ apud Prælatos auctoritas multum valet.

12. Aduerte etiam, quòd Iudex post sententiam latam non potest pœnam reo inflictam minuere, quia functus est suo officio; leg. *Quod Iussit*, ff. de re iudic. Sanch. lib.6. consil. cap.1. dub.23. num. 1. Quod tamen intellige, quando Iudex non potest super illo crimine dispensare, vel iure, aut consuetudine non habet, vt minuere possit, vt est apud Regulares in aliquibus criminibus specialiter non exceptis, & præsertim apud nos Minimos in materia votorum essentialium; nam super pœna contrafacientibus imposita nullam habent Prælati auctoritatem, vt constat ex Correct. num. 105. Atq; ita *Couarruu.* docet Couar. loc. cit.

13. Noto 6. quòd Prælatus regularis habens scientiam, quòd aliquis sit Innocens, licèt aliàs per legitimos testes probetur nocens, non potest illum condemnare, quicquid sit de hac quæ- *Salon.* stione, quam fusè tractant Salon 2.2. q.67. art.1. *Sayrus.* conclus. 3. Sayrus in claui reg. lib. 12. cap. 8. à *Mascard.* num 6. Mascard. de prob. conclus. 950. Sanch. *Sanchez.* lib.6. consil cap.1. dub.17. in alijs locis. Probo 1. ex illo Exod.23. *Non suscipies vocem mendacij, neque in iudicio plurimorũ acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.* 2. Quia in cap. *Cum æterni*, de sent. & re iudic. in 6. punitur iudex, qui contra conscientiam propriam, & cõtra iustitiam aliquem grauat. Ex quò apertè colligitur, quòd Iudex tenetur secundùm propriam conscientiã iudicare, & non secundùm allegata in processu, quando sunt contra conscientiam certam. 3. Quia contra ius naturale est, innocentem condemnare; quod ius præponderat cuicunq; alteri iuri. 4. Si vniuersus populus petat aliquem occidi, qui tamen innocens sit, non potest iudex populo consentire; per tex. expressum in leg. *Decurionum* Cod. de pœnis, vbi glossa ex hoc colligit, Pilatum malè Christum condemnasse. Cum ergo iudices regulares iustitiam quidem sequi debeant in iudicando, sed valde misericordia temperatam, vtpotè qui filios, & subditos merè voluntarios regant, opinionem magis piam sequi tenentur, præsertim cum & ipsa probabilis sit. Cum ergo ista opinio probabilis sit, & possit in quocunque foro amplexari, vtpotè rationibus, & auctoritatibus multùm munita, vt videri potest apud dictos Auctores, existimo, quòd Prælati regulares ad penã peccati mortalis eam sequi teneantur. Neq; obstat, quòd sequatur scandalum in communitate, si Iudex non iudicet secundùm processum; nam vtiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur, vt dicitur in cap. *Qui scandalizauerit*, de reg. iur. deinde poterit Prælatus declarare, habere se scientiam de innocentia existimati rei. Neq; refert, quòd tunc remanebunt infamati denunciator, & testes, nam præterquam quòd isti communiter non sciuntur in hoc iudicio regulari, in quo omnia secretò procedunt, si fuerunt in dolo, sibi debent imputare; si decepti sunt, putantes Petrum tale delictum commisisse, cum fuerit Paulus, caueant à deceptione in posterum.

14. Tandem tota hæc doctrina fortificatur vehementer doctrina Caiet. 2. 2. q.68. art.2. vbi *Caietanus.* habet, quod iudex non debet à principio admittere denunciationes calumniosas, admissas autem debet rescindere, & abolere. Immò ait, quòd si cognoscat à principio, denunciationes non esse legitimas, & admittat, facit iniuriam iustitiæ; & similiter si prosequatur postquam cognouerit; erit enim tunc suum tribunal, non iustitiæ, sed latronum assassinantium pauperes religiosos. Adde etiam, quod tam supra lit. A cap. 10. num. 2. accusationem à Religionibus relegauimus, in cuius locum cum successerit denunciatio, quæ solam fratris emendam petit, nullum scandalum nasci poterit, etiamsi Prælatus innocentem existimatum nocentem absoluat. Sic enim hanc sententiam probo, vt iudex regularis teneatur iudicare secundũ propriam conscientiam in absoluendo, non autẽ in condemnando; nam secundùm doctrinam Baldi *Baldus.* consil.115. in fine, volum. 5. tutiùs peccamus in absoluendo, quam in condemnando. Caietani doctrinam sequuntur Aragon 2. 2. q. 66. art. 5. *Aragon.* Rodriq; tom.1. qq. regul. q.42. art.5. *Rodriguez.*

15. Aduerte hic etiã, quòd potest iudex, relicta propria opinione iudicare secundũ opinionẽ aliorũ, quæ sibi probabilior apparet, cũ fortè illa sit verior, & tutior. Sicut enim potest quilibet Doctor interrogatus respondere ex aliorum sententia, si responsum fauet interroganti, ita iudex ex aliorum sententia iudicare. Ita Castr. Palaus de conf. disp. 2. par. 10. num. 7. *C. Palaus.* cum multis, quos citat.

16. Noto 7. quòd Iudex, qui fert sententiam iniustam, peccat mortaliter, nisi forté ex ignorantia inuincibili id fecisset; Ghisil. de iud. reg. *Ghisileri.* cap. 7. num. 15. Quòd si per sordes eam ferat, idest, si moueatur ad sic iudicandum ex pretio, seu præmio, vel ex prece, seu gratia, vel ex odio, seu inimicitia, aut ex timore, vt explicant Farin. 3. par. prax. q.111. num. 361. & Me- *Farinacius.* noch. de arbitr. casu 348. à num 18. incidit in *Menochius* pœnas cap. *Cum æterni*, de re iudic. in 6. vbi suspenditur per annum; quòd si, pendente illo anno, se immiscuerit diuinis, incurrit irregularitatem, à qua non potest absolui, nisi per Papam. Sed Barbos. in dict. cap. num. 10. & *Barbosa &* Farin. loc. cit. à num.27. Menoch. cit. num.13. *Menochius* dicunt, quòd habet priuari dignitate, quam habet, ita vt in futurum ad alium dignitatis gradum ascendere non possit; per leg. *Iudices*, Cod. de dignit. lib.12. Vide Rodriq; tom.1. qq. regul. *Rodriguez* q.40. art. 1. vbi putat, quòd Iudex regularis malè iudicans ex negligentia culpabili, cum dolo, vel fine dolo, & ex imperitia, pœna arbitraria puniendus est. Ille autem præsumitur cum dolo procedere, qui formam sacrorum Canonum, iuris ciuilis, vel constitutionum Religionis transgreditur manifestè. Ille verò præsumitur procedere ex lata culpa, qui omisit facere, que alij prudẽtes, docti, & experti iudices in simili casu facere solent. Quando ergo Iudex regularis malè iudicat ex dolo, vel lata culpa, deponendus est ab officio, iuxta notata in cap. *Quicquid*, 1. q. 1. cap. *Placuit vniuerso*, 11. q.3. cap. *sed illud*, d.45. cap. *Iustum*, 23. q.3. Secus autem, si ex simplicitate. Vide Rodriq; loc. cit. & eius Compendiatorem ver. *Iudex*, num. 12. & 13.

17. Noto 8. quòd iudex non poteſt procedere ad inquiſitionem ex eo, quòd contra aliquem ſibi ſcriptæ fuerint aliquæ literæ orbæ, vt aiunt, ideſt, ſine auctore, etiamſi in dictis literis notati ſint aliqui teſtes informati de ipſo delicto. Quia iſtæ literæ nullam prorsùs infamiam præſeferunt, neq; vllum faciunt indicium contra in ipſis denunciatum, vt habetur in cap. *Inquiſitionis*, §. *Tertiæ dubitationis*, de accuſ. vbi Panorm. num. 4. Thomas à Ieſu de viſit. Regul. tract. 2. cap. 3. num. 9. Iulius Clar. in pract. crimin. q. 5. num. 3. Ghiſiler. de iud. regul. cap. 16. nu 65. Manſus de modo proced. in cauſis Regul. cap. 12. num. 5. Mirand. de ord. iud. q. 7. art. 8. concluſ. 1. Salzedo ad Diaz, c. 4. lit. A verſ. *Octauo*. Ioſeph à S. Maria in tribun. Relig. tract. 3. cap. 6. §. 3. Paulinus Berti in practica crimin. tit. 8. cap. 9. num. 5. & 6. Rodriq; tom. 2. qq. regul. q. 6. art. 10. vbi probat, quòd iudex vigore dictarum literarum, non ſolùm non poteſt procedere iudicialiter contra infamatum, ſed neq; etiam poteſt contra illum procedere tanquam pater, ac ſi per denunciationē Euangelicam iuſſet monitus; quod eſt dicere, quòd neq; poteſt ſic infamatum ſecretò monere, vt, ſi vera ſunt, quæ ibi ſcribuntur, abſtineat; nam, & hoc pacto videretur aliquo modo credere, quæ ibi dicuntur. Quod ego veriſſimum exiſtimo, niſi aliunde aliquod aliud indicium habeat Prælatus, nam tunc non vigore literarum, ſed vigore indicij poſſet Pręlatus infamatum monere. Et aduerte, quòd proceſſus fabricatus ſuper huiuſmodi literis eſt ipſo iure nullus, vt habetur in dicto cap. *Inquiſitionis* & notant in ſpecie Salzedo, & Ghiſil. cit.

Panormit. *Th. à Ieſu.* *I. Clarus.* *Ghiſilerius.* *Manſus.* *Miranda.* *Salzedo.* *à S. Maria* *Berti.* *Rodriquez*

18. Aduertit etiam Rodriq; quòd debet iudex inueſtigare auctorem dictarum literarum, & eum arbitraria pœna punire. Quod eſt æquiſſimum ad exterminandam malignantium peruerſam naturam, & conſulendum famæ bonorum Religioſorum. Quod etiam notat gloſſ. in dicto cap. *Inquiſitionis*, ver. *In ſeculis*, quæ ad hoc affert cap. *Quidam maligni*, 5. q. 1. & dixit Dauid pſal. 49. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar.*

19. Dicunt autem Salzedo, & Ioſeph à S. Maria, quòd poteſt Prælatus his literis reddi cautior, & ſecreto inquirere, an fortè vera ſint, vel falſa, quæ ibi dicuntur, ſuſpendendo interim iudicium circa credulitatem. Sed puto omnino comburendas, vel lacerandas; & illis nil penitus credendum. Nam vel qui eas ſcribit, eſt vir probus, qui fortè taliter ſcribit, ne in odium cadat delinquentis; vel eſt malus. Rurſum vel delictum eſt occultum, vel publicum: Si qui ſcribit, eſt vir probus, & delictum eſt notorium, non debet timere propter bonū commune odium fratris, dicente Apoſtolo, *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*. Si autem delictum eſt occultum, iam conuincitur non eſſe vir probus, qui illud reuelat. Si autem, qui ſcribit malignus eſt, non eſt audiendus, immo puniendus, iuxta can. *Qui in alterius*, & cap. *Quidam maligni*, 5. q. 1. Quare ſanctiſſimè exiſtimo ſtylū Curiæ Romanæ tales literas, in materiis præſertim Regularium, lacerantem.

Gal. 1.

20. Sed quid ſtatuendum, ſi literæ ſint quidem ſubſcriptæ, ſed nomine fictitio, vt ſolent facere moderni malignantes, putantes ſic dictum ſtylum circumuenire. Tunc ſuſpendendum eſt iudicium, & cauté in primis verificandum, an verè literæ ſint auctoris ſubſcripti, an tale nomen ſit in Conuentu, a quo prodierunt; quòd ſi comperiatur eſſe fictitium, vel ſuppoſititium, tunc literæ comburendæ, vt dixi, & quærendus, qui ſcripſit, vt puniatur; ſi autem nomen ſit verum, tunc verificandum eſt, an ille dictas literas ſcripſerit, ſuppoſito quod manus non cognoſcatur, quod ſi inueniatur verè ipſum, qui ſubſcriptus eſt, literas ſcripſiſſe, procedendum prout de iure; ſe habent enim hæ literæ loco denuntiationis, vt probat Ioſeph à S. Maria in tribun. Relig. tract. 3. cap. 11. §. 5.

21. Aduerte etiam hic bonam doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 60. art. 4. ad 3. quæ ſeruiet Prælatis, ne errent, quando ſibi ſcriptum, vel dictum fuerit aliquid de aliquo ſubdito. Ait itaque ibi D. Thomas, quòd iudiciorum genera ſunt duo. Vnum ſuppoſitiuum, & aliud diffinitiuum. Per primum ſemper cogitamus id, quòd deterius eſt, ſiue in noſtris, ſiue in alienis factis, vt illis ſecurius, & efficacius remedium adhibeamus; ſi enim ſupponatur, id quod deterius eſt, adhibebitur efficacius remediū; quod quidem remedium deinde erit magis efficax cōtra minus malū V. G. video pauperē, & claudo ianuam domus, ſupponens quòd poſſit aliquid auferre neceſſitate oppreſſus. Per iudicium autem diffinitiuum aliena facta in meliorem partem interpretamur. Ad noſtrum igitur propoſitum applicando, quando aliquid mali ſcribitur, aut dicitur Prælato de aliquo Religioſo poteſt Superior ſupponere illud malum, quod illi dicitur, eſſe verùm, abſque eo tamen, quòd illi vllo modo credat, vel malam opinionem concipiat de illo, immo omnino credere debet eſſe mendacium, nam alioquin faceret iniuriā ſuo proximo; vult tamen et remediū adhibere eo prorſus modo, ac ſi verùm eſſet, prouidè tamen, vt notant Caiet. & Aragon ad locum illū D. Thomę, ne cautela, aut remedium adhibitū quidquam famæ proximi noceat. Si autem velit Prælatus in hoc caſu diffinitiuè, & determinatiuè iudicare, debet in bonam partem ſumere, & excuſare, quantum poteſt, ſubditum ſuū, vel negando delictum eſſe poſſibile tali perſonæ; vel interpretando in bonam partem factū, ſi aliquo modo poteſt; vel ſaltem illi compatiendo, ſi nullo modo excuſari poſſit. Exemplum ſit in nouitijs Religionis, & iuuenibus; Hi magna cautela cuſtodiuntur, non quòd mali ſint, vel aliquid mali de illis ſuſpicetur; ſed vt eis omnis relaxationis occaſio præcludatur; ſi autem illis aliquid mali ſuccedat, excuſat illud, quantum poteſt, bonus Prælatus. Hanc doctrinam illuſtrat mirabiliter D. Chryſoſt. tom. 1. homil. de S. Suſanna, fol. mihi 1259. dicens. *Maleuolæ ſuſpiciones ſunt calumniantium; beneuolæ ſuſpiciones ſunt gubernantium. Licitū cuidam de filio malè ſuſpicari, ſed ſilio non licet calumniari. Vtique ſuſpicaris malum, ſed optas inuenire bonum. Qui beneuolè ſuſpicatur, vinci cupit, tunc enim bene lætatur, quando falſum inuentum fuerit, quod malè ſuſpicabatur.* Videantur pro hac doctrina Rodriq; de ord. iudic. cap. 9. concluſ. 6. num. 8. Ioſeph à S. Maria in tribun. Relig. tract. 3. cap. 6. §. 5. Salon ad locum D. Thomæ, propoſ. vltima.

Caietanus. *Aragon.* *D. Chryſoſt.* *Rodriquez* *à S. Maria* *Salon.*

21. No-

12. Noto 9. quòd tom. 1. Relig. q. 1. cap. 16. §. 4. dixi, quòd Visitatores non poterant visitare, nisi ab vltima visitatione. Et sic Prouincialis, qui in generali visitatione reddidit rationem suæ administrationis, non potest ampliùs super illa visitari. Quòd si Prælatus iniquè velit, non tenetur illi respondere; in idipsum enim bis iudicari non debet. Quòd si aliqui prætendant, se timore iudicis, qui fauebat parti, tacuisse, audiendi non sunt tanquam maligni; commune est enim malignātibus ad loca illa topica recurrere, vt suas malignitates inaurent. Si aliqui autem dicant, fuisse se illo tempore ægrotos, vel absentes, id priùs probandū est. Atque ita colligitur ex cap. fin. de his, qui matr. accus. poss. & docent Paris. de Puteo, de syndicatu, §. *Officialis finito*, num. 2. Rodriq. tom. 2. qq. regul. q. 42. art. 4.

Puteus. *Rodriquez.*

13. Noto 10. quòd non rectè constituuntur iudices illi, qui habent nimiam ingenij subtilitatem; sunt enim hi ordinariè inquieti, atque inconstantes, nouitatum amici, (quæ semper tristes pariunt effectus) ambitiosi valde, & suæ extollendæ famæ auidissimi. Quod probat manifestè cap. *Hinc etenim*, d. 49. vbi Gregorius hos comparat habenti grandem, vel tortum nasum, qui diuina lege olim, Leuitici 21. prohibiti erant à sacris ministerijs. Videatur Mir. de ord. iudic. q. 3. art. 11. Neque rectè illi constituuntur iudices, de quibus D. Thomas 1. contra gentes, vt refert Capistranus in spec. conscient. par. 2. num. 81. dicens. *Sunt quidam hominum tantum de suo ingenio præsumentes, vt totam rerum naturam se putent suo intellectu posse metiri, existimantes id solum esse verū, quod eis videtur, & esse falsū, quod eis non videtur. Ex quo tanto amore suas amplectūtur sententias, opiniones, & sectas, vt de contrarijs etiā nec cogitare velint, nec respicere, vel audire; de quib⁹ Salomon Prou. 18. dicit, Nō recipit stultus verba prudētiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo. Et de istis dicit Apostolus ad Roman. 1. Dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt.*

Miranda. *D. Thomas* *Capistran.*

CAP. XVII.

De forma incipiendi processum, quādo tam delictum, quàm delinquens sunt notorij.

IN nomine Domini, Amen, Anno à Christo nato 1634. die 9. Iulij. Coram adm. R. P. F. N. Ordinis N. & in Prouincia N. Prouinciali eiusque Collegis, nimirum P. F. N. & P. F. N. neq; F. N. etiam Collega, ac Notarij Vicesgerente, in Conuentu N. Ciuitatis N. personaliter comparuit P. F. Iustus, eisque dixit RR. adm. PP. denuncio vobis qualiter hodie præfata die, à prandio, hora ferè septimadecima, in publico refectorio, præsentibus omnibus Patribus, & Fratribus istius Conuentus, seu ipsorum maiori parte, F. Furibundus dolosè, scienter, ac temerè P. F. Mansueto in faciem graue vulnus inflixit, vt publicum su-binde, notorium, atque manifestum sit ab eodem F. Furibundo prædictum Mansuetum fuisse vulneratum. Id vero sic accidisse, Conuentus totus, seu maior eiusdem pars testari valebunt, vt nulla proinde hoc queat tergiuersatione celari; contraque ipsum propterea, tanquam notorium criminosum, ac delinquentem, iuris ordine prætermisso, sit procedendum. Quo circa id vobis denuncio, vt de iustitia prouidere possitis. Quo quidem audito, præfatus P. Prouincialis, cuncta eiusmodi prædicti F. Iusti chyrographo obsignanda, & subscribenda mandauit, vt re ipsa subscripsit. Acta sunt hæc in præfato Conuentu, in camera solitæ habitationis eiusdem P. Prouincialis qui statim adiuit, seu coram se accersendum curauit, prædictum Fratrem Mansuetū, cui vulnus impactum fuerat. Is verò cum aduenisset, cumque acerbo vulnere ad trium ferè digitorum longitudinem in dextera maxilla sauciatum P. Prouincialis vnà cum Collegis prospexisset, ipsum, de veritate dicenda præstito priùs iuramento, ab eoq; tactis sacris emisso, interrogauit, quisnam eam graui eum vulnere affecisset? Sic autem respondit. Cum post prandium simul cum alijs in refectorio essem, &c. Fuit verò deinde interrogatus, cur eum sic percusserit? ℞. Nescio; nisi quòd diebus elapsis in claustro rixati sumus. Tum P. Prouincialis Patres, qui aderant, statuit examinandos. Ac primo quidem vocatus P. F. N. Corrector, qui cum, de veritate dicenda præstito iuramento, iurauerit, interrogatus est, an sciat, Fratrem Mansuetum fuisse hodie vulneratum, et quo pacto id sciat. Vbi nam esset: Quanam de causa vulneratus. Et quinam tunc ibi adessent. Quæ interrogationes faciendæ sunt omnibus testibus examinandis, ita vt testes concludant, delictum fuisse notorium ratione loci, ratione temporis, & ratione personarum.

Deinde iudex accerscere debet reum, & illum interrogare, *quare sic vulnerauerit Fratrem Mansuetum. Qui, si confiteatur delictum, damnandus erit, nullo iuris ordine seruato, si autem negauerit, & delictum sit tale, in quo nulla cadat defensio, seu excusatio, neque aliqua allegetur, etiam absq; ulla dilatione ad condemnationem procedendū est, præmissa protestatione reo, quòd, cum delictum sit notorium, & negari non possit, alleget quicquid vult in sui defensionem, quia iudex vult procedere ad sententiam. Si verò reus alleget excusationem, vel, si non alleget, delictum ex se possit aliquam excusationem habere, tunc reo concedendæ sunt defensiones, nō tamen debent ei concedi dicta, neq; nomina te-*

stium,

stium, sed finito termino defensionum, statim condemnandus est per aliquod decretum receptum à Scriba. Et ab hac sententia nō potest appellari, ut diffusè probat Farin. p. 1. prax. q. 21. nu. 117. sed statim est executioni mandanda. Ita in practic. crim. Foller. rubrica. Item quod est notorius delinquens, à num. 15. Videatur Iulius Clarus in pract. crim. lib. 5. §. fin. q. 9. num. 4. & 7.

Farinaci. *Follerius.* *I. Clarus.*

1. Noto 1. quòd notorium est duplex. Vnum iuris, alterum facti. Notorium iuris est, quando aliquis in iure fatetur crimen, & de eo condēnatur. Notorium facti est illud crimen, in quo fama publica suum præbet adminiculum, & ipsa rei euidentia protestatur, ita se exhibens omnium oculis, vel conspectui maioris partis alicuius loci, vt nulla possit tergiuersatione celari. Notorium facti adhuc est triplex. Facti scilicet transeuntis, vt si quis publicè in refectorio coram Fratribus Deum blasphemasset, vel alapam alicui dedisset; licèt enim notoriū sit dictum, talia delicta commisisse; quia tamen non permanent, sed transeunt, ideo dicuntur notoria facti transeuntis. Aliud est notorium facti interpolati, vt quando quis notoriè domum meretricis frequentat; quia licèt notoria sit hæc frequentatio; quia tamen continua non est, dicitur facti interpolati. Aliud est notorium facti permanentis, vt si quis notoriè vulneret aliquem in facie, quia semper remanet in facie vulnerati cicatrix, ideo dicitur facti permanentis. Atq; ita docent Specul. lib. 3. rubr. de notor. crim. §. 8. à num. 1. Farin. in praxi, q. 21. à n. 8. Masc. de prob. conclus. 1106. & 1107. Notorium facti transeuntis plenè, & legitimè probandum est, sicut etiam notorium facti interpolati, vt dicunt Mascar. loc. cit. concl. 1108. num. 7. & 14. Specul. loc. cit. num. 11. Farinac. cit. à num. 88. 89. & 99. Notorium verò facti permanentis non est necesse, quòd probetur secundùm communissimam opinionem, quam referunt Mascar. conclus. 1108. num. 1. & Specul. cit. n. 11. & Iulius Clarus in praxi crim. §. fin. lib. 5. q. 9. nu. 5. Qui tamen ait, quòd in practica seruandum est, ne iudici moueatur quæstio in syndicatu, quòd semper notorium etiam facti permanentis probetur, examinando maiorem partem testium communitatis, qui fuerunt præsentes delicto. Ita etiam docet Foller. in practic. crim. rubric. *Item quod est notorius*, &c. num. 18. Farin. par. 1. praxis, q. 21. num. 85. Nam licèt verùm sit, quòd in notorijs non seruare iuris ordinem, est secundum iuris ordinem procedere, vt dicitur in cap. *Ad nostram*, el 3. de iur. iur. & plura ad id congerit Farinac. loc. cit. num. 60. abundans tamen cautela nunquam nocet; immo ait Farinac. cit. num. 85. id esse de necessitate.

Speculator *Farinaci.* *Mascard.* *I. Clarus.* *Follerius.* *Farinaci.*

2. Noto 2. quòd ad faciendum delictum notorium facti, tria requiruntur. Primum quòd fiat in loco publico, in quo soleat conuenire communitas. Secundum quòd quando committitur delictum, adsit maior pars illius communitatis, in qua committitur, aut decem personæ, aut saltem tres, vt dicunt alij; Quod vltimum admitto in Conuentibus paruis, in quibus non est magnus numerus Fratrum; nam ad faciendum delictum notorium, respiciendum est ad maiorem, vel minorem numerum personarum in illa communitate existentium, vt docet Farin. par. 1. praxis, q. 21. nu. 45. licèt contrarium dicat num. 49. quòd scilicet vbi non adest numerus decem personarum non potest ibi esse notorium, sed primum dictum mihi magis placet. Tertium quòd requiritur ad faciendum notorium, est, quòd delictum committatur de die, nam si committatur de nocte, non possunt homines bene videre. Ita Specul. lib. 3. de notor. crim. §. 8. à num. 5. qui num. 6. addit, quòd iudicis arbitrio relinquitur, quando quid dicatur notorium, cum non sit in iure expressum; quem sequuntur Farinac. cum multis loc. cit. nu. 48. & Mascar. de prob. concl. 1106. n. 18. qui iudex iuxta facti, loci, temporis, personarum interuenientium quantitatem, numerum, & qualitatem iudicabit, delictum esse, vel non esse notorium.

Speculator *Farinaci.* *Mascard.*

3. Et aduerte, quòd ad hoc, vt iudex possit procedere per viam notorij, non est necesse, quòd testes dicant, delictum illud nullam admittere excusationem, quia vulneratus non prouocauit, neq; verbis, neq; factis, sed sufficit, quòd notoriè constet de ipso delicto principali, vt probat Farin. loc. cit. num. 51. Aduerte etiam, quòd si reus sit absens, debet citari, & ad processum, & ad sententiam; si verò sit præsens, monendus est, vt producat quicquid habet ad sui defensionem. Ita Clarus in practica crim. lib. 5. §. fin. q. 9. nu. 4. Farin. loc. cit. n. 68. & 69. licet alij citationem ad processum dicant non esse necessariam. Farinac. num. 66. prout declarat num. 70.

4. Noto 3. quòd ad probandum notorium sufficiunt duo testes, vt probant Clarus in pract. crim. lib. 5. §. fin. q. 9. n. 6. Specul. lib. 3. rubric. de notor. crim. §. 8. num. 17. & 20. Farin. loc. cit. nu. 109. Qui testes debent testificari non de auditu, sed de visu, scilicèt, quod erant præsentes, & viderunt crimen, de quo testificantur, & quòd ibi erat maior pars communitatis, quæ idem, quod ipsi, videre potuit; alioquin non probarent delictum esse notorium. Ita Specul. loc. cit. num. 17. Farin. num. 105. Mascar. de prob. conclus. 1106. nu. 19. & 20. licèt alij, quos referunt Farin. num. 107. & Mascar. num. 21. dicant, non esse necesse, quòd deponant, se vidisse factum, sed sufficere, quòd deponant, se vidisse populum præsentem facto.

Clarus. *Speculator.* *Farinac.* *Mascard.*

5. Noto 4. quòd antequam iudex procedat per modum notorij, debet declarare in processu delictum esse notorium, & per hoc quòd intendit in eo procedere per viam notorij; hoc autem non potest declarare, nisi priùs examinet duos testes, qui de notorio deponant. Ita Clarus lib. 5. §. fin. q. 9. num. 8. Hæc tamen sententia declaratoria non est necessaria in notorio facti permanentis, neq; in notorio delicto facto coram iudice, vt ait Balard. ad dictum locum Clari, num. 8. sed tamen Farin. loc. cit. semper putat esse necessarium, siue per reum negetur notorium, siue non; sed præsertim quādo reus notorium negat; Farin. cit. q. 21. nu. 116. Videatur Foller. in pract. crim. rubric. *Item quod est notorius delinquens*, num. 14. Vilagut. in practic. crim. lib. 3. tit. de modo proced. in crimin. notor. cap. vnico, conclus. 4.

Clarus. *Balardus.* *Follerius.* *Vilagut.*

6. No-

6. Notò 5. quòd quando reus examinatus in delicto notorio, non debet examinari dubitatiue, an scilicet commiserit tale delictum, sed assertiuè, scilicet, Notum est, quòd commisisti tale delictum, cur illud commisisti? Sic Rex Abimelech interrogauit Isaac dicens, Gen. 26. *Perspicuum est, quod uxor tua sit, cur mentitus es eam sororem tuam esse?* Sic Moyses Exodi 32. dixit ad Aaron. *Quid fecit tibi populus hic, quia induxisti super eos peccatum magnum?* Sic Samuel 1. Reg 13. dixit Saul, qui publicè obtulerat holocaustum. *Quid fecisti?* Sic Heli 1. Regum 2. filijs suis dixit, *Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo?* Ita Lucas de Peona in leg. *Quoties*, colum. 8, Cod. de dignit. lib. 12. Foller. in pract. crim. rubrica. *Item quod captus est in flagranti*, nu. 12.

Penna. Follerius.

CAP. XVIII.

De forma procedendi contra reum delinquentem coram iudice pro tribunali sedente.

IN nomine Domini, Amen. Anno à Christo nato 1634. die 10 Iulij. Coram R. adm. P. F. N. Ordinis N. Prouinciali in Prouincia N. pro tribunali sedente, atq; vnà cum suis Collegis Fratrem impium in, & super causa, de qua in actis examinante, Impius ipse Dei, ac superioris ibidem præsentis timore postbabito, Deum, & B. V. blasphemauit, seu alapam Fratri Facundo Collega nostro, vel eius aduersario, &c. impegit. Super quibus idem P. Prouincialis de iustitia volens prouidere, vocauit primò præfatum F. Impium, eum interrogauit, cur sic blasphemauerit, &c.

Si ipse fateatur, statim condemnetur ad pœnam, & iudicium finiatur. Si neget, statim examinentur testes, qui viderunt, vel audierũt eum blasphemantem, cum iuramento coram ipso reo, &, illis examinatis, reus condemnetur; Et testes debent concludere, quòd viderunt, vel audierunt dictum Impium blasphemantem, vel alapam dantem coram Iudice, & eius Collegis sedentibus pro tribunali, & debet fieri condẽnatio, antequam reus discedat à tribunali, & præsentia Iudicis, aliàs non posset condemnari absq; citatione ad sententiam, & à tali condemnatione non potest appellari, nisi fuerit nimis seuera. Atq; ita docent Penna loc. cit. colum. 8, Foll. loc. cit. rubric. *Item quod est notorius delinquens*, num. 27. Paris de Puteo de syndicatu, verb. *Notorium iudicij*, num. 6. tom. 7. tract. folio 189. Farin. par. 1. prax. q. 21. num. 159. qui num. 158. multos Doctores citat, dicentes, quòd eo casu potest iudex absq; vlla probatione procedere, & delinquentem punire, non solùm quando aliquem afficit iniuria, sed etiam quando falsum testimonium testis dicit, aut actor falsos producit testes, &c.

Penna. Follerius. Puteus. Farinacius.

Si verò delinquens coram Iudice, delinquat extra suum tribunal; tunc debet procedere secundùm ordinem iuris; Farin. loc. cit. à nu. 161. Villagut in praxi, lib 3. tit. de modo proced. in iud. quando reus deprehensus est in flagr. conclus. 7. Iulius Clarus in pract. crim. lib. 5. §. fin. q. 8. num. 5. Dicunt tamen Clarus cit. & Farin. num. 163. quòd hoc casu potest Iudex absq; querela, denunciatione, seu diffamatione inquirere de delicto commisso ratione officij, & poterit incipere processum hoc modo.

Vilagut. I. Clarus.

IN nomine Domini, Amen, anno, &c. Cum hodie mane coram Adm. R. P. F. N. Prouinciali N. & alijs Fratribus in claustro Conuentus N. Ciuitatis N. F. Impudens ausus sit Fratrem Bonum percutere, prædictus P. Prouincialis ex pastoralis officij munere de iustitia cupiens prouidere, P. F. N. qui aderat, coram se iussit accersendum, ac de veritate dicenda præstito iuramento, &c. interrogatus est, viderit ne à F. Impudente F. Bonum mane fuisse percussum. Et sic de reliquis.

1. Sed pone, quòd quis Deum blasphemet coram Notario, & Iudice tantùm sedente pro tribunali, & nullus adsit testis, & Notarius de mandato Iudicis scribat, illum coram se blasphemasse, poterit ne puniri? Negat Foller. in practic. crim. §. *Item quod est notorius*, &c. nu. 29. Affirmant verò Specul. lib. 3. rubr. de notor. crim. §. 8. nu. 14 Paris de Puteo de syndicatu, §. *Notorium iudicij*, num. 6. & 14. cum turbet iste iudicium, & offendat Iudicis maiestatem, ac aures eius aggrauet; ad dicta cap. 1. de offic. deleg. iuncta glossa, Bar. in l. *Si quis obrepserit*, ad leg. Corn. de fals. l. *Nullum*, Cod. de test. Fauor iudicij, visio Iudicis, odium delinquentis faciunt, vt putem, istum non esse sine pœna dimittendum.

Follerius. Speculator. Puteus.

CAP. XIX.

De forma incipiendi processum contra repertum in flagranti.

IN nomine Domini, Amen Anno à Christo nato 1634. die 11. Iulij, Coram Adm. R. P. F. N. Ordinis N. Prouinciali N. existente in sua cella in Conuentu N. cum suis Collegis, scilicet P. F. N. &c. comparuit P. F. Astutus cum P. F. N. & P. F. N. dixeruntq; P. Prouinciali, ac suis Collegis RR. Adm. PP. denunciamus vobis, qualiter hodie paulò ante vesperas in Conuentu N. in inferiori claustri parte, quæ ad ianuam ducit, deambulantes Fratrem Impurum Oblatum vidimus, qui adolescentulam quamdam aspectu decoram exosculans, amplexans, & inhonestè tangens, ad nefas pertrahere satagebat, Propiùs autem nos accedentes, acriter eum de tam impudenti scelere obiurgauimus. Quod quidem crimen cum eiusmodi sit,

ut ue-

ut nequeat impunè absq; maxima Dei offensa dissimulari, nobis illud ea propter denunciamus, quò de iustitia prouideatis, prout uobis in Domino satiùs uidebitur expedire. Datum, &c. In Conuentu N. &c.

Quo sanè audito, P. Prouincialis, suorum Collegarum prahabito consilio, iuridicas super eo delicto sumere statuit informationes. Atq; ita, de ueritate dicenda prauio iuramento, prædictum F. Astutum interrogauit, an quæ deposuit, uera sint. Et an alij ibi testes, præter supradictos, adessent. Respondit, ea uera esse, ac præter supradictos, inibi etiam N. N. adfuisse. Qui omnes uocati, ac interrogati, uiderint ne prædictum Fratrem Impurum exosculantem, &c. debent in suis responsionibus singillatim concludere, quòd uiderunt, & fuerunt præsentes, quando F. Astutus cum alijs illum reprehenderunt de facto, in quo illum repererunt.

Quibus sic examinatis statim uocari debet dictus F. Impurus, & præuio iuramento de ueritate dicenda, est interrogandus, cur tale delictum cum tanta ignominia commiserit? Si affirmauerit, scripta eius depositione ipsius manu firmata, Iudex statim eum condemnet, antequam ex illius conspectu recedat, ut dictum est supra de delinquente notorio, & peccante coram iudice, & sententiam exequatur. Si autem delictum, in quo repertus est, quis in flagranti, possit aliquam excusationem admittere, v. g. si quis uulnerauit aliquem ad se defendendum, uel quia ab eo fuit grauiter iniuriatus, tunc licèt delictum confiteatur, antequam proferatur sententia, debent illi dari defensiones cum breui termino ad illas producendas.

Si autem reus neget delictum, testes iam super flagrantia delicti recepti confrontantur cum ipso, & si Iudex ex eorum depositione illum conuictum conspiciat, dato ei termino ad se defendendum, si in termino nihil releuãs adducat, condemnetur; si autem delictum non sit plenè probatum, quia testes non directè, & immediatè concludunt super delicto, sed super aliquo actu extraneo, puta fuga, uel ligatione femoralium, &c. tunc reus absq; alia dilatione est tortura religiosa torturandus. Quòd si post torturam fateatur delictum, debet sequenti die ratificare; si persistat in negatione, non potest ordinaria pœna puniri. Si uerò delictum sit plenè probatum, & reus conuictus, secundum aliquos potest adhuc torqueri, ad sciendum complicem, & delicti qualitates, quando delictum est tale, quòd sine complice fieri non potest, cum expressa protestatione, quòd id fiat citra præiudiciũ plenæ probationis. Quãdo autem delictum tale est, ut qualitates aggrauantes in infinitum non habeat, nec complicem necessariò admittat, iniquum est reum torturare. Sed ego puto, quòd non possit conuictus de crimine interrogari de complice occulto, qui non laborat infamia, nisi quando delictum perfectè aliter intelligi non potest, seu quando delictum pendet in futurum, & est in damnum communitatis, aut tertij. Probatur ex cap. Cum Monasterium, de confessis; Cap. Veniens, de testib. cap. Nemini, 15. q. 3. Ita Thomas à Iesu de uisit. Regul. tract. 3. cap. 8. num 6. Sanch. lib. 6. consil. c. 3. dub. 22 quem uide dub. 2. si uis scire ex eo, quæ crimina sunt contra communitatem, ego dixi supra. An reus possit interrogari de complicibus occultis, uide Salon 2. 2. q. 69. art. 2. cõtrou. 8. tit. An reus possit interrogari de complicibus; P. Nau. lib 2. de restit. cap. 4. n. 172. — Th. à Iesu. Sanchez. Salon. P. Nauar.

Si verò reus ita captus in flagranti delictum neget, & alleget testes, & eos, qui eum in flagranti cœperunt, tanquam inimicos, debes causam inimicitiæ afferre, & eam probare; quam si non probet, est condemnandus. Atq. ita docent de huius capitis materia Foller. in pract crim. rubr. Item quod captus est in flagranti, nu. 12. Clarus in pract. crim. lib. 5. §. fin. q 8. à nu. 2. Vilagut in pract. crim. lib. 3. tit. de mod. proc. quando reus deprehensus est in flagranti, conclus. 2. Farin. in pract. crim. par. 1. q. 31. à num. 149. — Follerius. Clarus. Vilagut. Farinacius.

1. Noto 1. quod contra repertum in flagranti delicto, cum de delicto legitimè constat, & reus illud fatetur, procedi potest sicut contra delinquentem notorium, nullo iuris ordine seruato. Ita Farin. loc. cit. num. 133. 134. & num. 155. Foller. loc. cit. a num. 2. Ille autem dicitur captus in flagranti, qui in ipso actu deprehensus est, vel ille, qui deprehenditur antequam veniat ad locum destinatum, vel qui deprehensus est, cum latitaret, non multum longè post delictum, alio actu extraneo in medio non interueniente, V. G. furatus est quis alicui pileum in sua cella, si ille statim, arrepto pileo, capiatur non longè à cella, in qua illum surripuit, dicitur captus in flagranti; si autem capiatur longè multùm à dicta cella, vel postquam pileum deposuit, & aliquid aliud fecit, tunc non dicitur captus in flagranti. Ita Foller, loc. cit. num. 9. Farin. num. 156.

2. Noto 2. quòd qui capiunt delinquentem in flagranti crimine, sunt idonei testes contra eum, quando per alios probari non potest, & dictis testibus aliud non obstat; Foller. loc. cit. num. 7. Farin. num. 157.

3. Noto 3. quòd reum repertum in flagranti crimine potest non solum offensus, sed quilibet priuata persona capere, & vinctum ad Iudicem proprium deferre, & non solùm potest Religiosus confratrem sic in flagranti captum ad proprium Superiorem deferre, sed etiam quilibet secularis, seu Religiosus alterius Religio-

Folleriu; Farinac. Abbas. Barbosa. Diaz. Salzedo,

ligionis, siue Clericus secularis, Ita Foller. loc. cit. num.6. Farin. num. 140. & 141. Abbas in cap. Cum non ab homine, de iudic. a num. 12. vbi Barbos. cum multis nu. 12. Dias in pract. crim. cap. 125. num. 3. vbi Salzedo lit. D.

CAP. XX.

De forma, qua redditur à Prælatis testimonium professionis alicuius Fratris.

DIE 2. Aprilis anno 1634. Frater N. de N. Clericorum professionem in Conuentu N. Ordinis N. præ manibus R. P. F. N. publicè emisit, Correctoris officio fungente R. P. F. N. idq; mane, solemni missa expleta, hora circiter 15. in eiusdem Conuentus Ecclesia ante maius altare Fratribus astantibus. Nos infrascripti Corrector, & Seniores Conuentus N. Ordinis N. fidem facimus, nec non omnibus, ac singulis attestamur, præscriptum exemplar professionis Fratris N. ex originali codice, omnium Religiosorum huiusce Conuentus professiones complectente, fideli calamo extractum, ac depromptum fuisse. In quorum fidem &c.

1. Noto 1. quod Clemen. VIII. pro vt habes tom. 2. nostr. priu. in constit. 10. Vrbani VIII. §. 102. præcepit, vt Superior cuiuslibet Conuentus, in quo nouitiatus fuerit constitutus, habeat particularem librum, in quo vniuscuiusq; nouitij professio registretur, illamq; nouitius professus manu propria, & duo testes, qui præsentes fuerint, subcribant; Conuersus verò scribendi ignarus, professus, in eorumdem testium, qui se teneantur subscribere præsentiâ, propria manu signum Crucis apponat. Qui liber debet asseruari, & custodiri in archiuio, vbi scripturæ ad Conuentum pertinentes reponuntur. Vide omnino pro ista forma, quæ dico tom. 3. priuileg. cap. 12. num. 6. & cap. 2. num. 33. & 34.

2. Noto 2. quòd Vrbanus VIII. fecit decretum circa eos, qui prætendunt nullitatem professionis ex eo quod non fecerunt nouitiatum in locis designatis ab Apostolica Sede tenoris sequentis.

S. D. N. Vrbanus diuina prouidentia Papa VIII. Ad occurrendum motibus, qui possent in Religionibus oriri occasione receptionis nouitiorum, & professionis per eos emissæ in Conuentibus non designatis contra formam decretorum San. M. Clementis VIII. de nouitijs ad habitum regularem, & professionem non admittendis nisi in Conuentibus designatis, audita super hoc sententia S. Congregationis Concilij, declarauit, ac decreuit, huiusmodi receptos, & professos contra formam dictorum decretorum; allegantes propterea nullitatem receptionis, & professionis, non posse super huiusmodi nullitate post lapsū quinquennij quoquo modo audiri.

Quòd si aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti, & professi, à Religione infra quinquennium exire, uel Superiores extra tam respectiuè illos eijcere uoluerint, eadem Sanctitas sua decreuit, vt tam ipsi professi, quàm Superiores respectiue teneantur iura, quæ sibi fauere visa fuerint, priùs deducere coram eadem S. Congregatione, quæ ex speciali etiam Suæ Sanctitatis facultate, super hoc concessa, prouidebit.

Inhibens propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & prælatis inferioribus iurisdictionem exercentibus, ac quibuscunque Iudicibus Ordinarijs, & delegatis, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus etiam de Latere Legatis, Sedisque Apostolicæ Nuncijs, ne in posterum in hoc quoquo modo se ingerant, absq; speciali eiusdem Sanctitatis Commissione sub pœna ipso facto incurrenda quò ad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates, interdicti ab ingressu Ecclesiæ, quò ad Abbates, Prælatos inferiores, ac alios Iudices prædictos excōmunicationis latæ sententiæ; quò verò ad Nuncios, & S. R. E. Cardinales, etiā de Latere Legatos, indignationis suæ Sāctitatis, & pœnarum arbitrio eiusdem imponendarum.

Si verò ydem vt supra recepti, & professi, iuribus suis minimè deductis corā S. Cōgreg. Concilij, & sine illius expressa licentia, è Religione exire, vel Superiores Religionis eos eijcere ausi fuerint; ipsi recepti, & professi tanquam Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur, nec non contra eosdem iuxta formam decreti de Regularibus Apostatis, & eiectis eiusdem Sanctitatis suæ iussu ab eadem S. Congregatione sub die 21. Septembris 1624. editi procedatur; & superiores, qui eiecerint pœnam suspensionis à diuinis, necnon priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, uocisq; actiuæ, & passiuæ ipso facto, absque alia declaratione incurrant. Datum Romæ die 1. Ianuarij 1636. F. Cardinalis Verospius. Franciscus Paulutius S. Congregationis Secretarius. Quod quidem decretum R. A. P. F. Raphael Pizzurnus Ordinis nostri Zelosus misit Adm. R. P. F. Gabrieli Pizzurno Prouinciali nostræ Genuensis Prouinciæ ad hoc, vt publicari illud faceret in singulis Conuentibus suæ Prouinciæ, quòd fecit hoc āno 1636 à die 9. Februarij.

CAP. XXI.

De forma instituendi Protectorem, seu Procuratorem alicuius Conuentus.

FRATER *N. Ordinis* N. *& in Prouincia N. Corrector Prouincialis. Dilecto nobis in Christo N. salutem &c. Cultui Diuino dediti, atque in lege Domini die, ac nocte meditari debentes Religiosi claustrales, his inferioribus si vacent, ab altioribus se se, suoque statui conuenientioribus agnoscuntur præpediri; id enim est, quod illis præcipiebat Apostolus,* Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. *Quæ quidem regularis disciplinæ incommoda diuino afflatus spiritu præsentiscens B. P. N. ne tantillum sui instituti Sectatores, ab ijs, quæ sunt, mentis oculos auerterent, Procuratores, seu Protectores in singulis sui Ordinis Conuentibus per Prælatos mandauit iure optimo instituendos. Nos igitur, qui humeris licèt imparibus, huius prouinciæ pondus sustinemus, vt tam salutare Ordinis nostri præscriptum eò diutiùs vigeat, quò sæpiùs fuerit discretè, ac prudenter executioni mandatum, de tua erga nos beneuolentia, & ad Ordinem nostrum singulari deuotione, prudentia quoque, dexteritate, rerumque gerendarum experientia, morum etiam rectitudine adamussim edocti, harum serie, ac vt te in nostri* Conuentus N. *Procuratorem, Protectoremque eligimus, constituimus, facimus, ac nominamus; plenariam tibi, hoc Procuratoris, seu Protectoris officio in Religionis nostræ, & præfati potissimum Conuentus vtilitatem, ac decus perfungendi auctoritatem impertientes. Quod sanè munus, vt lætiori fronte suscipias, & exequaris (vltra centuplum, quod dabit iustus Iudex) ad omnium te priuilegiorum, & gratiarum, quæ nostri Ordinis Procuratoribus ab Apostolica Sede impertiuntur, aliorumque itidem spiritualiū bonorum, quæ per vniuersos eiusdem Ordinis Fratres, ac Sorores præstari, benignè concesserit ipse Iesus, participationem, communionemque libentissime admittimus, & cooptamus. Datum &c.*

1. Noto 1. quòd Iulius II. vt habes tom. 1. nostr. priuileg. in eius constit. 1. §. 39. concessit Procuratoribus, & Procuratricibus nostri Ordinis, ac eorum liberis procreatis, & procreandis indulgentiam plenariam semel in vita, ac semel in morte. Item illis concessit, quòd dicendo quinque Pater noster, ac totidem Aue Maria ante altare maius cuiuslibet Ecclesiæ, consequantur omnes illas indulgentias, quas consequuntur præsentialiter visitantes Ecclesias Vrbis, tam intùs, quàm extra in diebus stationum. Martinus IV. concessit dictis Procuratoribus singulis annis indulgentiam centum annorum; Casarub. in comp. verb. *Indulgentia* quò ad seculares 4. num. 3.

2. Noto 2. quòd dicti Procuratores gaudent, & participant omnibus bonis operibus, quæ fiunt per vniuersum Ordinem nostrum. Ita concessit Iulius II. tom. 1. priuil. cit. in eius constit. 4. & hoc eo ipsò, quòd eliguntur à Prælatis in Procuratores, absq; eo quòd illis dentur participationes à Generali. Quare statutum factum pro nostro Ordine in Cap. Barcin. 3. quòd nullus, præter Generalem, possit literas participationis concedere ad summum intelligitur directè. Nam Procuratores constituuntur à Prouincialibus, & eo ipso fruuntur singulis bonis operibus Religiosis.

3. Noto 3: quòd Procuratores nostri in casu, quo contingeret ferri excommunicationem, vel interdictum in terris, in quibus resident, non afficiuntur dictis censuris, nisi illis causam dederint, aut dantibus consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint, iuxta moderationem priuil. Mendicantium, factam in Concil. Later. à Leone X. quam habes tom. 1. nostr. priuil. in constit. 26. Leonis X. §. 20. vel nisi fuerint specialiter excommunicati, vel interdicti, vt concessit Alexan. VI. tom. 1. nostr. priuil. in constit. eius 4. Atque ita tempore interdicti possunt dicti Procuratores admitti ad audienda diuina in nostris Ecclesijs. Neque hoc est contrarium Trid. sess. 24. de refor. cap. 11. Nam dicti Procuratores non per hoc desinunt Ordinarijs subijci, cum possint ab ijs specialiter excommunicari, & interdici, si interdicto causam dederint, &c. solùm non includuntur in sententijs generalibus. Et aduerte, quòd hic nō loquor de illis Procuratoribus, qui sunt continui Fratrum commensales; nam hi maiora habent priuilegia, sed de alijs quibuscunque, Conuentus, & Religionem fouentes, & adiuuantes.

LITERA Q.

Cap. vnicum.

De forma mittendi Religiosos Fratres ad quæstuandum.

FRATER *&c. Tibi, &c. Egentissimo Conuentui nostro* N. *cui licèt immeriti præsidemus, ex iniuncti nobis pastoralis officij debito, prouidere cupientes, tibi supradicto præcipimus, vt ad conquirendas pro eodem Conuentu piorum fidelium eleemosynas te conferas. R. Adm. Parochialium ecclesia-*

rum

rum Curatos; ac Rectores, necnon cuiusuis Ordinis Religiosos, tum Superiores, quàm subditos, quos adire contigerit, exorantes, vt te humaniter excipere, benigneq; hospitari, & maiori, quo poterunt, studio suis te respectiuè populis commendare dignentur, quò ij de sibi concessis à bonorum omnium largitore Deo quidquam valeant erogare. Serió namq; diuinam benignitatem iugi prece à nobis inuocandam pollicemur, vt quorum officia, opem, liberalitatemq; senserit nostra Religio, eos centuplo ditet hac in vita, aeternùmq; beet in futura. In quorum fidem, &c.

1. Nota pro hac forma, quæ dixi tom. 1. prin. in constit. 4. Sixti IV. à num. 4. & tom. 3. dict. prin. cap. 2. num. 41.

LITERA R.

CAP. I.

De forma recusandi Visitatorem.



CORAM R. Adm. P. V. proponit Frater N. & dicit contra personam R. Adm. P. V. quòd cum F. N. aduersarius suus, vester existat consanguineus, vel familiaris, &c. ex huiusmodi causa est vehementer suspecta. Cum verò periculosum sit, coram iudice suspecto causam dicere, ratio dictat, vt P. V. vestrumq; iudicium recuset. Eiusmodi autem suspicionis causam coram arbitris, quos vna cum aduersario communiter eligere paratus est offert, ac spondet se probaturum. Quòd si ea in electione minimè poterint conuenire, ipse nominat N. eligitq; pro parte sua. In quorum fidem, &c.

1. Nota, quòd hæc forma procedit quando Iudex est ordinarius, vel delegatus sine Socio, & pars habet aduersarium. Si verò est delegatus habens Collegam, & dati sunt cum clausula, *Quòd si ambo interesse non possunt*, tunc, cum coram Collega probanda sit exceptio recusationis; dicat excipiens, *Et causam suspicionis huiusmodi coram Collega vestro legitimè probaturum se offert*. Si autem non habet reus partem, dicat. *Coram, &c. Frater N. & dicit, quòd cum P. V. sit illius inimicus, vel in alia causa ab ipsa appellauerit, &c. vt probaturum se offert coram arbitris, &c.*

CAP. II.

De eadem forma, quando tota Prouincia vellet Visitatorem recusare.



CORAM R. Adm. P. V. eiusq; Collegis comparent P. F. N. Prouincialis N. illius Collegæ, necnon eiusdem Prouinciæ Correctores, ac Definitores, & tam proprio, quàm communi nomine tanquam totam representantes Prouinciam, ipsius etiam nomine dicunt, quòd cum P. V. sit eius nationis inimica, ex hac causa, alijsq; deducendis suspecta redditur vehementissimè. Cum verò periculosum sit valde, coram suspecto iudice causam dicere, recta ratio dictat, vt P. V. vestrumq; recusent iudicium. Eiusmodi autem suspicionis causas, inimicitiaq; coram competentibus iudicibus de iure eligendis, offerunt, ac spondent se probaturos. Sic dicunt, & non hoc tantùm, sed & omni alio meliori modo, via, & forma, quibus de iure possunt, recusant. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. pro ista materia recusationis, quæ dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 19. cum §§. sequen. Vide etiam Ghisl. de iud. regul. cap. 14. Aldr. de disciplina, lib. 2. cap. 22. num. 33. Mans. de modo proced. in causis Regul. cap. 16. num. 4. Ioseph a S. Maria in tribun. Relig. tract. 4. cap. 10. Mirand. de ord. iudic. q. 21. ar. 2. conclus. 9. Et stiam, quòd non est necesse recusationem fieri in scriptis, cum ius id non exprimat, cap. *Cum speciali*, de appell. Portel. p. 1. casuum, casu 22. num. 6. debet tamen necessario in ea exprimi causa, vt dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 19. §. 1. & dicit Portel. loc. cit.

Ghisleri⁹. Aldrete. Mansus. A S. M. Miranda. Portel.

2. Noto 2. quòd recusatio debet fieri antequam visitatio incipiat, cap. *Quod suspecti*, §. *Ex re vera*, 3. q. 5. Si verò post causæ initium, ante illius tamen conclusionem orta fuerit suspicionis causa, poterit reus tunc etiam iudicem recusare, cap. *Insinuante*, de offic. deleg. Immo quòd in omni parte causæ possit recusatio fieri, docet Couarr. practic. quæst. cap. 26. num. 2. Quæ enim de nouo emergunt, nouo indigent auxilio; l. *De ætate*, §. *Ex causa*, ff. de inter. actio. Ita Ioseph à S. Maria loc. cit. §. 3.

Couarruu.

3. Noto 3. quòd Episcopus in visitatione generali non potest tanquam suspectus recusari. Ita declarauit Paulus V. & Sacra Congreg. Concilij apud Barbos. de potest. Episc. alleg. 73. num. 38. Ex quo aliqui faciunt argumentum, vt Portel p. 1. casuum, casu 22. num. 4. quòd neq; in dicta visitatione possunt recusari Generales, & Prouinciales Regularium. Sed meo videri hic non valet argumentum ab Episcopo, ad Generalē: nam hæ declarationes sunt odiosę, vtpotè vulnerantes iuris naturalis; vnde nō videntur posse extēdi. Et licèt Generales, & Prouinciales habeant auctoritatem quasi Episcop. vnde videtur posse eodē iure censeri,

Barbosa.

 Id ta-

tamen est verum in ijs, quæ fauorem subditorum concernunt, non in ijs, quæ odium. Nec obstat illa clausula posita in dicta declaratione Pauli V. quam referunt Barbos. & Portol. *Declaramus, Episcopum, vel alium, cui id legitime competit, visitantem, non posse vt suspectum recusari*. Nam per illa particulam, *vel alium*, potest intelligi Archidiaconus, Decanus, Legatus, &c. quibus ius visitandi competit, vt Azor. 2. p. lib. 13. cap. 30. Sed dato, quòd liceret argumentari ab Episcopis ad Generalē, &c. intellige tamen, quòd nō possunt dicti Generales, & Episcopi recusari, quando procedunt via inquisitionis, & ad morum correctionem, ac emendationem pœnis extraordinarijs vtuntur, absq; fabricatione processuum, generali sola inquisitione contenti, non tamen si procedant via denunciationis, aut specialis inquisitionis; nā tunc mutatur forma iudicij, vnde debent etiam mutari iura. Ita sæpius declarauit Sacra Congregatio apud Barbos. loc. cit. fine. Barbosa:

4. Noto 4. quòd arbitri eligendi in causa recusationis possunt esse alterius Religionis, vt habet communis stylus omnium ferè Religionum. Et potest probari ex cap. *Pastoralis*, de offic. iudic. ordin. §. *Ad quod*, ibi, *ipsum ad suscipiendam delegationem huiusmodi compellere nequis inuitum*, &c. Quod tamen intellige, nisi constitutionibus regularibus aliter cautum sit.

CAP. III.

De forma rehabilitandi Fratres priuatos.

F*RATER, &c. Tibi &c. Oblata nobis nuper pro parte tua petitionis series continebat, quòd cum aliàs, humana fragilitate ductus, contra votum vitæ quadragesimalis carnes comedisses, meritoq; fuisses ad Regulæ nostræ præscriptum iure primogenituræ, vocisque actiuæ, & passiuæ perpetuò priuatus, eandemque à te humiliter susceptam pœnitentiam per triennium iam æquo animo sustinueris, super ea. vt tecum per nos dispensaretur humiliter postulabas. Nos igitur satis edocti, quàm te peccati eiusmodi pœnituerit, quàm ob illud sæpiùs ingemueris, quamque alacriter, ac promptè impositam pœnam persolueris, votis tuis annuere cupientes, generalis Capituli N. proximè celebrati auctoritate, ad omnes te, ac singulas nostri Ordinis gratias, beneficia, prærogatiuas, & suffragia, ad vtramque etiam vocem, ac ius primogenituræ, ad omnia alia demum, & quæcunq; à quorum exercitio, ob præfatum crimen, iuxtà R. P. N. Ordinis nostri olim Generalis vel Prouincialis, sententiam, ac declarationem amotus, ac præpeditus fuisti, recipimus, ac restituimus, receptumque etiam, ac restitutum harum serie te volumus, ac decernimus. In quorum fidem, &c.*

CAP. IV.

De eadem forma.

F*RATER, &c. Tibi, &c. Honestis petentium precibus libenter annuimus, easq. ad gratiam exauditionis admittimus, cū in Domino cernimus salubriter expedire. Cum ob fugam igitur iam tertiò arreptam. actiua, & passiua vocibus, ac iure primogenituræ priuatus fueris. Nos humilitate, correctioneq; tua, quam exhibes, attenta, quò imposterum valeas Religioni obsequia persoluere alacrius, constitutionum nostrarum, seu generalis Capituli N. proximè celebrati auctoritate, hac in parte nobis specialiter concessa, ad omnes te, & quascunq; nostri Ordinis gratias, vocemq. actiuā, & passiuam ac primogenituram per præsentes restituimus, & habilitamus, sicq; restitutum, & habilitatum esse volumus, ac decernimus de gratia speciali. In quorum fidem. &c.*

1. Noto 1. quòd quando quis vult rehabilitari, debet in libello supplici, quem præsentat Prælato, exponere cum suis circumstantijs, causam propter quam fuit priuatus; alioquin rehabilitandus non est. Ita deciditur pro Ordine nostro in cap. Barcinon. 1. num. 28. & in Valent. 5. num. 24. In quo specialiter mandatur, quòd si quis fuerit priuatus per fugam, debeat exprimere numerum fugarum, quas fecit; Prælatus autem non nisi causa cognita, & habita certa relatione de emendatione delinquentis, potest gratiam rehabilitationis concedere, iuxta decretum Trid. sess. 25. de refor. cap. 18. Ita statuitur pro Ordine nostro in Cap. Genuens. 5. num. 30. & dicitur expressè in nostro Correct. num. 36. & num. 51. Valquia:

2. Noto 2. quòd Superiores non possunt rehabilitare Fratres priuatos per Regulam, aut cōstitutiones, nisi id sibi specialiter concedatur ab ipsa Regula, aut constitutionibus: nam Prælati supra Regulam, aut constitutiones auctoritatem non habent. Ita docent multi Doctores, quos cito tomo 1. Relig. q. 1. cap. 8. §. 5. Voco autem priuatos per Regulam, quando sunt priuati secundùm pœnam taxatam in Regula, seu potiùs quando declaratum extitit, ipsos in pœnam Regulæ incidisse, per quoscunq; tandem Superiores id fiat. Dico etiam Regulam, & constitutiones specialiter concedere auctoritatē rehabilitandi, quando eā cōcedunt Capitulis generalibus, aut Prouincialibus; quæ quidem Capitula deinde traditam sibi à legislatore facultatem specialiter communicant aliquibus Superioribus, puta Generali, aut Prouincialibus.

3. Et aduerte quòd in Ordine nostro Generalis habens facultatem rehabilitandi Fratres, non potest eam suo Vicario generali, etiam cū plenaria potestate instituto, communicare; per textum expressum Cap. generalis Genuæ 6. nu. 31. Dixi, Priuatos per Regulā, aut constitutiones. Nā si quis fuisset priuatus à Generali,

vel

vel Prouinciali propter delictum non contentum in Regula, tunc posset Superior, qui priuauit, illum rehabilitare, cum illius sit absoluere, cuius est innodare; l. 3. ff. de re iudic. l. *Nemo*, ff. de regul. iur. cap. *inferior*, d. 21. Et in Ordine nostro in cap. Gen. ien. 4. num. 11. Sed tunc aduerte, quod si priuatio facta sit à Generali, vel Prouinciali cum suis Collegis, non potest ipse Generalis, vel Prouincialis per se solus rehabilitare absque dictorum Collegarum consensu, prout definitum est in cap. generali Romæ 6. celebrato, me præsente, licet incuria Scribæ hoc non fuerit in dicto Capitulo notatum. Sed verum est, quod dixi, & dubium fuit propositũ a Patre Honorato Sigaudi Collega generali Gallo, qui adhuc viuit in Conuentu SS. Trinitatis de Vrbe. Et est iuri, ac rationi consonum.

4. Noto 3. circa illam clausulam, *causa cognita*, de qua num. 1. quòd importat conditionem, & formam vt important omnes similes ablatiui absoluti, ita vt habilitatio data absque causæ cognitione, non valeat. Ita habetur in l. *A testatore*, ff. de conditio. & demonst. & in l. *Qui heredi*, & l. *Meuius*, ff. eod. Et constat. Quia tunc Superior excedit limites suæ commissionis. Ita Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 5. nu. 8. & lib. 8. disp. 17. num. 10.

Sanchez. 5. Sed dubitabis, an huiusmodi causæ cognitio debeat esse iudicialis, an vero sufficiat, quod Superior extraiudicialiter informetur, certiorque fiat de tali causa ℞. sufficere quòd Superior informetur extraiudicialiter, absque forma, & figura iudicij, & etiam à testibus non iurantibus. Tum quia sic obseruat consuetudo. Tum quia iura concedentia facultatem hãc Prælatis, videntur confidere de illorum conscientia, & prudentia; in quo casu strepitus iudicij necessarius non est, vt multis probat Sanchez 3. de matrim. disp. 8. num. 4. & 5.

6. Dubitabis etiam, an sit censendus rehabilitatus, qui tacuit delictum, propter quod fuit priuatus ℞ Si tacuit numerum fugarũ, quas fecit, in Ordine nostro non est censendus rehabilitatus; nam talis expressio omnino requiritur pro forma in cap. Valent. 5. num. 84. & Barcin. 1. num. 28. Sicut etiam pro forma in dicto Capitulo Barcin. requiritur, quòd dicatur quãdiu extra Religionem morati fuerint ipsi fugitiui, qui rehabilitari prætendunt; forma autem ad vnguem est obseruanda, etiam in minimis;

Bald. leg. 1. & ibi Bald. ff. de liberis, & posthum. Et colligitur ex cap. *Si motu proprio*, de præb. in 6. Nec refert, etiamsi ignoranter dicta qualitas tacita fuerit. Cum enim omittitur forma, corruit actus, nec ignorantia iuuabit, nisi ad excusandum à culpa. Ita Gloss. in cap. *Si motu pro-*

Menochius *prio*, de præb. in 6. verb. *Taceatur*; Menoch. de

Sanchez. arbit. lib. 2. casu 201. num. 27. Sanch. 8. de matrim. disp. 21. num. 14. Neque etiam censendus est rehabilitatus, si tacuit circumstantiam delicti, quæ mutet speciem; nam Superior, qui procedere non potest, nisi causa cognita, ignorato delicto, nequit rehabilitationem concedere, neque iudicandus est velle. Ergo gratia nihilominùs obtenta nõn valet defectu potestatis, & voluntatis in concedente. Quam doctrinam

Sanchez. latè probat Sanchez loc. cit. num. 10. Si verò tacuit aliquam circumstantiam non mutantem speciem delicti, sed solùm illud aggrauantem, puto, quòd gratia obtenta subsistet; licèt Superior difficiliùs fuisset illam concessurus, tali circumstantia cognita. Nam tunc cum rei substantia non varietur, gratiæ concessio est voluntaria in concedente immediatè, ac etiam in causa. Vide Sanchez loc. cit. num. 11. Quæ omnia bene notare debent tam Superiores, quàm subditi. Nam tam qui, illegitimè rehabilitant, quam rehabilitati mortaliter peccant, & illi præsertim quoties actum exercent prohibitum; v. g. si erant priuati voce actiua, & passiua, quoties in electione dant votum; ingerunt enim se actibus sibi prohibitis, quos pro parte sua inualidant. Quare consulo electoribus, quòd priùs, quam admittant aliquem aliàs priuatum, & posteà rehabilitatum, diligenter inspiciant supplicationem datam Prælato pro rehabilitatione, & examinent, an fuerit legitima, iuxta dicta; alioquin eam subreptitiam iudicent; & sic rehabilitatum reijciant; alioquin & ipsi peccarent illegitimum admittendo.

CAP. V.

De Forma instituendi studiorum Regentem.

FRATER, *&c. Tibi, &c. Publicæ salutis studio; ut demandati regiminis sollicitudo postulat, quam maximè accensi, in eo curam omnem, & cogitationem animi collocare debemus, vt ad Religionis gloriam conseruandam, Prouinciarum decus retinendum, Collegarumq; nostrorum fructus amplificandos, in cunctis doctrinæ seminarijs apti, atq; idonei præficiantur Moderatores, ac Regentes, qui suis integris moribus, prudentia, & sapientia, ea omnia, quæ ad studiorum incrementum spectare noscuntur, sic gerant, ac exequantur, vt ab eis, tanquam à capite, in cætera Collegij membra pretiosus scientiæ liquor diffundatur. Quamobrem cum inter cætera totius Ordinis domicilia, velut Sol inter sidera, scientiæ luce maximè fulgeat nostrum Ciuitatis* N. *Lyceum; quo valeat doctrinarum fulgore toti Ecclesiæ in dies magis illucere, probum eidem, peritum, ac prudentem literariæ palestræ coryphæum duximus seligendum. Te igitur præfatum Patrem, cuius scientiæ dignitas, probi mores, ac prudentia satis, superq; nobis innotescunt, in eiusdem Collegij Rectorem harum serie, ac ui destinamus, eligimus, & constituimus. Directiuam omnem tibi, & coactiuam, qua cæteri nostri Ordinis studiorum Rectores fruũtur, & gaudent, auctoritatẽ elargientes. Per Iesu Christi uiscera te quoque deprecãtes, ut ea sedulitate,*

eaq; industria, & assiduitate huic muneri ita demum incumbas, vt auditores lux sint mundi per scientiam, & sal hominum per exempla. Lectoribus etiam ita ab eis efformandas lectiones insinues, vt discipulos suos ad ædificatoriè legendum, ac prædicandum reddant idoneos. Omnibus insuper, ac singulis Lectoribus, ac studentibus, præcipientes, ac mandantes, vt in his quæ directè, vel indirectè studiorum causas concernunt, omnino tibi pareant, atq; obediant. Cunctos demum præsentes, ac futuros præfati Collegij Superiores monemus, vt officium tuum quouis quæsito colore, vel diuerticulo impedire, ac perturbare nullatenus præsumant, contra ipsos alioquin sciant tanquam studiorum destructores processuros nos esse. In quorum fidem, &c.

1. Nota, quòd instituere Regentes in Ordine Prædicatorum, ad Capitulum generale spectat, vt audio. In Ordine nostro nihil inuenio circa hoc statutum; in hac Prouincia Generali instituuntur in Capitulo prouinciali, & durant per totum triennium. Puto tamen, quòd aliis locis, in quibus hoc non est determinatum, possit P. Generalis Regentes instituere. De auctoritate, & iurisdictione Regentis, vide infra, littera S. cap. 5. §. 1.

CAP. V.

De forma renunciandi alicui Officio.

CORAM Adm. Reu. P. F. N. Ordinis N. in Prouincia N. Prouinciali comparet Frater N. de N. Conuentus N. Corrector, humiliterque exponit, se *iustis de causis animum suum excitantibus, atq; ob plurimas præsertim, nec leues officij curas euitandas, ac sollicitudines, quibus ita premitur, ac intimè diuexatur, vt diuinis nequeat ritè, ac debitè operam dare exercitamentis, maximè cupere, ac R. Adm. Paternitatem vestram suppliciter exorare, vt se tam graui prætacti regiminis mole absoluere, atq; eximere, ipsiusq; renunciationem acceptare, & ab eiusdem tandem muneris exercitio liberum penitùs, ac exemptum declarare dignetur, prout per præsentes literas ipsemet orator electionem à Capitulo eiusdem Conuentus, atque ipsius confirmationem à definitorio Capitulo N. anno, &c. celebrato, in personam ipsius factam, & acquisitam, cum omnibus iuribus, ac præeminentijs, directè, vel indirectè, tam iure communi, quàm particulari, ad præfatam dignitatem spectantibus, liberè, & spontè non vi, metu, vel dolo. vna, & tot vicibus, vt iura postulant, & in manibus P. V. renunciat, ac resignat. Sicq; iterum, & denuò renunciat, ac more sacerdotali tacto pectore affirmat, iuratq; seriò hanc suam esse prædictū officium ampliùs non repetendi voluntatem, nec illud se unquā posthac repetiturum, obnixeq; iterum Adm. R. P. V. deprecatur, ut se prędicti officij pondere absolutum, ac exoneratum declarare, hancq; suam uelit renunciationem, prout petit acceptare. Sic poscit, dicit, postulat, atq; iurat, hoc, & omni alio meliori modo, uia, & forma, quibus de iure ualet, ac potest. In quorum fidem, &c.*

CAP. VI.

De forma, qua potest Prouincialis dictam renunciationem acceptare.

FRATER, &c. Tibi, &c. *Grauissimam pastoralis officij molem ut primum suscepimus, nil nobis antiquius fuit, nec ulla grauior menti nostrę cura insidie, quàm ut commissas nobis oues charissima ueluti pignora in Domino complectentes, imperturbatas, atq; innocuas assiduè custodiremus. Cum nuper igitur, fili charissime, ut optata quietis solatio perfrueeris, Correctoriatus Officio Conuentus S. N. de N. ad quod anno proximè prateri to in definitorio Capitulo Fratrū vocaliū præfati Conuentus, electione præmissa, assumptus fuisti, & confirmatus, deuotis quidem precibus, ijsque congeminatis, nec vi, dolo, vel metu, sed liberè omnino, ac spontè, vt iureiurando confirmasti, renunciaueris. Nos iuges, ac molestas animi sollicitudines, quibus animarum custos opprimitur, attendentes, & nuper oblatas preces ad mentis hilaritatem, ac solatium affectu beneuolo excipientes, prædictam renunciationem acceptandam, ac te ab eiusdem officij sarcina omnino eximendum statuimus, vt per præsentes acceptamus, eximimus, & absoluimus, atq; à prædicto munere exemptum, ac absolutum declaramus, & denunciamus. In quorum fidem, &c.*

CAP.

CAP. VII.

De Forma, qua Prouincialis monere potest Fratres alicuius Conuentus de renunciatione facta à suo aliàs Correctore.



RATER &c. RR. nostri Conuentus S. N. Patribus, ac Fratribus salutem in Domino. Notum vobis esse volumus, quòd tertia Mensis Februarij die præsentis anni P. F. N. eiusdem vestri Conuentus olim Corrector, ob causas nobis insinuatas, præfato Correctoriatui cum iuramẽto eum amplius non repetendi, in optima iuris forma renunciauit: obnixè rogãs, vt eiusmodi renunciationem suscipere, & acceptare dignaremur. Nos subditorũ nostrorũ quieti ex pastoralis officij debito, quantum in Domino possumus, consulere, ac prouidere maximè cupientes consideratis considerandis re maturè discussa & cum Collegis nostris habito consilio, prædictę renunciationi deferendum censuimus, ac decreuimus, vt de facto, ac re ipsa detulimus, eamdem acceptando die, &c. præmemoratumq; P. N. eiusmodi officij pondere omnino absoluimus, ac exonerauimus. Quocirca vos monemus, vt ad noui Correctoris eiusdem vestri Conuentus electionem, prout iura nostra disponunt, deueniatis. Monentes etiam, vt in dignam, ac benemeritam personam conueniatis, secus agendo scientes, nullam vos à nobis obtenturos esse confirmationem. Et Dominus vos benedicat, Genuæ, &c.

CAP. VIII.

De forma acceptandi renunciationem, cum substitutione à Generali facienda.

F*RATER, &c. Vniuersis, & singulis Prouinciæ nostræ N. Patribus, ac Fratribus salutem. Vobis omnibus, vestrumq; singulis pateat, & notum sit, quòd anno 1633. die 20. Ianuarij P. F. N. animæ suę saluti, mentisque paci consulere cupiens, liberè, ac sponte Collegatus prouincialis, & diffinitoriatus Prouincię vestræ officijs, ad quę fuerat canonicè electus nostris in manibus cessit, ac renunciauit, humiliter, obnixeq; supplicans, vt se oneribus huiusmodi exonerare, atq; alium idoneũ Patrem suo loco sufficere, ac eligere dignaremur. Nos igitur spirituali eiusdem P. N. consolationi, & conscientiæ quieti prouidere volentes, matura deliberatione præhabita, de Reuerendorum Patrum nostrorum Collegarum assensu, prædictam ipsius petitionem libenter admisimus, eumq; præfato pondere exonerauimus, absoluimus, & liberauimus, prout per præsentes nostras exoneramus, absoluimus, & liberamus, ac exoneratum, absolutum, & liberum declaramus. Solertiæ autem, morumq; probitati, prudentiæ itidem, Religionisq; Zelo R. P. F. N. non parùm fidentes, ipsum in R. P. Prouincialis Collegam, eiusdemq; Prouinciæ diffinitorem loco ipsius P. N. vsq; ad proximum diffinitorium Capitulum eligimus, deputauimus, ac nominauimus. Eidem sic substituto eamdem, atq; omnem concedentes auctoritatem, qua cæteri Prouincialis Collegæ ex Ordinis nostri Regula, & regularibus statutis gaudent, ac perfruuntur. Vobis omnibus propterea, tam Superioribus, quam subditis, in uirtute Spiritus Sancti præcipientes, ut ipsum tanquam legitimum Collegam habeatis. Eidem uero, ut Sanctæ Obedientiæ meritum consequi mereatur, præcipimus pariter, ac mandamus, ut onera, atque officia prædicta, Iesu Christi amore, læto, hilarique animo suscipiat, suoq; Prouinciali iuxta Regulæ nostræ præceptum, in cunctis ad obseruantiam regularem spectantibus maturo, prouido, necnon fideli consilio, auxilioqui semper assistat. In quorum fidem, &c.*

1. Noto 1. quòd pro ista materia renunciationis videri possunt, quæ dixi tom. 3. priu. cap. 9. num. 10. & 29. Hic autem etiam aliqua occurrunt, & in primis, quod renunciatio, est *Dimissio spontanea, & libera dignitatis absentæ, facta cũ causa coram suo Superiore*. Ita Parif. *Parisi* de resign. lib. 1. q. 1. num. 34. Dicitur *spontanea* ad excludendam vim, dolum, metum, quæ actũ renunciationis nullum reddunt, non quidem ipso iure, sed annullandum, vt habetur in c. 1. de his, quæ vi, metusuè, &c. Ita Parif. lib. 13. q. 1. num. 8. qui ibid. q. 3. & 4. Idem probat de dolo, & fraude.

2. Et auerte, quòd Parif. lib. 13. q. 1. à nu. 1. probat, quòd renunciatio metu facta est nulla etiamsi fuerit iuramento vallata. Sed in Religionibus hoc non admitto; non enim puto ibi posse talem metum esse, qui reddat renunciationem omnino nullam, prę sertim si Superiores sint temporanei, nisi fortè renuncians esset natura pusillus. Quare existimo, quòd communiter iuramentum omnem metum tollat. Quod mihi satis clarè persuadet, tum textus in cap. *Ad aures*, de his, quæ vi, metusuè causa; tum quòd iuramentum semper est seruandum, cum potest sinè interitu salutis æternæ, cap. *Cum dilectus*, de his, quæ vi, &c.

3. Quomodò autem probetur metus, tradit Parif. loc. cit. à nu. 71. vbi ait, quòd metus non præsu-

præsumitur, nisi probetur; & quòd testes in hoc casu non debent interrogari negatiuè, idest, quòd non vi, vel metu renunciauit, sed affirmatiuè, hoc modo; quia do causa N. renunciauit. Vnde magis creditur duobus testibus deponentibus de metu, quam decem, & mille deponentibus de spõtanea volũtate, vt Paris. ibid. n.85. Qui tamen testes deponentes de metu, debent reddere causam, & deponere de metu in specie, & non in genere; Paris. loc. cit. nu. 109. 110. quem vide pro hac materia in sequentibus.

4. Dicitur in definitione, *dignitatis obtentæ*. Nam dignitas, quæ non habetur, renunciari nõ potest; Paris. lib. 1. q. 1. num. 50. Dicitur, *facta cum causa*. Quia hæc semper requiritur, cap. *Super hoc*, de renunc. Dicitur, *coram suo Superiore*, nam illi semper est facienda renunciatio; Paris. num. 58. Syluest. verb. *Renunciatio*, q. 3. Superioris namque interest, ne dimittatur dignitas sinè eius licentia, nam ei præiudicatur; cap. *significasti*, de foro compet. cap. *Clericum*, 21. q. 1. cap. *Non liceat*, 3. q. 6. Vide Paris. lib. 7. de resign. q. 1. à n. 1. vide etiam eumdẽ ibid. q. 10.

Paris. *Syluester.*

5. Si quęras, an Capitulum possit acceptare renunciationem Correctoris. R. quòd si habet auctoritatem instituendi, & deponendi, potest renunciationem acceptare. Innoc. in cap. *Quod in dubiũ*, num. 3. vers. *Nisi*, de renunc. vbi Abbas num. 6. Paris. lib. 7. de resign. q. 23. num. 5. Quod in Ordine nostro est indubitatum, cum Capitulum Correctorẽ eligat, vt patet ex Correct. n. 103. & eum cũ causa deponat, vt patet ex eodem, n. 10. & electio noui Correctoris, etiãsi renunciatio fiat in manibus Prouincialis, aut etiam Generalis, ad Capitulum locale spectat, vt dixi tom. 3. priuil. cap. 4. num. 10. Immo videtur, quod Capitulum locale cum Socijs Prouincialis possit renunciationem Prouincialis acceptare, cum possit cum dictis Socijs illum deponere, & loco depositi alium substituere, vt constat ex Corrector. num. 9. Qui casu successoris electionem facere, ad dictum Correctorem cum dictis Socijs pertineret, eo modo, quo ad illos pertinet, in casu mortis, excepto, quòd hic Corrector, cum sit caput Capituli localis acceptantis renunciationem, deberet esse caput in hac electione. Sed tamen cum Capitulum locale non habeat auctoritatem instituẽdi Prouincialem, videtur, quòd neque etiam possit renunciationem acceptare. Addito, quòd Capitulum locale non est Superior Prouincialis, nisi in casu delicti. Posset quidem talem renunciationem acceptare Capitulum definitorium, cum totam Prouinciam representet, quæ Prouincialem instituit, & deponit; & posset tunc Capitulum definitorium per reliquum temporis alium substituere.

6. Quæres etiam, an Vicarius Generalis possit admittere renunciationem? R. quòd non, nisi ei specialiter committatur, cap. *Dudum*, de præb. in 6. Paris. lib. 7. de resign. q. 24. num. 1. Et hoc etiamsi habeat potestatem deponendi. Nàm renunciationem admittere, & deponere sunt diuersa. Paris. loc. cit. nu. 10. Si verò habeat potestatem deponendi, & loco depositi substituendi, puto, quòd poterit renunciationem admittere, per dicta num. præced. Poterit etiam, si in literis patentibus habeantur clausulæ, quas posui supra, litera P. cap. 8. q. 4.

7. Noto 2. quòd renunciatio debet fieri in scriptis: cap. *Qualiter*, cap. *Quamuis*, 7. q. 1. cap. *Gonsaldus*, 17. q. 2. Cum enim renunciatio sit stricti, immo strictissimi iuris, vt probat Paris. lib. 8. de resign. q. 1. à num. 8. ad tollendas omnes lites, debet semper de illa constare per testem irrefragabilem, vt sunt literæ, quæ scriptæ manu propria probant plenè intentionem scribentis; l. *Publica Mænia*, §. *Titius*, ff. *Depositi, vel contra*. In his verò scriptis debet primò poni nomen Prælati, cui fit renunciatio, iuxta cap. *Ego* N. de iur. iur. cap. *In nomine Domini*, d. 73. Secundò debet exprimi nomen dignitatis eiusdem, vt constet, an sit eius Superior; Paris. lib. 8. q. 9. num. 5. Tertiò ponitur nomen, & cognomen renunciantis, ad euitanda dubia, & æquiuocationes; l. *Ad recognoscendos* Cod. de ing. & manumiss. Quartò exprimitur dignitas, quæ resignatur, vt specificè constet de resignatione; Paris. loc. cit. num. 7. Quintò ponitur renunciationis causa, quia hęc semper requiritur, vt dixi, & tradit Fuscus de visit. par. 2. c. 28. in princip. Sextò non solùm renunciatur dignitas, sed omnia iura pertinentia ad ipsam quòd fit ad abundãtiorem cautelam, ne contingat postea circa aliquid dubitari; Paris. loc. cit. nu. 9. Septimò requiritur libertas, vt dixi. Octauò requiritur iuramentum secundùm praxim, vt postea nequeat impugnari; Paris. loc. cit. nu. 17. Vltimò requiritur annus, & dies de stylo ordinario Curię.

Parisius. *Fuscus.*

8 Noto 3. Quòd omnes dignitates possunt renunciari, vt diffusè probat Paris. lib. 2. de resign. q. 1. per totam. Et constat. Quia si potest renunciari Papatus, cap. 1. de renunc. in 6. multo magis poterunt renunciari alię dignitates inferiores. Aduerte autem, quòd si quis renunciaret alicui officio, cum pacto, quòd Superior illum remuneraret de alio, esset simonia, vt probat Nauar. lib. 5. consil. de simon. consil. 38. & Parisius de confid. q. 27. num. 17. Non esset tamen Simonia, si Superior solùm diceret, Relinque hoc amore mei, & prouidebitur tibi de alia re, vt Nauar. ibidem, num. 3.

9. Noto 4. quòd antequam renunciatio sit admissa à Superiore, potest renunciantem pœnitere; postquam autem admissa fuit, pœnitere non potest; quia tunc res perfecta est, & amissum omne ius; Paris. de resign. lib. 1. q. 12. num. 2. nec potest renuncians dignitatem renunciatam ampliùs repetere; cap. *Quam periculosum*, 7. q. 1. cap. *Ex transmissa*, de renunc. §. *Verùm*. Posset tamen repetere antequam alteri fuisset collocata, si inconsultè renunciasset, idest, si indignatione, vel ira, vt Parisius loc. cit. q. 13. num. 39. Vel si renunciasset dolo, vi, metu; cap. *Super hoc*, de renunc. Paris. num. 40. Quare prudenter, & charitatiuè faciunt illi Prælati, qui ante acceptationem renunciationis, concedunt renuncianti aliquod tempus, puta duorum, aut trium dierum, iuxta qualitatem tam dignitatis renunciatæ, quàm personæ renunciantis, ad maturè deliberandum. Et sic præcluditur via renuncianti ad repetendum officium renunciatum; nisi toto illo tempore duret vis, dolus, metus, & non sit in libertate.

Parisius.

CAP.

CAP. IX.

De Forma examinandi reum.



IE 18. *mẽsis Septẽbris, anno Domini 1634. corã adm. R. P. F. N. Ordinis N. in Prouincia N. Prouinciali, in camera suę solitę habitationis personaliter cõstitutus Frater Improbus de Sceleratis, eiusdem Ordinis Sacerdos, ætatis annorum 40. Religionis verò 25 principalis, & denunciatus, ut supra; eiq; de ueritate fatenda, prout fuerit opportunè interrogatus, prestito iuramento, tacto pectore, uel tactis sacris, iurauit. Ac primò quidem interrogatus fuit, an sciat, uel saltem presumat uocationis suę causam: ex quonam tempore in eo Conuentu moretur: an fuerit unquam denunciatus, uel de quopiam crimine inquisitus.* Si affirmet, dicat, de quo, quando, quo instãte, à quo iudice, quam pœnam retulerit. Tum de vnoquoq. iudicio, à remotiori incipiendo, & gradatim vsq. ad delictum ipsum prosequendo, interrogabitur. In qua porro delicti propalatione diligẽter inspiciat Iudex, adnotandumque curet, an reus palleat, trepidet, rubescat, rubor namque patrati criminis verecundiam, pallor vindictam, trepidatio autem pœnæ futuræ metum signant, quamuis hęc ipsa in aliquibus naturæ impulsu cõtingant, ob imminens periculum, vt dicit Aulus Gellius noctium Atticar. lib. 19. cap. 1. Quare recte Foller. in pract. crim. rubr. *Et si comparent ante contumaciam*, n. 5. ait, ex his non posse sumi inditium contra reum; finitur autem examen hoc pacto scilicet. *Sic pro nunc dimissus est, animo tamen eum iterum uocandi toties, & quoties opus fuerit, usque ad causę conclusionem.* Seu, *Sic animo, &c.* Ita docent Carrharius de reor. interrog. lib. 3. cap. 3. num. 44. Triuis. de modo proced. crim. inter Regulares, cap. 13. Ambrosinus de modo form. process. lib. 2. cap. 6. Ghisil. de iudic. Regul. cap. 19. nu. 7. Foller. loc. cit.

A. Gellius *Follerius.* *Carthar.* *Triuisan.* *Ambrosinus.* *Ghisleri.*

1. Noto 1. quòd cõmuniter prima interrogatio, quæ fit reis, & etiã testibus, est illa, An sciãt causam suæ vocationis, seu carcerationis, si fuerint carcerati; nõ quòd illa sit de necessitate, ita vt Iudex nõ possit illã omittere, sed vt hinc occasio detur interrogãdi; vnde iuxta responsionẽ formari debent interrogationes competentes causæ principali. Et si reus causam expresserit sui examinis, debent ei fieri illæ interrogationes, ex quibus, vel confessio delicti, vel magna indicia extorqueantur. Et si reddat causam sui examinis, ex qua delictum ab ipso factum colligatur, debet interrogari, vt facti seriem dicat à principio vsq; ad finem; postea debet interrogari super his, quæ obscurè, & non plenè explicauit pro facti maiori dilucidatione. Si autem respondeat causam se nescire, nec pręsumere sui examinis, poterunt illi fieri dictæ cõmunes interrogationes positæ in forma; post quas, vel etiam illis omissis, prout Iudici videbitur, ad rem ipsam descendendum est. Ita Carthar. in pract. interrog. reor. lib. 3. cap. 11 à num. 40.

2. Noto 2. quòd si reus respondere recuset debet id notari in processu, & ad respondendũ compelli, vel indicta mulcta, quia factis tribus monitionibus, sub pœna ipsum mulctabit, & condemnabit ad pœnam in mandatis contentam. Vel etiam potest cogi in delictis leuioribus sub comminatione confessionis interrogatoriorum; in grauioribus verò delictis cogendus est per torturam. Ita Carthar. loc. cit. cap. 2. à num. 1. Ambrosin. de modo forman. process. lib. 2. cap. 7. à nu. 1. Foller. in pract. crim. rubr. *Et si comparent ante contumaciam*, num. 3. Clarus in pract. crim. lib. 5. §. fin. q. 45. num. 6. qui ait, quòd hęc debent intelligi, tam si nolit respondere super delicto principali, quàm super circumstantijs substantialibus, de quibus verisimile est, quòd potest recordari. *Carthar.* *Ambrosinus.* *Follerius.* *Clarus.*

3. Noto 3. quod reus respondendo, debet respondere formaliter, & præcise affirmando scilicet, vel negando, non autem dubiè, puta, Non scio, vel, Non recordor. Nam respondere hoc modo idem est, ac non respondere absolutè; & sic, factis debitis monitionibus, potest cogi mulcta, vel pœna confessi criminis, aut periurij, seu sub pœna excommunicationis latæ sententię, vel tortura ad respondendum pręcisè, vt dictum est nu. præced. quæ tortura hoc casu non illi datur ad eruendam veritatem de delicto, sed ad extorquendam responsionem, affirmatiuam, vel negatiuam: Ita ijdem DD. Carthar. à num. 3. Ambros. à num. 4. Foller. & Clarus loc. cit. Forma autem monendi reum nolentem respondere poterit esse talis. *Et per prædictum P. Prouincialem monitus, vt pro veritate præcisè respondeat*; si nolit, subditur. *Interrogatus, & monitus sub pœna confessi criminis, vel periurij, vt veritatem dicat*; si obstinatè recuset respondere, subditur. *Et dicente P. Prouinciali, vt se ad meliùs, & congruentiùs respondendum disponat, & à contumacia, & obstinatione recedat*; si adhuc obstinatè nolit, subditur. *Et subiungente P. Prouinciali, vt respondeat, ac præcisè, quia alioquin in comminatas pœnas declarabitur incidisse*; si adhuc nolit, subdat Scriba. *Et licèt pluriès, ac pluries per eundẽ P. Prouincialẽ monitus fuerit ad meliùs, clariùs, magisq; præcisè respondendum, idem semper responsum dedit, in sua persistens obstinatione. Quocirca prætactus P. Prouincialis, ipsius constitutũ obstinatione notoria, pertinacia, ac inobedientia, nec non sibi comminatarum pęnarum contemptu perspectis, reseruato sibi semper iure quandocunque decernendi, ac pronunciandi prædictum constitutum notorium, contumacem, ac inobedientem, & tanquam talem periurij, vel confessi criminis, vel excommunicationis pęnam incurrisse illum pro nunc in locum suum dimisit, seu illum super alijs delictis interrogauit.* Si autem, omissa prædictarum pœnarum comminatione, velit Iudex reum nolentem respondere, vel non præcisè,

tortu-

torturare ad extorquendam veritatem, quod tutius est, tunc dicat Scriba. *Ac licèt pluriès, & pluriès per prædictum P. Prouincialem monitus sit, vt præcisè responderet, aliud tamen noluit vnquam responsum dare. Quare idem P. Prouincialis de Collegarum suorum consilio, & assensu, perspecta ipsius constituti pertinacia respondere nolentis, vel præcisè, & iuxta interrogata pro eiusmodi responsione, vel pro præcisa, & congrua super prædictis habenda, cum ab eo aliter haberi nequaquam posset, eumdem constitutum cippis, manicisq; ferreis constringendum, paneq; & aqua dumtaxat alendum mandauit. Priusquàm vero cippis huiusmodi coerceretur, vt se ad respondendum, & præcisè disponeret, adhortatus est, nisi hoc egerit, minimè liberandus.* Quòd si post torturam etiam respondere recuset pertinaciter, tutè potest sumi pro con-
Th. à Iesu fesso, vt dicunt Thom. à Iesu de visit. reg. tract.
Spathar. 3. cap. 8. nu. 7. Spathar. de modo corrig. Regul.
Rodericus. tract. 9. cap. 10. num. 2. Roderic. in resol. regul. resol. 43. num. 8. Quòd si reus neget respondere, quia allegat iudicem suspectum, tunc Iudex absq; vlla altercatione debet cum reo arbitros eligere, qui de causa suspicionis iudicent; qua non probata intra præfixum terminum, Iudex sua iurisdictione vtatur. Si autem probata fuerit; vel iudex est ordinarius, & debet causam alteri delegare; vel est delegatus, & debet omnino abstinere. Ita habetur in cap. *Cum speciali*, & cap. *Secundò requiris*, §. *Tertiò postulas*, de appell. & dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 19. §. 2.

4. Noto 4. quòd tunc potest iudex vti supradictis remedijs, & tortura, quando reus iustè, & legitime interrogatur, idest, præcedentibus indicijs sufficientibus, vel diffamatione, vel semiplena probatione. Nam alioquin respondere non tenetur, vt dicunt communiter om-
Clarus. nes; Clarus in pract. crim. lib. 5. q. 45. num. 6.
Carthar. Carthar. in praxi interrog. reor. lib. 3. cap. 2.
Bernardin à num. 12. Bernardinus ad cap. 7. lib. 2. Ambros.
Th. à Iesu de modo form. process. num. 3. Thomas à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 8. num. 3. Et est communis sententia Theologorum cum D.
D. Thomas Thoma 2. 2. q. 69. art. 2.

5. Ex his collige 1. vt bene aduertunt Caiet. ad locum cit. D. Thom. Petrus Nauar. lib. 2. de rest. cap. 4. à num. 169. Sotus lib. 5. de iust. q. 6. conclus. 5. Thomas à Iesu loc. cit. num. 1. & 5. Salon ad dictum locum D. Thomæ, controu. 8. quòd non potest Iudex reum interrogare, nisi de delictis, de quibus anteà fuit iuridicè denunciatus, quia aliàs iudicium faceret temerarium; vnde conuictus de vno crimine non potest interrogari de alijs, nisi illa essent connexa, vel circumstantiæ illius, de quo est conuictus, & multo minus potest Iudex de delictis, de quibus non est reus infamatus, interrogare testes, vt aduertit Salon. loc. cit.

6. Collige 2. quòd antequam reus examinetur inter Regulares, debet informari de statu causæ, idest, contra eum esse, vel infamiam, vel indicia sufficientia, vel semiplenam probationem, ad hoc vt sciat, se esse in tali articulo constitutum, vt teneatur obedire Iudici præcipien-
Diaz. ti, & veritatem extorquenti. Ita Dias in pract.
Salzedo. crim. cap. 129. num. 5. vbi Salzedo vers. *Copiam*
Th. à Iesu. *indiciorum*; Thomas à Iesu loc. cit. cap. 10. nu. 2.
Salon. Salon. 2. 2. q. 69. art. 2. controu. 2. Nauar. cap.
Nauarrus *Inter verba*, conclus. 6. num. 20. in man. cap. 18.

num. 57. Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. vers. *Tertiò quòd* *Caietanus.*
auctor, Sotus de iust. & iur. lib. 5. q. 6. conclus. 5. *Sotus.*
dub. vlt. qui admonet, quod in causis leuioribus debet subditus Prælato eandem habere, illi tamen Prælato, quem probum nouit, prudentem, & scientiæ peritum. Mir. de ord. iudic. *Miranda.*
q. 19. art. 13. conclus. 1. Aldrete de discipl. lib. 2. *Aldrete.*
cap. 4. nu. 7. Diana par. 3. tract. 5. resol. 91. Co- *Diana.*
riolan. de casib. reseru. par. 2. casu 5. num. 52. *Coriolanus*
Ioseph. à S. Maria in tribun. Relig. tract. 4. c. 27. *Ioseph à*
§. 3. & 4. Spathar. de modo corrig. Regul. tract. *S. M.*
9. cap. 6. nu. 2. Mansus de modo proced. in caus. *Spatharius*
Regul. cap. 15. num. 4. Roderic. in resolut. re- *Mansus.*
gul. resol. 43. num. 5. Aretin. in pract. crimin. *Rodericus*
de reo, cap. 3. dicto 3. vers. *Hinc sequitur*; Vil- *Aretinus.*
lagut in pract. crim. lib. 1. de accus. cap. 5. con- *Villagut.*
clus. 3. paulò ante finem, & conclus. 4. Et ratio est. Tum quia subditus non tenetur obedire mandato Superioris in sui præiudicium, donec illi constet non esse iniquum; hoc autem constare non potest, nisi informetur de statu causæ. Tum quia sicut nemo tenetur dimittere propria bona, famam, vel vitam, donec illi constet de iure illius, qui petit, sic reus non tenetur famam propriam Iudici interroganti dimittere, nisi illi cōstet de iure, quod Iudex habet super illa. De consuetudine tamen contrarium seruari in omnibus Curijs, docent Foller. in pract. crim. canon. cap. 11. num. 9. rubric.
Quod si comparuerint, examinentur; Clar. lib. 5. *Clarus.*
practic. crim. §. fin. q. 45. num. 8. Carthar. in *Carthar.*
practic. reorum interrog. lib. 3. cap. 2. num. 22. In Religionibus tamen, quicquid sit de foro seculari, existimo esse obseruandam primam practicam, quam etiam Clarus, & Carthar. dicunt esse de iure. Hæc autem indicia, &c. danda sunt reo post communes interrogationes, & post interrogationem etiam particularem de delicto; nam si delictum fateatur, illa exhibitio indiciorum, & probationum non est necessaria; si autem delictum neget, tunc necessaria, vt reus videat, quòd tenetur obedire. Et aduerte, quòd non est necesse, quòd iudex det copiam processus reo, sed sufficit, quòd illi in vniuersali manifestet statum causæ, vt notat Spathar. loc. cit. tract. 9. cap. 10. num. 5. Sed quòd ante torturam reo dari debeat copia indiciorum, si petat, docent Nauar. lib. 5. con- *Nauarrus*
sil. de accus. consil. 8. num. 2. & 3. Clarus *Clarus.*
lib. 5. q. 64. vers. *Sed quid, si ille*. Immo alij quos citat, & sequitur Spathar. loc. cit. cap. 24. num. 2. & 3. dictam copiam esse omnino dandam reo existimant, etiamsi ipse non petat. Sed tu tene cum Nauarro, & in causis grauibus.

7. Et quæ dixi de reo, intellige etiam de teste, qui non tenetur cum periculo alienæ famæ explicare Iudici procedenti via Inquisitionis veritatem, donec illi certò constet, illum, de quo inquirit, esse infamatum. Nam Inquisitio sola nititur infamia; cap. *Inquisitionis*, de accus. Ita Salon 2. 2. q. 69. art. 2. controu. 2. conclus. 2. Quòd si alia via procedatur, puta denunciationis, non tenetur cum dicto periculo veritatem fateri, nisi delictum sit semiplenè probatum, vt dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 16. §. 4. conclus. 5. Vnde si sciam, nullum alium posse esse testem contestem delicti, quia ego solus interfui, neq; aliquid æquiualens indicium, quomodocunque procedat Iudex, testificari non te-

neor,

Cordub.

neōr, immo nec debeō, vt docet Cordub. in sum. q. 64. casu 2.

Spathar. Th. à Iesu. Salzedo. Miranda. Sotus. Caiet. Salon. Bannes.

8. Aduerte hic etiā, quòd reus prudenter dubitans, vtrum Iudex illum iuridicè interroget, non tenetur crimen manifestare, ex cuius manifestatione graue sibi timet incommodum. Spathar. tract. 9. cap. 7. num. 17. Thomas à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 10. num. 3. Salzedo ad Diaz, cap. 29. vers. *Illud verò scire oportet*, Mir. loc. cit. Sotus de secr. tegend. membr. 3. q. 2. concl. 2. Caiet. 2. 2. q. 69. art. 1. vers. *Tertio*, vbi Salon controu. 3. concl. 1. & Aragon. vers. *sed dubitabis aliquis*, ibid. Bannes dub. 2. vbi etiam docet cum Salon loc. cit. concl. 2. quòd Iudex grauissimè peccat, interrogans reum, dubitans an possit iuridicè interrogare. Tum quia in criminalibus probationes debent esse luce clariores. Tum quia in dubijs reo est fauendū, quando id non cedit in alterius iniuriam. Itaque reus dubitans, an legitimè interrogetur, non tenetur veritatem fateri. Nam in dubijs melior est conditio possidentis. Sed reus est in possessione suæ famæ. Ergo, quamdiu res est dubia, non est tali possessione priuandus. Addit etiam Salon concl. 3. quòd licèt reus, aut testis opinentur, Iudicem rectè procedere, si nihilominus habeant grauem formidinem, illum non procedere iustè, immineatque periculum honoris grauissimi viri, non tenetur veritatem Iudici manifestare. Nam grauis illa formido iudicio prudentum dubietati æquiparatur.

9. Et aduerte hac occasione, quòd dubium est, quando animus in neutram partem contradictionis inclinat, sed ita est suspensus, vt vtrāque habeat pro incerta. Formido verò est, quādo vni quidem parti contradictionis assentimur, habemusq; illius opinionem, sed cum aliquo scrupulo, & dubitatione alterius partis, ne forsan alia pars sit vera.

10. Et quòd dixi de reo, intellige etiam de teste. Quia nec ipse testificari debet, aut tenetur, quando est dubius, an iustè interrogetur; vt dicunt Caiet. Sotus, Salon loc. cit. & dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 16. §. 3. conclus. 9. Et ratio potest esse. Quia in dubijs minus malum eligi debet. At minus malum est, non obedire Prælato, quā permittere, vt iustitia peruertatur.

11. Aduerte etiam, quòd si reus contra iuris ordinem interrogatus de criminibus ab eo cōmissis, veritatem fateatur, mortaliter peccat.

Nauarrus. Th. à Iesu. Spathar.

Ita Nauar. cap. *Inter verba*, conclus. 6. coroll. 17. num. 20. & in manual. cap. 18. num. 57. Thom. à Iesu de visit. Reg. tract. 3. cap. 10. num. 6. & 7. Spathar. de modo corrig. Regul. tract. 9. cap. 7. num. 17. Aretin. in crim. de reo, cap. 3. vers. *Dico 4.* Nam sibi voluntariè iniustè pœnam, quę in damnum spiritus toto vitæ suæ tempore illum torqueat; vbi enim quis semel fibulam laxasse delictis supponitur, in ea se gratis omnino immittit.

12. Noto 5. quòd in rei examine notandum est nomen, cognomen, officium, patria, ætas, tum seculi, tum Religionis, vt probat Carthar. in praxi reor. interrog. lib. 3. cap. 3. à num. 6. Deinde debet illi dari iuramentum de veritate dicenda. Quamuis enim nemo sit cogendus ad detegendam propriam turpitudinem, l. *Alias* ff. de regul. iuris; communis tamen DD. opinio, & consuetudo docet, reis iuramentum esse præstandum. Ita Clarus in pract. crim. lib. 5. §. fin. q. 45. num. 9. Carthar. loc. cit. à num. 12. Ghisil. de iudic. Regul. cap. 19. num. 6. Si verò reus falsum dicat, non punitur à Iudice in foro exteriori, ne ex hoc timore moueatur ad veritatem occultandam. Ita Clarus loc. cit. nu. 10. Carthar. num. 16. Foller. in practica crim. rubrica, *Et si comparens*, num. 18. Si autem iurare nolit, habetur pro conuicto; Specul. lib. 2. de iuram. calum. §. 5. *Superest*, nu. 9. Quod tamen non admittit Baiard. ad quæst. 45. Clari, nu. 5. sed ait, illum esse cogendum, vt dixi supra, quando non vult respondere.

Clarus. Carthari. Ghisleri. Follerius.

13. Noto 6. quòd quando reus negat delictum, solet Iudex in delictis grauissimis confrontare testes cum reo, quæ confrontatio habet locum repetitionis, vt dicit Ambros. de modo formand. processum, lib. 2. cap. 9. nu. 3. Ghisil. loc. cit. num. 9. Confrontatio autem fit hoc modo. *Interrogatus, & monitus, vt veritatem fateri velit, adsunt enim testes, qui illum, si negaueris, de mendacio conuincent. Interrogatus, an cognoscat N. sit ne illius amicus, & an homo sit fide dignus. Interrogatus, quid dicet, si prædictus N. in eius faciem dicat, quod ipse negat. Tunc P. Prouincialis, vt præfatum constitutum de mendacio magis, ac magis conuinceret, ipsumq; ad fatendam veritatem disponeret, supradictum N. in faciem eius adduci mandauit. Qui sic adducto, atque ambobus de veritate dicenda datis iuramentis, prout, tactis sacris, iurarunt, mutua etiam inter eos, tam nominum, quàm personarum facta recognitione, adductus idem interrogatus est, an ea, quæ supra anno, die, &c. in depositione sua dixit, vera fuerint, atque sint, illaque pro veritate dixerit, & in prædicti constituti faciem approbare velit, ac ratificare. Respondit, Etiam. Et lecta ipsi ad verbum P. Prouincialis mandato per me Scribam ad clarem vtriusq; intelligentiam eius depositione, atq; per ambos, vt asseruerunt, bene audita, atq; intellecta, præfatus Fr. N. adductus interrogatus est, an prædicta per ipsum deposita, fuerint, sintq; vera, illaque pro veritate dixerit, modoque probet, & ratificet. Qui quidem vera esse, &c. respondens, tunc idem P. Prouincialis ad prædictum constitutum conuersus, ipsum interrogauit, quid modò prædictis respondeat. Ipse autem ad adductum versùs ita respondit. Tu es magnus mendax; replicante dicto teste adducto, quod ipse veritatem dicit, &c. Et cū vterque in suo dicto persisteret, idem P. Prouincialis præfatum testem dimisit. Cum ipso autem constituto examen continuans ipsum interrogauit, atq; vt veritatem aperiat, mendacioq; & pertinacia, quādo se de mendacio conuictum iam cernit, abstineat, monuit, pariter, & cohortatus est.* Ita Carthar. in prax. interrog. reor. lib. 3. cap. 3. nu. 28. Ghisil. de Iud. Regul. cap. 19. num. 17.

Ambrosinus. Carthari. Ghisler.

14. Noto 7. quòd si reus sit in carcere, & in compedibus, ad hoc vt examinetur, debet, solui, & excarcerari, vt liberiùs possit veritatem fateri. Et sic obseruat totus mundus, vt dicunt Spathar. de modo corrig. Regul. tract. 9. cap. 5. num. 15. Roderic. in resol. regul. resol. 44. n. 14. Nam cum carcer mala mansio sit, adeo vt morti æquiparetur, vt dicit Carth. cit. lib. 2. cap. 1. nu. 60 confessio à carcerato extorta, metu tormentorum extorta dicitur.

Spatarius. Rodericus.

15. Et aduerte, quòd quando sunt duo testes, vnus pro actore, alter pro reo, maior fides

est ad,

hibenda testi facienti pro reo, quàm illi, qui pro actore, nisi persona ab actore faciens aliqua magna dignitate, aut auctoritate, vel probitate eluceret. Ita Mansus de modo proced. in causis Regul. cap. 15. num. 3. ex Soto. *Mansus.*

LITERA S.

CAP. I.

De Forma sententiæ absolutoriæ.

IN Christi nomine, Amen. Frater N. Prouincialis N. Visis, ac diligenter discussis omnibus, & singulis, quæ continentur in processu à nobis fabricato in causa, & causis, vertētibus coram nobis inter Fr. Inquietum *denunciatorem ex vna, & Fratrem* Pacificum *denunciatum ex alia partibus, de, & super excessibus, ac delictis per dictum* Fratrem Pacificum, *vt dicebatur, perpetratis, & commissis, signanter verò super eo, quòd prædictus* Pacificus *in ebrietatem sæpissimè incidisse visus sit, nostrorumque Collegarum præhabito consilio, & assensu. Deum præ oculis habentes, vt de illius vultu nostrū iudicium prodeat, oculique nostri videant æquitatem, per hanc nostram definitiuam sententiam, quam in his scriptis ferimus,* Christi *nomine repetito, dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & definitiuè sententiamus, in præfato processu à nobis fabricato nihil extare, quod dictum* Fratrem Pacificum *grauet, non solùm de præmemorato ebrietatis, sed nec etiam de alio quocunq; delicto. Quamobrem eumdem* Fratrem Pacificum *vti innocētem omnino absoluimus, & liberamus, ac pro absoluto, & penitùs liberato, vbique, ac omni loco, & tempore haberi volumus, & mandamus. Insuper, quatenus opus sit, ad pristinum statum, gradum, prærogatiuasq. honoris, ac famæ, dignitates quoque, & officia, in omnibus, & per omnia restituimus, reponimus, reintegramus, & pro restituto, reposito, ac reintegrato, vbiq; ac in omni loco, statu, tempore, ac occasione pro tali ab omnibus retineri, ac reputari, ac haberi volumus, & mandamus. Ipsum verò* Fratrem Inquietum, *eodem* Christi *nomine repetito, constitutionum nostrarum transgressorem, detractorem, ac iniquum delatorem per hanc nostram diffinitiuam sententiam declaramus, & in infamiæ quoque pœnam incidisse. Atq; ita decernimus, ut nullis eius in posterum dictis, siuè in iudicio, siue extra, ulla penitus fides habeatur. Sic dicimus, pronunciamus, & sententiamus, non solum hoc, sed, & omni alio meliori modo, uia, & forma, quibus de iure possumus, ac ualemus. In quorum fidem, &c. Ita pronuncians ego* N. *Prouincialis. Frater* N. *Collega &c.*

Lata, lecta, & publicata fuit hæc sententia N. in Conuentu N. die, anno, &c. præsentibus P. F. N. Correctore, & P. F. N. Seniore, testibus ad hoc uocatis, in camera nostra solita residencia. Ita est Frater N. *Corrector testis, &c. Ita est F. N. Senior testis, &c.*

1. Noto 1. quòd tripliciter potest absolui reus in iudicio accusatus, vel denunciatus, vel inquisitus. 1. Quia sit repertus innocens ab ipso Iudice, qui cognouit eius innocentiam per semetipsum, absque facto prætensi rei. 2. Quia prætensus suam innocentiam manifestè probauerit. 3. Quia dictam innocentiam probauerit, purgando indicia. 1. modo id contingit, quando non solùm non est aliquid probatum contra prætensum reum, sed nec adsunt indicia, quibus iuridicè possit citari, vocari, seu examinari; quia scilicet est illius innocentia ita manifesta, vt ex nullo capite possit obscurari; & hoc siuè Iudex procedat ex officio, siue ad instantiam partis, & tunc Iudex, si processit ad instātiam partis per viam accusationis, debet vti supradicta forma: Si verò processit ex officio, potest etiam illa vti, mutatis mutandis; Et similiter, si processit per viam denunciationis. 2. Potest absolui prætensus reus in iudicio, quia licèt ex sufficientibus indicijs fuerit citatus, & iuridicè examinatus, vel quacunque ex causa, vel occasione captus; verumtamen probat, vel ostendendo testium falsitatem, vel probando, quòd non poterat facere illud, de quo fuit imputatus; & sic plenè constare facit Iudici absq; vlla tortura, se nullatenus commisisse crimen illi imputatum; & tunc tenetur Iudex illum definitiuè absoluere ex capite innocentiæ, quicquid in processu aliàs præcesserit. Ita Couarr. lib. 1. variarum, cap. 1. num. 8. Clarus in practic. crim. q. 62. num. 2. Spathar. de modo corrig. Regul. tract. 10. cap. 9. num. 2. Et poterit tunc Iudex hac vti forma. *Viso per nos fabricato processu contra P. F. N. super ebrietate, de qua apud nos in hac generali visitatione grauatus fuerat, omnibusque contra ipsum factis probationibus, expensis, & discussis, veraque, & sincera eiusdem confessione audita, ipsiusque etiam propensis in contrarium probationibus, per hanc nostram diffinitiuam sententiā, nulla ipsum nec pro hac, nec pro alia coram nobis legitimè probata causa dignum esse aliqua animaduersione decernimus; eumque proinde innocentem declaramus, atque ea præfata absoluimus imputatione. In quorum fidem, &c.* 3. modo potest reus absolui, quando contra ipsum sunt tot, & talia indicia, quæ ipse non potuit plenè euacuare, nisi per torturam, & tunc absolui debet, sed non diffinitiuè, neque ex capite innocentiæ, sed apposita clausula; *stantibus rebus prout stant*, seu *ex hactenus deductis*. Ita Spathar. loc. cit. cap. 10. num. 2. Clarus loc. cit. & tunc potest Iudex vti forma hic immediatè præcedente, mutatis mutandis. *Clarus. Spathar.*

2. Noto 2. quòd quando quis est absolutus ex causa innocentiæ 1. vel 2. modo, non potest contra eum ampliùs procedi pro illo delicto,

neq;

neq; ex officio; neq; ad instantiam partis, neq; per viam accusationis, neq; per viam denunciationis, quibuscunque superuenientibus indicijs. Ita habetur in cap. *De his*, de accus. & in leg. *Si cui*, §. *Iisdem*, ff. de accus. Ita Clarus in practic. crim. lib. 5. §. fin. q. 57. num. 1. vbi Basard. num. 1. Spathar. tract. 10. cap. 11. num. 1. Aldrete de discipl. tuend. lib. 2. cap. 10. num. 9. Barbos. in cap. *De his*, de accus. num. 2. Farin. par. 1. praxis, q. 1. num. 51. & q. 4. nu. 1. vbi latè Scaccia de sent. & re iud. gloss. 14. q. 7. nu. 151. Ghisil. de Iud. Regul. cap. 20. num. 17. Et ratio est. Quia illa absolutio transit in iudicatum, & de re iam iudicata ampliùs iudicari non potest; l. *Res iudicata*, ff. de reg. iur. clem. 1. de except.

Clarus. Balardus. Spathar. Aldrete. Barbosa. Farinac. Scaccia. Ghisiler.

3. An autem contra absolutum tertio modo possit iterum procedi, si nouæ probationes superueniant, communis opinio tenet, quòd sic. Ita Couarr. Scaccia, Ghisil. loc. cit. Spathar. cap. 12. à num. 1. Clarus loc. cit. num. 2. Qui tamen q. 62. num. 2. ait, quòd ille, qui purgauit indicia per torturam, esset diffinitiuè absoluendus. Et Spathar. loc. cit. num. 4. & cap. 13. n. 6. absolutè putat, quòd inter Regulares semel absolutus, etiam cum clausula, *Rebus sic stantibus*, non debet iterum accusari, etiam superuenientibus magnis indicijs; in magnis criminibus. Et sic ego puto, quòd sit omnino diffinitiuè absoluendus, ad truncandas diffidiorum, & malignitatum occasiones.

4. Quando autem dubitatur, an sententia absolutoria sit diffinitiua, quia reus delictum non commisit; vel rebus sic stantibus, quia purgauit indicia per torturam, cum nulla in ea appareat clausula id distinguens, tunc iudicanda est diffinitiua, & consequenter quòd transierit in iudicatum. Ita Couarr. lib. 1. variar. cap. 1. nu. 8. Clarus q. 57. cit. num. 3.

Couarruu. Clarus.

CAP. II.

De Forma sententiæ interlocutoriæ.

CVM de ebrietatis vitio coram nobis denuntiatus sit P. F. N. ipse verò contra N. N. testes ad id à denunciatore allatos exceperit, quòd infames essent; propterea quòd aliàs fuerint de falsitate conuicti, ac pœnitentiati, idque nobis certò constare fecerit, ac simul institerit, ut iustitiam sibi super hoc nequaquam denegaremus. Nos Frater N. Ordinis N. in Prouincia N. Prouincialis, attendentes, exceptiones propositas veras esse, sufficienterq; probatas, de nostrorum Collegarum assensu prædictos N. N. tanquam infames, à ferendo testimonio repellendos esse decernimus, prout præsenti decreto, seu interlocutoria sententia repellimus, atque illegitimos, & inhabiles declaramus, & consequenter prætactum Fratrem N. propter eorumdem testimonium minimè fatigandum. Idq; prædicto non solum, sed & omni alio meliori modo, via, & forma, quibus de iure possumus, ac valemus. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd sententia interlocutoria est, quæ aliquid ad causam pertinens, ipsa adhuc pendente, obiter decernit. Et est duplex. Vna, quæ simpliciter interlocutoria dicitur, vt cum Iudex dilationem concedit, testes examinari præcipit. Alia, quæ vim habet definitiuæ; & est illa, quæ præcipuum aliquem articulum determinat, ex quo maximè totius causæ definitio pendet, vt in forma allata. Ita Aldrete de discipl. tuenda, lib. 2. cap. 13. num. 1. Et colligitur ex Trid. sess. 24. cap. 20. de refor. Forma autem sententiæ simpliciter interlocutoriæ potest esse talis. *Cum à nobis Frater N. instanter petierit, vt sibi longius aliquod temporis interuallum assignaremus, quo innocentem se à calumnia probet, de qua apud nos dicit se accusatum. Nos attendentes, quod iusta petentibus non sit denegandus assensus, iam illi per nos concessum tempus ad aliud trimestre prorogamus, intra quod quidem, vt omnia, quæ in sui defensionem preferre potest, ac vult, producat, omnino præcipimus, ac mandamus, eo alioqui transacto, ad diffinitiuam sententiam processuri. Sic interloquendo dicimus, ac pronunciamus omni meliori modo, &c.* *Aldrete.*

2. Noto 2. quòd sententia diffinitiua non potest ferri, nisi priùs præcesserit ordo iudiciarius. Interlocutoria verò fertur non seruato iuris ordine. Ita Scaccia de sent. gloss. 14. q. 4. num. 30. & 31. Item sententia diffinitiua valida ab eodem Iudice reuocari non potest; l. *Iudex*, ff. de re iud. cap. *In literis* de offic. deleg. Interlocutoria verò potest. Sanchez lib. 6. consil. cap. 1. dub. 24. num. 1. & 2. Item à diffinitiua appellari potest, non autem ab interlocutoria; nisi contineat grauamen, quod non possit per diffinitiuam reparari. Ita Scaccia loc. cit. q. 4. à nu. 36. Item quæ per diffinitiuam præcipiuntur, non expirant, etiamsi Iudex suum finierit officium; quæ verò præcipiuntur per interlocutoriam, finè causæ cognitione expirant. Aldrete de discipl. lib. 2. cap. 27. §. 8. num. 27. & 28. Item sententia diffinitiua debet ferri in scriptis; interlocutoria potest finè scriptis. Scaccia loc. cit. gloss. 12. à nu. 12. & possunt in ea omitti illa verba, *In nomine Domini*. Scaccia cit. cap. 2. gloss. 1. q. 1. num. 168.

Scaccia. Sanchez. Aldrete.

CAP. III.

De Forma sententiæ diffinitiuæ condemnatoriæ.

IN *nomine Domini, Amen. Frater, &c. Viso à nobis, diligenterque discusso per nos contra Fratrem Bibacem fabricato processu; in quo idem F. Bibax de pluribus delictis, atque in specie de ebrietatis vitio notatus erat; ac inquisitus, omnibusque in eo contentis sedulò examinatis, de Collegarum nostrorum consilio, & assensu, solum Deum præ*

oculis habètes, per hanc nostrā diffinitiuā sententiam, quam in his scriptis ferimus, Christi nomine repetito, dicimus, sententiamus, declaramus, pronunciamus, ac definimus, prædictū Fratrem Bibacem fuisse de ebrietate conuictum. Quia verò iustitia partes exigunt, vt merito delicta purgentur supplicio, ipsum propterea ad carceres formales, per tres menses damnamus. Mandantes, vt singulis quartis, & sextis ferijs comedat panem, & aquam duntaxat. Sic dicimus, & sententiamus, non solùm hoc, sed & omni alio meliori modo, via & forma, quibus de iure possumus, ac ualemus.

Lata, lecta, & publicata fuit supradicta sententia in Conuentu N. in camera nostra solitæ habitationis coram P. F. N. Correctore eiusdem Conuentus, & P. F. N. ipsius etiam Procuratore, testibus ad id uocatis, die 17. Iulij, anno Domini 1634. Ita pronunciaui Ego F. N. Prouincialis. Ita est F. N. Corrector testis. Ita est, F. N. Procurator testis; Post Prouincialem subcribuntur Collegæ.

Th. à Iesu. Aldrete. Rodericus. Farinaci⁹.

1. Noto 1. quòd in sententia potest quidem Iudex exprimere causam, propter quam eo modo iudicat, seu reum condemnat, vel absoluit, ad id tamen non tenetur. Ita habetur in cap. *Sicut*, de sentent. & re iudic. & ibi Glossa ver. *Exprimantur*; Tho. à Iesu de visit. Regul. tract. 3 cap. 15. Aldrete de discipl. lib. 1. cap. 17. num. 6. Roder. in resol. regul. resol. 47. num. 2. Farin. par. 1. praxis, q. 17. num. 62. Qui tamen aduertit, quòd quando recedit in sententiando à pœna statutaria, vel consuetudinaria, illam scilicet augendo, vel minuendo, debet in sententia causam auctæ, vel imminutæ pœnæ exprimere, non quidem ad validitatem, & substantiam sententiæ, sed ad excusationem ipsius Iudicis. Quam tamen causam non est necesse exprimere in particulari, sed sufficit in genere, scilicet, *Iustis de causis animum nostrum mouentibus*. Ita dictus Farin. loc. cit. à nu. 63. & Clarus in praxi crim. lib. 5. §. fin. q. 85. num. 10. Mir. de ordine iudic. lib. 2. q. 17. art. 6. à num. 101. Aldrete de discipl. lib. 2. cap. 14. num. 12.

Ghisleri⁹. Clarus. Scaccia. Balardus. Speculator

2. Noto 2. quòd ante prolationem sententiæ Iudex etiam regularis debet citare, seu vocare reum, vt si quid habet, quòd dicat pro sui defensione, afferat. Quæ vocatio est ita de substantia, vt omissa annullet sententiam. Ita habetur in clem. *Sæpè*, §. fin. de verb. signif. Dicunt Aldrete de discipl. lib. 1. cap. 17. num. 3. Ghisl. de Iud. Regul. cap. 10. num. 9. Clarus loc. cit. q. 31. num. 24. Scaccia de sent. gloss. 9. num. 36. & num. 37. aduertit, quòd citatio facienda est pro certa die, & hora, alioquin dubitari potest, an valeat, & reus potest dici pro non citato, vt videri potest apud Balard. ad q. 32. Clari nu. 67. qui affirmare videtur, quòd valeat. Et est ita hæc citatio essentialis, vt etiam in notorijs requiratur, vt ait Clarus loc. cit. q. 9. num. 4. & Specul. lib. 3. rubric. de notorijs crim. §. 1. num. 2.

3. Noto 3. quòd clausula illa, *In nomine Domini*, semper est apponenda ante sententiam. Nam quilibet minister aliquid faciens alieno nomine, debet exprimere illum, cuius nomine id facit, vt colligitur ex illo Io. 10. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, &c.* Et qui non exprimit illum, cuius nomine aliquid facit, videtur facere nomine suo; quia persona extrinseca non intelligitur, nisi exprimatur; l. *Si ita stipulatus*, §. *Chrysogonus*, ff. de verb. signif. Sed omnis Iudex est minister Dei, cap. *Quæsitum*, 23. q. 4. & cap. *Non solùm*, & cap. *Sunt quædam*, 23. q. 5. & ad Rom. 13. ait Paulus, *Dei enim minister est*. Si autem talis clausula non apponatur, non per hoc vitiari sententiam multis probat Scaccia de sent. cap. 1. glossa 1. à nu. 52. Nam licèt non exprimatur expressè, tacitè tamen semper intelligitur, cum sine Deo nihil possimus facere. *Scaccia.*

4. Noto 4. quod sententia diffinitiua in scriptis ferenda est, alioquin est ipso iure nulla. Ita habetur in cap. *Et si sententia*, de re iudic. in 6. & multis probat Scaccia loc. cit. gloss. 11. à num. 1. & num. 2. ait, quòd non sufficit sententiam edi in scriptis, sed debet ferri, & recitari in scriptis.

Clarus. Ghisleri⁹. Menochius. Casarubi⁹. Th. à Iesu. Mansus. Passareli⁹. Rodericus.

5. Noto 5. quòd pœnæ Regularibus infligendæ a Iudice regulari, desumendæ sunt ex statutis ipsius Religionis, non ex iure communi, aut aliunde. Ita Clarus in pract. crim. lib. 5. §. fin. q. 85. nu. 5. Ghisil. de Iud. Regul. cap. 13. à num. 11. & num. 14. ait, secundùm eadem statuta debere etiā iudicare Protectores, & alios, ad quos de iure possunt recurrere Regulares. Et hanc opinionem, quòd pœna statutaria tollat pœnam iuris communis, tenent propè innumeri DD. quos refert Menoch. de recuper. possess. remed. 9. num. 339. q. 51. licèt ipse ab ea recedat, nu. 386. In Regularibus autem id difficultatem non habet, cum priuilegia Summorū Pontificum Bonifacij VIII. & Bonifacij IX. id expressè concedant, vt refert Casarub. in comp. verb. *Correctio Fratrum*, nu. 6. & 8. Et id etiam docent Thomas à Iesu de visit. Regul. tract. 3. in proœm. & cap. 2. num. 1. Mansus de modo proced. in causis Regul. cap. 19. nu. 3. & est textus expressus in clem. 1. de priuil. ver. *Si qui verò præmissa*, & in cap. fin. de statu Monach. §. *Porro*, ibi, *iuxta B. Benedicti Regulam*; & ibi, *regulari censura*. Et innuitur non obscurè in decreto de apostatis nouissimè emanato à Congreg. Cōcilij de mandato Vrbani VIII. quòd habes in constit. 10. Vrbani VIII. tom. 2. nostr. priu. §. 3. ibi, *secundum regularia instituta puniendi*; Vbi verò regularia statuta non prouident, tunc recurrendum est ad sacros Canones. Ita Ghisil. loc. cit. nu. 13. Thom. à Iesu loc. cit. cap. 2. n. 1. Passar. in schol. ex Genuen. num. 8. Et pro Ordine nostro habetur statutum in Capitulo Genuens. 5. nu. 8. Et colligitur ex cap. fin. de statu Monach. cit. vbi postquam Papa dixit, quòd Monachi puniri debent secundùm Regulam B. Benedicti, subdit, *& Apostolica instituta*, innuēs eos esse puniendos secundùm statuta, cum adsunt, si verò non adsint, secundùm Apostolica instituta. Deficientibus verò statutis, & iure canonico, recurrendum est ad ius ciuile, ad leges municipales, ad consuetudines laudabiles, & legitimas. Ita Roder. in resol. reg. resol. 47. num. 3.

Th. à Iesu num. 3. Thom. à Iesu loc. cit. cap. 2. nu. 3. & 4.
Aldrete; Aldrete lib. 3. cap. 14. à num. 5. Et pro hoc faciunt cap. *Suscipitis*, & cap. *Si in adiutorium*, d. 10. & cap. 1. de nou. op. nunc.

6. Noto 6. quòd in delictis notorijs non requiritur solemnis sententia, quæ in supracitatis formis seruata est, sed sufficit aliqualis, puta
Farinac. aliquod decretum, vt probat Farin. 1. par. praxis q. 21. num. 125. quæ sententia, seu decretum, etiam sufficit, quando reus captus est in flagranti; idem Farin. cit. num. 135. Et aduerte, quod sententia ex quocunque defectu nulla, vel iniusta, non est reuocanda, si notoriè constet, quòd eadem esset ferenda, veritate detecta; vt cum
Scaccia; multis docet Scaccia de sent. gloss. 14. q. 13. num. 20. & 81.

7. Noto 7. quòd bonus Iudex, antequam sententiam ferat, debet subtiliter, & diligenter legere, & relegere processum, & secundùm illum, deposito odio, vel amore iudicare, considerans illud Ambros. relatum in cap. *Iudicet*, 3. q. 7. *Bonus Iudex nil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges, & iura pronunciat, & annis iuris obtemperat, &c.* Ita tamen ius seruare debet, vt cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudiciũ, cum lenitate seueritas adhibeatur, vt statuit Trid. sess. 13. de reform. cap. 1. Et Sanctissimus Patriarcha noster expressè mandauit Superioribus, vt in iudicando oleum cum manna, iustitiam cum misericordia miscerent.

CAP. IV.

De forma sententiæ condemnatoriæ, absque expressione causæ.

IN nomine Domini, Amen. Frater, &c. Visis per nos, diligẽterque discussis omnibus, & singulis in causa, & causis coram nobis actitatis contra F. N. Ordinis nostri Sacerdotem professum, grauissimorum criminum reum esse eumdem comperimus, vt ex testium, & sua in specie constat depositione. Quamobrem de Collegarum nostrorum assensu hac nostra quam in scriptis ferimus, diffinitiua sententia, Christi nomine repetito, dicimus, sententiamus, declaramus, pronunciamus, ac definimus, prædictum F. N. culpabilem esse, ac de iure punibilem, eumq; propterea ad carceres per tres menses damnamus. Sic dicimus, sententiamus, & definimus, non solùm hoc, sed & omni alio meliori modo, &c. vt supra hic cap. 3.

CAP. V.

De Forma assignandi aliquem in Studentem.

FRATER, &c. Religionis nostræ gubernatores à Deo constituti, operam, & quidem præcipuam, dare debemus, vt inter varias caliginosi mundi procellas, ac turbines, motum, cursumque suum secundissimè teneat sacra nauis. Id verò, cum non nisi per literarum studia, quæ ardens veluti lucerna, syrtes detegunt, assequi posse videamur, hinc est, vt si quos nouimus comparanda scientia cupidos, atq; optimæ spei Religiosos, omne ipsis ea in re subsidium, & opem libentius impartiamur. Quamobrem cum ex ijs, dilecte fili, quas nobis nuper dedisti, litteris, haud obscurè cognouerimus, te philosophicas iam pretergressum disciplinas, sublimiores etiam, ac theologicas addiscendi cupiditate maxima incendi, eamq; ob causam Collegium *N. Prouinciæ N. adeundi facultatem à nobis peroptare.* Nos *virtutum tuarum igniculos attendentes, ingenij acumen, & præstantiam, naturæq; facilitatem, quibus omnium in te beneuolentiam concitasti, & fide digno apud nos testimonio commendaris, progressui tuo, & commodo propensiùs, valdiusque intendere cupientes, harum serie, ac vi te cum oneribus, ac honoribus in præfato nostro* Collegio *sacræ Theologiæ ad quatuor annos Studentem, ac Auditorem, Deo, & Religioni sub humili Pastoris, Doctorisque obedientia famulaturum eligimus, ascribimus, & cooptamus. Seriò te, paterneque commonentes, vt præstantiorem literis virtutem præferas, & scientiæ oleo ignem foueas charitatis. Ita enim fiet, vt luminosę lucernę pręsidio saxa, & cautes deuitans, industrius veluti remex, plenam cęlestibus diuitijs nauem in æternę salutis portu fœlicissimè valeas collocare. Et Dominus te benedicat. In quorum fidem, etc. Datum, &c.*

Leges obseruandæ à Regente, Lectoribus, & studentibus Collegij Ordinis Minimorum Iesu Mariæ Genuæ.

§. 1. *De Religione erga Deum, & Sanctos in huius studij prosecutione.*

1. ANTE *studium, & lectionem omnibus studentibus cum Lectore genuflexis, sequens semper oratio præmittatur.* Iesu dulcissime, da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Illumina cor meum, vt sciam, velim, & faciam, quod acceptum coram te sit omni tempore. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, & affectum meum inflammet ad cognoscendum, & amandum te Dominum Deum meum in omnibus, & super omnia. ℞. Amen.

2. *Collegij huius Tutelares sint D. Thomas, & S. Catharina Virgo, & Martyr, quorum festa solemniter, & campanarum harmonico sono, ac tinnitu celebrentur. Cantabitur missa solemnis, die quidem S. Thomæ ab aliquo Theologiæ Lectore; die autem S. Catharinę à Lectore Philosophiæ; ministri verò eorum respectiuè Studentes, vel Lectores quò ad fieri poterit. Studentes omnes Clerici communicabunt.*

3. *Quemadmodum Superioribus omnibus cauendum, ne studiorum feruore, solidarũ virtutum, studiosaq; vitæ amor tepescat, ita etiã cauendum, ne voluntarijs mortificationibus, orationibus, ac meditationibus prolixis loci multum studij tempore tribuatur. Quare etiã, quantum decentia, & honestas, ac Regulæ obseruantia patietur, diuinorum officiorum prolixitas fugienda.*

§. 2. *De Regente.*

4. REGENS *in Capitulo Prouinciali eligatur ad triennium, isq; sit de studijs benemeritus, & qui Lectoris scholastici officium diù obierit, virq; prudens, ac discretus. Conclusionibus semper assistat, eique liberũ sit in qualibet conclusione, & argumentatione, nedum in fine, sed & in medio, ac in qualibet ipsius parte, prudenter tamen, loqui, & quæcunque ei dicenda visa fuerint; ad studium, & præsentem quæstionem pertinentia, dicere, & pronunciare. Quo quidem loquente omnes tacere, ipsoque silentium indicente, cuncti pariter tam Lectores, quàm studentes, silere teneantur.*

5. *Cum quemquam è nostris ab extraneis contigerit ad arguendum inuitari, Regentis erit quem voluerit, siue ex Lectoribus, siuè ex Studentibus ad id muneris explendum destinare.*

6. *Liberum sit impedito Regenti vices suas Lectorum cuilibet, seu alteri idoneo Fratri cõmittere; idque non ad breue tantum tempus, sed, & diuturnum; modò tamen semper causa vigeat impedimenti.*

7. *In casibus occurrentibus, hic non expressis, prudenti Regentis arbitrio, ac dispositioni relinquitur, si quid erit faciendum; Et in hic expressis, eiusdem prudentiæ remittitur, si quid circa horarum dispositionem, & campanulæ pulsationes immutandum fore aliqua suaserit rationabilis causa.*

§. 3. *De Lectoribus.*

8. ANTEQVAM *Lectores instituantur, à Regente, eiusq; Lectoribus actu legentibus examinentur, assistente P. Prouinciali. Quibus quidem omnino curandum, vt pij dumtaxat, docti, diligentes, & assidui, necnon studentiũ profectus cupidi, ac studiosi admittantur. Cum his tamẽ, qui essent notoriè docti, per P. Prouincialẽ, eiusq; Collegas, ac Regentẽ, nemine discrepante, super dicto examine poterit dispẽsari. Et ea in primis cõditio in nostris Lectoribus requiratur, vt Philosophię scilicet, ac Theologię cursus omnino compleuerint.*

9. *Lectores omnes suas in primis sic forment lectiones, vt communem, ac laudabilem minimè excedant legendi modum. Suos etiam discipulos, et auditores sic erudiant, vt ad ædificatoriè legendum, prędicandum, confessionesq; audiendas, iuxta Beati Patris pręceptum, idoneos, & aptos efficiant. Verbo pręterea, ac exemplo eos ita instruere satagant, vt ab inutilibus, vanis, & scurrilibus præcipuè inter legendum miscendis abstineãt, & suos tandem sic condiant sermones, vt, quæ de ore eorũ procedunt, sapiẽtiam tantũ redoleant, ac pietatẽ.*

10. *Philosophiæ Lectores tribus ad summum annis totum sic absoluant cursum Philosophicum, ut primo nimirum anno Logicam*

perfi-

perficiant. Secundo verò Physicorum libros octo, ac de Cælo, & Mundo. Tertio denique libros de Generatione, Anima, & Metaphysica.

11. *Lectores Theologiæ duo saltem semper sint, quorum alter mane, alter vespere legat, totumq; Theologicum cursum quatuor ad summum annis absoluant, hoc pacto videlicet. Primo anno matutinus legat de Deo trino, & uno. Vespertinus de iustitia, & iure: Secundo anno matutinus de Angelis, de Beatitudine, de voluntario, ac de actibus humanis. Vespertinus autem de Incarnatione. Tertio anno matutinus de vitijs, & peccatis, ac de gratia: Vespertinus de sacramentis in genere, ac de Eucharistia, Quarto anno matutinus de pœnitentia, & reliquis sacramentis: Vespertinus de fide, spe, & charitate. Studeātq; præterea ipsi Theologiæ Lectores Angelici Doctoris mentem, ac methodū omnino seruare.*

12. *Lectores morales, seu casuum consciētiæ, bis saltem in hebdomada, die nimirum Iouis, & Dominica, post mentalem orationem in Choro discutiendos proponāt casus, quibus Sacerdotes omnes ad Superioris nutū interrogati, aperto capite stātes, respondere teneantur, nisi aliud Superiori visū fuerit expedire.*

§. 4. *De Studentibus.*

13. *ANTEQVAM ad studia admittantur Studentes, examinentur per Regentem super grammatica, si ad Logicam; vel super Philosophia, si ad Theologiam sint admittendi.*

14. *Cor purum in primis, & mundam conscientiam seruare studeant, nihilque aliud spectent in literis addiscendis, quàm diuinam gloriam, animarumque salutem. Modestia religiosa in scholis, ac publicis, priuatisque disputationibus semper vtantur, clamores præsertim, & cachinnos fugiendo. Præsente Lectore, nullus omnino absque eius nutu, & licentia loquatur: nullusq; rideat, præsertim cachinnando; nemo sedeat immodestè, nec genu genu superimponat; nil quisquam effingat in scamnis calamo, uel gladiolo, à Lectoribus puniendus, si secus faxit.*

15. *A Lectoribus in scholis vocati statim assurgant, apertoq; respondeant capite, sicq; ad finem vsque permaneant. Super his tamen prudenter valebit Lector cum Sacerdotibus dispensare. Extra scholas etiam Lectores omnes singuli Studentes humili affectu, ac reuerentiali gestu venerentur, aperto capite eos alloquendo, & caputio ad verticem saltem capitis resiliente.*

16. *Ad prælectiones recognoscendas cuncti se parent, nec ullus singillatim pro tali lectione recognoscenda moneatur. Qui in hoc defecerit, prudētis Lectoris arbitrio puniatur.*

17. *Absque Regentis licentia nullus lectiones omittat. Qui secus egerit, Regentis arbitrio puniatur.*

18. *Extra Conuentum quauis de causa non mittantur, etiam à Correctore, absque Regentis scientia, & ipsius accepta in egressu, ac regressu benedictione. Laudabile quoque, & consentaneum, vt nec Lectorum quisquam exeat insalutato Regente.*

19. *Si cuipiam Studenti cum aliquo, siuè extraneo, siuè domestico colloquendum esset, id cū Lectoris licentia fiat, si res breui sit expedienda; si a verò notabilem exigat temporis morā, Regentis tunc obtinenda licentia.*

20. *Ab excubitore excitati continuò surgāt, & præmissis, quę secundùm Deum Religiosos agere par est, lectionū studio se statim tradant.*

§. 5. *De Bidello.*

21. *BIDELLVS generalis à Regente ex Studentibus ipsis seligendus, sollicitus sit ad pulsandam horis debitis pro temporum varietate mutandis campanam studij; quæ quidem pulsatio vnius Aue Maria spatium non excedat. Horæ autem debitæ erunt huiusmodi. Pro lectione matutina post primam semper immediatè pulsabitur campana, qua se Studentes omnes in cellas colligent ad lectionem reuidendam per horæ medietatem, qua elapsa, ad lectionem statim pulsabitur. Pro lectione autem vespertina immediatè post vesperas recollectionis signum dabitur pro lectione reuidenda semihorę itidem spatio, quo elapso, ad lectionem pulsabitur immediatè.*

22. *Hora autem pulsandi primam, & vesperas, pro quibus pulsandis dabit signum Bidellus, erunt infrascriptæ. A die 15. Octobris vsque ad Sabbatum ante Septuagesimam inclusiuè pulsetur ad primam hora 15. ad prādium hora 19. ad vesperas detur vltimum signum hora 20. cum dimidia; ad completorium hora 23. ad orationem mentalem hora 24. ad studium cubiculare hora 24. cum dimidia, ad cœnam hora 2. noctis; ad silentium, & dormitionem hora 3. ad matutinum hora 8. A Sabbato ante primam Dominicam Quadragesimæ, vsq; ad diem Mercurij hebdomadæ sanctę exclusiuè pulsetur ad primam hora 13. ad prandium hora 17. seu circiter. Ad recollectionem pro studio cubiculari*

 hora 20.

hora 20. ad lectionem hora 21. ad completo rium hora 23. ad orationem mentalem hor. 24. ad studium cubiculare hora 24. cum dimidia; ad ientaculum, seu collationem hora 1. noctis. ad silentium, & dormitionem hora 1. cum dimidia: ad matutinum hora 6. Post Dominicam in Albis vsque ad primum diem Iunij. ad primam pulsetur hora 11. ad prandium hora 15 ad silentium, & dormitionem pomeridianam hora 16. cum dimidia; ad vesperas detur vltimum signum hora 18 cum dimidia ad lectionem hora 19 cum dimidia; ad completoriũ ho. 22 ad cœnã hor. 22. cũ dimidia, ad silentiũ, et dormitionẽ statim post orationem mentalẽ, quæ semper fit hora 24. ad matutinum hora 5. vel circiter A die 1. Iunij vsque ad finem ad primam pulsetur hora 10. cum dimidia; ad prandium hora 14 cum dimidia; ad vesperas detur vltimum signum hora 18 cum dimidia; ad completorium hora 22. ad cœnam hora 22. cum dimidia; ad silentium, & dormitionem statim post orationem mentalem; ad matutinum hora 5. vel circiter.

23. Ipsius erit inuigilare, ne lectiones cuiusquam strepitu interturbentur; quòd si quisquam Bidelli monitum non destiterit, Regentis arbitrio corrigatur. Si quis insuper extraneus lectionum tempore scholæ iannam pulset, aut quemquam Studentium vocet, illius scholæ tantùm Bidelli munus est respondere.

24 Ad eundem quoque spectabit aptare circulum pro publicis habendis conclusionibus, locaq; extraneis assignare, atque conclusiones distribuere: quem profectò adiuuare teneantur Bidelli minores, à singulis respectiuè Lectoribus destinandi, seu alij quicunque ab ipso vocati. Ipsius tandem erit vacationis tempus indicere, ac publicare.

25. Cuiuslibet Scholę Bidellus saltem semel in hebdomada scholam verrere non omittat.

§. 6. De Conferentijs.

26  ONFERENTIÆ in aula Capituli à singulis Studentibus, suis respectiuè Lectoribus assistentibus, alternis diebus celebrentur; à principio quidem studij vsque ad Resurrectionis Pascha post completorium immediatè, à Paschate verò vsque ad finem studij, media hora ante completorium immediatè: ijsque habendis semihora tantummodo horologio arenario computanda spatium insumatur; super qua re mordicùs inuigilet generalis Bidellus; nec absque Regentis scientia omitti queant; hijque conferentijs Lectores omnes intersint ac Studentes. Defendens autem cathedram ascendat eique Lector iuxta cathedram in sede peculiari assistat.

27. Sabbato verò communes omnium scholarum conferentiæ in præfato Capituli loco habeantur irremissibiliter, & tunc omnes defendentes in scamno particulari sedeant, omnesq. Lectores in alio scamno, scamno studentium proximo, à latere scilicet dextro, ita vt Lector quilibet Scholari suo assistere commodè possit. Arguentes verò in alio scamno ex opposito defendentium. Cuius conclusioni ab vnoquoque studentium defendendæ dimidia hora tempus destinabitur, qua elapso, statim ad aliam conclusionem deueniatur. nec possit quis illud excedere in aliorum præiudicium, nisi aliter Regenti visum fuerit. Nemo, siue defendendo, siuè argumentando, discinctam chlamydem siuè fibula gestet; poterit tamen super, non subtus brachia, quantùm modestia religiosa patietur, fimbrias retorquere.

28 Dum conferentię fiunt, cuncti sedeant, taceant, attendant; neminique liceat difficultates proponere, nisi vbi arguens terminauerit, Lectorique placuerit monere, an quis difficultates habeat proponendas & hoc dumtaxat in conferentijs quotidianis; nam in cõmunibus hebdomadæ id fieri posse prohibemur, nisi, peractis omnino conferentijs, tempus superfit.

29. Cum in his conferentijs arguentes debeant esse Scholares, isti si in arguendo suo muneri satisfaciant, id permittere omnino Lectores, & solùm argumentum reassumant, cum eos deficere viderint, nec vnus semper Lector reassumat, sed alternis vicibus id Lectores præstent, & in fine argumenti, seu adueniente fine conferentiarum Lector assistens doctrinam afferendo, &c. argumento respondeat magistraliter.

30. Præter supradictas priuatas conferentias, singulis etiam mensibus publicę conferẽtiæ habendę, ad quas aliqui extranei inuitari valebunt, fiantque in loco Capituli, & festis diebus, vesperis persolutis.

31. Arguentes, siuè Scholares sint, siuè Lectores. in his conferentijs proterui non sint, vel obstinati, sed Religiosa modestia præditi, id vnum contendant, vt veritas elucescat, & studentes proficiant; suauiter semper, ac demissè loquantur & quantum feruor patitur disputationis, clamores vitent, fugiantque in primis scommata, inurbanos sales, & pungentia dicteria, multoque magis contumelias, nec propriam affectent vincendi gloriolam, sed sustentantem semper, ac assistentem honorent, animent, & adiuuent quantum fas est. Quod

etiam

etiam, & magis seruandum, quando ad disputandum cũ extraneis eos contigerit inuitari.

32. In conclusionibus, & conferentijs Lectori in tantùm præsidenti & non alijs, etiã aliàs proprijs Lectoribus, subdantur defendentes quò ad responsiones, receptionesque argumentorum, terminorumq; explicationem. Argumenti quidem terminos exponere arguentis, terminos autem conclusionis munus erit Lectoris assistentis. Circa terminorum expositam grammaticalemque acceptionem non disceptetur, sed quomodò accipiendi sint, in aliud tempus extra conferentiæ, & conclusionis horam differatur, ne disputationis cardo relinquatur.

§. 7. De tempore legendi, & vacandi.

33 LEGERE incipiant Lectores à die 15. Octobris, & pergant vsque ad 20. Decembris inclusiuè, & ab hac die vsque ad 7. Ianuarij fiant vacationes. A 7. verò Ianuarij vsque ad Sabbatum ante Dominicam Sexagesimæ inclusiuè pariter legant, vacentq; deinde vsque ad feriam 4. Cinerum vsque ad vesperas exclusiuè; à vesperis autem huiusmodi vsque ad feriam 4 maioris hebdomadæ exclusiuè lectiones habeant, & vacent vsque ad feriam 2. Dominicæ in Albis exclusiuè. Legant demum vsq; ad finem Iunij, & vacent vsq; ad diem 15. Octobris exclusiuè, quæ subsequentis anni dabit initium.

34. Lectiones quotidianæ non durent nisi per spatium vnius horæ cum dimidia, ita vt media hora in repetitione præcedentis lectionis, hora verò in scriptione, & declaratione insumatur.

35. Vacationum tempore legendas Lectores præparent lectiones, lectasque reuideant defendendas. Studentes verò eo tempore in receptas lectiones diligenter incumbant, compendia forment ad defendendum se parent. Theologiæ præterea Studentes vacationibus æstiuis concionem quæ eis forte obtigerit, in ecclesiæ pulpito, ianuis clausis, statutis à Regente diebus coram toto Conuentu habendam, sedulò componere studeant, studio insuper casuum conscientiæ quotidie per horam saltem operam dent. Studentibus verò Philosophiæ semper aliquid ex Metheoris legatur per aliquem Lectorem ad Regentis libitum. Semihoram itidem singulis diebus insumant in summulis reuidendis.

36. Singulis diebus Iouis cuiuslibet hebdomadæ à studio feriandum, & Studentes per uicinos colles, ac montes ad deambulandũ cum suo informatore concedant, eisque per penuarium de opportunis cibarijs ad animi, corporisque refocillationem prouideatur. Poterit tamen Regens diem Iouis in alium mutare, si legitima ratio postulauerit. His verò recreationum, quemadmodum etiam singulis studiorum diebus Regens curet; vt Scholastici studio non uacent recreationis hora, & semper, quantum Religionis fas est, temporis aliquid somno tribuant. Si uerò intra hebdomadam festum aliquod contingat, tum die Iouis non uacetur, nisi in lectione uespertina; & tunc Lector Theologiæ uespertinus die Sabbati mane legat. Cum uerò die Sabbati in uesperis fieri semper debeant conferentiæ prædicti Theologiæ Lectores mane Sabbati per uices legant.

§. 8. De Priuilegijs Lectorum, & Studentium.

37 AB officio chori quotidie immunes sint Lectores, diebus feriarum exceptis, quibus interesse teneantur uesperis, & completorio; diebus etiam dominicis, alijsque festiuis, quibus tenebuntur interesse missæ cantatæ, & uesperis; ac festis Domini Sabaot alijsque solemnioribus quibus matutino etiam interesse, & semel saltem in mense capitulo culparum tenebuntur.

38. Lectoribus assignetur à Superioribus Frater Oblatus qui circa frequens eorum ministerium, cellam scilicet uerrendo, lectum parando, aquam afferendo, &c. sollicitè satagat.

39. Detur Lectoribus ex qualibet comestione duplex pictantia diuerso modo parata, & supporteutur charitatiuè, si quando peculiare pulmentum, seu iusculum ad tuendam, recuperandamuè sanitatem sibi parari mandauerint. In cella tamen cum Studentibus, uel etiam absque eis nullo pacto comedere audeant, infirmitatis tempore dumtaxat excepto, & tunc ad seruitium tantum deputato ministrante. Nec cogantur Lectores in uespertina comestione communitatem, ac refectorium frequentare, sed eis permittatur, ut in aliquo communi loco omnes simul ad cœnam conueniant, ministrantibus sibi ad singulorum seruitium deputatis.

40. Assignentur Lectoribus annua scuta duodecim pro expensis studiorum ergo faciendis. Quæ quidem scuta ab omnibus Prouin-

nincię Cōuentibus soluēda erunt; ea verò alicui Oblato tradantur, ad Lectorum libitum in Religiosos, ac honestos tantū vsus expendēda. Hæc demum scuta Lectoribus, qui in Quadragesima prædicant, nequaquā concedantur.

41. Lectoribus moralibus ex qualibet comestione duplex pictantia detur, & ab officio chori ijs tantum diebus, quibus legere contigerit, sint exempti. Pro ipsis autem scuta sex annis singulis expendantur.

42. In Conuentus negotijs à Correctore nullatenus implicentur Studentes, & à Communitatis muneribus, lectionum præsertim tempore, sint omnino exempti. Illis etiam de necessarijs omnibus, tàm quo ad victum, & vestitum, quod cum alijs est eis commune; quàm quò ad studium, mensa scilicèt, lucerna, oleo, sedili, calamis, papyro, & atramento, libris etiam, si in bibliotheca non adsint, per Correctorem prouideatur, benigneq; in Regulę ieiunijs supportentur, plusque egenti plura tribuantur, & singulis semel in hebdomada exemptio à matutinis concedatur.

43. Lectores, ac studentes in omnibus causis ad studium pertinentibus Regenti soli subdantur, priuatiuè quò ad Correctores.

44. Lectores, & Studentes ab hospitum in proprijs cellis susceptione, ac seruitio immunes sint, nec à quoquam ad huiusmodi ministeria, præterquam à Prouinciali, & Regente cogi valeant, ac vrgeri.

§. 9. De pœnis, & præmijs studentium.

45. POENITENTIÆ à Lectoribus Studentibus imponendæ erunt infrascriptæ. Pro leuioribus defectibus osculatio terrę. genuflexio per aliquod temporis spatium, recitatio alicuius psalmi, culpę confessio coram condiscipulis. Pro grauioribus autem defectibus, comestio panis, & aquæ in refectorio, sedendo in terra, vel in mensa, vt Lectori placuerit, culpæ accusatio in capitulo, vel in refectorio, ad Lectoris beneplacitum. Nec valeant Correctores, inconsulto Lectore, aut Regente, prædictas pœnitentias relaxare, adque illas cōplendas omnino teneantur studētes; qui in hoc inobedientes fuerint, grauiori pœna etiam vsque ad carceres inclusiuè puniantur. Sicut verò potest Lector negligentibus pœnas imponere, ita sanè conueniens, vt diligentibus præmia largiatur; Præmia autem erunt; laus apud superiorem, & libri aliqui religiosi per Correctorem emendi.

46. Si qui studentes, vel immodesti in scholis, vel negligentes in studijs fuerint, post debitas correctiones illis per Regentem factas, à scholis, & studio per Regentem expelli poterunt; eis tamen licitum sit hoc casu duntaxat ad Prouincialem recurrere, qui, partibus auditis, ac seruata, quantum iuris ratio patietur, Regentis auctoritate, secundùm Deum; & iustitiam iudicabit.

§. 10. De Excubitore.

47. STVDENTIVM excubitor diligens sit in deferendo lumine, & excitandis à somno, studentibus, horis hic designatis, nec à cella, nisi studente quouis bene expergefacto, discedat. Horæ autem erunt infrascriptæ. A die 15. Octobris vsque ad Sabbatum ante Septuagesimam inclusiuè, excitentur hora 12. A Sabbato ante Dominicam primam Quadragesimæ vsque ad diem Mercurij hebdomadę Sanctæ excitentur hora 10. Post Dominicam in Albis vsque ad primum diem Iunij excitentur hora 8. (A dormitione pomeridiana hoc tempore excitentur hora 17. cum dimidia) A die verò prima Iunij, & infra excitentur hora 7. vel circiter.

§. 11. De Magistro Studentium.

48. STVDENTIVM Magister eligetur à Prouinciali cum suis Collegis, sitquè is, qui philosophicū, & theologicum cursum perfectè compleuerit, ac defenderit, cui etiam proximè futurus Philosophiæ cursus sit commendatus, Magisterij tempore efformandus.

49. Legat interim quempiam Philosophię moralis tractatum semel in hebdomada, & mane. Aegrotante, vel absente Lectore, illius suppleat vicem legendo. Studentium scripta perlegat, corrigat, si quid in ijs eorum vitio cernat irrepsisse.

50. Post Lectores immediatè sedeat, & in philosophicis disputationibus argumēti facultatem habeat à tertio argumentante reassumendi.

51. Ordinarium eius officium erit, curare, ut in omnibus scholis disciplina seruetur; quòd si quid, vel in studentium, vel Lectorum fauorem faciendum, ipsius est procurare.

52. Vacabit à matutinis ter in hebdomada, ut possit se preparare, & lectionis die immunis erit à prima, tuncque duplici donabitur portione.

§. 12.

§. 12. *De ordine sedendi in conferentijs, & publicis disputationibus.*

53. PRIMO loco sedeat Lector conclusionibus assistens. Secundo Pater Regens. Tertio Scholastica Theologia Lector matutinus. Quarto Lector eiusdem Vespertinus. Quinto Lector Sacræ Scripturæ. Sexto Lector Moralis. Septimo Lector Metaphysicæ. Octauo Lector physicæ. Nono Lector Logicæ. Decimo Lector philosophiæ moralis, seu Magister Studentium. Poterunt tamen diuidi hinc inde ad latus Cathedræ, & tunc ex vna parte sedeat lector assistens, & P. Regens, ac alij Lectores Theologiæ Scolasticæ, ex alia primo loco sedebit Lector Sacræ Scripturæ. Secundo Lector moralis, & Lectores philosophiæ diuidātur hinc inde secundum ordinem dictum. In alijs vero locis sedeat vnusquisque secundum antiquitatem Religionis.

54. Nota, quòd istæ leges determinatæ sunt in Capitulo Prouinciali Genuæ celebrato anno 1635. vbi discussæ, & triturateæ sunt iuxta cap. 3. d. 4. Et vocatæ sunt leges, ad eorum maiorem firmitatem ostendendam, & ad maiorem obseruantiam insinuandam. Positæ autem sinè prologis. Nam in legibus condendis vitiosum est legislatorē vti prologis, vt Seneca epist. 94. *Legem enim*, ait, *breuem esse oportet, quò facilius ab imperitis teneatur, velut emissa diuinitùs vox sit. Iubeat, non disputet, nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic quid me velis fecisse; non disco, sed pareo.* Quod tamen solum intellige de prologo, qui tanquā argumentum præmittitur, vt præcepti honestatem, vel necessitatem conuincat. Cum ergo hic leges studentibus præscribamus, rationem dictarum legum non præmisimus. Potest tamen legibus præponi prologus, seu synopsis, vel summarium, dicenda breuiter complectens; quæ profusa posteà enodanda sunt; quòd lumen mētis vocat D. Tho. in 3. d. 23. q. 1. art. 1. ad 4. statutum autem capituli prouincialis est tenoris sequentis. *Die verò 18. eiusdem mensis in Capituli locum conuenientibus Patribus oblatæ sunt leges, & priuilegia pro lectoribus, & studentibus huius collegij Genuensis. Quas lectas, & auditas libenter acceptarunt, laudarunt, approbarunt, & confirmarunt, easq; exactè, & inuiolabiliter obseruandas statuerunt.* Seneca. D. Thom.



LITERA T.

CAP. I.

De Forma, qua Prelatus potest dare licentiam suo subdito, vt possit testificari in causis secularium.

FRATER &c. tibi &c. Salutem ab eo, qui veritas est. Cum plurimum Reipublicæ intersit veritatē emergere, atque in lucem prodire tibi proinde supradicto ad Sanctæ Obedientiæ meritum præcipimus, & mandamus, vt in causa vertente inter N. & N. coram D. Pratore ciuiliter agitata pro pura dumtaxat, ac simplici veritate, quæ aliter, quam per te, vt audio, sciri non potest, coram præfato D. Pratore ciuiliter examinandum te sistas. In quo quidem examine illud in primis tibi curæ esse volumus, ac iubemus, vt si criminalis quispiam, vel infamatorius occurrat articulus, nullo te pacto in eodem implices, & commisceas, etiam si aliter, quam per te, veritas haberi non possit; licentiam nostram, ac facultatem, quò ad hoc tibi minimè suffragari declarantes. Religiosi namque, & Sacerdotis est sic alteri subuenire, vt nullus grauetur; & cunctis obstrictus nulli nocere debet, omnibusq; prodesse. Ea igitur prudentia vtendum monemus, vt vni videlicet sic faueas, quòd salua semper veritate, neminem lędas, nec tuo quisquam verbo se victum arbitretur. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd ista materia licentiandi Monachos ad se examinandum in iudicio seculari, vel Ecclesiastico, est multùm scabrosa, cum vix possit id cōtingere absq; odijs, vel inimicitijs, & ideò vitanda, quantum fieri potest. Vnde Spathar. de modo corrig. Regul. tract. 7. cap. 5. num. 3. putat, quòd hæc licentia tuta conscientia vix dari possit. Et concedenda non est, nisi vbi aliquis magnus Princeps, vel insignis Respublica id expeteret, ne iustitia magnum detrimentum pateretur ex defectu testium, & veritas aliter haberi non posset, nisi per testimonia Regularium. Ita Spathar. sed Nota, & alij apud Farinacium in prax. crimin. par. 2. q. 61. num. 71. hanc limitationem intelligunt, non cum actu tantùm alij testes non interfuerunt, at cum ea natura negocij de cuius probatione agitur, nec alij testes interfuerunt, nec interesse potuerunt: sequitur Farinacius ibidem, & meritò, quia magis rationi congruum. Puto tamen, quòd in causis ciuilibus leuioribus, si in nullius detrimentum cedat testimonium, possint Superiores hanc facultatem concedere in gratiam alicuius Prælati de Religione benemeriti, seu insignis benefactoris secularis. Spathar.

2. Noto

2. Noto 2. quòd in causa criminali, in qua agitur de pœna sanguinis, non potest Superior regularis hanc licentiam suo subdito concedere, neque illum ad testificandum compellere, propter periculum irregularitatis. Et hoc, etiamsi veritas aliter haberi non possit, vt cum multis probat Farin. par. 2. praxis, q. 78. à n. 199. & q. 60. nu. 91. Megalius in promptuario theologico, verb. *Clericus*, num. 16. vers. *Et quæ dicta sunt*, Tho. à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 11. num. 10. Sparhar, loc. cit. num. 4. Quòd si Prælatus compellat, vel licentiam concedat, non est obtemperandum, vt docent Diaz in praxi, cap. 101. num. 28. & Addit. Guidonis Papæ ad q. 65. Rodriq. tom. 2. q. regul. q. 11. art. 4. fine. Colligitur ex c. *Testimonium*, 14. q. 1. Vide quæ dico tom. 1. priuil. in constit. 2. Iulij II. à n. 147. & tom. 3. cap. 3. num. 34.

Farinac.
Megalius.
Th. à Iesu.
Spathari.
Diaz.
Rodriquez

3. Noto 3. quòd concedere hanc facultatem Monachis se examinandi in causis ciuilibus grauibus, seu etiam criminalibus ad liberandum reum à morte, iniustè illi aliàs infligenda coram Iudice seculari, vel Ecclesiastico, pertinet ad Superiores Prælatos, Generalem scilicet, & Prouincialem, & penes ipsos residet potestas dictos compellendi. Ita Rodriquez tom. 2. qq. reg. q. 11. art. 4. Spathar. loc. cit. num. 2. innuit Diaz in praxi, cap. 101. num. 23. Barbos. cap. 1. de iuram. calum. num. 6. Ex quo cap. §. fin. id etiam colligitur. Nam propriè soli Generales, ac Prouinciales habent auctoritatem quasi Episcopalem. Et ita in Ordine nostro habet inueterata consuetudo. Vbi tamen talis consuetudo, aut alia constitutio contraria non adest, nõ est hæc facultas Superioribus localibus deneganda, cum nullibi reperiatur vetitum, & ipsi possint dici habere largo modo auctoritatem quasi Episcopalem, vt dixi tom. 2. Relig. q. 1. cap. 4. nu. 76. Et aduerte, quòd quando dicitur, quòd Monachus potest cogi ad testificandum coram Iudice seculari, intelligitur, quòd potest cogi à suo Prælato, non à Iudice seculari, seu Ecclesiastico. Nam Prælatus facit præceptum suo subdito, vt deponat coram Iudice seculari, non autem dat seculari licentiam ad cogendum Monachum ad testificandum coram ipso, vt notat Farin. par. 2. praxis, q. 61. num. 97.

Barbosa.

Farinac.

4. Noto 4. quòd Religiosus, qui se examinaret in iudicio seculari, vel Ecclesiastico absque licentia sui Prælati, peccaret mortaliter, & esset dignus grauissima pœna. Ita Spath. & Diaz loc. cit. Abbas in cap. 1. de iuram. calum. num. 17. Thomas à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 11. num. 12. Et probatur 1. ex dicto cap. 1. de iuram. calum. §. fin. vbi præcipitur Clericis, quòd, inconsulto suo Prælato, minimè iurare debeant; at transgressio in re graui canonis præcipientis mortale est. 2. Quia Monachus in Iudicem non suum consentire non potest; cap. *Si diligenti*, cap. *Significasti*, de foro compet. Et est ratio gloss. fin. in dicto cap. 1. quam probat Pan. Nã sic Prælato proprio irrogatur iniuria.

Spathar.
Diaz.
Abbas.
Th. à Iesu

5. Noto 5. quòd Iudex laicus non potest examinare Regularem inuitum, neq; in ciuilibus, neque in criminalibus, pro sola veritate inuestiganda, etiamsi veritas aliter haberi non possit. Quòd si cogat, incurrit in excommunicationem 15. bullæ Cœnæ contra trahentes personas Ecclesiasticas ad suum tribunal, vt cõstat ex ipso bullæ contextu, & dicunt omnes illius expositores. Multo minus potest Regularem examinare tanquam principalem; nam tunc etiam incurrit in excommunicationem 19. dictæ bullæ contra processantes personas Ecclesiasticas, vt docent Nauar. lib. 5. consil. de sent. excom. cons. 32. Bonacina de cens. in particulari, disp. 1. q. 20. puncto 2. num. 10.

Nauarrus
Bonacina.

6. Et aduerte, quòd si Iudex laicus examinet precisè Regularem in causa criminali pro sola veritate scienda, non incurrit dictam excommunicationem 19. dictæ bullæ contra processantes. Nam examinare præcisè personam Ecclesiasticam quò ad alios, non est actus prohibitus illa excommunicatione 19. contra processantes, ideo non est ad illam extendendus. Ita Bonac. loc. cit. Alterius tom. 1. de cens. lib. 5. de excom. bullæ Cœnæ, disp. 20. cap. 1. col. 9. vers. *Quæres quis*. Incurrit tamen excommunicationem 15. dictæ bullæ contra trahentes ad suũ tribunal, si dictũ Regularẽ cogat ad testificandum in suo tribunali. Dixi, si cogat, nã si nõ cogat, sed ipse Regularis spõte omnino se offerat, tunc nullam censuram incurrit, vt cum multis probat Bonac. loc. cit. q. 16. par. 4. nu. 4. Puto tamen, quòd peccatum non effugiat, si sciens dictum Regularem non habere licentiam à suo Prælato se examinandi, nihilominus eum examinet; quia cooperatur peccato illius, & facit contra cap. *Testimonium*, 11. q. 1. Neque peccat, aut vllam censuram incurrit Iudex laicus quãdo examinat Clericum, aut Regularem in casibus sibi à iure permissis. De quibus agunt Vgol. de censur. Pontif. reser. cap. 15. §. 1. à num. 6. Cenedus ad decretum, collect. 37. à nu. 2. Grassius par. 1. decis. lib. 4. cap. 18. nu. 148. & à nu. 150. Couarr. pract. quæst. cap. 23. à nu. 2. Bonac. de cens. in partic. disp. 1. q. 16. par. 6. Io: Suarez in enchir. lib. 6. tit. Excommunic. bullæ Cœnæ, num. 15. ver. *Trahi potest*.

Alterius.

Vgolinus.
Cenedus.
Grassius.
Couarruu.
Bonacina.
Io. Suarez.

CAP. II.

De Forma examinandi testes circa delictum notorium.



DIE, & loco supradictis R. Adm. P. Prouincialis attendens, & considerãs delicta eiusmodi, absque Dei offensa, Religionisque pernicie dissimulari non posse, ac de iustitia cupiens ex pastoralis officij debito prouidere, coram se vocari iussit F. N. testem ex officio assumptum, ætatis annorum 25. decem verò Religionis, ac de veritate fatenda præstito iuramento Religiosorum more tacto pectore, seu tactis Sacrosanctis Dei Euangelijs, iurauit. Et primò quidem interrogatus est, an delictum huiusmodi in tali Conuentu sciat fuiße perpetratum. Si affirmet, interrogetur secundò, *quonam pacto id sciat. Vbi esset eo tempore, vel hora, cum crimen fuit commissum &c.* vt supra lit. P. cap. 17. in principio.

CAP. III.

De Forma examinandi testes productos à denunciatore in crimine non notorio.

D*IE 18. Iulij eiusdem anni locoque supradicto. Volens P. Prouincialis, vt debitum sui officij postulat, de iustitia prouidere, iuridicas super dicto delicto informationes capiendas statuit, atque ad testium propterea examinationem censuit deueniendum. Quamobrem prafata die accersitus est P. F. N. testis super eo à denunciante productus, atatis annorum 25. Religionis verò decem; ac de veritate dicenda prastito iuramēto, iurauit, &c. Et primò quidem interrogatus est, à quonam tempore in illo degat Conuentu, an N. furti accusatum V. G. sciat, & à quo tempore, cuiusnam fama tam apud alios, quàm apud se existat, sciat ne ab ipso delictum eiusmodi perpetratum, & quomodò id sciat, &c, vt supra lit. P. à cap. 12.*

1. Noto 1. quòd circa formam examinandi testes, dixi multa supra in singulis formis formandi processus. Et puto non posse dari certam regulam; nam interrogatoria sunt variāda iuxta criminum varietates, & circumstantias, ac etiam iuxta responsiones ipsorum testium. Quare videtur potiùs remittendum prudentiæ, & scientiæ iudicis. Pro simplicioribus tamen dixi aliqua supra loc. cit. quibus hæc paucula addidi, vt ex ijs possint in casibus occurrentibus interrogatoria formare. Nam licèt surdastris loqui non dedignemur, surdis tamen omnino loquimur.

2. Noto 2. quòd in testium examine debet notari nomen, & cognomen testis, atque status ipsius, & gradus, ætas sæculi, & Religionis, ipsorumque dicta eodem sermone, quo ab ipsis prolata fuerint, eodemque pariter modo, videlicet, clara clarè, dubia dubiè notanda sunt, nihil addendo, vel minuendo; ac demum testi committere, vt, lecto prius ipsius examine, subscribat, & scribere nesciens, manu propria signum Crucis apponat. Ita seruatur de consuetudine in omnib⁹ Religionibus, vt dicit Ghisil. de iud. Regul. cap. 17. nu. 101. Spathar. de modo corrig. Reg. tract. 7. cap. 6. num. 5. Carthar. in praxi exam. reor. lib 3. cap. 3. num. 6. Follier. in pract. crim. rubric. *Capiat informationem*, n. 41, & 47. Triuisan. de modo proced. inter Reg. cap. 10. num. 5.

Ghisileri⁹ *Spathari⁹.* *Carthar.* *Follerius.* *Triuisan.*

3. Noto 3. quòd ad hoc, vt testes in iudicio legitimè probent, necesse est illos vocare, seu citare. Nam, si testis voluntariè se offerat non vocatus, suspectus redditur, nec probat; l. *Presbyter*, Cod. de Episc. & Cler. Nihil autem refert, an vocetur ex munere Iudicis, an verò, quia fuerit à parte productus, modò in processu notetur, qua via sit ad iudicium inductus ad iudicis instructionem. Ita Ghisil. loc. cit. nu. 91. Spathar. cit. à num. 2. Triuis. num. 10. Farin. par. 2. praxis, q. 80. num. 7.

Ghisiler. *Spathar.* *Triuisan.* *Farinac.*

4. Noto 4. quòd testis, quicunque ille sit, examinatus sine iuramento de dicenda veritate, non probat, vt diffusè probat Farin. cit. q. 74. num. 1. de testibus, & q. 69. vbi nu. 71. ait, quòd de dicto iuramento debet constare in processu. Quod quidem iuramentum, cum sit de iure diuino, non potest Princeps auferre, & rescribere, vt credatur testi non iurato; Farin. loc. cit. q. 74. nu. 59. Et hoc iuramentum est exigendum à teste priùs, quàm examini se subijciat; nam si exigatur post examen, non valet; Farin. nu. 31. Et debet sumi ad Sacra Dei Euangelia, sacrisq; scripturis corporaliter tactis, alioquin nō probat. Farin. num. 20. cap. *Hortamur*, 3, q. 9. cap. *Ego*, de iur. iur. Sed in Italia sufficit ex antiqua consuetudine ipsius Notarij scripta tangere manu, Farin. dicta q. 74. num. 22. Aldrete de discipl. lib. 1. cap. 9. num. 9. Episcopi verò, & Sacerdotes, quando recipiuntur in testes, non est necesse, quòd iurent tactis scripturis sacris, sed sufficit, quòd, propositis, & inspectis Sacrosanctis Euangelijs, iurent tacto pectore, vt probat idem Farin. loc. cit. num. 82. vbi ait, id ita fuisse consuetudine firmatum, Aldrete loc. cit. num. 10. Si verò in aliqua Religione adsit consuetudo, vt omnes tam Sacerdotes, quàm non, iurent tactis sacris, ea seruari potest.

Farinac. *Aldrete.*

5. Noto 5. quòd testes interrogandi sunt de denunciati cognitione, de tempore, de delicto, de præsentia, idest, an fuerint præsentes facto, de quo interrogantur. Item de visu, auditu, loco, & tempore, de nocte, vel de die, de mense, die, & anno, ac etiam de hora diei. Item qui, & quot interfuerint, de scientia, credulitate, & similibus. Ita Iacobus Butrigarius de testibus, tit. De interrog. testium, tom. 4. tract. Spathar. de modo corrig. Regul. tract. 7. cap. 6. nu. 11. Ghisil. de iud. regul. cap. 17. nu. 91. Follier. in pract. crim. rubric. *Capiat informationem*, num. 42. Ambrosinus de modo formandi processum, lib. 1. cap. 2. à num. 12. Thom. à Iesu de visit. Reg. tract. 3. cap. 7. à num. 1. Aldrete de discipl. lib. 1. cap. 9. num. 12.

Butrigari⁹ *Spathari⁹.* *Ghisiler.* *Follerius.* *Ambrosin.* *Th. à Iesu.* *Aldrete.*

6. Noto 6. quòd testis omni exceptione maior est ille, qui est integerrimæ fidei, & nulla legitima exceptione repelli potest, & de facto ipso ex certa scientia deponit. Ita Farin. par. 2. praxis, q. 62. nu. 1. Ghisil. de Iud. regul. cap. 17. nu. 85. Aldrete de discipl. tuend. lib. 2. cap. 3. nu. 6. In causis criminalibus ad probandum requiruntur isti testes; Farin. loc. cit. à nu. 20. Et vnus testis huiusmodi facit semiplenam probationem; leg. *Admonendi*, ff. de iur. iur. Et vnus talis facit indicium ad torturam; Clarus lib. 5. §. fin. q. 21. num. 1. Testes verò inhabiles sunt, qui iure à testimonio ferendo excluduntur, vt sunt infames, inimici, &c. de quibus Ghisiler. loc. cit. à nu. 4. Thom. à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 7. num. 4. Aldrete loc. cit. à num. 10. Testes isti non probant, nisi hoc immunitas postulet criminis, de quo agitur; vel nisi simus in casibus, in quibus veritas aliter haberi non possit; & sic in criminibus occultis, & difficilis probationis, & in quibus certum est, aut verisimile alios testes non adfuisse, recipiuntur. Et tunc intellige etiam, vt probent, non

Ghisiler. *Aldrete.* *Clarus.* *Th. à Iesu* *Aldrete.*

non ad effectum puniendi pœna ordinaria, sed ad extraordinariam tantùm pœnam infligendam, vel ad faciendum indicium ad torturam. Ita Clar. loc. cit. q. 24. num. 19. Ambrosi. lib. 1. de modo form. processi. cap. 8. à num. 27. Testes singulares sunt illi, qui deponunt super diuersis factis, ita vt quilibet singularis sit in suo dicto, vt V.G. si vnus deponat Petrum furtum cõmisisse, alius Ioannem percussisse, aut vnus dicat, tale delictum fuisse perpetratum domi, alter in via publica; vel vnus dicat, delictũ fuisse commissum mane ante prandium, alter verò vespere post prandium; vel vnus mense Martij, alter mense Aprilis. Ita Tho. à Iesu de visit. Reg. tract. 3. cap. 7. à num. 5. Ghisil. de iud. reg. cap. 17. à num. 47. Spathar. de mod. corrig. Reg. tract. 7. cap. 13. per totum; & plenissimè de testium singularitate Farin. 2. par. praxis, q. 64. per totam. Riccius 2. par. praxis resol. 213. Isti testes singulares super diuersa delicti specie, vel in actus ipsius substantia, vel in alijs circũstantijs necessarijs existentes nihil probant, vt diffusè Farin. cit. à nu. 33. Ait tamen D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. Quòd si isti testes de eadem delicti iterabilis specie deponant, vt de adulterio, blasphemia, furto, &c. licèt de loco, aut etiam de tempore non concordent, quamuis non probent, plusquam tamen semiplenam probationem inducunt. An autem aliquando probent, vide Tiraquell. variar. de pœnis temper. causa 51. num. 106. fol. 343. Et num. 92. ait, quòd plus creditur testibus in dignitate constitutis, quam plebeis. Et an ex solis præsumptionibus quis condemnari possit in criminalibus, vide Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 97. Tiraq. loc. cit. causa 57. num. 2.

Clarus. Ambrosinus. Farinac. Riccius. D. Thomas. Tiraquell. Menochius. Caietanus.

7. Aduerte autem hic ad doctrinam Caiet. loc. cit. D. Thomæ, qua docet, quòd inter Religiosos ad condemnandum aliquem de furto, sufficit, quòd multi testes singulares singula furta testificentur; quòd licet hoc non sit secundũ iuris rigorem, tamen, quia in Religione proceditur non tam ad puniendum, quàm ad salutem animæ, & regularis obseruantiæ fauorem, tolerabile videtur, vt talis probabilitas sufficiat ad certitudinem inter eos, qui mortui sunt mundo. Addit tamen, quòd reus non tenetur acceptare sententiam, & propterea procedendum erit per tormenta religiosa, vt exquiratur ab illo veritas. Quam doctrinam sequuntur Aldrete de disciplina tuend. lib. 2. cap. 3. num. 28. Val. tom. 3. disp. 5. q. 14. par. 2. ad finem. Eam, inquam, ita sequuntur, vt videantur velle defendere, in Religionibus omnia delicta per testes singulares probari posse. Quod tamen falsissimum est, cum de iure sit, vt nemo condemnetur, nisi de delicto conuictus; c. *Nos in quemquam*, 2. q. 1. Testes autem singulares non conuincunt, vt dixi ex Farin. & multis probat Aragon. 2. 2. q. 70. art. 2. col. 3. vers. *Illud autem*, & vers. *Illud quoque*. Et ratio est. Quia ad integram probationem requiritur, vt saltem duo testes sint concordes; cap. *Licet vniuersis*, de testibus, & cap. *Licet causam*, de prob. Non video autem, cur facilius possint condemnari Religiosi, quàm seculares, quasi illorum fama non esset tanti æstimanda, quanti sæcularium, quasi vilissimæ personæ essent Religiosi, & nihil facienda mancipia. Nec video, cur status perfectior, in quo reperiuntur, eos facere debeat deterioris conditionis in his, quæ eorum famam concernunt. Immo ex hoc colligo, quòd difficiliùs deberent posse puniri, quàm seculares. Tum quia illis ratione status negantibus, tanquam seruis Dei, plus credendum videtur, quàm alijs affirmantibus. Tum quia ex alicuius eorum condemnatione derogatur opinioni multorum. Tum quia si ad condemnãdum Episcopos, & Cardinales requiruntur multò plures testes, quam duo, ratione eminentioris gradus, & perfectionis, vt constat ex cap. *Præsul*, 2. q. 4. cur ad condemnandum Religiosum debent sufficere testes singulares, qui singuli non sunt, nisi vnus testis: Linquo, quòd Caiet. loquitur multùm dubitatiuè, & non dicit, quod possit iustè condemnari, sed quòd possit tolerari. Et intelligi potest in casu particulari de furto, & de condemnatione ad pœnitentias salutares, quæ Religiosis infligũtur ad sustentandam regularem obseruantiam. Seu potest defendi doctrina Caiet. vt illam defendit Bannes 2. 2. q. 70. art. 2. fine, quem sequitur Spath. de mod. corrig. Regul. tract. 7. cap. 14. num. 4. Ait ergo Bannes, quòd dictum Caiet. quòd scilicèt Religiosus possit condemnari de furto per testes singulares, intelligendum est, non per sententiam absolutam, sed per conditionalem, si ipse velit acceptare sententiam, sin autem acceptare noluerit, poterit torqueri, &, si negauerit, manebit liber à pœna furti. Potest etiam defendi doctrina Caiet. vt dixi supra lit. C. cap. 17. notab. 5. vt scilicet valeat ad excludendum aliquem ab officio, quod prætendit.

Aldrete. Valentia. Aragon. Bannes. Spathar.

8. Testis varius dicitur ille, qui vel contraria deposuit, siuè in eodem examine, siuè in diuersis, vel primò per verbum *Credo*, deinde assertiuè testificatur. Vel primò se nihil scire ait, postea de veritate facti deponit. Vel primò testimonium affert, deinde de se deposuisse negat. Vel vnum dicit extra iudicium, & aliud in iudicio. Ita Ghisil. de iud. regul. cap. 17. num. 55. Foller. in pract. crim. rubr. *Capiat informat.* num. 61. Isti autem testi non creditur, cap. *Cum Ecclesia*, de caus. possess. §. *Nos igitur*, Ghisil. cit. num. 64. Spath. de mod. corrig. Reg. tract. 7. cap. 17. num. 1. Clarus lib. 5. §. fin. q. 25. num. 4. qui ait, quòd testi vario, seu vacillanti, idest, qui dicit, Vidi hic, immo ibi, vel immo sic, nisi id dicat corrigendo, non creditur contra reum, nisi firmet dictum suum in tortura. Quem pũctum de tortura latè prosequitur Farin. 2. par. praxis, q. 66. à num. 98. quem vide à num. 317. Riccius par. 2. praxis, resol. 205. Vilagut in pract. crim. lib. 8. cap. 1. de testibus, conclus. 6.

Ghisilier. Follerius. Spathar. Clarus. Farinac. Riccius. Vilagut.

9. Testes discordes illi sunt, qui diuersa, & contraria deponunt, quæ inter se cooptari non possunt. Si discordia est in essentialibus, vel contrarijs, aut contradictorijs nihil probant, quia se inuicem collidunt, nec constare potest, quis eorum veritatem dixerit. Ita Farin. loc. cit. q. 65. num. 2. Et idem dic de testibus obscurè, ambiguèque loquentibus per verbum. *Videtur, Forsan, Non bene*, aut, *Non memini*, seu. *Non bene memini, Ni fallor, Salua veritate, Possibile est, Res tamen aliter potest se habere, Iudicio meo Credo*, &c. Isti enim testes loquentes per istos modos obscuros, & ambiguos, nihil probant,

Th. à Iesu bant, vt diffuse probat Farin. q. 68. à n. 1. Thom. à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 7. num. 13. & & 14. Testis falsus est ille, qui veritatem, quam scit, & fateri tenetur, aut negat, aut occultat, vel affirmat omnino contrarium eius, quod in facto esse fuit; hic nihil probat. Farin. q. 67. nu. 58, quē etiam vide nu. 220. vide Spathar. tract. 7. cap. 19.

10. Noto 7. quòd ad plenè probandū aliquod delictum, reumque conuincendum, & condemnandū, sufficiunt duo testes; cap. *Quid verò* 2. q. 5. cap. *In omni negotio*, de testibus, cap. *Cum esses*, & cap. *Relatum*, de testam. D. Thom. 2. 2. q. 70. ar. 2. vbi Bannes, Aragon, & alij eapositores, Spathar. loc. cit. c. 2. Vilagut in pract. lib. 8. de testibus, cap. 4. concl. 1. Ad hoc tamē, vt isti duo testes plenè probent, debent esse non solū omni exceptione maiores, & fide dignissimi, sed etiā debent esse contestes, ita vt iurati deponant ex certa scientia de eodem facto, loco, tēpore, personis, circunstantijs ad facti substantiam attinentibus, ac necessarijs. Ita Ghisil. de Iud. regul. cap. 17. nu. 89. Spathar. tract. 7. cap. 12. nu. 13. Aret. in pract. cap. 2. de nu. test. vers. *Dico* 2. Thom. à Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 7. nu. 17. Triuis. de mod. crim. proc. int. Reg. cap. 11. nu. 1. Et nu. 2. ponit quinque conditiones, quæ requiruntur, ad hoc vt testes sint cōtestes, quæ explicātur hoc vers. *Res, persona, gradus, hæc sunt consona, tempus*; Aldret. de discipl. lib. 2. cap. 3. à num. 1. Vilagut loc. cit. conclus. 2.

D. Thom. *Bannes.* *Aragon.* *Aretinus.* *Triuisan.* *Aldrete.*

11. Quæres, an testes eaaminati in Inquisitione generali, vel speciali, seù etiam denunciatione contra aliquem, quidquam contra eum probent ante litis contestationem, idest, antequam reus citetur, & respondeat accusationi sibi datæ. Vt declarat Gloss. cap. *Vnico* de litis contest. R. certissimi iuris esse, quòd testes eaaminati in generali Inquisitione, &c. etiam medio iuramento, nullam fidē faciunt quò ad causam decidendā, nisi de nouo, medio iuramento, examinentur, vel primam suam depositionē, etiam iuramento medio, ratificent post dictam litis contestationem, & rei negationē delicti, vt claré habetur in cap. 2. de test. lib. & in cap. *Veniens*, el 2. eod. tit. Et ratio est. Quia sinè partis citatione, nihil in iudicio, ea absente, fieri potest, tam de iure naturali, quā diuino, vt probat Aldr. de discipl. lib. 1. cap. 9. à nu. 1. Et licèt de communi stylo, quem totus mundus seruat, antequā reus citetur, eaaminentur testes contra ipsum, propter multas rationes, quas affert Aldr. loc. cit. num. 4. quam consuetudinem approbat Trid. sess. 25. de refor. cap. 6. ibi, *in criminibus*; Isti tamen testes nihil possunt nocere reo quò ad causam principalem, sed solū quò ad ipsius carcerationē, si timetur de fuga. Itaque prima ista depositio testiū pertinet solùm ad ordinem iudiciarium, & informationem Curiæ, non autē ad causā principalem. Ita Aldr. loc. cit. nu. 4. & cap. 13. nu. 4. Ioseph à S. Maria in trib. relig. tract. cap. 11. §. 2. Berti tom. 4. quæst. regul. tit. 19. cap. 3. nu. 4. & 5. Mans. de modo proced. in causis Regul. cap. 26. nu. 8. Vilag. in pract. crim. lib. 3. cap. 7. conclus. 5. Spathar. de mod. corrig. Reg. tract. 9. cap. 1. nu. 1. Mirand. de ord. iud. q. 18. ar. 6. qui addit, quòd est tantę importantiæ ista testium repetitio, vt neq; etiam ex consensu delinquentium possint pro receptis haberi; non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, per reg. *Non firmatur*, quæ est 18. de regul. iur. in 6. Quod tamen non admitto. Quia scienti, & consentienti non fit iniuria; regul. 27. eodem lib. & cum hoc sit in fauorem principaliter rei, vnicuique licitum est iuri suo renunciare. Addit Mirand. nu. 54. quòd in ista testium repetitione possunt testes velle sibi exhiberi primum dictum, & illud ratificare simpliciter. Vnde etiā ait loc. cit. q. 6. ar. 6. quòd testes in generali Inquisitione examinati, dummodò postmodū in speciali reproducantur, & in suis dictis, medio iuramento, ratificentur, fidem faciunt, & probant. Si tamen Iudex in ista reproductione timeret de fallo, posset illos iterum ea professo eaaminare, ad videndum, an concordent, nec valeret testibus dicere eo casu, Ego me remitto ad id, quod dixi in prima depositione, nam possent cogi ad iterum respondendum præcisè, vt Miranda dicto num. 54. Aduertit etiam Ioseph à S. Maria, quòd testes eaaminati post litis contestationem, non debent iterum repeti, cū habeantur pro legitimis. Sed quid, si pars repeti instet? Puto, quòd standum sit Iudicis prudentia arbitrio, considerantis, an possit dubitari de testium subornatione; quæ dubitatio; si adsit, non debet Iudex repetitionem concedere; si non adsit, potest. Atque ita colligo ex Claro lib. 5. pract. crim. §. fin. q. 53. num. 15. vbi Baiardus nu. 34. Tandem hic nota, quòd Portel par. 1. de casib. consc. casu 20. num. 7. probat, quòd in causis Regularium non est necesse repetere testes in Inquisitione generali eaaminatos, sed quòd illa examinatio sufficit etiam ad puniendum; nam putat, quòd testium repetitio solùm ad apices iuris pertineat. Tu tamen doctrinam communem sequere.

Aldrete. *à S. Maria* *Berti.* *Mansus.* *Vilagut.* *Spathar.* *Miranda.* *Clarus.* *Baiardus.* *Portel.*

12. Sed quæres, quomodò fiet hæc testium repetitio? R. quòd vocatur testis coram Iudice, & Notario, eique defertur iuramentum veritatis dicendæ, & interrogatur super eaamine aliàs facto, hoc pacto, videlicet. *Die, anno, &c. de mandato P. Prouincialis F. N. testis alias super hac causa examinatus, iterum vocatus est, deque veritate facienda præstito iuramento, iurauit &c. Ac primò quidem interrogatus an, quæ aliàs in præsenti causa in alio examine per ipsum facto sub die, &c. in cella adm. R. P. Prouincialis coram eo, & alijs Collegis deposuit, vera ne fuerint, ac sint, illaque pro veritate dixerit, & deposuerit? R. Ita est. Eione etiam per me Notarium, & Scribam, eiusdem P. Prouincialis mandato, ad clariorem ipsius intelligentiam, præfato eius examine perlecto, ac per ipsum, vt asseruit, bene audito, atque intellecto, à P. Prouinciali interrogatus est, an ea, quæ in præsenti legi audiuit, à se fuerint modo, quo iacent, dicta, ac deposita, sitque illud eius examen, de quo mentio facta fuit.* Si affirmet, interrogatur, an prædictis intendat aliquid addere, vel demere, dictumque eaamen in totum, vel in partem reuocare, an verò potiùs illud confirmare, vel ratificare pro veritate in omnibus, & per omnia. R. ad singula verba in interrogatorio posita. *Et sic fuit dimissus, lectum confirmauit. Et in fidem se subscripsit.* Ita Ambros. de modo formand. proces. lib. 3. cap. 1. à num. 1. Qui licèt teneat, quod reus ad repetitionem, seu examen testium citari debet, & quòd testis priùs est examinandus super interrogatorijs datis ab

Ambrosin.

Clarus.

ipso reo, hęc tamen non esse necessaria, affirmat Clarus; primùm quidem §. fin. lib. 5. q. 11. num. 8, hoc vltimum autem q. 23. num. 3. vbi habet, consuetudine receptum esse, vt reus interrogatoria nò det, sed testes examinétur à Fisco, seu Prælato, vel alio de eius mandato, Et hanc esse praxim omnium Curiarum, dicit Foller. in practic. crim. rubr. *Recipiantur defensiones reorum*, num. 32.

13. Addit verò Foller. in practic. crim. rubr. *Et demum repetantur testes*, num. 5. quòd in ista repetitione possunt testes addere, vel minuere suis primis depositionibus, quod aggrauet, vel releuet reum. Et num. 13. ait, quòd non valet ista repetitio, nisi formaliter sit facta, videlicet lecta eisdem eorum depositione de verbo ad verbum, & subscripta manu propria, vel facto signo Crucis à nesciente scribere. Et num. 17. addit, quòd si testis variet à prima depositione, tunc illa prima depositio corruit, eo quòd sine repetitione non valet. Si dicat testis in hac depositione se in priori examine non ita dixisse, in Regularibus, qui coram Prælatis examinantur, reijciendus est, vt ait Ghisl. cap. 17. de Iud. regul. nu. 59. Si autem absque Prælato quis fuisset examinatus, de ipsius tamen mandato, tunc potius credendum esset Notario, seu Scribę, quam testi, vt ait Clarus q. 53. nu. 17. Foll. loc. cit. n. 14. Qui tamen limitant, nisi agatur de puniẽdo teste de falso; nã tunc tantum credendũ est testi quantũ Notario.

Ghislerius. *Clarus.* *Follerius.*

CAP. IV.

De forma dandi licentiam subdito transeundi ad arctiorem Religionem.

FRATER N. Tibi &c. Etsi candidos Religionis cultores, sub suaui Christi Domini iugo, & regularium institutionum obseruatione in humilitatis spiritu Altissimo famulantes, ab ea, quam semel elegerunt, professione discedendo, ad alterius vitę statum, ac rationem, leuitate animi, temeritateuè nefas sit transuolare, cum iuxta Apostolum maximè deceat, vt in vocatione, qua vocatus est, vnusquisque permaneat, id tamen cum haud leuiter, aut irrationabiliter, sed emendatioris vitæ, arctiorisque Religionis occasione cernitur attentari, nequaquam sanè videtur impediendum. Cum enim ubi Spiritus Dei est, ibi libertas, & qui Dei Spiritu agũtur, nõ sint sub lege (iusto enim lex posita nõ est) quid aliud esset secus agere, quàm Spiritui Sancto resistere, & ad consummatæ sanctitatis fastigium anhelanti maximam iniuriam irrogare? Quamobrẽ sicuti pium, ac religiosũ decet subditũ, à Prælato suo cũ humilitate, ac puritate transeundi licentiam exposcere, ne obedientiæ bonũ contemnere uideatur, sic planè æquũ est, atque consentaneũ, Prælatũ ipsũ, quauis semota difficultate, & prauitate, transmeandi licentiam eidẽ indulgere, ne impedire, propositũ videatur diuinitùs inspiratum. Cum itaque, sicut nobis exposuisti, strictioris uitæ Zelo ductus, ad Minimorum Ordinem transire summoperè desideres, ac propterà instanter à nobis petieris, ut tibi ad eiusmodi Institutum diuertendi licentiam, & facultatem concederemus, Ordoq; prætactus te recipere paratus sit, prout ex literis generalis Correctoris eiusdẽ Religionis, datis Romæ die 9. Maij, anno 1633. nobis nuper oblatis innotescit. Nos, qui ad altiorem statum ob frugem melioris uitæ migrare cupiẽtes præpedire nõ possumus, nec debemus, quinimò pro uiribus confouemus, & incitamus, supplicationibus tuis in hac parte inclinati, muneris nostri pensum adimplẽdo, ad prę fatum S. Francisci de Paula Institutum trãsmigrandi, liberã tibi per præsentes literas cõcedimus facultatẽ, atq; elargimur. Ad meritũ Sanctę Obedientię pręcipientes, ut recta, atque illicò in eamdem te conferas Religionem. Quã quidẽ si te ad habitum, uel professionem iusta aliqua de causa contigerit nõ admittere ad nostrum hunc, quẽ priùs cœpisti, uitę statũ, non obstãtibus quibuscũq; cõfestim redire tenearis. Quòd si secùs super hoc attẽtare pręsũpseris, ex nunc te, prout ex tunc, in apostatarũ pœnas ipso facto incurrisse declaram⁹. In quor. fid. etc.

1. Noto 1. quòd hoc anno 1636. P. Fr. Gabriel Lopez ex Prouincia Castellæ, qui Breui Apostolico ad religionem Prædicatorum transierat, industria, & labore P. Fratris Raphaelis Pizzneni Zelosi ad nostrum Ordinem reuersus est, quamuis multum obstiterit, & restiterit Ordo Prædicatorum, vt constat ex decretis Sacræ Congreg. regulariũ die 3. Maij 1636., & die 28. Augusti eodẽ anno, in quo illi etiã fuit restituta primogenitura in ordine nostro. Et aduerte circa primũ decretũ quòd concordia, de qua in eo facta est super hæreditate dicti Gabrielis, non super persona ipsius, cum Religio nostra filium suum quæreret, non bona.

2. Noto 2. quòd de transeuntibus de vna Religione ad aliã ad longũ tractaui to. 1. Relig. q. 1. c. 34. per totũ, & nũc extat decretũ Cong. Concilij editũ de mandato Vrb. VIII. quod habes to. 2. nostr. priu. in cõst. 10. dicti Põtif. §. 2. quo mãdatur Superioribus regularibus, ne possint dare licentiã suis subditis transeundi ad arctiorẽ Religionẽ, nisi priùs ipsis legitimè, certòq; cõstiterit, eam Religionẽ paratã esse illos recipere. Et tunc tenetur transiens recta se transferre; quod vt adimpleatur, tenetur Superior transeuntis omni studio, ac diligentia curare. Et est conforme cap. *Statuimus*, 19. q. 3. quod est Vrb. II.

3. Noto 3. quò sine prædicta licentia non potest vlla Religio quemquã alterius Religionis professum recipere, etiam si zelo strictioris vitæ se transire dicat; nam si non licet sine dicta licentia transire, neque etiam licebit sine ea trãseuntem recipere. Quod expressis verbis præcipitur in dicto cap. *Statuimus*, vbi dicitur, *Discedentem verò nullus Abbatũ, vel Episcoporum,*

nullus Monachorum sine communi literarum cautione suscipiat. Quare nō solùm mortaliter peccaret Superior strictioris, aliquem recipiens sine dictis literis, sed etiam posset Superior laxioris suum subditum iure repetere; per textū expressum, iuncta gloss. ver. *Monachus*, in cap. *Mandamus*, 19. q. 3. vbi dicitur, *Quòd si decreto nostro contrarie præsumens, id agere tentauerit, ad Ordinem canonicum præcipimus vt redeat*. Immo posset de facto Superior laxioris suum subditū recipere. Non solùm, quia quæ de facto fiunt, de facto rescindi possunt; sed etiam quia licitum est cuilibet rem suam vbicunque repertam propria sibi auctoritate recipere, dummodò publica facultate illa non fuerit priuatus.

4. Noto 3. quòd postquam Religiosus fuerit admissus à Superiore Religionis strictioris, & id constiterit Superiori Religionis laxioris, constiteritq; etiam huic, quòd Religiosus non causa leuitatis, aut fugiendæ alicuius pœnitentiæ, aut alterius mundanæ occasionis transit, sed solùm Zelo arctioris Religionis, tenebitur Superior laxioris etiam post dictum decretum Congreg. ei licentiam concedere transeundi. Nam quò ad hoc remanēt intacta antiqua iura. Quòd si concedere noluerit, illa petita, licèt nō obtēta, poterit transire. In quo casu quomodò se gerere debeat Superior strictioris, dixi to. 1. Religiosi, q. 1. c. 24. cōcl. 1. vers. *Vnde colligitur*.

CAP. V.

De forma, qua Superior Religionis strictioris fidem facit se esse paratum recipere professum laxioris.



OS &c. Cum Zelo perfectioris vitę apud nos ex religione N. transire desideraret N. Nobis instanter supplicauit, ut illi hanc gratiam concedere dignaremur. Nos attendentes quòd spiritus quocunque vult spirat, re maturè discussa illum ad nostram religionem, seruatis seruandis, recepimus, modo debitas suorum prælatorum licentias obtineat, cuius rei per præsentes testimonium reddimus. In quorum fidem &c.

Noto, quòd in ordine nostro recipere professos alterius religionis ad solos Generales pertinet, priuatiue quo ad Prouinciales, cum speciali assensu suorum Collegarum, ita statuitur in Cap. Rom. 3. num. 24. Malachit. num. 9. Genuensi 1. num. 13. Paulit. num. 33. Et aduerto bene, quòd receptus etiam à Prouinciali absq; consensu Generalis est malè receptus, & si profiteatur, professio erit nulla defectu potestatis in recipiente, id enim significant ea verba posita in dicto statuto Romano, *De cætero ex aliquo quouis ordine ad nostrum ordinem sine Generalis, suorumque Collegarum consilio, & speciali assensu nullus penitus assumatur*, & illa statuti Genuen. cit. *Nec cuiusuis Religionis professus ad Ordinem admittatur, nisi de solo P. Generalis consensu*. Puto tamen, quòd poterit P. Generalis tales receptiones à Prouincialibus factas ratas habere per textum Correctorij nu. 16.

LITERA V.

CAP. I.

De forma instituendi Vicarium generalem in aliqua natione.

FRATER, &c. Grauissima pastoralis officij sollicitudo nobis desuper diuina tantum dispositione cōmissa, monet, ac inducit, ut ad oues illas dirigendas præcipuis quibusdam studijs, ac uiribus intendamus, quas ob maxima locorum interualla inuisere statim per nos ipsos nō poßumus, ac paternis subsidijs consolari. Hanc autem muneris sollicitudinem, cum ijs, quæ in Hispaniæ Prouincijs immorantur, impensiùs, atque operosiùs, deberi existimemus, uigilem proinde, ac circumspectum ad eas Pastorem uice nostra destinandum censuimus, ne quosquam interim ex longiori nostra absentia tartarei lupi dolos, atque insidias cogātur experiri. Nostrorum ergo prædecessorum uestigijs inhærentes, te præfatum Patrem Religionis nostræ Theologum doctissimum, Concionatoremque eximium, in agendis uersatissimum, & religiosa tandem disciplina, prudentiaque conspicuum in generalem nostrum, & ordinarium Vicarium in omnibus, & singulis Hispaniarū Prouincijs, eligimus, cooptamus, damus, & constituimus. Nostram omnem tibi tàm in spiritualibus, quā temporalibus, præcipiendi videlicet, excommunicandi, suspendendi, interdicendi, absoluendi, dispensandi, commutandi, carcerandi, excarcerandi, corripiendi, puniendi, Fratresq; non solùm de una in alia ex eisdem Prouincijs, sed in eadē etiā de Conuentu in Conuentū transmutandi; Nouitios ad habitū recipiendi, receptosq; ad professionē admittendi; Prouincias uisitandi, processus quoque cū opus erit, formandi, eosq; definiendi; Superiores quoscunq; legitimè tamē, deponēdi, aliosq. depositorū loco substituendi, rebelles quosuis implorato etiā, si res exegerit, brachij secularis auxilio, coercendi; priuilegia benemeritis Fratribus, Studentibus præsertim, ac Lectoribus concedendi; statuta, quæ nos poßumus, iuridicè interpretandi; Conuentus assumēdi, Religioniq; incorporandi; cōtractus quoscūq; præterea inīdi, pacta stabiliendi, Religionēq; obligandi; prouincialibus Capitulis præsidēdi, præsidētesq; ad eiusmodi Capitula destinādi, Vicarios pro particulari negotio substituendi; cætera demū, quæ per nos ipsos facere poßemus, etiamsi nostrū requirerent speciale mandatū, maioraque expressis existerent faciendi, plenariā auctoritatē elargientes;

Concedentes insuper, vt ad libitum tuum, quoties opus fuerit, duos saltem, tresuè Collegas aßumere, assumptosque nō in eadē, sed in diuersa causa mutare possis, ac valeas. Omnibus, ac singulis prædictarum Prouinciarum Fratribus, tam Superioribus, quam subditis, sub merito Sanctæ Obedientiæ formalis, et præceptiuæ, ac maioris excommunicationis latæ sententiæ pœna præcipientes, vt tibi, tanquam nostro legitimo Vicario, humiliter pareant, prompteque obediant, debitumque honorem, ac reuerentiam, tanquam propriam nostram personam repræsentanti omnino exhibeant ac persoluant. Annullantes proinde, cassantes, irritas, ac nullius momenti esse, ac fore declarātes omnes, & quascunque similes, vel maiores, seu etiam minores, cuiuscunque tenoris existant, cuicunque, seu quibuscunq; alijs personis, et Fratrib' à prædecessore nostro, aliisuè quibuscunq; Prælatis, ac etiam à nobis ipsis datas literas, vel facultates. In quorū fidem, &c.

CAP. II.

De forma constituendi aliquem Vicarium ordinarium in aliqua Prouincia.

FRATER, &c. RR. PP. ac Fratribus. *Desiderabilem Prouinciæ vestræ trāquillitatem, quæ sola, Augustino auctore, bonum habet, ac iucundum, quamque, Deo bene iuuante, ope nostra consecuti estis, propensiori quodam studio conseruare cupientes, illud nobis maximè curandum censemus, vt quoniam alijs ex eodē ouili ducendis ouibus distenti, personaliter interesse nequimus, alteri tamen communicata virtus nostra, & potestas non absit, quæ sicut vnguentum in capite, in barbam Aaron descendens, & in oram vestimenti eius, se se per iucundæ pacis lætitiam in subdita nobis eiusdem Prouinciæ membra quam latè diffundat. Reuerendum igitur P. F. N. cuius singulari prudentiæ, scientiæ, ac vitæ integritati non parum confidimus, in, & super eadem præfata Prouincia, ipsisq; Conuentibus, ac Fratribus generalem nostrum, & ordinarium Vicarium præsentium serie, ac vi eligimus, & constituimus. Nostram omnem eidem, ac plenariam super omnes, & singulos prælibatæ Prouinciæ Fratres, & Conuentus tam in spiritualibus, quàm temporalibus, præcipiendi nimirum, censuras ferendi, ab ijsque absoluendi; processus formandi, eosque definiendi, Superiores deponendi, ac alios eorum loco ad nostrorum statutorum formam substituendi; Fratres etiam incarcerandi, eosdemq; è carceribus liberandi, cæteraque omnia, quæ per nos ipsos facere possemus, etiamsi speciale nostrum requirerent mandatum, maioraque expressis existerent, faciendi auctoritatem, ac facultatem impertientes. Eidemque præterea Vicario concedentes, vt duos sibi pro libito Socios assumere, & cum eis in causis procedere possit, ac valeat. Omnibus denum, ac singulis prædictæ Prouinciæ Fratribus tam Superioribus, quàm subditis præcipientes, vt præfatum P. N. tanquam nostrum legitimum Vicarium suscipientes, debitam illi obedientiam præstēt, ac reuerentiam. In quorum fidem, &c.*

CAP. III.

De forma constituendi Vicarium pro aliquo casu speciali.



FRATER, &c. *Inexorabili Iudici, qui perditarum ouium sanguinem de manu speculatoris exquiret, rationem reddituri, sedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs commissus nobis grex seruetur immunis, atque omnis scandalorum occasio ijs præcludatur, qui sal terræ nuncupantur, ne quod euangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit, in quo salliatur, & ad nihilum prosit, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Cum tot igitur, ac tantis susceptarum rerum oneribus prœmamur hoc tempore, vt singula, quæ ad eiusdem gregis conseruationem spectant, personaliter exequi nequeamus, ne damnum aliquod ex nostra absentia subire cogatur, illorū aliqua personæ, cuius prudētiæ, & integritatī confidimus, necesse est, vt cōmendemus. Quamobrem tibi supradicto præcipimus, ac mandamus, vt, his nostris acceptis, in Conuentum nostrum S. N. Ciuitatis N. statim te conferas ad inquirendum (iuxta informationem, quam his insertam mittimus) ac visitandum. Omnem nostram tibi quò ad hoc tam in temporalibus, quàm spiritualibus, carcerandi, excarcerandi, præcipiendi, excommunicandi, & absoluendi, cœteraque, quæ per nos ipsos facere possemus, etiamsi nostrum speciale mandatum requirerent, faciendi auctoritatem concedentes, Sociumque tibi P. F. N. assignantes. Omnibus, ac singulis prædicti Cōuentus Fratribus, tā Superioribus, quàm subditis sub S. Obedien. merito præcipientes, vt debitum tibi honorem, ac obedientiā impendant. Et Dominus te benedicat. In quorum fidem; &c.*

CAP. IV.

CAP. IV.

De Forma instituendi Visitatorem, & Vicarium Generalem.

§ F § RATER, &c. Sacro Religionis currui dirigendo tanquã aurigę à Domino cõstituti præcipuas officij nostri partes esse dignoscimus, in ea studiosius incumbere, per quæ sacrosancta nostra Congreg. animalia sub quatuor votorum rotis, velut suaui Christi iugo in via Domini incedentia, feliciùs quotidie progrediantur. Ad quod certè assequendum, cum opportuna, ac salutaris emineat Monasteriorum visitatio, qua tanquã loris, & habenis subditi continentur, ne in præceps ruant, hinc est, vt ad ipsam, vel per nos, vel per alios, si grauioribus impliciti nequeamus id agere, diligenter obeundam incitemur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cũ itaque ex iniuncto nobis Generalatus officio pro sacra, & orthodoxa stabilienda doctrina, regularique disciplina restituenda, & conseruãda bonis moribus inducit, prauisq; corrigendis, alijsque, prout suadet vtilitas, ac necessitas exigit, peragendis, vniuersã Religionem visitare teneamur, nec id personaliter, maioris ponderis negotijs nos vrgentibus, in præsentiarum exequi valeamus, id muneris cogimur personæ prudentia, scientia, ac bonitate conspicuæ demandare. Cumque nobis ad votũ præsto fuerit præfatus P. N. omni scientiarum splendore, solertia quoque, & in agendis experientia, dexteritateque, nec non morum probitate, integritate, religionisque Zelo condecoratus, harum idcirco serie, ac vi nostrorum eundem cunctorum Hispaniæ Regnorum, eorumdemque singularum nostri Ordinis Prouinciarum, Conuentuum, ac Fratrum, tam subditorũ, quàm Superiorum, maiorũ, & minorum, generalem Vicarium, ac Visitatorẽ eligimus, & constituimus. Nostram omnem ipsi, tam in spiritualibus, quam temporalibus, præcipiendi, excõmunicandi, suspendendi, interdicendi, absoluendi, dispensandi, carcerandi, excarcerand', processus formãdi, illosq; definiẽdi; Superiores quoscunque, etiam Prouinciales, deponendi, suspendendi, aliosque ipsorum loco substituendi, capitulis quibuscunque interessendi, ac præsidendi, cæteraque omnia, maiora quamuis essent expressis, quæ per nos ipsos facere possemus, etiam si nostrum speciale mandatum requirerent, faciendi plenariam auctoritatem, potestatemque impertientes. Quam porro eandem omnino auctoritatem illi super Moniales, & Correctrices, eorumque Monasteria curæ nostræ commissa volumus esse concessam, prout earundem tenore concedimus, & impertimus. Collegas illi, de quorum consilio, & consensu, iuxta Regulę nostrę tenorem, procedere teneatur, assignantes P. F. N. & P. F. N. Quòd si ambo etiam interesse non valuerint, loco absentis, vel impediti, alium ad suum beneplacitum eligendi, pariter concedimus facultatem. Potestatem insuper eidem facientes, vt in casibus emergentibus alios similes Visitatores cum eadem, vel minori auctoritate subdelegare queat, prout melius tibi visum fuerit expedire. Omnes præterea, & quascunque similes, aut etiam minores literas patentes, cuicunque, & quibuscunque, tam à nobis, quam à prædecessore nostro, tam generaliter, quam particulariter, tàm ordinarias, quàm pro casibus emergentibus cõcessas, & in specie Vicarij generalis literas à nobis datas P. F. N. cassantes, & annullantes, quasque etiã per præsentes cassatas, et annullatas sic declaramus, ut nulla amplius idcirco per ill.s post harum promulgationem in aliquo prędictarum Prouinciarũ Conuentu, præfacto Patri a nobis concessa potestas, sed omnis om- ino sublata intelligatur. Omnibus tandem Prouincialibus, Correctoribus, Vicarijs, cæterisque Fratribus, ac Superioribus, in prædictis Hispaniarum Prouincijs, ac Regnis existentibus sub Sanctę Obedientiæ merito, ac excõmunicationis maioris latę sententię, nec nõ officiorũ, quæ obtinent, ipso facto incurrendis pœnis præcipimus ac mãdamus, ut pręfato nostro Vicario, ac Visitatori generali, ab eodẽque subdelegatis, ac institutis Vicarijs, & Superioribus promptè obediant, et humiliter pareant, eiq; & ijs, etiam prædicta uisitatione generali peracta, usq; ad expressã pręsentiũ literarum reuocationẽ per nos faciendã, debitũ exhibeant honorẽ, ac reuerentiã. In quorum fidem &c.

CAP. V.

De forma instituendi Vicarium pro aliquo Conuentu in emergentibus.

§ F § RATER, &c. Conuentus nostri S. N. de N. bono regimini intendentes, te supradictum pro emergentibus negocijs super Fratres, tã Superiores, quàm subditos pręfati Conuentus Vicariũ eligimus, & constituimus. Omnẽ nostram tibi quò adhoc in tẽporalibus, ac spiritualibus, carcerãdi, pręcipiẽdi, cæteraq; omnia, quę per nos ipsos facere possemus, etiamsi speciale nostrũ requirerent mãdatũ, faciendi auctoritatẽ largientes. Sub S. Obed. merito eiusdẽ Conuẽtus Correctori, & Fratribus itidem pręcipientes, vt promptam tibi in prædictis casibus obedientiam præstẽt, ac reuerentiam. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. circa primas quatuor formas huius literæ, quòd de auctoritate, quam habent Generales, & Prouinciales, constituendi Vicarios, & Visitatores, & de modo, quem tenere debent Visitatores in visitando, dixi multa tom. 1. Priuil. in const. 14. Leonis X. à num. 4. & & tom. 3. cap. 4. num. 9. & tom. 1. Relig. q. 1. cap. 18. §. 1. & 2. & tractaui etiam multa hoc lib. præsertim iit. P. cap. 9.

2. Noto 2. circa formam positam hoc cap. quòd Prouinciales absque difficultate in Ordine nostro possunt Vicarios constituere super Correctores pro emergentibus negotijs, per textum expressum Correctorij, num. 106. Sed, an possint constituere ordinarios, potest esse difficultas. Ego, attentè considerato dicto textu Correctorij, existimo, posse Prouinciales constituere Vicarios etiam ordinarios super quoscunq; Correctores, vbi necessitas postulauerit. Ducor. 1. quòd in dicto textu Correctorij nulla apparet dictio taxatiua, quæ talem facultatem Prouinciali tollat: dicitur enim ibi, *Poterit Generalis, & Prouincialis ad cuncta sibi subdita loca Fratrem aliquem idoneum suo loco delegare, pro emergentibus ibidem negotijs debitè terminandis. Ipse verò Frater taliter delegatus, quoties opus fuerit, ipsius mittentis Superioris plenaria, vel limitata potestate licitè fungi poterit.* Et non dicit, pro emergentibus tantùm, vel dumtaxat. 2. Quia Correctorium in illo textu pares facit Generalem, & Prouincialem in constituendis Vicarijs. 3. Quia in dicto Correctorio, num. 64. Correctores locales possunt suum ordinarium officium exercere, in quantum sibi à suis Prælatis superioribus, & eorum vicegerentibus permissum fuerit. Ex quo textu colligo duo. Primum, quòd tota Correctoris potestas pendet à Prouinciali prudenter, & rationabiliter procedente, vt late probaui tom. 2. Relig. q. 1. cap. 4. num. 121. Secundum, quòd hæc potestas, quam habet Prouincialis super Correctores, potest ab eo tribui cuicunque voluerit. Si ergo potest Prouincialis omnem potestatem, quam habet super Correctores, suo Vicario tribuere, ipse verò habet ordinariam, ergo poterit suo Vicario ordinariam tribuere. 4. Quia in Capitulo Valentino 2. num. 10. habetur hoc statutum. *Et si possint Prouinciales constituere Vicarium super Correctorem rationabiliter, vbi necessitas exegerit, & pro quanto tempore id expedierit, ab hoc tamen non intendatur, quin ipsi locales Correctores, in quantum sibi à suis superioribus Prælatis, & eorum vicesgerentibus permissum fuerit, suum ordinarium officium exerceant, iuxta expressam Correctorij legem.* Ex quo statuto apertè colligitur, quòd Prouincialis potest non solùm Vicarium super Correctores constituere pro emergentibus negotijs, sed etiam ordinarium. Qui tamen Vicarius sic constitutus non potest à dicto Correctore omnino auctoritatem auferre, ita vt non possit suum officium exercere; illam tamen moderari poterit, si casus occurrerit. 5. Quia quilibet ordinarius potest suam iurisdictionem cuicunque voluerit delegare, nisi expresse sit prohibitus à suo Superiore; cap. *Cum Episcopus*, de offic. ord. in 6. cap. *Quòd Sedem*, cap. *Pastoralis*, de offic. ordin. cap. *Licèt*, de offic. Vicarij in 6. reg. *Potest*, quæ est 68. de regul. iur. in 6. Sed Prouincialis est ordinarius, nec reperitur prohibitus dictum Vicarium ordinarium facere. Ergo facere illum potest. 6. Quia quæ potest Generalis in tota Religione, potest Prouincialis in sua Prouincia, vt constat ex dicto textu Correctorij num. 106. & alijs multis in Regula, & etiam in priuilegijs Apostolicis, vbi eadem potestas, quæ datur Generali pro tota Religione, datur Prouincialibus pro sua Prouincia. Quòd si aliquam dare velit, vel Regula, vel Papa Generali, quam non vult dare Prouinciali, illa expressè specificatur. Pro hac opinione adduco P. Passarellum, quatenus in margine ad dictum num. Corrector. citat iura iuribus cõfrontando, cap. *Licèt*, de offic. Vicarij in 6. qui est iudex ordinarius, constitutus ab Episcopo. Et ita seruatur in quàmplurimis Prouincijs Religionis, præsertim Messanæ, vt mihi retulit P. Trimarchi. *Passar.*

3. Noto 3. quòd illa apud nos censentur, & sunt negotia emergentia, quæ vrgent, & præmunt, egentq; maxima celeritate, nec ad Superiorem commodè recurri potest. Ita declaratum est in Cap. Auenion. 2. num. 11. Quæ autem illa in specie sint, declarat Passar. in Formul. Ordinis, forma 11. prouisio scilicet circa fugitiuos, & apostatas; differentiæ ortæ inter subditos, & Superiores ordinarios, casus incidentes, in quibus ordinarius non prouideret, punitio ordinarij propter sua demerita, &c.

4. Noto 4. quòd Vicarius constitutus pro emergentibus dumtaxat, non præcedit Correctorem, nisi quando cognoscit, & determinat causam emergentem; qua determinata, sedet in loco suo, quia iam cessauit iurisdictio. Nec solum præcedit Correctorem, sed immo debet ab eo benedictionem petere cum foras egreditur, & si delinquat potest ab eo puniri, sicut alij fratres; quia tunc nullam iurisdictionem habet, vt suppono; & cum talis deputatio sit vulneratiua potestatis ordinariæ, strictè est interpretanda, iuxta regulas communes. Quando verò cognoscit de causa emergente tunc præcedit, quia vtitur sibi potestate tradita, & est maior ordinario, vndè illum præcedere debet. Ita magistraliter Passar. in schol. ex Genuens. num. 25. & in Formul. Ord. form. 10. & habetur expressè in cap. *Pastoralis*, modo citan. Si verò Vicarius sit ordinarius, semper præcedit; quia semper est maior ordinario; cap. *Pastoralis* §. *Præterea*, de offi. ordin. cum gerat vices Superioris illum delegantis, cap. *Sanè*, el 2. de offic. Iud. deleg.

5. Noto 5. quòd Vicarius Correctoris maioris in processionibus, & locis publicis præcedit omnes Correctores minores, v. g. Vicarius Correctoris Iesu Mariæ Genuę præcedit Correctorem Marassij, & Neruij in processionibus. Ita declarauit Sacra Congreg. Regul. per suas literas datas ad Vicarium Generalem nostri Ordinis, quę sic habent.

AL Molto R. Padre, il Padre Vicario Generale de Minimi. Molto Reuer. in Christo Padre. Hauendo hauuto ricorso alla Sacra Congregatione il Correttore del Conuento di S. Luigi di Napoli dell'Ordine di V. P. circa la risolution pigliata sotto li 12. di Ago

sto presa

sto prossimo passato, che al Vicario da esso deputato in suo luogo douessero precedere li Correttori delli altri tre Conuenti, quando vanno tutti insieme sotto l'istessa Croce. & hauendo esso mostrata (il che non fece nella prima risolutione) che tanto circa la consuetudine passata, come anco in vigore della Regola, detto Vicario deue precedere alli Correttori sudetti, come precede egli medesimo. Questi Eminentissimi miei Signori hanno stimato raggioneuole di recedere da detta prima risolutione, in modo che nell'auuenire l'istesso Vicario preceda alli Correttori sudetti, si come hà fatto sin'hora. Sopra diche in conformità potrà V. P. dare gl'ordini opportuni, che così l'Eminenze loro m'hanno commesso di significarle; è col mezzo della presente le ne danno l'autorità necessaria; Con che io alle sue orationi mi raccommando. Di Roma à di 9. Decembre 1633. Al piacere di V. P. M. R. Cardinal Ginnetti.

CAP. VI.

De forma instituendi Vicarium mittendum ad Capitulum Generale.



Reuerendiss. in Christo Patri F. N. Ordinis N. Generali, Reuerendisque admodum PP. Prouincialibus, necnon Venerabilibus Prouinciarum Commissis, generalia eiusdem Ordinis Comitia in Ciuitate N. celebrantibus, F. N. minimus in Prouincia N. Corrector Prouincialis cum reuerentia, atq; honore tam debitum quàm deuotum humilis obedientia, ad mortem vsque obsequium. Varijs ex senectute morbis in nostro Conuentu N. implicitus, ac impeditus. generali Religionis nostræ Congregationi, aduentura proximè Pentecostes solemnitate, per vos celebranda, ipse, vt optabam, nequaquam valeo interesse. Quo circa P. V. Reuerendiss. cæterosque eiusdem Capituli Patres maiori, quo possum studio, deuotioneque requiro, atque exoro, vt absentia mea ea de causa suscipere dignētur excusationem. Iure autem meo vtens, vt par est, R. P. F. N. harum perlatoris scientiæ, prudentia, probitatiq; fidens non parum, ipsum in specialem meum Vicarium, & Procuratorem præsentium tenore, ac serie deputo, & constituo. Plenam tidem generalem, ac liberam idoneas, iuxta Regulam nostram, Sacros Canones, Apostolicas, regularesque constitutiones, vice, ac nomine meo personas, tam in Generalem, quàm ipsius Collegas, ac Zelosum, & quoscunq; alios, nemine dēpto, Prælatos, Superiores, ac Officiales, quos in præfato Capitulo fieri cōtigerit nominādi, & eligendi, cæteraq; omnia, & singula, quæ per me ipsum, si eisdem generalibus Comitijs adessem, efficere, atque expedire possem, efficiendi, expediendiq; ac super eodem præterea, quo tenetor, ipsoq; etiam, vt creditur, electionis tempore tenebor, legitimo impedimento, in animam meam, si opus erit, ad Canonum formam, iurandi facultatem impertiendo. Ratum quoque, ac firmum perpetuo me habiturum pollicendo, quicquid per huiusmodi Vicarium meum, & Procuratorem in præmissis, ac præmissorum quodlibet actum, dictum, gestum factumq; fuerit, vel procuratum. In quorum fidem, &c.

1. Noto 1. quòd impedimenta legitima non accedendi ad Capitulum generale, sunt vocatio ad maius tribunal Papæ, Regis, &c. infirmitas, obsidio in aliquo castro, si esset in aliqua Ciuitate impetata, si detineretur in carcere, si deberet transire per loca, vbi haberet inimicitias capitales, &c. de quibus tom. 3. priuil. Regul. cap. 13. num. 5. & P. Greg. de elect. cap. 6. nu. 8. Lauor. de ele ct. tit. 4. cap. 14. num. 36. vbi ait, quòd impedimentum est exprimendum in literis patentibus, quibus constituitur Procurator. Quòd etiam docet Boertus ad Mandag. de elect. cap. 11. vers. *Exprimendo*. Constituendus autem Procurator, secundum Canones, cap. *Quia propter*, §. *Illud autem*, de elect. & cap. *Si quis*, §. fin. eod. titulo, in 6. debet esse de corpore Capituli. Cum tamen per Regulam nostram in Correct. nu. 94. 95. approbatam, & confirmatam ex certa scientia ab omnibus summis Pontificibus, concedatur Prouincialibus, vt quando fuerint legitimè impediti possint omnino extraneum ad Capitula suas vices gerentem mittere, est sinè dubio derogatum præfatis Canonibus. Addito præsertim, quòd id est consuetudine ab initio nascentis Religionis firmatum. Et prætereà, quia Canon *Si quis*, cit. qui est declaratiuus cap. *Quia propter*, non omnino mandat, vt eligendus in Vicarium, & Procuratorem, sit de corpore Capituli, sed solùm id facit in gratiam ipsorum Capitulantium; vnde concedit, quod ipsis volentibus, & consentientibus, possit omnino cōstitui Procurator extraneus, vt dicitur expressè in dicto §. fin. Quare cum nostri Capitulantes in Regulam consentire teneantur, tenentur etiā dictum Procuratorem, & Vicarium extraneum admittere, si nihil aliud obstet. Atque ita, multis adductis, vniuersaliter tenet Castell. de elect. cap. 5. nu. 101. Solùm in hoc casu facit difficultatem Trid. sess. 25. de regul. cap. 6. vbi dicitur, *Nec in posterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere.* Sed hæc difficultas resoluta fuit per sacram Congregationem Cōcilij anno Domini 1570. instante P. Passarello, hoc pacto, videlicet. *Congregatio Concilij censuit si ex institutis, seu decretis Religionis suæ liceat Superioribus absentibus, & legitimè impeditis mittere ad Capitulum generale alium Fratrem, qui tāquam eorum Procurator, suo loco, & nomine det vocem in electione, Concilium Tridentinum id non prohibuisse.* Hæc declaratio est inserta in Capitulo Castellin.

tulo generali nostri Ordinis Valent. 4. celebrato nu. 4. Et illam refert Castell. de elect. cap. 5. num. 98. & Sigism. de elect. dub. 14. num. 10. Rodriq. tom. 2. qq. regul. q. 51. art. 6. solùm ergo intelligitur Concilium, quod non liceat electoribus in Capitulis cõstitutis eligere Prouinciales, aut Abbates, &c. titulares ad effectum electionis, immo etiamsi priùs essent electi, & non principaliter ad hũc effectum, non possunt dicti titulares vocem habere in dictis Capitulis, nisi sint titulares perpetui, habentes verò titulos suarum Ecclesiarum, à quarum possessione vi excluduntur, vt sunt Prouinciales Angliæ, Vngariæ, Hierosolymæ. Et quò ad suppletionem suffragiorum absentium, intelligitur, quòd dicti electores præsentes non possint, quando aliquis ex electoribus deest, nec Procuratorem instituit, illius suffragium supplere, vt fiebat antiquitùs in Ordine nostro præsertim, vt constat ex cap. 1. Romæ num. 12. & ex cap. Turon. num. 8.

Castellini. Sigismundus. Rodriquez.

2. Noto 2. quòd in Ordine nostro iste Vicarius mittendus ad Capitulum generale, debet esse de corpore Prouinciæ, quod est factum ad consulendum singularum Prouinciarum honori, ne, si aliqua extraneum omnino mitteret, existimaretur idoneum non habere naturalem. Ita statuitur in cap. Genuen. 6. num. 24. Et fuit necessarium. Nam alioquin iure communi certum est, quòd potest Prouincialis aliquem ex aliena Prouincia Vicarium eligere, si hic consentiat; per cap. *Pastoralis*, de offic. ord. §. *Ad quod*, modò tamen sit eiusdem Religionis, & habitus, per clem. 1. de elect. Per id, quòd dicitur, quod dictus Vicarius debet esse de corpore Prouinciæ, intellige, quòd debet esse localis in illa Prouincia, cuius Vicarius mittitur ad Capitulum, non tamen est necesse, quòd in illa permanierit per aliquod tempus, cum statutum non dicat. Vnde si aliquis haberet obedientiam Generalis, quæ illum constitueret localem in aliqua Prouincia, hic, etiam antequam accederet ad illam prouinciam, posset eligi in Vicarium prouincialem illius pro Capitulo generali. Nam eo ipso, quòd est localis in illa Prouincia, est de corpore illius, & subditus ipsius Prouincialis. An verò hoc statutum habeat locum in alijs Vicarijs, scilicet, an Prouincialis discedens ex Prouincia causa eundi ad Capitulum generale, vel Romam, &c. possit relinquere suum Vicarium Fratrem, alterius Prouinciæ sibi non subditum. Puto, quòd sic. Tum quòd id habet dictum cap. *Pastoralis*, de offic. ord. Tum quòd statutum Genuense loquitur solùm de Vicario destinando ad Capitulum generale, quòd cum sit restrictiuum iuris communis, & odiosum, non est extendendum ad alios Vicarios. Tum quòd ita practicari vidi in Prouincia Lombardiæ anno 1610. in qua fuit constitutus Vicarius à P. F. Hieronymo Bruttorio viro doctissimo, Prouinciali dictæ Prouinciæ per suum discessum à dicta Prouincia, causa eundi Romam ad aliqua negotia, P. F. Bartholamæus Oliuerius Genuensis, qui erat localis in Prouincia Genuensi, quæ electio laudata, & approbata fuit ab Illustriss. Cardinali de Camerino tunc Religionis Protectore, de quo habeo certam scientiam, quia tunc eram localis causa studiorum in dicta Prouincia. Tum denique, quia audio alibi id etiam sæpe factum fuisse.

3. Additur verò in dicto statuto Genuensi 6. quòd dicti Vicarij sic constituti pro Capitulo generali, non debent sedere in alienis Prouincijs, per quas transeunt, nec in Capitulo generali, in loco debito suis Prouincialibus, nisi approbata priùs eorum commissione. Sed ego in tribus Capitulis generalibus, quibus interfui tanquam Commissus Genuæ, nimirum Romano 6. & 7. & Barcinon. 3. & in cap. Genuensi 8. celebrato pro eligendo Generali per obitum Patris Camart, & in Capitulo Massiliensi 2. vbi interfui tanquam Vicarius Prouincialis Genuæ, vidi seruari contrarium, scilicet, quòd Vicarij Prouinciales sedent à principio ante approbationem suarum literarum in loco suorum Prouincialium, & dant votum cum alijs in nominatione illius, qui habet dictas patentes literas, & literas Commissorum legere, ac recipere vota eligendi in Scribam dicti Capituli. Quę consuetudo, cum sit legitime præscripta, habet vim legis, & seruanda est; cum præsertim innitatur illi principio iuris, quòd, *De proximo accingendus habetur pro accincto*; l. *Ex eo tempore*, ff. de testam. milit. contra quam consuetudinem cum reclamasset in cap. Romano 6. me pręsente, P. F. Isidorus à Mayda Commissus Etruriæ, Eminentiss. D. Cardinalis Caitaminus Ordinis Prædicatorum in dicto Capitulo Præsidens, de mandato sanctæ memoriæ Pauli V. tanquam Viceprotector Religionis in loco Cardinalis Tonti, declarauit, præfatam consuetudinem esse laudabilem, & obseruandam; & sic eam obseruari mandauit. Vnde hoc iam transijt in iudicatum, non obstante dicto statuto Genuensi, quod nunquam, quò ad hoc, fuit vsu receptum.

4. Præcipitur etiam in dicto statuto cap. Genuens. 6. nu. 24. quòd dicti Vicarij, peracto suæ legationis officio, locum obtineant suæ professionis; & est conforme Regulæ nostræ, num. 53. quod tamen non vidi seruari cum tanto rigore, sed potiùs vidi dictos Vicarios, finito Capitulo, sedere in loco suorũ Prouincialium in refectorio, processionibus, & alijs actibus publicis, ac etiam audiui Vicarios nominari, quousque veniant in suas Prouincias; quod etiam potest habere fundamentum in iure; nam causatum sapit naturam suæ causæ; l. *Eius*, ff. de oper. liber. & probat D. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. quæstiun. 2. & potentia causæ infinit in causatum; l. *Manumissiones*, ff. de iust. & iur. Vnde videtur dictus Vicarius honorandus, propter honorem sui cõstituentis. Addito, quòd Tiraquell. in tract. de causa cessante, limit. 15. num. 9. probat, quòd Prouincialis, debitè finito suo officio, debet in choro tenere primum locum ob memoriam habitæ dignitatis; & num. 18. ait, quòd offendens Prouincialem, aut Correctorem, ac multò magis Generalem immediatè finito suo officio, aut intuitu præcedentis officij debet puniri, ac si illos offendisset, quando actu dignitates habebant. Ex quibus colligo non repugnare iuri, quod dicti Vicarij etiam finito Capitulo, locum, & nomen retineant, quousq; ad suas reuertantur Prouincias; & consuetudinem, quæ id permittit, esse laudabilem, & obseruandam.

D. Thomas. Tiraquell.

5. Noto 3. quòd Prouincialis dictum Vicarium constituens, debet esse vero, & legitimo

impe-

impedimento detentus; quia alioquin non admittitur Vicarius, vt probat clarè textus in cap. *Quia propter*, §. *Illud*, de elect. & dicit Lauor. Boerius; de elect. cap. 17. num. 35. Notat autem Boerius ad Mandagot. cap. 11. vers. *Totum Capitulum*, quòd, si Capitulo constaret, quòd Prouincialis non esset infirmus, adhuc posset Vicarium admittere. Nam sicut potest admittere omnino extraneum, cap. *Causam quæ*, de elect. multò fortiùs posset admittere hunc Vicarium; argum. c. *Pastoralis*, §. *Item cum tenum*, de offic. deleg. Et in hoc sufficit, quòd maior pars consentiat, licèt minor pars contradicat, & se offerat proba- Mãdagot. re, quòd Prouincialis non sit infirmus. Ita Man- Innocen. dagot. loc. cit. & Innocent. in dicto cap. *Quia* Castellin. *propter*, de elect. num. 13. Castell. de elect. cap. 5. Panorm. num. 95. Sed Panor. in dicto cap. *Quia propter*, P. Gregor. §. *Illud*, num. 4. quem sequitur P. Greg. de elect. Lauorius, cap. 6. num. 8. & Lauor. loc. cit. num. 38. putant, quòd si vnus contradicat, non potest maior pars admittere illum Vicarium datum à non legitimè impedito. Nam sicut non possunt omnes de Capitulo, vno contradicente, admittere extraneum, cap. *Scriptum* de elect. ita; vno contradicente, non possunt admittere Procuratorem non impediti, quia is pro extraneo habetur. Sed ego primæ opinioni adhæreo. Nam in Capitulis communiter statur maiori parti; cap. *Cum in cunctis*, de his, quæ fiunt à maior. &c. Nec valet ratio contraria: nam penitùs extraneus debet ab omnibus admitti, quia singulorum suffragiũ per illius admissionem minus valet, & quòd omnes tangit, debet ab omnibus approbari. At falsum est, quòd hic sit omnino extraneus; cum enim representet illum, qui est de corpore Capituli, non potest penitùs extraneus dici. Quòd autem desit legitimum impedimentum, quod est conditio necessaria, facit, vt Capitulum nõ teneatur illum admittere; quæ conditio, si adesset, non posset illum reijcere. Quare cum prohibitio, quòd nullus, qui non sit legitimè impeditus, possit suas vices alteri committere, sit indicta in fauorem Capituli, potest Capitulũ, quòd in maiori parte consistit, illi renunciare, & dictum Vicarium admittere, contradictione minoris partis non obstante.

6. Noto 4. quòd per dictum Vicarium, vel per Prouincialem in literis patentibus debet de tali impedimento iuramentum præstari, si Capitulum illud exigat, quia non credit propositum impedimentum. Verum quidem est, quòd Capitulum, seu maior pars illius, potest dictum iuramentum remittere, & simpliciter Prouincialis dicto credere. Quare Vicarius in Capitulo, si non exigatur, non tenetur iuramentũ præstare; si autem exigatur, iurare tenetur hoc pacto, videlicet, *Iuro, quòd Prouincialis N. infirmitate detentus non potuit ad præsens Capitulum accedere.* Nec est necessarium aliud testimonium Medici, aut Chirurgi. Nam dictum impedi- Mascard. mentum optimè per iuramentum probatur, vt Barbosa. Mascard. de probat. conclus. 884 num. 1. Barbos. Innocentius cap. *Quia propter*, de elect. num. 37. Atq; ita In- Mãdagot. noc. in dicto cap. *Quia propter*, nu. 13. Mandag. Boerius. de elect. cap. 11. vbi Boer. Lauorius de elect. Lauorius. cap. 17. num. 37.

7. Noto 5. quòd Prouincialis potest, si velit, per se iurare, quòd tali est impedimento detentus, & tunc in forma omittenda est illa clausula. *Ac super, &c. iurandi facultatem, &c.* vsque ad illam *Katum, &c.* Et in fine dictarum literarũ post illa verba *Katum, &c.* vel *Procuratum*, addenda est clausula sequens. *Iuro insuper ad hæc Sancta Dei Euangelia, quæ corporaliter tango, prædicta impedimento me detineri, eoque etiam censeo electionis tempore detinendum.* Et tunc aduerte, quòd de tali iuramento debet Vicarius literas testimoniales Fratrum ad Capitulũ ferre, alioquin non tenebitur Capitulum dictum Vicariũ admittere, vt docet Mandagot. de electione, par. 1. cap. 11. in fine, & Boer. cap. 59. ad dictum Mandag. form. 6. in fine. Hæ autem literæ possunt fieri à Correctore, & Senioribus hoc pacto, *Nos infrascripti Corrector, & Seniores Conuentus S. N. de N. fidem facimus per præsentes, & attestamur omnibus, & quibuscunque, Adm. R. P. F. N. Prouincialem N. lecto decumbentem, tactis Scripturis Sacris, iurasse, quod infirmitate detentus ad Capitulum generale accedere nequit, quodq; eadem se infirmitate credit tempore celebrationis præfati Capituli detinendum. In quorum fidem, &c.*

8. Noto 6. quòd vbi Prouincialis non iurat per se, necesse est, quòd in literis patentibus ponat illam clausulam, *ac super, &c. iurandi, &c.* Nam aliàs non posset Procurator iurare, nisi haberet speciale mandatum; & sic non teneretur Capitulum illum admittere. Ita Boer. ad Mandag. par. 2. cap. 54. form. 6. vers. *Ac iurandi*; Rota apud Farin. par. 2. decis. 196. num. 5. & 6. Et quòd quis possit per alium iurare, constat. quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Et probat multis Boer. ad Mandag. p. 1. Sanchez. cap. 11. ver. *Committat*, & fusè Sanchez 3. in decal. cap. 13. à num. 17.

9. Aduerte autem, quòd iuramentum de meliori eligendo debet præstari à Vicario, nomine proprio: Cum enim sit datus cum generali mandato, non potest in animam Prouincialis iurare, qui nescit, quis sit eligendus; & ideò iurare non potest de melioritate, nec consequenter potestatem facere suo Vicario iurandi. Videatur Sanchez loc. cit. num. 19. & 20. vbi ait, non esse licitum Prouinciali dare facultatem generalem suo Vicario præstandi quodcunq; iuramentum nomine suo. Et in specie, quòd dictus Vicarius teneatur hoc casu iurare nomine proprio, tenet Sigism. de elect. dub. 26. num. 7.

10. Noto 7. quòd si post præstitum iuramentum, & admissionem dicti Vicarij ad Capitulum, nemine contradicente, & etiam post secutam electionem, aliquis de Capitulo nullitatem velit impedimenti probare, non est audiendus: Quia, ex quo quis semel iurauit, delato sibi iuramento, non est amplius de isto iuramẽto quærendum; l. *Non erit*, §. *Dato*, ff. de iur. iur. nam iuramentum est finis omnis controuersiæ; cap. *Etsi Christus*, de iur. iur. Item si dictus Vicarius absque iuramento fuit admissus, non potest post electionem secutã, quis probare, quòd Prouincialis non erat impeditus, nam censentur illi de Capitulo iuri suo renunciasse, illum sine iuramenti delatione admittendo; Innoc. in cap. *Quia propter*, de elect. num. 12. Lauor. de elect. cap. 17. num. 39. & 40.

11. Noto 8. quòd Vicarius electus à Prouinciali legitimè impedito, debet necessario à Capitulo admitti, alioquin irritanda erit electio, ipso suam iniuriam prosequente. Nam, ex quo,

Pro-

Prouincialis interesse non potest, de iure est, quòd possit constituere Procuratorem; cap. *Quia propter*, §. *Illud*, de elect. Vndè si Procurator non admittatur, censetur Prouincialis contemptus, & tanquam talis potest electionem irritare; cap. *Quod sicut*, cap. *Bonæ*, el. 2. de elect. Ita Mandagot. de elect. par. 1. cap. 10. vbi Boer. vers. *Tenetur*; Sigism. de elect. dub. 14. num. 5.

12. Et aduerte, quòd Prouincialis, quando facit Vicarium, non debet esse excommunicatus, suspensus, aut interdictus, aut priuatus. Nā alioquin Vicarius non esset admittendus ad Capitulum. Quia absurdum est illos Procuratores admitti, quorum repellerentur auctores, si essent præsentes; cap. *Licet*, de testib. Ita Boer. ad Mandag. cap. 10. verb. *Impeditur*, & verb. *Interesse*. Castell. de elect. cap. 5. nu. 91. Et Mandagot. ibid. verb. *Excommunicatus* aduertit, quòd excommunicatus, suspensus, aut interdictus non potest constitui Vicarius.

13. Aduerte etiam, quòd dictus Vicarius est constituendus cum generali mandato ad eligēdam personam idoneam, nam cum speciali ad eligendam talem personam. Quia tunc votum non posset esse secretum, vt requirit Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6. Et ita declarauit Sacra Congreg. Concilij, vt refert Garcia de benef. par. 5. cap. 4. num. 100.

14. Noto 9. quòd iste Vicarius, seu Procurator, si habeat speciale mandatum, potest alium constituere, si ipse esset impeditus, immo etiam si impeditus non esset. Nam tunc intelligetur constitutus à Prouinciali. Ita Mandag. de elect.
Boerius. par. 1. cap. 15. vbi Boer. ver. *Speciali*. Et addit Mandagot. quòd dictus Vicarius, etiamsi non habeat speciale mandatum de substituendo, si fuerit impeditus, potest adhuc substituere. Quia in Procuratore non videtur specialiter electa industria personæ, vt dicit Boerius loc. cit. ver.
Castellin. *Non valeret*, & ver. *Substituere*; & Castell. de elect. c. 5. n. 101. vers. *Procurator*. Et aduerte, quòd in Ordine nostro iste modus substituendi cum speciali mandato obseruatus est in cap. 4. Relig. Turroneo. num. 4.

15. Noto 10. quòd in Ordine nostro Commissi electi à Prouincijs, vel Conuentibus pro Capitulo generali, vel Prouinciali, non solent alium substituere, per longam Religionis consuetudinem, quæ seruanda est, vt docent Castell.
Sigismūd. de elect. cap. 5. nu. 99. Sigism. de elect. dub. 14. num. 11.

16. Noto 11. quòd si Prouincialis moriatur antequam eius Vicarius sit admissus à Capitulo, non potest ampliùs admitti, quia illa potestas morte spirat concedentis. Posset quidem admitti à toto Capitulo, nemine discrepāte, tanquam extraneus; & hoc, non obstante statuto facto in cap. Romano 6. sess. 14. dub. 1. vbi statuitur, quòd extraneus non admittatur, nisi in casu dubio. Nam hic, cum habuerit mandatum Prouincialis, laboremq; itineris sustinuerit, & expensas, naturalis pietas suadere videtur, quòd saltem ob gratificationem admittatur. Addito, quòd Prouincia, cuius est Vicarius, videtur non posse priuari iure, quod habet in electione Generalis. Quare, etiàm stante dicto statuto in suo rigore, cum res videatur aliquantò dubia, videtur posse admitti. Verum quidem est, quòd si Capitulum, & Vicarius ignorabant mortē Prouincialis, electio inde secuta valida est, vt probat Sigism. de elect. dub. 14. nu. 9. Si verò sciatur mors Prouincialis postquam Vicarius fuit admissus ad Capitulum, etiamsi electio nondum sit facta, non potest ampliùs dictus Vicarius eijci; quia res integra non est; iuxta ea, quæ dixi tom. 3. priuil. Regul. cap. 4. num. 10.

17. Noto 12. quòd electus in Prouincialem alienæ Prouinciæ à propria, ac naturali, in qua, & habitum recepit, & permanet, finito Prouincialatu, absque vlla licentia Generalis potest ad propriam Prouinciam, vnde venit, redire. Tum exemplo Zelusi, Collegarum Generalis, ac Generalis ipsius, tum Visitatoris, ac Vicarij Generalis. Tum quia cessante causa, naturaliter cessat etiam effectus, cap. *Cum cessante*, de appell. Causa autem moræ in hac Prouincia est Prouincialatus, qui cum iam cessarit, cessat naturaliter ipsa mora. Tum quia, *quòd ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, reg. *Quod ob gratiam*, quæ est 61. de reg. iuris in 6. Tum quia ita seruatur in Religione nostra, & in facti contingentia, ita mihi retulit, se fecisse P. F. Ignatius Orenghus à Neapoli, cū fuisset ex Prouincia propria Neapolitana assūptus in Prouincialem Apuliæ. Ita etiam seruauit P. F. Athanasius à S. Philippo, cum ex Prouincia Panormi propria fuit vocatus ad regimen Prouinciæ Messanæ; vt mihi retulit Trimarchi. Et à me consulti Viri docti ita de iure fieri posse responderunt. Nec obstat, quòd Corrector electus in alieno Conuentu ab illo, in quo ordinarie residet, finito Correctoriatu, indigeat licentia ad redeundum ad Conuentum proprium. Quia Corrector electus non vadit ad Conuentum suæ electionis absque confirmatione Prouincialis cū definitorio, & est subditus Prouinciæ. Et localitates in Prouincijs fiunt singulis annis. Limito tamen prędicta, nisi Prouincialis functus officio, recipisset aliquod officium in illa Prouincia, V. G. definitoriatū, &c. nam tunc per receptionem illius officij fieret subditus Prouinciæ, & censeretur cessisse iuri suo. Vt etiam consulti viri docti responderūt.

CAP. VII.

De Forma instituendi Vicarium per discessum Prouincialis à Prouincia causa accedendi ad Capitulum Generale, vel aliàs.

FRATER, &c. Commissum nobis gregem, qui teneras quotidie in viridi Religionis prato cęlestium meditationum depascitur herbas, & pia vitę studio bonorum operum fructu incessanter desudat, pastoralis sollicitudinis auxilio prouidè dirigi, & circumspectè decet sic custodiri, vt si necessitate, ac pietate, vtilitateuè communi suadente, Pastorem ab eo inuitum auertere contingat, vel discedere, absq; fido tamen, ac sollicito non relinquatur custode, qui

de, qui sua auctoritate, atque opera super custodias gregis inuigilet, ne maligno quopiam obtutu fascinentur agni, oues[q]; à lupo, mactentur, neué arietes lateribus, ac humeris in mutuum exitium impingant, & quod detestabilius est, minores alios Pastores cornuum rebellione aggrediantur. Cum itaque ad generalia Comitia, in Ciuitate N. proximè celebranda, ex officij nostri debito nos proficisci oporteat, ne cura nostra commendatus grex, Pastoris absentia, dispergatur, vel insolito quopiam crucietur morbo, vices nostras alteri cogimur demandare. Quamobrem præfati Patris prudentiæ, morumq; integritati, quam maximè fidentes, Vicarium nostrum Prouincialem ipsum damus, eligimus, & constituimus. Omnem nostram, tam in temporalibus, quàm spiritualibus super Fratribus, & Sororibus, ac vtrorumque Monasterijs, carcerandi, excarcerandi, processus formandi, definiendi, præcipiendi, excommunicandi, absoluendi, cæteraq; omnia, quæ per nos ipsos facere possemus, etiamsi nostrum requirerēt speciale mandatum, faciendi auctoritatem eidem impertientes. Hanc nostram prętereà facultatem in casibus emergentibus in totum, vel in partem, quoties opus fuerit, subdelegandi, ipsimet facimus potestatem. Omnibus demum, ac singulis Fratribus, & Sororibus, tàm Superioribus, quàm subditis nostræ Prouincię sub Sanctę obedientię merito pręcipientes, vt pręfato Patri, tanquam nostro Vicario, promptè obediant, humiliterque pareant, ac debito quoque eum honore, ac reuerentia venerentur. In quorum fidem, &c.

1. Nota circa illam clausulam. *Hanc nostram præterea facultatem, &c. subdelegandi, &c.* quòd ibi posita est ad abundantiorem cautelam; cum tamen non sit necessaria. Nam verissimum est, quòd Prouincialis est Iudex ordinarius, qui iure proprio habet potestatem suam auctoritatem delegandi; cap. *Cum Episcopus*, de offic. ordinar. in 6. Verum etiam est, quòd delegatus non potest subdelegare, l. fin. ff. de offic. iudic. deleg. Et similiter verum est, quòd si Iudex ordinarius deleget aliquem ad vniuersitatem causarum, iste sic delegatus reputatur, quasi ordinarius. Atque ita potest causam particularem sic delegare, non tamen vniuersalem iurisdictionem in alium transferre. Ita cum multis probat Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 31. nu. 2. & 3. Barbos. in cap. *Cum causam*, de appell. n. 5. Tunc autem Iudex dicitur delegatus ad vniuersitatem causarum, cum eius commissio est vniuersalis, vt Sanchez num. 4. At in casu nostro Vicarius est delegatus ad vniuersitatem causarum. Ergo poterit per hanc doctrinam in casu particulari alium delegare; non poterit tamen alium Vicarium cum totali sibi tradita auctoritate facere, & illum suo loco substituere, si illi esset opus Prouincia exire. Quare illa clausula abundat, Est tamen necessaria, si Vicarius vellet Prouincia egredi ad aliqua negotia. Nam datus cum illa clausula posset egredi, & reuertens suum resumere Vicariatum. *Sanchez. Barbosa.*

CAP. VIII.

De Forma instituendi Vicarium, qui præsideat in Capitulo definitorio, quādo Prouincialis illi adesse non potest.



EVERENDIS Patribus Capitulum definitorium in Conuentu S. N. de N. die 29. Septembris celebrantibus F. N. in Prouincia N. Prouincialis Spiritus Sācti gratiam, & consolationem. Irreparabilibus detenti negotijs, non possumus vt officij nostri ratio exigebat, Capitulo definitorio interesse; ne illud tamen acephalum remaneret, Venerabilem P. F. N. Concionatorem eximiū, atque in theologicis disciplinis, negotijsque Religionis versatissimum, virumq; tandem, cuius prudentiæ, integritatique non parum fidimus, nostrum præfati Capituli Vicarium Prouincialem elegimus, & constituimus; eique sic electo, & constituto dedimus, vt per præsentes literas patentes damus, omnem nostram, tam in temporalibus, quàm spiritualibus ea lege, ac fine auctoritatem, vt in prædicto nimirum Capitulo præsidere, præcipere etiam, excommunicare, & absoluere, Correctores insuper assignare, ac transferre, electosque prout de iure, cassare, & cassatorum loco alios eligere, cęteraque demum, quæ per nos ipsos facere possemus, etiamsi speciale nostrum exigerent mandatum, efficere valeat, ac possit. Omnibus, & singulis in eodem Capitulo vocem habentibus Patribus, necnon prædicti Conuentus Correctori, ac Fratribus præcipientes, vt, præfato Patri, tanquam nostram personam repræsentanti, debitum honorem impendant, ac reuerentiam. Et Dominus vos benedicat, in nomine Patris, et Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem, &c.



CAP.

CAP. IX.

De Forma instituendi Vicariũ Prouincialem in Capitulo Prouinciali, quando Prouincialis illi interesse non potest.



EVERENDIS PP. Correctoribus, & Commissis, cęterisq; in Conuentu S. N. de N. Ordinis Minimorum Prouinciale Capitulum celebrantibus F. N. Minimus Prouincialis, ac seruus humilis, pacem, charitatemque perpetuam, ab eo, qui charitas est. Grauissimis pedum doloribus constricti, præsentiam nostram, atq; operam, vt par erat, pręsenti Prouinciali Capitulo minimè possumus exhibere. Quo plurimum sanè dolemus, ac ingemiscimus. Dei tamen, cuius nutu cuncta regnuntur, nec possumus, nec volumus obsistere voluntati. Ne vobis igitur absentia nostra sit oneri, huicq; Prouinciæ detrimento P.F.N. viri quidem omni scientiarum genere conspicui, rebusq; gerendis instructissimi prudentię, experientię, ac doctrinę fidentes, nostrum eumdem Vicarium Prouincialem, & pręfati Capituli Præsidem elegimus, ac deputauimus, vt hisce nostris eligimus, ac deputamus. Omnem nostram illi, tam temporalem, quàm spiritualem, Capitulum pręfatum videlicèt congregandi, habilitandi, eligendi, Correctoresque assignandi, ac transferendi, præcipiendi quoque, excommunicandi, absoluendi, cęteraque præterea, quæ per nos ipsos, si essemus præsentes, facere possemus, etiamsi nostrum requirerent speciale mandatum, faciendi auctoritatem largientęs. Quicquid etiam per eumdem nostrum Vicarium in præsenti Capitulo gestum, factumq; fuerit, ratum, ac firmum omnino habituri. Sub Sanctæ Obedientiæ merito omnibus, ac singulis præmemorati Capituli Patribus, nec non eiusdem Conuentus Soperiori, ac Fratribus pręcipientes, vt eumdem Patrem, tanquam nostrum Vicarium, debito honore, & reuerentia prosequantur. In quorum fidem, &c.



CAP. X.

De Forma instituendi Vicarium Generalem in Capitulo Generali, quando Generalis ad illud accedere non potest.

R EVERENDIS Admodum Patribus Prouincialibus, & Commissis, alijsq; singulis in Conuentu S. N. de N. Generale Ordinis N. Capitulum celebrantibus. F. N. eiusdem Ordinis Generalis indignus, ac seruus humilis Sancti Spiritus gratiam, & assistentiam. Publicas, atq; communes Ecclesiæ catholicæ vtilitates, alijs nostræ Religionis commodis pręferendas esse, iuris ratio postulat, ac requirit. Plurimis igitur Romanæ Sedis, Christianæque Reipub. causa, tam susceptarum, quàm instituendorum rerum oneribus, aduersa præsertim valetudine, implicati, eò redacti sumus, vt præsentibus Comitijs Generalibus, iuxta pastoralis officij debitum, nequaquam possimus interesse. Quamobrem, ne dispendium aliquod ex nostri absentia Religionem subire oporteat, neuè monstrum sinè capite Cœtus sacer appareat, idoneum Patrem, qui vice nostra ibidem fungatur, cogimur destinare. Cum autem R.P.F.N. Prouinciæ nostræ N. Collegæ Prouincialis, ac Definitoris, Theologi, Concionatorisq; eximij, viriq; planè spectatissimi, consilium non semel, integritatem, ac fidem, & in rebus arduis, maximisque negotijs auctoritatem, non sinè magno Religionis emolumēto, ac laude experti simus, eumdem propterea generalem nostrum Vicarium, ipsiusq; Capituli Præsidem, ac Rectorem eligendum, constituendumq existimauimus, vt præsentium vi eligimus, & constituimus. Omnem nostram proinde, qua fungimur, tam in temporalibus, quàm spiritualibus, prædictum videlicet Capitulũ congregandi, habilitandi, eligendi, statuendi, pręcipiendi, excommunicandi, suspendendi, & absoluendi, cæteraq; etiam, quæ per nos ipsos fieri possent, si præsentes essemus, etiamsi nostrum requirerent speciale mandatum, ac maiora expressis existerent, faciendi auctoritatem, facultatemq; eidem concedentes: Omnes insuper, ac singulas electiones, omniaq; & singula acta, & statuta, quicquid etiam in prædicto Capitulo per huiusmodi nostrum Vicarium, actum, factum, decisum, statutumq; fuerit, ratum, ac firmum habituri. Cunctis præterea, ac singulis Prouincialibus, & Commissis, necnon alijs in præfato generali Capitulo existentibus, omnibusq; & singulis præ-

tacti

talli Conuentus Superioribus, ac Fratribus sub Sancta Obedientia merito, pracipientes, vt pramemorato Patri, tanquam nostro legitimo Vicario, nosque ipsos represeutāti, prōptè obediant, humiliter pareant, debitumq; honorem impendant, ac reuerentiam. Demum verò Capituli eiusdem Patribus uniuersis pacem, charitatemque, & in bono concordiam sic commendamus, sicq; eos ad obsequium, operamq; suam communi parenti exhibendam cohortamur, vt solum Deum, Religionisq; bonū, quouis sinistro liuore secluso, purè, ac syncerè spectantes, tali sponso matrem suam in custodia, & solatio committant, qui eam, non quidem in hostem ipsius excidium moliendo, vel in seruam, & ancillam tyrannicè opprimendo, vel in pellicem fornicariè, qua sua sunt tantùm quarens, adherendo, sed in legitimam, carissimamq; sponsam accipiat, debitis eam subsidijs confouendo. Si secus egerint, alienis peccatis communicantes, à grauissima culpa futuros promittimus non immunes. In quorum fidem, &c.

1. Nota, quòd in istis tribus vltimis formis omisi potestatem iurandi; quia, cum impediti sint Superiores, & capita Capitulorum, de quibus non facilè præsumitur, quòd vellint sciul de causa à Capitulo abesse, potest Capitulum simplici eorum dicto absque iuramento credere. Si autē dubitaretur, quòd nollet Capitulum credere, deberet illa clausula īpponi, vt dict. est supra cap. 6. Et de hoc præsertim potest esse dubium in Capitulo generali, cui minus constare potest de impedimento. Nam in Capitulo Prouinciali, aut definitorio, cum Prouinciæ non sint, præsertim in Ordine nostro, multùm ampla, dictis Capitulantibus facilè constare potest de impedimento Prouincialis; & sic poterunt simplici Prouincialis dicto credere.

LITERA Z.

CAP. I.

De Forma confirmandi Zelosum.



RATER N. *Ordinis Minimorum Generalis. Adm. R. P. F. N. eiusdem Ordinis Zeloso salutem. Cum ex singulorum Patrū, qui ad generalia Comitia Lugduni proximè die 24. Maij anni 1633. celebrata cōuenere, syngraphis proprijs obsignatis litteris cognouerimus, te in Zelosum, ac generalem totius Religionis Procuratorem, vnanimi plane, ac singulari Patrum assensu, & gaudio assumptum fuiße, facere non potuimus, quin egregias animi tui dotes, scientiam, prudentiam, ac eloquentiam, nec non in agendis peritiam, praclaraq; tandem merita tua satis, superque agnoscentes, ob tam bonam electionem sacro, ac religioso Senatui immortales agendo gratias, incredibili latitia exultaremus. Nec sanè immeritò. Vberem namque, & copiosum adeò ex officij tui administratione in Religionem totam speramus fructum, ac decus promanaturum, vt te Zeloso, ad cumulatum ipsius virorem, & gloriam nil amplius exoptari posse videatur. Quamobrem, cum ad nos tanquam supremos Religionis Pastores, Zelosi spectet confirmatio, quò validiùs pratactum munus obire valeas, eiusmodi assumptionem tuam, electionemq; laudamus, approbamus, & in benemeritum Zelosum, generalemq; Procuratorem harum serie, ac vi confirmamus. Omnibus ijs gratijs, & fauoribus, prarogatiuis etiam, priuilegijs, ac exemptionibus frui, & gaudere posse decernentes, quę per nostras dudum constitutiones, & priuilegia apostolica cęteris alijs eiusmodi Zelosis, ac Procuratorib⁹ cōceßa fuisse dignoscūtur. Ita scilicet, vt omnium Religionis nostra Prouinciarum, Conuentuum quoque, ac personarum causas quascunque, ac si speciale, plenum, ac liberum ad eas mandatum accepisses, in Romana Curia, & vbicunque agere valeas, ac expedire. Ad hęc etiam concedentes, vt ad beneplacitum tuum Socium seligere possis, & assumere, eumdemq; assumptum pro libito mutare, qui tibi ad Religionis negotia promptè, alacriter, efficaciter, ac expeditè peragenda prasto sit, inseruiat, ac fideliter obsequatur. Quem porrò Socium sic assumptū à Correctoris potestate prorsùs eximentes; tua dumtaxat iurisdictioni in omnibus, ac per omnia, in contrarium non obstantibus quibuscunque, subesse volumus, ac subiacere. In quorum fidem, &c.*

CAP. II.

De forma instituendi Zelosum loco defuncti.



RATER N. *Ordinis Minimorum Generalis. Cum acerbissimo, atq; inopportuno obitu fel. mem. R.P. F. N. nostri olim Ordinis Zelosi, ac Procuratoris in generali Roma Capitulo die x. mensis Maij anni 1633. proximè celebrato assumpti, Zelosatus officium uacauerit, ac successoris electio ad nos, & Collegas nostros, iuxta Ordinis sanctiones, pertineret, nos Lugduni in nostro S. N. Conuentu die 20. Iunij eiusdem anni pracacti Zelosi obitus habita notitia, ne ob diutinam pradicti officij vacationem, detrimentum aliquod, tam in temporalibus, quàm spiritualibus*

Religio nostra pateretur, die 24. eiusdem mẽsis præmissis de iure prẽmittendis, ad noui Zelosi electionem in aula Capituli deuenientes, P. F. N. Theologum, & concionatorem, plurima in agendis experientia, prudentiaque ornatum, Religionisque Zelo maximè conspicuum ad eiusmodi munus elegimus, & cooptauimus. Cui quidem sic electo quęcunque eiusdem Religionis negotia, tam in Romana Curia, quam alibi, vt Regula, & regularia statuta nostra disponunt, curandi, ac pertractandi auctoritatem, facultatemq; concessimus, vt per præsentes concedimus, & impartimur. Omnes eidem præterea gratias, ac præeminẽtias, prærogatiuas quoque, & priuilegia largientes, quæ alijs eiusmodi Zelosis, & generalibus Ordinis Procuratoribus concedi solent, ac impartiri. Ad hæc etiam concedentes, &c. vt supra vsq; ad finem. cap. præcedentis, mutatis mutandis.

1. Noto 1. quòd omnis electio iure communi, antequam electus se in administratione ingerat, est confirmanda; cap. *Qualiter*, cap. *Postquam*, de elect. cap. *Cum iam dudum*, de præb. cap. *Auaritiæ*, de elect. in 6. sed prædicta capita, & alia de hac materie tractantia intelligi videntur de electionibus ad dignitates habentes iurisdictionẽ in temporalibus, & spiritualibus, vt constat ex citatis capitibus. Cum ergo officium Procuratoris generalis, & Zelosi nullam iurisdictionẽ habeat, neque in temporalibus, neque in spiritualibus, vt constat ex cap. Auenion. 2. nu. 11. sed solùm habeat quasdam prærogatiuas, non videtur egere confirmatione, sicut de facto dicti Procuratores generales non confirmantur, At nihilominùs dicendum est, Zelosatum indigere confirmatione in Ordine nostro. Tum quia, licèt iurisdictione careat, habet tamen multas, & magnas prærogatiuas, & præeminentias, vt videbimus; vnde personatum dicitur personatus autem, & dignitas pari passu procedunt; cap. 1. §. *Sed si*, de elect. in 6. Tum quia eligitur à toto Capitulo generali, vt Generalis, & Collegæ. Et merito. Cum enim habeat omnium negotia tractare, conuenit, vt ab omnibus saltem virtualiter eligatur, iuxta regul. 29. de reg. iur. in 6. vbi dicitur, *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. Tum quia in Cap. Generali Turonensi, num. 16. Zelosus ibidem electus dicitur confirmatus, & in nostro Formulario habetur forma confirmationis Zelosi, forma 16. Ex qua constat, quòd à principio Religionis Zelosi confirmabantur. Quare officium Zelosatus est officiũ electiuum, nec potest à Zeloso per quemcunque amoueri sinè grauissima, & vrgentissima causa, iuxta naturam officiorum electiuorũ, de quibus Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 19. à nu. 12. & Sigism. de elect. dub. 49. à num. 1. Ad id autem, quod dicitur, Zelosi electionem non confirmari de facto. Rꝫ. id non procedere, quia dicta electio confirmatione non egeat, sed quia communiter electio illa fit in Capitulo generali, præsente Generali, ad quem, vt ad Superiorem immediatum pertineret confirmatio, vt

Gonzalez.
Sigismun.

dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 31. §. 11. Vnde is eligens cum elijs, censetur eo ipso confirmare. Nam quando ad eligentem spectat electio, & confirmatio eodem iure, vt in casu, de quo agimus, si Generalis, vt Generalis eligit, & vt Generalis confirmat, tunc illo casu eo ipso, quòd eligit, confirmare videtur, vt docet Gloss. in cap. *Vt circa*, verb. *Electiones*, & in cap. 1. ver. *Prouisionem*, de elect. in 6. P. Greg. de elect. cap. 19. num. 5. & in casu nostro Sigism. de elect. dub. 116. num. 6. Tambur. de iure Abbatum, disp. 6. q. 2. num. 4. & alij apud ipsos.

P. Gregor.
Sigismun.
Tambur.

2. Ex quibus etiam solui posse videtur illa quæstio, quam, vt soluerem, me macterunt Lectores nostri Collegij Iesu Mariæ Genuæ, nimirum, Quo iure possent Fratres locales vnius Conuentus electionem Correctoris facere die 15. Septembris, & deinde, si aliqui, vel etiam omnes ex istis, Definitores existant, possint eandem electionem confirmare in die Sancti Michaelis die 29. Septembris, quo Capitulum definitorium celebratur. Et cur etiam Collegæ Prouincialis in dicta Correctoris electione nõ habeant votum in Conuentu, in quo localiter commorentur. Nam respondeo, quòd Fratres locales iure proprio, ratione scilicet localitatis, & habilitatis, eligunt Correctorem die 15. Septembris, cum Superioris localis electio ad Fratres Conuentuales pertineat; cap. *Abbatem*, 1. & 2. 18. q. 2. cap. 1. de elect. & in Regula nostra num. 49. & in Correct. nu. 103. Iure verò delegato, scilicet, Definitoriatus confirmant die 29. eiusdem mensis. Quæ iura, cum sint diuersa, in vno, eodemque subiecto sustinentur, vt Sigism. de elect. dub. 119. num. 4. Collegæ verò Prouincialis, cum sint exempti à iurisdictione Correctoris, nec faciant Collegium cum ipso, nec possint propriè dici de Capitulo, nec in illo vocales, non possunt ad electionem Correctoris ingredi, quæ ad solos locales, & vocales conuentuales spectet. Nec refert, quòd ingrediantur alia Capitula Conuẽtualia, vbi tractatur de negotijs Conuentuum, in quibus resident, iuxta statutum cap. Genuen. 3. num. 6. Nam, vel dicendum est, quòd habeant in dictis Capitulis solum votum consultiuum, vel, si habent decisiuum, id est ex speciali priuilegio illius Capituli.

3. Noto 2. quòd in Ordine nostro Zelosus, completo suo officio, potest denuò eligi, & confirmari, vt patet ex textu claro Regul. num. 47. vbi dicitur. *Insuper ibidem* (in Capitulo generali) *eligantur, vel iam electi confirmentur aliqui Fratres Zelosi, &c.* Nam illa clausula, *vel iam electi confirmentur*, non potest referri, nisi ad præcedens Capitulum generale, cum solùm in generali capitulo Zelosi eligantur.

4. Noto 3. quòd Zelosus non subditur Correctori Conuentus Romani, in quo residet. Neque Prouincialis, aut alius quiuis, etiam Generalis, potest expedire negotia in Curia Romana sinè scientia, & consensu ipsius. Ita statuitur in Cap. Turonensi nu. 11. Genuen. 1. num. 5. Paulæ num. 24. vbi declaratur dictum statutum Turonense, quòd scilicet possit Generalis expedire quæcunque negotia in Vrbe de scientia Zelosi tantùm, & consensu Collegarum. Item potest Zelosus assumere sibi Socium, qui nulli Correctori subsit, nisi illi, & P. Generali, ibi-

dedecore talis scientiæ ieiunio erit obmutescẽdũ: *Nã tempestate imminente*, aiebat Plato 4. de leg. *malum interesse arbitror gubernatoriam habeas artem, nec ne*. Hinc fiet, vt non nisi iusta, & iuste petet, atque ita raro repulsam patietur. Petrarcha. Ait enim Petrarcha dialogo 29. *Disce optare possibilia, vt indignationis fugias repulsarum, non assequi velle quicquid incensultus, & inexplebilis appetitus optauerit, quicquid spes vana suggesserit*. Tempus autem dicta scientia vtendi à prudentia mutuandum est. Nam conceptum sermonem in Curia aliquando retinere, expediens est, & quandoque non loqui periculosum. Quare prudentia omnino est necessaria; quæ doceat, quando loquendum sit, & quando tacendum; præuidet enim hæc, quomodo, & quo tempore quælibet actio sit intentanda. L. Iustin. *Vnde qui non habet prudentiam*, aiebat B. Laurentius Iustinianus in tract. de prud. cap. 3. *licèt sit magna Sanctitatis* (& literaturæ) *similis est homini in altum respicienti, & vbi ponat pedem suum non videnti, qui de facili potest ruere*. Est enim D. Chrys. *prudentia*, vt dicit Chrysost. homil. in psal. 13. *lucerna animæ, regina cogitationum, magistra eorum, quæ bona sunt, & honesta*. Et præterea necessaria Zeloso eloquentia, tam in voce, quàm in scriptis, vt sciat suadere, & dissuadere, & facilè, & efficaciter conceptum, & intentionem suam imprimere. Verba namq; viua, & spiritu prolata solent sæpiùs obstinatiorum, Nicephor. & irresolutiorum corda mouere. Vnde Nicephor. histor. lib. 6. ait, *Eloquentes esse oportet eos, qui Legati ad exteras nationes proficiscuntur, vt linguis ab omni parte instructi in quouis disputationum genere palmam obtineant. Eloquens autem* Cassiodor. *ille est*, ait Cassiod. super psal. 33. *qui scit parua submissè, media temperatè, magna granditer dicere. Qui scit inuenire præclarè, annunciare magnificè, disponere apertè, & figurare variè*. Non itaq; eam eloquentiã peto in Zeloso, quam Rhetores affectant, quæ in flosculis, & pompis, & verborum, ac affectuum apparatu consistit, hic enim nõ est modus negotiandi in Curia Romana, & magis cacozeliam dicit, quàm eloquentiam; sed sermo illius debet esse purus, simplex, negotijs conueniens, & aptus; eam solùm artem ostentans, vt quæ dicit, efficaciter probet, & persuadeat. Si his accedat nobilitas originis, magis æstimabitur ab omnibus Zelosus. Est enim nobilitas signum virtutis. Et si hæc nobilitas habeat annexum aliquid quo possit Zelosus se liberalem ostendere, gratissimus erit, etiam Curialibus, qui semper ad manus, non ad oculos respiciunt, & seruant punctualiter illud Ouidius. Nasonis.

Ipse licèt venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Et facillimè obtinebit quæcunque petet. Nã paupertas apud istos ridiculos homines facit. Et priùs quid portas, quam quid petis, petunt: Et hilariter, ac alacriter recipiunt; & hilariùs cũ recusant; nisi forte recusent, quia parum. Tu tamẽ semper obserua Catonis illud, *Cui des, videto*. Nec te demulceat suauitas verborum, nec illæ maximæ, ac vniuersales oblationes, quantumuis ex intimis cordis penetralibus tibi prouenire videantur, his nãque artibus viuunt Curiales, & in ipsorũ pomarijs nascuntur tales fructus, quos cũ nõ emant, prodigè dispensant.

Appendix 1. ad ea, quæ dixi supra litera O. cap. 4. nu. 2.

1. POSTQVAM fuerunt impressa, quæ loc. cit. in titulo dixi, fortuito legi Isnardum nostrum in Codice Minimo, verbo *Hospites* in fine, vbi refert statutum Capituli Generalis Genuæ 7. celebrati, ipsi num. 14. mihi 22. quod sic in meo manuscripto habet. *Auditis querelis Patris Vicarij Prouincialis, & Patris Commissi Prouinciæ Castellæ de quibusdam fratribus, qui pro suis negotijs petunt Conuentum Vallisoletanum ad Curiã regiam, vel Illustrissimum D. Nuncium Apostolicum absque licentia superiorum, decreuerunt Patres, tales debere carceribus mancipari. Qui si habuerint licentiam, etiam si esset Domini Nuncij, soluant singulis diebus quatuor argenteos*. Subdit verò Isnardus, quod eadem prorsus est ratio de Conuentibus Romano, Parisiensi Plateæ regiæ, & similibus, quæ extensio, cum sit perperam facta, & contra iura mihi non placet. Vnde, ne aliqui incautè illa decipiantur, mihi visum est impugnare, & simul de intelligentia, & validitate dicti statuti discurrere.

2. Et 1. Quòd licèt eadem prorsus sit ratio de alijs Conuentibus, non tamen sit in his idẽ ius, probo 1. nam illud commune dicterium, quod *vbi militat eadem ratio, ibi militat idem ius*, tot habet limitationes, vt ait Castro Pal. p. 1. Castro Pal. tract. 3. de leg. disp. 5. p. 3. §. 4. num. 2. vt potiùs ponendum sit pro generali regula, ob solam similitudinem, vel identitatem rationis nunquam legem esse extendendam ad alium casum, qui sub lata verborum forma non fuerit comprehensus, sicut nec illud extendit Suarez Suarez. lib. 6. de legib. cap. 3. à num. 4. & probat, quia ratio legis non est lex. ergo etiamsi in alio casu eadem ratio sit adhuc non infertur esse de illo legem, quia optimè potest legislator de vno disponere, & non de alio, vel quia non vult, vel quia non excedit omnia simul prohibere, neque omnia omittere, etiam si in illis eadem ratio sit. Quod prorsus dicendum est procedere in casu nostro, nam Patres dicti Capituli instantibus, ob paupertatem præfati Conuentus Vallisolet. Prouinciali, & Commisso Castellæ, voluerunt dictam gratiam concedere dicto Conuentui in specie ob dictã rationem, & alias, quę præfatos Patres potuerunt mouere ad id concedendũ, non tamen licèt in alijs Cõuentibus Parisiensi, & Romano eadem ratio militet, potest inferri, quòd voluerint illis eandem gratiam concedere; tum quia, si voluissent, cum scirent illos eadem infirmitate laborare, expressè concessissent; cum ergo non concesserint, signum est noluisse concedere, nisi determinatè pro illo Conuentu, & non pro alijs, quia fortè illa extensio pro alijs Conuentibus non expediebat, vel propter aliam rationem nobis ignotam mouentem illos ad concedendam dictam gratiam dicto Conuentui, & non alijs, tum quia, si militasset eadem ratio. Patres galli, vel in dicto Capitulo, vel in alijs sequentibus dictam extensionem postulassent, quod cum

dedecore talis scientiæ ieiunio erit obmutescẽdũ; *Nã tempestate imminente*, aiebat Plato 4. de leg. *multum interesse arbitror gubernatorem habeas artem, nec ne*. Hinc fiet, vt non nisi iusta, & iuste petet, atque ita rarò repulsam patietur.
Petrarcha. Ait enim Petrarcha dialogo 29. *Disce optare possibilia, vt indignationis fugias repulsarum, non assequi velis quicquid inconsultus, & inexplebilis appetitus optauerit, quicquid spes vana suggesserit*. Tempus autem dicta scientia vtendi à prudentia mutuandum est. Nam conceptum sermonem in Curia aliquando retinere, expediens est, & quandoque non loqui periculosum. Quare prudentia omnino est necessaria; quæ doceat, quando loquendum sit, & quando tacendum; præuidet enim hæc, quomodo, & quo tempore qualibet actio sit inchoanda. *Vnde*
L. Iustin. *qui non habet prudentiam*, aiebat B. Laurentius Iustinianus in tract. de prud. cap. 3. *licèt sit magnæ Sanctitatis* (& literaturæ) *similis est homini in altum respicienti, & vbi ponat pedem suum non videnti, qui de facili potest ruere*. Est enim
D. Chrys. *prudentia*, vt dicit Chrysost. homil. in psal. 13. *lucerna animæ, regina cogitationum, magistra eorum, quæ bona sunt, & honesta*. Et prætereà necessaria Zeloso eloquentia, tam in voce, quàm in scriptis, vt sciat suadere, & dissuadere, & facilè, & efficaciter conceptum, & intentionem suam imprimere. Verba namq; viua, & spiritu prolata solent sæpiùs obstinatiorum,
Nicephor. & irresolutiorum corda mouere. Vnde Niceph. histor. lib. 6. ait, *Eloquentes esse oportet eos, qui Legati ad exteras nationes proficiscuntur, vt linguis ab omni parte instructi in quouis disputationum genere palmam obtineant. Eloquens autem*
Cassiodor. *ille est*, ait Cassiod. super psal. 33. *qui scit parua submissè, media temperatè, magna granditer dicere. Qui scit inuenire præclarè, annuntiare magnificè, disponere apertè, & figurare variè*. Non itaq; eam eloquentiã peto in Zeloso, quam Rhetores affectant, quæ in flosculis, & pompis, & verborum, ac affectuum apparatu consistit, hic enim nõ est modus negotiandi in Curia Romana, & magis cacozeliam dicit, quàm eloquentiam; sed sermo illius debet esse purus, simplex, negotijs conueniens, & aptus; eam solùm artem ostentans, vt quæ dicit, efficaciter probet, & persuadeat. Si his accedat nobilitas originis, magis æstimabitur ab omnibus Zelosus. Est enim nobilitas signum virtutis. Et si hæc nobilitas habeat annexum aliquid quo possit Zelosus se liberalem ostendere, gratissimus erit, etiam Curialibus, qui semper ad manus, non ad oculos respiciunt, & seruant punctualiter illud
Ouidius. Nasonis.

Ipse licèt venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Et facillimè obtinebit quæcunque petet. Nã paupertas apud istos ridiculos homines facit. Et priùs quid portas, quam quid petis, petunt. Et hilariter, ac alacriter recipiunt; & hilariùs cũ recusant; nisi forte recusent, quia paruum. Tu tamẽ semper obserua Catonis illud, *Cui des, videto*. Nec te demulceat suauitas verborum, nec illæ maximæ, ac vniuersales oblationes, quantumuis ex intimis cordis penetralibus tibi prouenire videantur, his nãque artibus viuunt Curiales, & in ipsorũ pomarijs nascuntur tales fructus, quot cũ nõ emant, prodigè dispensant.

Appendix 1. ad ea, quæ dixi supra litera O. cap. 4. nu. 2.



1. POSTQVAM fuerunt impressa, quæ loc. cit. in titulo dixi, fortuito legi Isnardum nostrum in Codice Minimo, verbo *Hospites* in fine, vbi refert statutum Capituli Generalis Genuæ 7. celebrati, ipsi num. 14. mihi 88. quod sic in meo manuscripto habet. *Auditis querelis Patris Vicarij Prouincialis, & Patris Commiss. Prouinciæ Castellæ de quibusdam fratribus, qui pro suis negotijs petunt Conuentum Vallisoletanum ad Curiã regiam, vel Illustrissimum D. Nuncium Apostolicum absque licentia superiorum, decreuerunt Patres, tales debere carceribus mancipari. Qui si habuerint licentiam, etiam si esset Domini Nuncij, solnant singulis diebus quatuor argenteos*. Subdit verò Isnardus, quod eadem prorsus est ratio de Conuentibus Romano, Parisiensi Plateæ regiæ, & similibus, quæ extensio, cum sit perperam facta, & contra iura mihi non placet. Vnde, ne aliqui incautè illa decipiantur, mihi visum est impugnare, & simul de intelligentia, & validitate dicti statuti discurrere.

2. Et 1. Quòd licèt eadem prorsus sit ratio de alijs Conuentibus, non tamen sit in his idẽ ius, probo 1. nam illud commune dicterium, quod *vbi militat eadem ratio, ibi militat idem ius*, tot habet limitationes, vt ait Castro Pal. p. 1. *CastroPal.*
tract. 3. de leg. disp. 5. p. 3. §. 4. num. 2. vt potiùs ponendum sit pro generali regula, ob solam similitudinem, vel identitatem rationis nunquam legem esse extendendam ad alium casum, qui sub lata verborum forma non fuerit comprehensus, sicut nec illud extendit Suarez *Suarez.*
lib. 6. de legib. cap. 3. à num. 4. & probat, quia ratio legis non est lex, ergo etiamsi in alio casu eadem ratio sit adhuc non infertur esse de illo legem, quia optimè potest legislator de vno disponere, & non de alio, vel quia non vult, vel quia non expedit omnia simul prohibere, neque omnia omittere, etiam si in illis eadem ratio sit. Quod prorsus dicendum est procedere in casu nostro, nam Patres dicti Capituli instantibus, ob paupertatem præfati Conuentus Vallisolet. Prouinciali, & Commisso Castellæ, voluerunt dictam gratiam concedere dicto Conuentui in specie ob dictã rationem, & alias, quę præfatos Patres potuerunt mouere ad id concedendũ, non tamen licèt in alijs Cõuentibus Parisiensi, & Romano eadem ratio militet, potest inferri, quòd voluerint illis eandem gratiam concedere; tum quia, si voluissent, cum scirent illos eadem infirmitate laborare, expressè concessissent; cum ergo non concesserint, signum est noluisse concedere, nisi determinatè pro illo Conuentu, & non pro alijs, quia fortè illa extensio pro alijs Conuentibus non expediebat, vel propter aliam rationem nobis ignotam mouentem illos ad concedendam dictam gratiam dicto Conuentui, & non alijs, tum quia, si militasset eadem ratio. Patres galli, vel in dicto Capitulo, vel in alijs sequentibus dictam extensionem postulassent, quod cum

non fecerint, dicendum etiam est, nec eandem rationem militare.

3. Secundò probatur improprietas dictæ extensionis, quia in legibus exorbitantibus à iure communi, ob aliquem specialem fauorem alicui personæ, vel loco factum; non datur extensio ob similitudinem, vel identitatem rationis. Ita Castro Palaus loc. cit. num. 6. Rebelius de obligat. iustit. lib. 1. par. 1. quæst. 6. sect. 4. num. 17., Salas de legibus disp. 21. sect. 5. nu. 14. patet, tum quia hæ leges assimilantur dispensationibus, & priuilegijs; priuilegia autem, & dispensationes nõ recipiunt extensionẽ l. *Quod verò* ff. de legib. Cap. *Sanè* de priuil. Tum quia ea, quæ à iure communi exorbitant, non sunt in consequentiam trahenda per regulam 28. de regulis iuris in 6. Quòd autem hoc statutum sit exorbitans constat, quia concedit priuilegium dicto Conuentui contra regulam, & constitutiones, vt videbimus in sequentibus; ergo non potest extendi ad alios Conuentus Parisiensem, & Romanum.

Castro Pal. Rebelius. Salas.

4. Immo addò, quòd propter dictas rationes neque potest extendi ad Conuentum Matritensem, vt videntur extẽdisse Patres Castellæ; nam siuè priuilegium sit, siue dispensatio, cum sit exorbitans non extenditur: Neque obstat, quod Conuentus Matritensis sit Conuentus eiusdem prouinciæ cum Conuentu Vallisoletano; nam ratio, quæ mouit illos Patres ad dictum priuilegium concedendum, petita est ex Conuentu Vallisolet, & qui institerunt pro ea obtinenda, pro dicto Conuentu Vallisoletano institerunt; Vnde cum probauerimus dictũ priuilegium non extendi, probatum similiter remanet, quòd non extendatur ad Conuentum Matritensem, licèt sit eiusdem prouinciæ; nec vlla apparet ratio, quare potius extendi debeat ad Conuentum Matritensem, quàm ad Romanum, Parisiensem, & alios eodem morbo laborantes. Quare censeo, quòd Corrector Castellæ non potest tuta conscientia exigere ab hospitibus in suo Conuentu hospitantibus cum obedientia suorum prælatorum dictos quatuor argenteos, quòd si exigat, peccat, & tenetur restituere: & intellige, quòd non potest exigere vigore dicti priuilegij concessi dicto Cõuentui Vallisoletano, tum propter dicta: tum quia priuilegium locale est, quod non extenditur, præsertim cum Conuentus Matritensis sit principalior, & ditior Conuentu Vallisoletano ad dictum Tuscl verbo *Priuilegium* conclus. 733. nu. 18. tum etiam quia in dicto Conuentu Matritensi videtur cessare causa motiua concessionis dicti priuilegij, ad cap. 1 de priu. in 6. quòd si non cessauit, quia & ipse præmatur paupertate, debebat impetrari noua concessio: tum quia dictum priuilegium in se fauorabile non est, quia exorbitans est, licet fauear dicto Conuentui, vt patet ex l. *Si vero* §. de Viro ff. *Soluto matrimon.* & dicit Rebelius loc. cit. versu *Præposita regula*, Atque ita extendi non potest iuxta regulam, *Odia*, quæ est 15. de regul. iuris in 6. Adde quòd, vt audio, solùm 16 ab hinc annis Conuentus Matritensis exigit dictam pensionẽ, & quòd Illustrissimus Nuncius ad instantiam fratrum dictum statutum confirmauit, vel de nouo statuit, quod non scio. Scio tamen, quòd fratres, qui id petierunt à Nuncio grauiter peccatum, & possunt puniri ad formam Correct. nu. 110. Adde denique, quòd, vt audio, non est adeo magnus concursus hospitum in dicto Conuentu Matritensi, quin possit commodè substẽtari ex eleemosynis, & redditibus Conuentus; quod si est verum, omnino cõtra mentem dicti statuti exiguntur dicti quatuor argentei. Adde etiam, quòd Conuentus Messanæ, Neapolis, & Genuæ continuè absq; interruptione hospites hospitantur, & tamẽ nihil, vel ipsi hospites soluunt, vel ab ijs exigitur, nec quisquam de hoc cogitat, vnde constat, quòd concursus hospitũ cum eadem, & fortè maiori paupertate non facit, vt possit exigi ab ijs quicquam.

5. Circa verò intelligentiam dicti statuti prout stat, vt sustineri possit dico, quod debet intelligi, non quòd fratres, qui cum obedientia suorum Prælatorum accesserint ad dictum Conuentum Vallisoletanum propter negotia Prouinciæ, debeant soluere quatuor argenteos singulis diebus, sed quòd dictos argenteos teneãtur soluere Prouinciæ, seu conuentus, qui mittunt dictos fratres ad negotiandum in Curia Catholica, vel cum Illustrissimo Nuncio, siuè hoc faciant per ipsum missum, siuè per quemcunque alium, & hoc non ratione stipendij, & salarij, sed solùm ratione eleemosynæ ad subleuandam paupertatem dicti Conuetus. Fratres autem, qui accedunt ad dictũ Conuentũ propter negotia propria, nihil teneantur soluere. Quòd si hoc modo non intelligatur, est iniquũ, & iniustum, quia fouet proprietatẽ, dat occasionem peculijs, vt magis constabit ex dicendis.

6. Circa validitatẽ dicti statuti. Dico 1. quòd, nisi intelligatur, vt dixi, sed vt sonare videntur verba, est iniquũ, iniustũ, ac cõtra ius naturale. Et probo. Quia professio Religiosa est contractus mutuus inter Religiosum, & Religionem, quo ille se obligat ad inseruiendũ religioni secundùm Regulam in quocunque loco eum Religio miserit, Religio verò se obligat ad illum alendum infirmum, sanum in quocunq; loco ipse se per obedientiã receperit. Ita Panor. in c. *Porrectum* de regul, nu. 10. Vechius de nouitijs disp. 13. dub. 15. nu. 4. Sanch. lib 6. in decal. cap. 9. nu. 7. dixi tom. 2. Prælati religiosi q. 3. e. 1. n. 160. & hic supra loc. cit. in tit. n. 2. Contractuũ autẽ, seu pactorũ obseruatio simpliciter, & absolute est de iure naturali, vt Sanch. lib. 1. de sponsalib. disp. 7. nu. 26., Sylu. verb. *Obligatio* nu. 1., & 2., & alij communiter, nam ius naturæ fidem in contractum seruandam præscribit. Nec solùm de iure naturali est obseruatio pactorum, sed etiam de iure canonico, & ciuili cap. 1. de de pactis leg. *Iurisgentium* §. *Prætor ait*, ff. de pactis, & constat ex ipsa definitione contractus quæ ponitur à Vlpiano in l. *Labeo* ff. de verb. signif. quòd sit, *vltrò citroq; obligatio*, ex partium volũtate, & pactione consurgens, vt subaudiũt Doctores apud Rebell. loc. citãdo nu. 1. Porro obligatio est duplex, vt ait Rebell. de obligat. iust. lib. 1. p. 2. q. 1. sect. 1. nu. 15. vna naturalis, nõ tamẽ ciuilis, altera ciuilis, & naturalis simul, prima dicitur ea, quę licèt ex natura rei oriatur nec à iure ciuili impediatur, ab eo tamen nõ fouetur. Secũda est, quæ siue ex natura rei oriatur siue supposito iure positiuo, ab eo tamẽ fouetur, cõcedendo liberã actionẽ læso. Obligatio autẽ, quæ nascitur ex hoc contractu, seu pacto partiũ

Panormit. Vechius. Sanchez. Syluester.

resultat, secundi generis est. Unde collige, quòd nõ solũ tenetur in conscientia religio tale pactum suo religioso seruare, ita vt mortaliter peccent superiores non seruantes, sed etiam, quòd subditus habet actionem ciuilem in foro externo contra dictos Superiores nolentes dictum contractum seruare, vt possint illos vocare in iudicium, & facere sibi dictum pactum seruare, & consequenter habent actionem eiusdem non soluendi dictum pretium taxatum, & possunt superiorem prætendentem illud exigere, vocare coram Iudice, & facere desistere à tali exactione, immò, & condemnare ad tam exacta restituenda.

7. Dico 2. dictum statutum intellectum, vt sonant verba, est expressè contra ius canonicũ, patet. 1. quia in cap. *Non dicatis*, 12. q. 1. dicitur, quòd inter Religiosos omnia debent esse cõmunia, non quidẽ vt singulis, ita vt singuli sint Domini, & possint disponere de aliquota parte eorum, sed communia, vt vniuersis, ita vt singuli nullum habeant dominium super aliquo bonorum ipsius monasterij, sed solum apud Capitulum vniuersum, seu uoltum tale dominium resideat. Ita Nauarr. in dicto cap. *Non dicatis*, num. 8. Si ergo valet dictum statutum vt sonat, oportet, quòd quilibet Religiosus habeat aliquam partem bonorum sui monasterij, qua possit soluere dictam taxam quatuor argenteorum, cum ad prædictum Conuentum accesserit. Præterea bona dicti Conuentus non sunt omnibus Religiosis nostræ Religionis cõmunia, sed solùm communia illis, qui in dicto Conuentu habitant, denique bona à particulari Religioso acquisita non possunt esse communia Religioni, neque illi incorporari, cum ijs indigeat pro soluenda dicta taxa, si occurrat ad dictum Conuentum pro negotijs accedere. *Nauarrus*

8. 2. Patet ex cap. *Monachi* de stat. Monach. vbi prohibetur Religiosis habere peculium, & in sepultura asinorum iubetur sepeliri Religiosus, qui in extremis peculium habere inuentus fuerit. At stante dicto statuto, peculia prohiberi non possunt à Prælatis; dicet enim semper subditus indigeo ista pecunia, quia indigeo ire Conuentum pro negotijs, in quo eam expendã.

9. 3. Probatur ex cap. *Cum ad monasterium*, de statu Monach. in quo inter alia præcipitur, quòd si quicquã alicui fuerit destinatum, non debet præsumere illud accipere, sed debet illud Abbati, vel Cellario consignare; quod etiam statuit Trid. sess. 25. de relig. cap. 2., at hoc, stante dicto statuto, vt sonat, obseruari non potest, nam si Religiosus habeat necessariò ire Vallisoletum pro negotijs, cum teneatur ibi soluere quatuor argenteos quolibet die, poterit recipere, quod sibi fuerit datum à quolibet seculari pro dicta taxa soluenda absque eo quòd illud cõsignet Abbati, vel cellario; immo absque eo quòd dictus Abbas id possit prohibere, si enim habet obedientiam eundi ad dictum Conuentum, & debet ibi soluere dictam taxam per statutum generale, necessario debet habere, quo possit eam soluere, nec potest hoc impedire Prælatus inferior, cum hic in superiorem, quale est Capitulum generale, non habeat potestatem, Cap. *Inferior*, cap. *Denique* d. 21.

10. Dico 3. prædictum statutum est expressè contra regulam nostram, Probatur, quia in regula nu. 24. dicitur *Præterea sub paupertate euangelica perpetuo militantes omnes dicti Fratres clerici, & laici pecunias nullatenus tangant, nec illas scienter deferant*. Est autem paupertas Euãgelica nihil in particulari habere, vel possidero, sed de communi penu viuere, & ex illo habere, quidquid vniuscuiusque necessitas postulauerit, vt colligitur ex illo actor. 4. vers. 32. *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia, neq; enim quisquam egens erat inter illos*. Deinde, si debent soluere dictos quatuor argenteos, debent, & illos tangere, & super se portare contra textum expressum regulæ, & in Correct. nu. 40. puniuntur, qui pecunias scienter retigerint, uel super se portauerint, & Prælati talia faciẽtes statim iubentur deponi.

11. Dices, regulam iam in hoc puncto de tactu, & portatione pecuniarum nõ obligare per consuetudinem in contrarium. Resp. falsissimũ esse talem cõsuetudinẽ esse introductã hucusq; in Ordine nostro: Tũ quia, cum de annexis, & cõnexis idem sit iudicium, & tactus, & portatio pecuniarum sint circunstantię annexæ voto paupertatis, conducẽtes maximè ad obseruantiam illius, cum contra vota non possit introduci consuetudo, vt dixi tom. 1. relig. q. 1. cap. 8. §. 4. conclus. 1. videtur, quòd neque etiam possit introduci contra circunstantias annexas. Sed esto, quòd posset introduci, cum ad legitimam consuetudinem introducendam requiratur in primis præscriptio legitima, & scientia Prælati potentis hanc legem reuocare, de multis actibus in contrarium, vt dixi tom. 2. relig. q. 3. cap. 1. à nu. 181. cum nullum ex his adhuc adsit, cum Prælati semper, vel puniant, vel saltem grauiter arguant pecunias publicè tangentes, & nullus sit, nisi sit multum impudens subditus, qui hoc audeat, non potest dici, quòd contra hoc præceptum regulæ, sit adhuc introducta consuetudo, quæ illi præualeat. Adest quidem in hoc puncto aliqua tolerantia per negligentiam prælatorum introducta, quæ est quędam permissio sinè pœna iacti non liciti, vt eam definit Tuschus lit. T. conclus. 324. nu. 1. quæ tamẽ permissio non inducit concessionẽ, vel dispensationem, quod factum sit licitum, vt Tuschus ibidem. Immò neq; excusat, à pœna, quia Prælatus tolerans non habet facultatem remittendi pœnam latam contra pecuniam tangentes absque rationabili causa, cum sit lata à iure, vt Tuschus ibid. nu. 19. Vnde superiores pecuniam tangentes punire possunt. Adde, quod ista cõsuetudo, seu tolerantia, cum non sit vniuersalis, sed solùm apud Religiosos relaxatos, non poterit ius facere. Quare concludendum est, quòd non potest per istam tolerantiam saluari, quin dictum statutum sit contra regulam. *Tuschus*

12. 2. Probatur eadem conclusio ex Correct. nu. 48. vbi punitur quicunque Religiosus, qui quascunque pecunias sibi à quocunque elargitas Correctori nõ præsentauerit, & easdẽ absq; ipsius Correctoris licentia retinuerit. Et in cap. Panlæ nu. 12. quòd innouatur cap. 4. Valent. num. 31. præcipitur, quòd *dictæ eleemosynæ à quocunque habitæ reponantur cum eleemosynis Conuentus in capsa communitatis*. Et Val. 1. num. 23. *Si quis pecunias à quocunque habitas non statim Correctori resignauerit, tanquam proprietarius puniatur*.

Ooo iiij

niatur. Et ibid. num. 24. dicitur. *Item siquis libros vendere præsumat ad suum vsum concessos, à quocunque habuerit tanquam proprietarius puniatur*, & similia statuta habentur cap. Val. 4. nu. 31. 32., sed hæc vix obseruari possunt stante dicto statuto vt sonat.

13. 3. probatur ex regula num. 34. vbi dicitur, *Verùm tamen hospites hilari corde, & vultu placido recolligantur, ac iuxta cuiusq; loci facultatem benignè tractentur*, cui præcepto regulæ ex diametro aduersatur præfatum statutum.

14. Dico 4. Prædictum statutum est contra plura alia statuta nostræ religionis, quorum aliqua fuerunt confirmata à Papa. Probatur 1. ex cap. Tolos. nu. 30. 2. Rom. nu. 58., 1. Genuen. num. 21. Paulæ num. 39. vbi dicitur, quòd itinerantes ægrotantes in alieno Conuentu debent charitatiue tractari, nec per hoc Conuentus suarum localitatum tenetur quicquam resarcire Conuentui, qui dictos infirmos curauit. Vide supra lit. O. cap. 4. nu. 5. vbi ad verbum refero statutum. Et aduerte, quòd Capitulum Paulæ fuit confirmatum à Papa. Aduerte etiā, quòd hoc statutum fuit factum in quatuor capitulis Generalibus. Aduerte etiam, quòd Pater Pasiar. in margine ad dictum statutum Paulę ait, quòd causa huius statuti fuit cap. *Non dicatis* 12. q. 1. innuens quòd in religione nostra omnia semper voluerunt Patres esse communia. Si ergo noluerunt Patres, vt quando quis infirmatur in aliquo Conuentu, possit Conuentus, in quo infirmatur, quidquam pro tali infirmitate repetere à Conuentu suæ localitatis, multo minùs dicendum est voluisse, vt quicquā reciperetur pro hospitio.

15. 2. Probatur ex cap. 1. Bonon. num. 10., & Val. 4. num. 47. vbi statuitur, quòd fratres hospites sint sub obedientia Correctoris illius Conuentus, vbi sunt hospites. Statutum autem sic habet. *Quod in Capitulo Bononiensi de fratribus itinerantibus fuit dubitatum, declarandum esse putauerunt Patres, vt fratres hospites, & peregrini sint sub iurisdictione, & obedientia Correctoris illius Conuentus, vbi sunt hospites, & per consequens eiusdem ordinationibus ad regularem obseruantiam sui Conuentus spectantibus subiecti, nec debent sine sui licentia Conuentum exire, & de excessibus suis si quos ibi commiserent, debent, & possunt corrigi, & castigari; teneantur tamen benignè Correctores eos permittere, eorum negotia in suis Conuentibus peragere, dummodo non scandalosè, sed honestè ea tractent, & concludant*, & hoc etiam esse verum de iure communi dixi tom. 2. relig. q. 1. cap. 8. à num. 20. Si ergo sont subditi Correctori, & tenentur obseruare ordinationes ad disciplinam regularem spectantes, & possunt corrigi, si errent, quare non debent ali ab eodē Conuentu, cui inseruiunt. Adde, quòd secundùm laudabilem religionis consuetudinē hospites Sacerdotes tenentur dicere Missam pro Conuentu, in quo hospitantur, vt dixi to. 2. relig. q. 1. cap. 3. num. 12. Ergo debent etiam ab eo Conuentu ali, quia, qui altario seruit de altario viuere debet. Hæc autem omnia destruuntur, si illud statutum Genuen. intelligatur, vt sonat.

16. 3. in Cap. Valent. 5. num. 20. vers. *Quintum*, dicitur. *Pro paupertate fratrum volumus, vt ad vnguem obseruetur Concilium Tridentinum sess. 25. de regul., & quæ statuta sunt in nostris statutis vsq; adhuc, declarans vlterius fratres de bonis ad vsum concessis non posse, nec vendere, nec alienare, nec commutare, nec aliquid aliud facere, cum hæc omnia denotent actum liberæ voluntatis, & bonorum iurisdictionem, & dominium, & fratres non habent nisi vsum facti*. Sed pone, quod quis pecuniam non habeat, habeat autem libros, iste si debeat ire ad Conuentum, in quo soluenda est dicta pensio, velit, nolit, Corrector potest vendere libros, vt dictam pensionem soluat, atq; ita eneruatur cardo regularis disciplinæ, & paupertas corruit, & proprietas fouetur.

17. Dico 5. hoc statutum est contra virtutem hospitalitatis tantùm nobis commendatæ à B. P. in regul. num. 34., & ab antiquis Patribus Cap. Tolos. nu. 72. cap. 2. Rom. num. 30., & de qua dixi multa tom. 2. priuil. in constit. 6. Vrb. VIII. & præcipuè, quòd hospitalitatis officium propter inopiam non est deserendum, nam Hieronym. Matthæi 10. ad illum locū, *Qui dederit Calicem aquæ frigidæ*, ait, *Rursus poterit alius causari, et dicere paupertate prohibeor, tennitas me retinet, vt hospitalis esse non possim, & hanc excusationem leuissimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus, frigidæ, inquit, aquæ non calidæ, ne & in calida paupertatis ex penuria lignorum occasio quæreretur*. Legant illum locum Hieronymi Superiores omnes, & illi maximè, qui prædictam pensionem à suis hospitibus prætendunt, non quærit hospes, vt opiparè tractetur, vt conuiuijs recipiatur, vt more magnatum recolligatur, sed *hilari corde, & vultu placido*, ait B. P. in regul. loc. cit. *& iuxta facultatem cuiusque loci benignè tractetur*. Hæc non impediuntur paupertate Conuentuum, hæc omnem excusationē excludunt, hæc impium, barbarum, & crudele reddunt illud statutum, vt cantat, sic superiores illud ad literam seruare prætendentes, recipiatur hospes hilari vultu, & si non possunt illi dari pisces, dentur legumina, si neque hæc, dentur cæpę, & allia, vel solus panis, si neq; hic adsit, detur illi potus aquæ frigidæ, fiat illi constare de paupertate Conuentus, & sufficit. Dixi etiam, quòd qui inhospitales sunt, ad dignitates prohibentur promoueri, cap. *Archidiaconum* d. 85. & qui sunt promoti debent deponi, illud enim, quod impedit promotionē, deijcit etiam promotum, Adde nunc, quòd tenentur nostri Superiores hospitari omnes nostros Religiosos indifferenter, etiam si inimici eorum sint, nam vt dixi supra lit. O. cap. 4. num. 2. omnes religiosi habent ius ad omnia bona religionis, in quocunque loco sint cum obedientia suorum superiorum, & hospitalitas nemini est deneganda, cap. 1. de empt. & vendit. cap. *Monachi* de præb., & dig. cap. *Quiescamus* d. 42 Et superiores, qui hospitalitatem contemnunt, sunt excommunicati, cap. *Si qui despicis* d. 42. & tantùm æstimatur à sacris canonibus hospitalitas, quòd licet graue malum sit in Ecclesia conniuia facere, in casu tamen necessitatis pro colligendis hospitibus conceditur in cap. *Nulli Episcopi* d. 42. Vnde hospitalitas est de iure diuino iussa præiaris. 1. ad Thimoth. 3. vbi dicitur, *oportet Episcopum hospitalem esse*, idest, amāa hospitum, & peregrinorum, vt illos domo excipiat, tractet, foueat; quem locum diffuse expendit Barbosa de potestate Epis. tit. 2. alleg. 9. *Barbosa*.

Immo

Antonius. Immo omnes debere esse de iure diuino hospitales probat, adductis multis Scripturæ locis, Antonius Soia ad decreta Ducum Sabaudiæ de tabell. & notar. ad tex. car. 46. lib. 3. decretorum in gloss. num. 8. fol. mihi 227.

18. Quòd verò illud statutum intellectum, vt cantat, sit contra hospitalitatem constat. Quia hospes gratis, liberaliter, Zelo charitatis, amore Dei recipit hospitem, superior autem illius Conuentus non ita, sed solùm elargito pretio, data pensione, soluta gabella, vnde non iā hospes, sed caupo, sed Tabernarius, non superior Religiosus est; Vnde illi epitheta cauponū, & Tabernariorum conueniunt. Nomine Mercatorum hos honorat Bart. in leg. *Cum pater*, §. *Mensa*, ff. de leg. 2. Prædicant autē canones Clericum negotiatorem tanquam pestem esse fugiendum, & in leg. *Humilem*, Cod. de incest. nupt. habentur tanquam personæ viles. Alijs infamioribus titulis honorantur ab alijs caupones, quos omitto consulto: hi satis sunt ad inijciendum pudorem superioribus prætendētibus dictam gabellam exigere. Et pro coronido notent Prælati, quod, *hospitalem esse remuneratoris affectu auaritiæ est*, ait Ambros. lib. 7 in Lucam cap. 14.

19. Dico 6. constare inualiditatem dicti statuti ex inconuenientibus, quæ ex illo sequerentur: 1. enim sequeretur, quòd fratres relaxati non accederent ad Conuentus, sed per ciuitates in cauponis permanerent, si enim soluendū est pro victu, melius est, dicerent, nobis viuere in caupona, quam in Conuentu, nam ibi viuitur cum maiori libertate absque vlla subiectione, ac onere, comeditur ad beneplacitum &c. ex hoc autem inconueniente, quot sequantur, tu scis benigne, & misericors Deus; quid isti comedant, quid faciant, loquantur, quomodo ambulent, dormiant, &c. in damnum vniuersale Religionis, & præsertim Conuentus, ad quem, ne soluerent pensionem, non accesserunt, hæc cogitatione pensamus, mente dolemus, oculis deploramus. 2. sequitur quòd, qui haberet necessitatem faciendi aliquod negotium in Curia, vbi adesset Conuentus sic priuilegiatus, nec haberet vnde solueret gabellam, nec sciret vnde licitè haurire, id curaret consequi per sordes, per malas artes, furta &c. Vnde in constitutionibus Augustinensium cap. 40. habetur hoc statutum. *Ex particulari vita fratrum Conuentus confunditur, & fratres rapere, & furari coguntur, & ad communem vtilitatem, in qua ordinis status, & salus animarum, & pax, & tranquillitas corporum consistit, redduntur tepidi, & ad murmurationem, & detractionem, à quibus confusio ordinis, & perditio animarum dependet, sunt omni hora parati, & prompti.* Ita refert Beatus Iordanus in vitas Patrum lib. 4. cap. 13. quorum omnium, ait, est causa Prælatus, per quam communitas in Religione non seruatur, *vnde*, inquit, *in officio vlterius tollerari non debet, si enim vlneus nominari pastor non debet, sed gregis sibi commissi lupus potiùs deuorator.* Ad quæ per viscera Domini nostri Iesu Christi, & per charitatem B. P. precor superiores maiores ordinis respiciant, & non permittant ob nullius momenti interesse tot animarum ruinas, tot Religionis scandala, sciantq; superiores religionis communitatem esse primum, & maximum omnium bonorum, quæ in illa reperiuntur, quam si tollas religionem sustulisti, tolle communitatem, & religio, non religio, sed confusio est, non status perfectionis, sed status damnationis. *Hæc sancta communitas*, vt ait B. Iordanus in vitas Patrum lib. 3. cap. 1. *est nobis multipliciter commendata, est enim naturæ legibus complātata, in veteri lege figurata, à Prophetis prænunciata, à Philosophis inuestigata, à Principibus gentilibus gratificata, ab ipso Domino, & Saluatore nostro in se ipso consecrata, & nobis commendata, ab Apostolis Christi, & Discipulis seruata, & tradita, ab Euangelistis scripto roborata, à fidelibus primitiua Ecclesiæ acceptata, & obseruata;* quæ omnia prosequitur ibi Iordanus, & Augustinus sermone 21. ad fratres. *Nos*, inquit, *non debemus habere temporalia ad possidendum, nec ego, qui Episcopus sum, habere debeo nisi ad dispensandum*, & infra. *Igitur fratres licèt me in cathedra Episcopali videatis paupertatem sponsam tenere, congratulor, quia ipsa est Christi sponsa, Sanctorum possessio, Beatorum vita, fidelium securitas, Clericorum ornamentum, Monachorum vita; nobilium pulchritudo, hæc est illa sancta paupertas, quam qui tenet, & amat, nulla indigentia laborare potest. Nec mirum, quia sibi datur omnium dominium possidere. Estote igitur pauperes fratres mei, quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & deprecationem eorum audiuit auris sua*, item, *attendentes omnia communiter habere, & possidere, quia in celsitudine paupertatis viuentibus nō licet, nisi vt vnum sit cor, & vna anima, & omnia communiter possidere.* Duplicem scimus fuisse felicem statum in humana natura, primus est naturæ ante peccatum, & in hoc omnia erant communia, vt habet Isidorus relatus in cap. *Ius naturale* dist. 1. Secundus, est status gratiæ, in cuius primordijs actorum 4. erant omnia communia, immo & de statu futuræ gloriæ Beda dicit, vt refert Humbertus in cap. suo 14. super regul. S. Augustini, quòd Beati ita viuunt, vt sint illis omnia communia. *Cum ergo*, ait Humbertus, *non sit reperire meliorem statum naturæ, quam statum ante peccatum, nec gratiæ meliorem, quam primitiuum, nec gloriæ, quam futurum, quam fælix est ille status, qui tales status naturæ, gratiæ, & gloriæ imitatur.* Communitatem itaq; seruent Prælati, studiosè seruari curent, particularitates enecent, euellant, dissipent. Nam, vel Paradisus in terra non est, vel in Religione in communi viuente est. B. Iordan. P. August.

20. Dices 1. multæ aliæ Religiones Romæ exigunt ab hospitibus hanc pensionem: ergo & illam potest exigere nostra, tum Romæ, tum alibi. Resp. in primis mihi incertum esse, an aliquæ religiones id faciant. 2. an, si faciant, sint religiones obseruantes. 3. an exigant quatuor argenteos, quibus potest quilibet homo pinguiter vno die sustentari, vel aliquod solum paruum V. G. vnum argenteum per modū eleemosynæ: 4. An id soluatur nomine Prouinciæ, vel fratris particularis. 5. an seruent paupertatem Euangelicam cum illis conditionibus non tangendi; neque portandi super se pecunias, quàm tenemur seruare nos. Certum mihi esse puto Capuccinos, & minores de strictiori obseruantia, qui paupertatem Euangelicam, vt nos, seruant, non soluere dictam gabellam, neq; nomine communi prouinciæ, neque nomine particulari.

21. Et

21. Et cum sermo sit factus de Conuentibus Romanis dicam hic ad propositum nostrum vnum particulare de Conuentu nostro S. Andreæ de frattis. Hic Conuentus sumptus est ab Italis, vt Itali Romæ haberent habitaculum, sicut habent Patres Galli, & totus situs, vbi nunc est fabricatus dictus Conuentus emptus est, & fabricatus pecunia singularum Prouinciarum Italiæ in hunc finem, vt quando Romæ deberēt, adesse Itali pro negotijs locum haberent particularem, & hic noster Conuentus Genuēsis solus pro sua parte in prima emptione contribuit centum scuta aurea, deinde circa annum 1614. dedit scuta septingenta, & plus, quibus empta est vna domus vicina dicto Conuentui, S. Andreæ. In isto ergo Conuentu certum est, quòd non posset fieri per cap. Generale statutum, vt Itali negotiantes in curia Romana soluerent aliquam pensionem, nec multò minùs per Generalem solum cum suis Collegis, id enim esset vltra dicta etiā contra iustitiam commutatiuā. Si enim Itali emerunt sibi illam habitationem, vt quando illis Romæ agendum esset, haberent habitationem, certissimi iuris est, quòd de domo propria non debent soluere pensionem: nā finis est attendendus, Gloss. in cap. *Scienus*, verb. *Ab initio* de censib. l. *Legata inutiliter*, ff. *de Adimend*. Adde quòd Romæ hoc statutum nō potest habere locum, cū religio ibi quatuor Conuentus habeat, quorum tres sunt capacissimi hospitiū.

22. Dices 1. in cap. Paulæ nu. 18. & Bonon. 1. num. 17. statutum fuit, quòd studentes in aliena Prouincia soluerent conuentui studij decem scuta annua, & sibi prouiderent de vestimentis, libris, armisque scholasticis. Ergo non est mirum, quòd etiam hospites, & peregrini cogantur aliquam pensionem soluere. R. 1. quòd dicta statuta non fuerunt à Religione recepta, nec vnquam executioni mādata, vt audiui à senioribus. 2. quòd pensio soluenda per ista statuta, est tam parua, vt vix sit considerabilis, est enim pensio decem scutorum annuorum, idest centū regalium, quæ in dies diuisa vix pro quolibet die soluetur circa quartam partem regalis. 3. Dico quòd dicta pensio non est soluenda à studentibus, sed à Prouincia, ex qua sunt, vt cōstat ex num. 23. eiusdem Capituli Bononiensis, vbi dicitur *R. autem Pater Generalis poterit cogere prouincias, vt mittant aliquem, vel aliquos ad studium Parisiense, vel aliud, prouideantq; bene de prædictis necessarijs. Executionem enim studij cuncta iura mandant*, & sic in cap. Genuensi 7. num. 34. in quo ordinatum est, vt Prouincia Lombardiæ reciperet quatuor studentes Genuenses, statuitur, quod Prouincia Genuensis prouideat illis de vestimentis. 4. Cum eo tempore paucis in locis nostræ Religionis essent constituta studia vniuersalia, ad eaq; omnes confluere prætenderent, & dicti Conuentus essent pauperes, & non possent subsistere, necessum fuit, ne studia tam Religiosis necessaria omitterentur, vt aliquo modo illis subueniretur, & ideo ordinatum est, vt solueretur illa parua pensio. 5. Quòd ista pensio, non soluebatur ab omnibus studentibus indifferenter, sed solùm ab illis, qui priuilegijs studentium frui volebant, illi autem, qui vt fratres locales conuentui inseruire volebant, nihil soluebant, ita in eodem cap. Bononiensi num. 24.

23. Ex dictis habes 1. Quòd malè extendit Isnardus dictum statutum, cum potius deberet extinguere. 2. Quòd male extenderunt illud patres Castellæ ad Conuentum Matritensem, vnde eam pensionem exigunt nunc in præiudicium animarum suarum, etiam si de isto obtinuissent confirmationem à Nuncio Apostolico, nam cum probauerimus illud statutum iure non subsistere, probatum remanet, quòd neq; etiam subsistit confirmatio, nam quod non est, confirmari non potest. Immo addo, quòd superior, qui tentaret impetrare hoc statutum à Papa pro aliquo Conuentu, esset eo ipso suo officio priuatus per textum expressum Correctorij num. 110.

24. 3. Habes intelligentiam veram præfati statuti, nec est verisimile patres illius Capituli, qui tam zelarunt disciplinam regularem, & regulę obseruantiam aliud intendisse. Vnde puto, quòd in illo statuto aliquid desit, vel aliquid sit additum, & certe valde suspicor, quòd illa clausula, *qui si habuerint, &c.* vsq; ad finem, sit supposita; nam querelæ Prouincialis, & Commissi Castellæ solùm videntur fuisse contra fratres, qui absque licentia suorum superiorum illam Curiam pro negotijs petebant, vel quòd aliter stet in suo originali. Nisi fortè dicamus, id accidisse, vt solet aliquādo, ex incuria scribę.

25. 4. Habes præfatum statutum, vt sonat, non posse vllo modo subsistere, nec potuisse Capitulum Generale illud facere, vt nec in facto fecisse existimandum est, quia est contra ius naturale, diuinum, canonicum, ciuile, contra regulam, constitutiones confirmatas à Papa, contra bonos mores. Et quòd Generalis, qui prætenderet illud extendere ad aliquem Conuentum, seu obseruari facere, etiam si id faceret de consilio, & consensu suorum Collegarum, mereretur cum ipsismet collegis deponi, quia intentaret aliquid contra regulam, & prohiberet hospitalitatem.

26. 5. Habes, quòd dicta habent vniuersaliter locum in tota Religione, & in omnibus, & singulis Conuentibus, sed præcipuè in Conuētu nostro Sancti Andreæ de frattis, quia hic eo fine emptus est à fratribus Italis, vt Romę, & ipsi haberent Conuentum, in quo habitarent tempore negotiorum, & non est iustum, quòd quis pensionem soluat, volens habitare in domo sua. Præterquamquod, nulla vnquam fuit minor occasio soluendi, quam nunc, cùm quatuor Conuentus Romæ habemus, & magis commodos, quam vnquam, alioqui dici posset illud, *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*.

27. 6. Habes, quòd Prælati tenentur ista statuta destruere, & vt omnia in Religione communia sint procurare; nam sic de religione paradisum facient. Hæc circa hoc punctum visum est mihi dicere, quæ tamen submitto Correctioni, & censuræ S. R. E. & omnium Patrum, & fratrum, Doctorum simulq; piorum meæ religionis, & aliarum, spondeoq; corrigere, immo ex nunc corrigo, quæ ipsi corrigenda iudicauerint, nihil enim in hoc prætendo nisi gloriam Dei, & illæsam conseruationem communitatis in mea religione, quia ab ea omne ipsius bonum dependere præsumo.

Appendix 2. Ad ea, quę dixi tomo primo Priuilegiorum in Constit. 10. Leonis X. nu. 2. & in cap. 4. Addit. num. 7.

1 NOTO, quòd in præfatis locis tractaui, an valeret statutum aliquarum Ecclesiarum, quarum Curati nolũt leuare corpora defunctorum, nisi tot vocentur clerici ad associandum Corpus Defuncti, quot regulares. Sed quia audiui, quòd dicti Parochi fundabant intentionem suam in quodam Decreto Synodi Genuẽsis, & in quibusdam literis Sacræ Congregationis; dictum decretum, & literas procuraui, quibus visis, magis sum confirmatus in mea sententia, & vt quilibet videat, quam perperam dicti Parochi intelligant dictum decretũ, & literas, & quomodo illis abutantur, huc trãstuli ex constitutionibus Synodalibus Episcopatus Albiganensis sub Laodicello quidem tit. 28. de exequijs, & funeralibus, cap. 14. sub Illustrissimo verò Costa de funeralibus tit. 18. c. 3. & sic habent.

VT certus in funeralibus ordo seruetur ad tollendas quascunque perturbationes, quæ inter Ecclesiasticos non minus sæpè, Dæmonis inuidia, in tumulandis Defunctorum corporibus oboriuntur, sancimus, vt quotiescunquè plures ex clericis secularibus essent ad funeralia inuitandi, accersantur priùs Parochialis, & Matricis Ecclesiæ titulares digniores, Beneficiati, Capellani, tum inseruientes, quos alijs externis volumus anteferri. Si vna cum Clero seculari inuitentur, & Regulares, non sinat Parochus anteà ex Regularibus aliquem adhiberi, quàm fuerint vnà cum Parocho, Canonicis, & Capellanis, qui in eadem Parochiali Ecclesia ad formam Prouincialis Concilij diuina officia psallere consuescunt, inuitati, prout aliàs ad Prædecessoris nostri consultationem respondit Sacra Congregatio in hæc verba, videlicèt à tergo.

All' Ill., è M. Reu. Sig. come Fratello, Il Vescouo d'Albenga. Intus. Ill. è M. Reu. Sig. come Fratello. Letto, è considerato il decreto della Sinodo Prouinciale di Genoua, qual dispone, che in occasione de funerali debbano gli heredi de defunti, quali voranno inuitare altri del Clero Regolare, chiamare il proprio Parocho, è gl'altri Sacerdoti, è Ministri Ecclesiastici della Chiesa Parochiale del defunto, è parso à questi miei Signori Illustrissimi, che sia ragioneuole, è che perciò debba esser osseruato, massime stando la confirmatione, che V. S. scriue hauer fatto la felice memoria di Gregorio XIII. di quella Sinodo Prouinciale, nella quale stà inserto. Così V. S. potrà far sapere alli Superiori Regolari de Conuenti della sua Città, è Diocesi, è particolarmente di quella terra, doue dice esser seguiti tanti scandali per questa causa, che d'ordine di questa Sacra Congregatione debbano d'hora inanti vbidire, & conformarsi alla dispositione del sudetto Decreto, & astenersi di leuar Corpi di defonti, ne accompagnarli, se non seruata la forma d'esso decreto, sotto pena della priuatione dell'officio loro, e della voce attiua, e passiua, & altra maggiore ad arbitrio di questa Sacra Congregatione. Et perche il Conseruatore di essi frati hà posto la mano troppo inanti in presumere d'interdire V. S. dall'ingresso della Chiesa, & scommunicare altri, perche si è voluto far osseruare il sudetto Decreto, se gli scriue l'alligata, con ordine di venire quà à scolparsi dell'eccesso suo, quale si manda à V. S. acciòche gli la facci presentare, & auisi come lo dourà fare quanto prima, & il Signor la preserui. Di Roma li 17. Genaro 1600. Subscrip. Di V. S. Illust. & Molto Reuerenda come Fratello. Il Cardinale di Firenze.

2. Nota, quod dictum Decretum, & literæ nihil aliud volunt, quàm, quòd quando ad funeralia erunt inuitandi regulares, inuitentur priùs illi Clerici, qui in Ecclesia Parochiali defuncti solent de ordinario tanquam Capellani, vel Canonici, aut beneficiati diuina Officia psallere, & ei inseruire. Quòd licet habeat suas difficultates, tamen tolerabile est, præsertim, si vt dicitur, est confirmatum ab Apostolica Sede, decet enim, vt vnusquisque fruatur fructibus suæ Ecclesiæ, & victum habeat ab ea Ecclesia, cui inseruit. Non dicunt tamen, quòd vltra illos, qui solent de Ordinario dictæ Ecclesiæ inseruire, conducantur alij ex alijs Ecclesijs, vt adæquetur numerus regularium inuitatorum in præiudicium hæredum defuncti, & ipsorum regularium V. G. in vna Parochiali seruiunt tres Clerici, hæredes defuncti volunt vocare 20. regulares vult Decretum, quòd prius vocentur illi tres Clerici, quibus vocatis, liberum est hæredibus vocare quot Regulares volunt. Sed Parochi huius temporis, si inuitentur 20. Regulares, volunt, vt etiam inuitentur 20. Clerici, etiam si illi Parochiali tantùm tres Clerici inseruiãt, & alios Clericos præter tres vilissimo conducunt pretio, & omne emolumentum rapiunt, quod est meo videri omnino contra mentem dicti Decreti, & literarum.



Appen-

Appendix 3. ad ea, quæ dixi tomo 2. nostrorum Priuilegiorum post Constitutionem 5. Gregorij XIII. Constit. 6.

Concedit Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum, & centum dies de iunctis pœnitentijs Visitantibus Ecclesiam Sanctiss. Trinitatis de Urbe, Ordinis Nostri.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus seruorum Dei. &c.

Proemiū.  *NIVERSIS Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem, &c.*

Vnigeniti Filij Dei Redemptoris nostri IESV CHRISTI, qui pro reconcilianda suo auctori humana natura, de summo Cælorum solio ad huius mundi infima descendere, & nostræ mortalitatis carnem in vtero virgineo assumere, ac tandem in ara crucis errata nostra diluere ineffabili charitate dignatus est, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, gregem dominicum curæ nostræ diuinitùs creditum ad uiam lucis æternæ perducere satagimus. Et vt id certiùs succedat singulos, gregis eiusdem, quorum merita pro demeritis penitùs sunt imparia, ad pia, & meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus, indulgentijs videlicet, & peccatorum remissionibus frequenter inuitamus, vt per illa felicitatis æternæ præmia faciliùs consequi mereantur.

Motiua. §. 1. *Cupientes igitur, vt Ecclesia domus SS. Trinitatis in Monte Pincio de Vrbe Ordinis Fratrum Minimorū S. Francisci de Paula, ad quam, sicut accepimus, Dilecti Filij illius Corrector, & Fratres singularem gerunt deuotionis affectum, & quam à tempore, quo dicta domus ædificata fuit, magna Populi Romani vtriusque sexus turba ex singulari deuotione singulis sextis ferijs, totius anni visitauit, & memor salutiferæ redemptionis nostræ, quam in ipsa cruce Saluator noster operatus est, preces inibi effundere, consueuit, ac pro conseruatione Sedis Apostolicæ, hæresumq; extinctione, nec non fidelium Principū vnione D. O. M. deprecari non cessauit, congruis frequentetur honoribus, ac tam pium opus à multis annis inceptum perpetuetur, cunctique populi præfatam Ecclesiam dictis sextis ferijs visitantis deuotio augeatur, quò exinde pro animæ suæ salute maiora spiritualia dona se adipisci posse cognouerit.*

§. 2. *De omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi. Omnibus, & singulis prædicti sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui qualibet sexta feria totius anni Ecclesiam ipsam deuotè visitauerint, & ante Imaginem Crucifixi quinquiès orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ad honorem Passionis eiusdem Domini nostri IESV CHRISTI, nec non in memoriam prædictæ Sanctissimæ Trinitatis dicta sexta feria in eadem Ecclesia ante maius illius altare, ter prædictas orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitauerint, & pro felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac nostra, nec non pro tempore existentium Romanorū Pontificū successorū nostrorū incolumitate, atq; hæresum, infideliumque extirpatione, & Principum eorumdem vnione preces deuotè effuderint, qualibet eadem sexta feria, qua id fecerint, septem annos, & totidem quadragenas.* Concedit prout in sūmario

§. 3. *Et insuper omnibus, & singulis prædicti sexus Christifidelibus minimè confessis Ecclesiam Sanct. Trin. huiusmodi dicta sexta feria totius anni etiam deuotè visitantibus, & similes preces piè effundētibus, vt præfertur, centum dies tantùm de iniunctis eis, aut aliàs quomodolibet per eos debitis pœnitētijs in forma Ecclesiæ consueta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, misericorditer in Domino relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris tēporibus valituris. Volumus autem, quòd si dicta Ecclesia SS. Trinitatis aliqua indulgentia in perpetuum, vel ad certum nondum elapsum tempus per nos concessa fuerit, huiusmodi literæ sint nullæ. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1580. decimo Cal. Iulij Pontif. anno 9. &c. Gaillart.* Concedit centū annorū remissionē de iniūctis pœnitētijs.

1. Nota, quòd iste Pontifex nullam aliam indulgentiam, nec temporalem, nec perpetuā cōcessit dicto Conuentui SS. Trinitatis in specie, vnde ista remanet in suo vigore. Et aduerte, quòd ista clausula solet apponi de ordinario in indulgentijs, quæ cōmuniter cōceduntur, & intelligitur de eodē Pōtifice, vt clarè patet per illā clausulā, *per nos concessa fuerit*, vel per aliā *concessimus*, & ita intelligit stylus Curiæ Romanæ. Vnde nō est, quòd aliqui notatij ignorātes absque vllo fundamento dicāt debere intelligi de omnib⁹ alijs indulgētijs cōcessis ab alijs Sūmis Pōtificibus. Nā certū est, quòd si vellet Pōtifex derogare indulgentijs concessis ab alijs Pontificibus, debebet id explicare, vel clarè, vel æquiualenter.

Appen-

INDEX RERVM, AC VERBORVM,

Quæ in hoc primo volumine continentur.

Literæ R. S. Religiosum Subditum, R. P. Religiosum Prælatum, F. P. Formularium Prælatorum indicant.

A



Amor

INDEX RERVM, AC VERBORVM,

Quæ in hoc primo volumine continentur.

Literæ R. S. Religiosum Subditum, R. P. Religiosum Prælatum, F. P. Formularium Prælatorum indicant.

A



Amor

Præ-

Com-

D

eligens

F

Fides

G

tonce.

L

M

do;

N

fra-

O

ordinari

pag.

nato

Q

R

Reli-

S

T

V

F I N I S.

Errata aliqua in hoc primo Volumine emendanda.

ERRATA IN SVBDITO.

Pag.Col.Lin.	Errata;	Corrigenda.
17 1 30	sub pęna excõmunicationis deficit	& de facto me excommunicet cum sentẽ; la excommunicationis
19 1 6	condescentes	coudescendentes
25 in titulo	Cap. XII.	VIII.
28 1 6	aduerto	verb. aduerto
40 1 67	recalcitrandi	recalcitranti
41 2 30	damnum	in damnum
43 2 8	in peccantis	in peccatis
45 1 63	non imponitur	non soles regulariter imponi
59 2 33	quotes	quoties
63 2 65	inimicia	inimicitia
74 2 46	conditine	conditione
80 2 55	r ulus	riccius
ibid. ibid. 56	sacra	à sacra
87 2 43	post ita vt deficit	nihil possit retineri, nec etiam in communi,
ibid. ibid. 48	paupertas	habere aliquid
ibid. ibid. 50	quod est	quod paupertas
93 1 16	quamcunqz	quamuis
96 2 40	excesse	excelsis
101 1 52	professionem	per professionem
105 1 32	incorrigiles	incorrigibiles
113 2 8	prouiente	proueniente
115 2 12	ergo	si ergo
117 2 36	Chimidis	Chlamidis
129 1 28	sde	sed
139 1 8	accipitam	accipiant
143 1 20	dignum	indignum
147 1 57	qures	queres
149 1 7	poest	potest
158 1 1	simonia	simoniacs
165 1 51	prelitutas	prelaticas
ibid. 2 5	Vsurarius	Vsuarius
167 1 29	Religioum	Religiosus
184 2 32	Dele	non vt de altario viuas
185 1 55	prouere	proruere
ibid. 1 56	Vicegeres	Viceregès
192 2 12	Clamitates	calamitates
202 2 38	absque eo	absque eo quod
205 1 57	semen	senem
209 2 26	tenetaur	teneatur
210 2 66	laboerr	laboret
215 1 10	Incururrant	incurrant

ERRATA IN PRAELATO.

Pag.Col.Lin.	Errata.	Corrigenda.
240 1 47	precipitur	pręceptio
ibid. ibid. 52	pręceptio	precipiatur
243 1 60	gubernatinem	gubernationem
244 1 9	describentur	describitur
245 2 31	eritgnum	erit signum
ibid. ibid. 50	nobiliorem	nobiliorem
248 1 1	post verbum etiam deest	auferri dicitur quãdo nõ soluitur quod debetur, nec datur etiam
250 1 18	propter	proprio
ibid. 2 53	ratisto	ratio
254 1 13	minimorum	minorum
269 1 63	gemina	genimina
282 2 48	sacristiam	sacristam
289 1 65	definitorium	definitoriorum
299 2 34	septimna	septimana
319 1 44	dicit	discit
354 2 10	spirtales	spirituales
391 1 11	vercundia	verecundia
412 1 55	eliẽgdo	eligendo
452 2 15	monastrio	monasterio
494 1 63	falsicata	falsificata
496 2 4	quo	quod
501 1 10	Agelum	Angelum



ERRATA IN FORMVLARIO.

Pa.Col.Lin.	Errata.	Corrigenda.
538 1 31	restituo	restitutio
567 1 40	posessinem	possessionem
592 2 47	Caludi	Claudi
601 1 2	scibit	scribit
611 2 21	venturus est	venturus est cum gloria;
649 2 33	opus est	si opus est
694 2 vlt.	adiuent	adiuuent
695 2 10	recrerionis	recreationis
699 1 31	omnino	omnino non
700 2 40	De se	se
701 1 60	tract.	tract. 4.
720 1 54	egro	ergo

☞ In Compaginatione Voluminis à nu. paginæ 616. vsque ad 639. fuit erratum in continuatione numeri paginarum, & fuit positus numerus 627. loco numeri 617.

REGISTRVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iij Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſs.

Omnes sunt terniones, præter Xx, Ooo, qui sunt quaterniones, & Sſs, qui est duernio.

P L A C E N T I Æ,

Ex Officina Ducali Apud Ioannem Antonium Ardizzonum. M.DC.XXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.